REX PACIFICUS

Gregorius

In huius libri principio quinque vel sex praecipue sunt praenotanda, videlicet, quae sit intentio, quae materia, quae utilitas, cui parti philosophiae supponatur, quis modus agendi, et quis libri titulus. Intentio domini Gregorii in hac praesenti compilatione fuit diversas constitutiones et decretales epistolas praedecessorum suorum in diversa dispersas volumina seu compilationes, quae difficultatem studentibus ingerebant, in unam compilationem resecatis superfluis ad utilitatem legentium ac studentium reducere, prout in eiusdem domini Gregorii constitutione evidentius declaratur. Materia in hoc opere sunt ipsae constitutiones et decretales epistolae sub singulis titulis collocatae. Utilitas est, ut his lectis et intellectis sciamus discernere inter aequum et iniquum, et unicuique reddere quod suum est, et in hoc iustitia consistit, ut Inst. de iust. et iure, in princ.; et 12. q. 2, cum devotissimam. Supponitur Ethicae, id est, morali scientiae, sicut et alii libri iuris. Unde etiam dicit imperator, legibus nostris hominum mores intendimus corrigere, C. de secun. nupt., si qua mulier § namque, ibi, ne in his. Modus agendi talis est. Dividit enim opus suum in quinque partes. In prima parte tractat de summa Trinitate et fide catholica, et de constitutionibus, de rescriptis, de iudicibus, et eorum officiis. In secunda parte tractat de iudiciis et cooperantibus ad iudicia. In tertia parte tractat de vita et honestate clericorum, et de rebus eorum et ecclesiarum. In quarta de sponsalibus et matrimoniis et impedimentis eorum. In quinta de accusationibus et criminibus, et poenis eorum. Et sic terminat tractatum suum, ipsum dividens in quinque partes, ad similitudinem quinque sensuum corporis, quos quilibet qui iudicat habere debet, aliter non est idoneus iudex. Sic enim omnis copula coniugalis restricta est usque ad quartum gradum, ad similitudinem quatuor humorum corporis humani, ut infra, de cons. et affin., non debet § prohibitio. Dicens Gregorius episcopus, servus servorum Dei etc., titulum huius libri ponit. Unde versus: pars prior officia parat ecclesiaeque ministros // altera dat testes et caetera iudiciorum // tertia de rebus et vita presbyterorum // quarta docet quales sint nexus coniugorum // ultima de vitiis et poenis tractat eorum. Vel sic, et brevius: iudex, iudicium, clerus, sponsalia, crimen.

Servus

Sic etiam imperator seipsum appellat servum, C. de off. praef. praet. Afric., quas gratias, circa princ. Vel dic quod dicit ex humilitate, quia qui maior est vestrum, fiat sicut minister vester, 9. q. 3, nullus primas; Matt. 20, Luc. 22, et Mar. 10. Vel servus dicitur, quia sicut per servum acquiritur domino, Inst. per quas pers. nob. acq., circa princ. Ita etiam per dominum Papam cuilibet ecclesiae potest acquiri, infra, de censib., cum instantia, in particula quae decisa est de principio, infra, ut lite penden., ecclesia 2. Sic per imperatorem acquiritur hominibus, in Auth. const. quae de digni. lib. a pat. pot. § illud quoque, coll. 6. Et noctes ducit insomnes, ut subiecti sub omni quiete consistant, in Auth. ut iudic. sine quoq. suffr., in princ., coll. 2. Et dicit imperator, voluntarios labores appetimus, ut quietem aliis praeparemus, in Auth. ut divin. iuss. subscr. hab. glor. quaest., in princ., coll. 8; et infra, de restit. spol., extravag. frequens.

Filiis
Bene dicit, filiis, quia solummodo patriarchas, archiepiscopos et episcopos fratres appellat; omnes alios filios, infra, de crim. falsi, quam gravi.

Bononiae commorantibus
Et ita non in castris, quoniam si in castris studeant, beneficia ex privilegio sibi concessa occasione studii habere non debent, infra, de cleri. non residen., tuae. Praeterea ex quo dicit, Bononiae, non videtur quod aliis mittantur alibi studentibus, et sic non tenentur recipere hanc compilationem, quia litterae Papae non extenduntur ad alios quam ad eos quibus mittuntur, vel qui continentur in eis, arg. infra, de offi. deleg., P et G; et infra, de offi. deleg., gratum; et infra, de offi. deleg., cum olim abbas. Sed non est ita. Omnes enim tenentur ad observationem huius compilationis, sed propter studium quod est Bononiae communius et generalis praecipue in utroque iure, et ibi quasi de omnibus partibus mundi sunt studentes, ideo potius Bononiae diriguntur. Et ita omnes tenentur hanc compilationem observare, quae non possent, nec debent singulorum auribus intimari, 16. dist., quod dictis; et infra, de postul. praelat., ad haec. Et constitutio principis post duos menses a tempore publicationis omnes adstringit, in Auth. ut fact. novae const., circa princ., coll. 5; et infra, de sent. excom., noverit.

Salutem
Per talem salutationem non tollitur excommunicatio, si aliqui scholares vel magistri essent excommunicati tempore publicationis, infra, de sent. excom., si aliquando, ubi de hoc. Ber.

Rex
Alibi appellatur imperator, 11. q. 3, Iulianus.

Pacificus
Qui ut pacem doceret, venit in mundum, 23. q. 1, nisi bella. Regnum tamen eius non est de hoc mundo, 23. q. 3 § quod vero; et in Evangelio Ioannis, c. 18. Tanc.

Disposuit
Scilicet, per providentiam et praedestinationem, non necessitate, quia vasis irae, etc., 23. q. 4, Nabuchodonosor; et 23. q. 4, vasis irae; de poen. dist. 4, in domo patris § sic itaque, et in praecedenti § et sequenti §.

Pudicos
Id est castos. Sic et imperator subditos suos castitatem servare hortatur. Unde dicitur: castitas sola est quae cum fiducia potis est Deo animas praesentare, in Auth. de lenonib. § sancimus, coll. 3. Quae suaderi potest, imperari vero non potest, 32. q. 1, integritas. Unde debemus esse pudici, quia impudicus oculus impudici cordis est nuncius, 32. q. 5, nec solo.

Pacificos
Id est, pacem custodientes. Unde etiam dicitur, beati pacifici, quoniam filii Dei vocabuntur, 23. q. 1, noli; et Matt. c. 5. Tanc.

Modestos
Id est, temperatos, quia quilibet debet habere in se temperantiam, ut sciat servare misericordiam et rigorem, vel simul utrumque, 45. dist., disciplina. Ber.

Cupiditas
Quae est radix omnium malorum, 47. dist., bonorum; in Auth. ut iudic. sine quoq. suffr. § cogitatio, coll. 2. Et hoc idem innuitur, de poen. dist. 2 § quia radix omnium, post illum § ex praemissis. Ber.

Sui prodiga
Quia non solum rerum, sed etiam famae quis prodigus est, ut habetur C. de his qui pot. nom., animadvertimus, in fi.; et infra, de accusat., praelatorum, et talis crudelis est, qui famam suam negligit, 12. q. 1, nolo. Et vere, quia omnis aetas ab adolescentia prona est in malum, 12. q. 1, omnis aetas. Et omnis creatura sub vitio est, de poen. dist. 2, principium § caritas, vers. sicut ergo. Et humana natura quodammodo labitur ad delicta, in Auth. de monach. § si quis igitur, coll. 1. Et proclivus est hominum cursus ad voluptam, et natura est imitatrix vitiorum, 20. q. 3, proclivus. Unde Claudianus: proclivior usus in peiora datur. Sed in eo quod dicit prodiga, videtur sibi contraria littera ista, quia primo dixit cupiditas, quia qui est cupidus, non est prodigus. Sic intellige, cupiditas refertur ad retentionem temporalium, prodigalitas ad evacuationem virtutum, quia unum expellit aliud, 32. q. 1, cum renunciatur. Ber.

Nova litigia
Hoc ideo dicit, quia humana natura prona est ad dissentiendum, infra, de concess. praeben., quia diversitatem; et ff. ad Treb., quia poterat; et de conse. dist. 4, sicut in sacramentis § item si posset; et ff. de recepti., item si unus § ulti. Et semper novas deproperat edere formas, C. de vet. iure enucl., tanta § sed quia divinae, et in proemio sexti libri. Et natura introductum est ut plura sint negotia quam vocabula, ff. de praescr. ver., natura. Unde dicit imperator, quod natura novitates quotidie nititur invenire, ut in Auth. quib. mod. nat. fil. effic. legit. § si quis vero, coll. 6. Et ideo novis morbis nova convenit antidota praeparari, infra, de iuram. calumn., caeterum. Et varia experimenta morborum, varia nos cogunt remedia invenire, 50. dist., ut constitueretur. Et quod medicamenta morbis exhibent, hoc iura negotiis, in Auth. haec constit. quae innov. const., in princ., coll. 8. Et quae de novo emergunt, novo auxilio indigent, ff. de interog. act., de aetate § ex causa; et ff. ut in poss. legat., plane; et ff. de ven. inspic., temporibus, in princ.; et infra, de offi. deleg., insinuante; et infra, de except., pastoralis; infra, de testib., praesentium; et infra, de testib., ultra.

Iustitia
Quae ab aliis virtutibus augeri, et ad maius apparere desiderat, in Auth. de referendar. § propterea, coll. 2.

Libello repudii
Quem olim maritus dabat uxori, infra, de divort., gaudemus, in fi.; et ff. de divorti., divortium autem § in repudiis.

Lex proditur
Ut humana coerceatur audacia, et tuta sit inter improbos innocentia, 4. dist., factae sunt autem. Nam per leges nemo bene facere cogitur, sed male agere prohibetur, 23. q. 5, ad fidem.

Limitetur
Limes est agrorum discretio. Unde versus: limes erat positus litem ut discerneret agris; infra, de verb. sign., forus.

Honeste vivat, etc.
Haec sunt tria praecepta legis, de quibus habes ff. de iust. et iure, iustitia § 1; et Inst. de iust. et iure § iuris praecepta. Et sic sunt intelligenda honeste vivere quantum ad se, in his, scilicet, quae nobiscum agimus, quae honestas circa matrimonium consideratur, ff. de ritu nupt., semper; 31. dist., Nicaena; et circa mores, ff. de tutor. et curat., scire § penulti.; et ff. de tutor. et curat., scire § ulti. Ber.

Alterum non laedat
In his, scilicet, quae circa alios agimus. Unde illud quod tibi non vis fieri, aliis non facias, in principio decretorum, 1. dist. § humanum genus; et infra, de maior. et obed., dilecti filii.

Ius suum unicuique tribuat
Sive sit poena afficiendus, sive praemio remunderandus, 3. dist., omnis; et infra, de summ. trin. et fid. cath., firmiter § 1, in fi. Et per hoc dicitur servire Deo, sibi, et proximo. Et summum bonum in vita est iustitiam colere, et ius suum unicuique tribuere, 12. q. 2, cum devotissimam. Et per hoc quod dicitur, unicuique, datur intelligi qualiter debeat se habere erga superiorem, parem, et subditum.

Constitutiones
Constitutio est quam princeps facit proprio motu. Decretalis epistola est quando respondet ad consultationem, infra, de sent. excom., si concubinae.

Similitudinem
Idem dicit imperator, et eandem causam assumit, C. de novo cod. comp., haec quae necessaria § quibus specialiter; et C. de emend. cod. Iust., cordi nobis est § supradicits.

Contrarietatem
Et ideo compilatio antiqua non fuit legitime ordinata, quia nulla contrarietas debet esse in iure, C. de vet. iure enucl., tanta § contrarium. Ideo in praesenti compilatione nullum debet contrarium reperiri.

Vagabantur
Quas videbitis per titulos collocatos. Istae non erant in antiqua compilatione, et sunt istae: infra, de serv. non ordin., miramur; infra, de bigam., a nobis; et ita de aliis.

Per dilectum
Et recte et ordinate debent enim taliter compilari decretales, ut ordo temporum ipsarum ex illarum compositione et dispositione clarescat, primis in primo loco, posterioribus in secundo ponendis, ut C. de novo cod. comp., haec quae necessaria § quibus specialiter; quod quidem servatur in praesenti compilatione, sed in antiqua non. Et qui eas componunt non solum debent esse gloriosi doctrina legum, sed experientia rerum, ut C. de novo cod. comp., summa rei publicae. Unde per ordinationem istius compilationis illas scietis, quis illorum, quorum tempore constitutiones, consilia, decretales, edita sunt, praecessit.

Resecatis
Potest ergo dominus Papa derogare constitutionibus praedecessorum suorum, non obstante quod par in parem non habet imperium, ff. de recepti., nam magistratus. Et est ratio, quia eadem persona censetur cum eo cui succedit, et nemo potest sibi hanc legem imponere, ne liceat sibi a prima voluntate discedere, ff. de leg. 3, si quis, in princ.

Declarantur
Infra, de regular., statuimus; quae exponit illam infra, de regular., consulti.

In iudiciis
Sic ergo videtur quod omnibus decretalibus istis uti possumus in iudiciis, quia indefinita aequipollet universali, 19. dist., si Romanorum; et infra, de privileg., quia circa; et ff. de servit., si cui; ff. de servitu. urb. praed., si servitus. Et ita non est hic aliqua indulgentia sive dispensatio, quod falsum est, immo multae sunt, et indulgentia non debet trahi ad consequentiam, 7. q. 1, petisti; et Inst. de iure natural. § plane. Dicas quod propter unam decretalem, vel duas aut plures nec plus nec minus est, et simile est, de conse. dist. 2, re vera, in princ., ubi dicit quod omnes illi qui manducaverunt de manna illo, quod pluit filiis Israel in deserto, mortui sunt. Et tamen Caleph et Iosue non fuerunt mortui in deserto, immo intraverunt terram promissionis, 76. dist., ieiunium. Et ita modicum quid non nocet, nam modica res non inducit simoniam, infra, de simon., etsi quaestiones. Arg. contra, quia pro modica re datur actio furti, 14. q. 6, fur. Et pro sex solidis tantum committitur simonia, infra, de simon., ex tuae. Et pro una gallina committitur furtum, Inst. de rerum div. § gallinarum. Solutio: dic in talibus affectus et intentio committentis consideratur. Vel dicas quod dicit in scholis, refertur ad decretales illas quae continent indulgentiam sive dispensationem, quia illae debent legi in scholis, ut per doctrinam sciatur ubi et quando sit dispensandum. Quae vero ius commune continent, referuntur ad utrumque, quia illis utimur in iudiciis et in scholis. Si vero decretalis aliqua de caetero inveniatur extra compilationem istam, quid fiet? Tene quod dicitur infra, de fide instrum., pastoralis. Hic praecipit Papa ut tantum hac compilatione universi utantur. Quid erit si aliqui vellent uti et legere priorem? Dico quod illi essent excommunicandi, quia faciunt contra mandatum principis, infra, de maior. et obed., si quis; et 25. q. 1, generali.

BOOK I

X 1.01 DE SUMMA TRINITATE ET FIDE CATHOLICA

X 1.01.01 *Firmiter*

Quoniam
Quoniam omne quod non est ex fide, peccatum est, 28. q. 1 § quod autem; ad Rom. 14; et infra, de praescrip., quoniam. Et ordo nostrae reparationis a fide sumpsit exordium, ideo de fide catholica primo est agendum. Et quia in fide primo instrui debemus, ut sic ad baptismum creduli veniamus, de conse. dist. 4, ante baptismum. Videndum est ergo quid sit fides, prout hic accipitur, et quot modis accipiatur fides, et quot sint species fidei, et quot articuli, quod praemium credentium, et quae sit poena non credentium. Fides enim multis modis dicitur. Dicitur fides quandoque idem quod sacramentum baptismi, 45. dist., de Iudaeis; et infra, de bapt. et eius effect., debitum. Item dicitur fides castitas tori, 27. q. 2, coniuges; 28. q. 1, cave; et infra, de iureiur., quemadmodum; et est unum de tribus bonis matrimonii; 28. q. 1; 27. q. 2, omne itaque; infra, de cond. appos., si conditiones. Item fides securitas, sive pactum, quae etiam hosti servanda est, 23. q. 1, noli. Item dicitur fides quandoque conscientia, infra, de restit. spol., litteras § nos autem, circa princ.; et infra, de praescrip., quoniam; id est, conscientia, de poen. dist. 3, quaerit § item illud Ambrosii; alias est vers. item dicitur fides credulitas, secundum quam credimus id quod non videmus. Fides enim est de re non visa, de poen. dist. 4, in domo, vers. et si abiero. Unde etiam dicitiur, fides non habet meritum cui humana ratio praebet experimentum. Item dicitur fides promissio, Inst. de rerum div. § venditae; et infra, de sponsa duo., duobus. Item alio modo dicitur fides collectio articulorum, ut hic, et 24. q. 1, haec est fides. Praeterea et in symbolo Athanasii dicitur, haec est fides catholica, quam nisi, etc. Item dicitur fides aequitas in actionibus considerata, Inst. de action. § actionum autem quaedam bonae fidei sunt quaedam stricti iuris. Fides vero sic describitur ab Apostolo in epistola ad Hebraeos, prout hic sumitur: fides est substantia rerum sperandarum, argumentum non apparentium. Et dicitur substantia sperandarum rerum, quia sperare debemus quod dictum est a prophetis, esse futurum. Argumentum non apparentium dicitur, quia per prophetias iam completas debemus habere argumentum, id est, probationem non apparentem de futuris complendis, scilicet, de die iudicii et de fine mundi. Sed videtur quod definitio ista non sit bona, quia vera definitio convertibilis debet esse cum suo definito. Sed haec non est convertibilis, quia spes similiter est substantia sperandarm rerum, unde videtur inferendum quod fides est spes, quod est falsum. Item haec definitio videtur loqui tantum de futuris, cum fides sit tam de praesentibus quam de praeteritis et futuris, eo quod habet se ad omnia; ad praeterita, quia credendum est Christum fuisse natum et passum; ad praesentia, quia credendum est quod ipse sit qui in altari quotidie conficitur; ad futura, quia credere debemus ipsum venturum et iudicaturum vivos et mortuos. Et ita videtur esse insufficiens ista definitio, et licet diversa tempora comprehendat, una tantum fides esse videtur. Unde satis potest dici, quod non est vera definitio, sed quaedam notificatio fidei ab Apostolo dicta. Potest autem magistraliter definiri: fides est voluntaria certitudo absentium infra scientiam, et supra opinionem constituta. Scientia enim habet cognitionem, fides vero non. Unde dicit Augustinus, fides est credere quod non vides, de poen. dist. 4, in domo. Species autem

fidei sunt duae. Una est formata, quam habent boni; et est alia informis, quam habent mali, et existentes in mortali peccato, et fides eorum caret forma. Prima est virtus a qua dicuntur fideles quicumque baptizantur, de conse. dist. 4, si qui apud; et talis fides dicitur informata caritate. Unde sic potest definiri: fides est qualitas qua quis credit quod diligit. Caritas dignior est penes quam constitit omne meritum, et est fons vivus, cui non communicat alienus, scilicet, a fide, infra, de regular., licet, in fi.; et de poen. dist. 1, omnis qui non diligit. Unde dicitur, fides nostra est virtus quam caritas comitatur. Unde dicit Augustinus: fides quae per dilectionem operatur, est fundamentum omnium virtutum, 1. q. 1, cum Paulus; et alias ita definit. Haec est fides quae per dilectionem operatur, de poen. dist. 2, caritas § item dominus Amen, vers. haec est fides; et non ea quae daemonum est, qua credunt, et contremiscunt. De fide informata caritate dicit Abacuch propheta, iustus autem in sua fide vivit. Fides nostra est eadem in substantia cum fide antiquorum, ut dictum est, quod probat Evangelium. Turbae autem quae praecedebant, et quae sequebantur, clamabant dicentes, Osanna filio David. Distant tamen in qualitate, quia quod ipsi credebant de futuro, nos credimus de praeteritis, scilicet, Christum natum et passum. Principales autem articuli fidei nostrae sunt septem, secundum quod septem sunt dona Spiritus Sancti, quos quilibet Christianus scire tenetur, clerici explicite, laici implicite, et credere sicut Ecclesia. Et sunt hi: incarnatio sive nativitas, baptismus, passio Christi sive mors eius, descensus ad inferos, resurrectio, ascensus in caelum, adventus eius in iudicium. De quibus habes in prima constitutione infra, de summ. trin. et fid. cath., firmiter, pro quibus Ioannes in Apocalypsim legitur flevisse, ubi dicitur: vidi librum signatum septem sigillis formam imprimentibus in caelo et in terra, et apud inferos, et nemo fuit dignus aperire librum nisi Leo de tribus Iuda. Et isti septem articuli patent in his versibus: nascitur, abluitur, patitur, descendit ad ima // surrexit, scandit, veniet discernere cuncta. Secundum quosdam theologos sunt duodecim articuli fidei propter duodecim Apostolos, qui eadem hora instinctu Spiritus Sancti symbolum composuerunt. Unde dicitur symbolum a syn, quod est simul, et bolus, quod est morsellus, quia unusquisque Apostolorum suum morsellum, id est, partem suam apposuit. Et est aliud symbolum maius, quod cantatur in missa, in Nicaena synodo factum propter Graecos, qui non credebant quod Spiritus Sanctus procederet ab utroque; de conse. dist. 5, salvator; et de conse. dist. 5, de spiritu. Est et tertium symbolum Athanasii, quicumque vult, quod cantatur in prima. Istud potest appellari quartum symbolum, et ita sunt modo quatuor sicut quatuor Evangelistae. Praemium vero credentium est vita aeterna. Poena vero non credentium est gehenna perpetua, iuxta illud, haec est fides catholica, quam nisi quisque fideliter firmiterque crediderit, salvus esse non poterit, et qui crediderit et baptizatus fuerit, salvus erit, infra, de bapt. et eius effect., maiores. Ber.

Firmiter

Hoc ideo dicit, quia ordo fidei nostrae probari non potest quia ubi ratio deficit, fides supplet; de conse. dist. 4, nihil est aliud; et de conse. dist. 5, salvator. Arg. ut quod sermo sonat, affectus sentiat, id est, fides, de conse. dist. 2, re vera, in fi.; quia fides est de re non visa, de poen. dist. 4, in domo, in fi.

Credimus
Hoc ideo dicit, quia dubius in fide, infidelis est, infra, de haeret., dubius; et arg. 22. q. 1, omne quod, in fi. Et est simile de accusato contra quem nihil est probatum, et sic remanet dubius quando se non purgat. Et quia fides est exordium nostrae reparationis, ideo prius de ea permittit, quia prius homo debet instrui in fide, de conse. dist. 4, ante baptismum; et de conse. dist. 4, ante viginti.

Unus
Hoc dictum fuit ad differentiam plurium planetarum, quos quidam colebant tamquam deos.

Verus
Dictus est ad differentiam fictorum.

Aeternus
Hoc ideo dicit, quia misericordiae Dei nec mensuras possumus ponere, nec tempora definire, de poen. dist. 1, multiplex; et 26. q. 6, is qui.

Immensus
Id est, sine mensura, unde dicitur intra omnia non inclusus, extra omnia non exclusus, supra omnia non elatus.

Incommutabilis
22. q. 4, incommutabilis. Et tamen dat cuncta moveri, unde Boethius, 3, de consola., stabilisque manens dat cuncta moveri, etc. Saepe tamen mutat sententiam suam, ut ibi dicitur, et 22. q. 4, unusquisque, in fi.

Incomprehensibilis
Unde in veteri lege dicitur: bestia quae montem tetigerit, lapidabitur. Et illud: accedet homo ad cor altum, et exaltabitur Deus ab eo. Et illud: O altitudo divitiarum sapientiae et scientiae Dei, quam incomprehensibilia sunt opera eius, et investigabiles viae eius.

Omnipotens
Quia omnia possunt quae decent eius potentiam, et quae posse est aliquid posse. Unde peccare non potest, quia peccare non est aliquid posse, ut ait Augustinus, immo est aliquid non posse, ut de poen. dist. 2, principium § caritas.

Ineffabilis
Unde illud: sapientiam eius quis enarrabit? Quasi dicat, nullus.

Simplex omnino
Nota quod multiplex est compositio. Est enim proprie compositio partis ad partes, ut in rebus corporalibus. Item est compositio proprietatis ad subiectum, ut rationabilitas in anima. Item formae ad substantiam, et substantiae ad formam, et nulla istarum compositionum cadit in Deum, et ideo dicitur simplex omnino, id est, in quolibet sensu compositionis. Et pone quasi simile in anima, cuius substantia simplex est, et tamen tria

reperiuntur in anima. Intellectus qui praeconcipit, ratio quae discernit, et memoria quae conservat. Intellectus praeconcipiens, Patri primo operanti comparatur. Ratio discernens comparatur Filio, qui est sapientia patris, disponens omnia in caelo et in terra. Memoria conservans comparatur Spiritui Sancto, qui omnia bona corroborat et confirmat. Sicut ista tria idem sunt in substantia cum anima, sic et tres personae Pater et Filius et Spiritus Sanctus idem sunt in substantia.

Coomnipotentes
Ut in symbolo Athanasii, sed tamen non tres omnipotentes, sed unus omnipotens.

Coaeterni
Sed contra videtur in dicto symbolo, ubi dicit, et tamen non tres aeterni, sed unus aeternus. Solutio: hic ponuntur adiective istae dictiones, ibi autem substantive. Haec est differentia, hic designat personas, ibi essentiam, sed totae tres personae coaeternae sibi sunt et coaequales.

Simul
Unde Salomon, qui manet in aeternum, creavit omnia simul. Unde in Genesi, in principio creavit Deus caelum et terram, quod simul factum fuit, sed simul dici non potuit.

Humanam
Quia prima die angelos creavit, et sexta die creavit homines.

Quasi communem
Id est, mediam inter angelicam et mundanam, vel communem, id est, utrique conformem, quia in pluribus conformat se cum angelis, scilicet, in ratione et discretione, et in multis cum inferioribus creaturis, quia sentimus cum illis et in pluribus aliis.

Diabolus
Dicitur criminator, et est graecum vocabulum, derivatur autem a dia, quod est duo, et bolus, quod est morsellus, quia duos bolos tantum de corpore et anima quaerit facere.

Daemones
Daemon interpretatur sciens. Et est arg. ex haec littera, quod de bono procedat malum, quod est falsum, ut hic exponitur, quia angelus non habuit remedium sicut homo, quia homo peccavit per suggestionem, angelus per se sine alterius suggestione, ut dicit littera sequens.

Creati sunt boni
Numquid est idem de homine? Videtur quod non, per hoc quod dicit Apostolus: eramus enim nam filii irae sicut et caeteri, a qua nullus liberatur nisi per fidem, de conse. dist. 4, firmissime. Dicas quod homo ab initio bonus creatus fuit sicut et angeli, et in caritate, ut de poen. dist. 2, tolle caritatem, vers. Adam vero; et de conse. dist. 2, quomodo revocari; et de conse. dist. 2, princeps. Videtur quod homo creatus fuit immortalis, de conse. dist. 4, placuit igitur, vers. ulti. distinctionis. Et auctoritas praedicta sic debet intelligi, eramus enim natura filii irae, id est, eramus digni poena aeterna sive debitores irae, id est, poenae

aeternae; natura, id est, inseparabili vitio, scilicet, originali peccato. Originale enim peccatum ita inhaeret humano generi sicut se esset ei naturale, quia sicut natura nos non deserit dum sumus, ita nec originale peccatum, sed tamen post baptismum non nocet, de conse. dist. 4, per baptismum.

Per se
Id est, ex proprio defectu.

Diaboli suggestione
Et ideo magis puniendus est diabolus quam ipse faciens, 86. dist., tanta, circa fi., ibi, eos vero. Nec illud excusat diabolum, si homo illud alias facturus esset, ff. de serv. corr., ait praetor § qui igitur; licet videretur quod pro sola tantum exhortatione non debeat teneri. Non enim qui exhortatur, mandatoris opera fungitur, ff. de his qui not. infam., ob haec verba, in fi. Nec id excusat hominem, quod consilio alterius fecit, quia debuit et potuit explorare apud semetipsum an expediret ei tale consilium, ff. mand. vel cont., mandatum, in fi. Et si dubitabat, potuit consulere peritiores, quare imputatur alicui, ff. de iuris et fact. ignor., regula § sed iuris; et ff. de bon. poss. sec. tab., in bonorum, in fi.; et 37. dist. § ut itaque. Io.

Ordinatissimam
Haec fuit dispositio, quia tria fuerunt tempora: tempus ante legem, et tempus sub lege, et tempus gratiae. In tempore ante legem habebant homines ius naturale, quo regebantur, quod consistebat in his duobus praeceptis contentis his versibus: quod tibi vis fieri, mihi fac; quod non tibi, noli // sic potes in terris vivere iure poli, 1. dist. § humanum genus. In tempore sub lege regebantur decalogo Moysi dato a Deo, et tunc contingebant omnia in figura, quae completa fuerunt tempore gratiae, quando Dei filius nos docuit praecepta Evangelica, quibus hodie regimur, in quo scripturae fuerunt completae. Et hic est ordo de quo hic dicit.

A tota Trinitate
Hoc ideo dicit, quia inseparabilia sunt opera Trinitatis, de conse. dist. 3, omnes, in fi.; et 28. q. 1, sic enim neque, circa princ. Nec potest filius a se facere quicquam, nisi quod viderit patrem facientem, de conse. dist. 5, salvator, in fi.

Incarnatus
Hic explicatur primus articulus fidei.

Una
Hoc fuit figuratam in arca Noe, Gen. 7, ubi fuit redemptio sanctorum per duas naturas, quo ad opinionem et veritatem.

Impassibilis
22. q. 4, incommutabilis. Et habetur figura his versibus: nil Isaac patitur, aries fit victima Christo // nec deitas patitur, cum moriatur homo, 22. q. 2, si quaelibet § Abraham; et 22. q. 2, utilem.

Mortuus
Hic explicatur tertius articulus fidei.

Descendit ad inferos
Quartus articulus.

Resurrexit a mortuis
Quintus articulus.

Ascendit in caelum
Hic est sextus articulus.

Venturus
Septimus articulus.

Gestant
Unde Apostolus, hoc mortale induet immortalitatem.

Extra quam
24. q. 1, quoniam vetus.

Est sacrificium
de conse. dist. 2, nec Moyses. Unde dicitur versus: rex sedet in coena turba cinctus duodena // se tenet in manibus se cibat ipse cibus. Dicit Augustinus: de carne Beatae Mariae carnem accepit, et eandem carnem ad manducandum dedit ad salutem, de conse. dist. 2, accesserunt Iudaei. Et hoc fuit significatum in persona David, de quo dicitur, ferebatur David manibus suis, ut ibi dicitur. Ber.

Panis et vini
Hoc ex causa statutum fuit, ut in alia forma sumeretur propter horrorem, unde dicitur: nisi quis manducaverit corpus meum, et biberit sanguinem meum, etc. Audito hoc verbo scandilizati sunt discipuli, et dixerunt: durus est hic sermo, de conse. dist. 2, prima; de hoc sacramento traditur infra, de celeb. miss., cum Marthae.

Claves ecclesiae
Nota hic quod non potest conficere corpus Christi nisi fuerit ordinatus in forma ecclesiae.

Sacramentum vero baptismi
Hic est secundus articulus qui ultimo ponitur, et hic exprimitur forma baptismi, quam servat ecclesia, de conse. dist. 4, firmissime; et infra, de bapt. et eius effect., maiores.

A quocumque
A quocumque ergo baptismus conferatur in forma ecclesiae ratum est, ut 1. q. 1, quod quidam; et de conse. dist. 4, a quodam; et de conse. dist. 4, Romanos; 24. q. 1, subdiaconus § sed illud.

Coniugati
Nota quod tres sunt ordines in ecclesia Dei, scilicet, virgines, continentes, et coniugati. Christus enim plus amat virgines quam alios, quia sponte tribuunt quod sibi non fuerat imperatum. Continentes etiam plus Deo placent quam coniugati, quia non expedit homini ad regna caelestia tendenti, accipere uxorem, ut 33. q. 5, tunc salvabitur. Et ea sunt in nostris officiis gratiosa, quae cum liceret non impendere, tamen causa dilectionis impendimus, 28. q. 1, iam nunc.

X 1.01.02 *Damnamus*

Non est generans
Adiective tenetur, id est, non generat, licet sit persona generans.

Asserit
Scilicet, Ioachim.

Ille
Scilicet, Petrus.

Qui plantat
Scilicet, praedicando.

Et qui rigat
Baptizando in epistola ad Corinthios.

Unum corpus, etc.
Unione caritatis et spiritus, de conse. dist. 4, quaeris.

Ut sint unum
Id est, eiusdem voluntatis.

Nos unum
Scilicet, unione naturae.

Non enim
Hic respondet concilium auctoritatibus Ioachim.

Ait
Scilicet, Ioachim.

Pater et Filius et Spiritus Sanctus
Pater dedit testimonium deitatis quando dixit: hic est filius meus dilectus, in quo mihi bene complacui, ipsum audite. Filius dedit testimonium deitatis quando in monte transfiguratus potentiam deitatis, et speciem aeternae beatitudinis ostendit. Spiritus Sanctus dedit testimonium quando super baptizatum in specie columbae requievit, vel quando ad invocationem nominis Christi corda credentium implevit.

Et hi tres unum
Id est, indifferentes quo ad dandam gratiam. Vel unum, id est, unius substantiae vel essentiae.

In terra
Scilicet, quod Christus fuit homo, infra, de celeb. miss., in quadam.

Spiritus
Id est, humana anima, quam emisit in passione.

Aqua et sanguis
Quae fluxerunt de latere Christi, ut in decretali praedicta infra, de celeb. miss., in quadam. Et fuit vera aqua, et non aquaticus humor, ut quidam haeretici mentiuntur.

Et hi tres unum sunt
Non natura eiusdem substantiae, sed cooperatione eiusdem mysterii, quia spiritus per adoptionem nos filios Dei fecit. Aqua fecit nos filios Dei per ablutionem baptismi, sanguis per redemptionem gratiae.

Non est generans
Id est, non generat, sed est persona generans.

Neque genita
Nota ad intelligentiam personarum in Trinitate quod nominum quaedam sunt essentialia, quaedam personalia, quaedam notionalia. Essentialia sunt quae in singulari numero dicuntur congrue de tribus personis sigillatim, ut Deus bonus, Deus iustus, aeternus, omnipotens, et similia. In plurali vero numero incongrue dicuntur, iuxta illud Athanasii, et non tres dii, sed unus est Deus. Personalia sunt quae supponunt numero tantum, ut Pater et Filius et Spiritus Sanctus. Notionalia sunt quae notant distinctionem in personis, ut generans, generata, et procedens. Ista notionalia cum veniunt adiective, dicuntur tantum de personis et non de essentia. Sed quando tenentur substantive, tunc dicuntur tam de essentia quam de personis. Unde haec propositio simpliciter est vera, Pater est generans, sive haec dictio, generans, teneatur adiective sive substantive. Si autem dicatur, substantia divina est generans, si haec dictio, generans, teneatur adiective, falsa est, quia vellet notare distinctionem in divina essentia. Si teneatur substantive, vera est, quia tunc est sensus, substantia divina est generans, id est, persona quae generat. Unde nomina ista, generans, genita, et procedens, adiuncta nominibus personarum, distinctionem notant personarum, iuncta vero cum nominibus istis substantia. Natura seu essentia divina tenentur substantive, et notant essentiam tantum.

Natura
Haec est illa summa res, quam dixit magister Petrus.

Alius sit pater alius filius
Disiunctiva sive partitiva nomina, ut unus, aliquis, alius, duo, vel similia, aliquando significant essentiam, aliquando non. Nomina partitiva iuncta cum nominibus personalibus, et non essentialibus in masculino et feminino genere, notant distinctionem in personis, pater est unus, filius est alius, pater et filius sunt duo. Iuncta vero nominibus essentialibus, ita quod eis innitantur, essentiam notant, ut Pater est unus Deus, Pater et Filius sunt una essentia. In neutro vero genere tantum essentiam notant, Pater et Filius sunt unum, id est, una res. Et ideo optime dicit, alius Pater, alius Filius, id est, alia est persona Patris, et alia persona Filii, non tamen aliud, immo idem sunt in substantia, ut iam patet.

Ei dedit
Unde Augustinus, nihil habet filius quod non nascendo a patre acceperit.

Simplex omnino
De hoc dicas, ut supra, de summ. trinit. et fide cath., firmiter.

Procedens
Scilicet, per inspirationem; de conse. dist. 5, de spiritu, in fi.

Cum ergo veritas
Dicit respondendo auctoritati praedictae, volo, etc., et eam exponit quam inducebat pro se Ioachim, et exponit qualiter intelligatur hoc verbum, unum, et per hoc etiam aliis auctoritatibus respondetur.

Orat
In evangelio Ioannis.

Unum in nobis
Id est, uniti nobis unione spiritus.

Unum sumus
Hic in alia significatione accipitur hoc nomen, unum, id est, unione substantiae seu naturae, ut infra sequitur.

In gratia
Id est, per gratiam.

Florensi monasterio
Nota quod si auctor reprobatur, eius scripta sunt reprobanda, infra, de haeret., fraternitatis. Immo et si bona essent, reprobarentur ratione auctoris, quia non licet ei hoc facere, 96. dist., bene quidem. Hic vero licet auctor non reprobetur, quia confitetur se servare fidem catholicam. Tamen scripta sua, quia malam habebant sententiam, reprobantur.

Corrigenda
Et ideo quia paratus fuit corrigi, et se correxit, ut sequitur, non debet dici haereticus, licet quandoque errasset in fide, 24. q. 1, haec est fides; et 24. q. 3, dixit apostolus.

X 1.02 DE CONSTITUTIONIBUS

X 1.02.01 *Canonum statuta*

Canonum
Generalium scilicet, quia quidam canones sunt personales, quidam locales, 63. dist., cum longe; infra, de elect., nihil est. Quidam causales, quidam temporales, ut 29. dist., sciendum.

Statuta
Non abrogate vel per contrarium canonem, vel per consuetudinem illa enim servanda non sunt, 26. dist., unius; et 36. q. 2, placuit. Et dic statuta continentia praecepta, vel prohibitiones. Alias si de concilio loquerentur, non obligarent, 14. q. 1, quisquis § quod praecipitur; 4. dist., denique § haec et si legibus.

Custodiantur
1. q. 7, si quis omne; 19. dist., si Romanorum; et infra, de consti., quoniam.

Ab omnibus
Sic et leges ab omnibus sunt servandae, ut C. de legi. et const., leges 1; et C. de iuris et fact. ignor., constitutiones. Et dic ab omnibus, scilicet, subditis. Nam Papa et imperator legibus non constringuntur, ff. de legib., princeps; et 9. q. 3, cuncta. Tamen legibus se velle vivere profitentur; C. de legi. et const., digna vox; et C. de testament., ex imperfecto; et ff. de leg. 3, ex imperfecto; et Inst. quib. mo. test. infir. § eadem oratione; et 2. q. 7, nos si incompetenter.

In actionibus
Scilicet, civilibus.

Vel iudiciis
Scilicet, criminalibus, quia iudicium aliud criminale, aliud civile, infra, qui fil. sint legit., per venerabilem, circa fi. § tria. Nec est necesse proponere actionem, infra, de iudic., dilecti. Si tamen quis proponit ineptam, succumbit, sed aptam potest postea proponere, ut infra, de iudic., examinata, ubi de hoc.

Suo sensu
Scilicet, malo. Et est simile, 3. q. 9, pura; et infra, de consti., ne innitaris. Quinque enim suo sensu uti debet iudex in iudicando proprie accepto vocabulo, ff. de recepti., qualem; et in Auth. iusiur. quod praest. ab his qui admin. accip., circa princ., coll. 2; et infra, de renunciat., in praesentia. Dum tamen secundum leges et iura pronunciet, in Auth. de iudicib. § quia vero, ver. omnis iudex, alias est § coll. 6; et in Auth. de defensor. civit. §

iusiurandum, coll. 3; et 3. q. 7, iudicet; et 20. dist., de libellis; et 37. dist., relatum; et Inst. de off. iudic., in princ.; et C. de sent. et interloc. om. iud., nemo.

X 1.02.02 *Cognoscentes*

Culpa caret
Quia quod legitime factum est, poenam non meretur, C. de adulter., Gracchus. Et peccata suos debent tenere auctores, C. de poe., sancimus; et infra, de his quae fi. a maior. par. cap., quaesivit; et infra, de sent. excom., extravag. Romana, in fi. Et ita est hic arg. expressum, quod nemo privatur iure suo sine culpa, 56. dist., satis perversum; 16. q. 7, inventum; infra, de restit. spol., conquerente. Arg. contra 22. dist., renovantes; et 34. dist., si cuius uxorem; et 34. dist., si laici uxor; et 27. q. 2, multorum; infra, de cleri. coniug., sane 1. Solutio: prima rubrica regulariter vera est, contraria casualia sunt. Vel dicas, quod licet quandoque quis privetur iure suo sine culpa, non tamen sit illud sine causa; infra, ut lite non cont., quoniam § si vero; et causam facile est videre in contrariis signatis. In sex casibus privatur aliquis iure suo sine culpa sua. Unde versus: Paupertas odium vitium favor et scelus ordo personas spoliant et loca iure suo. Ista notantur in 22. dist., renovantes; et infra, de privileg., antiqua, ubi de hoc.

Futuris
Sic ergo constitutio respicit tantum futura, et non praeterita, ut infra, de consti., quoniam, dicemus de hoc.

Non commendat
Id est, non puniat; vel id est, subiiciat.

Ante prohibitionem
Arguit neminem ligari constitutione antequam ad ipsam perveniat, ut 32. q. 4, dixit Sara; et 82. dist., proposuisti. Arguit contra 16. dist., quod dictis. Sed non est contra, quia ex quo publice promulgata est et publicata, omnes tenentur ad ipsius observantiam, et omnes ligat post duos menses a publicationis tempore elapsos, in Auth. ut fact. novae const., circa princ., coll. 5; infra, de sent. excom., noverit; infra, ne cler. vel mon. saecul. neg., non magnopere; et infra, ne cler. vel mon. saecul. neg., super specula. Nec est necesse ut singulorum auribus inculcetur, ut in 16. dist., quod dictis; et infra, de postul. praelat., ad haec; nisi probaret se extra provinciam tunc fuisse, vel alias impeditum. Arg. est expressum infra, qui matrim. acc. poss., cum in tua.

X 1.02.03 *Translato*

Sacerdotio
Supple levitico, ut cesset obiectio, quae potest fieri de Melchisedech, qui praecessit legem per quingentos annos, quod innuitur ex littera sequenti. Quia sacerdotium simul fuit datum cum lege, verum est, supple leviticum.

Quia enim
Sunt verba Augustini exponentis praedicta verba Apostoli.

Simul
Quia in monte Sinai eodem tempore contulit dominus Moysi legem et sacerdotium, postquam ergo iam translatum est sacerdotium ad Christianos, ergo et lex transferri debet.

Sub eadem sponsione
Quia postquam dominus dedit legem filiis Israel, dixit eis: Audi Israel mandata mea, et ea conserva in corde tuo; et si feceris, dabo tibi terram fluentem lac et mel. Et tunc ipsi promiserunt servare legem et sacerdotium, et ideo dicit sub eadem sponsione. Hic attende, quia dominus in veteri testamento temporalia promittebat, in novo vero promittit aeterna, ut Centuplum accipietis, et vitam aeternam possidebitis, etc.; infra, de celeb. miss., cum Marthae.

Quod de uno
Arg. quod ubi est eadem ratio, ibi debet esse idem ius; et quod de similibus, idem iudicium est habendum; 5. dist., ad eius vero, vers. enim ea; et 4. dist., denique, vers. unum quoque; et 16. q. 7, et hoc diximus; et 1. q. 3, si quis obiecerit; et infra, de translat., inter corporalia, vers. sicut ergo; et infra, de rescript., inter caeteras, in fi. Et quoties ex una radice vitium nascitur, consequens est ut una lege tollatur, C. de nupt., si libertam; et 1. q. 1, sicut Christus; et 22. q. 2, si quis per vetus. Et quod dicit, quod de uno dicitur, id est, quod de uno constitutum est, et sic facit ad titulum, alias non videtur facere.

X 1.02.04 *Nam concupiscentiam*

Nam concupiscentiam
Legitur in epistola Pauli ad Romanos: peccatum non cognovi nisi per legem. Nam concupiscentiam nesciebam nisi lex diceret. Augustinus exponit hic verba illa Apostoli, nam concupiscentiam, dicens quia hoc elegit Apostolus.

Nesciebam
Esse peccatum concupiscere, vel tam grave, secundum aliam expositionem. Apostolus antequam vidisset legem, non credebat esse peccatum concupiscere rem alterius, sed postquam invenit in lege, non concupisces, credidit esse peccatum.

Hoc enim
Verba sunt Augustini, usque in fi. Et dic hoc, scilicet nescire concupiscentiam tantum, vel removendam a se; vel hoc, id est peccatum. Ita exponit Augustinus: si intelligas de concupiscentia carnis tantum, falsum esset, cum Apostolus haberet concupiscentiam, et stimulum carnis, unde dixit: video aliam legem in membris meis repugnantem legi mentis meae, captivantem me in lege peccati; 32. q. 5, si Paulus.

Generale
Scilicet, vitium concupiscentiae, quod est generale ad omnia vitia.

Unde omnia mala
Arguit quod uno prohibito, omnia prohibentur quae sequuntur ex illo, 13. q. 5, poenale; et 4. dist., denique; et infra, de fide instrum., inter dilectos, ad fi.; C. de reb. alien., sancimus; et C. de legi. et const., non dubium.

Oriuntur
Id est, oriri possunt, et comprehendit genera singulorum, et non singula generum, id est, non est aliquod genus mali, quod quandoque non possit oriri ex concupiscentia. Et sic intelligitur 47. dist., bonorum, ubi dicitur quod cupiditas est radix omnium malorum, ubi similiter comprehendit genera singulorum, et non singula generum; et de poen. dist. 2, quia radix. Et eodem modo intelligitur illud quod dicit imperator, quod avaritia est mater omnium malorum, in Auth. ut iudic. sine quoq. suffr. § cogitatio, vers. fi., coll. 2 Et ex hoc generali vitio concupiscentiae omnia mala, id est, septem principalia vitia possunt oriri, scilicet: Superbia, Ira, Invidia, Accidia, Avaritia, Gula, Luxuria. Et ideo dicit Augustinus cum Apostolo, quod bona sit lex, quae dum hoc, etc., non tamen propter hoc singula vitia cuiuslibet generis, ut puta interficere hominem, periurium, et similia oriuntur ex concupiscentia. Vel expone quod dicit oriuntur, id est, orta sunt, si enim non concupivisset, non peccavissemus, 5. dist., ad eius vero, in fi. Unde Gregorius, caro nos laeta traxit ad culpam, afflicta reduxit ad veniam, et sic non esset necesse comprehendere genera singulorum, etc.

Lex
Id est, constitutio, ut in principio decretorum, 1. dist., lex; et 2. dist., lex. Et sic facit ad titulum.

X 1.02.05 *Ne innitaris*

Ne innitaris
In parabolis Salomonis ponuntur verba ista: Fili mi habe fiduciam in domino ex toto corde tuo, ne innitaris prudentiae tuae, ne sis sapiens apud temetipsum. Hieronymus exponit hic particulam illam, ne innitaris prudentiae tuae, etc.

Prudentiae tuae
Verba sunt Hieronymi usque in finem.

Prudentiae suae
In malo. Et est simile 8. q. 1, sciendum; et 3. q. 9, pura; et supra, de consti., canonum.

Decretis
Id est, constitutionibus, et ita pertinet ad titulum.

Praeponit
Non ergo sunt postponenda decreta, quae Hieronymus ita commendat, quod etiam fieri non debet; 37. dist., relatum.

X 1.02.06 *Cum omnes*

Constitutum
Sed nonne canonici isti Trecenses poterant haec et alia statuere aliis irrequisitis etiam in praeiudicium successorum, cum istud videretur esse ius commune, quod absentes nihil percipiant, infra, de cleri. non residen., inter quatuor; et infra, de cleri. non residen., clericos; infra, de appell., pervenit 2? Immo videtur quod sic arguit 10. q. 2, ea enim § hoc ius porrectum; et ff. de pacti., rescriptum; et 7. q. 1, factus est. Sed hoc ideo non valuit, quia in praeiudicium aliorum et malo zelo, et contra consuetudinem ecclesiae hoc fecerunt, infra, de consti., ex parte. Et transgressor consuetudinis, ut transgressor legis puniendus est, 11. dist., in his. Et statutum sive constitutio debet esse iusta et honesta et communis omnibus, 4. dist., erit autem. Et quia constitutio ista non erat generalis, nec communis omnibus, ideo non valuit, etc. Et cum ipsi canonici intelligantur quasi unum corpus et idem collegium, non debent duplici iure censeri; 11. q. 2, cognovimus; et infra, de decim., cum in tua. Et inconveniens aliud sequeretur, quod successores minus haberent quam praedecessores. Et sic non esset vera successio in ius alterius, ff. de acq. rer. dom., hereditas; et ff. de acq. poss., cum heredes, in princ. Ista constitutio non valuit, quia sine consensu episcopi facta fuit, infra, de consuet., cum consuetudinis, circa fi. Arguit contra ff. de collat., si praegnantem, ubi sit collatio bonorum natis, sed non illis qui sunt nascituri. Sed numquid est verum generaliter, quod maior pars capituli facit, totum capitulum facere intelligitur? Quod videtur infra, de his quae fi. a maior. par. cap., cum in cunctis. Dicas quod si aliquid est commune pluribus, non ut collegiatis, sed ut singulis. Quod fit a maiori parte illorum, nihil valet nisi omnes consentiant, ff. de servitu. rust. praed., per fundum. Nisi rem concedant in naturalem usum, quod potest facere unus etiam invitis sociis et contradicentibus, Inst. de rerum div. § religiosum, vers. in commune vero sepulchrum. Et nisi in casu infra, de iure patron., postulasti; et infra, de iure patron., quoniam. Si vero sint plures, ut collegium, distingue, si aliqua facienda sunt ex necessitate, ut alienationes, electiones et similia. Sufficit quod maior pars facit, infra, de his quae fi. a maior. par. cap., cum in cunctis; dum tamen alii absentes vocentur, infra, de elect., quod sicut; et infra, de elect., venerabilem. In aliis quae ex necessitate non fiunt, qualia erant ista quae isti faciebant, nihil potest fieri nisi omnes consentiant, ut hic, et in praedicta lege ff. de servitu. rust. praed., per fundum. Et debent consentire ut collegium, non tamquam singuli, arg. infra, de consti., cum M; et infra, de elect., in Genesi.

Quod quisque
ff. quod quisque iur., hoc edictum; et 1. dist. § humanum genus.

Patere legem
Dicit Augustinus: talis sum in scriptis aliorum, quales volo esse intellectores meorum, 9. dist., neque quorumlibet. Nec debent aliis legem imponere, quam ipsi negligunt observare, infra, de praeben., pro illorum.

Coaequatis
Sic ergo omnes pares debent esse in beneficiis, infra, de consti., cum M. De hac materia nota infra, de maior. et obed., statuimus.

Consuetudinem
Nota hic arg. optimum, quod in absentia potest quis percipere beneficium sine peccato, si consuetudo sit. Secus est de iure communi, ut infra, de cleri. non residen., quia nonnulli; et infra, de cleri. non residen., relatum.

X 1.02.07 *Quae in ecclesiarum*

Constituerunt
Quod eis licuit tam iure fori, quam iure poli. Et vocatur ius civile, quod quisque populus sibi constituit, Inst. de iure natural. § his generaliter; et 1. dist., ius civile. Sed ex hoc statuto nullum praeiudicium ecclesiae generatur, ut hic, et 96. dist., bene quidem. Etiam si in utilitatem ecclesiae redundaret, si auctoritas Papae non interveniret, ut in 96. dist., bene quidem; et infra, de consti., ecclesia; et 10. dist., lege; et infra, de re iudic., cum causa.

Ad inopiam
Si culpa sua eget, indignum est ei subveniri, ff. deposi., bona fides; arg. optimum ad hoc, 86. dist., non satis. Vel si suo vitio incidit in egestatem. Et est simile infra, de consuet., ex parte.

Alienandi feudum
Qui feudum alienat, cadit a iure feudi, et dominus illud alii concedere potest, infra, de feud., ex parte; et in lib. feud., in tit. alie. feu., constitutio si clientulus. Sed alii in feudum dare potest, ut in dicta constitutio si clientulus, et in constitutio Lotharii, et in constitutio imperialis. Nec feudum dari potest in dotem, infra, de don. int. vir. et uxor., nuper. Nec usurarius potest usum vendere irrerquisito domino, ut Inst. de usu et habit., in princ. Nec emphyteuta potest vendere meliorationes suas domino irrequisito. Quod si fecerit, dominus illud potest revocare, C. de iure emphyt., cum dubitabatur; infra, de loc. et cond., potuit. Sed facta denunciatione domino, si dixerit se nolle emere, vel si a denunciatione duorum mensium spatium sit elapsum, potest vendere cui vult, dummodo non vendat personis prohibitis, infra, de loc. et cond., potuit; quae decretalis Gregorii ix est. Et in praedicta lege renunciare autem feudo vasallus non potest invito domino, cum eius favore introductum sit, ut vasallum habeat, arg. C. de act. et oblig., sicut in initio. Arg. contra ff. de oper. lib., interdum.

Personarum assensu
Non tamen sufficeret omnium consensus in hoc casu, quia alienatio facta de consensu omnium citra formam debitam, nulla est; 12. q. 2, sine exceptione; et 10. q. 2, hoc ius porrectum; et C. de sacro. eccl., authen. iubemus, in fi.; et infra, de rebus ecc. non alien., extravag. dudum. Sed si communis forma servata esset, teneret venditio, infra, de his quae fi. a prael., cum nos. Sed si laesa esset ecclesia, restuitur in integrum, infra, de in integ. restit., requisivit; et infra, de empt. et vend., cum dilecti.

X 1.02.08 *Cum accessissent*

Vacuisset
Nulla iusta causa impediente, alias non curreret tempus, infra, de concess. praeben., quia diversitatem; arguit ad hoc, 28. dist., de Syracusanae; et 2. q. 6, anteriorum § ad hoc. Et si Papa interdicat aliquibus, ne eligant sine suo mandato speciali, tempus, scilicet, trium mensium, statutum a canone eis currit, nisi intra id tempus postulaverint licentiam eligendi, infra, de elect., his quibus, decretali Gregorii ix.

Constitutum
Ac ipsum statutum per sedem Apostolicam confirmatum fuerat.

Confirmatum
Sed numquid canonici per se possunt minuere praebendas, vel dignitates tollere sine licentia domini Papae? Videtur quod non, quia nec augere possunt, infra, de consuet., cum olim; et infra, de vit. et honest. cler., quoniam; 22. dist., omnes. Quia honor ecclesiae potius debet augeri quam minui, infra, de consti., ex parte, ubi est expressum quod non; et de conse. dist. 1, vasa, vers. in hoc enim; et infra, de verb. sign., transmissae. Et quia temporibus nostris potius addi reverentiam cupimus, quam minui; 25. q. 1, quae ad perpetuam; et 25. q. 2, quaecumque. Unde nec episcopus potest omitere quin statuat archipresbyterum, quasi solus ipse sufficiat, infra, de offi. archipresb., ut singulae. Et melius est qualecumque eligere quam ordinem plenum non esse, ff. de decur., generaliter § penulti. Ad hoc dixit Io. quod ex causa possunt minuere, ut infra, de instit., non amplius; et infra, de instit., auctoritate; et infra, de consti., cum M; et de auctoritate episcopi, 21. dist., in novo testamento. Et quod possunt unam dignitatem tollere vel diminuere, vel mutare praebendas, probatur 16. q. 1, praecipimus; et infra, de excess. praelat., sicut; et ff. comm. praed., si quis duas § 1; et ff. de negot. gest., cum alicui; infra, de praeben., vacante; et 63. dist., quia sancta § verum; et 67. dist., quorum vices; et 67. dist., corepiscopi; et in praedicta decretali Honorii, infra, de consti., ex parte, ubi dicit, licet non sint eius redditus diminuti. Et ita videtur quod potuissent, si fuissent diminuti. Io. Sed verius credo, quod non possint sine auctoritate Papae, ne quandoque in fraudem hoc facerent, et causam subiicerent, cum non esset. Et hoc idem dicitur de consensu episcopi, arg. optimum, infra, de verb. sign., transmissae. Quod ergo inutile fuit, hic confirmavit auctoritas domini Papae ex certa scientia, arg. 16. q. 1, quoniam quicquid; sicut et datur actio ex nudo pacto, si iuvetur auctoritate legis vel principis, ff. de pacti., legitima. Vel tene ut dixit Io., quod possunt iusta ex causa, alias non arg., infra, de consti., cum M, vers. in tantum, a contrario. Dignitatem tamen non credo quod possint creare vel supprimere sine auctoritate Papae, ut hic dicit, nec diminuere numerum iuramento firmatum, cui confirmatio sive constitutio domini Papae valet, ut confirmet infirmum, 2. q. 1, in primis; et 3. q. 6, hoc quippe. Confirmat etiam et supplet defectum solemnitatis omissae, infra, de translat., cum ex illo. Item valet ut de beneficio illo, quod ex certa scientia confirmatur, postea directe an licite sit acquisitum, an non, sine novo mandato non cognoscatur, infra, de confirm. util. vel inutil., de confirmationibus. Si vero sub hac forma confirmat, scilicet, confirmamus sicut iuste possides, talis confirmatio modicum operatur, vel nihil, infra, de confirm. util. vel inutil., si quis. De qua confirmatione habes, infra, de concess. praeben., quia diversitatem.

Contravenerint

Videtur quod privilegium unico actu perdatur, ut hic, et infra, de consti., cum M; et infra, de praeben., pro illorum; et 11. q. 3, privilegium; C. de iure dom. imp., si creditor; et C. de his qui per met. non appel., his qui; et C. de pac. inter emp. et ven., commissoriae. Argumentum contra, quia delictum personae etc.; 16. q. 6, si episcopum; infra, de arbitr., cum tempore; infra, de privileg., accedentibus; et infra, de privileg., si de terra. Vincen. distinguit, aut datur privilegium ad faciendum aut ad non faciendum. Si datur ad faciendum, et is qui impetravit spatio decem annorum non utitur eo, perdit illud, ff. de nund., nundinis. Si vero datur ad non faciendum, si Papa reservavit sibi aliquid iuris in eo, non potest tali privilegio renunciari expresse, infra, de arbitr., cum tempore. Sed si nihil sibi reservavit, puta quia dedit privilegium de non dandis decimis, tunc non perditur nisi legitimo tempore, scilicet, si quadraginta annorum spatio fecerit contra privilegium decimas solvendo, infra, de privileg., accedentibus; et infra, de privileg., si de terra; et 7. q. 1, quam periculosum. Sed ibi sufficit quod semel renunciet, scilicet, circa beneficia. Si datur ad excipiendum, perpetuum est, quia quae temporalia sunt ad agendum perpetua sunt ad excipiendum, ff. de dol. except., pure § ulti. Quod est verum, si nemo agat. Sed si agat et non excipitur contra agentem, perditur privilegium, ff. de procur., Pomponius § ratihabitionis; et ff. de condi. indeb., si is qui. Io. dixit quod si ille qui impetravit privilegium directe obviavit privilegio, perdit illud unico actu tantum, ut hic, et infra, de consti., cum M; et infra, de praeben., pro illorum. Secus si non servat illud, vel si non tuetur se illo, tunc enim perdit legitimo tempore, infra, de privileg., accedentibus; et infra, de privileg., si de terra. Magis enim delinquit qui directe venit contra privilegium, quam ille qui non utitur illo, arg. ad hoc, 84. dist., quisquis; et infra, de sent. excom., contingit 2. Alii distinguunt, an privilegium sit onerosum, et tunc unico actu tollitur, an sit favorabile, et tunc non perditur unico actu. Tanc. melius videtur dicere, si privilegium datum est favore personae seu personarum, quale fuit hic, et in similibus concordantiis perditur unico actu. Si datum est favore ecclesiae sive intuitu religionis, ut sunt privilegia de non solvendis decimis et similibus, non tollitur nisi legitimo tempore, ut dictum est. Et haec opinio Tanc. habetur his versibus: Privatam legem tollit contrarius actus // Si personalis sit, si patet esse realis // tunc non perditur, nisi praescripsisse probetur. Melius videtur dicendum quod sicut sunt diversa privilegia in diversis casibus concessa, quodlibet privilegium locum habeat in suo casu, sicut vides in praescriptionibus, quae diversa tempora requirunt. Dic ut infra, de decim., suggestum.

Eligendo

Videtur quod talis electio non deberet valere, quia nova dignitas sine licentia Papae constitui non potest, infra, de consuet., cum olim; 22. dist., omnes. Sed haec electio videtur de novo esse creata, et sine licentia Papae non dicitur nova dignitas, sed ex consequentia antiquae dignitatis possunt eam resumere, argumentum ad hoc infra, de feud., ex parte; et infra, de Iudae. et Sarrac., consuluit; et ff. de novi operis nunc., hoc edicto § si quis aedificium. Ber.

Sociis
Et licet M. haberet mandatum, tamen sine mandato pro sociis absentibus agere posset, cum essent consortes eiusdem litis, quia agebant ut eis fieret communicatio de fructibus superexcrescentibus, tamen cavere debet de rato, ut C. de consor. eius. lit., commune. Et est speciale, alias non admittitur ad agendum sine mandato nisi esset coniuncta persona, ff. de procur., sed hae personae, in princ.; et infra, de rescript., nonnulli. Et in alio est hic speciale, quia post litem contestatam datur cautio, quod est contra id quod legitur, ff. de procur., Pomponius § ratihabitionis. Sed illa lex, ff. de procur., Pomponius, loquitur quando per procuratorem lis est contestata. Vincen. Sed non credo quod ista sit talis causa, quia quilibet agere poterat pro se et sine aliis, et iste M. habebat mandatum ab aliis, alias non fuisset admissus procurator. Ber.

Eo
Id est, in tantum.

Quo
Id est, in quantum.

Consuetudinem
Hoc non multum noceret, dummodo ex causa hoc facerent, ut dictum est supra, de consti., cum accessissent; arg. ff. de decr. ab ord. fac., quod semel; et in Auth. ut determ. sit num. cleric., vers. non enim, etc., coll. 1; et infra, de instit., non amplius; et infra, de instit., auctoritate.

Providere
Subaudi quod ille M. cum sociis suis petebat ex illis fructibus superexcrescentibus sibi praebendas assignari.

Ad eam
Si hoc esset verum, talis receptio non valebat, infra, de praeben., maioribus; et infra, de praeben., tuae fraternitatis. Sed probata non fuit haec forma, sed hoc obiicere non poterant, quia fatebantur se fecisse contra constitutionem Turonensis concilii, infra, de praeben., maioribus; quare non essent audiendi, infra, de concess. praeben., cum super. Et sic repelluntur suam turpitudinem allegantes, infra, de dona., inter dilectos. Vel dic ad eam, id est, ea vacante elegerunt duos simpliciter in canonicos.

Alium
De quinto non fit hic mentio, quia forte capitulum confitebatur illum elegisse.

Sine praeiudicio
Hic ergo non prodest protestatio, quod est verum, quando est contra substantiam facti, vel rei super qua sit, ut si protestatus fuisset cum reciperet aliquem in canoncum, ut non haberet praebendam, quae substantia est negotii, quia qui receptus est in canonicum non debet carere praebenda, ut infra, de praeben., relatum. Si vero protestetur sic, quod ea quae dicit, non dicit animo contestandi litem, talis bene valet. Io. Infra, de appell., sollicitudinem; et infra, de censib., olim; et ff. de condi. indeb., quod quis sciens. Arg.

contra, infra, de his quae vi met. caus. fi., perlatum; et 31. q. 2, Lotharius; ff. quib. mod. pig. vel hyp. sol., si debitor § 1.; et infra, de in integ. restit., cum venissent; et infra, de elect., Cumana, circa finem. Solutio: ibi protestatio non valet ubi protestans per contrarium factum directe obviat suae protestationi, ut in dictis decretalibus infra, de appell., sollicitudinem; infra, de censib., olim; nisi hoc faceret iusta de causa, ut in dicto canonico infra, de his quae vi met. caus. fi., perlatum. Et quandoque protestatio plus prodest quam appellatio, C. de fil. famil., cum appellasse, lib. 10. Ideo potest dici quod protestatio profuit cum ipsi praebendas consuetas integre percipiunt, etiam si isti quinque de redditibus excrescentibus non percipiunt tantum, quantum antiqui, sed tamen praeiudicium fit eis quantum ad communem mensam.

Receperunt

Unde eis providere debebant, infra, de praeben., relatum; et infra, de praeben., dilectus filius 1; et infra, de concess. praeben., cum super. Et nota quod alius est canonia et aliud praebenda. Canonia est ius quod provenit ex electione et receptione in fratrem, ut hic. Praebenda est quae procedit ex institutione et officio, quia ex quo quis facit officium, debet percipere beneficium. Unde et laicus, ut dicit Vincen., potest habere praebendam, et potest esse praebendarius, sed non posse esse canonicus, infra, de instit., in ecclesia. Nota quod omnis canonicus debet habere praebendam, sed non convertitur, sola enim perceptio salarii non facit decurionem, ff. de decur., sola salarii. Ne quicumque habet canoniam, habet vocem in capitulo, ut puer, infra, de aetat. et qualit., ex ratione; ff. de decur., spurii.

Nihil perciperent

Videtur quod hoc fuerit simoniacum, infra, de praeben., dilectus filius 1. Dic quod si intellexissent, et actum esset inter partes, quod nihil omnino perciperent, simoniacum fuisset. Sed intelligebant quod tantum de praebendis divisis nihil perciperent.

Industriam

Haec videbatur bona allegatio, quia per ipsorum industriam redditus sunt augmentati, non debent compelli illos communicare aliis, C. de alluv., ea quae; et infra, de in integ. restit., requisivit, in fi.; et ff. de rei vend., caeterum. Et nemo compellit ad communionem, ff. de condi. indeb., si non sortem § si centum; ff. pro soc., qui admittitur. Papa tamen non admisit illam allegationem, quia praeiudicaverunt sibi eos recipiendo. Et tot ponendi sunt in ecclesiis, quot ex earum fructibus possunt commode sustentari, ut infra, de instit., non amplius. Quia bene poterant eis providere de communibus redditibus, nec distinguitur hic qualiter redditus augmententur, nec refert ex quo augmentati sunt, undecumque processerint, ut infra, de verb. sign., transmissae.

Possent sufficere

Arg. conditionem subintelligendam, ut 22. q. 2, beatus; ff. qui satisda. cog., qui iurato; infra, de iureiur., quemadmodum, ubi de hoc; et infra, de rescript., ex parte Conventrensis.

Ad vacaturas praebendas
Per hoc quod dicit ad vacaturas, dicunt quidam, ut Inno. iiii, quod haec decretalis continet dispensationem et non ius commune. Sed non est verum. Immo continet ius commune, cum ex concessione utriusque partis constet illos fuisse receptos in fratres et ad ius canoniae. Sed hoc non est contra ius, quod aliquis recipiatur in canonicum, et expectet praebendam, sed nullum percipere beneficium. Si percipi possit, est contra ius, infra, de praeben., dilectus filius 1; et infra, de praeben., relatum. Quia aliud est canonia, aliud praebenda, ut dictum est supra eodem capitulo. Et ideo Papa mandat eis dari superexcrescentes redditus.

Ultra numerum
Hic potest quaeri utrum isti qui quotidie recipiuntur ultra numerum, habeat vocem in electione episcoporum vel aliorum praelatorum? Dico standum esse consuetudini, et si nulla sit consuetudo, adhuc non credo quod debeant vocari ad huiusmodi tractatus vel electiones, cum nondum habeant plenum ius, nec etiam possessionem.

Cum integritate
Sed cum canonici isti voluntarie receperunt quatuor ultra numerum constitutum auctoritate propria contra suam constitutionem, quare non compelluntur communicare suos redditus illis, ut sint omnes aequales, cum renunciare videantur suo privilegio, supra, de consti., cum accessissent? Potest responderi quod ipsi hoc non petiverunt, ut in littera patet, et condemnatio non debet fieri nisi quatenus petitum est, ut infra, de ord. cognit., cum dilectus. Vel dicas, quod si etiam petitum fuisset, non debet condemnari, quia non fuerunt recepti ultra numerum praebendarum, licet ultra canonicorum numerum, ut satis apparet in littera ipsa, ut dicitur supra eodem capitulo, in notula, per hoc.

Post motam quaestionem
Nota quod quicquid in praeiudicium alterius partis lite pendente fit, debet in irritum revocari; infra, ut lite penden., ecclesia 2; infra, de despon. impub., ad dissolvendum, in fi.; et C. de rei vend., si fundum; et C. de rei vend. certum; 11. q. 1, quia res. Arg. contra infra, de in integ. restit., cum venissent, in fi.

Circa praebendas
Ut si aliqua praebenda de antiquis vacuit lite pendente, et illa forte sit alii assignata; vel si aliquis possessiones illas quas petebat, sibi in beneficiis occupavit, totum debet in irritum revocari.

X 1.02.10 *Ecclesia Sanctae Maria*

Etiam religosis
Sic ergo laici ecclesiae nihil disponere possunt, sive in temporalibus, sive in spiritualibus, ut hic, et 96. dist., bene quidam, unde haec decretalis sumpta fuit; et infra, de rebus ecc. non alien., cum laicis. Quia ius spirituale, puta ius eligendi in ecclesia collegiata, etiam si sit patronus, non cadit in laicum; infra, de elect., sacrosancta; et infra, de elect., Massana; non obstante aliqua consuetudine, ibi dicit Gregorius ix. Nec de re spirituali compromitti

potest in laicum, infra, de arbitr., contingit. Nec iudicare de rebus ecclesiae possunt, infra, de iudic., decernimus.

Personis ecclesiasticis
Arg. quod eodem iure censeri debent bona clericorum et ecclesiarum, ut infra, de vit. et honest. cler., ut laici, ubi de hoc.

Ab ecclesia
Sic ergo quod alias est infirmum, confirmatio Papae facit firmum, infra, de transact., sicut. De hoc dictum fuit supra, de consti., cum accessissent.

Statutum
96. dist., bene quidem.

Praediis rusticis
Rusticum praedium appellatur, quod est sine aliquo aedificio. Urbanum praedium ubi factum est aedificium, ut domus, ut ff. comm. praed., aedificia; et ff. de servitu. rust. praed., servitutes, et per totum; et ff. de servitu. urb. praed., per totum.

Ministeriis
Id est, vasis vel instrumentis.

Ornamentis
Ut palliis et consimilibus, quibus ornatur ecclesia.

Non conventi
Bene dicit, non conventi, quia conventio sive citatio est principium sive fundamentum ordinis iudicarii. Primo notandum est quis citandus, ut infra, de maior. et obed., inter quatuor; et infra, de probat., quoniam. Ubi consimilia per ordinem ponuntur, citationes et dilationes, etc., per conventionem perpetuatur iurisdictio delegata, infra, de offi. deleg., gratum. Sed videtur quod potuit procedere altera parte absente, cum esset iudex appellationis, infra, de appell., saepe; et infra, de appell., interposita; et 2. q. 6, ei qui, in princ., ibi, appellatore cessante. Et dicit lex quod quasi privilegium est illius qui cognoscit de appellatione, procedere altera parte absente, C. de temp. appel., cum anterioribus § illud. Sed non est ita. Semper enim quis debet citari, quaecumque sit causa, etiam in causa appellationis, infra, de appell., per tuas. Immo non valet sententia ubi peremptorium edictum non venit ad absentis notitiam, vel ad eius domicilium, ff. quae sent. sine appel., illud § item cum ex edicto. Et Ioannes de Archeia coram iudice appellationis erat, nec defendebat monasterium, quia dicebat quod non possidebat.

Nec confessi
Et hoc verum est, quia nemo iudicandus est nisi convictus vel sponte confessus. Quod si fiat, sententia nulla est, ut 2. q. 1, nos in quemquam. Per decretalem quam habes, infra, ut lite penden., ecclesia 2, intelligas finem istius capituli.

X 1.02.11 *Ex litteris*

Fide
Id est, iuramento.

Tertiove
Haec est enim legitima et canonica citatio sive admonitio trina, 24. q. 3, de illicita § de conventione; 16. q. 7, omnes decimae; et 17. q. 4, de presbyterorum; quia vindictam semper debet praecedere monitio; 12. q. 2, indigne, in princ.; infra, de vit. et honest. cler., ex litteris; et infra, de sent. excom., contingit 2; et infra, de sent. excom., sacro.

Intra triduum
Nimis brevis fuit terminus, quia non poterat deliberare ad plenum, et ideo potuit in promptum incidisse periculum; simile, 2. q. 6, anteriorum, 1. resp. Ubi olim triduum dabatur ad appellandum, unde dati fuerunt postea decem dies, vel saltem terminum decem dierum statuissent, quia illud tempus modicum appellatur, ff. de constit. pecun., promissor § 1. Et propter brevem terminum potest appellari; infra, de dilat., dilecti.

In perpetuum
Dicit hic Innocentius iii, quod aliud est aliquem simpliciter excludere, et aliud in perpetuum excludere; simile, 33. q. 4, non oportet 2, in glossa fi.; et simile 1. q. 1, sunt nonnulli, vers. beatus, ibi, non dicit; et infra, de dona., pastoralis; sic, ff. pro soc., coiri; et ea vero § 1, et in glossa. Arg. contra 50. dist., si lapsis, in fi., ibi, non statuta sed temporaliter dilata credatur; et C. de poe., servus, in fi., ibi, eum qui aliquando, ex quo enim non est tempus definitum, de quolibet tempore intelligitur; 1. q. 1, eos; et ff. de evict., si rem § ulti.; et infra, de privileg., quia circa, ubi verbum simpliciter positum ad futura tempora trahitur, et generaliter intelligitur. Item invenio quod idem est perpetuo removere quod simpliciter removere, ut 1. q. 1, reperiuntur, in fi.; et 79. dist., si quis ex episcopis; 10. q. 1, quia sacerdotes; 27. q. 1, de viduis. Io. Et infra, de cohab. cler. et mul., clericos. Sed circa talia consideranda est natura sive causa cuiuscumque negotii, hic enim punitur pro contumacia, et non pro crimine, et contumacia saepe purgatur, ut facile est videre in multis.

Iuris canonici
Infra, de sent. excom., per tuas; et infra, de verb. sign., cum olim; et infra, de verb. sign., ex parte in Christo, ibi est exemplum de contumacia et crimine.

Admittatis
Non obstante illo mandato, si quid in medio tempore deliquisset, posset repelli, infra, de testibus cog., praeterea; arg. ff. de transaction., cum Aquiliana.

X 1.02.12 *Ex parte*

Proprius commodis inhiantes
Id est, cupiditati intendentes. Vitium denotat simile, supra, de consti., cum omnes; et supra, de consti., cum M.

Diminuti
Secus si essent diminuti, quia tunc videtur quod auctoritate episcopi possunt diminuere numerum. Arg. infra, de vit. et honest. cler., quoniam. Sicut augmentatis facultatibus plures possunt institui, etiam ultra numerum statutum, supra, de consti., cum M; arg. infra, de censib., quanto; et 21. dist., in novo; et C. de episc. et cler., in ecclesiis. De hoc dictum est supra, de consti., cum accessissent, dic ut ibi. Arg. contra infra, de verb. sign., transmissae.

Confirmatione
Sub forma communi impetrata, quia talis confirmatio nihil novi tribuit, infra, de confirm. util. vel inutil., cum dilecta § nos igitur, vers. nolentes; et infra, de concess. praeben., quia diversitatem, in fi.; et infra, de privileg., ex parte abbatissae. Quia qui confirmat, non donat, infra, de fide instrum., inter dilectos § caeterum. Per tales confirmationes non intelligit Papa iuri alicuius derogare, infra, de offi. ord., licet § 1. Quia inde non debet nasci iniuria, unde iura oriuntur, infra, de accusat., qualiter et quando 1; C. und. vi, meminerint. Quando valet confirmatio Papae, et quando non, dictum est supra, de consti., cum accessissent; et infra, de confirm. util. vel inutil., si quis; et infra, de confirm. util. vel inutil., de confirmationibus. Et obtenta fuit ista confirmatio tacita veritate de antiquo statuto, et quod facultates ecclesiae non essent diminutae.

Personis idoneis
Hoc semper subintelligitur, infra, de elect., causam quae. Talibus enim beneficia sunt conferenda, alias puniuntur dantes et recipientes, infra, de elect., nihil est; et infra, de praeben., grave.

Cum consilio
De hoc traditur infra, de elect., ne pro defectu; et infra, de elect., cum in veteri.

X 1.02.13 *Quoniam constitutio Apostolicae*

Adstringit
Cum sit iudex ordinarius omnium Christianorum, et mater omnium ecclesiarum, ut 9. q. 3, cuncta per mundum. Et si etiam aliquid grave percipiat, faciendum est, 19. dist., in memoriam; et 100. dist., contra morem, in princ. Et dic omnes, scilicet, de sua iurisdictione, quoniam potestates distinctae sunt, 10. dist., quoniam; et infra, de appell., si duobus; nisi forte ratione peccati, infra, de iudic., novit; arg. et omnes dignitates ordinis cuiuscumque ecclesia Romana constituit, 22. dist., omnes. Idem est in sententia Papae, quia sicut ipse iudicat, alii iudicare debent, infra, de re iudic., in causis.

Ambiguum
Lex enim sive constitutio debet esse honesta et iusta, et nullam obscuritatem continere debet, et talis, ut traditur 4. dist., erit autem. Ne per obscuram constitutionem in laqueum incidamus, nemini enim debemus laqueum iniicere, 27. q. 1, de viduis 2. Nec debet nos inducere per legem obscuram vel dubiam ad id a quo nos cohibere debet, arg. infra, de

nat. ex lib. ven., indecens. Et qui me defendere debet, non debet me impugnare, ff. si serv. vend., altius.

Declaramus
Bene dicit, declaramus, quia nullus alius posset eam declarare sive interpretari, quia ad eum pertinet constituere; infra, de sent. excom., inter alia § ut igitur; et 11. q. 1, clericum § ex his omnibus; et C. de legi. et const., inter aequitatem; et C. de legi. et const., si imperialis; et ff. de praet. stipul., in praetoriis. Et si super privilegia Apostolicae sedis quaestio oriatur, non vult Papa de ipsis per alios iudicari, infra, de iudic., cum venissent.

Constitutionem
Quam habes infra, de maior. et obed., statuimus.

Praeferendis
An plus debeant maiores minoribus percipere, dicemus super illa constitutione infra, de maior. et obed., statuimus.

Consuetis servitiis
Quid debeant maiores minoribus tractatur tam in textu quam in glossa, 93. dist., a subdiacono. Et de hoc etiam dicemus in illa constitutione infra, de maior. et obed., statuimus.

Futura
Nota ergo constitutionem respicere futura tantum, et non praeterita; sic supra, de consti., cognoscentes; arg. 31. dist., ante triennium; et 82. dist., proposuisti. Nisi sit constitutio iuris naturalis, quae etiam respicit praeterita, infra, de usur., cum tu. Vel nisi dicatur in ipsa constitutione quod ad praeterita trahatur, 10. q. 1, sic quidam; et infra, de elect., cum in cunctis § haec sane; et C. de legi. et const., leges 2.; et hic in fine, ubi dicitur, nisi de praeteritis, etc.; et infra, de rescript., ad audientiam 2.

X 1.03 DE RESCRIPTIS

X 1.03.01 *Sicut Romana*

Ut libere
Ista indulgentia superflua videtur, quod iure communi liberum est appellare quandocumque aliquis gravatur; alias non licet ante sententiam, infra, de appell., ut debitus. Olim indifferenter et libere licebat appellare, nisi appellatio manifeste fuisset frustratoria, 2. q. 6, ad Romanam; et infra, de appell., pervenit 1. Sed quod de iure communi competit, superfluum est precibus impetrare, C. de thesaur., nemo, lib. 10; et ff. ad municip., municipem § Celsus non probat; ergo fuit superflua. Quidam dicunt ad hoc ut indulgentia ista valeat, quod licitum est huic appellare ubique, ubi ius inhibet appellare, puta propter contumaciam, quia contumax non auditur appellans, 24. q. 3, de illicita § de conventione, ibi quinimmo. Et aliquos tales casus invenies, 2. q. 6, ei qui § sunt etiam quorum. Sed ista solutio stare non potest, quia dicitur hic in fine, speciale derogat generali. Quia ibi ista indulgentia concessa fuit contra ius commune, quia privilegium

dicitur quasi lex privata, 3. dist., privilegia. Sed privilegium non tollitur per ius commune, nisi de ipso privilegio mentio fiat, arg. infra, de rescript., cum ordinem. Et privilegium non tollitur per aliud privilegium, nisi fiat mentio in secundo de primo; infra, de praescrip., veniens. Sed ille qui impetravit causam committi secundum ius commune, impetravit appellatione remota, nec fecit mentionem de privilegio partis adversae, et tamen valent secundae litterae, quia speciale derogat generali. Et ita sive dicas quod litterae secundae fuissent privilegium, sive rescriptum secundum ius commune, non potest stare haec solutio. Ergo necesse est dicere, quod iste qui impetravit ut generaliter posset appellare, impetravit secundum ius commune, ut verum sit quod speciali derogat generali. Potest ergo dici quod persona ista impetrans talis erat, quae propter delictum et culpam suam non poterat appellare, quia fuerat ei interdictum appellare. Unde ius commune ex indulgentia redditur ei; est simile C. de inoffic. testam., si quando. Et sic debet intelligi ut potius res valeat quam pereat, ut infra, de privileg., in his; et infra, de verb. sign., abbate; ff. de reb. dub., quotiens 2. Si ergo talis indulgentia emanaverit, ut libere possit appellare, nihil aliud videtur principem concedere, nisi ut habeat consuetam et legitimam appellandi potestatem, ut dicit lex praedicta C. de inoffic. testam., si quando. Et sic nullum contrarium. Vel potest dici quod solum ius commune indulgetur huic ad cautelam, quia solet plus timeri, etc., 23. dist., quamquam; et infra, de iureiur., et si Christus; et infra, de procurat., quia in causis; et infra, de haeret., si adversus. Et si hodie talis indulgentia concederetur, dicerem quod liceret ei appellare, etiam si non gravaretur, nisi exprimeretur causa indulgentiae ibi.

Quia speciale
Infra, de offi. legat., studuisti; et infra, de rescript., pastoralis.

Mandatum
Circa revocationem rescriptorum sive litterarum domini Papae ita distingue. Et primo circa rescripta quae impetrantur de iure communi ad lites contensiosas. Si primum rescriptum sit generale, et secundum speciale ab adversario impetratum, secundum valet, non primum. Ita tamen quod specificatio generalitatis nondum sit facta ut hic, et infra, de rescript., pastoralis; sive fiat mentio in secundo de primo sive non, quia speciale mandatum, etc. Et si primum sit speciale, et secundum generale, idem iuris est, scilicet, quod speciale valet; infra, de rescript., abbatem. Si vero primum est speciale, et secundum est speciale, si secundum expressam facit mentionem de primo, tunc valet secundum, et non primum; infra, de rescript., caeterum; et infra, de re iudic., inter monasterium; infra, de offi. deleg., coram; et infra, de offi. deleg., cum R. Alias si non facit mentionem, valeret primum et non secundum per iura proxime dicta. Et hoc intellige in negotiis iam coeptis citatione iam facta, et de hoc nota infra, de appell., ut debitus, in fi. illius notulae, et fi., et in illa notula, sed numquid. Si vero nec primum nec secundum est iudici praesentatum, et bene potuit praesentari, tunc valet illud quod primo iudici extitit praesentatum secuta citatione, et ita alter potest praevenire primum impetrantem, licet in secundo non fiat mentio de primo; infra, de appell., ut debitus. Haec est opinio Papae Innocentii iii. Si vero primus impetrans non potuit suas litteras iudici praesentare, valebunt usque ad annum, et in hoc casu possumus adhuc servare illa iura, infra, de rescript., si autem; et infra, de rescript., plerumque. Dum tamen hoc fuerit publice protestatus, cum per eum non steterit quo minus suis litteris uteretur, infra, de

offi. ord., pastoralis, in fi. Et optime habes, quod protestatio sit praemittenda necessario ubi currit tempus, nisi protestatio praecedat, infra, de appell., si iustus; et infra, de elect., his quibus; et 16. q. 3, placuit ut § haec de praescriptionibus, vers. is autem. Alias si hoc non fuerit protestatus valent secundae, si iudici exhibeantur, et procedat saltem ad citationem. Sed si exhibuit primas iudici et citavit, nec potuit postea habere copiam iudicis intra annum, idem est dicendum quod expectari debet per annum, postea vero valent secundae, nec amplius expectari debent iudices primi ne lites fiant penitus immortales. Et quia fit praeiudicium ei qui non possidet in expectatione, vel satis posset dici, quod illa duo iura infra, de rescript., si autem; et infra, de rescript., plerumque, trahantur ad illam constitutionem infra, de appell., ut debitus. Haec est sententia Papae super decretali infra, de rescript., caeterum, ut finis litibus citius imponatur, infra, de dolo et contu., finem; et infra, de dolo et contu., venerabilis; et C. de iud., properandum, in princ. In litteris quae impetrantur ad appellationem, standum est illis iuribus, infra, de appell., saepe; et infra, de appell., oblatae; et infra, de confirm. util. vel inutil., bonae, et in aliis constitutionibus promulgatis super appellationibus. Super privilegiis ita dicas, quod si secundum privilegium non faciat mentionem de primo, semper valet primum, et non secundum, infra, de praescrip., veniens. Hoc planum est. Si vero rescriptum secundum ius commune impetratur contra privilegium, sive contra privilegiatas personas, non valet rescriptum nisi faciat mentionem de privilegio, quia tacita veritate obtentum est, ita loquitur infra, de rescript., cum ordinem. Si autem primum rescriptum sit impetratum de communi consensu partium, et altera pars aliis iudicibus impetravit causam committi tacito de illo consensu, et in secundis fiat mentio de primis, non valent secundae, immo in expensis condemnari debet primo impetranti; infra, de rescript., caeterum; infra, de re iudic., inter monasterium; et infra, de offi. deleg., coram. In beneficiis impetrandis si diversae litterae a diversis contra aliquam ecclesiam impetrantur, nec in secundis fiat mentio de primis, illae solummodo valent, et ille illud beneficium obtinebit, qui primo litteras suas praesentavit, infra, de rescript., capitulum; et infra, de rescript., abbatem; ad hoc facit infra, de appell., ut debitus. Alii vero dicunt contrarium. Si vero in secundis fiat mentio de primis, servabitur forma litterarum secundarum; arg. infra, de rescript., cum dilecta. Si vero aliquis litteras plures impetrat pro beneficiis pluribus obtinendis in pluribus ecclesiis, et in aliis non fit mentio de aliis, non valent secundae, si iam receptus est per primas, nisi secundae expressam faciant mentionem de sua receptione, ut ea decretali Gregorii ix infra, de rescript., in nostra. Item si impetraverit primas, et ex eis obtinuit aliquas pensiones renunciando beneficio litterarum, si alias post ea impetraverit hoc tacito, non valent; infra, de rescript., ad audientiam 2. Illa decretalis infra, de fil. presbyt., ex tua, non contradicit his quae dicta sunt, quia ibi primae litterae continebant indulgengtiam, ut ille posset dispensare cum filiis sacerdotum, secundae continebant gratiam, sed de iure. Et primae erant generales, et quod per eas factum erat, non revocatur per secundas, quia veritate tacita impetratae fuerant, quia tacuit ille dispensationem factam cum illis filiis presbyterorum. Si autem impetrasset contra alios cum quibus nondum fuerat dispensatum, bene valuissent litterae illae. Item illa, infra, de offi. deleg., ex parte N, non contradicit, quia et ibi utrumque fuit speciale rescriptum, et quia primum prius fuit ibi praesentatum, et ideo non valuit secundum, quia non fecit mentionem de primo. Vel quia de beneficiis loquitur, trahitur ad illam infra, de rescript., capitulum, quia Papa non intendit aliquos gravare in receptione duorum, ut infra, de rescript., mandatum; et infra, de rescript., litteris; et infra, de rescript., abbatem. Super

hoc dic prout notatur in capitulo illo infra, de rescript., capitulum. Dicebat autem Gott., quod in litteris iustitiae sola consideratur repraesentatio, ut infra, de appell., ut debitus; infra, de rescript., capitulum. Sed in litteris beneficiorum consideranda erat data, infra, de rescript., eam te.

X 1.03.02 *Ex parte Conventrensis*

Et perpetuo
Sed numquid istorum altero probato potest episcopus ipsum removere, cum alterutrum sufficiat per se, infra, de iureiur., querelam; infra, de fideiuss., pervenit, in fi.; et 7. q. 1, quam periculosum; et infra, de restit. spol., accepta? Ita videtur per iura predicta, et 48. dist., quoniam. Sed contra videtur. Forma enim commissionis exacta diligentia debet observari, infra, de rescript., cum dilecta, in fi. Cum episcopus non sua, sed delegantis auctoritate fungatur, ff. de off. eius cui man. est iur., et si praetor; et infra, de offi. deleg., sane quia. Et dicunt quidam quod utrumque probandum est propter copulam per leges illas, ff. de ver. oblig., si quis ita; et Inst. de hered. instit. § si plures. Istud non credo, sed distinguo. Si coniunctim duo mandantur quorum neutrum per se sufficiat, sed si utrumque probetur, sufficit ad remotionem utrumque probandum est, arg. infra, de rescript., olim. Ita quod incipias ibi a primo, scilicet, a vitio falsitatis, arg. infra, de rescript., inter caeteras. Si talis sit filius sacerdotis, et in sacerdotio genitus, ista duo sufficiunt si probentur, supra, de consti., cum accessissent § quo circa. Sed si alterum per se sufficit ad remotionem alicuius, sufficit si alterum probetur, licet copulative illa duo mandentur, ut hic, et consimilia; infra, de rescript., inter caeteras. Si coniunctim mandentur, et coniunctiva ponitur pro disiunctiva, et pro, vel, ff. de ver. sig., saepe; et ff. de ver. sig., coniunctionem. Et econverso disiunctiva ponitur pro copulative, C. de ver. sig., cum quidam; et de conse. dist. 2, in calice, circa finem. Et illa pluralitas resolvenda est in singularitatem, infra, de praeben., cum iamdudum; et infra, de privileg., ut privilegia; et infra, de iudic., exhibita; et infra, de appell., significavit, ubi de hoc; et ff. de condi. et demon., falsa, in fi.; et 1. dist., omnes leges, id est, omnis lex. Praeterea eadem ratio quae moveret delegantem debet movere delegatum, infra, de rescript., super litteris, in fi. Mirabile esset si remaneret in ecclesia si probaretur periurus, licet non probaretur renunciatio, vel econverso. Et certe numquam fuit intentio domini Papae ut utrumque necesse sit probare, dum tamen alterum probetur, et ita certe sufficit alterum probari, nisi Papa exprimeret hic expresse. Sed quod hic dicit, ita propositum fuit, et ita Papa factum solummodo respexit sicut fuit ei propositum, et hoc innuit illa littera, eo cognito et probato, non dixit, his cognitis et probatis

Restitueres
Suggerendo forsitan domino Papae, quod et sine ordine iuris eum spoliasset.

Litteras reportavit
Non facta mentione de appellatione.

Conditio
Nota ergo conditionem subintelligandam, etiam si non apponatur, 22. q. 2, beatus; et 27. q. 2, Beata Maria; et ff. qui satisda. cog., qui iurato.; infra, de iureiur., pervenit 2; et infra,

de iureiur., quemadmodum; et ff. de servit., si cui, ibi, nam quaedam; et ff. de condi. insti., cum servus; et ff. de solut., cum quis, 1. resp., in fi., ibi, tacite enim. Arg. contra 25. q. 2, dicenti § universa. Solutio: in rescriptis semper subintelligitur haec conditio, si preces veritate nitantur, si ita est, etiam si non apponatur, ut hic in iuramentis et aliis huiusmodi pactionibus, subaudientur generales conditiones, ut puta si Deus voluerit, ut in 22. q. 2, beatus; et 27. q. 2, Beata Maria; si res in eodem statu permanserit, et similia 16. q. 1, in parochia, ibi, et si Deus voluerit, et 22. q. 2, ne quis arbitretur, et aliae conditiones quae ipso iure insunt; ff. de solut., cum quis; et in decretali infra, de iureiur., quemadmodum. Et in praedictis iuribus contraria loquuntur secundum leges, secus secundum canones.

Ad praesentiam
Hoc ideo mandat, quia falsae praesumuntur litterae istae, quae tantam continent iniquitatem, arg. C. de precib. imper. offer., quotiens; et C. de precib. imper. offer., universa. Et tales falsarii mitti debent ad dominum Papam puniendi, 19. dist., in memoriam § 1.; et infra, de crim. falsi, ad falsariorum. Ber.

X 1.03.03 *Caeterum si aliquis*

Caeterum
Primam partem istius decretalis intelligas secundum illam, infra, de appell., ut debitus, ut huiusmodi valeant litterae, quae primo iudicibus praesentatur. Vel dic in iudiciis iam coeptis locum habere, et ita tenet quod dicit primo. Vel quando non potuit habere copiam iudicis cum protestatione. Et coeptum intelligo negotium pro solam citationem, et non per solam praesentationem, ut notatur in decretali infra, de appell., ut debitus, in glossa, sed numquid.

Impetraverit
Et earum auctoritate citatio facta sit.

Adversarius
Secus est ipse idem, quia si usus fuerit utrisque, neutrae valebunt, infra, de rescript., ex tenore; et arg. C. de fid. instrum., diversa; et infra, de fide instrum., imputari.

Priores
Contra infra, de offi. deleg., sane si. Solutio: hoc cum ad alios iudices impetratur, illud cum ad eosdem. Et ibi de hoc dicetur.

Iudicio
Sic patet quod rescriptum legitimum perditur per secundum faciens mentionem de primo, ut hic. Et per negligentiam impetrantis anno elapso, infra, de rescript., si autem; et infra, de rescript., plerumque. Item quandoque perditur per sollicitudinem praevenientis, infra, de appell., ut debitus; infra, de for. compet., proposuisti. Item per fraudem illius qui duo paria litterarum obtinuit ad diversos iudices, et utitur utrisque, infra, de rescript., ex tenore. Item morte delegantis re integra, infra, de offi. deleg., gratum; et infra, de offi. deleg., relatum; et infra, de offi. deleg., licet. Item ex nova causa emergente, infra, de

offi. deleg., insinuante. Item perditur ad tempus per excommunicationem, infra, de offi. deleg., prudentiam § sexta; et infra, de except., extravag. pia.

De commissione
Idem intelligo si de commissione fecerit mentionem, et tacuit quod de communi consensu fuerant impetratae, infra, de offi. deleg., coram; et infra, de re iudic., inter monasterium.

Laborare
Sed in quo coegit eum laborare, cum per tales litteras conveniri non posset, ut dictum est? Resp.: laboravit ad iudicem veniendo per secundas litteras vocatus, ut suum privilegium allegerat, ff. de iud., si quis ex aliena; et ff. si quis in ius voc. non ierit, ex quacumque. Vel ex quacumque causa quod sine labore et expensis non potuit. Ber.

In expensis
Et sic qui malitiose vel fraudulenter litteras impetrat puniri debet in expensis; sic infra, de rescript., quia nonnulli, in decretali Gregorii ix, et ibi dicemus de istis expensis et damnis.

X 1.03.04 *Inter caeteras*

Sub disiunctione
Secus videtur si per copulativam, supra, de rescript., ex parte Conventrensis, ibi dictum est de hoc.

Occupavit
Forte intrusit semetipsum per manum laicalem, scilicet potentiam saecularem, infra, de elect., quisquis; et 16. q. 7, per laicos.

Istorum
Arg. quod si aliquis teneretur ad alterum duorum sub alternatione vel sub disiunctione, quodcumque voluerit praestare liberatur; Inst. de hered. instit. § si plures; et C. de condi. indeb., si quis servum; et ff. de iure dot., plerumque § penulti.; et ff. de leg. 2, si ita 2; et infra, de praeben., referente. Arg. contra Inst. de legat. § si generaliter. Solutio: prima rubrica vera est nisi eligens fuerit in mora; ff. de opt. leg., mancipiorum; et ff. de leg. 2, statu liberum § 1; et ff. de solut., Stichum, 1. resp.; ff. de pet. hered., item veniunt § idem recte ait.

In similibus
Nota quod de similibus simile debet esse iudicium; C. de legi. et const., leges 1; et ff. de legib., non possunt; et infra, de translat., inter corporalia § sicut ergo episcoporum; et infra, de elect., dudum ecclesia.

X 1.03.05 *Si quando aliqua*

Si quando
Pone casum per illam, infra, de rescript., cum adeo; et infra, de praeben., cum teneamur; et infra, de rescript., ad aures.

Turbari
Quia pater filium quem diligit, corripit, 23. q. 5, non putes; et 5. q. 5, non osculantur; et 100. dist., contra morem.

Valitatem negotii
Quandoque enim per nimiam importunitatem petentium princeps non concedenda concedit; C. de petit. bon. sublat., quisquis, lib. 10; et infra, de purg. can., cum in iuventute § caeterum; et infra, de sent. excom., si aliquando; et infra, de rescript., quia nonnulli, in princ. Et sic est arg. quod ea, quae per sollicitudinem nimiam elicita sunt, non valent, 8. q. 1, audaciter § fecerunt; et 22. q. 4, unusquisque, in glossa, saltantium; et ff. qui et a quib. man. lib., si privatus.

Rationabilem
Hic est arg. bonum de omnibus esse rationem reddendam, et valet ad testes examinandos, ut causam sui dicti reddant, alias valere non videtur testis dictum, 2. q. 1, in primis § utrum testimonium; et 4. q. 3, placuit § item in criminali; 24. q. 3, si habes § auditis fortassis. Et quod ratione caret, extirpare necesse est, 68. dist., corepiscopi. Et praelatus paratus debet esse reddere rationem omni poscenti, 36. dist., qui ecclesiasticis § ecce, ad fi.; et ff. de rel. et sump. fun., si quis § sed interdum. Arg. contra 23. q. 4, Nabuchodonosor, in princ., et 23. q. 4, vasis irae § de tyriis; et ff. de legib., non omnium. Solutio: verum est quod de omnibus ratio reddi debet si potest, sed quandoque per impotentiam aliter contingit, ut in praedicta lege ff. de legib., non omnium; et capitulo 23. q. 4, Nabuchodonosor. Aut quia non interest nostra qualiscumque sit ratio illa, ut in praedicto capitulo 23. q. 4, Nabuchodonosor; et 23. q. 4, vasis irae § de tyriis.

Quia patienter sustinebimus
Arg. quod tenemur adimplere mandatum praelati, si causa reddatur; 75. dist., quoniam; et infra, de praeben., cum teneamur.

Si non feceris
Nec immerito, quia ubi etiam per consultationem rescribit imperator, non vult suam responsionem sequendam esse, si quis non recte responsum putaverit, C. de sent. et interloc. om. iud., nemo. Nam et Urbanus nulla auctoritate dixit prohibitum esse, quod vir et uxor non possint simul suscipere aliquem de sacro fonte, 30. q. 4, quod autem; quod tamen prohibitum erat, de conse. dist. 4, non plures. Sed ideo dicit, non est prohibitum, quia expresse non inveniebatur quod vir et uxor non susciperent, sed implicite prohibitum erat per capitulum de conse. dist. 4, non plures. Obediat ergo subditus quandoque etiam si causam non reddat, 19. dist., in memoriam.

X 1.03.06 *Cum ordinem Cisterciensem*

Super decimis
Secus si conveniantur super aliqua re in qua non sunt privilegiati. Unde si per tales litteras convenirentur super decimis possessionum post generale concilium acquisitarum, bene valerent litterae, quia in illis iure communi cum aliis censentur, infra, de decim.,

nuper. Quia super rebus in quibus privilegiati sunt, intelligitur quod hic dicitur, ut patet ex ipsa littera. Praeter hoc habent adhuc aliud privilegium, scilicet, quod per litteras Papae ad iudicium trahi non possunt, nisi de ipsorum ordine fecerint mentionem, et alii quam plures habent simile privilegium, non est tamen in isto corpore.

Non facta mentione
Suppressio enim dignitatis vel nominis vitiat rescriptum, infra, de rescript., sedes; supra, de consti., cum accessissent. Et quod de istis hic dicitur, idem intelligo de omnibus religiosis, qui habent consimile privilegium, ut Templarii et Hospitalarii, infra, de decim., ex parte tua 1. Sed nonne privilegium istorum generale est ad omnes Cistercienses? Ita quidem ergo per istas speciales litteras debet eis derogari, quia speciale, etc., supra, de rescript., sicut Romana; et infra, de rescript., pastoralis; et infra, de offi. legat., studuisti; et ff. de regul. iur., in totum. Ex his videtur quod speciales litterae derogent privilegiis generalibus. Sed non est verum, quia privilegium est lex privata, et contra ius commune, nisi fiat mentio de privilegio in commissione. Et ideo non valent litterae etiam speciales secundum ius commune obtentae contra privilegium, ut infra, de re iudic., inter monasterium. Et si sunt citati monachi, debent venire privilegium suum allegaturi, ff. de iud., si quis ex aliena; alias teneret sententia contra eos lata, infra, de appell., si duobus.

X 1.03.07 *Eam te*

Ecclesiae tibi commissae
Scribebatur capitulo vacante ecclesia.

Fidem Christi suscepit
Hic praesumit Papa ex subsequenti honesta conversatione, ut patet in antiqua compilatione, infra, de praesump., ex studiis. Sicut econverso ex antecedenti praesumitur prosequenti, infra, de praesump., mandata; et 2. q. 1, in primis § si vero de crimine, vers. si vita eius vel opinio talis antea non extitit, in fi.; 61. dist., miramur, in fi., vers. merito; ff. de susp. tut., tutor § quaeri potest; et C. de suscept. et arc., si aliquid, lib. 10.

Quia donatio
Bene allegabant, quia non habebant potestatem conferendi, sed episcopus. Si tamen Papa contulisset beneficium alicui, et mandaret ut ipsum recipiant, tunc bene valent litterae, et ipsum recipere debent. Et econverso si collatio pertinet ad capitulum, non debet scribi episcopo.

Infecto negotio
Per litteras directas capitulo non tenebatur episcopus istum recipere de necessitate, de honestate tamen ipsum recipere debebat. Sed de hoc reprehenditur, quia dicebat quod non receperat inde mandatum, nec etiam per litteras istas plene colligitur quod ei teneatur beneficium conferre. Vel dic quod bene tenetur eum recipere et conferre praebendam, ut apparet ex forma mandati, supra, ubi dicit, in canonicum reciperent et praebendam conferrent, et per alia verba, scilicet, mandatum dedimus et praeceptum, 14. q. 1, quisquis § quod precipitur; infra, de verb. sign., in his.

Deberes
Arg. quod quis cum aliis facere debet, si facultas se obtulerit, ipse solus facere debet, sicut solus potest emendare quod cum aliis malefecit, infra, de iureiur., sicut nostris, ubi de hoc; et 35. q. 9, quod quis commisit. Arg. contra infra, de cleri. coniug., diversis, ibi solvitur. Et est arg. quod causa alicui delegata ipsum sequitur, nec transit ad successores. Sed contrarium verum est, infra, de offi. deleg., quoniam abbas; et infra, de offi. ord., pastoralis § praeterea. Item arg. quod si aliquid mandatur capitulo, cuilibet de capitulo sigillatim intelligitur esse mandatum, qui illud implere possit. Et si tunc illud facere non possit, illud debet facere cum potuerit, et ita cum episcopus sit de capitulo tamquam caput, infra, de concess. praeben., post electionem, in parte decisa; et infra, de his quae fi. a prael., novit. Non poterat dicere quod non recepisset mandatum, arg. contra 12. q. 2, episcopus § qui manumittitur.

Datam litterarum
Ad hoc semper consuevit notari haec decretalis, quod lata litterarum semper consideranda est, ut infra, de rescript., constitutus; et infra, de sent. excom., si aliquando. Arg. contra quod praesentatio litterarum et non data consideranda est, infra, de rescript., capitulum; et infra, de cleri. non residen., qualiter; et infra, de praeben., dilectus filius 2; et ad idem, infra, de usur., quia frustra; et infra, de appell., ut debitus. Rationem istius contrarietatis dicemus super illa decretali infra, de praeben., dilectus filius 2. Item est hic arg. quod edendus sit dies, et consul adversario, arg. infra, de rescript., si autem; et infra, de rescript., plerumque; et C. de contrah. et comm. stip., optimam. Sed contra ff. de edend., qua quisque; et ff. de edend., si legatum; et ff. quemad. test. ap., tabularum § diem autem. Solutio: in editione litterarum domini Papae facienda adversario omnia ponenda sunt, quoniam litterae sunt communes, arg. infra, de dilat., praeterea. Et ea quae communia sunt, integraliter sunt edenda, infra, de probat., quoniam. Et litterae tradendae sunt ad videndum, infra, de fide instrum., si scripturam; et infra, de fide instrum., G perpetuus, decretali Gregorii ix, et ibi dicemus de editione instrumentorum. Ad idem arg. infra, de offi. deleg., cum in iure.

Iudaeus
Quoniam de Iudaeis conversis Ecclesia fundata fuit, 21. dist., in novo; et 32. q. 4, recurrat.

X 1.03.08 *Ad aures*

Litteras impetrantes
Quae sine speciali mandato domini impetratae ad lites non valent; infra, de rescript., nonnulli § 1; et infra, de rescript., ex parte decani; secus in hoc casu.

Intentionis
Hic patet dominum Papam sic uni concedere beneficium quod alium non laedat vel gravet, saltem graviter seu enormiter, 25. q. 2, de ecclesiasticis; et 11. q. 3, si quis non obediat; et 9. q. 3, nunc vero; et ff. ne quid in loc. pub., praetor ait § merito; et ff. ne quid in loc. pub., praetor ait § si quis a principe; et infra, de offi. ord., licet; et infra, de consuet., cum olim.

Supprimit
Puniri debet qui supprimit quod tenetur revelare, 50. dist., ex poenitentibus; ff. de act. emp. et vend., si res vendita § 1.

Vires nolumus obtinere
Et ita videtur quod litterae istae non valeant. Quid si obtineant per litteras tales? Dic super hoc prout notatur infra, de rescript., ad audientiam 2, in glossa quae incipit, sed quaeritur.

X 1.03.09 *Si autem aliquis*

Dolo
Dolus et negligentia praesumitur si steterit per annum quod non utit litteris, infra, de rescript., plerumque; et infra, de rescript., ex parte decani; si copiam iudicis habere potuit. Sed contradicit lex C. de divers. rescr., falso, quae dicit quod rescripta perpetua sunt. Sed non est contra, quia hoc quod dicit lex intelligitur si aliud rescriptum non impetraretur contra primum; alias semper valent rescripta vivente mandatore, et eo mortuo, dummodo facta sit citatio.

Excusari
Id est, non poterit excipere propter culpam suam, quo minus teneatur respondere per secundas litteras. Sed contra videtur, quia si secundae litterae non faciant mentionem de primis, valent primae. Ergo poterit excipere, ut supra, de rescript., caeterum. Praeterea quae annua sunt ad agendum, perpetua sunt ad excipiendum, ff. de dol. except., pure § ulti. Ergo semper potuit iste excipere per primas, ex quo non faciunt mentionem secundae de primis. Solutio: exceptionum quaedam sunt perpetue, quaedam temporales. Perpetua dicitur illa quae perpetuo competit, nisi quis agat, ff. de exception., exceptio dicta, in fi.; et ff. de exception., exceptiones 1. Temporales sunt illae quae non semper competunt, et evitari possunt, ut in praedicta lege ff. de exception., exceptiones 1 § temporales. Et talis est haec, quia expiravit anno elapso, infra, de rescript., plerumque; et infra, de offi. ord., pastoralis, in fi., arg. Praeterea ista non habent locum, sed qui primo suas litteras praesentat iudici, et procedit intra annum, ille obtinet, infra, de appell., ut debitus. De hoc notatum est supra, de rescript., sicut Romana, in fi.; et in capitulo supra, de rescript., caeterum, qualiter hoc intelligendum est.

Si autem
Repete, eis uti postposuerit, quia delegati, etc.

Nequiverit
Et ita est hic arg. quod si per me non stat, mihi non est imputandum, 2. q. 6, anteriorum § ad haec; in Auth. ut spons. larg. § haec quoque, unde sumptus fuit § hic; et ff. ex quib. cau. maio., sed et si, 1. resp. Qualiter intelligatur hic ista impotentia, dicitur supra, de rescript., sicut Romana.

X 1.03.10 *Ad haec sumus*

Omnia negotia
Nimia generalitas hic reprobatur, infra, de dolo et contu., ex litteris; et infra, de appell., inter caetera; et infra, de appell., significantibus; et infra, de rescript., sedes; et in decretali Inno. iiii infra, de rescript., extravag. cum in multis; et ff. de iure fisc., ita fidei, in fi., per glossam super verbum rerum; et ff. de edend., qua quisque § edere; et ff. de interrog. act., de aetate § nihil. Arg. contra ff. de rei vendi., quae de tota § incerta; et ff. comm. divid., et si non omnes § si incertum. Prima pars vera est, et ultima in specialibus casibus loquitur.

Elegerint
Tanc. et Vincen. sic exponunt hoc verbum, elegerint, id est, elegerunt in curia existentes, ut sit praeteriti temporis coniunctivi modi. Quidam tamen voluerunt dicere quod litterae istae ad incertos iudices dirigebantur, quod impetrator duceret exprimendos, dicentes hic generalem commisionem causarum posse fieri, dummodo iudices certi essent, infra, de rescript., sedes; et infra, de rescript., pastoralis. Sed quia erant incerti hic, litterae non valebant. Sed dic quod iudices electi erant certi, et commissio generalis erat omnium negotiorum, quod esse non debet, quia per eam absorberetur iurisdictio ordinarii, quod fieri non debet, arg. 11. q. 1, pervenit; et 9. q. 3, nunc vero; C. de precib. imper. offer., quotiens; et C. de precib. imper. offer., nec damnosa; infra, de offi. legat., cum non ignoretis; et infra, de maior. et obed., per tuas; sicut generalis appellatio non admittitur, infra, de appell., inter caetera. Sed super gravamine probabili et expresso est appellandum, infra, de appell., ut debitus; et infra, de appell., cum causam. Quare litterae tales non valebant, Laur. dixit, et melius, cui consentio, quod hic iudices erant incerti, quod vellet eligere impetrator. Quod esse non debet, sicut procurator incertus esse non debet, ff. de procur., dummodo. Nec tutor incertus dari debet, ff. de testam. tut., tutor incertus; et Inst. de legat. § tutor. Et arbiter similiter incertus esse non debet, infra, de arbitr., innotuit. Et commissio generalis fuit omnium negotiorum, quod est contra consuetudinem Romanae curiae, cuius stylus debet attendi, infra, de crim. falsi, quam gravi; quod omnes causae uni committantur, nisi sub illa forma quae traditur infra, de rescript., pastoralis. Et illa generalitas restringitur, ut traditur infra, de rescript., sedes; et in decretali Inno. iiii infra, de rescript., extravag. cum in multis. Tamen universitas causarum bene committitur; ff. de iud., cum praetor; et ff. quis a quo appel., quod dicitur § 1. Et illa fuit potior causa quare litterae non valebant, quia iudices erant incerti, quod litterae videtur innuere quod ille eligeret quos vellet, quam quia commissio generalis erat omnium negotiorum. Et sic intellexit Laur. et Dama., sicut ex ipsa littera bene colligitur. Ber. Satis tamen credo quod si Papa ex certa scientia tales litteras concederet, valerent, cum habeat plenitudinem potestatis salvo iure recusationis, infra, de offi. deleg., suspicionis.

Suspectos
Unde possent recusari. De recusatione habes infra, de appell., cum speciali; et infra, de offi. deleg., suspicionis.

Celeri
8. dist., mala consuetudo. Et resecandae sunt putridae carnes, 24. q. 3, resecandae. Unde versus: Principiis obsta sero medicina paratur // Cum mala per longas invaluere moras. Ber.

X 1.03.11 *Ad audientiam nostram*

Manifestum
Sic patet quod vitium latinitatis vitiat rescriptum. Sic etiam si Papa loquatur uni in plurali, aut si patriarchas vel episcopos filios appellaverit, tales litterae falsae sunt; infra, de crim. falsi, quam gravi. Arg. contra quod propter malam latinitatem non vitientur rescripta, ff. de statu hom., imperator Titus, ibi enim dicitur quod propter malam latinitatem non vitaiantur; et ff. de manum. test., qui habebat; C. de legi. et const., in legatis; et infra, de fide instrum., ex parte. Solutio: vitium scribentis in testamentis et instrumentis non nocet, cum alias de veritate, seu voluntate testatoris constet; C. de testament., errore; et C. de testament., ambiguitates. Et idem esset de voluntate Papae dicendum, si constaret de hoc. Sed verius videtur aliud esse in testamentis et aliud in litteris Papae. Testamentum enim committitur tabellionibus, cuius scripturam sive latinum nullus corrigit, unde falsa latinitas non vitiat testamentum, dummodo constet per ipsum de intentione testantis, ut dicunt predictae leges, et propter favorem testamentorum, quia nihil est quod magis debeatur hominibus, etc., C. de sacro. eccl., habeat unusquisque. Rescriptum vero domini Papae per multas manus transit, et magna maturitate decoquitur, 35. q. 9, Apostolicae, in glossa 1; infra, de rescript., cum adeo, in princ., et in glossa. Et ita nullum vitium continere debet, supra, de rescript., ad haec. Unde contra illam praesumptionem non est admittenda probatio. Arg. contra ff. de off. praes., illicitas § veritas. Laur. notavit quod instrumenta vel privilegium propter falsum latinum non vitiantur, arg. de conse. dist. 4, si non sanctificatur; et de conse. dist. 4, retulerunt; et ff. de manum. test., quod habebat. De instrumentis tabellonium satis crederem illud de privilegiis Romanae curiae non est verum. Ber.

X 1.03.12 *Ex parte S.*

Post appellationem
Non dicitur hic super quo fuerit appellatum. Forte posset dici quod sententia lata fuit contra O. diaconum, a qua ipse appellavit, vel super alio articulo, vel forte citra aliquam sententiam, sicut olim fiebat.

A se
Scilicet, O. Et ita non detulit suae propriae appellationi, quod esse non debuit, cum et appellationi adversarii deferre debuisset, infra, de appell., an sit; et infra, de appell., constitutus; et infra, de elect., bonae 1. Appellaverat forte ab ordinario coram quo trahebat capellanum, et super personam matricis ecclesiae. Raro invenies alibi, ut credo, quod aliquis non detulit suae propriae appellationi, unde iudex poterat procedere in causa, quia videtur appellationi renunciasse, quia pendente appellatione nihil est innovandum, ff. nihil inn. appel., appellatione; et infra, de appell., an sit.

Prosecutus
Litteras impetrando super restitutione ecclesiae, qua fuerat spoliatus post appellationem a spoliatione factam, ut in causa procederetur, non obstante appellatione frustratoria. Quod ex eo apparet quia dictus O. eam prosequi non curavit nomine Ecclesiae de Tarento, quia erat matrix ecclesia.

Litteras
Forte significavit Papae, quod rector matricis ecclesiae iniuriabatur ei super illa capella, et sic obtinuit litteras in forma communi, nulla mentione habita de appellatione, quae etiam litterae non impedirent restitutionem, infra, de restit. spol., ex conquestione, cum suis similibus.

Nulla mentio
Et ideo non valebant, infra, de appell., saepe, in fi.; arg. quod qui appellat, debet facere mentionem de sua appellatione, et adversarius eodem modo qui appellationem prosequitur, ut hic dicitur, et infra, de confirm. util. vel inutil., bonae, in glossa, mentio.

Negligentia uti
Sic supra, de rescript., si autem; et infra, de rescript., plerumque.

Cum biennium
Qui enim non prosequitur appellationem intra annum aut ex iusta causa intra biennium, fingitur non appellasse, et rata manet sententia; infra, de appell., cum sit Romana. Et ideo iste O. audiri non debuit praetextu suae appellationis. Sed videtur quod rector iste ratione consimili audiri non debuit ad prosecutionem appellationis, cum actor et reus circa appellationem eodem iure utantur; infra, de mut. petit., prudentiam. Et hic dicitur contrarium, scilicet, quod ille contra quem appellatum est, auditur post biennium, et non ille qui appellavit. Qualiter ergo hoc intelligitur? Dicas quod iste rector auditus fuit non ratione appellationis, sed potius ratione spoliationis super qua litteras impetravit, non obstante appellatione, ut notatur supra, in verbo prosecutus. Interdicta enim perpetua sunt quantum ad rei persecutionem, non quantum ad poenam, ff. de vi et de vi arm., praetor ait, in princ. Et si de appellatione nihil dixerit, nihilominus audietur petens restitutionem ecclesiae, et multo fortius, quia post appellationem spoliavit adversarium qui debuit deferre suae appellationi. Praeterea favore appellantis datur annus aut biennium ad prosequendam appellationem, et non favore appellati, unde appellans statim potest prosequi appellationem si terminus ei praefixus est, sed appellatus non statim; infra, de appell., oblatae.

Post appellationem
Et ita quicquid post appellationem a se vel ab adversario suo factum fuerit, debet irritari, infra, de offi. deleg., super quaestionum, in fi.; infra, de appell., bonae, cum suis concordantiis; et in hoc illa corrigit istam.

In expensis
Qui appellationem suam non prosequitur altero prosequente, condemnari debet in expensis, ut hic, et infra, de appell., Nicolao; et infra, de appell., reprehensibilis; vel qui

prosequitur ipsam ante tempus statutum; infra, de appell., saepe. Sed non videtur quod iste O. debuerit in expensis condemnari, cum appealltus appellationem non fuerit prosecutus intra biennium. Cum hoc idem ius servandum sit appellanti et appellato, ut dicitur in notula, qui enim; et non oportebat ipsum prosequi appellationem, quia ipso iure rata manet sententia lata contra ipsum O., si qua lata fuerit. Potest dici quod ideo condemnatur, quia praetextu appellationis iudex non processit, et ille O. post appellationem expoliavit capellanum, et sic intererat rectoris ut O. condemnaretur sibi in expensis etiam post biennium, propter dolum et malitiam ipsius O.

X 1.03.13 *Scisitatus es*

Petitorio
Id est, nuncio legitime ordinato. Vel dic petitorio, id est, procuratore.

Impotentia
Aliquis dicitur aliquid posse quinque modis, unde versus: Posse quidem rebus dant ius natura potestas // Officium meritum sextum divina voluntas. De potentia iuris habes 22. q. 2, faciat homo; 27. q. 2, Agathosa, in fi. De potentia naturae habetur infra, de despon. impub., puberes; et infra, de despon. impub., a nobis. De potestate officii habes infra, de cons. et affin., ex litteris, in fi.; et 21. dist., cleros § inter eos, vers. Petrum vero, ubi dicitur quod Petrus prae omnibus claves regni caelorum accepit; et 21. dist., inferior; et infra, de maior. et obed., cum inferior. De potentia meriti legitur 3. q. 7, infamis § tria; et 3. q. 7, infames, in fi., ibi, civis vita, etc. De potentia divinae voluntatis habetur de poen. dist. 2, principium § caritas. Sed haec potentia ad duo tantum extenditur, scilicet, facti et iuris.

Interesse nequiverint
Quod simul interesse debeant, habes infra, de offi. deleg., prudentiam.

Servum
Quia talis iudex esse non potest, nisi communi opinione pro libero se gerat et habeatur, quo casu tenet eius sententia, etiam si post eam latam detegatur eum tempore sententiae fuisse servum, 3. q. 7, infamis § verumtamen; et ff. de off. praet., barbarius; et C. de testament., testes servi.

Infamem
Si pendente iudicio efficiatur infamis vel suspectus, posset repelli; infra, de testibus cog., praeterea; et infra, de offi. deleg., insinuante; quia quod de novo emergunt, novo indigent auxilio; ff. de interrog. act., de aetate § ex causa. Item si medio tempore excommunicetur, sed eo absoluto resumit iurisdictionem, infra, de offi. deleg., prudentiam § sexta. Idem credo si restituatur pristinae famae per principem, quia resumit iurisidictionem; 2. q. 3, si quem § notandum, in fi.; et C. de curat. fur., cum aliis; secus si lata sententia detegatur iudicem fuisse infamem; 3. q. 7, infamis § tria, vers. verumtamen; et ff. de off. praet., barbarius; et C. de testament., testes servi; secus in excommunicatione, quia sententia publice excommunicati nulla est, infra, de re iudic., ad probandum; et infra, de except., exceptionem.

Impedimento
Puta quia est excommunicatus vel illiteratus, nec habet consuetudinem causarum, quia penitus debet esse iudex, nec debet quaerere ab aliis quid eum loqui oporteat, in Auth. de iudicib., in princ., coll. 6; et infra, de cons. et affin., ex litteris, in fi. Tamen si illiteratus sit et habeat consuetudinem causarum sive peritiam iudicandi, potest ei causa committi, C. de iud., certi iuris; arg. C. de episc. et cler., parabolani. Et quaedam impedimenta ponuntur 3. q. 7, infamis; et 3. q. 7, infames. Item si impedimentum sit perpetuum, non potest cognoscere quid potest esse multis modis, ut infirmitas, surditas, etc.

Destinare
Per litteras vel per certum nuncium litteratorie destinatum; 64. dist., episcopi; et 64. dist., ordinationes; et 64. dist., episcopus; et infra, de offi. deleg., prudentiam, 1. resp.; ff. de reb. eorum qui sub tut., magis § illud; etiam quaeri potest et haec est canonica destinatio. Sed numquid ille qui interesse non potest, valet aliis delegare vices suas? De hoc dicitur infra, de offi. deleg., coram.

Ad consummationem
Ut infra, de rescript., cum dilecta.

Procedant
Quod quidem facere possunt, si in litteris commissionis sit clausula illa: quod si non omnes; alias non possunt procedere, arg. infra, de offi. deleg., causam matrimonii; et est expressum infra, de offi. deleg., uno delegatorum; et infra, de offi. deleg., prudentiam; et ff. de recepti., item si unus § penulti.; et ff. de recepti., sicuti.

Excusari
Immo potius debet puniri, infra, de offi. deleg., prudentiam § adiicimus. Et hoc casu alii possunt procedere, quamvis non videatur impleta conditio, quod si non omnes, etc., ut in praedicto capitulo infra, de offi. deleg., prudentiam § adiicimus. Et hoc verum est postquam constiterit quod non vult interesse, et in hoc illa corrigit istam.

Interesse
Hodie etiam si non addatur hoc, si tamen non vult, alii procedent, licet sit arguendus qui mandatum Apostolicum exequi contemnit.

X 1.03.14 *Pastoralis*

Ambigitur
Sed quaero qualiter possit dubitari de revocatione litterarum, aut secundae faciunt mentionem de primis, et tunc valent secundae; aut non faciunt, et tunc valent primae, supra, de rescript., caeterum? Resp.: neutra pars disiuncte perpetua est. Prima tollitur per decretalem infra, de re iudic., inter monasterium; et infra, de dolo et contu., ex litteris; et infra, de confirm. util. vel inutil., bonae; et infra, de appell., saepe; et infra, de appell., oblatae. Secunda tollitur per decretalem, infra, de rescript., plerumque. In iudiciis nondum coeptis non habet locum ista distinctio. Illae enim solae valent quae primo iudici

praesentatur citatione facta per ipsas; infra, de for. compet., proposuisti; infra, de appell., ut debitus; et infra, de rescript., capitulum. Item qualiter primi iudices possunt deferre secundis, vel secundi primis cum vel primi tantum vel secundum tantum sint iudices, et ita aut primi aut secundi nullam habent iurisdictionem, supra, de offi. deleg., ex litteris, in fi.; et supra, de rescript., caeterum. Item qualiter possunt primi vel secundi citare partes, cum utrique dubitent et nesciant an sint iudices, immo ratione dubitationis neutri debent esse iudices sicut quando dubitatur de tutela duorum, neuter est tutor; ff. de testam. tut., duo sunt Titii. Propter hoc glossaverunt hic quidam quod de facto potest dubitari, non de iure, ut si forte secundae litterae non exhibeantur, infra, de offi. deleg., ex litteris; vel quia dubitatur an sit annus elapsus ab impetratione litterarum priorum, infra, de rescript., plerumque. Sed haec solutio non valet, quia ad quaestionem facti non daret Papa responsionem iuris, ff. de statu hom., idem erit. Alii dicunt etiam quod potest esse dubitatio iuris, si data sit eadem in utrisque litteris. Illa decretalis infra, de appell., ut debitus, hoc determinat, ut infra, de for. compet., proposuisti; et infra, de for. compet., licet ratione; et infra, de rescript., capitulum. Sed certe secundum dictum illorum neutrae sint priores aliis, immo secundum hoc neutri cognoscunt de tota causa, nam ambae litterae dicuntur secundae vel primae, ff. de bon. poss. sec. tab., tabulas § si quis in duobus. Tertii dicunt quod sic dubitari potest de revocatione, ut si secundae faciant mentionem priorum, sed non expressam, infra, de dolo et contu., ex litteris. Et hoc est verum ut patet ex illa decretali, infra, de dolo et contu., ex litteris. Dici potest hanc fuisse rationem huius decretalis cum diversae sint litterae impetratae, iudices citant partes, et cum pars adversa coram eis exhibet secundas litteras, ipsi volunt cognoscere de revocatione litterarum, secundum hoc quod contingit infra, de re iudic., inter monasterium, in parte decisa ab integra. Item si secundi iudices citent partes, et cum exhibentur coram eis primae litterae, ipsi volunt cognoscere an primae sint revocatae, sed quia pro eodem negotio partes non sunt trahendae ad diversos iudices; infra, de rescript., ex tenore; et infra, de rescript., quia nonnulli. Statuitur hic ut iudices conveniant ad hoc faciendum, vel una pars deferat alii, quia et primi de hoc cognoscere possunt, cum coram eis obiiciatur talis exceptio, etiam et secundi. Et expone quando de revocatione ambigitur, id est, quando in dubium deducitur de revocatione litterarum. Sed huic solutioni obstare videtur infra, de rescript., cum contingat. Ibi enim non conveniunt ad cognoscendum, sed executor videt utraque litteras. Unde potes adhuc melius dicere, quod bene potest iudex dubitare de revocatione litterarum, licet secundae expressam faciant mentionem priorum, scilicet, quando obiicitur secundas litteras impetratas esse per falsi suggestionem, vel veri suppressionem, ut supra, de rescript., caeterum; et melius infra, de offi. deleg., coram; et infra, de re iudic., inter monasterium, in integra. Et hoc idem dixit Io. super illa decretali infra, de rescript., cum contingat, et certe iste est verior intellectus. Sed haec dubitatio de revocatione litterarum non habet locum in litteris appellationis, et principalis causae quia iudices appellationis de hoc cognoscere debent, infra, de rescript., dilectus filius 2. Io. Sed haec dubitatio locum hodie non habet re integra, infra, de appell., ut debitus.

Deferendum

De consensu partium infra, de offi. deleg., super quaestionum § intentionis; et infra, de offi. deleg., super quaestionum § nos autem. Cum coram utrisque posset proponi

exceptio, ut dictum est in prima notula, et etiam sine consensu partium possent si vellent, sed honestum est quod de consensu partium fiat.

Plures

Hic non statur iudicio maioris partis; infra, de iure patron., quoniam. Simile est in causa episcopi, 6. q. 4, si quis episcopus criminaliter in iudicio; infra, de re iudic., non potest; et in iudicibus delegatis a principe, ut videtur C. de appellat., in offerendis; ibi ita tamen si dissentirent, et C. qui bon. ced. poss., cum solito; et in re communi, ff. comm. divid., Sabinus; et infra, de reg. iur., extravag. in re communi; et in liberali causa, C. commun. de manum., sancimus § 1; et Inst. de rerum div. § religiosorum, quia ibi sit quod religio vel natura rei requirit, et dum quis plus iuris habet in re, ut C. de donation., sancimus § ne autem. Sed contra 65. dist., sane; et 65. dist., non debet; et 65. dist., episcopus, ubi de hoc; ff. de re iud., duo ex tribus. Solutio: verum est generaliter quod iudicio maioris partis standum est, sed quaedam specialia hic signata sunt, ubi haec regula non obtinet. Sed in casu isto non statur iudicio maioris partis, quia forte in primis litteris sunt duo iudices, in secundis tres vel plures. Unde cum illi tres aequalem habent iurisdictionem cum illis duobus, quia isti tres loco unius sunt, et illi suo similiter loco unus, scilicet, domini Papae, non praevalet sententia illorum trium, quia non censentur plures. Licet secus sit in creditoribus, quoniam si par debitum sit hinc inde, statur tamen maiori numero creditorum, ut C. qui bon. ced. poss., cum solito. Item alia ratione, quia si isti tres iudices iudicarent pro se, suspecti essent, quia viderentur ingerere operas suas, ff. de procur., quae omnia § 1. Si autem iudicarent contra se, viderentur a se abdicare iurisdictionem, et velle a se removere, quod esse non debet, infra, de offi. deleg., pastoralis, in princ.; et ita debet iri ad arbitros. Sed si in primis et secundis essent aequales iudices numero, satis posset dici quod stabitur iudicio maioris partis, quia maior videtur modo iurisdictio et potestas ab una parte quam ab alia.

Sopiatur

Quid si arbitri adiudicent iurisdictionem eis qui non habent? Nihilominus sententia illorum iudicum tenebit, quia cum arbitri sententiaverint contra ius scriptum, tenet eorum sententia, nisi fuerit appellatum, ut 2. q. 6, ei qui § diffinitiva. Et haec est ratio, quia per utrasque litteras data fuit iurisdictio.

Personae vel res

Qui rem petit, debet rem certam petere. De hac materia dicemus infra, de libel. oblat., significantibus, ubi competentius ponitur.

Speciales litterae

Impetratae ab aliquo illorum, qui per clausulam generalem poterant conveniri contra primum impetrantem super eadem causa. Sed qualiter potest ille qui possidet contra impetrantem impetrare super eadem re, cum interdictum possessorium intentare non possit, cum ipse possideat; infra, de iudic., examinata. Praeterea possidenti non datur rei vendicatio, Inst. de action. § omnium; et C. de alien. iud. mut. caus., cum in rem? Dic quod primus impetrans impetravit, ut ageret petitorio. Secundus impetravit ne inquietaretur super possessione illius rei quam possidet. Nam et alias datur actio

possidenti, ne inquietetur; ff. si serv. vend., si quis forte § 1; et ff. si serv. vend., sicut § sed si quaeratur. De hoc not. infra, de iudic., examinata, in glossa, si ita.

Per speciale
Hic patet quod si unum rescriptum est generale, et secundum speciale, licet non fiat mentio generalis in speciali, praevalet speciale, ut supra, de rescript., sicut Romana; et infra, de offi. legat., studuisti; et ff. de regul. iur., in toto. Contra supra, de rescript., cum ordinem, ubi secundum speciale non derogat generali, quia non facit mentionem illius. Ratio ibi redditur, quia primum est privilegium, secundum rescriptum fuit ius commune. Sed ius commune non tollit privilegium, nisi mentionem faciat de illo privilegio.

Enervatur
Facta citatione per litteras speciales antequam per generales.

Superflua
Hoc casu cum generale mandatum revocatum est quantum ad hanc causam specialiter commissam. Alias bona quaestio est, et eam statim solvit ibi, donec iurisdictio, etc.

Iurisdictionem
Habet ergo iurisdictionem, licet non habeat exercitium. Et ita videtur quod non possit eam alii demandare. Est enim absurdum alii demandare iurisdictionem antequam eam ipse nanciscatur, ff. de off. procon., observare § ulti. Et sic videtur simile quod non possit citare partes ante expressionem rerum, 5. q. 2, si primates. Ideo enim citantur partes, et dantur induciae, ut quis deliberet, 3. q. 3, offeratur. Sed in hoc casu non potest deliberare. Arg. contra infra, de appell., significantibus; et Inst. de action. § curare; et infra, de restit. spol., cum ad sedem. Ubi petitur hospitale cum omnibus pertinentiis suis, et potest committere, licet non habeat exercitium, committere enim quod habet. Sed qualiter priores iudices privantur iurisdictione, cum Papa non intendat eos privare? Item numquid eodem modo per mortem delegantis esset revocata iurisdictio quantum ad non expressas personas? Arg. quod non, C. de duo re., cum quidam. Est tamen animadvertendum an revocetur per mortem, an viva voce, ff. de procur., si defunctus; et ff. de procur., ante litem. Sed verum est quod revocatur per mortem quantum ad ea quae expressa non sunt, infra, de offi. deleg., gratum; et infra, de offi. deleg., licet; et infra, de rescript., significavit. Ber.

X 1.03.15 *Sedes Apostolica consuevit*

Liberalem
Utpote quae non claudit gremium redeunti, C. de summ. trinit. et fide cath., inter claras, ad fi.; et C. de episc. et cler., si quis in hoc; et 23. q. 4, duo ista. Sed in quo est liberalis, sive gratiam facit, quia ad hoc tenetur, infra, de for. compet., licet ex suscepto, in parte decisa. Immo quasi praeceptum evangelii est, sed ubi necessitas, ibi nulla liberalitas, ff. de adimen. leg., rem legatam. Totum dici potest gratia quicquid ipse facit, quia universae viae domini misericordia et veritas, quia ubi iustitia servatur, ibi misericordia adhibetur, 45. dist., disciplina.

Et viliores

Et non ineleganter. Nam versus: ab Iove principium Musae // Iovis omnia plena. Virgil. in Buco. Et ratio a capite edenda est, ff. de edend., argentarius § edi autem ratio. Quoniam principium potissima pars est cuiuscumque rei; ff. de orig. iuris, facturus; et is qui maioris dignitatis est, debet praeponi, 16. dist., placuit § propter eorum, et in glossa ibidem. Et ubi legalis paternitas contrahitur, primo interrogatur pater quam filius, ff. de adopt., generalis.

Maiores et digniores

Sed quas personas dicemus maiores et digniores? Nam invenio quod quilibet clericus dicitur habere dignitatem, 4. dist., denique; et 1. q. 1, reperiuntur, in fi. Quandoque enim mancipia dicuntur habere dignitatem, ff. de usufru., sed et si quid § sufficienter. Quandoque potestates saeculares dicuntur habere dignitatem, 23. q. 5, administratores. Quandoque enim decurionatus dicitur dignitas, ff. ad leg. Corn. de sic., qui caedem. Item numquid illam maioritatem considerabimus, de qua dicitur 40. dist., multi, in fi.; vel de qua dicitur 24. q. 1, qui contra ecclesiae pacem; vel de qua dicitur, 2. dist., lex est; vel de qua dicitur 2. q. 7, quaerendum; et 2. q. 7, criminationes; vel illam de qua dicitur ff. de gradib., maiorem? Resp.: maiores et digniores vocat hic notabiles personas, quae sub clausula generali comprehendi non possunt, ff. de iniuri., item apud Labeonem § hoc edictum. Et tales debent esse quae citius moverent animum principis vel ad dandum, vel ad denegandum rescriptum. Ratione enim maioritatis praesumitur contra aliquem, 30. q. 2, Lotharius; ff. quod metus cau., non est. Item quia circa iudicia defertur dignitati et personae; infra, de offi. deleg., sane quia; et infra, de offi. deleg., pastoralis; infra, de rescript., extravag. cum in multis; et 2. q. 8, quisquis; et 24. q. 1, qui contra ecclesiae pacem; et 45. dist., cum beatus. Videtur ergo quod per generalem clausulam non possit conveniri sacerdos vel clericus, cum ipse sit maior quolibet laico, 6. q. 1, beatus; et 96. dist., duo sunt; et infra, de maior. et obed., solitae, vers. fecit Deus, etc. Dummodo maior clericus speciali vocabulo non sit designatus vel nominatus, et hoc etiam intuebitur iudex, qui debeant dici maiores vel minores, et quae negotia debeant dici maiora vel minora, non enim certa vel certior dari posset doctrina, arg. 23. q. 4, duo ista. Alias enim hoc nomen, aliis, bene includeret maiores personas, nam nomine populi continentur etiam senatores. Plebis autem appellatione sine patriciis et senatoribus, caeteri cives significantur, ut Inst. de iure natural. § plebiscitum. Nec semper hoc nomen, aliis, facit positionem, 56. dist., Cenomanensem. Arg. ff. de constit. pecun., hoc edicto § debitum et illud. Suspeni sunt cum eo duo alii latrones nequam. Io. Et est ratio, quia aliter proceditur contra maiores, et aliter contra minores; 45. dist., cum beatus; et 24. q. 1, qui contra ecclesiae pacem. Similiter de hoc notatur; infra, de iureiur., cum quidam, in glossa quae incipit, sic patet.

Non intelligantur

Eo ipso quod digniores inveniuntur, intelliguntur in fraudem versari, ff. de iure fisc., ita fidei. Nam secundum distinctionem rerum, nomina sunt distinguenda, 21. dist., cleros; et C. de codicil., si idem.

Sed nec liceat
Providet hic Papa ne diversae personae ligatorum vexationibus afficiantur, arg. C. mand. vel cont., per diversas, in princ.; et infra, de rescript., nonnulli. Intendit enim minuere lites, infra, de dolo et contu., finem; et infra, de dolo et contu., venerabilis.

Multitudinem
Arg. occasionem iuris ad iniquum compendium non trahi, C. de usuca. pro empt., eum. Arg. 10. q. 3, illud magnitudinem; et infra, de rescript., nonnulli. Sed videtur quod cum generalitate non debet aliqua commissio impetrari, arg. supra, de rescript., ad haec. Sed ideo non valent litterae illae, quia certi iudices non erant ibi dati, sed quos ipse post duceret eligendos. Sed Tanc. aliter intelligit illud supra, de rescript., ad haec. Sed concordat huic dicto Laur., ut ibi dixi, et omnia negotia illis committebantur, quod erat iniquum. Sed generalitas causarum alias bene potest committi; ff. de iud., cum praetor.

Effraenatam
ff. de testi., testium, in princ.; et infra, de testib., cum causam quae. Et effraenatam dicimus ultra quadraginta, ut ibi, et infra, de cleri. excom., latores. Hodie vero ista generalitas sive multitudo restricta est usque ad quatuor in quadam decretali Inno. iiii infra, de rescript., extravag. cum in multis.

Dolus
Sic infra, de dolo et contu., ex litteris; 30. q. 1, dictum est; infra, de rescript., ex tenore. Et qui fraudem allegat sive dolum, probare debet, ff. de probation., quotiens operae § qui dolo. Sed qualiter constabit quod noluit cum personis expressis in iudicio experiri, sed vult descendere ad minores vel aequales? Hoc ipso quod descendit primo ad aequales vel minores, praesumitur fraus et dolus, et ipse potest excipere qui convenitur, nisi statim vel quam cito possit conveniat personam expressam, vel nisi forsitan copiam illius habere non possit, et hoc debet primo protestari. Aliter credo illum repellendum. Alii dicunt contrarium.

X 1.03.16 *Ex tenore litterarum*

Negotio
Nota quod cum plures litterae impetrantur super eodem negotio, aut impetrantur ab eodem, aut a diversis. Si ab eodem, aut ad iudices eosdem, aut ad diversos. Si vero aliquis impetrat duo paria litterarum super eodem negotio ad diversos iudices in fraudem causa fatigandi adversarium suum, et non ad cautelam, neutrae valent, ut hic, et infra, de rescript., quia nonnulli. Sed si ad cautelam, puta quia timebat aliquos mori, valent. Sed postquam coepit agere per alteras, reliquae non valent, et si attentaret, perderet utrasque, ut dictum est. Si vero ad eosdem iudices, et discordant in data, valent primae, nisi in secundis fiat mentio de primis, quia nihil interest quae valent. Si vero eadem est forma et data, et ad eosdem iudices, eaedem sunt litterae, quia non nocet habere plures litteras ad cautelam, sicut potest quis habere plura testamenta eiusdem tenoris, ff. qui testam. fac. pot., unum testamentum; et ff. de his quae in testam. del., pluribus; et ff. de bon. poss. sec. tab., tabulas § si quis in duobus. Nec est inconveniens plures iudices habere super eodem negotio, quia illud habes infra, de offi. legat., cum non ignoretis. Si vero sunt

diversae et adversae, neutrae valent; C. de fid. instrum., scripturae; et infra, de fide instrum., imputari. Si autem litterae impetrantur a diversis personis, scilicet, ab actore et reo, aut ad eosdem aut ad diversos. Si ad eosdem, et concordant in data et forma, eaedem sunt litterae, ut dictum est. Si data est eadem, et forma contraria, supersedeatur utrisque donec consulatur superior, infra, de offi. deleg., sane si, et hoc si utraque pars litteras suas ostendat. Si actor tacet per annum, valent litterae rei, infra, de rescript., plerumque. Si vero impetrarentur ad diversos, primae valent, nisi in secundis fiat mentio de primis, ut supra, de rescript., caeterum. Si vero non apparet quae sint primae vel secundae, mutuo se impediunt. Sed istae quando impetrantur ad diversos, non procedunt hodie, quia illae solae valent quae primo iudicibus praesentantur; infra, de appell., ut debitus, et hoc locum habet in his per quas nondum est processum. In aliis autem per quas processum est vel praesentatio facta est, semper valent primae nisi secundae expressam fecerint mentionem de primis, de processu, et de lite contestata, infra, de re iudic., inter monasterium; et infra, de offi. deleg., coram. Quandoque tamen valent secundae et non primae, et primae sunt in pendenti quousque cassetur vel firmetur sententia, licet in secundis non fiat mentio de primis, infra, de confirm. util. vel inutil., bonae. Et generaliter, sicut credo, ubicumque possunt primae elidi per exceptionem, valent secundae, licet non faciant mentionem de primis, et non primae, quia sunt veritate tacita impetratae, supra, de rescript., ex parte Conventrensis.

Careat

Immo videtur quod etiam causam perdere debet, sicut qui petit servum in uno iudicio. Si petat eundem in alio, perdit causam, C. de assert. toll., lites § ulti.; quia ubi iudicium coepit, ibi debet accipere finem; ff. de iud., ubi; et primis iudicibus fieret iniuria; ff. de recepti., litigatores. Tamen causam non perdit, sed sufficit quod pendat litteras, et in expensis condemnetur, infra, de rescript., quia nonnulli. Sed illud de servo favore libertatis dictum est. Ber.

X 1.03.17 *Cum adeo scripta*

Moderemur

Et vere cum multa moderatione debent fieri et concedi; 35. q. 9, apostolicae; ut non possint reprehendi. Quandoque tamen ipsum fallit oblivio, 23. dist., praeterea; et 30. q. 4, quod autem, ubi oblitus fuit Urbanus. Cum omnium habere memoriam et in nullo peccare potius est divinitatis quam humanitatis, C. de vet. iure enucl., tanta § si quid autem. Et nihil est in humana conditione quod perpetuo stare possit; C. de vet. iure enucl., tanta § sed quid divinae. Et testamentum in nulla parte sui similiter debet esse vitiosum, C. de edict. div. Had. toll., edicto; sic et privilegium, infra, de fide instrum., inter dilectos; et infra, de privileg., cum olim essemus, in fi.

Sufficientem

Debet enim talis esse quae sufficiat sibi et suis, 50. dist., studeat, in fi. Et quod advenientes possit recipere, et iura episcopalia persolvere, infra, de praeben., de monachis; et infra, de supp. neg. prael., sicut. In tali sufficientia debet haberi ratio nobilitatis, 41. dist., non cogantur; et scientiae, infra, de praeben., de multa; et dignitatis, ff. de var. et extraord. cog., praeses § in honorariis; et ff. de usufru., sed et si quid § 1.

De praebenda
Sed quid si esset modica et insufficiens, tenetur ne de illa facere mentionem? Non videtur arg. a contrario sensu, infra, de praeben., cum teneamur. Expeditum est quod qualecumque sit beneficium, debet inde facere mentionem. Si enim dicat se nullum ecclesiasticum beneficium assecutum, et impetrat rescriptum, non valet, infra, de rescript., si proponente, et ibi dicetur de hoc. Et qui habet plura beneficia, hanc exceptionem opponere non potest, infra, de except., cum ecclesiasticae. Et licet Papa praecise scribat, exceptiones tamen et iustas excusationes patienter admittat, supra, de rescript., si quando; et infra, de offi. deleg., ex parte tua; et infra, de praeben., cum teneamur. Nam quandoque scribit rebus aliter se habentibus, arg. 2. q. 6, biduum, vers. fi., vers. rursus illud.

Nec clericus
Si dicit se clericum, cum non sit, non valent litterae, infra, de transact., ex litteris. Et qui non est clericus, non reputatur idoneus, ut hic. Nec potest in clericorum numero computari, infra, de instit., in ecclesia.

Si dignus existeret
Conditio ista sine omni expressione subintelligitur, infra, de elect., causam quae; sicut illa, si preces veritate nitantur, supra, de rescript., ex parte Conventrensis. Sic patet quod qui habet sufficiens beneficium ad alium beneficium reputatur indignu, infra, de praeben., super inordinata; et infra, de cleri. non residen., conquerente. Cum ipse beneficio secundo servire non possit, ut ibi.

X 1.03.18 *Causam quae inter*

Citata legitime
Id est, tertio, infra, de cleri. non residen., ex tuae.

Recipere
Per quod videbatur quod possent recipere testes lite non contestata, quod esse non debet, ut infra, ut lite non cont., quoniam, et per totum titulum, nisi in casibus contentis in infra, ut lite non cont., quoniam, et in casu quem habes infra, de offi. iud., iudicis.

Et quantum
Haec clausula semper debet poni in termino peremptorio, et post ipsum terminum peremptorium, infra, de in integ. restit., tum ex litteris; et infra, de dolo et contu., cum dilecti. Quia tunc post peremptorium edictum iudex comminari debet se processurum; ff. de iud., in peremptorio.

Fuerat inserenda
Sed errore scribentis fuit postposita. Sed error talis non nocet, C. de testament., errore; et C. de testament., ambiguitates. Unde dicit inserenda, id est, ac si inserta esset intelligenda. Videbatur enim quod non respiceret praecedentia, infra, de appell., inquisitioni. Sed non est verum, quia non est versimile dominum Papam totam iuris

observationem tot laboribus ac multis vigiliis excogitatam unico verbo tollere velle, C. de inoffic. testam., si quando; et infra, de elect., ecclesia vestra 2; et arg. infra, de restit. spol., audita. Et qui tutorem praecipit confirmari, secundum ius intelligitur praecipere, ff. de confir. tut., tutores.

Praecedat
Et ita quandoque clausula sequens determinat praecedentia, et quandoque praecedens sequentia, prout iuris ordo requirit; 32. q. 7, Apostolus; et infra, de appell., secundo; ff. de condi. et demon., avia. Quandoque sequens clausula respicit terminum proxime positum, infra, de dona., cum dilecti, in fi.; et optime facit ad hanc materiam ff. de leg. 1, si servus plurium, in fi. § ulti.; et vere praecedere debet, quia per totum processum negotii de iure debet procedi, C. de appellat., eos § 1.; et praecedentia quandoque repetita intelliguntur, ff. de condi. et demon., avia. Item hic est arg. quod verba rescriptorum secundum ius commune intelligenda sunt, infra, de offi. deleg., super quaestionum § si vero duo; et infra, de rescript., super litteris; et C. de inoffic. testam., si quando. Nec ordo scripturae spectatur, sed potius id quod de iure sumitur, ff. de solut., nec ordo. Secus in privilegiis, infra, de decim., ad audientiam, in fi.; et infra, de privileg., in his.

Incidentibus
Ipso iure tam in principalibus quam in accessoriis, vel incidentibus vel emergentibus remota est appellatio, infra, de appell., ut debitus.

Canonice
Id est, secundum iura canonica, de quibus supra dictum est, supra, de consti., canonum.

X 1.03.19 *Constitutus apud sedem*

Reciperent
Hic duo mandantur. Primum ut recipiant illum in canonicum, secundum ut assignent ei praebendam si vacat, vel quam cito vacaverit. Numquid ergo si non possunt assignare ei praebendam, tenentur eum recipere in canonicum saltem? Arg. quod sic, infra, de praeben., dilectus filius 1; et infra, de praeben., dilectus filius 2; et infra, de dolo et contu., cum dilecti. Arg. contra infra, de offi. deleg., cum super; ff. quod fals. tut., huius ediciti § 1; et ff. quod fals. tut., si id; arg. quasi a contrario, 2. q. 6, ei qui § diffinitiva, vers. quandoque unam; et ff. quemad. serv. amit., si communem; et ff. de minor., etiam § 1; et ff. de minor., tutor § 1; arg. pro et contra invenies 9. dist., si ad scripturas. Finis autem decretalis videtur dicere quod non, et secundum hoc est unum mandatum, et non duo. Et hoc ideo dicit, quia iuratum erat de certo numero canonicorum, unde ratione iuramenti non poterant augere numerum. Duo in veritate mandavit Papa, scilicet, ut eum reciperent in canonicum, et eo recepto provideretur ei. Et eum recipere erat contra numerum sacramento firmatum, quare litterae non valebant. Et certus numerus canonicorum debet statui in ecclesia secundum facultates ecclesiae, in Auth. ut determ. sit num. cleric., coll. 1; infra, de vit. et honest. cler., quoniam. Et idem est si certus numerus statutus sit in ecclesia, licet non sit iuratus, aut per sedem Apostolicam confirmatus, quia non valent litterae, nisi dicatur, non obstante certo numero canonicorum. Hic tamen videtur arg. contra in fine, ubi dicit: si constiterit numerum, etc.

Sed potest dici quod hic de numero est facta mentio, et non de iuramento nec de confirmatione Papae.

Vacaturam
Quod solus Papa potest, ut infra, de praeben., per totum.

Admittere
Id est, perficere.

Praecipiendo
Per executorias.

Et cum de hoc
Scilicet, iuramento vel confirmatione, ut infra colligitur, ubi dicit numerum canonicorum, qui nunc est in eadem ecclesia, etc., ut notatur in fine illius notabilis, hic duo.

Mentionem
Haec allegatio non valet si venissent contra numerum illum aliquando propria auctoritate, infra, de praeben., pro illorum; supra, de consti., cum accessissent.

Et dictas litteras
Scilicet, executorias.

Iuramento
Sed in omni tali iuramento semper intelligitur auctoritas maioris excepta, ut hic innuitur a contrario sensu, et ff. ad municip., imperatores, in princ.; infra, de iureiur., venientes § quia vero, in fi. Ergo non facerent contra iuramentum, si ad mandatum domini Papae illum reciperent. Item si talis conditio inest iuramento, numquam est necessaria dispensatio in tali iuramento, quia si displicet Papae, non est ligatus tali iuramento. Io. dicebat hanc conditionem in iuramento non esse, sed ideo dicitur auctoritas superioris excepta, quia non praeiudicatur ei quin possit hoc facere. Verius videtur quod conditio talis subintelligitur in huiusmodi iuramentis, et hoc ideo, quia super re alterius vel quasi iuramentum tale praestatur, et de re alterius praecise iurari non potest, immo esset anceps periurium, ff. de in litem iuran., videamus, in princ., et ff. de act. rerum amot., Marcellus. Et ideo auctoritas domini Papae in talibus intelligitur excepta tacite, licet non excipiatur expresse; simile 22. q. 2, beatus; et infra, de iureiur., quemadmodum, circa princ. Quare si Papa mandat aliquem recipi in canonicum, non obstante tali iuramento, tunc licite eum recipiunt, quia sic apparet quod Papa iuramentum factum quasi de re sua non vult ratum habere, cum administratio sola commissa est capitulo, et non dominium collatum, et hoc iuramentum servare tenentur canonici quantum in se est, nisi Papa contrarium mandet. Et ideo non valuerunt litterae taliter impetratae in quibus de iuramento mentio non fiebat. Sed quid si iurassent ante praesentationem, et post datam? Tunc non obstaret iuramentum, quia data respicitur, ut dicitur hic, et supra, de rescript., eam te. Praeterea aliud videtur hic, quod canonia sola sive praebenda augeret numerum canonicorum, quia si non augeret numerum, iuramentum non obstaret, quin possent ipsum recipere, et simile supra, de consti., cum M. Item arg. quod canonia potest esse sine proventibus, arg. infra,

de praeben., relatum. Sed contra 1. q. 3, si quis obiecerit. Sed ibi appellantur res corporales iura, ex quibus res ipse corporales percipiuntur. Et sicut debet fieri mentio de iuramento, ut hic dicit, sic etiam de pactis, si qua in aliquo contractu interveniant, debet fieri mentio, alias non valet privilegium, infra, de decim., ex multiplici.

Impetrasset
Hic consideratur tempus datae. Item non dicit ante monitorias. Et sic est arg. quod per monitorias ius non acquiritur, alias dixisset, ante monitorias. De hac materia satis habetur infra, de renunciat., veniens.

Irritum
Et ita ea quae fiunt per litteras surreptitias, non valent, de hoc dicemus infra, de rescript., ad audientiam 2.

Praebendam
Et in canonicum recipi, ista sunt connexa, 1. q. 3, si quis obiecerit.

X 1.03.20 *Super litteris*

Diversos
Nam quot sunt capita, tot sententiae, de conse. dist. 4, sicut in sacramentis; ff. ad Trebel., quia poterat. Et homines faciles sunt ad dissentiendum, ff. de recepti., item si unus § principaliter. Et diversitatem corporum saepe diversitas sequitur animorum, infra, de concess. praeben., quia diversitatem.

Carere omni commodo
Litterarum, 25. q. 2, dicenti § et si legibus.

Iuxta rigorem
25. q. 1, dicenti § praescriptione.

Simplicitatem
Simplicitati subvenitur, de conse. dist. 2, scriptura dicit; et infra, de rerum perm., cum universorum. Nec obest quod per simplicitatem omissum est, ut ff. de ven. inspic., temporibus § quod autem praetor. Item imperitiae parcitur, ff. de probation., cum de indebito § si autem is; ff. qui satisda. cog., de die. § si servus, vers. minori; C. qui admit. ad bon. poss., quicumque; et ff. si quis in ius voc. non ierit, ex quacumque § si quis in ius. Arg. contra C. de in ius voc., venia; C. de fals. mon., quoniam. Dic ut in prima rubrica, quia rusticitati parcendum est. Contrarium casualia sunt.

Discretionem
Per hanc decretalem cassatae sunt omnes solutiones quae recitabantur, 25. q. 2, dicenti § praescriptione; C. si contra ius vel utilit., rescriptum; et si contra ius vel utilit., et si legibus.

Priori modo
Scilicet, per fraudem vel malitiam, et qui hanc fraudem allegat, eam probare tenetur, ff. de probation., quotiens operae § qui dolo. Quia quilibet praesumitur bonus donec probetur malus, infra, de scrutin., ex parte; et infra, de praesump., dudum.

Facta fuerit fides
Simile 25. q. 2, dicenti § et si legibus; et 25. q. 2, dicenti § si non cognitio. Quia cum dubium sit, poterit de hoc cognoscere iudex quia ratione dubitationis sit quod alias non fieret, ff. de liber. caus., ordinata § ulti.; et C. de liber. caus., lite ordinata. Et ita qui fraudem allegat, eam probare debet, ut dictum est.

Nullatenus
Opposita exceptione legitima, suspensa est iurisdictio iudicis circa principalem causam. Et si dubia est, de hoc prius cognoscat, postea cognoscat iudex de fraude sine malitia de qua excipitur. Nec distinguitur in hoc casu quae falsitas sit expressa, vel veritas occultata, sed sufficit quod per malitiam hoc fecerit, et sic intelligitur lex ista, 25. q. 2, dicenti § et si legibus. Sed qualiter probatur malitia? Certe ex perspicuis indiciis, puta ex qualitate personae, et ex forma rescripti. Ber.

Posterior modo
Scilicet, per simplicitatem vel ignorantiam.

Expressa sit falsitatis
Puta si dixerit se de possessione vi eiectum, cum non esset, nihilominus datur ei aliae litterae ex quo petit causam committi. Vel tacet se decanum, et impetrat litteras super usuris vel super alia re propria, supra, de rescript., ad aures.

Veritas occultata
Puta si occultavit quod ad arbitros itum erat, nec causa per eos potuit terminari, infra, de testib., praesentata; arg. C. si contra ius vel utilit., non idcirco.

In forma communi
Secundum istum modum intelliguntur iura illa, 25. q. 2, dicenti § praescriptione; et 25. q. 2, dicenti § et si legibus.

Procedat
Secus si per malitiam falsitatem expresserit, vel veritatem occultaverit, et ita aliquando receditur a forma in rescripto data, et redditur ad ius commune, ut supra, de rescript., causam quae.

Litteras dedissemus
Ex hoc patet quod simplicitas vel ignorantia non prodest circa huiusmodi litteras impetrandas, immo ad hoc ut rescriptum teneat, nihil debet supprimi ex his quae movere possunt animum principis ad dandum rescriptum vel ad denegandum. Et primo quidem series facti est exprimenda, infra, de cohab. cler. et mul., super eo. Item processus causa, infra, de re iudic., inter monasterium. Item non valent litterae si quis tacet sententiam

latam, arg. infra, de fide instrum., inter dilectos; C. sent. rescind. non pos., impetrata. Item si tacuit nomen dignitatis suae, supra, de rescript., ad aures. Item si tacuit aliud beneficium sufficiens, supra, de rescript., cum adeo; sive etiam minus sufficiens, infra, de rescript., si proponente; et infra, de praeben., cum teneamur. Item si tacuit vicariam perpetuam, infra, de rescript., postulasti. Item si tacuit pactum praecedens sive compositionem, infra, de decim., ex multiplici. Item si tacuit statutum numerum canonicorum iuramentum firmatum, supra, de rescript., constitutus; et infra, de praeben., pro illorum. Item si tacuit statutum quod dignitas non esset ulterius in ecclesia, supra, de consti., cum accessissent. Item si tacuit privilegium, supra, de rescript., cum ordinem. Item si tacuit dispensationem, infra, de fil. presbyt., ex tua. Item si tacuit se regularem petendo confirmationem, infra, de confirm. util. vel inutil., porrecta, in fi. Item si dixit se clericum non esse, cum esset, infra, de transact., ex litteris. Item si tacuit quod praebenda non vacaret de facto, infra, de concess. praeben., cum nostris; et infra, de concess. praeben., litteras. Item si tacuit exceptionem, infra, de procurat., in nostra. Item si tacuit appellationem a se facta, supra, de rescript., ex parte Conventrensis; vel facta ab adversario, infra, de confirm. util. vel inutil., bonae. Item si tacuit quod alius de mandato Papae fuerit receptus, infra, de rescript., mandatum; et infra, de rescript., litteris; infra, de rescript., abbatem. Item si dixit se habuisse monitorias, quod fuit falsum, et executorias impetravit, non valent, infra, de rescript., ex insinuatione. Et generaliter ubicumque talem veritatem tacuit, vel talem falsitatem expressit, qua tacita vel expressa Papa litteras non dedisset, rescriptum inutile fit.

Nisi forsitan

Istud forsitan non est dubitativum, immo affirmative ponitur, quia de hoc ipso cognoscere debet, an scilicet preces veritate nitantur, ff. de iud., si quis ex aliena; et infra, de appell., cum parati. Simile forsitan habes 33. q. 2, admonere, vers. si forte ignoscat; infra, de procurat., tuae. Vel ideo dicit forsitan, quia si notoria esset exceptio, statim posset cessare, et in hoc casu ubi notorium est quod aliquis non est iudex meus nec re nec gestu, ut si citet me, qui est ultra mare, non teneor ire, arg. infra, de accusat., evidentia; et arg. infra, de iureiur., ad nostram 2; C. de iuris., in criminali; et 2. q. 3, si episcopus, ubi de ista materia notatur per Io.

De precum qualitate

Id est, de veritate vel falsitate precum opposita contra impetrantem.

In utroque casu

Primus est, cum tacita veritate, vel falsitate expressa per simplicitatem Papa litteras concedit in forma communi, ac si esset veritas dicta, vel falsitas tacita. Secundus casus est, cum Papa nullas litteras dedisset tacita falsitate, et expressa veritate per simplicitatem.

X 1.03.21 *Edoceri*

Debeant

Discrete agit qui abbatem convenit. Nam si conventus conveniretur, statim praelatum nominaret in iudicio, et sic inducias obtineret, infra, ut lite non cont., quoniam § quod si

super; et C. ubi in rem act., si quis; quia sine licentia abbatis nec agere nec respondere potest conventus, quin retractetur sententia, infra, de iudic., causam quae vertitur; 16. q. 1, monachi; et 16. q. 3, si sacerdotes. Sicut nec filius quamdiu est in potestate patris, C. de annal. except., super annali, in fi.; 16. q. 3, si sacerdotes; et ideo abbas primo conveniendus est. Dico tamen quod nullum collegium convenit vel convenitur sine auctoritate praelati, et econverso praelatus sine auctoritate capituli nec convenit nec convenitur, sed per syndicum actorem vel procuratorem ab ipso praelato de consensu capituli constitutum, et hoc cum negotium principaliter tangit praelatum, infra, de procurat., alia. Et si negotium principaliter tangit capitulum, ab ipso capitulo constituatur de auctoritate praelati, infra, de iudic., causam quae vertitur; C. de episc. et cler., omnes § hoc nihilominus; et hic; et 12. dist., non decet, in princ. Et haec locum habent quando negotia capituli et praelati sunt discreta, ut dicit in fine. Si vero sunt communia, praelatus de consensu capituli constituit syndicum. Unde vacante sede nihil est innovandum, infra, ne sede vac. nih. inn., novit; infra, ne sede vac. nih. inn., illa; et infra, ne sede vac. nih. inn., constitutis; nec tunc currit praescriptio contra ecclesiam, infra, de praescrip., placuit; et infra, de praescrip., de quarta. Et si forte capitulum agit, non sufficit subsequens consensus praelati, sicut nec sufficit auctoritas tutoris, ff. de auct. tut., obligari § ulti.; et Inst. de auct. tut. § tutor. Sed hoc non credo. Sufficit enim si postea accedat consensus praelati, vel econverso, infra, de dona., pastoralis, in fi.; et infra, de his quae fi. a prael., cum nos. Et dicit lex quae confirmat praedicta, quod qui non potest alienare, non potest rem in iudicium deducere, ff. de iure delib., ait praetor. Sed quid si lis oriatur inter collegium et praelatum? Adeatur superior, et ille dabit collegio curatorem ad litem ipsam, cuius officium cessabit lite finita, Inst. de auct. tut., in fi.; et ff. de tutel., qui habet § si pupillus, in fi.

Teneantur

Et quidem tenentur, licet non fiat mentio in rescripto nomino enim praelati ecclesia intelligitur, et praelati monasterium, ff. de ann. legat., annua § 1; et ff. de condi. et demon., filiofamilias. Et ecclesia est in episcopo et econverso, 7. q. 1, scire debes; et ff. de reb. eorum qui sub tut., civibus. Non tamen nomine praelati semper intelligitur ecclesia, infra, de testamen., requisisti; et 12. q. 2, illud; et 12. q. 3, pontifices.

Omnino discreta

Bene dicit, discreta, quia si sunt discreta omnino, non tenetur respondere nisi de parte sua, quia rescripta non extendentur ad res vel ad personas in eis non comprehensas, quoniam stricte intelligenda sunt, arg. supra, de rescript., sedes; et infra, de offi. deleg., cum olim abbas § quia vero; et melius infra, de offi. deleg., P et G. Et licet sint omnino discreta, tamen nec praelatus sine consensu capituli, nec capitulum sine consensu praelati hoc facere possunt, ut dictum est in prima notula.

X 1.03.22 *Cum dilecta*

Impetratas

Quae falsae erant, ut infra, de excess. praelat., inter dilectos § praeterea.

Nostram
Et cancellarii, vel alterius quod debebat requiri, infra, de crim. falsi, licet.

Mentio non fiebat
Et ideo secundae litterae non valuerunt, supra, de rescript., caeterum; nec quod per eas factum est, ut infra.

Personaliter
Nota casum novum, cum mandatur alicui ut personaliter negotium exequatur, potest alii committere vices suas, si partes consentiant, nisi in duobus casibus: in causa inquisitionis; item cum Papa provideri mandat ecclesiae alicui de praelatis, et aliis ministris, infra, de offi. deleg., quoniam Apostolica § is autem. Et est simile quod dicit lex, si promisisti mihi per te facturum navem vel aliquid consimile. Per alium me non consentiente facere non potes propter industriam tuam quam elegi, ff. de solut., inter artifices.

Transponentes
Nota in rescriptis ordinem scripturae servandum, ut hic, et 43. dist., sit rector, in fi.; et 3. q. 6, in gravibus; et 2. q. 1, in primis; ff. de usufru., quotiens. Et ordo verborum ostendit ordinem processum, de conse. dist. 2, in Christo pater, vers. vos autem, in glossa, cur gradum; et ff. ad Trebel., heredes, in fi. Arg. contra supra, de rescript., causam quae; et arg. supra, de rescript., inter caeteras; arg. C. de appellat., prius. Solutio: ubi aliquid principaliter mandatur, illud tamquam principale et primo tractandum est, caetera vero secundario tamquam accessoria subsequenter sunt expedienda, sicut hic. Ubi vero plura principaliter committuntur, non refert quod illorum primo tractetur, nisi forsan unum de natura sui procedat, ut in decretali supra, de rescript., causam quae; et arg. infra, de caus. poss. et propr., pastoralis; et C. de rei vend., ordinarii. Et ideo cassatus, id est, cassus et irritus nunciatur hic processus iudicum, quia articulum principaliter commissum omiserunt, de aliis inordinate plurimum cognoscendo, ut dicitur in littera. Et idem penitus habes infra, de offi. deleg., venerabili. Sed quare non confirmavit quod legitime factum fuit, infra, de praeben., dilectus filius 1, in fi.; et infra, de arbitr., cum tempore; et infra, de privileg., cum olim propter § ulti. Respondeo: quia non servaverunt formam sibi datam, et quia cum principale sit cassatum, accessoria etiam cassata intelliguntur, infra, de fide instrum., inter dilectos, vers. fi.; et 2. q. 6, post appellationem § si quis ex pluribus. Ber.

De aliis articulis
Scilicet, de electione et pertinentiis suis.

Iuris ordinem
Iuris ordo exigit ut primo de spoliatione congnoscatur quam de proprietate, ut 3. q. 1, episcopis; et 3. q. 1, episcopi, et quasi per totum; et 2. q. 2, per totum; et C. de rei vend., ordinarii; et C. de interdic., incerti; et ff. de iud., si de vi et possessione; et infra, de restit. spol., ex conquestione; et quaestio spoliationis privilegiata est, infra, de ord. cognit., super spoliatione. Et quia isti iudices hunc ordinem non servaverunt, Papa illorum processum irritavit, id est, irritum esse ostendit, infra, ut lite non cont., accedens 1. Et praecipue quia illa fuit forma mandati, et ita est de substantia iuris ordinarii ordo iste. Et

sic in duobus peccaverunt, quia formam sibi datam, et contra ordinem iudiciarium, sic infra, de confirm. util. vel inutil., examinata. Sed hic videtur loqui de alio ordine, quem non servaverunt. Papa processum illorum denunciavit irritum et inanem, et sic in duobus peccaverunt, non servando formam rescripti nec etiam servando ordinem iuris aliis articulis, forte dimittendo contestationem litis. Et sic duobus modis potest intelligi quod dicit iuris ordinem.

Irritum
Et supra dixit, irritandum, quia ibi ipso iure non erat irritus processus, sed irritandus, propter litteras surreptitias, supra, de rescript., super litteris. Hic ipso iure processus nullus, et ideo dicit, irritum, duabus de causis, quia contra formam et contra iuris ordinem, ut 2. q. 6, et qui appellat § diffinitiva, vers. item sententiae citra solitum ordinem, etc.; et infra, de confirm. util. vel inutil., examinata.

Restitutis
Sed qualiter potest monacha petere restitutionem? Dico quia non habebant abbatissam, et illae spoliatae erant, arg. ff. de iud., si longius § si filiusfamilias. Vel quia petit restitui non tamquam monacha, sed quasi de corpore, sicut si collegium non habeat unde solvat creditori, solvent singuli non quasi singuli, sed quasi de corpore, et petit monachus partem ubi res monasterii dividitur, 18. q. 2, in nullo; et etiam ubi recedit a collegio, 27. q. 1, si quis rapuerit; et ubi monachus percutitur, infra, de sent. excom., parochianos. Sed ibi non datur actio iniuriarum monacho, sed monasterio, et intentabit eam syndicus monasterii, sicut dominus agit pro iniuria servi, Inst. de iniuri. § si servus.

X 1.03.23 *Plerumque contingit*

Malitiis
Supra, de rescript., sedes; infra, qui matrim. acc. poss., significante; et ff. de rei vend., in fundo.

Infra annum
Nota hic annalem praescriptionem, infra, ut lite non cont., quoniam, 2. resp.; et infra, de offi. ord., pastoralis § 1; infra, de offi. deleg., quaerenti; et 11. q. 3, rursus; et 11. q. 3, quicumque; et 20. q. 2, puella. Sed quaeritur quando incipiat currere iste annus. Tunc cum incipit habere copiam agendi, cum primo habeat copiam iudicum, ff. de diver. temp. praescr., quia tractatus; et ff. de diver. temp. praescr., in tempore; 2. q. 6, biduum; et ff. de servitu. rust. praed., Attilicinus. Et si tunc negligens fuerit imputatur ei, ex quo habuit tempus prosequendi suum ius, et huiusmodi negligentia latae culpae comparatur, arg. C. si tut. non gess., certum est; et C. si tut. non gess., qui se non; 23. q. 1, dominus noster. Dicunt quidam quod incipit currere a tempore praesentationis litterarum factae iudici, infra, de appell., super eo 2. Alii dicunt quod a tempore quo composuit sarcinulas suas, et potuit advocatum quaerere, ff. ex quib. cau. maio., ab hostibus § sed quod simpliciter. Quarti dicunt, et male, quod a tempore datae litterarum, supra, de rescript., eam te, et supra, de rescript., constitutus. Quod primum dicitur, verum est ut dicit littera ista. Hodie vero ista locum non habent, sed potior est conditio occupantis, licet secundae litterae non faciunt mentionem de primis, infra, de appell., ut debitus; et infra, de

rescript., capitulum. De hoc tamen dictum est satis supra, de rescript., sicut Romana. Qualiter intelligatur hoc capitulum et illud, supra, de rescript., si autem.

Vel negligentia

Sed quis probabit hanc negligentiam? Resp.: transcursus anni probat hoc, nec alia interpellatio est facienda, infra, de dolo et contu., prout; nisi ille vellet ostendere contrarium, sicut dicitur de anno appellationis infra, de appell., cum sit Romana, in princ. Tamen ista non operantur aliquid hodie, quia ille obtinet qui primo litteras suas exhibet iudici, ut dictum est, nisi primus copiam iudicis habere non potuerit antequam secundas litteras suas praesentasset, quia tunc excusatur. Et hoc verum est si hoc fuit publice protestatus, quia iudicis copiam habere non potuit, et ita praemissa ista protestatione secundus non poterit eum praevenire, infra, de appell., si iustus.

X 1.03.24 *Cum contingat*

Nihil omnino scivisti

Nec per famam, vel alio modo, infra, de sent. excom., cum desideres § secundae quaestioni. Hoc enim dicimur scire quod ab aliis audivimus, 22. q. 5, hoc videtur. Sed quid si audivit ab aliquo levis opinionis, numquid hoc sufficit ut non debeat parere mandato iudicis? Videtur quod non, infra, de spons., cum in tua; et 11. q. 3, in cunctis; et infra, de testib., licet ex quadam. Sed videtur quod sic, quia in dubiis potius obediendum est, ut 23. q. 1, quid culpatur, in fi.; et infra, de praescrip., cum ex officii. Et illa est ratio quare executio sententiae differri non debet, nisi incontinenti probetur exceptio, infra, de testib., veniens 2; et infra, de restit. spol., litteras. Dico quod non sufficit, alioquin retardaret executionem sententiae, qui diceret se habere priores litteras, quae revocatae non essent, vel qui posteriores litteras diceret se habere, quae revocarent primas. Et sic sequeretur quod nullus iudex posset excommunicare vel absolvere vel ferre sententiam, si diceret aliquis ante prolationem sententiae causam illam aliis esse commissam, et sic daretur occasio figmentis, quod esse non debet, 32. q. 1, dicit dominus; Inst. vi bo. ra. § sed nedum talia; et C. und. vi, si quis in tantam; ff. de Carb., si cui controversia § si quis non; ff. de litig., litigiosam. Immo probabilem causam debet habere ille qui recipit mandatum de diversitate litterarum, antequam credat, 23. q. 4, quam magnum; et infra, de cleri. excom., illud; ff. quod fals. tut., si id, in fi. Vel dic quod qualiscumque notificatio sufficit in secundo casu, ut iudex non debeat dici dubius, 1. q. 4, turbatur, vers. si quis vobis dixerit hoc idolis, etc.; infra, de spons., praeterea 2; ff. de pet. hered., item veniunt § a quo denunciatum; et ff. de admin. tut., quidam decedens § ex quo. Et hoc videtur innuere littera ista, nihil omnino scivisti.

Executioni mandare

Quod et fecit, scilicet, quia denunciavit partem illam excommunicatam.

Tunc litterarum

Sed qualiter potest illud perpendi ex sola inspectione litterarum? Nam licet secundae expressam faciant mentionem priorum iudicum, et rerum contentarum in prioribus litteris, per hoc non constat primas litteras esse revocatas, cum possint esse impetratae per falsi suggestionem, et ita non revocant primas, infra, de offi. deleg., coram; et infra, de

rescript., ex parte decani, circa princ.; et infra, de re iudic., inter monasterium; et arg. supra, de rescript., caeterum; infra, de dolo et contu., ex litteris. Ad hoc ergo ut executori nullatenus sit dubitandum, oportet ut discat per assertionem partium, quia causarum merita partium assertione panduntur, C. si per vi. vel al. mod., nec imperiale; infra, de in integ. restit., tum ex litteris. Et sic videtur quod aliquam possit exercere iurisdictionem inter partes, quod falsum est, ut dicit in fine. Alias non poterit scire utrum secundae revocent primas. Et hoc verum est, ut dicit Io., quod numquam ex sola inspectione poterit scire, nisi aliquid intelligat de hoc ex partium assertione. Sed per hoc nullam habet iurisdictionem inter partes. Sed hoc verum est si ille qui habet priores litteras aliquid non obiiciat contra secundas. Alias iudex praesumeret primas esse revocatas, ex quo in secundis fit mentio expressa de primis, supra, de rescript., caeterum. Si autem aliquid obiicit, statim executor debet supersedere, quia per negationem res sit dubia, C. quib. ad lib. proc. non lic., si quis. Et in hoc casu intelligitur quod legitur supra, de rescript., pastoralis, ut ibi dicitur, scilicet, quod tunc dubium est de revocatione litterarum quando fit mentio expressa et iudicum et rerum. Sed ab adversario obiicitur litteras impetratas esse per falsi suggestionem per decretales praedictas. Item licet executor dubitet an debeat absolvere vel condemnare, tamen secundum regulam Arriani pronior erit ad absolvendum quam ad condemnandum. Regulam illam habes ff. de act. et oblig., Arrianus; et infra, de probat., ex litteris. Hoc ideo dicit, quia non constat an ille iudex habeat iurisdictionem, per hoc tamen non iudicat de iurisdictione quorum sit iurisdictio, sed tantum dicit se debere exequi mandatum, vel non debere, infra, de rescript., ex parte decani.

Praecipimus

Sed quid si non exhibuntur secundae? Non exequetur secundum mandatum si ad terminum praefixum non exhibeantur, ut infra, de except., pastoralis. Nam litterae quae non apparent, non sunt, ff. de contrah. empt., in lege; et ff. de contrah. empt., Rutilia Polla; de conse. dist. 1, solemnitates, in fi. Non potest tamen cogere adversarium ad exhibendum, quia non habet iurisdictionem inter partes, ut dicitur in fine. Nec etiam tenetur obedire mandato, nisi videat rescriptum, infra, de offi. deleg., cum in iure.

Hesitandum

Videtur quod executor non debeat petere copiam rescripti, nisi ubi recipit contraria mandata. Sed non est verum, ut dictum est in proxima notula.

Secunda loco

Sed quare revocatur quod legitime factum est per primas litteras, contra id quod legitur infra, de restit. spol., audita; supra, de rescript., causam quae. Sed per istum executorem nihil revocatur, sed denunciantur illi absoluti, qui primo fuerant excommunicati.

Constitutionis

Supra, de rescript., pastoralis.

Et id ipsum

Ita ut non exequaris mandatum, et iste § respicit proximum, infra.

Iudicare
Hic fallit illa regula, ff. de iud., de qua re.

X 1.03.25 *Olim ex litteris*

Per interpositam personam
Quod potest fieri, infra, de praeben., accedens.

Sequestrari
Quod de iure non debuit, nisi causa subesset, infra, de sequestra., ad hoc; infra, de sequestra., dilectus; et infra, de sequestra., ab eo, ubi de hoc, in quibus duobus dicitur quod quando fructus dissipantur, debet fieri sequestratio, C. de prohib. sequest., quotiens. De hoc nota 2. q. 6, quoties 2. Sed in casu isto, scilicet, propter contumaciam, bene fit sequestratio ut mitius agatur cum reo, infra, de dolo et contu., ex litteris. Sed in casu isto non dicitur proprie sequestratio, prout traditur infra, de sequestra., per totum, quia ibi non fit sequestratio propter contumaciam.

Ad omnia
Videtur quod per hanc clausulam, si est ita, vel per hanc, si praemissa vera sunt, teneatur impetrator probare omnia praemissa esse vera, licet aliquod ex praemissa sufficeret ad propositum probandum; simile supra, de rescript., ex parte Conventrensis; ff. de excusat., qui testamento. Nam nisi quis plene probet suam intentionem, succumbit, C. de rei vend., res alienas. Fines enim mandati diligenter sunt observandi, supra, de rescript., cum dilecta. Et imputet sibi qui plura narravit, quorum unum sufficeret per se. Arg. contra quod sufficit unum probare, ff. de condi. et demon., falsa, in fi.; et ff. de condi. insti., si testamento § ulti.; ff. de manum. test., si ita; infra, de praeben., cum iamdudum. Dic ut dixi supra, de rescript., ex parte Conventrensis. Item arg. est hic quod sequens clausula respicit omnia praemissa, infra, de appell., secundo; et infra, de appell., inquisitioni; et infra, de appell., inquisitioni. Arg. contra infra, de dona., cum dilecti, ubi non respicit omnia superiora clausula illa de foresta, sed tantum proximam donationem et inferiorem, 3. q. 5, constituimus, in fi., et in glossa, quia infames; et de conse. dist. 2, cum omne, in princ., et in glossa, quod quam sit. Sed melius est quod ad omnia referatur, et sic facit pro alia parte, ff. de in rem ver., si pro parte § penulti.

X 1.03.26 *Dilectus filius abbas*

Causa
Nota quod non sufficit narrare seriem facti in litteris Papae nisi causa facti adiiciatur, arg. 23. q. 8, occidit; infra, de testib., cum causam quae. Et causa facti potius quaerenda est quam ipsum factum, 15. q. 1, merito, in fi.; et ff. de fur., verum; et infra, de accusat., cum dilectus; C. de adopt., si consul; et etiam modus facti, C. de transaction., ut responsum.

Excommunicationis
Hic habes quod si excommunicatus impetrat litteras vel rescriptum tacens de sua excommunicatione, quod non valent litterae, tum quia tacuit processum iudicis, infra, de re iudic., inter monasterium. Tum quia tacuit vitium suum, tum etiam quia ingessit se

communioni hominum, propter quod puniendus est, infra, de cleri. excom., illud § illud autem; et 11. q. 3, placuit. Unde inconveniens esset quod ex eodem facto consequeretur poenam et commodum, ff. de negot. gest., sive, in fi., et in glossa ulti.; 16. q. 1, legi., in glossa, deteriores. Contra, infra, de except., significaverunt; et infra, de except., venerabilem, ubi dicitur quod excommunicati non repellentur a prosecutione appellationis. Sed isti presbyteri erant rei, ergo non debent repelli. De hoc dicemus infra, de except., venerabilem; et infra, de except., significaverunt. Sed pro nunc dic breviter quod isti non erant rei, sed actores qui petierunt restitui, nec appellaverant, in quo casu loquuntur contraria. Et sic est arg. quod quaestio spoliationis non sit privilegiata. An autem litterae ab excommunicato impetratae valeant eo absoluto? Dic super hic prout notatur infra, de except., extravag. pia, in glossa quae incipit, sed mirum.

Viribus carere
Ut supra, de rescript., cum dilecta. Et sic videtur quod si aliquid factum sit per litteras surreptitias, illud debeat revocari. De hac materia plenius dicetur infra, de rescript., ad audientiam 2. Et dic carere si constiterit istis exceptionibus, scilicet, quod non fecerint mentionem de causa suae remotionis et excommunicationis, qua tenebantur adstricti. Et merito de causa excommunicationis tenebantur facere mentionem, quia qui petit absolvi ab excommunicatione tenetur exprimere causam excommunicationis suae, alias non valent litterae impetratae super absolutione, vel si aliam causam exprimeret, quam illam pro qua fuit excommunicatus, infra, de offi. ord., ex parte; et infra, de fide instrum., quod super. In illa decretali infra, de offi. ord., ex parte, notatur de hoc in glossa quae incipit, ex eo; et infra, de sent. excom., cum pro causa, in glossa quae incipit, istud tamquam. Et in hoc casu non valent litterae impetratae excommunicato tacito de causa excommunicationis. Secus si aliquis impetrat litteras ad agendum contra adversarium tacens de sua excommunicatione, quia tunc valent litterae eo absoluto, infra, de except., extravag. pia, ubi de hoc, in glossa quae incipit, sed mirum. Alia etiam de causa non valuerunt huiusmodi litterae, quia non fecerunt mentionem quod per sententiam spoliati fuissent propter suos excessus, a qua non fuit appellatum, C. sent. rescind. non pos., impetrata. Et ita duobus de causis non valuerunt litterae istorum presbyterorum. Olim consuevit decretalis ista allegari ad probandum quod litterae impetratae ab excommunicato ad agendum non valebant, sed hoc non probatur per hanc dceretalem, quae non loquitur in tali casu. Ber.

X 1.03.27 *Postulasti per sedem*

Cum secundum apostolum
Quam habes infra, de praeben., cum secundum Apostolum.

Beneficium
Nomine beneficii intelligitur vicaria sive praebenda, sive aliud beneficium, 1. q. 3, ex multis, in princ.; et infra, de verb. sign., tua nobis.

Competenter
Istud competenter intelligas secundum modum illius decretalis infra, de praeben., de monachis. De hoc dictum fuit supra, de rescript., cum adeo. Dic ut ibi.

Proventibus
De duobus quaerebatur, scilicet de paterna hereditate et de beneficio vicariae, sed de beneficio tantum respondet. Ergo licet non faciat mentionem de paterna hereditate, tenent litterae, quia unum negando, alterum confitetur, infra, de praesump., nonne. Sed videtur quod talis indigne petit beneficium ecclesiasticum, 16. q. 1, quoniam quicquid; et 12. q. 1, illi autem, in glossa ulti.; et iudicium sibi manducat et bibit, 1. q. 2, clericos; et 1. q. 2, pastor. Item quia ordinatus est ad certum titulum, qui ad titulum sui patrimonii est ordinatus, infra, de praeben., tuis quaestionibus. Sed non est verum quod de hereditate principaliter quaeretur, sed de vicaria, hoc addito quod habeat bona paterna similiter. Sed quid si modicum habet beneficium, numquid tenetur facere mentionem de illo? Tenetur quidem infra, de rescript., si proponente, ubi dicetur de hoc.

X 1.03.28 *Nonnulli gratia sedis*

Abutentes
Id est, malo modo utentes. Sic infra, de rescript., quia nonnulli; et supra, de rescript., sedes.

Ad remotos
Nota quod dicitur remotus qui est ultra duas dietas extra diocesim, et facit ad hoc infra, de elect., cum inter universas; et infra, de elect., nihil est.

Iuris observantia
Quia non debent inde nasci iniuriae unde iura oriuntur, infra, de accusat., qualiter et quando 1; C. und. vi, meminerint; simile supra, in constitutione Gregorii ix, rex pacificus.

Ultra duas dietas
Numquid hoc intelligitur de vulgaribus dietis, quae habentur secundum consuetudinem regionis, aut de legalibus secundum quod viginti milliaria computantur pro dieta, ff. de ver. sig., itinere; et ff. si quis caut., vicena? Videtur quod de vulgaribus, quia nomina ex communi usu intelligenda sunt, infra, de spons., ex litteris 1. Non enim ex opinionibus singulorum, sed ex communi usu nomina exaudiri debent, ff. de supel. leg., Labeo; et consuetudo est optima legum interpres, infra, de consuet., cum dilectus; et ff. de leg. 1, si de interpretatione. Et plus statur usui quam significationi vocis, ff. de leg. 3, non aliter. Immo usui statur contra naturam vocis, ff. de leg. 3, uxori, in princ. De hac materia multa argumenta notantur, 12. dist., illud. Et dicas quod de vulgaribus dietis istud est intelligendum, quia lex debet convenire consuetudini regionis, 4. dist., erit autem. Sed pone quod aliquis impetraret litteras ultra duas dietas, non facta constitutionis istius mentione, sed iudices citant ad locum ultra duas dietas non remotum a sua diocesi ipsum reum, numquid ire tenetur? Credo quod sic, per hoc quod dicit, ultra duas dietas non trahatur, et est expressum, infra, de except., olim. Sed expensis actoris debent iudices ad locum ire, alias fieret fraus constitutioni huic, arg. ad hoc ff. de edend., praetor ait, in fi. Sed videtur quod non valent litterae, quia sunt impetratae tacita veritate tali, quam si dixisset, litteras non habuisset, supra, de rescript., super litteris; ergo non debent valere, quia eadem aequitas, quae movet delegantem, movere debet delegatum, ut dicit illa

decretalis supra, de rescript., super litteris, in fi. Sed eadem ratione videtur quod valeant, quia si dixisset quod non traheret ille adversarium ultra duas dietas, litteras habuisset. Ergo debent valere, et bene valent ut dictum est, quia ipse purgat vitium, et removet exceptionem quae posset opponi quare non valent, quia litterae non sunt nullae ipso iure, sed per exceptionem annullantur, arg. infra, de usur., quia frustra.

Trahi possit
Non dicit quod litterae non valeant, sed ne trahatur per eas ultra duas dietas.

Fecerint mentionem
Ut si ita dicatur, non obstante tali constitutione, et sic patet ex hoc loco quod rescriptum debet facere mentionem de constitutione ad hoc, ut ei praeiudicet, arg. infra, de aetat. et qualit., eam te. Sic debet etiam facere mentionem de privilegio, supra, de rescript., cum ordinem. Nec habet locum illa regula, speciale derogat generali, licet non faciat mentionem de illo, supra, de rescript., sicut Romana; et supra, de rescript., pastoralis. Sed hic rescriptum speciale non derogat generali constitutioni, et illa est causa, quia constitutio illa continet ius commune, sed ius commune non tollitur per rescriptum, cum rescriptum concedi debeat secundum ius commune, et non contra, 25. q. 2, rescripta. Et ideo necesse est ut semper rescriptum impetratum ultra duas dietas faciat mentionem de hac constitutione, quia Papa ignorat locorum distantiam.

Mercimonii
Simile infra, de rescript., quia nonnulli, ubi aliqui tradunt litteras aliis eiusdem nominis.

Suscitare
Per rescriptum principis lites sopitae suscitari non debent, C. de transaction., causas vel lites. Immo tales a limine iudiciorum debent expelli qui volunt lites sopitas suscitare, C. sent. rescind. non pos., impetrata; et supra, de rescript., dilectus filius 2.

Lites restringendae
Sic de poen. dist. 1, poenae; ff. de lib. et post., cum quidam; ff. si cert. pet., quidam. Et sic videtur quod in rescriptis verba potius sunt restringenda quam amplianda, infra, de offi. deleg., cum olim abbas, in fi.; et infra, de offi. deleg., P et G; nisi indulgeant beneficia, infra, de dona., cum dilecti, in fi.; et infra, de verb. sign., olim.

Sine speciali mandato
Sic ergo generalis procurator non sufficit ad impetrandum litteras, quod est bene notabile, sicut requiritur specialis procurator in transactione, C. de transaction., transactionis; et infra, de arbitr., per tuas, in princ.; et in integrum restitutione petenda, ff. de minor., illud § si talis; et infra, de in integ. restit., coram; et in delatione iuramenti, quia procurator non debet deferre iuramentum alteri parte, ff. de iureiuran., iusiurandum quod § procurator. Sic per procuratorem generalem non potest fieri acceptilatio, nisi habeat speciale mandatum, ff. de accep., per procuratorem. Sed nonne ratihabitio domini sufficit ad hoc litterae valeant seu valere incipiant quae prius non valebant? Quod videtur ff. de iud., licet verum; et ratihabitio retrotrahitur, ff. de pignorib., si fundus § 1; et infra, de clan. despon., quod nobis, in glossa ulti.; et infra, de elect., quod sicut, circa princ., vers. quod

si eos, in fi. Item litterae quae primo non valent, postea convalescunt, infra, de for. compet., licet ex suscepto, in glossa, iustitiae complementum; et infra, de for. compet., ex tenore, in fi., ibi dummodo. Ad hoc respondeo quod licet procuratio quae nulla est possit ratificari, non tamen valent litterae istae adversario contradicente, infra, de rescript., ex parte decani; propter rationem quae in littera ipsa redditur, quia lites restringendae sunt, etc. Sed numquid litterae istae sunt nullae ipso iure? Videtur quod sic, quia tamquam falsarius punitur, et sic istae litterae sunt falsae, sicut sententia venalis nulla est, 2. q. 6, ei qui § venales; et infra, de vit. et honest. cler., cum ab omni, in fi. Dico quod per exceptionem sunt annullandae, in utroque casu istius capituli si reus nihil obiiceret, valerent. Sed quis debet probare quod sine mandato sunt impetratae, an ille qui excipit quod non sunt impetratae per procuratorem, an dominus qui utitur illis? Videtur quod dominus qui utitur illis litteris, et exhibet eas, debeat probare mandatum, quia executor non tenetur obedire mandato iudicis, nisi primo probetur mandatum, infra, de offi. deleg., cum in iure; supra, de rescript., cum contingat. Qualiter enim possit reus probare quod non essent impetratae per procuratorem, cum sit pura negativa, et negantis factum per rerum naturam nulla est probatio, infra, de elect., bonae 1 § porro; et 6. q. 5, accusator quod asseverat. Praeterea licet aliquis ostendat instrumenta ecclesiae, non tamen ei creditur, nisi caveat de rato, infra, de offi. deleg., coram, in princ. Et generaliter traditur quod quoties de mandato dubitatur, vel procurator debet probare mandatum, vel cavere de rato, C. de procur., cautio. Praeterea nonne iubetur cum authentico exhiberi libellus porrectus Papae, 81. dist., Maximianus, in glossa prospecto; arg. 7. q. 1, praesentium. Sed ad quid nisi ad hoc, scilicet, per quem fuerit impetratum? Nam forte per excommunicatum sunt impetratae, quae non valent, arg. infra, de probat., post cessionem; supra, de rescript., dilectus filius 1. De hoc dic ut in decretali infra, de except., extravag. pia. Nec obstat si dicat quod instrumentum non apparet non vitiatum, ergo standum est ei donec contrarium probetur, C. de edict. div. Had. toll., edicto, circa princ., ibi, ex quacumque. Hic enim non impugnatur scriptura quin vera sit bulla, et verus sit actor, sed tantum de mandato impetrantis dubitatur. Ad hoc dicit Io. quod si ita contineatur in rescripto, et conquestus est talis procurator de tali, tunc non est necesse probare mandatum, quia per litteras illas satis apparet de mandato, ex quo Papa appellat eum procuratorem, quia constat quod vidit mandatum. Sed si continetur in litteris, significavit nobis talis, vel conquestus est nobis, cum ille non fuerit in curia, sed alius qui dicit se fuisse procuratorem legitime constitutum, tunc tenetur probare mandatum, quia plerique fingunt se esse alios, et sub nomine aliorum litteras impetrant, et nisi doceat de mandato, non debet audiri, ut hic dicit. In causa appellationis dicebat ipse Io. quod non tenetur probare mandatum, quia non est credendum quod aliquis negligat ius suum in prosequendo appellationem, qui alias diligens est, arg. C. qui et adv. quos in int. rest., in consilio. Si autem per simplicem querelam sint litterae impetratae, necesse est semper probare mandatum. Constitutio ista non bene servabatur, nec admittebant iudices talem exceptionem, sed certe bene debet admitti, quia non valent litterae nisi sint impetratae per procuratorem. Et hoc probatur in decretali Gregorii ix infra, de rescript., ex parte decani, ut ibi dicemus. Secus credo in litteris super beneficiis obtinendis, quia ibi non exigitur mandatum, cum super nulla lite impetrentur, sed de gratia tantum concedantur. Sed rescripta ad lites iam ortas et non futuras impetrantur, infra, de rescript., quia nonnulli. Curia Romana non consuevit hanc exceptionem de mandato admittere, nec nos admittere debemus, et si propter hoc appellaretur, non darentur litterae super tali appellatione.

Non debet exigi
Quae sint illae personae, habes ff. de procur., sed et heredes.

X 1.03.29 *Dilectus filius I.*

Concilii generalis
Supra, capitulo proximo.

Domicilium
Ex hoc videtur quod licet aliquis habeat praebendam vel ecclesiam alibi, quod propterea non habeat ibi domicilium. Nam sola possessio domus quae in civitate alia comparatur non facit domicilium, ff. ad municip., libertus § sola domus. Verumtamen bene potest quis habere domicilium in pluribus locis, dummodo se in utroque aequaliter collocasse videatur, ff. ad municip., assumptio § iuris prudentibus; et infra, de for. compet., ex parte. Alias dicitur ibi habere domicilium, ubi maiorem partem rerum suarum possidet, et assidue conversatur, et ibi debet respondere, C. ubi sen. vel clar., senatores. Vel etiam ubi vendit, emit, contrahit, et festos dies celebrat, ff. ad municip., eius § 1. Ratione vero de qua agitur, potest conveniri, infra, de for. compet., sane; C. ubi in rem act., actor; et ex hoc forum sortitur, infra, de for. compet., licet ratione, ubi numerantur plura ex quibus sortitur quis forum. Et sic patet quod dietae istae semper sunt computandae respectu diocesis, ubi est res de qua quis convenitur, infra, de for. compet., ex parte, licet intra illas habeat beneficium vel quandoque inveniatur, ut hic dicitur. Sed in personali actione secus, quia potest conveniri ubicumque habet domicilium.

Inhibetis
Et male, quia postquam causa appellationis est commissa ex certa scientia, iurisdictio priorum iudicum est suspensa, infra, de offi. deleg., pastoralis § praeterea. Sed iudex appellationis potest inhibere iudici a quo appellatum est, ne in eadem causa procedat, ut infra, de offi. ord., extravag. Romana § nec pro eo, vers. similiter; et infra, de offi. ord., extravag. Romana § a quibus; et infra, de appell., extravag. Romana § si autem.

Sed dicti iudices
Nam iudices appellationis debent cognoscere an sit legitime appellatum. Et si legitima est appellatum, ipsi cognoscant, alias remittant partes ad priores iudices, in expensis condemnando appellantem, infra, de appell., ut debitus; et infra, de appell., cum speciali. Et ita quando iudices ad appellationem dati sunt, semper debent cognoscere de huiusmodi iurisdictione, nec convenire cum prioribus, sicut quandoque vidi fieri. Illud enim habet locum quando diversi iudices contendunt se habere iurisdictionem principaliter, supra, de rescript., pastoralis. Ber.

X 1.03.30 *Capitulum sanctae crucis*

Prius
Et ita qui praevenit alium, ille obtinet, infra, de appell., ut debitus, ibi prius quam in glossa; et infra, de rescript., abbatem. Et est simile ff. de procur., pluribus; et infra, de

procurat., non iniuste, ubi potior est conditio occupantis; et simile ff. de ver. oblig., si Titius. Sed videtur quod ille pro quo fuit prius lata sententia deberet obtinere, non ille qui primo praesentavit rescriptum, sicut si quis a pluribus conveniatur ex noxa eiusdem servi, non ei qui primo egit. Sed ei qui ad sententiam prius pervenit, debet dari, ff. de noxal. act., si quis a multis. Sic enim in actione de peculio, ff. de peculi., si vero adhuc. Forte idem posset dici hic, ille enim obtinuisset, qui prius receptus fuisset, arg. infra, de praeben., dilectus filius 2. Sed hic neuter ad sententiam venit. Hic possunt assignari multa contraria, infra, de offi. deleg., ex parte N; et supra, de rescript., caeterum, et multa consimilia. Sed iura illa hodie correcta sunt per id quod habes infra, de appell., ut debitus, et per quod dicit hic. De hac materia dicas ut dixi supra, de rescript., sicut Romana. Sed illa decretalis, infra, de offi. deleg., ex parte N, loquitur in alio casu, cum iam litterae sunt primo praesentatae ante praesentationem secundarum, et ita concordat cum ista. Alii dicunt, et forte bene, quod primae litterae valent, et non secundae, quia de primis non faciunt mentionem, si primus impetrans non fuit negligens in prosequendo ius suum. Et hoc constat, licet prius praesententur secundae, dum tamen non recipiatur secundus ante praesentationem priorum, et ita cessant contraria. Sed si primus non prosequatur ius suum dolo vel negligentia cum prosequi possit, valebunt secundae, licet de primis non faciant mentionem. Secus in rescriptis ad lites obtentis, ubi per sollicitudinem praesentantis perditur primum rescriptum, licet secundum de primo non faciat mentionem, infra, de appell., ut debitus. Ibi enim remanet ius salvum utrique impetranti.

Consimili

Ergo non super eodem beneficio, sed diversas, alias non diceret, consimili. Quia si consimile, ergo aliud, et non idem, uterque istorum impetraverat, ut ei provideretur in beneficio praebendali. Sed non super uno, sed ita simpliciter, quia nihil est idem cui simile est, arg. ff. si mens. fals., adversus § haec actio.

Non habita mentione

Per hoc videbatur quod litterae non valebant, supra, de rescript., caeterum; et infra, de offi. deleg., ex parte N. Sed primae ibi iam fuerant praesentatae ante praesentationem secundarum. Et sic non contradicit, sed concordat huic notulae. Et etiam non obstat capitulum supra, de rescript., caeterum.

Post appellationem

Unde videtur quod sententia postea lata non tenuit, infra, de sent. excom., per tuas. Sed contra dicitur infra, ubi dicit, sententias praefatas relaxetis. Sed ibi dicitur ratio quare tenuit sententia. Vel intellige quod ex iusta causa appellatum est, quia forte litteras alterius receperant, vel aliam iustam causam allegaverunt, et sic non tenuit sententia. Vel dicas ut in ultima notula.

Suspensionis

Arg. quod suspensus potest amplius suspendi, sicut excommunicatus potest excommunicari, 3. q. 4, Engeltrudam; et 11. q. 3, excellentissimus; 12. q. 2, de viro; et infra, de Iudae. et Sarrac., ita quorundam, in fi., ubi de hoc.

X 1.03.31 Ad audientiam nostram (rev. 9/23)

Sententias
Scilicet, excommunicationis et suspensionis latas proximo capitulo.

Relaxetis
Ex hoc patet quod sententia suspensionis post appellationem lata tenuerit. Sed videtur quod appellatio tenuit, ex eo quod ei tantum qui litteras primo praesentavit providere deberet, et non illi qui secundo praesentavit litteras suas, contra quem fuit appellatum. Dicas quod ideo tenuit sententia non obstante appellatione, quia nondum providerat alicui illorum, et in litteris continebatur, si alium ad mandatum nostrum non recepistis. Haec enim clausula: nisi de mandato nostro eadem ecclesia in receptione alterius fuerit gravata, erat in utrisque litteris inserta, ut patet in integra. Sed ipsi non receperant adhuc, unde non tenuit appellatio cum nondum competeret eis exceptio. Vel dicas, si vis praedictas sententias relaxetis, ad cautelam quantum ad illam sententiam, quae lata fuit post appellationem, quae legitima fuit quantum ad aliam latam pro Callimacho. Ubi appellatio non praecessit, tenetur proprie illud verbum, relaxetis. Et sic proprie et improprie simul illud tenetur, simile 28. dist., presbyterum; 63. dist., in synodo. Quid si praesentatione per aliquem illorum facta ipsi capitulo alii iudices post appellatione excommunicaverunt? Videtur quod teneat appellatio, quia ex quo alius praevenerat, ius habebat. Unde si capitulum appellavit contra secundo praesentatem, bene videtur tenere appellatio, quia ei debent providere qui primo praesentavit, ut hic dicit, et ideo absolutio ad cautelam fieri debet. Sed non credo, quia quoties aliqui absolvuntur ad cautelam, illud exprimitur infra, de appell., ad praesentiam; infra, de testib., veniens 2, in fi., unde prima ratio verior videtur. Vel intelligitur tantum de sententiis illorum a quibus non est appellatum, et ita planum est.

X 1.03.31 *Ad audientiam nostram*

Pensiones
Huiusmodi pensiones quae in fraudem fiunt de proventibus ecclesiarum prohibitae sunt in concilio generali, infra, de praeben., extirpandae, in fi.; et infra, de collus., audivimus.

Renunciantes
Sed numquid continet simoniam huiusmodi renunciatio. Videtur quod sic, cum ex litteris habet ius ad petendum beneficium spirituale, et in talibus omnis pactio et conditio cessare debeat, infra, de pact., pactiones; et 1. q. 2, quam pio. Posset dici quod non est simonia, quia ea quae praecipiuntur a iure, licite deducuntur in pactum, etiam in spiritualibus, infra, de elect., significasti, in princ., et in glossa 2; et 18. q. 2, Eleutherius, in princ., et in glossa 1. Et istud est de iure quod renunciet litteris si vult habere beneficium, sed si habet etiam beneficium, posset deduci in pactum quod ei renunciaret, si vellet aliquid aliud beneficium obtinere, quia utrumque habere simul non potest, infra, de praeben., cum non ignores. Et secundum hoc expone, venditas, id est, cum tali pacto renunciatas. Vel potest dici quod simonia fuit, quod hic non negatur. Vel dic quod non fuit simonia propter hoc commissa, quod est aequius, cum nullum ius speciale habuerit per litteras illas. Ber.

Mentione non habita

Et ideo non valent, infra, de rescript., in nostra; et supra, de rescript., ad aures; et supra, de rescrpt., cum adeo.

In irritum

Sed quaeritur an generaliter sit verum, quod quicquid fit per litteras tales surreptitias, debeat revocari? Hoc manifeste probatur in capitulo isto, et simile supra, de rescript., cum dilecta; et supra, de rescript, constitutus. Et hic ideo, quia per litteras tales iurisdictio non videtur dari, infra, de offi. vicar., sua nobis; et 35. q. 9, veniam, in princ., ibi, surreptum huic sedi; et 35. q. 9, sententiam. Et revocatur etiam quod sit altera parte absente, ut infra, de re iudic., cum olim § post haec; et ff. de iud., si praetor § Marcellus. Nec obstat si dicas quod post sententiam non admittatur exceptio, 3. q. 6, si quis episcoporum § exceptio; et infra, de re iudic., inter monasterium. Sed illud non habet locum in exceptionibus, in quibus agitur de falso, infra, de procurat., in nostra, in fi.; et infra, de probat., licet § post haec. Cum enim per tales litteras non receperint iurisdictionem, quicquid per eas factum est non tenet. Et est simile, quia replicatio omissa ante sententiam ex causa probabili post sententiam proponitur, ff. quan. de pecul. act., quaesitum. Multo fortius exceptio ad idem facit infra, de re iudic., ad probandum; arg. infra, de despon. impub., ad dissolvendum, in fi., sed illa decretalis aliter intelligitur. Et contra videtur quod per tales litteras detur iurisdictio, licet possint elidi per exceptionem, ut supra, de rescript., nonnulli. Dictum est arg. ff. de bon. poss. sec. tab., qui ex liberis § testamento. Unde non potest dici retro iudicium nullum fuisse. Unde si aliquis scivit sibi competere exceptionem, et non excipit, sibi imputet. Si nescivit praetextu exceptionis post repertae, sententia non retractetur, infra, de re iudic., inter monasterium; et infra, de re iudic., suborta. Item libertas per falsos codicillos data non revocatur, ff. de manum. test., cum ex falsis. Et legata praestantur, licet testamentum sit falsum, ff. de hered. instit., Pactumeius. Circa istam materiam dicebat Io. quod sententia lata per tales litteras tenet, nisi relevetur per appellationem vel supplicationem, sed retractanda est per integrum restitutionem. Vel si vis dicere quod per tales litteras nulla datur iurisdictio, non est necessaria restitutio, quia ipso iura nulla est sententia, infra, de offi. vicar., sua nobis. Tu dicas quod tales litterae non sunt irritae ipso iure, sed possunt annullari per exceptionem, unde si a principio huiusmodi exceptio proponatur, si aliquid fiat contra, totum revocatur. Et sic loquitur supra, de rescript., constitutus; et supra, de rescript., cum dilecta. Si autem per consensum partium tacitum vel expressum procedatur, et detur sententia, tenet quidem et valet, cum sit lata a iudice suo, nec contra ius constitutionis, ut 2. q. 6, ei qui § diffinitiva; et infra, de re iudic., cum inter vos; nisi fuerit appellatum vel supplicatum, 35. q. 9, veniam; et 35. q. 9, sententiam; et C. de precib. imper. offer., authen. quae supplicatio. Et in causa appellationis vel supplicationis potest opponere de surreptione. Et si ostendit se ignorasse, bene auditur, et poterit hoc probare per iuramentum, quia hoc aliter de facili probare non posset, infra, de testib., praesentium; et infra, de except., pastoralis. Et hoc intelligo hic, si eis ignorantibus de prioribus litteris receperunt istos per litteras secundas, arg. ad hoc infra, de praeben., dilecto. Vel potest dici quod aliud sit in beneficiis, quia beneficium non potest possideri nisi canonice habeatur, infra, de instit., ex frequentibus. Sed isti per fraudem obtinuerunt, et ideo iniuste. Et si primam ecclesiam habuissent quo ad titulum secundam habere non poterant, nisi dispensative, infra, de elect., dudum ecclesia, decretali Gregorii ix. Et ideo

necessaria fuit scientia Papae in impetratione litterarum talium, infra, de rescript., in nostra. Quia Papa pro aliquo beneficiato non scribit ex certa scientia, quin faciat mentionem de primo beneficio, supra, de rescript., postulasti. In aliis bene tenetur ea quae fiunt per tales litteras, ex quo tacite vel expresse approbantur litterae, infra, de offi. deleg., ex parte tua; nec pro eo praetextu posset appellari.

X 1.03.32 *In nostra proposuisti*

Mentionem
Et ideo videtur quod secundae valere non debeant, supra, de rescript., ad audientiam 2; et supra, de rescript., caeterum; et infra, de rescript., ex parte decani; et infra, de offi. deleg., ex parte tua. Sed in pendenti est quae valeant, si ante praesentationem primarum secundae fuerint impetratae, tunc enim valebunt quae prius fuerint praesentatae, ut supra, de rescript., capitulum; et infra, de appell., ut debitus. Postquam vero receptus esset per primas, non valerent secundae, ut infra sequitur. Praeterea quia Papa non intendit ei providere in pluribus beneficiis, nisi in secundis litteris mentio fiat de primis, infra, de rescript., si proponente, etiam si modicum esset beneficium primum, infra, de praeben., cum teneamur. Sed quid dices si primae litterae annullatae sint per exceptionem, numquid valent secundae, licet de primis non faciant mentionem? Dico quod valent secundae si nondum essent praesentatae, quia potius ad cautelam impetratae videntur, ut si non posset beneficium consequi per primas, uteretur secundis, sicut consuevit dici in rescriptis, supra, de rescript., ex tenore; et verba cum effectu intelliguntur, infra, de cleri. non residen., relatum. Unde cum nihil obtinuerit per primas, valent secundae, quia haec fuit intentio Papae ut per litteras suas beneficium consequeretur. Et hoc satis innuitur ex eo quod dicit: eos facias esse contentos ecclesiis in quibus recepti sunt.

Beneficium sint assecuti
Si enim nondum sunt ecclesiasticum beneficium assecuti, quare non valent litterae istae secundae, quia qui beneficium ecclesiasticum non est consecutus, potest pro beneficio litteras impetrare, supra, de rescript., cum adeo; et infra, de rescript., si proponente? Resp.: licet beneficium nondum sit assecutus, tamen ius canoniae per quod in brevi beneficium est habiturus, ex domini Papae mandato est consecutus, et pro beneficiato iam reputatur. Unde de hoc in suis litteris tenebatur facere mentionem, si iam erat receptus.

X 1.03.33 *Ex parte decani*

Indulgentiae
Forte concessum fuerat capitulo Laudunensi, ut si quis in eorum manifestam offensam incideret, quod illum possent excommunicare. Simile indulgentiam habes infra, de verb. sign., ex parte in Christo, ubi concessum erat canonicis Carnotensibus quod nemini licitum absolvere excommunicatos pro ecclesia Carnotensi, nisi satisfactione praemissa pro emenda.

Articulis
Qui fuerint alii articuli, non habemus.

Contestata
Per procuratores datos ad totam litteram.

Praeter assensum partium
Hoc solo non valebant litterae posterius impetratae praeter consensum partium, etiam si mandatum procuratoris non fuerit revocatum, supra, de rescript., caeterum. Hoc tamen non fuit allegatum, vel intellige de aliis litteris ad alios iudices prius impetratis, et ita planum est.

Procurator
Nota quod quandoque dicitur falsus procurator, qui numquam fuit, et talis nec dominum obligat, nec solventem sibi talis procurator liberat, nisi dominus ratum habebat, arg. infra, de offi. deleg., cum olim abbas; et infra, de offi. deleg., coram; ff. de iud., licet verum; et ff. de condi. caus. dat., si procuratori falso. Dicitur etiam falsus procurator qui fuit, et non est, ut hic, et iste liberat solventem sibi pro domino ignorante, sed dominum non obligat, ff. si cert. pet., eius qui in provincia; et ff. de solut., si quis servo. De exceptione autem procuratoria notabitur, infra, de procurat., in nostra.

Propter suspicionem
Sic infra, de procurat., in nostra. Propter suspicionem potest procurator non solum ante, sed etiam post litem contestatam revocari, ff. de procur., item si suspectus; puta si affinitate, aut si familiaris fiat adversario, infra, de offi. deleg., insinuante; et quoties nova causa supervenit, ff. de procur., si post datum; et hoc post litem contestatam, sed causa cognita, ff. de procur., post litem; et ff. de procur., quae omnia. Et hoc verum est si procurator contradicat, secus si consentiat, quia tunc sine causae cognitione removetur, infra, de procurat., auditis; et ante litem contestatam nulla causa interveniente, ff. de procur., ante litem. Quare ergo non revocatur quicquid factum est per talem procuratorem? Ratio satis est in evidenti, quia huiusmodi revocatio non pervenit ad adversarium vel ad iudicem, ut ex adverso proponebatur, ut infra sequitur. Et ideo quicuid cum ipso factum est, valet quousque revocatio sit nota adversario vel iudici, infra, de procurat., mandato. Nec ille probavit quod revocatio mandati ad adversarium vel iudicem pervenisset, et ideo recte interlocuti sunt iudices se debere per huiusmodi litteras procedere, et ille nobilis super hoc acquievit interlocutioni, ostendendo alias litteras impetratas per eundem procuratorem, quae non valent si revocatio ad ipsum procuratorem pervenit. Ad hoc enim ut revocatio teneat, necesse est ut ad adversarium vel ad iudicum perveniat, infra, de procurat., mandato. Et ibi dicemus de hoc, et hoc in iudicio, secus extra iudicium, ubi sifficit quod revocatio perveniat ad procuratorem, et postea non valet quod facit in praeiudicium domini, sed bene valet quod facit antequam revocatio ad eum perveniat, ut infra colligitur, vers. si revocatio, etc.; ff. mand. vel cont., si mandassem.

Non valere dicebant
Et merito, quia ipse nobilis hanc allegationem contra adversarios allegabat, ergo contra se illam recipere tenebatur, 19. dist., si Romanorum § 1, et in glossa, suffragari; et 4. q. 3, si testes, ad fi., si quis testibus; et 9. dist., neque quorumlibet; et 3. q. 8, accusatores § cuius in agendo; et infra, de censib., cum olim. Arg. contra 37. dist., si quid veri; et 10. dist., lege. Et ita ex propria confessione probat secundas litteras non valere, cui confessioni

standum videtur. Sed non est verum nisi revocatio mandati ad procuratorem pervenerit, ut infra sequitur; et ff. mand. vel cont., si mandassem. Arg. quod non sufficit revocare mandatum, nisi revocatio perveniat ad procuratorem, ut patet hic, et in lege praedicta ff. mand. vel cont., si mandassem. Et ita potest habere ratas litteras antequam revocatio perveniat ad procuratorem, licet confiteatur se revocasse mandatum, non tamen confitetur revocationem pervenisse ad procuratorem, unde debet illud probare, ut infra dicit. Et ita patet quod primae etiam non debeant valere si probetur quod revocatio ad procuratorem pervenisset, et tamen dicitur infra quod valet. Sed hoc ideo est, quia revocatio non pervenit ad iudicem vel ad adversarium, infra, de procurat., mandato. Et dicitur de hoc supra, de rescript., ex parte decani. Et aliud est in iudicio, et aliud extra, ut dictum est supra, de rescript., nonnulli § sunt et alii.

Sine speciali

Id est, expresso, secundum Vincen. Et ita patet hic quod non valent litterae sine speciali mandato, licet constitutio illa, supra, de rescript., nonnulli, male observetur, ut dictum fuit ibi, et sic confirmatur hic tenor illius constitutionis. Sed qualiter probabit quis litteras impetratas de mandato domini? De hoc dictum est in illa constitutione supra, de rescript., nonnulli. Si quis constituat aliquem procuratorem suum ad impetrandum, sufficit ostendere quod sibi dedit mandatum ad impetrandum. Sed adhuc non videtur sufficere, quia per hoc non constat quod ille impetraverit. Nam alius potuit eas impetrare, et sic non sufficit ostendere tale mandatum, quia illud non probat impetrationem, quia non probat hoc esse quod ab hoc contingit abesse, infra, de translat., inter corporalia; et C. und. cognat., non hoc. Et sic videtur adhuc quod necesse sit probare quod ille procurator tales litteras impetravit, quod erit difficile probare. Quid ergo erit? Dico quod necesse est quod ostendat sive probet mandatum, et quod probet se ab illo recepisse litteras cui mandavit, sive ab alio pro ipso, et consulo quod tam de mandato quam de receptione litterarum ab illo procuratore fiat publicum instrumentum ad faciendum fidem in iudicio si ei obiiciatur. Et hoc credo verum tam in causa appellationis quam in litteris quae impetrantur per simplicem querelam, licet Io. dixerit quod non est ita in causa appellationis, quia ita bene possunt lites finitae per sententiam suscitari per tales litteras impetratas sine mandato, ut per alias acquiescerat enim forte sententiae si litteras non haberet, et sic generaliter intelligo constitutionem. Haec decretalis et illa supra, de rescript., nonnulli, de iure sic intelliguntur. Tamen satis credo sufficere iuramentum impetrantis cum uno teste ad faciendum fidem super impetratione litterarum, ex quo constat de mandato, infra, de procurat., ex insinuatione. Vincen. dixit quod generalis procurator sufficit ad hoc, quod est contra istam litteram et contra legem, ff. de off. eius cui man. est iur., quaecumque. Sed ipse exponit, speciali, id est expresso, quod non videtur verum, quia in generali procuratione nihil de impetratione exprimitur, et hoc dicit per legem quae potius contradicit, ff. de procur., procurator totorum. Sed si haberet generalem procurationem ad lites et liberam administrationem, satis credo quod possit litteras impetrare, ut ff. de procur., procurator cui; infra, de procurat., petitio. Sed si haberet mandatum generale ad negotia tantum, non credo quod possit litteras impetrare ad lites, quia, ut hic dicitur, speciale mandatum exigitur in hoc casu, arg. legis praedictae ff. de procur., procurator totorum. Curia tamen non servat hoc quod hic et in concilio dicitur, nec daret litteras propter hoc appellanti.

Personis
Puta liberi, parentes, fratres, assines, et liberti, ff. de procur., sed et hae personae; quia et agere possunt pro talibus coniunctis personis, dum tamen contraria voluntas non appareat, ff. de procur., Pomponius § ulti.

Si revocatio
Sed quis probabit revocationem pervenisse ad procuratorem? In casu isto capitulum Laudunense debet probare hoc, alias regulare est quod actor semper debet probare mandatum, ut dixi supra, de rescript., nonnulli. Papa tamen contrarium dicit, quod reus debet probare quod non sint impetratae per procuratorem, quia non est praesumendum quod suam pecuniam iactet, et ita propter praesumptionem tranfertur probatio in reum.

Mandatum dominus revocavit
Et ita idem est si mandatum fuerit revocatum, ac si non habuisset mandatum, immo plus, quia contra voluntatem domini, quare litterae non valent. Et ita patet hic ex littera sequenti, quod ratihabitio in tali casu locum non habet adversario contradicente. Item si procurator mandavit hanc impetrationem alii, numquid valebunt litterae impetratae per illum? Videtur quod non, quia procurator ante litem contestatam alium procuratorem dare non potest, C. de procur., neque tutores; et C. de procur., nulla dubitatio. Tu dicas quod bene valent litterae illae impetratae per illum, cui procurator mandavit. Et quod dicitur, procurator ante litem contestatam non potest alium procuratorem constituere, istud verum est ad agendum, sed ad negotia procurator datus alii demandare potest, ff. mand. vel cont., si procuratorem § 1; et ff. de negot. gest., si quis mandato. Et talis procurator bene committitur in curia, et consuevit dici in procuratione: do tibi potestatem ut alium possis, si necesse fuerit, constituere procuratorem.

X 1.03.34 *Significante V. nos*

Non de Remensi
Sed videtur quod hoc sibi obesse non debuit, quia si hoc dixisset, nihilominus litteras habuisset, supra, de rescript., super litteris. Quia ex quo de corpore constat, extrinseca non nocetur, licet omnia non exprimantur, infra, de cons. et affin., tua; et ff. de rei vend., si in rem, in fi. Et certum dicitur sive proprio nomine, sive demonstratione quae vicem proprii nominis obtinet, designetur aut etiam digito ostendatur, ff. si cert. pet., certum est; et ff. de rei vend., si in rem, in fi. Sed iste personaliter ostenditur, ergo videtur quod sit per litteras tales audiendus. Praeterea non debet ei tali error obesse, cum constet de errore, C. de iuris et fact. ignor., error facti. Praeterea falsa causa non perimit legatum, sive falsa demonstratio, C. de fals. caus. adiec., etiam si; ff. de condi. et demon., falsa demonstratio; et infra, de conver. coniug., ex parte tua. Nec mendacium obligantis impedit obligationem, infra, de conver. coniug., veniens. Sed ista non prosunt, quia ratio illius decretalis super litteris non habet locum ubique. Numquid si Titius appellet se Seium in litteris, valebunt litterae? Quia si hoc dixisset Papae, nihilominus litteras habuisset, non prodest ei talis ignorantia sive error, immo nocet, quia litterae non valebunt, ut hic dicit, et quia non cadit in iurisdictionem istius delegati, quia Papa non intendit dare iurisdictionem nisi in hominem Remensem diocesis. Et praeterea inconveniens videretur si tales litterae hic deberent valere huic, quia sic viderentur

incertae, quia V. alius diocesis Remensis per illas litteras posset conveniri. Et ita una clausula quae certa et determinata videretur, posset trahi ad plures personas, quod esse non debet, quia generalitas in huiusmodi litteris reprobatur, supra, de rescript., ad haec; et quia rescripta stricti iuris sunt, infra, de offi. deleg., P et G; et restringendae sunt lites potius quam laxandae, supra, de rescript., nonnulli. Et ratio illius decretalis super litteris tunc habet locum, quando ex quo dictum est vel tacitum, Papa citius movetur ad dandum vel denegandum rescriptum, infra, de rescript., ex insinuatione; et infra, de rescript., si proponente; et supra, de rescript., cum adeo. Sed hic non est ita.

X 1.03.35 *Rodulphus clericus rector*

Sagiensis diocesis

Per hoc patet expresse, quod aliud est dicere, et alios comprehendit clericus diocesanus, et alios clericus Civitatensis, infra, de verb. sign., cum clerici. Et ita dicendo, quidam Bononiensis diocesis nullus civis poterit conveniri, et ideo in clausula illa, et quidam alii, debet poni et dici sic, et quidam alii civitatis et diocesis Bononiensis, et sic tam de civitate quam de diocesi per illam clausulam poterunt conveniri, quia civitas et diocesis diversa sunt, licet sub una iurisdictione sive uno episcopo, infra, de censib., venerabili. Et est simile, quia licet episcopus sit in ecclesia, et ecclesia in epicopo, ut 7. q. 1, scire, tamen quandoque nomine episcopi non designatur ecclesia, licet ipse sit caput ecclesiae, infra, de testamen., requisisti. Si dixisset Sagiensis episcopus, et quidam alii, tunc per illam clausulam, quidam alii, videtur quod tantum illi de civitate conveniri debeant, quia determinatio praecedens, scilicet, Sagiensis, intelligitur repetita, et est sensus, quidam alii Sagienses, ut 32. q. 7, Apostolus; et ff. de ver. oblig., Titia § 1. Immo et diocesani possunt conveniri, infra, de rescript., significavit; quia clausula illa vaga est et generalis, sed non extra diocesim, ut supra, de rescript., pastoralis § 1. Si dicas, et quidam alii Sagienses diocesis modo clausula illa, quidam alii, restringitur per determinationem sequentem ad illos de diocesi tantum, alioquin non esset differentia inter ista nomina Bononiensis et diocesanus, sed constat quod diversa sunt, et diversa significant, non enim sunt synonyma, unde bona fuit appellatio rectoris qui erat de civitate. Si sic diceretur, episcopus Sagiensis et quidam alii iurisdictionis ipsius, vel quidam alii subditi ipsius, tunc per clausulam illam, quidam alii, possent conveniri tam de civitate quam de diocesi, quia talis clausula generalis ad omnes interius et exterius extenditur. Item ex alia causa non poterat conveniri per litteras illas, quia minora negotia ibi exprimebantur, unde per generalem clausulam super maioribus non poterat conveniri, supra, de rescript., sedes. Sed hanc exceptionem non opposuit B. Sed pone quod non opposuisset illam exceptionem, nec illam de maiori negotio, et sic iudex processisset ad sententiam condemnationis, numquid valuisset sententia? Videtur quod sic, quia huiusmodi exceptiones dilatoriae videntur. Sed contra credo, quia per hanc clausulam, et quosdam alios Sagiensis diocesis, datur iurisdictio tantum in diocesanos et non de civitate, et per hanc clausulam in rebus aliis non datur iurisdictio super maioribus negotiis, supra, de rescript., sedes. Unde talis sententia non tenet deficiente iurisdictione. Nec etiam credo posse prorogari iurisdictionem in primo casu, ut infra, de offi. deleg., P et G, nec in alio, quia consensus privatorum eum iudicem non facit qui nulli praeest iurisdictioni, C. de iuris., privatorum.

X 1.03.36 *Significavit nobis comitissa*

Viveret

Iste comes dum vivebat, poterat per litteras illas conveniri, sed eo mortuo successor eius non potest. Et sic patet expresse per decretalem istam, quod rescripta saltem re integra non extenduntur ad successores illorum contra quos fuerant impetrata, vel qui per ea poterant conveniri. Et ita morte illius contra quem impetratur, finitur mandatum, sicut et morte mandantis, infra, de offi. deleg., relatum; et infra, de offi. deleg., gratum; et infra, de offi. deleg., licet; et infra, de offi. deleg., quoniam Apostolica. Et sic eodem modo finitur morte impetrantis, ita quod non transit ad successores, saltem re integra. Et hoc ideo contingit, quia rescripta personalia sunt, nec ad personas vel ad res alias, quam quae continentur ibi, extenditur infra, de offi. deleg., cum olim abbas; et infra, de offi. deleg., P et G. Et hoc probatur hic manifeste. Arg. contra infra, de iudic., quia V; et infra, de alienat. mut. iud., ex quorundam; et infra, de alienat. mut. iud., ex parte; et infra, de concess. praeben., proposuit. Sed verum est quod re integra finiuntur huiusmodi rescripta, ut hic dicitur. Et est hic arg. quod data litterarum est consideranda, supra, de rescript., eam te; et supra, de rescript., constitutus. Contra infra, de praeben., dilectus filius 2, ubi de hoc; et supra, de rescript., eam te. Item signatur contra infra, de for. compet., dilecti, ubi convenitur successor per litteras impetratas contra praedecessorem. Sed hic conveniebatur successor et antecessor per clausulam generalem, et ideo re integra finitur hic tale mandatum, sed ibi, scilicet, in contrario litterae impetratae specialiter fuerunt contra praedecessorem, et finguntur una persona antecessor et successor, quia contra dignitatem impetratae intelliguntur, quae non moritur, infra, de offi. deleg., quoniam abbas. Sed si dictum fuisset contra episcopum Tullensem et comitem Namutensem, tunc comitissa, poterit conveniri, quia contra comitatum litterae impetrantur. Et sic poterat conveniri quicumque succederet in comitatu illo, sicut in capitulo infra, de for. compet., dilecti. Vel dic quod in capitulo infra, de for. compet., dilecti, praedecessor fuit citatus. Et sic planum est, et nullum contrarium, sed non colligitur ex capitulo infra, de for. compet., dilecti, quod antecessor fuerit citatus.

Dum viveret

Et sic videtur quod si citatus fuisset frater illius comitissae, perpetuatum fuisset rescriptum contra successores illius contra quem impetratur, et eadem ratione et impetrantis, sicut perpetuatur per citationem quantum ad mortem delegantis, ut post decessum valeat delegantis, ut in praedictis decretalibus infra, de offi. deleg., gratum; et infra, de offi. deleg., licet. Arg. infra, de appell., ut debitus; supra, de rescript., capitulum. Nam video quod non transeunt ad successores post conventionem transeunt, arg. infra, de dona., propter, a contrario sensu; arg. C. de revoc. donat., etsi perfectis; et C. de revoc. donat., generaliter, in fi.; et in querela inofficiosi testamenti, C. de inoffic. testam., si pater; et C. de inoffic. testam., si quis filium; et melius, ff. de inoffic. testam., posthumus § ulti.; et C. de novat., si delegatio; et iudicio coepto negotium transit ad heredes, C. de iureiuran., authen. principales. Satis credo quod si ille fuisset ad iudicium evocatus, perpetuatae esent litterae, ut successores impetrantis possent agere postea per illas, et contra reum, et successores ipsius, ut hic innuit satis expresse cum dicit: nec per litteras ipsas fuit ad iudicium evocatus. Et postea dicit, si est ita, unde illa clausula respicit omnia supradicta, scilicet, quod eo vivente fuerunt impetratae, nec fuit ad

iudicium evocatus, et est simile supra, de rescript., olim, ubi clausula ista, si est ita, respicit omnia superiora.

X 1.03.37 *Ex insinuatione episcopi*

De monitoriis

Sic patet quod executoriae non valent facientes mentionem de monitoriis, ubi monitoriae non praecesserint, quia veritate tacita sunt obtentae, et falsitate expressa, ut facilius litteras executorias obtineret, tamquam si tacuisset veritatem exprimendo, executorias non habuissent, ut supra, de rescript., super litteris. Item si tacuisset alium de mandato Papae fuisse receptum, non valuisset rescriptum, infra, de rescript., mandatum; et infra, de rescript., abbatem. Quae enim sint exprimenda in beneficiis impetrandis, dicetur infra, de rescript., si proponente. Quandoque tamen executoriae prima vice conceduntur, supra, de rescript., capitulum, sed illud de speciali gratia. Sed ordo et consuetudo curiae est, quod primo monitoriae, secundo praeceptoriae, ultimo executoriae conceduntur, supra, de rescript., constitutus. Et est hic argumentum, quod si quis in aliquo instrumento faciat mentionem alterius instrumenti, non creditur ei nisi exhibeat primum, C. de edend., authen. si quis; et infra, de fide instrum., si scripturam; et infra, de offi. deleg., cum in iure.

X 1.03.38 *Mandatum Apostolicum*

Mandatum

Videtur fatua haec quaestio, cum diceretur in litteris, si pro alio non scripsimus, qui huiusmodi gratiam prosequatur. Dubium potuit esse ex eo quod dicit, qui huiusmodi gratiam prosequatur, quia iam receperant alium de mandato Papae, et sic non prosequebatur. Immo iam prosecutus erat illam gratiam ex quo credebat ex verbo illo, prosequatur, quod non competeret ei exceptio, cum iam esset receptus. Multo fortius competebat, ut hic patet, et competit haec exceptio recepto mandato, si postea pro alio mandetur, licet primus adhuc non sit receptus, infra, de rescript., abbatem; et supra, de rescript., capitulum; secus si esset repulsus.

Super receptione duorum

Et ita habes hic, et infra, de rescript., litteris; et infra, de rescript., abbatem, quod Papa non intendit aliquos gravare super receptione duorum. Quare si scribit pro aliquo recipiendo in aliqua ecclesia, licet clausula illa, si pro alio non scripsimus, non sit ibi, tamen subintelligitur sicut illa, si persona idonea est, infra, de elect., causam quae. Et sicut illa, si preces veritate nitantur, supra, de rescript., ex parte Conventrensis, quia non est intentio Papae gravare aliquos in receptione plurium, ut dicit hic. Alii dicunt in contrarium, quod in favorem ecclesiae ponitur illa clausula, si pro alio non scripsimus, quia si non opponatur, nihilominus tenentur eum recipere pro quo secundo mandatur. Sed ista littera, ut mihi videtur, contradicit, et Papa consuevit illam exceptionem removere dicendo, non obstante si pro alio vel aliis scripsimus, sicut dicit, non obstante certo canonicorum numero iuramento firmato, vel quacumque alia firmitate vallato, et secundum illos frustra apponitur, non obstante si pro alio, etc.

Non fuerit intentio
Arg. quod Papa per suas litteras non vult alicui grave praeiudicium inferre sic, infra, de offi. deleg., super eo; et infra, de offi. ord., licet; et infra, de auctor. et usu pal., ex tuarum; et 9. q. 3, nunc vero; et ff. ne quid in loc. pub., praetor ait § si quis a principe; et ff. ne quid in loc. pub., praetor ait § merito; et infra, de consuet., cum olim, in fi. Item intentio mandantis consideranda est, infra, de praeben., cum causam; et infra, de praeben., cum olim; et infra, de procurat., petitio. Et eadem ratio quae movet delegantem, movere debet delegatum, supra, de rescript., super litteris.

X 1.03.39 *Litteris Apostolicis*

Monitorias
Arg. quod per monitorias ius acquiritur, quod non est verum. Nec etiam per praeceptorias vel etiam executorias, sed officium iudicis imploret ut recipiatur, de hoc notatur infra, de renunciat., veniens, in notula quae incipit, arg. quod per litteras.

Cum factum praedecessoris
Nota arg. quod successor tenetur adimplere factum praedecessoris sui, 12. q. 5, quia Ioannes; et 16. q. 6, illud. Sic et mandatum seu praeceptum factum praedecessoris, successor tenetur adimplere, 18. q. 2, dudum. Sic etiam patet ex hac decretali, quod si aliquis sit receptus ad mandatum legati vel praedecessoris, per hoc non fit praeiudicium successori, nec intelligitur ecclesia gravata in eo casu, et sicut clausula illa, si ad mandatum Papae alium recepistis, habet tantum locum in eo qui mandat. Nec habet exceptionem si ad mandatum praedecessoris vel legati alium recipit, sed etiam in legato ipsius mandantis videtur contrarium, quia auctoritate Papae qui delegavit factum est, et qui per alium facit, per seipsum facere videtur, ff. de admin. tut., ita tamen § gessisset; et infra, de sent. excom., mulieres. Si hoc sit factum de speciali mandato, locum haberet exceptio, sed de generali non videtur.

X 1.03.40 *Abbatem qui mandatum*

Iam recepit
Vide quod dicit, qui mandatum Apostolicum iam recepit. Non dicit, qui iam providerit, et sic patet quod qui primo suum mandatum repraesentat, ille debet beneficium obtinere, ut supra, de rescript., capitulum; et infra, de appell., ut debitus. Et sic tenebatur abbas iste providere S. clerico, cum tamen alii de mandato eiusdem non providerit, nec episcopus per litteras illas generales potest cogere abbatem, ut dicit, super ecclesiis vel beneficiis conferendis. Ista tria capitula superius proxima idem videntur dicere, tamen differunt.

Per litteras generales
Hic habes quod generale mandatum secundo impetratum, non derogat speciali primo impetrato. De hac materia dictum est supra, de rescript., sicut Romana.

Faceret provideri
Per hanc formam non potest facere provideri in aliqua praelatura, infra, de praeben., cum olim, nisi hoc specialiter exprimatur in litteris, ut hic dicitur in fine huius capituli. Per

istam formam facias provideri executor cui hoc ius mandatur, potest solummodo excommunicare contradicentes sibi, sed non potest eum instituere vel in possessionem mittere. Contrarium tamen videtur infra, de praeben., pro illorum. Sed non contradicit, et intellige prout ibi notatur. Sed per formam istam: mandamus tibi quod provideas tali in aliqua ecclesiarum tuarum, potest illum ponere in possessionem, investire, ac excommunicare contradictores, nisi rationabile aliquid ostendatur, secundum quod dicitur hic in fine, potestatem habeat providendi, et ita utraque formarum istarum exprimitur in capitulo isto. Et de hoc notatur infra, de concess. praeben., cum nostris; et infra, de praeben., cum olim.

Providendi
Cum dicitur in litteris, auctoritate nostra provideas in aliqua ecclesia tuae diocesis, etiam si curam habeat animarum. Ber.

X 1.03.41 *Ab excommunicato qui*

Concilii generalis
Infra, de sent. excom., sacro.

Ad excommunicatorem
Sed quare remittitur ad ipsum, cum iam inique processerit contra ipsum, et ideo suspectus est ei? Ad hoc dicas quod haec est forma et consuetudo ecclesiae, quod si aliquis conqueritur se excommunicatum iniuste fuisse, sive contra debitam formam concilii generalis, si periculum non est in mora, remittitur absolvendus ad suum excommunicatorem, infra, de sent. excom., sacro. Et in hoc defertur ipsi excommunicatori, ut factum suum ipse corrigat, qui veritatem ignorare in proprio facto non debet, ut hic dicit, et infra, de offi. ord., ad reprimendam. Et forte ad verecundiam suam ut suum proprium factum corrigat et emendet, quod quidem potest infra, de accusat., qualiter et quando 1; et infra, de elect., nosti; et 35. q. 9, quod quis. Sed potius parcitur ei ex eo quod ipsemet absolvet, maius esset ei opprobrium si alius factum suum corrigeret, nec debet etiam expectare ut ab aliis corrigatur, in Auth. de nupt., in fi., coll. 4; et ideo dicit, licet in hoc deferatur eidem. Et quia per simplicem querimoniam retulit hoc ad superiorem, et non per appellationem remittitur ad excommunicatorem, si enim appellasset, non remitteretur ad excommunicatorem, infra, de sent. excom., per tuas; nisi vellet superior ei facere gratiam, ut in dicto capitulo infra, de sent. excom., per tuas. Et hoc in ordinario, secus in delegato quando ab ipso appellatur, tunc non remittitur ad delegatum. Sed quid de causa principali, numquid ipse idem potest cognoscere de hoc? Ita quidam ex quo non appellavit, debuit enim appellare, et sic esset exemptus in totum, arg. infra, de appell., ad haec si in; et infra, se appell., proposuit. Et ita suspensus vel excommunciatus minori excommunicatione potest absolvere excommunicatum, infra, de sent. excom., sacro; et suspensus suspensum, infra, de sent. excom., duobus, ubi de hoc. Si vero iudex iste certus est quod iuste processit, non absolvet illum, quia delegatus cum de hoc constiterit, remitterit illum ad suum excommunicatorem, ut eius mandato pareat. Quid de principali quaestione? Dic ut in ultima notula dicitur.

Exequantur
Isti non possunt absolvere illum nisi post terminum elapsum assignatum ipsi excommunicatori, alias non teneret absolutio, sic infra, de appell., ut debitus.

De facto suo certus esse
Et sic videtur quod non licet alicui factum proprium ignorare, et hoc verum est nisi habuerat probabilem causam ignorantiae, 34. q. 2, in lectum; arg. 1. q. 1, si quis a simoniacis. Alias ignorantia proprii facti non excusat, quia non est versimile, quod quis ignoret vires patrimonii sui, C. de rescind. vend., quisquis, et hic. Sed in facto alieno tolerabilis est error vel ignorantia, ff. pro su., usucapio. Et hoc verum est si probabilis est, sed crassa et supina ignorantia in facto alieno non excusat, 16. dist., quod dicitis; et 12. q. 2, qui et humanis; et infra, de postul. praelat., ad haec. In talibus non requiritur quod sit nimis diligens et curiosus, nec nimis negligens, ff. de iuris et fact. ignor., nec supina. De hac materia nota 1. q. 4, turbatur § notandum. Arg. est hic quod in notoriis nullae sunt partes iudicis, nisi quantum ad sententiam.

Cognitio
Tamen antequam cognoscant utrum iuste vel iniuste sit excommunicatus, debet absolvi si hoc petierit, praestita cautione et iuramento quod parebit mandatis ecclesiae, infra, de offi. deleg., cum contingat; et postea isti delegati cognoscent utrum fuerit excommunicatus contra statuta concilii generalis, et si invenerint quod iuste fuerit excommunicatus, aut servata fuerit forma concilii, remittent illum ad suum excommunicatorem, ut eius mandato pareat super causa pro qua fuerit excommunicatus, infra, de offi. deleg., prudentiam, vers. fi. Et hoc quod diximus debet statim absolvi antequam cognoscatur, verum est nisi adversarius obiiciat quod non debet statim absolvi, quia fuerit excommunicatus pro manifesta offensa, vel quia non paret rei iudicatae, ff. de rei vend., qui restituere; et infra, de offi. deleg., quaerenti; quo probato non absolvetur nisi satisfaciat, infra, de verb. sign., ex parte in Christo; et infra, de verb. sign., cum olim; et infra, de sent. excom., extravag. solet, in decretali nova. Si vero invenerint quod iniuste fuerit excommunicatus, tunc delegati isti cognoscent de causa illa pro qua fuerit excommunicatus.

X 1.03.42 *Si proponente aliquo*

Minus competens
Sed videtur quod hoc obesse non debeat, quia huiusmodi modica non nocent. Modica enim res non inducit simoniam, infra, de simon., etsi quaestiones; et 1. q. 1, iudices; et modicum damnum de facili toleratur, 12. q. 2, bonae rei; et modica potest episcopus alienare, 12. q. 2, terrulas; nec pro modico restitutio datur, ff. de in int. rest., scio; et pro modico nec plus nec minus, de conse. dist. 2, re vera; nec pro modico datur actio de dolo, ff. de dolo mal., si oleum, in fi. Sed contrarium videtur, quia fraudulentur tacuisse videtur, ut citius litteras impetret, et quae in fraudem fiunt, imputantur, supra, de rescript., super litteris. Praeterea iste recipiendo modicum beneficium sibi praeiudicavit, unde quaerat sibi victum ex artificio suo, 91. dist., clericus victum. Quia ex quo semel placuit, amplius displicere non potest, 32. q. 5, horrendus. Et unusquisque in ea vocatione maneat in qua vocatus est, 70. dist., sanctorum. Et exemplo Apostoli faciat dicentis: ad

omnia quae mihi opus erant ministraverunt manus istae, 21. q. 1, clericus. Immo non est aliquis instituendus nisi tantum sibi assignetur, quod sibi providere et episcopalia iura persolvere possit, infra, de praeben., de monachis. Planum est enim quod tenetur inde facere mentionem, alias non valerent litterae, et sic solvitur hic quaestio illa quae ponebatur infra, de praeben., cum teneamur. Sed adverte quod dicit in principio: si aliquo proponente se nullum beneficium ecclesiasticum assecutum. Si ita quis modicum habens beneficium significet Papae sine dubio mentitur, et ideo nullum commodum debet habere de litteris, supra, de rescript., super litteris; quia in fraudem tacet modicum beneficium. Sed si aliquis diceret ita domino Papae, supplicat sanctitati vestrae talis pauper clericus, ut in tali ecclesia beneficium ei conferre dignemini, numquid valent tales litterae? Quia tacuit de modico beneficio, et tamen verum dixit, quia pauper est in veritate. Ista forma non videtur contradicere huic decretali, quia non dicit se habere vel non habere beneficium. Dici potest adhuc quod non valent, quia semper videtur tacere in fraudem beneficium, licet modicum, ut citius litteras obtineat simpliciter se pauperem clericum appellando, quia per hoc intelligit Papa quod nullum habeat beneficium. Quidam dicunt quod bene valent, quia non dicit se nullum, sed pauper beneficium habere, infra, de praeben., dilectus filius 2; et bene dicunt quod non est necesse, quod de modico teneatur facere mentionem, supra, de rescript., postulasti.

De hoc mentionem

Nota ergo quod qui habet modicum beneficium, nihilominus tenetur inde facere mentionem, et multae conditiones aliae subintelliguntur sine quibus litterae non valent. Si est clericus, infra, de transact., ex litteris. Item si non habeat aliud beneficium, supra, de rescript., cum adeo. Item si vult residere in ecclesia, infra, de cleri. non residen., relatum. Item si est dignus, supra, de rescript., cum adeo; et infra, de elect., causam quae. Item si ecclesia tot potest sufficere, infra, de instit., non amplius; et infra, de instit., auctoritate; et infra, de vit. et honest. cler., quoniam; et supra, de consti., cum M. Item si de terra illa est oriundus, 71. dist., hortamur; et C. de episc. et cler., in ecclesiis; et infra, de cleri. peregri., te nobis. Si habet perpetuam vicariam quae sufficiat sibi, supra, de rescript., postulasti. Item si ad mandatum Papae alius sit receptus, supra, de rescript., ab excommunicato; supra, de rescript., abbatem; supra, de rescript., litteris. Vel si quam aliam iustam habeat excusationem, supra, de rescript., si quando, unde potes notare versus: clericus indigena dignus pauper residensque // Redditus ut pateant scriptis sunt ita necesse.

X 1.03.43 *Quia nonnulli diversis*

Sub nomine suo

Sex vitia in hoc capitulo reprehenduntur. Primo reprehenduntur illi qui litteras suo nomine impetratas aliis eiusdem nominis tradunt, et qui eas tali modo recipiunt. Item et illi qui trahunt ad iudicium illos contra quos nil habent quaestionis. Et qui litteras ad futura extendunt negotia, quae nondum erant tempore impetrati rescripti exorta. Item qui super uno negotio trahunt reum ad diversos iudices, vel etiam trahunt reum super pluribus personalibus actionibus coram diversis delegatis, quae sub uno iudice commodius tractarentur. Item et reus qui eodem tempore trahit actorem ad diversa loca, vel indeterminate ad villam, quae habet commune nomen cum pluribus villis. Omnes istae

personae quae malitiam istam exercent carere debent commodo litterarum, et in expensis sunt puniendae, et hoc dicit decretalis.

Eiusdem nominis

Tali malitiae obviandum est, et potest de facili obviari ut proprium nomen cum cognomine in litteris apponatur. Et huiusmodi generalitas nominis removeatur, ita quod de persona contenta in litteris constet, arg. ff. si cert. pet., certum. Et tam isti qui litteras tradunt, quam qui modo tali recipiunt, eodem reatu criminis involvuntur; simile infra, de restit. spol., saepe; et infra, de alienat. mut. iud., ex quorundam; et infra, de alienat. mut. iud., ex parte; et infra, de iudic., quia V.

Quaestionis

Et isti quidem recte puniuntur qui calumniose trahunt alios ad iudicium, quia debent expelli, et in expensis condemnari, infra, de poeni., calumniam; et ff. de iud., cum quem temere; infra, de dolo et contum., extravag. actor, in decretali nova Inno. iiii.

Ad futuras trahunt controversias

Sed videtur quod hoc quidem fieri possit, quia rei quae nondum est potest constitui servitus, ff. de servitu. urb. praed., si servitus § futuro aedificio; et ff. si serv. vend., si qua; ff. de servitu. rust. praed., Labeo. Sed contra, res quae nondum est accusari non potest, infra, de despon. impub., ad dissolvendum. Et id de quo agendum est primo in rerum natura debet esse, ff. de iure cod., quidam referunt § 1; et collegio quod nondum est non datur privilegium, infra, de eccl. aedif., ad audientiam 2; et praedio quod nondum est, etc.; ff. comm. praed., aedificia. Nec potest dici verum quod numquam fuit, de poen. dist. 2, in fi. Praeterea decretum ipso iure nullum est quod est datum de ea re quae adhuc in controversia non est, ff. quod cui. univ. nom., item eorum § si decuriones. Ergo recte dicit quod rescripta ad futura negotia non trahuntur, quod verum est per iura praedicta in contrarium signata, et arg. bonum ff. de aur. arg. leg., si ita.

Super uno negotio

Hoc planum est, quia debet commodo carere utriusque rescripti, supra, de rescript., ex tenore; et in expensis puniri, ut hic in fine dicit. Immo videtur quod debeat causam perdere sicut ille qui petit servum in diversis iudiciis perdit causam, C. de assert. toll., lites § ulti. Quia ubi coepit iudicium ibi debet finiri, infra, de for. compet., proposuisti; et ff. de iud., ubi.

Personalibus actionibus

Et in hoc obviandum est eorum malitiis, quia malitiis hominum non est indulgendum, supra, de rescript., sedes; ff. de rei vend., in fundo. Et malitia satis apparet, si illum quem pro talibus actionibus commodius potest trahere coram uno, trahit illum ad diversos iudices, quia quasi unum negotium est, et perinde habetur ac si super eodem negotio traheret illum ad diversos iudices, immo videtur quod omnes illas personales actiones possit proponere in eodem libello, C. de annal. except., si ex multis. Sed etiam processus per tales litteras habitus non valet, ut in decretali Inno. iiii infra, de rescript., extravag. dispendia; secus in realibus, ut nota in dicto capitulo infra, de rescript., extravag. dispendia.

Per varias litteras
Secus si coram ordinario, quia si pro una personali actione conveniatur coram delegato, pro alia personali poterit conveniri coram ordinario, ut videtur. Alii contrarium dicunt. Sed si coram pluribus ordinariis quis trahatur, idem credo quod in delegatis. Et idem videtur si coram delegato et ordinario trahatur, quia eadem causa videtur.

Ad diversa loca
Per hoc quod dicitur, ad diversa loca, videtur quod possit reus trahere actorem ad unum locum certum et determinatum, quod videtur hic innui, et quod possit habes supra, de rescript., pastoralis, 2. resp.; et infra, de offi. deleg., prudentiam § ulti. Sed contra C. de sent. et interloc. om. iud., authen. et consequenter, ubi dicitur quod reus actorem ad iudicem alium trahere non debet, sed coram eodem, nisi tunc demum lite finita. Respondeo quod reus bene potest trahere actorem ad iudicem alium pendente priori iudicio, quasi ad unum non prohiberetur. Sed actor habet exceptionem, ne reconveniatur a reo coram alio iudice, nisi lite finita, et nisi admittatur talis exceptio, tenebit appellatio, si interponatur per authenticam praedictam C. de sent. et interloc. om. iud., authen. et consequenter. Et ita per exceptionem suspenduntur litterae rei usque ad litem finitam, et si non excipiatur, bene potest procedere contra illum actorem. Dic super hoc ut dicit illa decretalis Inno. iiii infra, de rescript., extravag. dispendia; et infra, de mut. petit., prudentiam.

Vel indeterminate
Quod esse non debet, quia certus locus providendus est, alias intelligeretur de illo loco ubi iudicare consuevit, ff. de iud., si locus; ff. de recepti., si cum dies § si arbiter; arg. C. quom. et quan. iud. sent. prof., si ut proponis. Generalitas enim parit obscuritatem, ff. de iure fisc., ita fidei; quia deliberare non potest, infra, de appell., significantibus. Et nimia generalitas reprobatur, infra, de dolo et contu., ex litteris. Et perinde est ac si nullum locum statuisset, arg. ff. de interrog. act., de aetate § nihil. Etvagari non licet cum alterius damno, ff. de iniuri., praetor. Et in tali casu teneret appellatio, sicut ibi, et infra, de appell., significantibus; et infra, de libel. oblat., dilecti. Et ubi in aliquo loco nominis eiusdem haberet habitationem, et non in aliis, tunc debet intelligi de illo loco, ubi quandoque habitat.

Expensis ac damnis
Et merito debet istorum malitia puniri in expensis et damnis alteri parti, supra, de rescript., caeterum; et infra, de dolo et contu., ex litteris; infra, de appell., ut debitus. Sed quis puniet eos, cum isti non habeant iurisdictionem, et non possunt illos punire? Ordinarius non potest illos punire, quia in hoc nullam habet iurisdictionem. Quidam dicunt quod ordinarius illos punire debet. Mihi videtur quod isti iidem iudices poenam istam debent imponere super expensis et damnis in hoc saltem habent iurisdictionem, ut de precum veritate cognoscant, et poenam imponant, ut hic videtur, quod eodem modo intelligitur, supra, de rescript., caeterum, ubi est arg. quod secundi iudices debent hanc poenam imponere. Ad hoc est opp. arg. supra, de rescript., super litteris, in fi.; et infra, de appell., ut debitus. Et si hoc non fecerint iudices, dummodo petitum fuerit ab eis de sua substantia, illud detrimentum restituere compelluntur, C. de iud., sancimus. Et

poterunt isti iudices conveniri coram ordinario vel delegato condictione ex illa lege C. de iud., sancimus. Sed quod isti iudices quibus huiusmodi litterae diriguntur non possint, videtur per decretalem praedictam infra, de dolo et contu., ex litteris, ubi primi iudices condemnant, et non secundi. Sed illud ideo fuit quia coram primis iudicibus obiiciebatur de secundis litteris ab altera parte impetratis, non facientibus expressam de prioribus mentionem. Unde primi iudices consuluerunt Papam quod iuris esset, et respondet prout patet in littera, scilicet, quod ipsi primi iudices condemnent partem alteram in expensis propter dolum suum, alias secundi deberent imponere poenam illam, si coram ipsis fuisset exceptum de primis, et remittere partes ad primos, ut sic illi iudices poenam istam imponant coram quibus excipitur, vel quia in litteris secundis continetur quod primi hoc faciant. Alias secundi debent condemnare, quia si diceretur quod isti iudices quibus litterae huiusmodi diriguntur hoc facere non possent, per hoc lites ex litibus orirentur, quia pro eisdem expensis oporteret eos iterum litigare, unde tutius est et melius quod hoc faciant, ut per hoc malitiis istorum per poenam huiusmodi obvietur.

X 1.04 DE CONSUETUDINE

X 1.04.01 *Consuetudines*

Consuetudines
Hoc capitulum intelligitur de onerosa consuetudine, et quae multum laedit, et est radix extirpanda, 8. dist., mala consuetudo; et 12. q. 2, bonae rei; et 12. dist., omnia. Nam consuetudo debet esse rationabilis et non contra utilitatem ecclesiae, infra, de his quae fi. a maior. par. cap., cum in cunctis; et infra, de re iudic., cum causa; et infra, de consuet., ad nostram; et infra, cum venerabilis. Quando autem consuetudo praevaleat iuri, et quando non, dicetur infra, de consuet., cum tanto.

X 1.04.02 *Ex litteris*

Religiosis
In his enim quae religiosis locis relinquuntur, non requiritur solemnitas testamentorum, infra, de testamen., cum esses; et infra, de testamen., relatum est 1; secundum canonicam aequitatem et favorem religionis.

Consuetudinis
Praedictae, quae laudabilis est, unde est servanda, infra, de simon., ad Apostolicam. Ex quo aeque puniri debet transgressor laudabilis consuetudinis, sicut transgressor legis, 11. dist., in his. Huiusmodi donatio valeret, etiam si consuetudo super hoc non esset.

Signum
Sic annulus signum est investiturae, infra, de his quae fi. a maior. par. cap., ex ore. Et investitura est signum traditae possessionis, infra, de dona., per tuas. Item annulus est signum matrimonii, infra, de praesump., illud; et 30. q. 5, feminae. Sic etiam restitutio instrumentorum est signum renunciationis, infra, de renunciat., sane; et infra, de pact., cum pridem; et C. quae res pign. oblig. poss., cum constet; et melius, ff. de pacti., Labeo. Secus est si restituat pignus, ff. de pacti., postquam. Sic etiam res non apprehenditur, et

tamen possessio transfertur, ut per claves, ff. de acq. poss., clavibus. Item per instrumentum fit donatio, C. de donation., emptionum. Visu etiam transfertur possessio, ff. de acq. poss., quod meo § si venditorem. Item si rem meam penes te depositam tibi vendidi, Inst. de rerum div. § interdum. Item cum quis etiam rem suam vult possidere nomine alterius, ff. de rei vend., quaedam. Nec etiam semper in acquirenda possessione necessarius est actus corporalis, unde sufficit affectus aliquo actu interveniente, ff. de acq. poss., possessio appellata § antepe., et hic, licet lex dicat quod possessio acquiritur corpore et animo, non altero tantum, C. de acq. poss., licet. Ita quod rei apprehensio per se vel per alterum sit necessaria, ff. de acq. poss., quemadmodum; et ff. de acq. poss., qui universas. Hoc tamen scias quod licet ecclesia non apprehendat possessionem rei sibi collatae, dominium tamen nihilominus adipiscitur, quod non est in privato, C. de rei vend., servum; C. de sacro. eccl., ut inter divinum. Unde versus: visu sive rei mutuatae venditione // clavibus et chartis mea si conduco scienter // quamvis non aliter detur possessio transit.

X 1.04.03 *Ad nostram audientiam*

Insipientibus
Id est, minus sapientibus. Nec istud est inconveniens, quia quandoque revelatur minori quod maior nescit, C. de off. rect. prov., potiores; et 95. dist., esto subiectus, in fi.; et 24. q. 3, si habes. Ber.

Quaeritur
Non prohibetur hic quin a pluribus requiratur, quia facilius invenitur quod a pluribus et sapientibus quaeritur, 20. dist., de quibus; C. de fideicomm., quaestionem, ad fi. Quoniam illiterati quandoque habent causarum peritiam, C. de iud., certi iuris; et in Auth. de iudicib. § quia vero, coll. 6. Sed hoc solum reprobatur hic quod eorum responsum pro sententia teneatur, cum alias sententia a non suo iudice lata sit nulla, C. si a non comp. iud., et in privatorum; et infra, de iudic., at si clerici.

Canonicis
Et sic non valet consuetudo contra canonicam constitutionem, infra, de offi. archidiac., cum satis; infra, de re iudic., cum causa; et quae gravamen inducit, supra, de consuet., consuetudines. Arg. contra, infra, de cau. poss., cum ecclesia Sutrina; et ff. de admin. tut., sine herede § penulti. Ista contrarietas expedietur, infra, de consuet., ex parte; et infra, de consuet., cum tanto.

Iudice
Sic 2. q. 1, in primis; infra, de iudic., at si clerici; infra, de paroch., nullus; et C. si a non comp. iud., si militaris; et C. si a non comp. iud., si de proprietate. Et hoc verum est nisi in causa reconventionis, ut 3. q. 8, accusatores § cuius in agendo. Vel nisi ex certa scientia aliquis consentiat in iudicem non suum, ff. de iuris., si per errorem; et ff. de iud., consensisse; vel nisi vocatus venire contemnat, infra, de appell., si duobus. Sed hoc non habet locum in clericis, qui non possunt in alium iudicem consentire sine licentia sui praelati vel iudicis, infra, de for. compet., si diligenti; et infra, de for. compet., significasti, ubi de hoc dicetur.

X 1.04.04 *Quanto de benignitate*

Reservata
de conse. dist. 5, manus; et de conse. dist. 5, de his; 68. dist., quamvis corepiscopi. Arg. contra, 45. dist., pervenit, ubi presbyteri chrismabant in fronte. Sed illud ad tempus Gregorii concessit propter scandalum de speciali indulgentia, et isti sacerdotes nihil conferebant, ut dicit in fine, quia hoc ex delegatione Papae non faciebant, et ideo pro non dato habetur, quod ab illo donatur qui de iure donare non potest, infra, de iure patron., quod autem, in fi.; et 1. q. 7, Daibertum; et C. de legi. et const., non dubium. Arg. contra infra, de sacram. non iter., pastoralis. Sed ibi collatum fuit sacramentum ab eo qui potuit, sed mandatur solummodo suppleri, quod fuerat praetermissum. Sed numquid Papa posset hoc delegare sacerdotibus? Videtur quod sic, per illud capitulo 45. dist., pervenit. Alias Gregorius decepisset eos. Sed si Papa prohiberet sacerdotem chrismare, post prohibitionem suam nihil conferret, si postea chrismaret. Episcopi vero, licet ipsi possint chrismare, non possunt aliis inferioribus demandare, qui hoc ex officio facere non possunt. Sed alii episcopi vel archiepiscopi possunt hoc facere in diocesi alterius episcopi de ipsius licentia. Episcopi enim ea quae sunt iurisdictionis, ut puta iudicare, excommunicare, et similia, committere possunt aliis etiam non habentibus iurisdictionem. Ea vero quae sunt ordinis episcopalis et auctoritatis, non possunt demandare, aut etiam delegare aliis qui sunt inferioris gradus, infra, de consecr. eccl. vel alt., aqua. Arg. huius decretalis videtur quod Papa non possit hoc delegare simplici sacerdoti. Sed Papa non subiicitur legibus, ff. de legib., princeps; 9. q. 3, cuncta. Unde potest committere simplici sacerdoti, ut in dicto capitulo 45. dist., pervenit.

Ad excusandas
16. q. 1, praedictor.

Consuetudinem
Et male, unde dixit Martinus Zamorensis: Composito lacte foetenti quaeso cibate, qui putas exclusum crimen per temporis usum. Et hoc verum est ubi consuetudo non est praescriptabilis, infra, de simon., non satis; et infra, de eo qui dux. in matr. quam pol. per adult., cum haberet; 32. q. 7, flagitia. Et non debet esse melior conditio furis propter furti continuationem, ff. de fur., inficiando § infans.

Ex necessitate
In hoc fuit necessitas, quia cum civitas Constantinopolitana capta esset a Venetis et aliis Latinis, pauci episcopi et presbyteri Latini erant ibi qui hoc facerent. Et ideo isti sacerdotes hoc faciebant, et Graeci non chrismabant in fronte, et in multis aliis discordabant a Romana ecclesia, a cuius obedientia se subtraxerant, infra, de maior. et obed., inter quatuor; et infra, de bapt. et eius effect., licet.

Omittere
Sic enim de corpore Christi fieri debet, 24. q. 1, coepit. Sed in baptismo quod est ianua omnium sacramentorum, secus est. Melius enim ab haeretico illud recipere, quam sine

illo decedere, dum tamen in forma ecclesiae conferatur, 24. q. 1, si quem forte; et supra, de summ. trin. et fid. cath., firmiter, in fi.

X 1.04.05 *Cum inter vos*

Interdictum
Quod dicatur generale interdictum habetur infra, de verb. sign., cum in partibus.

De consuetudine
Nota quod nec praescriptio nec consuetudo prodest in hoc casu, ut hic dicit, et est simile infra, de elect., cum causam; et infra, de consuet., cum venerabilis. Nec contra obedientiam, ut 18. q. 2, abbatibus; et infra, de praescrip., cum non liceat. Nec contra procurationem, quae ratione visitationis debetur, infra, de praescrip., cum ex officii. Sicut nec valet transactio in hoc casu, et in huiusmodi spiritualibus, infra, de transact., praeterea quando. Nec permutatio rei spiritualis potest fieri cum temporali, infra, de rerum perm., exhibita. Arg. contra infra, de privileg., cum olim propter; et infra, de capell. monach., dilectus; et infra, de censib., sopitae; et infra, de praescrip., de quarta; et infra, de praescrip., auditis. Non sunt contraria, ibi non praescribitur contra obedientiam, nisi tanto tempore fuissent sub dominio Papae vel alterius ecclesiae. Et tunc non dicuntur praescribere, sed potius praescribi. Et praeterea illa infra, de praescrip., de quarta; et illa infra, de praescrip., auditis, nihil dicunt de obedientia, sed in aliis articulis et casibus loquuntur. Et sic patet quod ubicumque sit aliquid contra ecclesiasticam disciplinam sive nervum ecclesiae, non habet locum praescriptio.

X 1.04.06 *Cum olim Londonensis*

Statuere
Et sic onerosam dignitatem potest episcopus removere de ecclesia sua cum suis canonicis, dum tamen confirmatio Papae accedat, supra, de consti., cum accessissent.

Concessimus
Per hoc videtur quod nova dignitas in ecclesia constitui non potest sine licentia Papae, 22. dist., omnes; et C. de off. praef. praet. Afric., quas gratias § optamus. Ergo ut omnes iudices secundum voluntatem et timorem Dei, et nostram electionem et ordinationem, etc. Et hoc ideo, quia si una dignitas constituitur, oportet quod alia minuatur, arg. 99. dist., nullus; et 99. dist., nulli. Sed hoc non est verum. Arg. infra, de eccl. aedif., ad audientiam 2; et 12. q. 2, bonae rei; et ff. de oper. pub., opus. Item datur privilegium dignitati, sed non est contra illud, infra, de eccl. aedif., ad audientiam 2; et supra, de rescript., quia nonnulli. Sicut nec servitus datur praedio quod nondum est, ff. comm. praed., actiones. Arg. contra ff. de servitu. rust. praed., Labeo; et ff. de servitu. urb. praed., si servitus § futuro. Sed non procedunt ista, quia non datur privilegium dignitati quae nondum est, sed dat Papa auctoritatem constituendi dignitatem ecclesiae Londonensi. Inno. iiii dixit in apparatu suo quod episcopus cum capitulo suo potest novam dignitatem constituere. Contrarium credo.

Praeiudicium
Intelligas enorme, quia pro modico non dimitteret, arg. 12. q. 2, bonae rei; et infra, de dona., Apostolicae. Sed melius ut sonat littera, quia illae concordantiae intelliguntur de rebus episcopalibus, et hic ipse episcopus modicum damnum potest pati, ut aliquid conferat dignitati alii non compelluntur dare de suo, nisi iusta causa interveniret constituendi illam dignitatem.

In sessionibus
Hoc ideo dicit, quia secundum dignitatem suam honorandus est aliquis in sede, infra, de maior. et obed., statuimus; 17. dist., episcopos; et in subscriptionibus, ff. de alb. scrib., decuriones; et ff. de alb. scrib., in albo; ut in sententiis ferendis, ff. de decur., spurii; et in aliis suffragiis, arg. 25. dist., perlectis.

In Anglicanis ecclesiis
Hoc est cum eadem consuetudo in aliis erat ecclesiis Anglicanis, illa servaretur, arg. infra, de elect., cum ecclesia. Si vero diversae essent consuetudines, consuetudo metropolitanae ecclesiae servanda est, 12. dist., de his. Vel quod verius est, quod melius servari posset sine praeiudicio aliorum, ut dicit in fine, arg. 12. dist., novit.

Illam
Sed videtur quod minorem ex quo ita indistincte dicit, arg. ff. de leg. 3, nummis; infra, de censib., ex parte. Immo videtur de mediocri, ff. de aedil. edict., sciendum tamen § illud; et ff. de aedil. edict., si quid venditor, in fi.

Sine praeiudicio alieno
Arg. quod licet privilegii verba generaliter loquantur, non tamen sunt interpretanda in praeiudicium aliorum, infra, de translat., licet, in fi.; et infra, de offi. ord., licet; et infra, de auctor. et usu pal., ex tuarum. Item arg. quod in dubio recurritur ad consuetudinem vicinarum ecclesiarum, infra, de cognat. spir., super eo; et infra, de censib., super eo, ubi de hoc dicitur expresse; ff. de instruc. vel instrum., cum de lanionis § asinam molendinariam, in fi., ff. de regul. iur., semper in stipulationibus; et 12. dist., novit. Item arg. quod in obscuris semper interpretatio ita debet fieri ut nulli sit captiosa, ff. de regul. iur., quotiens; et infra, de consuet., cum dilectus; arg. 4. dist., erit autem.

X 1.04.07 *Cum venerabilis frater*

Migrasse
Sicut abbas subiectus episcopo non debet sine licentia episcopi renunciare, 18. q. 2, abbas pro humiliatione. Nec etiam alii clerici, ut infra, de renunciat., admonet. Sic abbas subiectus tantum Papae renunciare non potest sine ipsius licentia, etiam si sit insufficiens, infra, de renunciat., dilecti, decretali Gregorii ix. Sed videtur quod esset utraque privandus, 7. q. 1, si quis episcopus; et infra, de translat., quanto. Utrum toleratus fuerit vel repulsus ab utraque hic non dicit, sed forte propter illam consuetudinem fuit toleratus; simile infra, de elect., quod sicut § super eodem.

Consuetudinem
Quae forte fuit quod statim cum sint electi, sine aliqua confirmatione administrant, renunciant, et transeunt ad alias dignitates sine licentia Papae, quod esse non debet, infra, de elect., qualiter; et infra, de renunciat., dilecti. Ex generali tamen dispensatione praelati, qui subsunt tantum domino Papae nullo medio statim postquam sunt in concordia electi, administrant qui sunt valde remoti, infra, de elect., nihil est. Ratio quare hoc fiat redditur, scilicet, ne ecclesia interim patiatur tam in temporalibus quam in spiritualibus laesionem.

Consuetudo
Alias tamen consuetudo attenditur in electionibus, arg. 12. dist., nos consuetudinem; et infra, de cleri. coniug., cum olim; et infra, de caus. poss. et propr., cum ecclesia; et 24. q. 1, pudenda; et ff. de decur., non tantum.

X 1.04.08 *Cum dilectus*

Cum dilectus
Cum ageret Guil. iste super iure eligendi abbatem, habebat mandatum a capitulo et vacante ecclesia, sed quantum ad petendam confirmationem electionis suae, agebat ex persona sua iure suo sibi acquisito per electionem sic, infra, de in integ. restit., cum venissent, in notula, et sic videtur ubi de hoc. Ber.

De iure
18. q. 2, abbatem cuilibet; et 18. q. 2, abbatem in monasterio; et 18. q. 2, quam sit; et 16. q. 7, congregatio; infra, de caus. poss. et propr., cum ecclesia.

Eligendi
Lex dicit quod monachi debent iurare eligere abbatem, quem sciunt fide rectum, vita castum, et qui monasterio valeat utiliter providere, in Auth. de sanct. episc. § iubemus igitur abbatem, coll. 9. Quod hodie non servatur, sed secundum formam illius constitutionis, infra, de elect., quia propter, eligere debent, si secundum illam volunt eligere.

Constitutum
Licet episcopus possit subiicere unam ecclesiam alteri, ut infra, de excess. praelat., sicut, non tamen credo quod possit statuere quod una ecclesia eligat de alia clericis invitis, quia hoc esset contra ius commune, ut 17. q. 4, quicumque vult; et 18. q. 2, abbatem; et infra, de iure patron., nobis. Quia pacto privatorum ius publicum non tollitur, infra, de for. compet., si diligenti; infra, de testamen., requisisti. Nec aliquis ius publicum remittere potest aliquibus cautionibus, nec mutare antiquitus formam constitutam, ff. de admin. tut., quidam decedens. Et ideo Papa postea interpretatur statutum, tamen ius istud praescribi potest, ut quis teneatur eligere de certo loco, ut hic patet, et infra, de verb. sign., abbate. Et sic patet quod minus iustus titulus dat causam praescribendi, ut infra, de empt. et vend., pervenit; ff. pro empt., quod vulgo; ff. pro legat., pro legato potest; et ff. pro legat., pro legato usucapit. Et vere videtur iniustus, quia episcopus non potest tollere ius unius ecclesiae et dare alteri, infra, de rebus ecc. non alien., non licet. Sed ex tali

titulo potuit bona fide monasterium Karofensi, et episcopus solummodo concessit monasterio Karofensi quod suum erat, scilicet, confirmationem electionis. Et ita cessante praescriptione solam confirmationem habent, ut probatur per interpretationem Papae, ut infra patet. Satis tamen credo quod in ipsa fundatione possit episcopus cum capitulo constituere de voluntate patroni quod illa ecclesia esset alteri subiecta, et quod clerici instituendi semper eligerent sibi praelatum de maiori ecclesia, et quod dicit supra, quod episcopus non potest facere quod una ecclesia eligat sibi praelatum de ecclesia alia. Hoc intellige quando ecclesiae sunt tam institutae et donatae, et ab invicem distinctae et separatae, quia illud esset contra ius commune, infra, de excess. praelat., ad haec.

Electio
Hic sumitur electio aequivoce pro confirmatione et pro electione, ut infra patet, et hoc verum est si consuetudo non probetur. Sed si probetur, proprie tenetur.

Interpres
ff. de legib., si de interpretatione; et infra, de sepult., certificari. Et tacito consensu per desuetudinem lex abrogatur, ff. de legib., de quibus, in fi.

A suspensis
Suspensus enim non potest eligere nec eligi, ut hic, et infra, de elect., cum inter R; et infra, de aetat. et qualit., cum bonae; et infra, de cleri. excom., postulasti. Nec postulari potest qui non servavit interdictum, infra, de postul. praelat., ad haec, in fi.; nec beneficia conferre, infra, de concess. praeben., quia diversitatem. Sed nonne iudicare et praebendas dare est iurisdictionis? Utique, infra, de elect., nosti. Et excommunicare, infra, de elect., transmissam. Numquid suspensus potest huiusmodi iurisdictionem exercere? Dicunt quidam quod episcopus suspensus potest excommunicare et praebendas dare, et respondent illi decretali infra, de concess. praeben., quia diversitatem, quod ille episcopus erat ab officio suspensus et iurisdictione. Sed dicunt quod canonicus suspensus eligere non potest, quia cum sit suspensus, nihil officii retinet; secus est in praelato. Sed contra istos est 24. q. 1, audivimus. Alii dicunt, et melius, quod episcopus suspensus non potest excommunicare nec interdicere nec dare praebendas, infra, de excess. praelat., tanta. Arg. quamvis hoc potuerit post confirmationem, licet adhuc non sit consecratus. Ratio illa videtur quia plus aufert ei suspensio quam contulerit consecratio, ut dici consuevit, plus tollit negatio quam ponit affirmatio. Nam electus et confirmatus multa potest ex his quae pertinent ad officium episcopale, quae perdit per suspensionem, quia consecratio non multum addit, infra, de translat., inter corporalia. Et est simile sicut maritus post matrimonium consummatum non potest intrare religionem, sed ante potest, infra, de conver. coniug., ex publico. Sic episcopus non confirmatus potest aliqua quae tamen non potest consecratus. Sic vides in alio simile, episcopus in archiepiscopum electus non potest ante receptionem pallii tamquam archiepiscopus clericos ordinare, sed tamen potest antequam sit electus in archiepiscopum, quia hoc non facit ut episcopus, sed ut archiepiscopus, infra, de elect., quod sicut § praeterea. Praeterea beneficium concedere et etiam habere posse competit ratione ordinis, et est eius accessorium, 1. q. 3, si quis obiecerit; et cui interdicitur unum et reliquum, 81. dist., si quis sacerdotum; et 81. dist., eos qui. Praeterea de hac suspensione fuit obiectum et probatum ex eo quod dicit, quia nobis constituit, etc., et licet obiectum a partibus non fuerit, iudex tamen qui debet

electionem confirmare ex officio suo debet inquirere de huiusmodi, infra, de elect., nihil est. Et haec quae dicuntur hic de his suspensis intelliguntur de suspensis ab homine et etiam a canone. Si vero aliquis esset suspensus a canone, puta participando cum excommunicatis, ille talis bene potest eligere et alia facere quae sunt iurisdictionis, sed eligi scienter non potest; haec probantur infra, de cleri. excom., si celebrat. Quia mitius agitur cum lege quam cum ministro legis, ff. de recepti., Celsus. Satis potest dici suspensus posset excommunicare, quia potest absolvere excommunicatum, supra, de rescript., ab excommunicato; infra, de sent. excom., sacro; et infra, de sent. excom., duobus; et quia potest absolvere, potest ligare et econtra cum non sit privatus a communione fidelium, quare non posset privare alium. Et hoc dico de eo qui non est suspensus a iurisdictione, ut suspensus a canone sola participatione. Io. et Laur. hoc concedunt quod suspensus ab officio tantum potest excommunicare et praebendas dare. Et intelligunt illam decretalem infra, de concess. praeben., quia diversitatem, cum erat suspensus ab officio et iurisdictione. Ego autem non credo quod suspensus ab homine possit dare praebendas, ut hic dicitur, licet Laur. et Io. concedant quod possit excommunicare et praebendas dare. Arg. contra posset induci praedictae decretali infra, de cleri. excom., si celebrat, quae tamen intelligitur de excommunicare minori. Melior enim est opinio secunda, quia sicut excommunicatus alium excommunicare non potest, 24. q. 1, audivimus, ita eadem ratione nec suspensus ab homine alium potest suspendere, infra, de excess. praelat., tanta. Ber.

Cassavimus
Id est, cassam nunciavimus, infra, ut lite non cont., accedens 1.

Iure communi
Similem interpretationem habes infra, de fide instrum., inter dilectos, vers. caeterum, ubi enim aliquid a iure communi discrepare videtur. Reducendum est ad ius commune si potest fieri, ne pereat, quia promptum est leges legibus concordare, C. de inoffic. doti., cum omnia. Et Augustinus concordat evangelistas, de poen. dist. 1, periculose. Et etiam testes debent ad concordiam reduci, ne de periurio notentur, infra, de testib., cum tu. Sic enim facienda est interpretatio, ut nulli sit onerosa, et secundum ius, supra, de rescript., causam quae; et infra, de privileg., ex ore; et supra, de consuet., cum olim. Item secundum quod minus est captiosa, ff. de regul. iur., quotiens, in fi. tituli. Et hoc ita verum est quod ad ius commune reducatur si verba illa patiuntur, ut hoc versu, electio eius penes fratres eiusdem loci et capitulum Karofensis, etc. Nam a verbis privilegii non est recedendum ubi certa sunt, infra, de privileg., porro; et infra, de decim., ad audientiam. Ubi enim verba non sunt ambigua, non est locus interpretationi, ff. de leg. 3, ille aut ille. Sed ubi sunt dubia, necessaria est interpretatio.

Praeiudicet
Praescripta videlicet, quoniam alia non prodest, infra, de caus. poss. et propr., cum ecclesia. Quae consuetudo iuri praeiudicet, et quae non, dicetur infra, de consuet., cum tanto.

X 1.04.09 *Cum consuetudinis ususque*

Cum consuetudinis
C. quae sit long. consuet., consuetudinis; et infra, de consuet., cum tanto, et ibi exponitur; et 11. dist., consuetudinis.

Consensu
Bene dicit consensu, quia sine ipsius consensu obtento hoc facere non possunt. Sed videtur quod non teneantur habere consensum, dummodo consilium et tractatum cum eo habeant, arg. infra, de arbitr., cum olim. Sed hoc non est verum, quia illud obtinet ex forma arbitrii, immo episcopus et canonici unum corpus et unum collegium sunt, ita quod ipse caput et ipsi canonici membra, infra, de his quae fi. a prael., novit. Et est expressum quod si aliquibus mandetur, ut cum consilio aliquorum aliquid faciant, eorum consilium expectare tenentur, nec sufficit quod tantum requiratur, infra, de elect., cum in veteri.

Vel novas
Novitates enim sine causa inducendae non sunt, quia lex dicit quod in rebus novis constituendis evidens debet esse utilitas, ff. de constit. princ., in rebus. Arg. supra, de consti., cognoscentes. Et reprehenduntur qui novitates inducunt, 11. dist., quis nesciat.

X 1.04.10 *Ex parte*

Indigena
Id est, inde genitus.

Prodigalitatis vitio
Quod se esset virtutem saepe mentitur, 41. dist., saepe. Prodigus est quod dat danda et non danda. Avarus qui tenet tenenda et non tenenda. Largus medium tenet inter utrumque. Unde versus: prodigus est animi vitio retinenda profundens. // Qui retinet cupide et aes deposcit avarus // largus qui sumptum facit ex ratione libenter. Sed non videtur quod huic sit subveniendum, quia culpa sua et vitio incidit in egestatem, ff. quod metus cau., si mulier; 86. dist., non satis. Et dignum est ut male meriti egestatem laborent, ff. deposi., bona fides. Taliter enim non fuerat subveniendum huic ratione praemissa, et cum alterius laesione, sed eleemosynam dare possumus, ne pereat, 86. dist., pasce fame morientem, etc.

Incuria
Id est, negligentia. Et ideo ei non est subveniendum, quia vigilantibus et non negligentibus iura subveniunt, infra, de rerum perm., cum universorum; et infra, de dona., inter dilectos; ff. ad Velleia., et primo § verba. Quia stultis non consuevit subveniri, sed errantibus, ff. de iuris et fact. ignor., regula § si quis ius; et C. si min. se maior. dix., si is. Et utilius esurienti panis tollitur, quam si securus de cibo iustitiam negligat, 5. q. 5, non omnis; et 23. q. 4, nimium sunt. Et ideo talis consuetudo merito reprobatur.

Alienat
Quod de iure fieri non debet, ff. de fund. dot., fundus; et ff. de fund. dot., lex Iulia. Nec etiam propter delictum mariti bona mulieris sunt distrahenda, C. ne uxo. pro marit., frustra; C. ne uxo. pro marit., ob maritorum; et C. ne uxo. pro marit., cum te

possessiones; C. ad leg. Iul. de vi pub. vel priv., ob debitum; et infra, de pignor., ex litteris. In casu tamen quandoque distrahuntur bona mulieris pro viro, ut in causa primipilarii bona mulieris pro marito obnoxia sunt fisco, si omnia bona mariti exhausta sunt, C. in quib. caus. pign., satis. Nec valet alienatio fundi dotalis, etiam si mulier consentiat, C. ad Velleia., authen. sive a me; et in Auth. ut immob. ante nupt. don. § si proprie, coll. 5. Sed si iuraverit non contravenire, tenet venditio, infra, de iureiur., cum contingat; si sine vi et dolo praestitum sit iuramentum sponte. Constante etiam matrimonio in tali casu, cum incipit vergere ad inopiam mulier potest repetere dotem, C. de iure dot., in rebus; et C. de iure dot., ubi.

Bonis
Et etiam dotem suam propter adulterium perdere debet, C. de iure dot., si dotem; et C. de adulter., libertatem; et infra, de do. inter virum et uxorem, plerumque, ubi de hoc.

Observandas
Iuri contrarias, ut dictum est. Per primam consuetudinem invitabantur viri ad dissipandum bona sua, per alteram mulieres proniores erant ad committendum adulterium, arg. ff. de pac. dotal., convenire. Talis compensatio non est admittenda.

X 1.04.11 *Cum tanto sint*

Diutius
Infra, de simon., cum in ecclesiae; et infra, de eo qui dux. in matr. quam pol. per adult., cum haberet.

Naturali iuri
Quod immobile perserverat, 5. dist. § sed cum ius naturale; 25. q. 1, sunt quidam. Et hoc verum est quantum ad praecepta vel prohibitiones quae moralia sunt, et non mutantur, ut non occides, non furtum facies, honora patrem, etc., 6. dist., non est § his itaque. Et naturalia quidem iura immutabilia sunt civilia vero mutabilia, Inst. de iure natural. § sed naturalia; infra, de cons. et affin., non debet. Et ideo nulla consuetudo praevalet contra ius naturale, etiam si omnes homines de mundo contra facerent, 32. q. 7, flagitia; cuius ignorantia neminem excusat, 1. q. 4, turbatur § notandum; et ibi nihil interest in vitio decipere vel decipi, 16. q. 1, si cupis; et de ignorantia dicitur quod qui ignorat, ignorabiliter, 37. dist., ideo § ut itaque. De ignorantia iuris naturalis et civilis tractatur in summa, 1. q. 4 § notandum; et ibi recurrendum est.

Vilis auctoritas
Sed quaeritur de qua consuetudine hic intellexit Gregorius. Si dicis de bona consuetudine illam nulla ratio sive ius vincit, immo aequiparatur ei, 11. dist., in his. Si de mala, de illa non potest dici quod non sit vilis. Super hoc dicunt quidam quod principium istius § debet intelligi de bona consuetudine, et finis de mala, et ita diversimode intelligunt. Sed haec non fuit intentio legis unde § iste sumitur, C. quae sit long. consuet., consuetudinis; et ideo inepte dicunt. Alii pro maiori parte exponunt litteram istam, non tamen est adeo valitura, ut iuri positivo debeat praeiudicium generale, supplent generaliter non praeiudicat iuri, sed in eo loco praeiudicat iuri ubi consuetudo servatur. Et iste intellectus

planus et facilis est. Sed de hoc nulla dubitatio est quod consuetudo unius loci iuri positivo generaliter praeiudicet omnibus locis. Et ideo sic debet intelligi lex illa quam habes 11. dist., consuetudinis. Quamvis particularis consuetudo non est vilis, non tamen praeiudicat iuri positivo, nisi fuerit rationabilis et legitime sit praescripta. Et haec expositio reprobet duas primas opiniones, quas facit hic Gregorius in fine, et sic intellige 11. dist., consuetudinis.

Rationabilis

Et quam consuetudinem dices rationabilem? Illam dico rationabilem, quam non improbant iura, infra, de caus. poss. et propr., cum ecclesia; et supra, de consuet., cum dilectus; et infra, de verb. sign., abbate. Ut si quandoque admittantur aliqui ad electionem ad quos non pertinet de iure communi, et de alio collegio, ista consuetudo non improbatur a iure, ut dicunt iura praedicta, et illa est rationabilis, quod tantum capitulum eligat canonicos sibi, et alios inferiores praelatos irrequisito episcopo, infra, de elect., cum ecclesia. Vel episcopus solus hoc faciat, infra, de his quae fi. a prael., ea noscitur; licet de iure unum corpus sint, infra, de his quae fi. a prael., novit. Et de iure communi deberet fieri ab omnibus communiter ab episcopo et canonicis, ut quandoque fit infra, de concess. praeben., postulastis. Et illam dicerem rationabilem quod absentes non vocentur ad electionem, ut in multis locis contingit, ut in Tuscia et in multis ecclesiis. Et huiusmodi consuetudines legitime praescribuntur, ut patet per praedicta exempla. Illam dico generaliter rationabiliter quae non obviat canonicis institutis. Irrationabilis est quae improbatur a iure, qualis est illa infra, de instit., ex frequentibus; supra, de consuet., consuetudines; et supra, de consuet., cum inter; et infra, de re iudic., cum causa. Et generaliter ubi aliquid sit contra nervum ecclesiasticae disciplinae sive libertatem, infra, de elect., cum terra; et infra, de elect., sacrosancta; et infra, de elect., Massana.

Legitime sit praescripta

Spatio quadraginta annorum, infra, de caus. poss. et propr., cum ecclesia; et infra, de praescrip., auditis. De hoc potestis habere multa iura, ea enim solum locum habent in rebus ecclesiasticis, 16. q. 3, placuit ut § quas actiones. Ad hoc ergo ut consuetudo iuri communi praeiudicet, requiritur primo quod rationabilis sit, et quod sit praescripta, ut hic, et infra, de caus. poss. et propr., cum ecclesia; item quod ex certa scientia et non per errorem sit inducta, ff. de legib., quibus, in fi. Et quod sit tale ius quod possit praescribi. Nam quaedam sunt quae non possunt praescribi, saltem a laicis, infra, de praescrip., causam quae; et infra, de praescrip., cum ex officii; et infra, de praescrip., cum non liceat; et quod non sit contra ius naturalem, 32. q. 7, flagitia; vel saltem quod sit observata in contradictorio iudicio, ff. de legib., cum de consuetudine; et infra, de verb. sign., abbate. Item requiritur quod sis usus illa consuetudine sive vicibus illis quibus usus es eo animo ut intendas, sive credas te ius habere, et ut in posterum id facias, ff. de itin. act. priv., praetor ait § Iulianus recte ait; et ff. de itin. act. priv., si per fundum; alias non prodest, ut ibi dicitur. Et sic solae vices non inducunt consuetudinem, quia non exemplis sed legibus iudicandum est, C. de sent. et interloc. om. iud., nemo. Sed secundum consuetudinem talem bene iudicaretur, ut dictum est, ff. de legib., nam imperator. Item requiritur quod maior pars populi usa sit ea consuetudine ad hoc, ut secundum illam iudicetur. Quia sicut minor pars populi non posset inducere legem, ita nec consuetudinem. Item et illa consuetudo praeiudicat iuri, cuius non extat memoria hominum, 3. q. 6, haec quippe; et

infra, de verb. sign., super quibusdam § 1; et ff. de aqua quot. et aest., hoc iure § ductus aquae; et ff. de aqua pluv. arc., in summa § idem Labeo; et ff. de probation., si arbiter. Et sic videtur quod difficile sit probare consuetudinem et praescriptionem. Sed quam differentiam facis inter consuetudinem et praescriptionem? Illa potest assignari, ut quidam dicunt, quod ubi consuetudo praetenditur, admitti posset probatio in contrarium, ut probetur indebitum fuisse quod consuevit percipi. Arg. a contrario C. de agric. et cens., litibus, lib. 11. Sed ubi praescriptio est, non admittitur probatio in contrarium ad probandum indebitum fuisse. Arg. a contrario infra, de praescrip., si diligenti, ubi dicitur quod bona fides et iustus titulus requiruntur, et ibi dicitur quando exigitur titulus et quando non, C. de pigner. act., nec creditores. Item qui petit aliquid sibi deberi vel fieri ex consuetudine, debet allegare causam petendi. Et tunc sufficit probare solum tempus, licet non probet causam. Et tunc non admittitur probatio in contrarium, et secundum hoc non videtur differentia inter consuetudinem et praescriptionem, quia in prasecriptione quandoque probatur titulus. Ita dicunt quidam quare solum tempus non est causa inducendae obligationis sicut nec tollendae, ff. de act. et oblig., obligationum § placet. Et haec opinio magis placet secundum Io. Alii dicunt quod sola consuetudo sufficit etiam sine causa. Arg. infra, de caus. poss. et propr., cum ecclesia, ubi de hoc. Ubi vero aliquis est in possessione percipiendi aliquid, et ei quaestio movetur, tuendus est in possessione quousque probetur contrarium, scilicet, indebitum, quia possidet ratione consuetudinis, 16. q. 4, volumus. Nisi vi, precario, seu clam possideat, tunc qui dedit sua auctoritate potest revocare, ut 10. q. 3, quia cognovimus; infra, de instit., cum venissent. Item in alio potest esse differentia inter consuetudinem et praescriptionem, quia consuetudo quandoque debet esse obtenta contradictorio iudicio populi, praescriptio vero non. Item quia in consuetudine requiritur quod maior pars populi utatur illa, ut dictum est, in praescriptionibus non requiritur. Sic ergo intellige quod consuetudinis non est vilis auctoritas, tamen non vincit ius positivum. Illa particularis consuetudo in eo loco ubi est consuetudo, nisi fuerit rationabilis et legitime, tunc bene vincit ius, et ei praeiudicat concurrentibus praedictis in ea praescriptione. Sed secundum hanc decretalem satis sufficere videtur, si consuetudo solummodo sit rationabilis et praescripta. Ber.

X 1.05 DE POSTULATIONE PRAELATORUM

X 1.05.01 *Ad haec*

Appellatum
Quae appellatio non tenet nisi causa iusta fuerit allegata, infra, de elect., cum nobis, in princ.; et infra, de appell., ut debitus.

Non negavit
Per hoc videtur quod confessio procuratoris domino praeiudicet, infra, de capell. monach., dilectus; et de re iudic., suborta; sicut et confessio advocati, infra, de censib., cum olim; et infra, de appell., cum causam. Contra ff. de interrog. act., si sine § si defensor; alias est lex ille § si defensor; et ff. de confes., certum § penulti. Quando confessio procuratoris sive factum praeiudicet ipsi domino dicitur infra, de caus. poss. et propr., cum olim; et infra, ut lite non cont., ad hoc, ubi ponitur haec materia.

Allegans
Haec allegatio bona videtur, quia quilibet praesumitur ignorans nisi probetur sciens, ff. de probation., verius. Et decretum non ligat ignorantes, ff. de decr. ab ord. fac., municipii; et 82. dist., proposuisti, circa fi.; et arg. supra, de consti., cognoscentes. Immo non sufficit denunciare procuratori, ff. de pet. hered., item veniunt § petitam. Sed non est ita, quia cum publice sententia illa fuerit promulgata, eam ignorare non potest neque debet, et praesumitur eam scire, 12. q. 2, qui et humanis; et 16. dist., quod dictis; arg. ff. de institut. act., sed et si § proscribere; et arg. infra, de praesump., quanto. Ubi enim allegatur ignorantia circa ea quae plerique sciunt et quae publice fiunt, non creditur ei nisi hoc probetur, infra, de elect., innotuit, vers. nec probare cogimus, etc.; et infra, qui matrim. acc. poss., cum in tua; et infra, de sent. excom., si vero aliquis; 34. q. 2, in lectum. Sed ubi circa ignota allegatur ignorantia, non cogitur probare ignorantiam, ff. de admin. tut., hoc autem.

Publice promulgaverit
Sufficit edicta proponi in publico, etsi ad citatum non perveniat, arg. infra, de dolo et contu., causam quae; arg. ff. de damn. infect., dies § toties; et C. de annal. except., ut perfectius; et C. de iud., properandum § et si quidem. Nec obstat ff. quae sent. sine appel., illud § item cum ex edicto. Quia ibi edictum non fuit solemniter propositum, et ideo non excusatur nisi probaretur contrarium, ut dixi in glossa haec allegatio. Immo videtur sufficere quod per solam famam ad ipsum pervenerit, infra, de sent. excom., cum desideres § secundae quaestioni. Et si dubitaretur quia solummodo per famam intellexit, in tali dubio debuit potius servare sententiam interdicti, quam ecclesiastica sacramenta postea pertractere, infra, de cleri. excom., illud.

Solemniter editur
Ut expresse legitur in Auth. ut fact. novae const., circa princ., coll. 5, ubi dicit quod post duos menses nullus habet excusationem si vellet ignorantiam allegare, nisi ut dicitur in illa glossa haec allegatio.

Canonica
16. dist., quod dictis.

Terram propriam
Bona fuit interpretatio cardinalis, quia cum dicimus servum suum vel ipsius, domino damus actionem, et cum dicimus in alterius locum, de domino intelligendum est, ff. de rel. et sump. fun., locum § in locum. Hic tamen large sit interpretatio ad omnes terras quae tunc regi adhaerebant praestando auxilium, et est simile ff. de ver. sig., liberorum; sicut excommunicatio extenditur ad illos qui praestant auxilium excommunicato, infra, de sent. excom., nuper; et infra, de sent. excom., si concubinae.; vel quia terra illa erat de iurisdictione ipsius, licet proprietas regis non esset. Et ideo regnum totum propter contumaciam suam fuit suppositum interdictor, infra, de offi. deleg., sane quia; et infra, de spons., non est; et infra, de iudic., novit.

X 1.05.01 Ad haec (rev. 9/23)

Interpretatus
Nota quod legatus interpretatur mandatum dominum Papae. Arg. contra, infra, de sent. excom., inter alia; et 11. q. 1, sicut § ex his omnibus; et C. de legi. et const., si imperialis; et infra, de iudic., cum venissent, de hoc ibi solvitur. Unde nota quod quaedam interpretatio est generalis et necessaria et redigenda in scriptis, ut principis, ut dicunt iura hunc signata in contrarium. Alia est generalis et necessaria, sed non est in scriptis redigenda, ut consuetudines, ff. de legib., si de interpretatione; supra, de consuet., cum dilectus, et hic similiter. Alia non est generalis, sed necessaria, et in scriptis redigenda, ut iudicis, ff. de legib., non possunt; arg. ff. de legib., nam ut ait. Quod possit iudex interpretari sententiam suam est arg. ff. de iud., Paulus, ubi potest supplere quae desunt sententiae, sic et interpretari sicut praetor potest, ff. de praet. stipul., in praetoriis. Et alia est quae nec generalis, nec necessaria, nec redigenda in scriptis, ut magistrorum, C. de prof. urb. Const., grammaticos, lib. 12. Interpretatio principis ius facit quo ad omnes, supra, de consti., quoniam.

Metropolitanam
12. dist., de his.

Inobedientiam
23. q. 6, schismatici.

Ulcisi
Immo potius deberet parcere cui sanctitas ignoscendi gloriam dereliquit, C. de episc. et cler., si quis in hoc. Unde actum fuit de Caesare versus: Qui vincis semper ut victis parcere possis. // Parcere prostratis scit nobilis ira leonis.

Obedientia
2. q. 5, quanto.

Contemptus
Nam facilitas veniae incentivum tribuit delinquendi, 23. q. 4, est iniusta; et infra, de vit. et honest. cler., ut clericorum.

Canonicas sanctiones
28. dist., quia sunt culpae. Et quia maleficia impunita remanere non debent, infra, de sent. excom., ut famae; et ff. ad leg. Aquil., ita vulneratus; et ff. de solut., Stichum § tametsi.

Personam
Et hoc ideo quia vitium fuit materiae et non artificis, ff. ad leg. Aquil., si servus § si calicem. Et ita habes hic quod qui non servat interdictum ineligibilis est, nec potest postulari. Et posset dici quod est irregularis et suspensus, ideo nec eligere debet, nec excommunicare, nec beneficium conferre potest, quia claves ecclesiae contemnit, infra, de excess. praelat., tanta, ubi est hoc expressum.

Postulastis
Postulo te primo si consentire licebit. Consentire nego nisi te bene postulo primo. Forsitan indignus et turpi crimine laesus. Sic aliter possem primo post iure carere. Si minus est dignus, tunc me poscente tuetur.

Privare
Ergo fuit constitutum in concilio Lateranensi, infra, de elect., cum in cunctis, ut qui scienter indignum elegerint, eligendi ea vice potestate noverint se privatos. Et ad postulationem extenditur, ut hic, et infra, de elect., bonae 1, in fi. Et hoc ideo est quia per postulationem pervenitur ad electionem, arg. supra, de consti., nam concupiscentiam; et ff. de sponsal., oratio. Secus tamen est cum postulatur illegitimus ut dispensetur cum eo vel legitimetur, 56. dist., Cenomanensem; et infra, de elect., innotuit.

Possemus
Id est, privati essetis.

Concedimus
Per officium iudicis et de gratia, non de rigore. Contumaci enim et delinquenti potest iudex remittere poenam de gratia, ut infra, de offi. deleg., consuluit, ubi dicit, nisi per gratiam ei benignitas iudicantis subveniret, et infra, de offi. legat., nisi specialis. Bene dicit, concedimus, quia quod non poterat de iure communi, concedit eis per privilegium, ut patet in capitulo sequenti.

X 1.05.02 *Gratum gerimus*

Cassata
Supra, de postul. praelat., ad haec.

Cassatam
Id est, non admissam.

Niterentur
Postulando eundem Altissiodoro, et male, quia ex quo alicuius electio vel postulatio cassatur vitio personae, non est assumendus ad eandem, infra, de elect., super eo.

Pauciores
Hic patet quod si maior pars delinquit in electione eligendo vel postulando indignum, electio devolvitur ad alios, licet numero pauciores, infra, de elect., bonae 1; et infra, de elect., cum in cunctis; et infra, de elect., cum Wintoniensis. Sed quid si omnes delinquunt praeter unum, numquid ille unus poterit eligere? Videtur quod sic, quia universitas remanet in uno, sive ius universitatis, ff. quod cui. univ. nom., sicut municipum, in fi.; et 65. dist., si forte. Et dicit lex hominibus coactis, sic accipere debemus ut sive unus solus vim fecerit, sive etiam hominibus coactis. Quantum enim ad verba non refert an solus vim faciat, an hominibus coadunatis, quia adhuc non deficiunt verba, ff. vi bon. rapt., ait praetor § homines. Sic sive unus solus sit sive plures, ille potest eligere. Io. dicit quod unus solus non potest eligere, et in eo solo non potest ius

illud retineri. Arg. inducit ad hoc, infra, de elect., nullus; et 10. q. 3, unio; et ff. de ver. sig., Neratius. Quia cum duo sive tres faciant collegium, qui debent sibi eligere praelatum, non potest hoc esse in uno cum iam desinat esse collegium, sicut grex desinit esse si unum tantum animal remansit de grege, ff. de leg. 1, si grege; et ad hoc inducit etiam 65. dist., si forte. Quin si unus solus episcopus remaneret in provincia, debet ipse alios convocare ad consecrandum electum, ut infra, de elect., bonae 2. Tu dicas quod unus solus potest eligere, et ius eligendi remanet in uno solo per iura primo inducta. Et iura inducit Io. non contradicunt. Primo illud, 65. dist., si forte, non contradicit, quia ipse solus non potest aliquem consecrare, immo ad minus debent esse tres, et est de substantia consecrationis, ita quod alias non esset consecratus, 66. dist., porro, ubi forma consecrationis traditur, sed ad illa sola, quae solus facere potest, non vocabit alios. Et illa decretalis infra, de elect., bonae 2, non contradicit, quia cum prima electio non esset nulla ipso iure, immo ille H., qui solus eligit, secundo eam poterat confirmare, ut infra, de elect., quod sicut. Non debuit procedere ad secundam nisi prima cassata, quod si fecisset, debebat postea solus eligere, ut videtur propter culpam illorum. Sed in casu illo dicit Io. quod non devolvitur potestas eligendi ad contemptum. Sed tunc quando eligunt indignum, satis potest dici quod propter talem contemptum non devolvitur ius eligendi ad contemptum, quia non tantum peccant illi qui contemnunt quantum illi qui eligunt indignum, et sufficit quod cassetur electio, quia non est nulla, in quo casu tantum privati sunt, infra, de elect., cum in cunctis. Sed debent tunc privari per sententiam, sicut quando peccatur in forma infra, de elect., quia propter; et infra, de elect., bonae 2. Alia iura quae dicunt quod desinit esse collegium omnibus mortuis praeter unum, nihilominus ius collegii sive universitatis remanet in illo per legem ff. quod cui. univ. nom., sicut municipum § ulti. Et hoc dicunt Laur., Vincen., et Tanc.

Providisti

De nostro speciali mandato, alias non posset illum transferre, infra, de offi. legat., nisi specialis; et infra, de offi. legat., quod translationem. Et ideo bene dicit, providisti. Non enim debuit dicere, confirmamus, quia nihil est quod confirmaret, cum per postulationem nullum ius acquiritur, infra, de postul. praelat., postulationem. Sed debet dicere superior, postulationem admittimus, vel postulationem vestram non duximus admittendam, infra, de postul. praelat., bonae 1; et supra, de postul. praelat., ad haec.

X 1.05.03 *Bonae memoriae G.*

Bonae memoriae

Consuetudo est in ecclesia Ravennate quod mortuo archiepiscopo significant hoc Papae, sed de ipsis mandato eligunt. Aliter sine mandato eius eligere non est moris.

Curavimus allegare

Sic ergo patet quod iudex potest supplere quae advocatus omisit sicut Papa hic supplet, et C. ut quae des. advoc., non dubitandum. Et de iure debet supplere et non de facto, nisi tale sit factum, quod iam sit ei notum ut iudici, prout dicit dominus Azo. Alii etiam dicunt, sicut Placen., quod etiam de facto, et inducunt ad hoc ff. de pet. hered., filius. Sed primum verius est quod de tali facto supplere tantum debet, quod est ei notum tamquam iudici, arg. C. de appellat., ampliorem, in fi., 1. resp.; et est arg. Inst. de action. § si

minus; ff. de aedil. edict., bovem § aliquando. Et debet supplere ut iudex sedendo et non standо, ne advocati officium sumat, C. de postulan., quisquis; inducendo legem vel decretum vel decretalem. Invenio quod quandoque iudex supplet altera parte absente, C. de temp. appel., tempora § ulti.; et C. de appellat., ampliorem, in princ. Sed utraque parte praesente supplere non debet, nisi in casu propter publicam utilitatem repellendo militem a procuratione. etiam tacente altera parte, ff. de procur., filiusfamilias § veterani; et C. de procur., militem. Et lex quam inducit Placen., ff. de pet. hered., filius, non obstat, quia potius consulitur illi iudicis officio quam iure ordinario. Et est simile ei quod dixi de milite. Nam iudex ex officio suo, si scit aliquem excommunicatum publice, ipsum debet repellere ab agendo, etiam si ab adversario non excipiatur, infra, de except., exceptionem. Et sic officio iudicis consulitur adversario, sicut in ff. de pet. hered., filius. Et hic Papa supplet ex officio suo, et infra, de elect., cum nobis, ubi de hoc dicitur, quare in hoc casu officium iudicis locum habet.

Generali

Arg. quod Papa et cardinales curam et sollicitudinem gerant pro statu ecclesiae generalis, et imperator ut subiecti quiete vivant noctes ducit insomnes, in Auth. ut iudic. sine quoq. suffr., in princ., coll. 2; et idem dicit, voluntarios labores appetimus ut quietam aliis praeparemus, in Auth. ut divin. iuss. subscr. hab. glor. quaest., in princ., coll. 3; infra, de restit. spol., extravag. frequens; et infra, de except., venerabilem.

Communem

Et ita publica utilitas praefertur privatae, 7. q. 1, scias; et ff. pro soc., actione § Labeo; et C. de caduc. toll., et nomen § penulti.; et in Auth. de restitut. et ea quae par. § ea enim quae communiter, coll. 4. Et hoc verum est cum in communi utilitate privata includitur, sicut sit in praelatura. Alias quilibet debet propriam utilitatem praeferre communi, arg. 19. q. 2, duae sunt; et 19. q. 2, inquit; et 33. q. 5, si non licet; arg. C. de servit., praeses; et ff. de recepti., licet.

In tanta divisione

Ad hoc enim ut postulatio praeiudicet electioni, requiritur ut numerus postulantium sit duplo maior numero eligentium, infra, de elect., scriptum. De hoc tamen dicas secundum quod nota infra, de elect., scriptum, in glossa quae incipit, hic dicit Papa. Videtur tamen quod minima pars eligentium deberet praeferri multis postulantibus, quia postulantes soli gratiae innituntur, ut hic. Sed eligentes iure communi iuvantur, similiter et electus, sed hoc non est verum. Nam patronus laicus in praestando soli gratiae innititur, 16. q. 2, si quis episcoporum; et tamen iniuria fit praestando si non admittatur, 16. q. 7, decernimus; et infra, de iure patron., pastoralis. Gratia ergo fit postulato si admittatur, iniuria si repellatur, ff. de aqua quot. et aest., ait praetor § penulti.; unde non solum postulato, sed postulantibus fit iniuria si postulatus est idoneus, et repellitur, ff. qui satisda. cog., si vero, in fi. Alia ratio potest melior assignari quam huiusmodi videatur, licet eligentes nitantur iuri, et postulantes gratiam non debent praeferre electores ex quo sunt minima pars capituli, quia numquam tenet electio nisi fiat a maiori parte capituli, infra, de elect., ecclesia vestra 1; et infra, de elect., Cumana. Ita tamen quod maior pars non peccet, ut ex hoc ipso iure privetur, quia tunc valet electio minoris partis capituli, supra, de postul. praelat., gratum.

Gratia
Hoc ideo dixit, quia per huiusmodi postulationem sive gratiam, ius non acquiritur postulato, infra, de postul. praelat., postulationem. Et ideo quia gratia est, non compellitur praelatus concedere postulatum, 63. dist., litteras; in Auth. de sanct. episc. § nullus, coll. 9. Si tamen iusta causa exigit, debet compelli per superiorem, ut illum concedat, infra, de iure patron., nullus. Item indirecte quodammodo compellitur illum concedere, si est idoneus, quia tenetur ei providere in consimili beneficio, infra, de iure patron., pastoralis. Item idem superior istum potest concedere vel repellere, quia non tenetur ei facere gratiam, nisi velit, quia nemo invitus de suo cogitur facere beneficium, 10. q. 2, praecariae. Non igitur quicquid iudicis potestati permittitur iuris necessitati subiicitur, ff. de iud., non quicquid; arg. infra, de offi. deleg., consuluit. Sic ergo patet quod in huiusmodi postulationibus implorandum est officium iudicis, et non iuris actione agendum est, ut supra, de postul. praelat., ad haec, vers. fi.; et infra, de in integ. restit., per totum; et Inst. de off. iudic., per totum. Iudicis enim officium proponitur pro actione, cum deficit actio, infra, de offi. iud., iudicis. Sed non proprie imploratur iudicis officium in casu isto, sed potius gratiam debent implorare a superiore. Ber.

Qui vocem
Hoc ideo dicit, quia forte erant aliqui eligendi potestate privati, infra, de elect., cum Wintoniensis; vel quia omnes sunt vocandi qui ius habent eligendi, infra, de elect., quod sicut.

Nominationem
Nominatio canonica potest dici quando omnes concordant in aliquo ineligibili assumendo, et vadunt ad eum a quo petendus est consensus, et requirunt eius consensum, ut cum ipso dispenset. Et haec potest dici nominatio canonica, quae non potest dici postulatio proprie, quia postulatio solemniter debet fieri, quia talis nominatio satis similis est postulationi, immo quasi idem est, unde dicit postulationem seu nominationem.

X 1.05.04 *Bonae memoriae G.*

Consulissetis
Ipsum postulando.

Eis contemptis
Et ideo cassanda erat electio, si verum dicebant, infra, de caus. poss. et propr., cum ecclesia; et 63. dist., obeuntibus; et infra, de elect., quod sicut; et infra, de elect., venerabilem; et infra, de elect., bonae 2.

De gratia
Si hoc esset quod de gratia vocati essent, nec ius, nec aliquod commodum sibi acquisiti fuisset, infra, de verb. sign., abbate; et 10. q. 3, quia cognovimus; et C. de servit., si quas; et ff. de aqua quot. et aest., ait praetor, 1. resp. Unde ipse qui dedit potest revocare, et illos ulterius non admittere, ut 10. q. 3, quia cognovimus; et C. de agric. et cens., litibus, lib. 11; ff. de aqua quot. et aest., ait praetor § Aristo; et ff. de aqua quot. et aest., ait

praetor § Trebatius. Nec tali datur restitutio, quia non dicitur spoliatus, cum non possederit, sicut ille qui sub conditione possidet, infra, de restit. spol., olim causam. Consulo tamen alicui facienti gratiam ut hoc protestetur, nec praesumat sibi ius creare in posterum, ut 7. q. 1, pontifices; et infra, de iure patron., ex litteris; et infra, de iure patron., consultationibus; arg. infra, de elect., Cumana. Praeterea qui non est de collegio, et dicit se debere interesse electioni, debet exprimere quo iure debeat interesse, infra, de elect., constitutis. Unde isti satis videbantur excludendi.

Certiores

De modo postulandi et de persona postulata an sit idonea, dicitur infra, de elect., nihil est, ubi dicitur quod de idoneitate personae sit quaerendum.

Diffidere

Arg. quod si praelatus diffidat de iure suo, debet dimittere rem quam tenet, infra, de simon., per tuas 1, in fi.; 54. dist., generalis, in fi.; quia bonam fidem agnoscere debet, ff. mand. vel cont., Quintus Mucius, 1. resp. Sed hoc verum est si de iure proprio diffidat, quod tantum suam tangit personam, sed si diffidat de iure ecclesiae constituat alium defensorem nomine ecclesiae. Arg. ff. de negot. gest., at qui natura § cum me absente. Et nota quod diffidentia iuris permittit variare ubi non est ius alteri acquisitum, ut hic, et infra, de postul. praelat., bonae 2; et infra, de elect., quod sicut; nisi praesentatio iam facta esset superiori, ut infra eodem capitulo; et infra, de elect., quod sicut. Sed hic poterat variare de licentia Papae; alias non, cum postulatio iam esset praesentata, ut infra sequitur, vel nisi iam publicatio scrutinii fuerit facta, infra, de elect., publicato. Si vero ius est alteri acquisitum, licet diffidant, variare non possunt in eius praeiudicium, infra, de elect., cum inter canonicos, in fi. Quia nemo potest mutare consilium suum in alterius praeiudicium, ff. de regul. iur., nemo.

Temere

Ideo dicit, temere, quia alii appellaverant et perseveraverant in proposito suo, nec poterant variare etiam si alii non appellassent, cum iam postulationem suam communiter factam praesentaverant domino Papae approbandam vel improbandam. Et ideo temere faciebant; alias possent variare, ut videtur, cum per huiusmodi postulationem nullum ius sit alicui acquisitum, infra, de postul. praelat., bonae 2, nisi iam publicato scrutinio vellent etiam mutare suam postulationem, quia nec tunc variare possunt, infra, de elect., publicato; ut dixi in prima notula; nec est contra 63. dist., quanto, quoniam ibi elegerant indignum, vel ibi non erant duae partes capituli ad faciendum electione.

Contra formam mandati

Et ideo non valuit, supra, de rescript., cum dilecta; ff. mand. vel cont., diligenter; et infra, de elect., cum in veteri.

Consuetudine

Idem esset ac si essent in quasi possessione eligendi, infra, de iure patron., consultationibus; et infra, de caus. poss. et propr., cum ecclesia; et infra, ut lite penden., a memoria; infra, ut lite penden., laudabilem; infra, ut lite penden., ecclesia 1; et infra, ut lite penden., ecclesia 2. Vel ideo dicit hoc, quia ex quo non sunt de capitulo, debet

apparere an habeant ius eligendi, et dicere quo iure sunt admittendi, infra, de elect., constitutis.

Alioquin
Id est, si non providerent intra terminum praefixum.

Viduatae
Si canonici negligunt sibi eligere episcopum infra tres menses seu monachi abbatem, transfertur potestas eligendi ad proximum superiorem, infra, de elect., ne pro defectu; in aliis inferioribus praelaturis, sive beneficiis infra sex menses, infra, de concess. praeben., nulla.

Antequam
Si nondum receperant secundas litteras, non debuit cassari quod legitime factum erat, infra, de restit. spol., audita; et ff. mand. vel cont., si mandassem; et supra, de rescript., ex parte decani. Quare ergo dicit in fine, et si neutra esset postulatio admittenda? Solutio: forte hoc ideo dicit quia utraque postulatio in discordia facta fuit, et postulationes factae in discordia non consueverunt admitti, supra, de postul. praelat., bonae 1. Ista ratio non valet, quia prima facta dicitur in concordia, licet diversis temporibus consentirent, ut dicit in fine, et illa littera sic debet exponi. Et si neutra earum approbanda esset postulatio, id est, quamvis neutram approbare teneremur, quia cum gratia innitantur postulationes potius quam iure, non tenebatur facere gratiam nisi vellet, ut supra, de postul. praelat., bonae 1. Vel dato quod neutra esset facta in concordia, neutra esset approbanda.

Intelligentes
Et male, quia illi non negligebant ius suum, sed insistebant suae postulationi, ut illam facerent concordem iuxta primum mandatum Papae.

Propriis
Quare variare non poterant, infra, de elect., publicato.

Illuderent
Quod esse non debet, infra, de offi. legat., licet; cum hoc ludibrium esset, ut C. de bon. quae liber., cum non solum § ubi; et 61. dist., nullus; et est simile 6. q. 3, denique Suffredus; C. de relat., si quis. Et si dixerit se velle referre, ulterius se intromittere non debet, infra, de appell., intimasti. Sic et in postulatione praesentata superiori, quia quantum ad se illam approbaverunt per praesentationem, infra, de elect., cum inter canonicos, in fi.

Approbanda
De iuris rigore, cum esset in discordia facta.

Alienum
71. dist., hortamur; C. de episc. et cler., in ecclesiis; et ff. de tutor. et curat., divus; nec obstat infra, de cleri. peregri., te nobis; nec obstat infra, de instit., ad decorem, quia illi

erant omnes extranei, et qua ratione illi Veneti instituebantur, eadem ratione et alii, dummodo aliud impedimentum non obsistat.

Honestius
Nam de minori ad maius aliquis est promovendus, 93. dist., legimus, in fi.; et ff. de muner. et honor., ut gradatim; et sic potius de pari ad parem, quam de maiori ad minorem, infra, de translat., licet.

Diversis
Arg. quod si omnes canonici successive conveniant in aliquem, quod ex tali consensu ius illi acquiritur, infra, de elect., quod sicut; ff. de servitu. rust. praed., per fundum. Sed contra videtur 2. q. 6, ei qui § nominationes, sub illo § est quandoque; et infra, de elect., quia propter, in fi.; et infra, de elect., in Genesi.

Pallium
Sed quare debet ei mittere pallium? Nonne habet ipse suum quod personam sequitur, et cum ea sepelietur, infra, de auctor. et usu pal., cum super; infra, de auctor. et usu pal., ex tuarum. Et quod pallium respiciat locum, patet in archiepiscopo, qui renunciat loco archiepiscopali, qui perdit usum pallii, infra, de renunciat., ad supplicationem. Sed numquid successor istius qui transfertur ad ecclesiam, eo ipso quod confirmatur, utetur pallio quod ibi invenietur? Non sine licentia speciali domini Papae, et iniuriam faceret ei si denegaret privilegium, quod praedecessor eius habuit, ff. de aqua quot. et aest., ait praetor § penulti. Ber.

X 1.05.05 *Postulationem*

Nullum
Et ideo possunt ab ea recedere postulantes, nisi iam sit praesentata superior, supra, de postul. praelat., bonae 2; vel nisi publicatio scrutinii iam sit facta, tunc non possunt ab ea recedere, infra, de elect., publicato. Et licet non possint a postulatione recedere, nullum tamen ius adhuc acquisitum est postulato, quo possit petere iure actionis confirmationem. Sed totum dependet ab arbitrio superioris. Et licet gratiam solam debeat petere, tamen iniuriam ei facere videtur si non admittitur per legem, ff. de aqua quot. et aest., ait praetor § penulti.; et non acquiritur per nominationem ius nominato, infra, de elect., quod sicut, in princ. Unde non possunt ab ea recedere, ut ibi dicitur. Sed numquid patronus potest alium praesentare, primo praesentato nondum admisso per episcopum? Non debet illud facere, tamen si secundum praesentaverit et admittatur, secundas obtinebit cum distinctione decretalium quas habes infra, de iure patron., cum autem; et infra, de iure patron., pastoralis.

Idoneos
Qui sciant et possint reddere rationem, 17. dist., multis; et infra, de procurat., alia.

Praesente
Quia causarum merita partium assertione panduntur, C. si per vi. vel al. mod., nec imperiale; et infra, de in integ. restit., tum ex litteris.

X 1.05.06 *Etsi unanimiter*

Permissione

Sic infra, de renunciat., nisi, in fi.; et infra, de translat., inter corporalia, vers. sicut autem. Et ideo sine licentia Papae transire non debet, quia est alteri matrimonialiter alligatus, ut hic dicit, et in illa decretali infra, de translat., inter corporalia. Et tale vinculum dissolvi non potest, nisi auctoritate divina, id est auctoritate illius quem constant esse vicarium Iesu Christi, ut in dicto capitulo infra, de translat., inter corporalia. Et ita patet, quod cum non possit consentire, non potest eligi, sed tantum debet postulari a Papa, supra, de postul. praelat., bonae 2, in princ., ut hic dicitur. Idem est dicendum de quolibet qui est in minoribus ordinibus constitutus, et qui non sit aetatis legitimae, infra, de elect., dudum ad audientiam; et infra, de aetat. et qualit., praeterea; quia huiusmodi personae inhabiles sunt ad eligendum, quia cum non habeant ea propter quae eliguntur, merito eligi non possunt, simile infra, de cleri. excom., si celebrat. Et ideo postulari debent ab eo qui potestatem habet dispensandi cum illis. Idem est dicendum de illis qui alias non sunt idonei, ut illi qui non sunt legitime nati, infra, de elect., innotuit, in fi. Sed idem videtur de quocumque clerico qui promoveri debet ad aliam ecclesiam, et praecipue de alio episcopatu, quia ex toto consentire non potest, nec ecclesiam dimittere sine licentia sui episcopi, ut 7. q. 1, eos; et 7. q. 1, si quis presbyetr; et infra, de renunciat., admonet. Et sic omnes postulandi sunt et pauci eligendi. Dico quod illi qui idonei et legitimi sunt ad eligendum debent eligi, et possunt ad quamcumque ecclesiam sive in sua, sive in aliena, infra, de elect., cum inter canonicos; ibi electus fuit de aliena ecclesia. Et idem credo servandum in postulatione, et si postulatio facta sit in concordia vel a duabus partibus, idem credo. Et si a longe maiori, et praesentata superiori, vel etiam publicatio scrutinii facta sit, non possunt ab ea recedere postulantes, supra, de postul. praelat., bonae 2; et infra, de elect., publicato. Licet nullum ius sit acquisitum postulato ut ex hoc possit agere, sed potest petere gratiam a superiori, et quamvis omnes clerici adstricti sint, ne possint dimittere ecclesias sine consensu episcoporum eorum, nihilominus eligi possunt, quia non est tanta coniunctio inter eos et eorum ecclesias, sicut inter episcopum et ecclesiam, cui est matrimonialiter alligatus, infra, de testamen., requisisti. Sed illud vinculum non est in aliis inferioribus praelatis. Et idem videtur de abbatibus, qui tantum subsunt domino Papae quod de episcopis, scilicet, quod sine licentia Papae vel ipsius legati recedere non possunt, supra, de consuet., cum venerabilis. Dic tamen quod tales abbates etiam exempti sunt eligendi, infra, de elect., extravag. si abbatem. Et laicus eodem modo est postulandus. De hac materia dicitur 61. dist., Osius § sed aliud est. Et nota quod sicut postulandus non debet eligi ita et eligendus non debet postulari, quia non consentiunt postulantes in illum ut in sponsum per postulationem. Vel satis potest dici, quod valeat talis postulatio, quia forte dubitatur utrum sit eligendus vel postulandus, et ita consentiunt in illum, ac si eligeretur. Et si dicunt, eligimus, et postulamus secundum quod de iure melius potest, bene valet quod agitur, sive sit eligendus, sive postulandus. Alias non valet si eligendus simpliciter postularetur, quia quamvis eligibilis sit, non eligitur sed postulatur. Potest dici, quod potuit, noluit, et quod voluit, non potuit adimplere, quia vox, illud, non significat, ff. de reb. dub., in ambiguo; et nullum ius est acquisitum postulato, et superior potest illum admittere vel repellere.

X 1.06 DE ELECTIONE ET ELECTI POTESTATE

X 1.06.01 *Nullus in ecclesia*

Duo
Nota quod duo faciunt congregationem, ut hic; tres collegium, ut ff. de ver. sig., Neratius. Retinetur tamen in uno ius collegii, ff. quod cui. univ. nom., sicut municipum § ulti. Et decem homines faciunt populum, 10. q. 3, unio; et plures quam decem autem quindecim turbam, ff. vi bon. rapt., praetor ait § 1. Et quatuor vel quinque porci, vel decem oves faciunt gregem, ff. de abige., oves. Et quod dicit duo faciunt congregationem, hoc intelligo ubi mortuo praelato plures remanent in congregatione, ad minus duo ut hic dicitur, duo vel tres per id quod sequitur in littera, nisi eorum electione. Ergo non minus, et ita patet, quod ubi tantum est sacerdos, et clericus, ibi non dicitur congregatio sive collegium. Ber.

In congregatione
Tunc enim conventus est electio, infra, de iure patron., nobis; et 16. q. 7, congregatio. Secus si essent ibi plures non tamquam collegium, tunc enim solius patroni est electio, infra, de iure patron., postulasti.

Aliter
Quam per canonicam electione.

X 1.06.02 *Osius episcopus dixit*

Populi
Nota quod ad clamorem populi nullus est eligendus, quia spe aut gratia hoc faciunt, aut pretium inde recipiunt, ut 8. q. 1, si ergo; quia populus sequendus non est, sed docendus, 62. dist., docendus; et 61. dist., miramur. Et vanae voces populi non sunt audiendae, C. de poe., decurionum filii; et arg. ad hoc ff. de appellat., si constet.

Synceram
Caritate informatam.

Corrumpi
Nota hic dubia in deteriorem partem interpretari, infra, de cleri. non residen., non liceat; arg. contra infra, de reg. iur., estote. Hoc ideo fit quia frequentius laici hoc faciunt, et iura ad ea quae frequentius eveniunt adaptantur, 28. dist., de Syracusanae; et 63. dist., noste; et ff. de legib., nam ad ea.

Poenituerit
Quia venia datur nisi contrito et correcto, 24. q. 2, legatur. Et quomodo gaudebis te fuisse correctum, nisi doleas te fuisse perversum, 23. q. 7, quemadmodum; et 50. dist., poenitentes.

X 1.06.03 *Postquam*

Impleantur
65. dist., de persona; et infra, de elect., cum inter universas; et infra, de elect., nihil est; et § ulti.

Conversatus
Nota quod ibi facienda est inquisitio ubi quis conversatur, quia notus est ibi simile 22. dist., illud; arg. infra, de praesump., quosdam; et 24. q. 1, pudenda; et 47. dist., de Petro; et infra, de elect., scriptum. Et qui aliquem purgant, debent notam habere ipsius conversationem, infra, de purg. can., cum P; et infra, de purg. can., cum dilectus; alias non posset de ipsius vita constare. Ber.

X 1.06.04 *Significasti*

Apocrisiariis
Apocrisiarii dicuntur nuncii domini Papae, quasi secretarii. Nam crisis quandoque dicitur secretum, quandoque aurum, quandoque iudicium. Versus: Aurum iudicium secretum dat tibi crisis.

Conditione
Signatur contra 1. q. 2, quam pio. Solutio: conditio ista non est reprobanda, nec simoniam inducit, infra, de pact., pactiones; sed ostendit pallium non aliter esse tradendum. Sicut haec adiectio, si satisdederis, cum praeses provinciae tutorem facit, non habet conditionem sed commonet tutelam non aliter committendam, ff. de tutel., muto § 1. Quia tutor sub conditione dari non potest, quia actus legitimi conditionem non recipiunt, ff. de regul. iur., actus; infra, de elect., extravag. in electionibus; licet posset institui sub conditione a testatore, Inst. quib. mod. tutel. fin. § sed et si. Et tacitae conditiones non faciunt legatum conditionale, ff. de condi. et demon., conditiones. Vel refert a quo apponatur conditio, quia si a superiore, non est simonia. Vel potest dici et melius, quod ius commune est, quod hic exigitur, 18. q. 2, Eleutherius. Et hoc onus annexum est dignitati, infra, de praeben., significatum; et 18. dist., diaconi. Et nota quod superior potest apponere conditionem ante subditi confirmationem, 23. dist., quamquam; et 28. dist., de Syracusanae; sed inferior non potest nisi post electionem, 8. q. 3, Artaldus; et ubi onus rei exprimitur, non est simoniacum, infra, de praeben., significatum. Et praeterea conditiones quae ipso iure insunt bene apponuntur et exprimuntur sine aliquo vitio, de quibus traditur infra, de iureiur., quemadmodum; et supra, de rescript., ex parte Conventrensis.

Oblatum
Sic infra, de simon., etsi quaestiones. Sed quare Papa offert ei pallium, cum pallium non sit dandum nisi fortiter postulanti, ut 100. dist., prisca; sicuti et in litteris demifloriis episcopi, 72. dist., episcopus; sicut nec Apostoli dari debent nisi petantur instanter, 2. q. 6, post appellationem; et infra, de appell., extravag. cordi; et qui praeest, parcissime debet commeatum dare, ff. de re milit., officium § paternus. Sed hic et in illa infra, de simon., etsi quaestiones, dicendum est quod nuncii ipsius prius instanter petierant, ut patet in fine

capituli, et Papa eis per nuncios suos pallium destinavit. Vel voluit eis gratiam facere sine aliqua postulatione, sicut videtur supra, de postul. praelat., bonae 2, in fi.

Pasce oves meas
Per haec verba elegit eum Deus in praelatum, et per haec facit ad titulum.

Statutum
Supple contrarium.

Amplius
Id est, iuramentum.

Enim
Id est, quia, et venit expositive, supra, de consti., translato.

Malum
Id est, incredulitas sive malitia, ut postea sequitur. Sic etiam exponitur malum pro incredulitate, 22. q. 1, non est contra praeceptum.

Illo permittente
Id est, Christo.

Compellit
Compellit nos ut exigamus hoc amplius, id est, iuramentum.

Malo
22. q. 1, ita ergo, in fi.; 2. q. 5, si presbyter; et infra, de iureiur., et si Christus.

Pro fide
Retinenda, quam suscepit, suspectus est in fide, de conse. dist. 2, ego Berengarius; et infra, de haeret., ad abolendam; et infra, de haeret., excommunicamus itaque; et 1. q. 7, quotiens.

Pro obedientia
Exhibenda, 23. dist., quamquam; et infra, de iureiur., nullus.

Pro unitate
Scilicet, servanda, ut schismatici qui scindunt se ab unitate Ecclesiae. Alias pro veritatem scilicet, habenda seu inquirenda, 14. q. 2, quamquam; pro pace iuratur, 22. q. 1, omne quod; infra, de iudic., novit; pro fama, 2. q. 5, presbyter si a plebe; et 2. q. 5, si mala; et infra, de purg. can., per totum; et infra, de cohab. cler. et mul., tua, in fi.; pro damno dato iuratur, 2. q. 1, in primis; et C. und. vi, si quando. In istis sex casibus licite iuratur, unde versus: pax et fama fides reverentia cautio damni. // Defectus veri sibi poscunt magna caveri. Ber.

Aiunt in conciliis
Secunda oppositio.

Non inveniri
Ut iuretur.

Auctoritatem
18. dist., per totum.

Excipiatur auctoritas
3. q. 6, dudum; et 3. q. 6, peregrina. Et in iuramento auctoritas Papae semper intelligitur excepta, supra, de rescript., constitutus; et infra, de iureiur., venientes; et ff. ad municip., imperatores.

Corpore assumuntur
Sed qualiter assumitur de corpore beati Petri? Sic intelligitur, quod de corpore beati Petri, etc., pallium benedicitur et consecratur a Papa super altare beati Petri, et ibi ponitur, et ille qui debet uti pallio recipit ipsum de altari, si est praesens; vel alius pro ipso, si est absens, et sic assumitur de corpore beati Petri.

Iustum est
Arg. quod frustra petit debitum qui quod debet non impendit, infra, de mut. petit., ex litteris; et infra, de mut. petit., prudentiam; C. de sent. et interloc. om. iud., cum Papinianus; et 3. q. 8, accusatores § cuius in agendo; 95. dist., esto subiectus. Arg. contra C. deposi., si quis; et infra, de deposit., bona fides.

X 1.06.05 *Quia diligenti*

Schismate
Octaviani, qui contra Alexandrum erat, et Aquilegiensis patriarcha tunc schismaticus erat. Unde dicit, facias eum consecrari a suffraganeis, salva, etc. Schisma enim interpretatur divisio sive scissura, et est graecum nomen. Unde scissura in unitate ecclesiae esse non potest, et qui schismatici sunt ab eo qui est unum se dividunt, quare Spiritum Sanctum non habent, 24. q. 1, schisma. Inde est quod vestis domini quae unitatem significabat remansit indivisa, 16. q. 7, sicut domini vestimentum.

Susceperit
Quia si ordinam suscepisset, careret effectu et repelleretur a dignitate, nisi probaret se cum ordinaretur ordinatorem nescivisse damnatum, infra, de schismat., quod a praedecessore; et 9. q. 1, ordinationes; sic et qui ordinatur a simoniaco, 1. q. 1, si quis a simoniacis. Et cum talibus quandoque dispensatur, ut hic, et infra, de schismat., fraternitati; et 1. q. 1, si quis a simoniacis. Sed si scivisset, non dispensaretur, ut ibi dicitur in capitulo 1. q. 1, si quis a simoniacis. Et sic schismatici non promoventur sine dispensatione, ut hic dicit, alias esset contra, 12. dist., nos consuetudinem.

Iustitia
Quia per talem consecrationem non fit praeiudicium Aquilegiensis ecclesiae in posterum, supra, de summ. trin. et fid. cath., firmiter, in fi.; et supra, de summ. trin. et fid. cath., damnamus, circa fi.

Reverentia
Quia episcopus consecratus nihilominus debebit facere obedientiam patriarchae cum redierit ad catholicam unitatem. Et est arg. quod protestatio necessaria est in huiusmodi, sic 7. q. 1, pontifices; et 24. dist., presbyteri; et 9. q. 3, salvo. Et huiusmodi protestatio semper necessaria est, ut infra, de iure patron., ex litteris. Item est arg. quod excommunicati vel suspensi omnia iura recuperant post absolutionem, 15. q. 6, nos sanctorum; et 15. q. 6, iuratos; et 3. q. 4, beatus; et 4. q. 1, diffinimus; et 32. q. 5, praeceptum, in fi.; et 6. q. 1, illi qui. Arg. contra 2. q. 3, Enthemium § hinc colligitur; et 3. q. 4, consanguineorum, in fi. Solutio: prima pars vera est et etiam famae restituitur si infamia canonica tantum sit irrogata, arg. 6. q. 1, illi qui.

X 1.06.06 *Licet de vitanda*

Constituta
79. dist., si quis Papa; et 23. dist., in nomine Domini.

Evitandum
Arg. ad cautelam futurorum aliquid faciendum, 23. dist., in nomine Domini; et 1. q. 7, convenientibus; et infra, de serv. non ordin., instruendi; et ff. si serv. vend., harum; et ff. si serv. vend., legi. Arg. contra ff. de usuri., cum iudicio.

Inimico homine
Id est diabolo. Et diabolus dictus est homo ab eventu, quia devicit hominem, sicut imperator dictus est Africanus ab eventu, quia devicit Africam.

Zizania
Syllaba antepenultima longa. Unde versus: neve superveniens zizania seminet hostis. // Frontibus imprimitur unctio sacra dei.

Exceptione
Et sic nulla exceptio potest opponi sibi, nisi de haeresi, 40. dist., si Papa. Alias enim quantumcumque praecise etiam ipse Papa scribat, legitima exceptio est admittenda, infra, de offi. deleg., ex parte tua; et supra, de rescript., si quando; et arg. supra, de rescript., cum adeo; et infra, de praeben., cum teneamur. Et est speciale in Papa ut nulla exceptio admittatur.

Quos
7. q. 1, denique.

X 1.06.07 Cum in cunctis (rev. 9/23)

A duabus partibus

Numquid ille qui eligitur computabitur inter duas partes? Videtur quod sic, infra, de elect., cum in iure; et ff. quod cui. univ. nom., plane. Dic quod non ut notatur infra, de elect., cum in iure; et infra, de sortileg., ecclesia; infra, de elect., Cumana. Tamen quod dicitur in hac decretali de duabus partibus hodie aliquando servant cardinales, aliquando non.

Nullatenus

Quid ergo fiet si nullo modo duae partes consentiant? Tunc brachium saeculare se interponere debet, arg. 17. dist., nec licuit; et 23. q. 5, de liguribus; ita ut cardinales includantur in aliquo loco de quo exire non valeant, donec consenserint. Ita dicitur factum fuisse in electione Honorii iii apud Perusium, et idem fuit factum post mortem Gregorii ix, tamen de iure id faciendum non est.

Maioris

In aliis enim electionibus valet quod sit a maiori parte capituli, dum tamen servetur una de formis illis, infra, de elect., quia propter.

Speciale

Sed non videtur speciale, quia in aliis obtinet quod hic dicitur de duabus partibus, quia non obtinet quod fit ab ordine decurionum, nisi duae partes consentiant, ff. de decr. ab ord. fac., lege; et ff. quod cui. univ. nom., plane. Non contradicunt illa iura, quia non dicitur duae partes debeant consentire, sed quod debeant esse praesentes, et ita est speciale. Vel est speciale habito respectu ad alias electiones inferiorum praelatorum, et hoc innuit littera sequens.

Recursus

Et ideo dum eligitur confirmatur, et statim habet plenam et liberam administrationem, 23. dist., in nomine Domini.

X 1.06.07 *Cum in cunctis*

Aetatis maturitas

Haec tria, scilicet aetas, gravitas morum, et litterarum scientia, in persona electi debent inquiri, infra, de elect., cum nobis. Arg. 78. dist., presbyter; et 38. dist., quae ipsis. Et alia etiam, scilicet quod sit de legitimo matrimonio natus, infra eodem capitulo. Et quod sit in sacris ordinibus, infra, de elect., dudum ad audientiam; et infra, de aetat. et qualit., praeterea.

Gravitas morum

Quia incompositio corporis inaequalitatem indicat mentis, 41. dist. § sicut ergo, in fi. dist., ubi de Catalina dicitur.

Litterarum scientia
Propter defectum enim scientiae repellitur quis ab episcopatu, etiam iam promotus, infra, de aetat. et qualit., quamvis, ubi legitur de quodam episcopo qui numquam audivit grammaticam; infra, de elect., congregato.

Multo fortius
Quia vilissimus computandus est qui praecellit dignitate, nisi praecellat alios scientia et sanctitate, 1. q. 1, vilissimus; et 1. q. 7, convenientibus; et in Auth. de sanct. episc. § damus, coll. 9. Item argumentum est a minori, et sumitur secundum hanc regulam affirmando: si id de quo minus videtur inesse, inest; et id de quo magis, 38. dist., si in laicis; et 3. q. 3, de iudiciis; et 59. dist., si officia; et 34. q. 2, cum per bellicam; et 13. q. 2, non aestimemus. Item argumentum a maiori sumitur hic negando secundum hanc regulam: si id de quo magis videtur inesse, non inest; nec id de quo minus. Si Paulus videtur fortior Eustochio, sed non est, ergo nec ipse, 32. q. 5, si Paulus; 8. q. 1, si ergo; et 6. q. 1, imitare; et 40. dist., quaelibet.

Exegerit
Sed videtur quod sufficiat si iam inchoaverit, ff. de muner. et honor., ad rempublicam. Sed aliud in saecularibus dignitatibus, ut ibi, et aliud in spiritualibus. Et potest dici quod est speciale in episcopo. Unde in aliis inferioribus dignitatibus sufficit attingere annum legitimum, ut infra; dicit ibi, nisi qui iam vicesimum quitum annum attingerit. Sed ille qui eligitur in episcopum, debet esse triginta annorum, in Auth. de sanct. episc. § clericos, coll. 9; et 67. dist., quicumque. Vel distingue quandoque favor tantum vertitur in causa, ut in usucapione, et tunc sufficit incipere diem, ff. de diver. temp. praescr., in usucapione. Quandoque odium tantum, ut in praescriptione triginta annorum, et tunc oportet impleri, ff. de act. et oblig., in omnibus. Quandoque utrumque, et tunc tempus de momento in momentum computatur, ff. de minor., denique § minorem.

Matrimonio
Et istud est quartum quod requiritur in episcopo, et in quolibet alio qui promovetur ad honorem, infra, de fil. presbyt., ut filii; vel ad regimen animarum, infra, de fil. presbyt., dilectus; et infra, de fil. presbyt., nimis.

Confirmationem
Bene dicit, confirmationem, quia ante confirmationem nihil debet attingere in administratione, alioquin repelleretur, infra, de elect., qualiter; et infra, de elect., nihil est; et infra, de praeben., cum iamdudum.

Administrationem
Nam aliquando contingit quod statim non nanciscitur possessionem, 92. dist., si qui episcopi; et 92. dist., si quis episcopus ordinatus ad parochiam; et tunc non debet conferri.

Tempore
Quod videtur esse sex mensium, quia intra tres menses a die vacationis debet eligi, 50. dist., postquam; et infra, de elect., ne pro defectu; et infra alios tres menses debet consecrari, 100. dist., quantum quidem. Sed verius est quod illud tempus est tantum

trium mensium post confirmationem, ut ex eodem capitulo colligitur, quod etiam est expressum, 75. dist. § 2; et 75. dist., quoniam, in fi.; nisi necessitas eum impedierit petere consecrationem. Quia tunc non curreret ei tempus, ut in dictis capitulis 75. dist., quoniam; et 75. dist., ordinationes episcoporum. Alias obtinet quod hic dicitur, ut 16. q. 1, ne pro cuiuslibet; quia cum sit in mora petendi imputari, et debet etiam ab illa dignitate repelli, ut in dicto capitulo 75. dist., quoniam.

De consecrandis
Arg. contra infra, de concess. praeben., post electionem, in princ., ubi solvitur.

Ad quem spectant
Ante enim consecrationem non dicitur pleno iure habere ecclesiam, cum adhuc tempore consecrationis possit excipi contra ipsum, infra, de accusat., super his. Merito debet expectari usque ad tempus consecrationis. Postea vero possunt conferri beneficia quae habuerat, et cum fuerit negligens et in mora, ut dictum est, et sic ante consecrationem non dicitur ecclesiam habere, quia habere est cum effectu habere, ff. de ver. sig., nomen filiarum § habere. Tamen dicitur maritus ecclesiae, ut sine licentia Papae eam dimittere non possit, infra, de translat., inter corporalia. Sed si ante tempus praedictum consecrationem recepit, statim possunt conferri beneficia priora, quia plene dicitur translatus, 21. q. 2, si quis iam translatus; et 16. q. 1, ne pro cuiuslibet. Nec potest repelli a consecratione, nisi per accusationem directam, ut infra, de accusat., super his; et infra, de accusat., qualiter et quando 2. Et quando in aliis dignitatibus inferioribus secus est, quia qui habet curam animarum, si eligatur ad consimilem, habita confirmatione et administratione ipso iure vacat prima, ut infra, de elect., dudum ecclesia; et infra, de praeben., de multa. Si primum beneficium non habeat curam animarum, sed secundum, tunc primum ipso iure vacat, sed non de facto, si semper retineat primum, infra, de concess. praeben., litteras; et infra, de concess. praeben., cum nostris.

Archidiaconatum
Sic videtur quod archidiaconus habeat curam animarum, sed non principaliter, arg. 16. q. 7, nullus 1; arg. infra, de offi. archidiac., cum satis, ubi de hoc. Et est verum, quod archidiaconus, qui habet inquirere, et visitare parochiam suam, curam habeat animarum. Unde si recipiat aliam praelationem curam animarum habentem, ipso iure vacat archidiaconatus, ut est expressum infra, de elect., dudum ecclesia; et infra, de praeben., de multa. Et potest excommunicare et suspendere infra, de eo qui furt. ord. recep., veniens; et eiam alii praelati, ut ibi dicitur. Sed videtur contra 16. q. 2, visis; 24. q. 3, corripiantur, ubi dicitur quod anathema est mucro episcopi. Archidiaconi vel alii praelati non possunt excommunicare cum solemnitate illa, de qua traditur 11. q. 3, debent; et 11. q. 3, cum aliquis; ut capitula illa intelligantur et loquantur de illa solemnitate.

Attigerit
Dispensative tamen potest, licet sit in minori aetate, infra, de aetat. et qualit., praeterea, ut quidam dicunt. De hoc dicetur infra, de elect., cum dilectus. Sed contra 78. dist., si triginta; et 78. dist., presbyter, ubi dicitur quod ante trigesimum annum presbyter ordinari non debet. Et hic dicit quod statim deberet post vicesimum quintum annum, quia tales praelati debent esse presbyteri, 21. q. 2, sicut; arg. infra, de aetat. et qualit., praeterea.

Satis potest dici quod hodie statur huic capitulo secundum quod notatur in capitulo illi 78. dist., si triginta.

A canonibus
Hic fit mentio de illis canonibus 75. dist., quasi per totum; et infra, de temp. ord., subdiaconos; infra, de temp. ord., sane; et infra, de temp. ord., de eo. Et quia post confirmationem debent ordinari in proximis quatuor temporibus, vel saltem usque ad sex menses. Nec credo quod loquatur de illis canonibus 77. dist., quicumque; ibi, post diaconatum statur per quinquennium ad sacerdotium recipiendum, quia non credo tantum expectandum.

Removeantur
Signatur contra hoc 74. dist., consuluit. Solutio: cum iste susceperit alterum connexorum, tenetur ad reliquum. Secus in aliis clericis, qui per subtractionem beneficiorum sunt compellendi ad ordines quando necessitas vel utilitas subest, infra, de aetat. et qualit., quaeris.

Velint et possint
Alias sola voluntas non sufficit, ubi est opus facto, infra, de eo qui mitt. in poss. caus., constitutis.

Promovendis
Habes hic quod constitutio trahitur ad praeterita, de hoc dictum est supra, de consti., quoniam. Et haec est ratio quare trahitur ad praeterita, quia sine aliqua constitutione ad hoc tenentur per alia iura antiqua.

Promoti
Id est electi et confirmati, sed non ordinati.

Si canones non obsistant
Contra infra, de aetat. et qualit., ut abbates. Sic solve: hoc intelligitur de tali, qui sine culpa sua factus est talis, quod ordinem recipere non potest secundum canones. Unde propter hoc non debet removeri, licet ordinem non possit recipere, quia non est addenda afflictis afflictio, infra, de cleri. aegro., ex parte; et 7. q. 1, cum percussio. Et illud intelligitur de tali, qui culpa sua factus est irregularis, et ideo removetur.

Tunc
Id est, illa vice tantum, infra, de elect., cum Wintoniensis.

Privatos
Ipso iure, infra, de elect., innotuit.

Beneficiis
Non officiis. Quis enim officiaret tunc ecclesiam?

Coerceat
Simile 62. dist., docendus; et 82. dist., plurimos, in fi.; et C. de emend. prop., in corrigendis. Et belli pestis interrimat, quos delinquentes ad rectitudinis viam Dei praecepta non revocant, 23. q. 4, si quos, in fi.

Fecerit
Cum ad eum pertinet collatio beneficiorum.

Conferendis
Ea vice cum ad episcopum pertinet collatio beneficii, vel confirmando primum successorem, et hoc cum ad alios pertinet collatio. Et insuper a perceptione proprii beneficii suspendatur, infra, de elect., nihil est.

Capitulum
Et ita habes quod minor supplet negligentiam maioris, et econverso, infra, de concess. praeben., nulla; et infra, de concess. praeben., quia diversitatem; et 9. q. 3, cum simus; 65. dist., si forte; 89. dist., volumus. Et maior negligentiam minoris, sed illud est ordinarium, ut in 9. q. 3, cum simus.

X 1.06.08 *Causam quae inter*

Contulerint
Illud quidem recte potest fieri, et est una de formis concilii generalis, infra, de elect., quia propter; et est simile ff. quod cui. univ. nom., item eorum § si decuriones. Et etiam extra collegium potest compromitti, quia episcopus non est de collegio, licet sit caput, infra, de testamen., requisisti; arg. ubi non est tanta communio inter episcopum et monasterium.

Promittentes
Simile infra, de renunciat., post translationem.

Provideret
Quid dices, numquid possunt revocare talem collationem factam episcopo antequam ipse providerit? Non videtur infra, de elect., in causis, ubi dicitur de hoc.

Si tamen existat idonea
Arg. est hic quod cum aliquid generaliter committitur arbitrio alicuius, non valet nisi legitime factum sit, infra, de iureiur., Quintavallis; et infra, de iureiur., veniens; ff. de ritu nupt., quamquam; ff. pro soc., unde si nerve; et in Auth. de hered. et Falc. § is igitur, coll. 1; et ff. ne quid in loc. pub., praetor ait § si quis a principe; ff. de oper. lib., si libertus; C. de inoffic. testam., si quando; infra, de offi. deleg., ex parte tua; et 16. q. 1, et temporis; et 16. q. 1, postquam. Arg. contra 32. q. 8, non solum; et 2. q. 6, a iudicibus § arbitrarii; et infra, de iureiur., si vero; ff. de regul. iur., quisquis; et ff. de damn. infect., qui bona § cum inter; et 23. q. 4, displicet ubi, in princ. Solutio: si arbiter est compromissarius, eius arbitrio standum est sive aequum sive iniquum sit, ff. de recepti., diem § stari; nisi contra ius scriptum vel contra formam compromissi sit latum, quia tunc non tenet, 2. q. 6, ei qui § diffinitiva; et infra, de confirm. util. vel inutil., examinata; et ff. de recepti., si cum dies

§ compromisso; et ff. quae sent. sine appel., illud. Si vero tamquam vir bonus arbitrari debet, tunc non valet dictum suum nisi sit aequum, ut in dictis capitulis infra, de iureiur., veniens; et infra, de iureiur., Quintavallis; et ff. pro soc., si societatem; et ff. pro soc., coiri, ut hic.

Recipi
Sed quid si elegerit malam, numquid aliam episcopus poterit eligere, vel etiam si electa noluerit consentire? Arg. quod sic, infra, de elect., cum terra; et qui optavit acetum, potest iterum optare vinum, ff. de opt. leg., quotiens; et reproba electio nulla, 7. q. 1, factus est; et ff. de pigno. act., eleganter § qui reprobos; ff. ad Velleia., quamvis § si cum venerit. Item qui iuravit aliter quam ei delatum est, iterum iurare debet, ff. de iureiuran., qui per salutem. In casu isto non poterit amplius eligere, quia functus est officio suo, infra, de offi. deleg., in litteris; et ff. de re iud., Paulus. Quia semel functus est officio suo, sive bene sive male, ut ibi, supra, de elect., cum in cunctis; infra, de elect., innotuit; et infra, de elect., in causis. Ber.

X 1.06.09 *Nosti quomodo*

Concedendi
Quod si faceret, deberet repelli, infra, de elect., qualiter; et infra, de praeben., cum iamdudum, in fi.; nisi in casu infra, de elect., nihil est § ulti. Et illud dispensative fit ne interim ecclesia patiatur detrimentum in temporalibus vel spiritualibus, ut ibi dicitur. Sed hic Papa voluit parcere huic electo, quia poterat ipsum repellere.

Confirmata
Per confirmationem acquirit electus plenam administrationem, et vinculum coniugalem contractum est, infra, de translat., inter corporalia.

Facultatem
Immo privari deberet, infra, de elect., qualiter.

Praedictis
Ista decretalis continet gratiam in eo quod non fuit punitus. Continet ius in eo quod dicit quod non habet facultatem disponendi ante confirmationem.

Revocare
Sed quid est quod dicit, quod studeat revocare? Quia talis traditio nulla est, quia pro non dato habetur quod ab illo donatur, qui de iure donare non potest, infra, de iure patron., quod autem, in fi. Sed talis revocatio potius erat de facto quam de iure, sicut donatio de factum tantum fuit, ne ex tali facto crederet ius habere, et ne credatur hoc sibi licere. Item arg. aliquid potest contra factum suum venire, 12. q. 1, certe; 55. dist., poenitentes; 35. q. 9, quod quis commisit; C. de evict., si tibi liberam. Arg. contra, 17. q. 4, sunt qui opes; 18. q. 2, Eleutherius; ff. de servitu. rust. praed., per fundum; infra, de cleri. coniug., diversis. Solutio: in sententiis interlocutoriis iudex potest mutare vel revocare suam interluctoriam, ff. de re iud., quod iussit; infra, de appell., cum cessante. Circa negotia distingue, si ex mutatione nulli fit praeiudicium, licitum est mutare. Ubi ex mutatione

alteri fit praeiudicium, adhuc re integra licitum est mutare, ff. de iuris., si convenerit. Re non integra non potest, ff. de regul. iur., nemo; nisi favor aliud inducat; C. de liber. caus., interrogatam. Et est simile in revocatione sententiae spiritualis vel corporalis matrimonii, ubi decipitur ecclesia, 35. q. 9, sententiam; et melius 35. q. 9, loci § his ita respondetur; et infra, de re iudic., lator; et infra, de re iudic., consanguinei. Et ideo hic potest contravenire, quia administratio est ei interdicta, et sic replicaret de administratione si ei obiiciatur quod contra factum suum venire non possit, ff. de iureiuran., iusiurandum quod, 1. resp.; et ff. de iureiuran., ait praetor si. Ber.

X 1.06.10 *Consideravimus quod electio*

Post appellationem
Appellare ne fiat electio, non valet. Sed ne fiat nisi canonica, tunc bene valet, infra, de elect., cum nobis. Et intellige quod allegata fuit aliqua probabilis causa, quia sive appellatur in iudicio vel extra, appellationis causa exprimenda est, ut in decretali Inno. iiii infra, de appell., extravag. cordi.

Privilegiorum
Quae essent ista privilegia, non habemus. Host.

Appellationem
Infra, de elect., bonae 1; et infra, de appell., constitutis 1. Contra in illis tenuit electio secundo loco facta, et post alterius partis appellationem. In illa infra, de appell., constitutis 1, tenuit electio secunda, quia prima ipso iure nulla fuit. Hic vero prima non fuit nulla, sed annullanda. In decretali illa infra, de elect., bonae 1, non tenuit tribus de causis, ut ibi dicitur. De hac materia dicetur infra, de elect., auditis.

Fama
Arg. infamia non comitari depositum, ff. de re milit., qui cum uno § non omnis; et ff. de re milit., qui cum uno § exauctoratus. Arg. contra ff. de his qui not. infam., quod ait praetor § ignominie. Sol. est infra, de elect., super eo, quia non fuit cassata vitio personae.

Ordinationem
Dicunt quidam praeter istam, quae nunc cassata est, quod iterum possunt alterum eligere si volunt, infra, de elect., super eo. Sed hoc non credo, quia propter scandalum noluit Papa quod in illa vacatione aliquis eorum promoveretur. Hodie tamen alia debet esse forma in electionibus faciendis, infra, de elect., quia propter.

X 1.06.11 *Suffraganeis*

Pallium
Sed contra videtur, quia propter pallium nondum receptum consecratio episcoporum differretur, 100. dist., quoniam, ubi de hoc. Quia ante pallium receptum non potest consecrare virgines, ordines celebrare, vel episcopos consecrare, infra, de elect., quod sicut; ad idem facit infra, de elect., transmissam. Propter hoc dicunt quidam quod haec

non est decretalis, sed fuit quaedam provisio. Tamen potest tolerari, et videtur subesse quaedam aequitas, ut cum nondum sit in mora petendi pallium, hoc habeat locum. Quod non videtur, quia in traditione pallii plenitudo confertur pontificalis officii, infra, de usu pallii, nisi specialis. Unde et cum per se hoc facere non possit, neque auctoritate alii faciendi praestare potest, et est optime arg., infra, de consecr. eccl. vel alt., aqua; et arg. ff. de Maced., filium habeo. Dic ergo hic ut dixi infra, de translat., cum ex illo. Ber.

X 1.06.12 *Super eo vero*

Non vitio personae
Puta propter aliquam irregularitatem, quia erat illegitimus, vel propter crimen, quod ei fuit obiectum et probatum, quod si esset probatum, non potest eligi nec in illa nec in alia ecclesia, cum sit ineligibilis. Et potest hic colligi arg. quod crimen in modum exceptionis probatum, praeiudicet ei in electione alia, sed hoc esset poenam imponere ordinariam, quod fieri non debet, infra, de ord. cognit., cum dilectus, in fi.; et infra, de except., denique; ff. de his qui not. infam., Lucius. Dicas quod si per hoc gravata fuit, et est ipsius opinio, potest et debet repelli, infra, de testib., testimonium; capitulum Gregorii est, ubi casus iste ponitur. Et arg. 2. q. 5, presbyter si a plebe; et 2. q. 5, si mala fama; et 81. dist., tantis; et infra, de accusat., omnipotens. Vel repellitur in alia electione, cum crimen obiectum probatum in modum receptionis electionem de qua agitur contingebat, infra, de except., denique; et infra, de confess., cum super. Sed si modo electionis cassetur electio, tunc non impeditur in alia electione, ut hic dicit, et supra, de elect., consideravimus.

Simoniacae
1. q. 1, gratia. Arg. contra infra, de simon., de regularibus; et 1. q. 5, quicumque. Quod hic dicitur, ius est commune; quod ibi dicitur, dispensatio. Ber.

X 1.06.13 *Cum monasterium*

Abiecerunt
Unde deberent expelli, infra, ne cler. vel mon. saecul. neg., relatum. Ber.

In eremo
Et ita videtur quod erat monachus, licet dicatur in eremo; alias non posset eligi, sed postulari, infra, de elect., cum causam; et infra, de elect., cum in magistrum; et infra, de elect., officii. Et eiusdem religionis vel maioris debet esse, quia non est licitum descendere, sed ascendere, infra, de translat., licet; et 93. dist., legimus, in fi., iuxta illud, et ambulabunt de virtute in virtutem, etc.; de poen. dist. 2, dum sanctam ecclesiam. Sed si intelligas quod iste fuit eremita, tunc abbas esse non potest, quia eremita proprium habet, arg. 19. q. 3, perlatum § econtra Paulus. Sed monachus proprium habere non potest, infra, de statu monach., cum ad monasterium, in fi. Credo quod iste fuit de eremo, quod sic appellatur, et est in Tuscia; et sunt alibi monachi cui subsunt Camandulenses, et illi de Sancto Damiano qui est extra pontem ferreum.

Postulantes
Sed quare dicit, postulantes; nonne poterat eligi? Dicas quod primum monasterium de Pellicia erat alterius ordinis, vel ille monachus erat in minoribus ordinibus, et ideo debuit postulari, ut dictum supra, de postul. praelat., etsi unanimiter; unde dicit in fine, sicut canonice facta est. Unde videtur quod competentius poneretur in titulo praecedenti. Sed licet dicatur, postulantes, non tamen credo quod fuerit simplex postulatio, sed electio. Et hoc satis innuitur ex eo quod dicit, eandem ordinationem postulasti a sede Apostolica confirmari, et ex eo quod Papa didicit, nos eam confirmamus. Si enim fuit simplex postulatio, Papa non dixisset, confirmamus, sed dixisset, ipsam admittimus vel non approbamus, supra, de postul. praelat., bonae 1; et supra, de postul. praelat., bonae 2; et sic bene ponitur hic.

Confirmamus
Sed numquid sufficit in hac dispensatione consensus solus episcopi? Ita sed ad cautelam confirmatur. Iste enim dubitabat, an posset hoc facere, et ideo Papa respondendo confirmat factum ipsius; alias ipse Papa dixisset, et nos postulationem admittimus. Sed ipse solum confirmat factum episcopi. Vel ideo quia forsitan suberat dominio Papae nullo medio; arg. ad hoc 58. dist., nullus; et 58. dist., si quis. Sed ista littera videtur contradicere ibi, tu vero postulationi, etc. Dic ut supra dictum est.

X 1.06.14 *Cum terra quae*

Terra
Scilicet, Hierosolymitana.

Funiculus
Id est, portio.

Consuetudinis
Nota consuetudinem contra libertatem ecclesiae non valere. De hoc dicitur supra, de consuet., consuetudines; et supra, de consuet., cum tanto.

Conventualibus
Ideo dicit, conventualibus, quia ubi est unicus sacerdos, patronus debet eligere, infra, de iure patron., nobis; et 16. q. 7, decernimus.

In quo
Scilicet, in ecclesia cui praeesse debet in capitulo secundum consuetudinem loci illius, si commode fieri potest; alias ubi melius obtulerit se facultas, 23. dist., in nomine Domini.

Diligentiam
Hic sumitur arg., quod eligentes possunt alium eligere prima electione non reprobata per superiorem. Sed contra supra, de elect., cum in cunctis; et infra, de elect., innotuit; et supra, de elect., consideravimus; infra, de concess. praeben., post electionem. Quod hic dicitur, sic potest intelligi: diligentiam inquisitionis apponant, etc., non alium eligendo statim, sed quaerendo aliquem idoneum, quem eligant alio reprobato, et hoc intelligitur

post reprobationem alterius, vel cum sub ea conditione eligunt si primus non obtinuerit, arg. 85. dist., archidiaconum Florentinum. Et secunda electio expirabit prima obtinente, sicut fit in substitutione, C. de impub. et al. subst., post aditam. Arg. ad hoc 61. dist., studii. Et loquitur de ignorantibus vitium electi et diligentiam adhibentibus, alias privarentur ipso iure potestate eligendi, supra, de elect., cum in cunctis; et supra, de elect., innotuit. Et ita scripsit hic Laur. Hodie vero non valet electio per vota conditionalia, ut in decretali Inno. iiii infra, de elect., extravag. in electionibus. Sed videtur ex ipsa littera quod alius sit intellectus. Et littera sic exponitur quod in persona, scilicet, eligenda, de qua inter electores fit mentio ad eligendum, et nominata ante electionem factamvel in electionis modo, quia forte non intersunt omnes qui debent interesse, vel non servatur forma secundam antiqua, vel secundum nova iura in ecclesiis cathedralibus et abbatiis, quam habes infra, de elect., quia propter; tamdiu in electione facta seu facienda sive in tractatu electionis, et sic tamdiu deliberent et inquirant de persona idonea quousque ipsum inveniant; et tunc demum ipsum eligant, et sic satis plane sonat etiam littera. Hodie vero videretur servanda forma etiam in conventualibus ecclesiis omnibus quae traditur infra, de elect., quia propter; licet videatur loqui de cathedralibus ex verbis illis, ecclesiae viduatae, quia illae solae dicuntur viduatae, quia ibi dicitur vinculum coniugale contradictum. In aliis inferioribus non ita, sed tamen hodie extenditur ad omnes, licet improprie dicantur viduatae, tamen quo ad multa viduatae dicuntur ex quo praelatum non habent qui possit negotia illorum procurare. Et quod sit littera exponenda sic patet ex eo quod dicit, persona nominet, quia per nominationem non fiet electio.

X 1.06.15 *Transmissam*

Mercimonia
Quod non licet. Ante clericatum bene licebat, 88. dist., fornicari; et 31. dist., lex continentiae.

Proposito
Unde ipso facto privilegium clericale perdere debent, nec ab ecclesia debent defendi, infra, de vit. et honest. cler., ex litteris. Quia indignum est illis ab ecclesia subveniri per quos constat scandalum in ecclesia generari, infra, ne cler. vel mon. saecul. neg., sacerdotibus. Et hoc est verum post admonitionem, ut infra, de vit. et honest. cler., ex litteris; et infra, de sent. excom., in audientia, et in parte decisa praemittitur de admonitione.

De talibus
Scilicet, pertinentibus ad iurisdictionem, puta sicut est iudicare, excommunicare, corrigere, iuramenta recipere a vassalis, confirmare, investire, beneficia conferre, et consimilia quae consistunt in iurisdictione, supra, de elect., nosti; infra, de translat., cum ex illo. Haec omnia in confirmatione consequitur electus, ea vero quae sunt ordinis, sicut clericos ordinare, chrisma conficere, depositio clericorum, benedicere virgines, et ecclesias et altares consecrare, et similiae conferuntur in consecratione episcopali, infra, de elect., quod sicut § praeterea; et 68. dist., quamvis corepiscopis. Et arg. infra, de translat., inter corporalia; quia ante consecrationem quasi vidua dicitur ecclesia propter

huiusmodi, ut ibi dicitur. Et sic iure communi poterat illos clericos corrigere ac punire. Ber.

X 1.06.16 *Cum inter R.*

Coegit
Quia ius eiusdem forsitan magis vacillabat quam alterius partis, nec poterat sine magnis sumptibus finem imponere liti, immo certe ipse idem si dubitaret vel diffideret de iure suo, debebat renunciare liti, supra, de postul. praelat., bonae 2; et infra, de simon., per tuas 1. Nec dolum facit, qui rem deserit, ut litem effugiat, ff. de alien. iud. mut. caus., item si § 1.

Dum viveret
Licet enim prioratus non sint monachis confirmandi, infra, de confirm. util. vel inutil., porrecta. Si tamen electi canonice fuerint, non sunt removendi sine causa, infra, de statu monach., monachi; et de hoc notatur in illa decretalis, porrecta.

Invitus
Et sic factus est volens, quia coacta voluntas est voluntas, 15. q. 1, merito; 23. q. 4, displicet.

Ex consensu compositionis receptae ius
Sed nonne eo ipso quod alii non servabant compositionem, poterat redire istae ad ius suum pristinum? Ita videtur infra, de pact., cum pridem; et infra, de renunciat., sane; et infra, de iureiur., pervenit 2; et ff. de condi. caus. dat., si quis accepto tulerit. Et si filius impugnat testamentum patris in quo mater est instituta heres, restituitur matri actio de dote quae confusa erat additionem hereditatis, C. de inoffic. testam., si maritus. Et si mulier iuvetur Velleiano, restituetur actio creditori in antiquum debitorem, ff. ad Velleia., si mulieri solvero. Praeterea simplici pacto non tollitur actio prima, C. de transaction., sive. Nec debet ei fides servari qui contra pacta versatur, nisi cum actio est odiosa, C. de transaction., cum mota. Et nisi in criminibus, C. ad Turpillianum, quamvis. Sic ergo videtur quod sua intereat appellare, ut 2. q. 6, non solent. Vel si actio sublata fuit, saltem danda fuit actio de dolo, C. de dolo, cum proponas. Potest dici quod actum fuit inter partes, ut si altera pars resiliret a pacto soluta poena ei staretur, ff. de transaction., ei qui fidem. Sed hoc non credo, nec hic colligitur. Unde dicas quod ubi compositio intercedit et pure renunciat aliquis iuri suo, postea non auditur, ut hic, et infra, de renunciat., in praesentia; et 7. q. 1, quam periculosum. Et remittentibus actiones suas non est dandus regressus ad eas, ff. de aedil. edict., quaeritur § si venditor. Et nota quod qui renunciat spirituali iuri sive beneficio pure, et sine aliquo pacto debet renunciare, alias simoniacum esset, quia non habet ibi locum renunciatio sub modo vel sub conditione; et inde est quod non potest redire ad primus ius. Sed in transactione vel in pacto secus est, cum ibi admittatur talis contractus: do ut des, facio ut facias, vel facio ut des, ut locum non habeat in spirituali beneficio, infra, de transact., super eo. Si dicas, quare non fuit iste R. auditus super priori beneficio, sicut ibi, infra, de pact., cum pridem; et infra, de renunciat., sane. Respondeo quoniam iste non habebat actionem ad agendum, et nemo sine actione experitur, ff. de negot. gest., si pupilli § videamus. Tum quia pure renunciavit, ut dictum

est, tum quia recipiendo custodiam et prioratum etiam iuri suo in totum renunciavit, et quia ipse iudicis officium non imploravit sicut in illis infra, de pact., cum pridem; et infra, de renunciat., sane; propter quod auditi fuerunt et restitui ad agendum.

Praepositus et capitulum
Quibus forte negotium commissum fuerat quorum litteris bene creditur, 19. q. 3, statuimus; et 73. dist., in nomine Patris, in fi.

Episcopus munus
Hic concurreunt duae praesumptiones, scilicet, factum episcopi, et scriptura praepositi et capituli, et factum legati. Facto episcopi creditur, infra, de re iudic., sicut; et infra, de renunciat., in praesentia; et 2. q. 7, hoc etiam placuit. Unde non est versimile quod etiam suspensum et a suspensis electum benediceret vel confirmaret. In contrarium praesumitur ex litteris praepositi et capituli, quibus etiam creditur per iura praedicta et ita circa idem factum quandoque habentur variae praesumptiones, 57. dist., si quis in aegritudine; et ff. de in int. rest., divus; et arg. infra, de praesump., litteras; ibi tamen una praeponderat alteri, hic neutra. Et ideo Papa mandat inquiri de illo interdicto.

Impendit
Quare praesumitur quod electio illius fuit canoncia.

Praemisimus
De suspensione et interdicto a cardinali positis.

Praeiudicat
Sed quia nescimus utrum istorum alteri praeiudicet, ideo absolvimus reum, quia in rebus dubiis promptiores debemus esse ad absolvendum quam ad condemnandum, infra, de probat., ex litteris; et infra, de fide instrum., inter dilectos, in fi. Hic secus factum fuit.

A suspensis
supra, de consuet., cum dilectus, ubi de hoc satis dictum est.

Cassata
Id est, cassa nunciata, quia suspensi eligere non possunt.

Consulatur
Intellige quod per capitulum fiat electio, ex quo non dicit per quos. Si enim Papa voluisset monasterio per alios provideri, illud mandasset, sicut fieri consuevit. Unde mandat illos primo absolvi a sententiis suspensionis, ut postea eligere possint. Et R. seniori restituti fuerunt custodia et prioratus, ut continetur in integra.

X 1.06.17 *Qualiter post obitum*

Administrationi
Sic infra, de praeben., cum iamdudum; et infra, de elect., bonae 1; illud dispensatio, ut ibi patet, ita tamen quod de rebus temporalibus nihil penitus alienent. Et ideo illud

introductum fuit, quia si nimia subtilitate circa hoc uteremur, subtilitas in perniciem ecclesiae verteretur, C. ad Trebel., sancimus. Et dixit hic Laur. quod si electus ante confirmationem aliquid disposuit de rebus ecclesiae, ut salvae essent, quia erant periturae, et hoc non fecit tamquam praelatus, sed tamquam simplex canonicus, non videtur ob hoc administrasse, et ei non debet nocere, ff. de acq. hered., pro herede; et C. de tutor. qui non satisd., tutor; et C. de tutor. qui non satisd., in dubium. Cautius tamen faciet si abstineat, si est aliquis alius qui hoc facere possit, quia etiam qui minimam particulam de hereditate attigerit, administrasse videtur, ff. de acq. hered., si servum § si quis suus. Propter hoc cassata est haec electio, et quia non erat convenientis scientiae.

Conveniens
Bene dicit conveniens, quia sufficit quod sit convenientis scientiae, licet non sit eminentis, infra, de elect., cum nobis.

Quicquid ex ea
C. de legi. et const., non dubium; 12. q. 2, alienationes; 20. dist., de quibus. Arg. contra 3. q. 7, infamis § tria; et 3. q. 7 § verum; et infra, de iure patron., consultationibus. Hoc intelligitur cum credebatur ius habere patronatus.

X 1.06.18 *Cum inter universas*

Ad decanum
Nota quod absente decano potest electio fieri, licet sit honorabilior pars capituli, infra, de concess. praeben., post electionem.

Nominare
Et male mandaverunt, ut sequitur, quia eos expectare non tenentur, ut infra dicit, quia periculosa est mora.

Dierum
Viginti miliaribus pro dieta computatis, ff. de ver. sig., itinere; et ff. si quis caut., vicena; et supra, de rescript., nonnulli, ubi de hoc satis dictum est.

Remoti
A quam remoto loco absentes vocandi sint, colligitur ex tribus, quia vocatur a tam remoto loco quantum est a Mediolano usque ad Genuam, 63. dist., quanto. Sed non debent vocari a tam remoto loco quantum est a Capua usque ad Palermum, ut hic dicit, et quia vocandi sunt ubi sine periculo vocari possunt, infra, de elect., quod sicut § si autem. Sed videtur quod omnes qui sunt in eadem provincia sunt vocandi, cum illi praesentes dicantur, C. de praescri. long. temp. dec., cum in longi; et infra, de elect., coram. Alias non valet quod faciunt praesentes, infra, de elect., quod sicut; et bonae memoriae 2. Quod omnes de provincia sint vocandi, habes infra, de elect., in Genesi. In huiusmodi vocationibus pro electionibus faciendis credo quod standum sit potius consuetudini, ut dicitur in illa decretali infra, de elect., in Genesi, quae dicit quod de toto regno Franciae vocantur ad electiones de consuetudine generali. In aliis negotiis ecclesiae sufficit quod facit maior pars praesentium, 10. q. 2, hoc ius; dummodo maior pars, sive duae, sive tres

sint praesentes, ff. quod cui. univ. nom., plane; et ff. quod cui. univ. nom., nulli. Nec vocentur absentes in talibus, ut ibi, hoc ius. Ber.

Cognoverunt
Unde vocari non debuerunt, quia si scivit, certiorari non debuit, ff. de act. emp. et vend., si res vendita, in fi. Unde statim debebant venire ad tractandum de communi utilitate, C. de decur., curiales 2, lib. 10. Item nec ille est expectandus qui procurat ne ad eum citatio veniat, quia latitat, arg. ff. de evict., si dictum § si praesente; et infra, ut lite non cont., quoniam § 1. Credo tamen quod vocandi sunt, dummodo sint in tali loco unde sint vocandi, licet sciant ecclesiam vacare.

Reversi
Sicut quidam sunt reversi, sic alii poterunt redire, 23. q. 4, displicet, circa princ. Arg. contra ff. de recepti., si cum dies § penulti.

Assumatis
Aliis absentibus, et tamen miserant pro illis ut ad faciendam electionem cum eis venirent. Sed pone quod non habuissent isti mandatum a Papa ad eligendum, numquid poterant isti eligere ante terminum praefixum illis absentibus quos vocaverant? Videtur quod sic. Arg. huius capituli quia non tenebantur vocare illos, unde possunt mutare voluntatem sine aliorum praeiudicio, ff. de regul. iur., nemo. A contrario sensu, cum eorum non intersit, ff. de condi. ob casuam da., si pecuniam; et ff. locat. et conduct., colonus; et infra, de deposit., bona fides § 2; et ff. deposi., plane § penulti.; et infra, de praecar., precarium; et infra, de instit., cum venissent. Praeterea hoc faciebant de gratia, ergo possunt illam revocare quandoque volunt, supra, de postul. praelat., bonae 1; quia ius non videtur acquisitum, infra, de verb. sign., abbate; et 10. q. 3, quia cognovimus. Sed videtur quia ex quo admiserunt illos vocando ad electionem, iam non possunt revocare, infra, de elect., cum Wintoniensis; et infra, de his quae fi. a prael., etsi membra, ubi de hoc; et ff. de servitu. rust. praed., per fundum. Ex eo quod nolunt procedere ad electionem sine illis, continentur se hoc non posse facere eis exclusis, infra, de offi. deleg., cum super; et res de facili ad suam naturam revertitur, ff. de pacti., si unus § quod si non totum. Praeterea gratia concessa semel intempestive revocari non potest, infra, de commod., cum gratia; et ff. commodat., in commodato § sicut; cum non decipi, sed adiuvari beneficiis nos oporteat, ut in proximis iuribus. In casu isto dixit Io. quod bene possunt eligere, cum eos vocare non tenerentur. Mihi videtur quod ex quo illos vocaverunt, tenerentur illos expectare usque ad terminum statutum; et hoc dico dummodo ex tali expectatione praeiudicium ecclesiae non contingant vel damnum aut periculum. Si vero mora periculum induceret, non obstante tunc illa vocatione possunt eligere, et hoc videtur sonare littera illius capituli ibi, quia vero mora, etc. Et quod isti processerunt in capitulo praesenti, hoc fuit, quia Papa eis mandavit, et quia periculum timebatur vel imminebat ex mora.

Regia
Sic infra, de for. compet., licet ex suscepto. Sed ex tali assensu administrare non posset, quia non consentit in eum tamquam Papa, sed tamquam rex; sic infra, de elect., quod

sicut § praeterea; et 23. q. 4, si ecclesia, in fi.; et ff. de adopt., si pater § qui duos. Et sic duplex consensus exigitur, supra, de elect., cum terra; et infra, de elect., sacrosancta.

X 1.06.19 *Cum nobis olim*

Innovari
Hoc allegando dicit, quia non extenditur appellatio, nisi ad ea quae illegitime fiunt, et illa sola cassat, arg. infra, de restit. spol., audita; et supra, de rescript., causam quae. Secus est in denunciatione novi operis, infra, de nov. oper. nunc., intelleximus; et infra, de nov. oper. nunc., cum ex iniuncto.

Nulla electio fieret
Talis enim appellatio non valet, ne id fiat quod edicto perpetuo cavetur, 25. q. 1, quae ad perpetuam; ff. de appellat. recip., si res. Quoniam publicae utilitatis interest, ut fiat electio, ff. de novi operis nunc., de pupillo § si quis rivos; et infra, de his quae fi. a maior. par. cap., ex ore, in fi.; supra, de elect., cum inter R.

Revocare
Numquid eo ipso quod admoniti nolunt redire, qui praesentes sunt possunt eligere? Videtur quod sic, arg. hic et infra, de elect., quod sicut § si autem; et arg. supra, de postul. praelat., bonae 2; et infra, de test., in nomine domini; 65. dist., si forte; infra, de offi. deleg., cum super; maxime cum mora in talibus sit suspecta, supra, de elect., cum inter universas; et arg. ff. de admin. tut., tutor qui § 1; et ibi, unus tutor alium non expectat; et infra, ut lite non cont., quoniam § 1; arg. C. de divid. tutel., si post finitum, in fi. Econtra videtur quod teneantur expectare usque ad finem trium mensium, arg. 2. q. 6, ei qui § appellatore; infra, de offi. deleg., consuluit; et 16. q. 3, placuit ut. Saepe vocandi enim sunt ad electionem, 63. dist., plebs; et reus absens debet expectari usque ad finem triennii, C. de iud., properandum § huiusmodi autem scientia; arg. ff. de excusat., non tantum; et ff. de ver. oblig., insulam; et ita expectabunt usque ad finem quousque eligere possint. Dicit Io. quod praesentes procedere possunt circa finem trium mensium non praecipiti festinatione, sed moratoria cunctatione, arg. ff. de admin. tut., tutor qui § 1; et infra, de offi. deleg., consuluit. Hoc non credo, immo dico quod si maior et sanior pars vult procedere ad electionem potest, ut provideant ecclesiae viduatae, supra, de elect., cum inter universas. Si vocaverint alios praesentes vel absentes, statuto eis termino competenti intra quem convenienter possint venire. Et si non venirent, et assignaverint iustam causam quare non veniant, alii possunt postea ad electionem procedere, vel quia debet venire vel iusta de causa impeditus, constituere aliquem de collegio procuratorem cui vices suas committat, infra, de elect., quia propter. Et est ratio, quia mora in talibus est periculosa valde, supra, de elect., cum inter universas; et infra, ut lite non cont., quoniam § 1. Et praeterea quod a maiori parte capituli fit debet valere, nisi minor aliquid ostenderit rationabile, infra, de his quae fi. a maior. par. cap., cum in cunctis; et sic etiam observatur, et hoc idem dicitur hic.

Alienos
Ex quo nolunt venire vocati, potest procedi sine illis, ut dictum est, arg. infra, de offi. deleg., prudentiam § adiicimus.

Manum
78. dist., quid est manus cito; et 24. dist. § 1.

Ex officio
Nota hic arg. quod iudex potest supplere etiam de facto, quia Papa supplet hic de facto. Quando in causis iudex debeat supplere et qualiter dictum est supra, de postul. praelat., bonae 1. Sed in isto casu illud teneas, quia et si nihil obiiciatur electo, ille qui confirmat electionem debet inquirere de modo electionis, an sit canonice facta, de persona etiam electi, an sit idonea, infra, de elect., venerabilem; et 28. dist., priusquam, ubi de hoc. Alias si confirmaret indignum ipse puniretur, et promotus debet repelli, infra, de elect., nihil est. Et de omnibus talibus debet ex officio suo inquirere, cum sua intersit, ne puniatur. Item et si in alio casu ex officio suo iudex supplet etiam de facto, infra, de except., exceptionem, in fi.; et infra, de except., extravag. pia. Et quos prohibet praetor, in totum prohibet, etiam si non opponatur, ff. de postulan., quos prohibet; et in alio casu ff. de pet. hered., filius, secundum opinionem Placen.

Litteraturae
In praelato requiritur non solum litteratura sed etiam quod sit sollicitus et prudens in temporalibus, 39. dist., Petrus. Quae scientia exigitur in episcopo, habetur 23. dist., qui episcopus; et 38. dist., quae ipsis; et 38. dist., omnes psallentes. Tamen conveniens scientia toleratur in ipso, ut hic dicit, et arg. ad hoc ff. de aedil. edict., sciendum autem § illud; et ff. de aedil. edict., si quid venditor § venditor. Et eminens scientia bene est desideranda in praelato et competens toleranda, quia multa scientia inflat, sed eius imperfectum supplet perfectio caritatis, infra, de renunciat., nisi § pro defectu.

Procuratorem concedimus
Numquid per talia verba confirmat electionem? Credo quod sic. Suspendit tamen consecrationem usque ad legitimam aetatem. Inno. iiii dicit quod non, et cum fuerit in aetate legitima, debet eligi in archiepiscopum, et Papa dispensat cum ipso, quia cum non esset aetatis legitimae Papa ipsum concessit in procuratorem ecclesiae Capuanae, ac si esset simpliciter postulatus. Alias electionem ipsius denunciasset irritam et inanem, et canonici essent eligendi potestate ea vice privati, supra, de elect., cum in cunctis; et infra, de elect., innotuit, si scienter eum elegissent.

Liberam
Per illud verbum non datur ei potestas male administrandi, 21. q. 1, relatio; arg. C. de inoffic. testam., si quando; et infra, de elect., ecclesia vestra 1, ad fi. Et licet praelatus procurator dicatur, 12. q. 1 § si ergo res; et 12. q. 1, si privatum; infra, de dona., fraternitatem. Tamen donare potest si consuetudo est, infra, de dona., caeterum; et ff. de donation., filiusfamilias. Considerata consuetudine loci, et quantitate doni, ut in capitulo praedicto infra, de dona., caeterum; et ff. quod vi aut cla., prohibere § non tantum.

X 1.06.20 *Innotuit nobis*

Distulisti
Et merito, quia nec eius electionem confirmare poterat nisi primo ipse consentiret electioni suae, infra, de elect., cum inter canonicos; et infra, de translat., licet; et quia debet examinari, infra, de elect., nihil est.

Decreto
Decretum debet continere totam seriem et formam electionis, nomina eligentium, et eorum consensum, et subscriptiones cuiuslibet in hunc modum: ego talis canonicus talis ecclesiae huic electioni interfui et consensi et propria manu subscripsi, si scit scribere, alioquin alius pro ipso et nomine illius et de ipsius mandato subscribere debet, infra, de re iudic., cum inter vos. Et nomen electi debet continere, et ad quam dignitatem est electus, et quod scriptura illa fuit facta per publicam manum vel per duos idoneos viros, infra, de probat., quoniam; et sigillum capituli apponatur. Et hodie etiam debet continere inquisitionem et voluntates singulorum, et publicationes et collationem et electionem, ita quod per tale decretum appareat formam servatam fuisse. Et illud decretum secundum quosdam non est de substantia electionis. Hodie vero ita est de substantia, quod si non fiat publicatio voluntatum, et inquisitio, et collatio, et electio subsequenter incontinenti, cassatur electio, infra, de elect., Cumana; et infra, de elect., cum post petitam.

Ingenua
Ingenuus est is qui statim ut nascitur liber est, Inst. de ingen., in princ.

Coniugata
Si enim fuisset coniugata, filius esset spurius nec posset legitimari per matrimonium sequens, infra, qui fil. sint legit., tanta. Quid si contraxisset postea cum ea, numquid ipse posset eligi tamquam de legitimo matrimonio natus? Non videtur, quia non fuit de legitimo matrimonio natus, supra, de elect., cum in cunctis. Nec prodest quod res deveniat ad eum casum, etc. Tempus enim nativitatis videtur considerari debere, sicut tempus electionis, infra, de elect., dudum ad audientiam; et arg. 30. q. 5, qualis; ut ibi in virginitate desponsata, et hoc ita potest dici. Dico quod bene potest eligi, quia matrimonium sequens omnia praecedentia purgat, et ille tamquam legitimus est habendus, infra, qui fil. sint legit., tanta. Idem dicitur in 30. q. 5, qualis, quia verba sunt intelligenda cum effectu, infra, de cleri. non residen., relatum.

Lateranensis concilii
Supra, de elect., cum in cunctis.

Nullam esse
Sic ergo patet ex eo quod dicit, innuit, nullam esse. Et ex eo quod dicit inferius, electionem ipsam praedicti canonis auctoritate cassatam. Quod canon ille supra, de elect., cum in cunctis, est canon latae sententiae; et infra, de elect., cum Wintoniensis. Dicit Tanc. quod talis electio est nulla et in hoc est canon latae sententiae. Sed quantum ad aliam poenam quae imponitur eligentibus non est latae sententiae, sed ferendae; et ad hoc inducit infra, de elect., quisquis; et infra, de elect., quia propter. Sed hoc non dico. Immo quo ad omnia canon est latae sententiae. Sed huic contradicitur quod dicit inferius, nec poenam infligimus, etc., id est, nolumus esse inflictam, quia parcimus eis, et hoc est

quod praemisit, parcentes non modicum, etc. Et illa duo capituli infra, de elect., quia propter; et infra, de elect., quisquis, in alio casu loquuntur, ut ibi dicemus. Ber.

In parem
Sic 21. dist., inferior; et ff. de recepti., nam magistratus; et ff. ad Trebel., ille a quo § tempestivum; nisi se subiiciat ei, ut ff. de iuris., est receptum; et 2. q. 7, nos si incompetenter; nisi ratione legationis, 93. dist., praecipimus; vel delegationis, infra, de offi. deleg., sane quia.

In scholis
Multum enim operatur notitia scholastica, sicut et militaris, ff. de castr. pecul., miles filiusfamilias; et ff. de castr. pecul., si forte, in fi.

Reatum
Id est, defectum, sive impedimentum, quia etsi non sit nota delicit, est tamen nota defectus impedientis promovendum, infra, de purg. can., accedens.

Permissam
Et sic patet quod illegitimus potest postulari. De hoc dictum est supra, de postul. praelat., etsi unanimiter. Sed non alias indignus, puta suspensus, vel qui suspensionem non servavit, supra, de postul. praelat., ad haec.

Ignorantiam
Ignorantia crassa et supina non excusat, infra, de ordin. ab ep. qui ren. epi., requisivit. Unde probare debebant isti ignorantiam quam allegabant, ut hic dicitur, 82. dist., proposuisti. Crassa fuit istorum ignorantia, quia improvide ipsum elegerunt, non requirentes de eius persona ab his per quos certificari potuerunt, 37. dist. § ut itaque; et infra, de reg. iur., quamvis; et ff. de iuris et fact. ignor., regula. Et ideo debebant probare diligentiam adhibitam, et sic probatur ignorantiam. Hanc ignorantiam poterant probare per iuramentum, infra, de test., praesentium; et infra, de except., pastoralis; arg. bonum infra, de scrutin., ex parte.

Ad petendam
Alias si fuissent missi ad eligendum simpliciter, bene potuissent postulasse, infra, de elect., in causis.

Susceptionem
Per hoc videtur solvi quastio dominicalis qua quaeritur, si episcopo deposito canonici eligunt alium antequam recipiant litteras Papae, quibus restituitur depositus; arg. est hic pro restituto 8. q. 5, quilibet; C. de mand. princ., si quis; infra, de praeben., inter caetera. Arg. contra 7. q. 1, eos qui; ff. de decur., qui ad tempus; infra, de renunciat., ex transmissa; et C. de nupt., neque.

Praesentare
Sic patet quod metropolitanus non potest cum illegitimo dispensare, ex quo illum sibi praecipit praesentari. Arg. contra infra, de corp. vitia., cum de tua. Ber.

X 1.06.21 *Cum inter canonicos*

Capituli
Nota quod licet dissensio sit inter canonicos et quaedam agant contra alios, ibi dicitur esse capitulum ubi est maior pars. Et potest constituere procuratorem, et ille dicetur capituli procurator. Et in constituendo talem procuratorem non requiruntur singuli de capitulo, sed tantum illi qui sunt maior pars; alias committeretur falsum si singulorum nomina ibi ponerentur aliis ignorantibus, infra, de his quae fi. a prael., quanto. Et iste procurator habebit expensas de capitulo.

Epileptico
De quibus habes 33. dist., maritum; et 33. dist., clerici; et 33. dist., communiter diffinimus.

Recusatus
Per hoc videtur quod crimen in modum exceptionis probatum in uno iudicio, praeiudicet in alio, arg. supra, de elect., super eo; et 2. q. 1, prohibentur; licet enim crimen in modum exceptionis probatum non infamet, infra, de ord. cognit., cum dilectus, in fi. Tamen gravat cuius opinionem, unde inhonestum est admittere talem, ff. de decur., eos; et C. de adulter., et si libidinem. In causa vero criminali bene repelleretur testis a testimonio, si in alio iudicio esset repulsus, probato eius crimine in modum exceptionis, de quo gravata est eius opinio, infra, de testib., testimonium. Sed adhuc probandum est ipsum morbo epileptico laborare, quia non constabat illum sic fuisse repulsum per illam allegationem. Sed si de hoc constaret, non deberet amplius eligi, arg. supra, de postul. praelat., gratum, ubi cassatur electio illius, seu postulatio secundo facta, quae primo cassata fuit propter vitium personae, ut supra, de elect., super eo.

Aliam
Hic sumitur arg., quod non est electio facienda de aliena ecclesia quamdiu reperitur idoneus in eadem. Sed pone quod maior pars capituli et sanior eligat de alia ecclesia, et minor de ecclesia sua; quae illarum praevalet? In hac quaestione dicit Laur. quod si duae partes capituli eligunt de aliena ecclesia, tenet electio, quia duae partes vicem totius capituli obtinent, supra, de elect., licet; et infra, de elect., scriptum, ubi postulatio facta a duabus partibus praefertur electioni factae a minori parte, quia si duae partes capituli non sunt in ecclesia, non videtur capitulum esse, ff. de decr. ab ord. fac., lege; et ff. quod cui. univ. nom., plane. Sed si non essent duae partes, licet esset maior pars, et eligant de aliena ecclesia, non valet electio si minor pars eligat de sua ecclesia, et sic intelligit illa iura 61. dist., obitum; et 61. dist., nullus; 85. dist., Florentinum. Vincen. et Io. dixerunt quod semper praevalet electio de propria ecclesia a minori parte facta, etiam a duobus, arg. praedictorum decretorum, et 63. dist., litteras; et C. de episc. et cler., in ecclesiis; et infra, de cleri. peregri., te nobis; et 7. q. 1, denique; et quod dicitur hic est allegatio. Sed ideo hic obtinuit electio de aliena ecclesia, quia minor pars unum elegit. Sed obstat infra, de elect., in causis; et illud dicunt propter formam mandati ut praevaleret postulatio de aliena ecclesia electioni de propria. Tanc. dixit, et melius ut mihi videtur, quod electio facta a maiori et saniori parte capituli praevalet undecumque, sive de sua ecclesia eligant,

sive de alia, dummodo aliud canonicum non obsistat. Et hoc satis bene colligitur in hac decretali, quia propter rationem illam quam hic allegabat S. subdiaconus frivolam reputavit, et inhaeret illi soli de morbo epileptico, ut infra dicit, non obstante appellatione si qua ex aliis superius memoratis causis, cum eas frivolas, etc.; et supra, de elect., licet, in fi.; et optime facit infra, de elect., quia propter, ubi dicit, is eligatur in quem maior et sanior pars, etc., non distinguendo de quacumque ecclesia; et infra, de elect., in Genesi; et infra, de elect., ecclesia vestra 1, ubi dicitur quod electio debet fieri a maiori parte capituli. Quid respondebis illis capitulis 61. dist., nullus; et 61. dist., obitum; et 61. dist., Florentinum? Dicas quod verum est quod ita deberet fieri et honestum esset et de iure est. Si tamen maior pars aliter facit, valet, quia in hoc renunciavit iuri suo quod in favorem ipsorum fuerat introductum. Nam et optimus eligendus est, et melior, 63. dist., metropolitano; et 25. dist., unum § nunc autem; 8. q. 1, licet ergo; et tamen toleratur dummodo sit sufficiens, supra, de elect., cum nobis; et infra, de elect., cum dilectus, ubi multi meliores erant in ecclesia, et sufficit ne malus existat, 16. q. 7, monasterium.

Confirmavit

Sed nonne eo ipso quod elegit confirmasse videtur, ut 63. dist., in synodo; et ff. de auct. tut., quamquam? Sed non est verum, infra, de fide instrum., inter dilectos, vers. caeterum; et supra, de elect., cum inter universas, in fi. Quoniam tamquam arbiter elegit, et tamquam archiepiscopus confirmavit, arg. ff. quan. appel. sit, si quidem § solent; sic infra, de elect., quod sicut § praeterea; infra, de concess. praeben., postulastis. Sed numquid potest irritare propriam electionem, si tempore consecrationis vel confirmationis probetur ei crimen in modum exceptionis? Arg. quod non, quia cum ipsam electionem teneatur defendere, eam non debet impugnare, arg. infra, de nat. ex lib. ven., indecens; et infra, de cleri. coniug., diversis; arg. ff. de condi. indeb., frater a fratre; et ff. si serv. vend., altius. Sed non est ita, quia tamquam alius confirmat et tamquam alius eligit arg. 3. q. 7, infames, vers. item si contra patrem pupilli. Et de hoc dixi plura, arg. supra, de elect., cum inter universas.

Et subscriptam

Arg. colligitur hic a contrario, quod ante subscriptionem possent recedere electores ab electione, arg. infra, de censib., olim; et 1. q. 7, saluberrimum; et 64. dist., quanto. Sed non est verum, quia postquam electus est aliquis non possunt electores mutare propositum suum, dummodo ipse electus velit consentire, ut infra dicitur. Immo etiam ante electionem factam, facta publicatione scrutinii variare nequeunt electores, infra, de elect., publicato; arg. infra, de elect., in causis; et ff. de servitu. rust. praed., per fundum; et ff. de regul. iur., nemo. Immo si nollent illum eligere in quem maior et sanior pars consensit, deberent per superiorem compelli, infra, de elect., publicato; quia illum tenentur eligere, ex quo iam sic processum est, infra, de elect., quia propter.

Quasi coniugale

Sed in veritate contractum non est vinculum coniugale per consensum eligentium et electi ante confirmationem, infra, de translat., inter corporalia, vers. unde cum non sit, etc.; et infra, ut lite non cont., quoniam § si vero, in princ. Et ideo dicit, quasi quia posset renunciare sine licentia ante confirmationem Papae, arg. praedicta decretalis infra, de translat., inter corporalia, ut ibi notatur vers. sicut autem.

Ex aliis causis
Scilicet, quia erat de ecclesia, et in eadem erant idonei.

Resilire
Contra supra, de postul. praelat., bonae 2. Sed aliud est in postulatione, et aliud in electione per quam ius acquiritur, 8. q. 2, dilectissime. Et per postulationem ius non acquiritur, supra, de postul. praelat., postulationem. Immo potest dici quod idem est ut si postulatio sit publice facta in scrutinio vel superiori praesentata, non possint ab ea recedere, supra, de postul. praelat., bonae 2; ut dixi supra, de postul. praelat., etsi unanimiter; et supra, de postul. praelat., postulationem.

Non compromiserint
Maxime supple, quia idem est ac si compromisissent, ut dicitur supra, quia sive compromiserint sive non, possunt mutare consenseum suum, ut dictum est.

Volente
Ut voluntas impleatur necesse est, quia ubi est opus facto, voluntas non sufficit, infra, de eo qui mitt. in poss. caus., constitutis; et infra, de bigam., nuper.

X 1.06.22 *Dudum ad audientiam*

Conscientias
Nota conscientias eligentium examinandas sicut conscientiam accusatoris, 2. q. 7, si qui sunt.

Numerus
Ex eo quod hic dicit in fine, colligitur quod numerus praefertur auctoritati, infra, de appell., constitutis 2. Non enim praeferenda est dignitas, nisi cum numerus est par vel in modicum excedit, ff. de pacti., maiorem; et infra, de elect., ecclesia vestra 2, ubi numerus non profuit; infra, de testib., in nostra. Et de hoc dicemus in illa decretali infra, de elect., ecclesia vestra 2.

Dignitate
Ecce in quibus auctoritas, 23. dist., in nomine Domini.

Et tempore
Quia ante ordinati fuerunt vel instituti in ecclesia, infra, de maior. et obed., cum certum.

Praesentatae
Et sic non remiserunt causam sufficienter instructam. Et ideo male fecerunt, quia causam instructam remittere debuerunt, ut C. de appellat., ne causas; infra, de appell., constitutis 2; C. de relat., si quis; et C. de relat., super delictis.

Scire
Sic supra, de elect., significasti.

Procedendum
Proceditur tamen contra contumacem in causa appellationis, infra, de appell., saepe; et C. de temp. appel., cum anterioribus § illud. Sed haec non fuit causa appellationis.

Electionis tempore
Ista tria praecipue requiruntur in episcopo, supra, de elect., cum in cunctis. Et nota quod in huiusmodi electionibus tempus electionis spectatur, an sint tunc idonei, infra, de aetat. et qualit., cum bonae; et infra, de cleri. excom., postulasti; arg. infra, de elect., auditis. Arg. contra supra, de postul. praelat., bonae 1; infra, de elect., quod sicut § si autem. Solutio: tempus electionis debet spectari, et si tunc non tenuit electio ipso iure, non potest tractu temporis convalescere, ut in primis concordantiis, et 16. q. 3, placuit ut § potest, vers. quae enim ab initio, etc. Si vero ab initio non erat nulla ipso iure, sed per exceptionem poterat cassari, tunc tractu temporis potest rata haberi, et sic loquuntur contraria. Item arg. est hic initium spectandum, 1. q. 1, principatus; et 16. q. 3, si sacerdotes; et 55. dist., praecepta; et infra, de probat., post cessionem; et ff. de orig. iuris, facturus; ff. de regul. iur., quod initio; ff. de minor., denique § 1; ff. de public. iud., is qui; ff. de iuris., cum quaedam; et infra, de for. compet., proposuisti; et supra, de rescript., eam te; ff. mand. vel cont., si procuratorem, 1. resp.; ff. de Maced., si tamen; et ff. de poe., quotiens; et C. de testament., testes servi; et ff. de vac. mun., sextum decimum § qui ad munera; et ff. de peculi., licet § si filius, in fi. Arg. contra scilicet, finem spectandum, infra, de testibus cog., praeterea; infra, de despon. impub., accessit; et de despon. impub., litteras; ff. de ritu. nupt., si quis; ff. de iure fisc., non intelligitur § si quis palam; ff. de iud., cum furiosus; ff. de statu hom., liber homo; Inst. de ingen. § sufficit et pro utraque parte; ff. comm. praed., receptum est. Solutio: verum est initium fore spectandum in contradictibus vel quasi, et in delictis vel quasi. In omni enim negotio ex quo actio oriri potest, et in decretis et constitutionibus, nisi propter favorem aliud contingat, sicut in matrimonio vel libertate, ut patet per concordandantes proxime positas, ilud quod dicitur finem spectandum habet locum cum quaeritur an id dedit vel non dedit, seu quando dedisse videtur, vel quando possidet vel restituit, sive cum capere potuit, in Auth. de nupt. § quia vero hactenus, coll. 4; et ff. de alim. vel cib. leg., Mela. Inspicit enim tempus quo capax est, ff. de iure fisc., non intelligitur § si quis palam. Et si ago contra te, et non competit mihi ius, si tempore sententiae competit, sequitur condemnatio, ff. de peculi., quaesitum; ff. de rei vend., sin autem § 1; ff. deposi., depositum § non solum.

In ordinibus
Talis electio nulla est, et devolvitur potestas eligendi ad alios, licet pauciores, ut hic patet expresse. Et hoc intellige quando ex certa scientia eligitur; alias non essent privati si probarent ignorantiam, et ita ista tria et quodlibet illorum reddunt electionem nullam, ut hic patet.

Corporali
Sic infra, de re iudic., cum olim; et bene potest procedi contra absentem in isto casu, etiam lite non contestata, infra, ut lite non cont., quoniam § porro. Arg. contra infra, de dolo et contu., cum olim, ubi expectatur per annum. Sed illud in eo qui appellavit, illud

quod dixi, quod potest procedi contra absentem legitime eo citato, intelligas ut infra, de appell., per tuas.

Impedimentis
Propositis contra ipsum in aetate, in ordinibus, in scientia, et in litteratura.

X 1.06.23 *Bonae memoriae M.*

Constaret
Nam si hoc esset, de iure communi debuit perdere primam et secundam, 12. q. 1, episcopus; et 12. q. 1, si quis episcopus; et infra, de translat., quanto.

Nunciaret
Simile supra, de elect., qualiter; et infra, de praeben., cum iamdudum.

De vi
Id est, violenta impressione inferenda. Sic infra, de elect., cum Wintoniensis, ut notatur in casu, sed ibi fuit illata.

Metuebant
Si citati non poterant venire ad ecclesiam cathedralem, debebant constituere procuratores qui vice fungerentur illorum, infra, de elect., quia propter. Et sic videtur quod non valuisset eorum appellatio, quo minus alii procedere potuissent. Non credo quod hodie valeret talis appellatio, quia ex quo maior pars citat minorem, si iusta causa impediti venire non possunt, constituere debent procuratorem, infra, de elect., quia propter. Alias credo quod electio maioris partis praesentis valeret per eandem constitutionem infra, de elect., quia propter. Si autem maior pars canonicorum iusta de causa esset absens, nec posset venire ad ecclesiam in qua debet electio celebrari, et sint in loco in quo debent ad electionem vocari, satis credo quod minor pars debet ire ad maiorem si potest, et econverso. Alias ad locum communem conveniant omnes vel constituant procuratores, si ire non possunt, infra, de elect., quia propter; 23. dist., in nomine Domini, vers. fi., ubi dicitur quod si electio Papae in urbe Romana fieri non potest, exeant ad locum idoneum. Sed in casu huius decretalis aliud erat impedimentum, in quo absentes non debebant ire nec dare procuratores. Timebant enim vim sibi fieri in electione, id est, violentam impressionem, et sic non habuissent liberam potestatem eligendi nec eorum procuratores, et ideo tenuit eorum appellatio propter iustum metum impressionis, et ita solus talis timor sufficit, licet impressio secuta non sit. Unde de hoc mandavit Papa inquiri, arg. optimum ff. locat. et conduct., habitatores § ulti.; et ff. locat. et conduct., item quaeritur § exercitus; alias autem non debebant ire. Vel si aliud iustum impedimentum habebant constituere procuratores, alias procedere debent ad electionem ex quo vocati erant per illam constitutionem infra, de elect., quia propter. In spirituali vero sicut in carnali matrimonio debet esse liber consensus, alias nullus esset consensus, infra, de spons., cum locum. Maguntini favebant Philippo per cuius potentiam Wormaciensis episcopus fuit postulatus et intrusus. Prepositus iste favebat Ottoni, qui electi erant in discordia, unde timebant ipse et sui, quod non possent liberum habere consensum in electione; unde appellaverunt

ex illa causa quae iusta fuit. Unde in locum securum utrique parti convenire debebant. Ber.

Constaret
Alias non valuisset appellatio. Vel posset suppleri: maxime si vocati non fuissent.

Exceptione
Infra, de appell., an sit; et infra, de appell., constitutis 2; et infra, de usur., quia frustra; ff. de minor., auxilium; et 17. q. 4, frater noster; 12. q. 2, de viro.

Licentiam
Unde privandi sunt potestate eligendi illa vice, infra, de translat., quanto. Quae potest assignari contra id, quia hic ipso iure fuerunt privati potestate eligendi, unde tenuit electio postea facta, sed ibi dicit Papa, suspendimus, ibi, solvitur.

Confirmaret
Quod si ecclesia Maguntina tali modo non recepisset, tunc legatus de utraque inquireret, et causam instructam ad sedem Apostolicam remitteret.

Recepit
Et ita quandoque probatur et examinatur quod notorium est, arg. 24. q. 1, pudenda, in fi.; et 11. q. 3, eorum qui. Quoniam licet aliquid manifestum sit, eius tamen interpretatio non est negligenda, ff. de ven. inspic., temporibus § nihil. Quamvis nihil tam indubitatum est, quin recipiat quandam sollicitam dubitationem, in Auth. de tabell., circa medium constitutionis, coll. 6; et ita potius recipiuntur hic testes ad cautelam, quam de iuris necessitate. Vel quia ex superabundanti aliquid probatur, ff. de manumiss., causam, in princ. Quia si transivit, non potuit non esse notorium, infra, de translat., quanto; vel forsan quia non erat notorium.

Cassavit
Id est, reprobavit, vel irritam nunciavit, ut patet supra, quia constitit ei quod administravit, et coepit ecclesiam praeter auctoritatem Apostolice sedis.

A paucissimis
Sic supra, de postul. praelat., gratum.

Notorius
Ut 2. q. 1, de manifesta; et infra, de accusat., evidentia.

Praesumitur
Sic infra, de renunciat., in praesentia; et infra, de re iudic., sicut; infra, de probat., post cessionem; et 2. q. 6, hoc etiam placuit; ff. de publican., quantae. Sed hodie non praesumitur pro iudicis processu in praeiudicium alterius, nisi quatenus constiterit legitimis documentis, infra, de probat., quoniam.

Quamvis
Id est, quia. Sic ponitur infra, de iureiur., quemadmodum, vers. quamvis interdum, etc.

Negantis factum
Sic infra, de renunciat., super hoc; et infra, de probat., quoniam; 6. q. 5, actor.

Per rerum naturam
Id est, secundum cursum causarum, C. de reb. credit., in bonae; vel per rerum naturam, id est, secundum naturalem probationem, id est, per causam rerum. Quoniam ea quae non sunt, non probantur per aliquam causam. Eius enim quod non est, nulla est causa. Non enim ratio prius quam persona quaerenda est, ff. de iure cod., quidam referunt § 1; sed ea quae sunt, probantur. Vel dic, per rerum, id est, causarum naturam, id est, consuetudinem. Consuetudo enim est altera natura, quod dicit secundum solitum cursum causarum negativa non potest probari. De hac negativa nota quod tribus modis dicitur. Est enim negativa facti, iuris et qualitatis. Negativa facti duplex est, pura et simplex, quae non habet determinationem loci, vel temporis, vel alterius rei. Et haec negativa pura et simplex probari non potest directe vel indirecte, ut si aliquis dicat se numquam fuisse citatum; vel si quis dicat se non contraxisse cum Berta; et de tali negativa loquitur hic, et 6. q. 5, accusator quod asseverat. Unde onus probandi transfertur ad adversarium, et hoc ideo quia negationum non sunt causa, ut dixi. Si autem adiiciatur tempus vel locus, vel aliquid consimile, tunc potest probari indirecte, ut infra, de testib., ex tenore; et infra, de testib., series; et C. de contrah. et comm. stip., optimam; ut si exhibeatur instrumentum in quo stipulatio contineatur facta tali die et loco, ut in predictis iuribus. Non obstat quod dicitur infra, de probat., tertio; et infra, de testib., tam litteris, in fi.; quia ibi non probatur directe vel indirecte, sed praesumptive. Item negativa facti probatur, cum habeat in se implicitam affirmativam, ut si dicatur: ego non sponte renunciavi, quod dicit coactus renunciavi; et hoc debet probari ab eo qui hoc negat, infra, de renunciat., super hoc. Item negativa iuris bene probatur, ut si negas emancipationem recte factam, hoc ipsum probare debes, ff. de probation., ab ea parte § 1. Quia qui negat aliquid iuste factum, dicit illud iniuste factum, unde illud probare debet. Negativa qualitatis dicitur illa, iste non est idoneus; hic negatur qualitas, etc., hic non est legitimus, iste non est diligens, non est solvendo. Hoc potest et debet probari ab eo qui hoc dicit, quia quilibet praesumitur idoneus, nisi probetur contrarium, infra, de praesump., dudum; et infra, de scrutin., ex parte; et ff. de leg. 2, cum quidam; et ff. de leg. 2, cum pater § rogo; et C. de inoffic. testam., omnimodo. Arg. contra C. de probation., ex persona.

Singulares
Et sic esset insufficiens testimonium illorum, infra, de elect., cum dilectus; et infra, de accusat., cum dilectus, in fi. Si autem unus iuraret de facto alterius, subiret anceps periurium, quod esse non debet, ff. de in litem iuran., videamus; ff. de act. rerum amot., Marcellus; nisi forte sic iuraret: ego iuro quod ille non fuit citatus, quod ego sciam; simile infra, de purg. can., quotiens, in fi.; sic 8. q. 3, Artaldus; in Auth. de hered. et Falc. § si vero absunt, coll. 1; alias est sub § sancimus, ubi dicitur quod testes iurent quod non sint conscii alicuius malignitatis factae ab herede, hoc est dicere quod ipsi sciant. Sic patet quod nullus potest probare se non fuisse citatum, sed illi incumbit probatio qui dicit aliquem fuisse citatum, non ei qui negat. Legatus enim eos citavit, quod apparet ex eo

quod ad legatum nuncium destinarunt, et ex eo quod dicit, omnia praesumuntur legitime acta; alias ei incumbit probatio qui dicit adversarium fuisse citatum, non ei qui negat. Sed nonne capitulum erat excusatum, si quilibet de capitulo iuret se non fuisset citatum? Videtur quod sic. Negativa enim probatur per iuramentum ipsius negantis, ff. de iureiuran., ait praetor si § quacumque; et infra, de testib., extravag. praesentium; et licet sit probatum de capitulo non tamen singuli probant de se, sed talis probatio non relevaret capitulum. Sed qualiter probabit capitulum citatum? Dico quod per hoc quod litterae citationis diriguntur praelato, et aliquibus maioribus de capitulo, arg. supra, de postul. praelat., ad haec; 44. dist., comessationes, in fi.; et infra, de simon., veniens; Inst. de iure natural. § senatus; et ff. de condi. et demon., municipibus; arg. infra, de procurat., consulti. Vel si non habetur illorum copia, sufficit legi litteras publice in capitulo sive in claustro praesentibus qui inveniuntur, infra, de dolo et contu., causam quae; et infra, de dolo et contu., venerabilis; et infra, de cleri. non residen., ex tuae. Et interrogandi sunt vicini sive parochiani si volunt defendere, ff. ex quib. cau. maio., ergo; et ff. de liber. agnosc., senatus; ff. de damn. infect., dies § praetor. Sed si litterae praesententur praelato, et aliquibus de maioribus vel soli praelato, et ipse occultaverit litteras, nec praesentaverit eas capitulo, et non vadat vel mittat ad iudicem, et sic iudex reputans capitulum contumax, totum capitulum suspendat vel excommunicet, numquid illi qui nihil sciverunt sunt excommunicati? Videtur quod non, nam propter contumaciam procuratoris dominus non punitur, ff. si quis ius dic. non obtem., omnibus § si procurator; et infra, ut lite non cont., ad hoc, in fi., ubi innuitur a contrario sensu, quod propter contumaciam procuratoris dominus excommunicari non potest, si dominus ignoraverit. Sed hoc tutius videtur quod capitulum petat absolutionem, quia praesumptio non modica est contra ipsum capitulum, nisi capitulum diceret se nescivisse; sed non de facili posset hoc probare. Arg. quod posset infra, de probat., tertio; et infra, de probat., cum bonae; arg. quod capitulum sit excommunicatum, arg. infra, de sent. excom., extravag. Romana § ulti. Ber.

Secure

Alioquin si non potuisset ire securus, poterat legitime appellare ab eo, nisi securum locum eidem providisset, infra, de appell., ex parte 1; et infra, ut lite non cont., accedens 2. Sed hoc fuit falsum, ut hic dicit. Etsi hoc esset, tamen potuit mittere procuratorem, sicut misit nuncium, infra, de appell., constitutis 2, et hic. Sed numquid tenetur quis mittere procuratorem quando ipse ire non potest, puta quia sibi locus est suspectus, vel alias impeditus? Non credo, quia nemo compellitur mittere procuratorem, praecipue in magnis causis, ut erat ista, ut infra, de procurat., querelam, ubi de hoc. Sed mittere debet qui proponat exceptionem, alias teneret excommunicatio pro contumacia, infra, de appell., si duobus.

Nuncium

Nota simplicem nuncium non audiri, arg. infra, de procurat., alia; et infra, de dolo et contu., cum dilecti; arg. contra Inst. per quas pers. nob. acq. § igitur; et ff. deposi., depositum § si te rogavero; et infra, de offi. deleg., prudentiam.

Causis

Scilicet, quia non detulerunt appellationi, et quia indignum sine licentia Papae receperunt, et quia citati non venerunt, et etiam quia idem episcopus sine licentia Papae transivit. Contra supra, de elect., consideravimus; contra infra, de elect., auditis, ubi utraque cassatur, quia factae fuerunt electiones post appellationem, et prima non cassata, facta fuit secunda. Idem debuit hic fieri, quia utraque post appellationem facta fuit. Praeterea et econtra opponitur, eo ipso quod primi postulaverunt post appellationem sine aliis, non fuerunt ipsi privati potestate eligendi, quia alii potuerant consentire, et renunciare appellationi, supra, de postul. praelat., bonae 2, et praedictis decretalibus supra, de elect., consideravimus; et infra, de elect., auditis. Ergo secunda electio debuit hic etiam cassari, cum prima postulatio non fuerit nulla ipso iure. Solutio: per talem postulationem factam post appellationem, nullum ius fuit acquisitum vel gratia quam petere posset, et postulantes poterant resilire a tali postulatione, cum nondum esset praesentata superiori, supra, de postul. praelat., bonae 2; et sic habebant adhuc potestatem eligendi, et poterant cum aliis eligere si voluissent. Sed postea cum receperunt eum sine licentia Papae in contemptum ipsius, cum non possent, tunc primo amiserunt potestatem eligendi et magis deliquerunt quam si indignum scienter eligerent, et plus est ipso facto delinquere quam verbo, et plus est contemnere legem vivam quam mortuam, ut patet in integra. Et sic paenes illos remansit ius eligendi, quamvis essent numero paucissimi, supra, de postul. praelat., gratum; et appellationem non possunt opponere, cum ipsi contra appellationem deliquerint, et contumaces fuerint, et ita ex tribus causis praedictis se fecerunt indignos. Sed ex una praecipue amiserunt potestatem eligendi: recipiendo illum sine licentia Papae; alias si non recepissent illum, non amisissent potestatem eligendi, ut patet in integra. Quidam dicere voluerunt, quod haec decretalis continet gratiam. Sed forsan hoc dicunt qui intelligunt hanc decretalem quod haec electio facta fuisset antequam Maguntini recepissent Wormaciensem vel administrasset, et si hoc fuisset, quod non est verum, gratiam contineret. Vel dic ex tribus, praesumptione, scilicet, quia a virum pastorali dignitate praeditum contra formam canonicam non solum eligere, sed etiam recipere praesumpserunt; contemptu, quia postquam procurator eorum nostras litteras reportavit, quibus mandabatur quod si Wormaciensem episcopus in temporalibus et spiritualibus ministrasset, ipsius cassaretur electio, ipsi postmodum quasi electo suo, sicut ex eorum litteris apparet, quibus eum electum suum nominant, temere paruerunt. Et blasphemia, quia legatum nostrum quantum in eis fuit infamantes, eum fuisse corruptum pecunia sunt mentiti. Haec littera est in registro, et sic ex tribus causis reddiderunt se indignos, unde non debent audiri, supra, de elect., consideravimus, ut sequitur in glossa.

Ad nos

Dixit Laur. quod cum simul omnes delinquunt eligendo indignum, tunc tantum transfertur potestas eligendi ad superiorem. Si vero secundi post electionem priorum similiter eligant indignum, revertitur potestas eligendi ad priores, et facit pro eo quod dicit in littera, pariter; et infra, de elect., cum Wintoniensis. Sed Tanc. dicit non esse verum, immo sive simul sive separatim deliquerunt, transfertur potestas eligendi ad superiorem sicut hic dicit. Et illud adverbium, pariter, non notat identitatem temporis ad peccandum, quod exigat ut simul delinquant, sed vitii similitudinem. Et illa decretalis infra, de elect., cum Wintoniensis, non facit pro eo, quia ibi tantum una pars peccaverat eligendo indignum hominem illegitime natum, propter quod ius eligendi ad alios fuit devolutum.

Et illi licet quodammodo deliquerunt eligendo per impressionem, non amiserunt ius eligendi, et tunc primi et secundi simul postea debent eligere, ut ibi dicitur. Sed ubi utraque pars peccat eligendo indignum in electione episcoporum et eorum superiorum, sive eodem tempore, sive diversis peccent, semper transfertur eligendi potestas ad dominum Papam, ut haec littera dicit, sicut infra, de concess. praeben., quia diversitatem. Et non revertitur ad primos, sicut dixit Laur., et eodem modo intellige supra, de elect., cum in cunctis § clerici; quod debet intelligi secundum istam, ut ad Papam eligendi potestas transferatur. Secus est cum clerici sunt negligentes in eligendo, quia tunc devolvitur eligendi potestas ad proximum superiorem, infra, de elect., ne pro defectu. In electionibus vero inferiorum praelatorum cum eligitur vel confirmatur indignus, servari debet quod dicitur supra, de elect., cum in cunctis § ulti.; et infra, de elect., nihil est. Sed in casu negligentiae servatur quod dicitur infra, de concess. praeben., nulla; exceptis abbatiis, ubi dantur tres menses tantum, ut dicit decretalis illa infra, de elect., ne pro defectu. Et quod infra, de elect., cum in cunctis, debeat sic intelligi, ex eo patet quod Papa in infra, de elect., cum in cunctis § clerici, non dicit ad quem devolvatur eligendi potestas. Unde debet intelligi quod ad ipsum debet devolvi, cum in inferioribus dignitatibus dixit ad quos devolvatur potestas eligendi cum eligitur vel confirmatur indignus, ut infra, de elect., cum in cunctis § ulti; ut quod de minoribus concessit, de maioribus prohibuisse videatur. Alii dicunt quod ad proximum superiorem devolvitur potestas eligendi, et hic non erat superior nisi Papa, et idem dicunt in casu negligentiae, ut dicit infra, de elect., ne pro defectu. Ber.

X 1.06.24 *Querelam*

Commisit
Arg. ad quaestionem dominicalem quod si ille a quo appellatur, efficitur eiusdem iurisdictionis cuius est ille ad quem appellatur, quod nihilominus potest de causa cognoscere; ff. de iud., si is qui Romae; arg. contra, ff. de iud., iudicium; et ff. de iud., mortuo; et ff. de iud., Iulianus. Tamen honestius est quod causam deleget, immo videtur quod teneatur causam illam delegare; ff. de iuris., praetor.

Petens
Et ita patet quod duae actiones simul proponi possunt in eodem libello, infra, de capell. monach., dilectus; et infra, de caus. poss. et propr., cum ecclesia; et et infra, de caus. poss. et propr., cum super; et ff. fam. ercis., heredes § de pluribus; ff. de act. emp. et vend., non est novum; et ff. de act. emp. et vend., ex empto. Sed videtur quod iste oeconomus non fuisset audiendus, quia videbatur contrarius in sua petitione. Petebat enim illum Petrum removeri ab ecclesia, ab eodem petens pensionem sibi restitui. Ista duo contraria videntur, quod removeatur, et pensionem solvat. Si enim condemnaretur ut removeretur de ecclesia, qualiter condemnaretur ad pensionem praestandam? Sic enim condemnaretur qui non est praelatus. Unde sententia illa non praeiudicat ecclesiae, sed contraria petens non auditur, infra, de appell., sollicitudinem; et 23. q. 7, quod autem; 74. dist., gesta; C. de muner. patrim., possessio tua, lib. 10; et infra, de iudic., examinata. Dico quod illa non obstant, licet enim petatur removeri. Interim tamen tamquam legitimus administrator est habendus; 8. q. 4, nonne. Et accusato reo potest solvi quod debetur ei, ff. de solut., reo. Et econverso a reo accusato potest peti quod debet, ff. de

solut., sed nec illud. Et si tibi legatus sit usus fructus, tributa praestare debes, ff. de usufru., relicto; et ff. de usufru., si pendentes § ulti.; et quia iste sic agebat etc., ff. de Maced., si quis patrem; et infra, de offi. deleg., coram. Et si removeretur, nihilominus condemnaretur ad solutionem pensionis nomine ecclesiae, et teneret talis condemnatio. Nam sicut condemnatur suo nomine, ita posset condemnari nomine ecclesiae, arg. 16. q. 4, volumus; et infra, ut lite penden., quasi per totum.

Consuetudine
Quae provenit ex iure patronatus, quae dat ius eligendi, infra, de caus. poss. et propr., cum ecclesia; et infra, de his quae fi. a prael., ea noscitur.

Oeconomi vestri
Concipienda sunt ergo verba sententiae in personam procuratoris vel syndici, non principalis personae, infra, de censib., olim; et infra, de capell. monach., dilectus; C. de sent. et interloc. om. iud., non videtur; ff. de negot. gest., liberto § ulti. Si enim dominus deberet condemnari, quare ergo procurator caveret de iudicato solvendo? Arg. contra infra, de probat., licet; sed ibi condemnatur commune Faventiae in personam procuratoris, quia in eo datur actio iudicati; ff. de re iud., si se non. Et ideo necessario dominus, scilicet, commune Faventiae condemnatur. Vel dicas in spiritualibus causis in persona domini debeat fieri condemnatio, in causis matrimonialibus et criminalibus, infra, de procurat., tuae; arg. C. de reb. credit., cum quis legatum. Sed dominus M. dixit quod tunc procurator est condemnandus quando numquam comparuit in iudicio, quia dominus litis factus est, alioquin dominus condemnabitur, et non procurator; C. de sent. et interloc. om. iud., non videtur. Quia tunc non fuit procurator dominus litis quando post litem contestatam datur procurator, et arg. ad hoc ff. de his qui not. infam., furti § si quis dominus. Io. B. et Tanc. dicunt quod sive ab initio sive ex post facto procurator intervenit, in personam procuratoris formanda est sententia; C. de procur., nihil arbitramur; et ff. de nego. gest., liberto § ulti.; et ff. de procur., qui proprio, in princ.; et ff. de procur., licet in popularibus, in fi. Ut autem non incidas in aliquod periculum vel dubium, formare debes sententiam in personam utriusque, scilicet, domini et procuratoris sui, sic: talem procuratorem talis, et ipsum dominum condemno, vel absolvo, et ita salvabis utramque opinionem, et ita servatur; arg. infra, de fide instrum., inter dilectos, in fi.

Super iure
Sed nonne petitorium et possessorium deducta sunt in iudicium? Quare ergo non fit condemnatio super iure patronatus? Ita videtur in verbis illis ubi responsum fuit, cum haec capella ad aliam nullo iure pertineat, etc.; simile infra, de caus. poss. et propr., cum ecclesia; et infra, de caus. poss. et propr., cum super; et infra, de caus. poss. et propr., cum dilectus. Sed hoc hodie ideo est, quia populus non fuit in iudicio, et ea quae sunt inter presbyterum facta et cardinalem sancti Vitalis non praeiudicant populo, quia res inter alios, etc.; infra, de fide instrum., inter dilectos; ff. de re iud., saepe; et infra, de re iudic., cum super; et infra, de re iudic., quamvis. Et est notabile quod hic dicitur, ut si electus impugnetur quod sit electus a non domino, sufficit ei probare quod eligens erat in quasi possessione eligendi, licet alter obtineat postmodum in petitorio, infra, de iure patron., consultationibus; et infra, de iure patron., cum propter. Unde institutus ad

repraesentionem populi non perdet ecclesiam. Sed si altera ecclesia evincat postea ius patronatus, debet ab ea iterum praesentari, ut per hoc sit in quasi possessione iuris sui, scilicet, patronatus, infra, de iure patron., si vero; et infra, de iure patron., cum propter.

Tempora
Infra, de censib., pervenit, contra. Sed illud in petitorio, hoc in possessorio.

Statum
Et de iure, quia conductor lite pendente debet solvere pensionem, 16. q. 4, volumus; et infra, ut lite penden., quasi per totum; et C. locat. et conduct., si quis conductionis. Arg. contra C. de agric. et cens., litibus, lib. 11, ubi dicitur quod lite pendente colonus denegat domino pensionem, nisi diutius eam soluisset. Sed ibi dominus agebat petitorio et non possessorio, vel ibi nolebat colonus restituere pensionem, quia dicebat quod ille non erat dominus qui ab initio dederat ei rem, et tunc sequestratio fit, nisi longo tempore soluisset, ut ibi dicitur, et est speciale.

X 1.06.25 *Cum Wintoniensis*

Tractaverint
Post illas duas cassatas.

Concordes
De persona assumenda, concordes tamen erant de electione facienda, ut postea sequitur.

Scienter
Quoniam si ignoranter, tunc non sunt privati, ut supra, de elect., innotuit.

Promeruit
Haec fuisset bona allegatio si eam probassent, si super episcopatu fuerat specialiter dispensatum, infra, de concess. praeben., cum dilecta.

Isti
Scilicet, prior et complices eius, qui non peccaverunt eligendo praecentorem.

Admisserant
Nota quod semel approbatum est, reprobare non possunt, ff. de negot. gest., Pomponius; ff. de adulter., si uxor; et 8. q. 2, dilectissimi; supra, de elect., cum inter canonicos; et 32. q. 5, horrendus. Et sic illos admittendo sibi praeiudicaverunt, et ius suum amiserunt quo poterant illos repellere ea vice, et sic protestatio sua non profuit contrarium faciendo, sic supra, de consti., cum M. Praeterea quare eos admiserunt cum essent suspensi ipso facto auctoritate concilii Lateranensis, supra, de elect., cum in cunctis? Cum si elegissent, eorum electio debuit cassari, supra, de consuet., cum dilectus; et infra, de cleri. excom., postulasti. Dicas quod illi qui eligunt indignum privati sunt quantum ad alios qui non peccaverunt, sed quantum ad se non est potestas eligendi ligata, quin bene possint eligere, si ab aliis admittantur. Sicut potestas celebrandi in clerico peregrino non est ligata quantum ad se, sed quantum ad alios, quia celebraret si permitteretur, infra, de cleri.

peregri., tuae fraternitatis. Sic in monacho qui publice celebrare non potest, tamen non est suspensus, quia si invitaretur a populo et permitteretur ab episcopo, posset celebrare, 16. q. 1, adiicimus § ecce in hoc. Et licet isti sint suspensi a beneficio, non impediuntur eligere, quia talis suspensio non repellit eos ab electione, nec est a divinis officiis, unde omnia negotia tam spiritualia quam temporalia possunt exercere, et tempore talis suspensionis deberent etiam officiare, quia in poenam talis suspensio introducta est, tamen modicam sustentationem debent tunc habere, ne ex toto egeant.

Illos
Scilicet, qui elegerant decanum non legitime natum.

Celebrare
Cum haberent mandatum a capitulo, ut dixi in casu, secundum quod patet in integra, alias non possent eligere, supra, de elect., innotuit.

Tertia concurrebat
Sed quo respectu dicitur tertia? Potest dici quod prima electio fuit illa decani non legitime natu, secunda fuit praecentoris, quae non impediebatur per primam, cum illi qui elegerant decanum essent eligendi potestate privati, ita quod non poterant obiicere aliquid contra secundam, in quo tantum puniuntur, quia in prima quae facienda occurrit post illam in qua delinquunt, privati sunt tantum potestate eligendi, et non in tertia. Sed secunda fuit hic cassata, et ita ius eligendi devolutum fuit ad omnes, unde modo tertia concurrebat facienda, a qua illi non repellebantur, immo admittebantur auctoritate praedicti canonis, et iste videtur bonus intellectus. Et sic ex duabus causis isti qui primo peccaverunt debebant admitti ex eo quod ista tertia concurrebat, ut dictum est, et ex eo quod alii admiserant illos ad tractandum de electione, ex eo enim solo admitterentur ad secundam, in qua non deberent admitti, quia postquam res iam non est integra, non possunt illos repellere, infra, de elect., in causis; et res de facili ad suam naturam revertitur; ff. de pacti., si unus § quod si non ut totum; et ff. de iust. et iure, ius pluribus. Et etiam si non admisissent illos, debebant nihilominus admitti, et sic utroque casu debent admitti. Et hoc satis colligitur ex littera, sed obviat huic intellectui littera ista. Isti post primam admiserant illos ad celebrandum secundam. Sed hoc exponit in fine. Alii volunt dicere, prima dicitur electio praecentoris, quae fuit cassata; secunda electio appellatur tractatus, in quo fuerunt admissi, et pro una electione reputatur, quia si non admisissent illos, poterant soli procedere ad electionem, et pro istis facit optime quod dicitur in littera. Isti post primam admiserant illos ad celebrandum secundam, et econtra. Et ita intellexit Tanc. et bene concordat litterae. Et dicebat Tanc. quod electio decani et electio praecentoris reputabantur pro una electione, quia simul factae fuerunt, ut dicebat. Sed hoc est falsum. Immo in diversis temporibus factae fuerunt, ut patet in integra, secundum quod dicitur in casu, et electio decani appellatur prima, et electio praecentoris fuit secunda, et haec quae modo imminet facienda dicitur tertia respectu illarum. Et quod dicitur, isti post primam, id est, post secundam, quae dicitur prima respectu istius quae imminet facienda, et quia alia nulla fuit, et quod nullum est, nec primum nec secundum dici potest. Etiam verum est quod post primam de decano, quae in veritate fuit, admiserunt illos, sed non ad secundam factam de praecentore, et quod dicit, ad celebrandam secundam, scilicet, respectu suae, quae cassata fuit. Et quod dicit, tertia

concurrebat, est vere tertia respectu duarum quae cassatae fuerunt, et sic prior intellectus potior videtur.

Admittendos
Arg. contra infra, de offi. deleg., cum super, ubi iudex qui privatus erat iurisdictione non potuit postea associari ad iudicandum. Alia ratio est in iudicibus, ubi enim non potest unus procedere cum alio qui iurisdictionem non habet, nec potest is qui habet iurisdictionem ei dare iurisdictionem vel eum sibi associare, quin iam ex toto desiit esse iudex. Et si hoc faceret, a non suo iudice diceretur factum, et ideo quicquid simul faciunt non tenet, confitendo per consequens se non posse procedere solum, et ita ille qui habebat iurisdictionem perdit illam, ut dicit illa decretalis infra, de offi. deleg., cum super. In eligentibus secus est, quia licet illi qui possunt eligere admittant illos, qui privati erant per culpam suam, non perdunt ipsi ius eligendi, quia possunt renunciare iuri suo, nec illi sunt privati perpetuo, sed una vice tantum, unde possunt parcere illis si volunt, sed in iudicibus non est ita. Ber.

X 1.06.26 *Per inquisitionem*

Episcopatus
Cum agitur de statu ecclesiae, recipiuntur testes tam contra praelatum quam contra omnes de ecclesia, infra, de accusat., qualiter et quando 2; etiam lite non contestata, si per contumaciam se absentant, infra, ut lite non cont., quoniam § sunt et alii. Sed conspiratores contra illum contra quem conspiraverunt admittendi non sunt, sed super statu ecclesiae admittuntur, infra, de re iudic., cum I et A.

Amicos
Secus si inimici fuissent, infra, de simon., sicut tuis.

Colloquium
Hoc sufficeret ad ipsius remotionem, 40. dist., multi. Et desiderantibus est auferendus, 8. q. 1, in scripturis.

Sollicitasse
Et hoc idem nocere debuit, 1. q. 6, sicut; et C. de episc. et cler., si quemquam. Et hoc ipso suspectus est quod se ingerit; ff. de procur., quae omnia. Et preces huiusmodi importunae inducere videntur simoniam, 1. q. 1, sint nonnulli; et 1. q. 1, ordinationes.

Recognovit
Talis recognitio sive confessio, licet fieret extra ius, praeiudicat confitenti, maxime si publice fiat, arg., de excess. praelat., quam sit; et arg. 22. q. 5, hoc videtur. Et recognitio debiti praescriptionem interrumpit, C. de praescri. long. temp. dec., cum notissimi § sed et si quis debitori; et in alio casu 3. q. 9, testes § sed si debitum scriptum sit.

Detinebat
Et male dilapidabat enim. Arg. quod sicut non suo, ita nec alieno nomine hoc facere debuit, 46. dist., sicut non suo.

Talem
Scilicet, simoniacum, et ambitiosum, ut patet ex ipsa littera.

Scienter
Quia audivit ab ipso, et scivit de sollicitatione, ut dictum est.

Se indignum
Ad minus per triennium, supra, de elect., cum in cunctis; supra, de elect., cum Wintoniensis. Immo perpetuo praeteritis beneficiis privari debet, ut dixit Papa Inno. iiii, si criminaliter contra eum ageretur, et inducit ad hoc infra, de confess., cum super. Sed ille plus peccavit quam iste, unde non probat cum dicit de isto, et ideo propter huiusmodi suspensionem promoveri non debuit ad honores, supra, de consuet., cum dilectus; et infra, de aetat. et qualit., cum bonae; quia vilibus personis non sunt concedendi honores, infra, de excess. praelat., inter dilectos; et C. de dignitat., neque famosis, lib. 12; et C. de infam., infames, lib. 10; et 81. dist., tantis; infra, de accusat., omnipotens; infra, de testib., testimonium; C. de procur., reum; ff. de muner. et honor., reus § eum contra quem. Et ideo iste Mascaron tamquam indignus debet removeri, quia fuit conscius simoniae, et simoniacum scienter elegit, et ideo beneficiis ecclesiasticis se reddidit indignum, ut hic dicit. Sed quare punitus fuit iste Mascaron? Nam testis fuit, et ideo contra infra, de ord. cognit., cum dilectus, in fi.; et infra, de except., denique; ff. qui pot. in pign. hab., Claudius; et infra, de fide instrum., inter dilectos; infra, de re iudic., cum super; et C. inter al. act. vel iudic., per totum. Solutio: res ista non fuit acta inter alios, immo inquisitio facta fuit tam in capite quam in membris, ut dixi, et contra eum et alios. Unde si confessus fuit contra se in iure, ei praeiudicare debuit, et confessus in iure per iudicato habetur, infra, de confess., cum super. Si aliquis inducatur testis in causa alterius, et in modum exceptionis probetur crimen, testis non punitur, nisi quia testimonio repellitur, nec infamiam incurrit, et sic loquuntur contraria proxime signata. Et nota per hanc decretalem quod suspensus a beneficio eligi non potest ad beneficium vel dignitatem dum manet in suspensione, sicut nec suspensus ab officio, ut supra, de consuet., cum dilectus; et qui non servavit interdictum, supra, de postul. praelat., ad haec; et infra, de excess. praelat., tanta.

X 1.06.27 *Cum causam quae*

Per multa et longa tempora
Consuetudo in hoc non iuvat, supra, de consuet., ad nostram; et supra, de consuet., cum inter; quia non quod sit factum, sed faciendum considerandum est, ff. de off. praes., sed licet; et ff. de iust. et iure, ius pluribus; et 93. dist., legimus. Et negligentia episcopi hoc accidit, infra, de testamen., quia ingredientibus. Et dispar professio in ecclesia esse non debet; 16. q. 1, presbyteros; et 16. q. 7, in nona.

Dubitatis
Simile supra, de rescript., cum contingat.

Asino
Id est, homines diversae proffesionis in uno officio non sociabis. Sic exponitur 16. q. 7, in nona actione.

Irritetis
Et merito, quia contra ius est, 18. q. 2, abbatem; et 18. q. 2, quam sit. Et contra istud ius commune non praescribitur ullo tempore, ut hic dicit, quamvis per multa et longa tempora, etc. Et similem casum habes infra, de elect., cum in magistrum.

X 1.06.28 *Quod sicut*

Iuris
Ex tali simplici nominatione nullum ius acquiritur nominato, ut 2. q. 6, ei qui, vers. nominationes. Sed ex illa nominatione quae fit in scrutinio, ipso publicato, ius acquiritur nominato in scrutionio, infra, de elect., publicato.

Constitutiones
23. dist., in nomine Domini; et infra, de appell., qua fronte. Et etiam causae spirituales in ecclesia sunt tractandae, 2. q. 2, praeceptum; et 23. q. 8, convenior, vers. sed etiam in consistorio.

Impedire
Et merito, quia laici non debent interesse electioni, supra, de elect., cum terra. Immo ius eligendi non cadit in laicum in collegiata ecclesia, etiam si esset patronus, infra, de elect., sacrosancta; non obstante aliqua consuetudine, infra, de elect., Massana. Sed electio facta praesentari debet patrono ut suum praestet assensum, supra, de elect., cum terra; et supra, de elect., cum inter universas; et infra, de elect., sacrosancta.

Sine periculo
Et sic patet quod si periculum est etiam in vocando sive in mora, alii ad electionem procedere debent eis non vocatis, supra, de elect., cum inter universas; arg. infra, de sent. excom., sacro.

Nequiverint
Arg. contra supra, de elect., bonae 1, vers. si constaret de vi, etc.

Noluerint
Si noluerint, alienos se fecisse videntur; supra, de elect., cum nobis; et infra, de elect., ecclesia vestra 2.

Vocatos
Praesumitur quis non vocatus, nisi hoc probetur, ut hic patet, et 4. q. 5, quisquis; 82. dist., proposuisti. Arg. contra supra, de elect., bonae 1, vers. fi.; quia nuncio creditur an aliquis sit vocatus; ff. de reb. eorum qui sub tut., magis § illud; infra, de appell., cum parati. Dico quod si quis negat se fuisse vocatum, adversario incumbit probatio, ut hic innuitur; et infra, de probat., quoniam; de hoc dictum est supra, de elect., bonae 1.

Consentire

Sic patet quod electio quae non valet, per ratihabitionem potest confirmari; 16. q. 1, quoniam quicquid; et infra, de his quae fi. a prael., cum nos; et infra, de his quae fi. a prael., cum Apostolica; infra, de dona., pastoralis; et infra, de iure patron., cura; et infra, de transact., contingit. Sed contra infra, de elect., auditis; et infra, de iure patron., illud; et 16. q. 3, placuit ut § potest, vers. quod ab initio; ff. de regul. iur., quod initio. Sed nonne absentes cogi debent ratam habere electionem, cum in hoc negotium ecclesiae utiliter gestum sit, ff. de negot. gest., Pomponius; cum absentes id facere tenerentur, ff. de ritu nupt., si filius. Sed dic quod iniuria facta est absentibus, et illam non tenentur remittere sine satisfactione, 23. q. 4, si illic; 90. dist., si quis contristatus. Item si cogerentur consentire praesentibus, iam non haberent liberum arbitrium, et sic invitis daretur episcopus, quod esse non debet, 61. dist., nullus. Item patet hic quod circa spiritualia possum habere ratum quod meo nomine non est gestum, 9. q. 2, Lugdunensis; et infra, de iure patron., cura; et 2. q. 1, in primis; et 3. q. 6, hoc quippe. Sed numquid in hoc casu possent primi electores resilire, cum absentes nolunt consentire. Quod videtur cum diffidant de iure suo, supra, de postul. praelat., bonae 2; 63. dist., quanto. Sed contra videtur supra, de elect., cum inter canonicos, in fi.; et 8. q. 2, dilectissimi; ff. de servitu. rust. praed., per fundum; ff. de opt. leg., si tibi § unius; ff. de negot. gest., si ego. Item potest dici ut Io. dicit, quod si praesentes eligunt et spem suae electionis ponunt in absentibus sperantes ipsos ratum habituros, quia tunc demum per ratihabitionem potest confirmari factum praesentium. Sed si statim praesentes per suam electionem intendant ius dare electo, tunc non potest ratificari ipsorum electio, ut 9. q. 2, Lugdunensis; ff. de solut., si quis offerenti. Quod non credo, immo qualitercumque eligant, possent absentes ratam habere electionem, dum tamen non sit nulla ipso iure, infra, de elect., auditis. Item pone quod illi qui contempti sunt, mortui sint. Numquid subditorum consensus exigitur? Vincen. dicit quod non, nisi essent praelati qui aliis succedunt in onere ac honore, infra, de offi. deleg., quoniam abbas; et infra, de offi. ord., pastoralis; in canonico secus, arg. infra, de testamen., requisisti, in fi.

Super eo

Iste § dividitur in tres partes, quia ponit alia tria quae obiiciebantur contra personam promoti, comprehenso § ulti., partes satis patent in littera.

Dividatur

Sed qualiter dividatur, exemplum habes 23. dist., quorundam. Ita episcopus qui consecratur, concelebrat, id est, simul celebrat suo consecratori qui principaliter celebrat, et ideo tunc non debet dimittere officium illud quod ipse inceperit cum consecratore suo, et alios ordinare, quia sic divideretur mysterium illius missae in qua consecratur, quod fieri non debet, et toti missae debet interesse. Et ita videtur esse de substantia consecrationis ipsa missa, hac ratione, quia consecrationes episcoporum et ecclesiarum et confessio chrismatis debet fieri cum missa, infra, de celeb. miss., te referente; et de conse. dist. 1, omnes basilicae. Et uno contextu sine aliquo intervallo, et ille qui consecrat debet missam celebrare, et ita officium illud totum continuum debet fieri sine interpositione vel mutatione aliqua personarum, nisi magna necessitas casualiter superveniret, 7. q. 1, nihil; 7. q. 1, illud. Quia sic ordinavit ecclesia Romana et observat, et idem fit et observatur in

collatione sacrorum ordinum. Ex hac consideratione videtur quod missa sit de substantia consecrationis. Contrarium tamen consuevit dici, et verum est quod missa non est de substantia consecrationis, quia diversa sunt consecratio et missa. Sed propter virtutem et reverentiam sacramentorum et ordinum statuit ecclesia, quod quando talia celebrantur semper cum missa celebrentur. Contrarium est notatur 77. dist., in veteri. Tamen si huiusmodi solemnitates non servarentur, nihilominus valerent consecrationes, et ordinum collationes clericorum, sed qui contra facerent, punirentur ordinantes et ordinati, quia contra ordinationem ecclesiae, et contra illud quod ecclesia servat, fecerunt. Sed quod illi qui faciunt contra ordinationem ecclesiae puniantur, habetis infra, de temp. ord., sane; et infra, de temp. ord., litteras; et infra, de temp. ord., vel non est; et infra, de temp. ord., dilectus; et infra, de temp. ord., consultationi. Omnes enim tenentur servare quod ecclesia Romana observat, infra, de sacr. unct., cum venisset, in fi. Et quae omissa sunt in praemissis debent suppleri, ut in princ. capitulis infra, de sacr. unct., cum venisset; et infra, de sacram. non iter., pastoralis; et infra, de sacram. non iter., presbyter. Hug. dixit quod si unus consecrat, et alter missam dicat, consecratus erit. Sed fieri non debet. De hac materia not. 75. dist., ordinationes episcoporum. De hoc quod dixit Hug., quaesitum fuit a me Bernardo Parmensi canonico Bononieni capellano domini Papae in consecratione domini Octaviani, Bononiensis episcopi, utrum archiepiscopus posset consecrare, et alius missam cantare? Responsum fuit quod illud fieri non debebat, cum illud esset contra ordinationem ecclesiae, ut supra dicitur, et numquam audivi nec legi, quod hoc aliquando factum fuerit, et hac de causa ponitur hic haec additio. Ber. Sed finita illa missa si aliam postea celebraret, bene posset ordines celebrare si necessitas esset, unde dicit, tunc, quasi dicit, finita illa missa posset prius pallio recepto, quia mysterium dividi non debet; 23. dist., quorundam. Arg. contra 7. q. 1, nihil; et 7. q. 1, illud. Sed illud ex necessitate, quae legem non habet, supra, de consuet., quanto; de conse. dist. 1, solemnitates.

Sine pallio

Quia in pallio plenitudo pontificalis officiii confertur, infra, de auctor. et usu pal., nisi. Et ideo ante pallium talia facere non potest. Alii tamen dicunt quod potest alii demandare, supra, de elect., suffraganeis, quia consecrare est ordinis episcopalis, sed episcopalia ante pallium acceptum exercere non potest, unde aliis inferioris ordinis hoc demandare non valet; arg. oppositum infra, de consecr. eccl. vel alt., aqua; et arg. supra, de elect., transmissam. Sed suffraganei sui ad mandatum ipsius possunt alium suum suffraganeum consecrare. supra, de elect., suffraganeis.

Tamquam

Et ita quaedam facit quis tamquam alius, ut 23. q. 4, si ecclesia, in fi.; et ff. de adopt., si pater § qui duos; et ff. de adopt., duos; et ff. de adopt., si consul; et infra, qui fil. sint legit., per venerabilem, ubi de hoc. Quia nullius ecclesiae erat episcopus tamquam archiepiscopus non poterat, quia nondum recepit pallium.

Praeterire

Et ita hic purgatur poena criminis per restitutionem, infra, de rebus ecc. non alien., si quis; 35. q. 9, quod quis commisit; et 12. q. 2, si quis qualibet; simile infra, de loc. et cond., propter; et de loc. et cond., potuit; sicut si aliquis ante accusationem recedit ab

incestuosa coniunctione, sine poena est, ff. de adulter., si adulterium § iidem imperatores; sic ff. quod metus cau., si cum exceptione § satis; et C. de his quib. ut indign., alia; ff. de inoffic. testam., Papinianus § meminisse; ff. de alien. iud. mut. caus., ex hoc edicto § penulti. Arg. ff. vi bon. rapt., non prodest, ubi prodest raptori rem restituere ad evitandam poenam; ff. de fur., qui ea mente; et ff. deposi., depositum § si rem depositam. Sed obiicitur, iste est suspectus, et satisdatio non mutat malevolum animum tutoris; Inst. de susp. tut., in fi. Sed iste non erat suspectus alias, et excusatur propter mandatum cleri et populi, 12. q. 2, de rebus. Io. Sed ibi maior praestitit auctoritatem. Hic fuit iste maior qui deliquit, immo ipse facere non debuit quod alios facere ipsum prohiberem oportuit, 16. q. 1, nemo; et 16. q. 1, in canonibus; et ff. si serv. vend., altius; ff. de condi. indeb., frater a fratre. Dicunt quidam quod hic potest in casu isto et consimili poena purgari quod non removeatur ab ecclesia nec deponatur. Contrarium dico quod licet reddat ecclesiam indemnem, propterea non evadit poenam depositionis, sed evadit solummodo poenam excommunicationis, ut 12. q. 2, monemus; et 12. q. 2, diaconi; et 12. q. 2, statuimus. Et hoc etiam dico per iura proxime dicta. Hoc probatur per decretalem Gregorii, infra, de solution., si quorundam, ubi dicitur, qui obligat ecclesiam, suspensus est ab administratione spiritualium et temporalium ipso iure. Et ita intelligitur capitulum illud infra, de rebus ecc. non alien., si quis, quia per restitutionem solummodo evadit poenam excommunicationis. Et quod hic dicit, dispensatio fuit et gratia, et hoc innuunt illa verba, equanimiter poteris praeterire, et ita fuit solummodo quaedam tolerantia. Huic adminiculum praestitit quod dicit, cleri et populi assensu, capitulum illud 35. q. 9, quod quis commisit. Loquitur similiter de misericordia de eo qui toleratur in officio suo, ut ex littera ipsius capituli patet, ad hoc praestat bonum arg. ff. deposi., depositum § si rem.

X 1.06.29 *Auditis et intellectis*

R. subdiacono
Magistro R. olim.

Ipsum R.
Non erat in antiqua.

Archidiaconum
Olim verbum istud, dictum, non erat hic. Ber.

Convenissent
Nominando, non eligendo.

Appellatum
A cantore et suis.

Prorupit
Eligendo G. archidiaconum, et recedendo a nominatione R. subdiaconi.

Electioni
Factae a decano.

Ex post facto
Hic videtur quod electio quae nulla est ipso iure impediat secundam, et quia dicit electio quae fuit irrita ipso iure, etc., quia utraque hic cassatur, unde contradicit supra, de elect., bonae 1; et infra, de appell., constitutis 1; et infra, de elect., congregato; in quibus secunda tenet, quia prima fuit nulla ipso iure. Sed dicas quod electio illa non erat nulla ipso iure, immo poterat rata haberi, nec erat evidens ipsam non tenere. Et verba ista, scilicet, irrita ipso iure, non tenentur proprie, unde expone, irrita ipso iure, id est, irritanda de iure. Et haec expositio probatur per finem capituli, ubi dicit utramque electionem duximus irritandam, et sic nulla contrarietas. Et loquitur in eodem casu haec decretalis cum illa, supra, de elect., consideravimus. Et non innuitur hic quod ratihabitio non possit habere locum in electionibus, quia bene habet locum, ut supra, de elect., quod sicut; et supra, de elect., licet; 63. dist., quanto; infra, de iure patron., cura; et supra, de postul. praelat., bonae 2. Sed hic non potest habere locum ratihabitio quamdiu appellatio pendet. Et ei non renunciatur in totum, quia contraria sunt consentire, et nolle recedere ab appellatione; simile infra, de appell., sollicitudinem. Unde dixit, maxime appellatione pendente, quasi dicat, si voluit renunciare appellationi et consentire, potest convalescere, et maxime pro tantum ponitur. Et quod dicit ex post facto, etc., allegatio fuit partis adversae, nec ponunt illa verba ex post facto, et hoc videtur per finem ubi dicebatur, nos igitur his et aliis auditis quae coram nobis allegata fuerunt. Vel dic prout dicitur in ultima notula in fi.

Maxime
Proprie ponitur, quia idem esset citra appellationem et in antiqua non erat hoc adverbium.

Cassatam
De facto intellige cum nulla fuerit, quia quod non est cassari non potest; sic infra, de rebus ecc. non alien., si quis. Item quod dicit in fine, irritandam, contradicit litterae superiori, ubi dicit quod electio fuerat irrita ipso iure, ergo non poterat irritari, si nulla est. Dic quod verbum istud, irritandam, quantum ad primam electionem, ponitur improprie, id est, irritam quantum ad secundam ponitur proprie; simile 28. dist., presbyterum. Quia secunda non erat nulla, sed per exceptionem fuit cassata, et si decanus et sui consensissent electioni secundae, confirmata fuisset, ut dicitur in fine ultimae notulae.

Irritandam
Nota quod ubi plures electiones concurrunt quae fiunt incontinenti, neutra impedit aliam vel praevalet alii quae prior fit, sed praevalet illa quae maioribus iuvatur meritis, et plurimorum approbatur assensu; 63. dist., si forte; infra, de elect., ecclesia vestra 1; supra, de elect., dudum ad audientiam. Si vero ex intervallo fiat secunda, tunc habet locum distinctionis, aut prima est aliqua, licet posset elidi per exceptionem, aut nulla ipso iure. Si enim evidens est, primam non tenere ipso iure, puta cum eligitur qui est ineligibilis; supra, de elect., cum Wintoniensis; infra, de appell., constitutis 1; et infra, de elect., venerabilem; et infra, de elect., congregato. Ubi tenet secunda a paucioribus facta, tunc prima non praestat impedimentum secundae. Sed si dubium est an teneat prima, quia aliqua causa allegatur quare posset tenere, tunc prima praestat impedimentum secundae, nec debet fieri secunda, prima non cassata, supra, de elect., consideravimus. Sed hic

videtur contra, ex eo quod dixit supra, cum tamen ex post facto, etc., quod electio, quae nulla est ipso iure, impediat secundam. Prima enim a paucioribus, et post appellationem facta fuit, unde videbatur nulla. Et sic perditur dominium per id quod nullum est, infra, de renunciat., quod in dubiis. Sicut vides quod ab accusatione quae nulla est, non potest quis discedere nisi iudicis auctoritate; ff. ad Turpil., accusatorum § accusationem. Sic secundum testamentum factum sub conditione quae numquam erit, dum tamen esse possit, rumpit primum, ff. de iniust. rup. testam., cum in secundo, in fi.; et primum matrimonium quod nullum est impedit secundum, infra, de spons., ad audientiam. Sic manumissio quae nulla est praestat impedimentum usucapiendi, ff. de usucap., pro donato. Sic accusatio quae nulla est impediat sequens matrimonium, infra, de despon. impub., ad dissolvendum, in fi. In stipulatione aliud est, quia si prima stipulatio non valet quae potest elidi per exceptionem, tenet secunda, ff. de ver. oblig., si dari stipuler. Quidam tamen distinguunt quod electio quandoque nulla est iure actionis et non iure exceptionis, quoniam ex ea non potest peti confirmatio, ut hic, et supra, de elect., consideravimus, ubi prima non tenet, et tamen impedit secundam. Et haec quandoque est nulla iure exceptionis et actionis, ut illa quae facta est ab excommunicatis sive de persona indigna, quia ex ea non potest excipi ut alia impediatur, infra, de appell., constitutis 2; et simile supra, de elect., bonae 1. Sicut aliquis quandoque consequitur sumptus per retentionem quos non posset consequi per actionem, ff. de condi. indeb., si in area, in fi.; Inst. de rerum div. § certe; arg. ff. de compensat., etiam. Sed quae est ratio quare in casu huius decretalis electio quae est ipso iure irrita impedit secundam, ita quod non valet et in contrariis, infra, de elect., scriptum; et infra, de elect., congregato; et supra, de elect., cum in cunctis; et supra, de elect., bonae 1; et supra, de elect., cum Wintoniensis; et infra, de appell., constitutis 1. Electio quae est ipso iure irrita non praestat impedimentum secundae. Ratio est haec: licet enim in casu huius decretalis prima electio sit nulla, eligentes tamen non sunt ipso iure eligendi potestate privati, nec electio propter hoc devolvitur ad alios. Et ideo cantor et sui non debebant eligere sine decano et suis sociis, et quia elegerunt decano et suis sociis non vocatis post appellationem prima non cassata, et ex intervallo, cassatur utraque electio. Et utraque pars peccavit in forma, sive in modo eligendi, sed in contrariis electio est ipso iure nulla, et eligentes sunt ipso iure eligendi potestate privati, et ius eligendi devolvitur ad alios etiam pauciores, supra, de postul. praelat., gratum; et supra, de elect., bonae 1. Et ideo tenet electio cum sit facta ab illis penes quos ius devolvitur eligendi, et ista duo concurrere debent ad hoc ut teneat secunda electio, plus enim peccaverunt eligendo indignum quam peccando in forma, et ideo plus puniuntur. Et est simile quia qui peccant hodie contra formam illam infra, de elect., quia propter, non sunt privati eligendi potestate, sed privandi; sed qui peccant eligendo indignum, sunt ipso iure privati. Si vero utraque pars peccat in forma, utraque cassatur, ut supra, de elect., consideravimus; et hic et in consimilibus. Sed si utraque pars peccat in materia, transfertur eligendi potestas ad superiorem, supra, de elect., bonae 1, in fi. Hodie vero servari debet forma illius decretalis infra, de elect., quia propter. Sed si cantor et sui vocassent decanum et suos ad electionem, et illi etiam noluissent venire, tunc numquid eorum valuisset electio? Videtur quod sic, supra, de elect., cum nobis; et supra, de elect., quod sicut § si autem. Arg. contra supra, de elect., consideravimus. Credo quod si decanus et sui, qui contempti fuerunt in secunda electione a cantore et suis, consensissent electioni cantoris, valuisset secunda, supra, de elect., quod sicut; cum

nullum ius acquisitum fuisset electo per primam electionem, quae nulla erat ipso iure, ut dicitur supra. Unde ab eo poterat recedi sine iniuria alicuius.

X 1.06.30 *In causis*

Praestito
Secundum quod lex dicit in Auth. de sanct. episc. § iubemus igitur abbatem, coll. 9.

Idonea
Haec clausula semper intelligitur etsi non apponatur, supra, de elect., causam quae; et supra, de rescript., cum adeo.

Electionem
Nota mirabilem significationem huius termini, electio. Hoc fuit dicere suam postulationem capitulo publicaverunt, arg. infra, de renunciat., post translationem.

Potestatem
Hic confessus fuit de intentione adversarii, et sic fundavit intentionem adversarii.

Campanam
Infra, de offi. custod., custos ecclesiae; et infra, de offi. custod., custos sollicitus; 1. dist., ius militare.

Postulatio
Hic habes quod qui dati erant ad eligendum possunt postulare et de alia ecclesia; sic infra, de renunciat., post translationem. Ex quo enim capitulum nihil excipit in illa potestate, omnia intelliguntur concessa per quae pervenitur ad illud et quicquid ipsi possent facere, arg. supra, de consti., ex litteris; et infra, de privileg., quia circa; ff. de procur., ad legatum; et ff. de procur., ad rem mobilem; et. arg. ad hoc ff. iudi. solv., iam tamen § in hac; et ff. mand. vel cont., cum controversia, in fi. Arg. contra supra, de elect., innotuit, in fi.; ff. de procur., mandato; et C. de transaction., transactionis, in fi.; et ff. de minor., illud § si talis; et ff. de procur., Pomponius; et ff. de iureiuran., iusiurandum quod § procurator. Solutio: prima rubrica vera, quia talia praeparatoria etiam coniuncta sunt principali negotio, quia per postulationem venimus ad electionem, vel ad eius effectum, ff. de sponsal., oratio. Contraria casualia sunt.

Cum res non esset integra
Ergo si res esset integra, possent revocare, ut hic arguitur ad instar mandati, quod re integra revocari potest, Inst. de mandat. § recte; cum nihil intersit mandatariim, ff. de condi. caus. dat., si pretium; et ff. de condi. caus. dat., si pecuniam; et ff. de condi. caus. dat., dedi, in princ.; et in societate, ff. pro soc., verum § ulti.; et in deposito, ff. deposi., depositum § penulti.; et infra, de deposit., bona fides. In contrarium videtur quod re integra non possit revocari talis potestas, nisi placeret utrique parti. Sic fit in venditione, C. de act. et oblig., sicut in initio; cum gratia utriusque talis actus factus sit, ut ibi. Nam ex quo semel consenserunt et contulerunt ius in ipsos, et illi receperunt et etiam iuraverunt, mutare non possunt nec revocare, ut infra, de offi. deleg., super quaestionum

§ porro. Et quod semel placuit, amplius displicere non potest, 32. q. 5, horrendus; et 8. q. 2, dilectissimi; et supra, de elect., cum inter canonicos, vers. fi. Praeterea hic fuit quaedam concessio sive donatio iuris, sed perfecta donatio non revocatur, C. de donation., sive; C. de transaction., quamvis; et C. de revoc. donat., si donationem; et C. de donation., quae sub modo; et C. de donation., perfecta. Et dicit Dominus: non auferam a te quod tibi dedi, 22. q. 2, si qualibet § non enim. Et remittentibus actiones suas non est amplius regressus ad eas, ff. de aedil. edict., quaeritur § si venditor. Et commodatum ante usum completum non revocatur, infra, de commod., cum gratia; et ff. de aedil. edict., in commodato § sicut. Et sic non videtur per ista iura quod revocatio posset fieri eis invitis, cum gratia utrorumque hoc sit factum, et intersit istorum non revocari ius illud ab eis, cum modo possent eligere quem volunt, postea vero non. In contrarium videtur quod etiam re non integra possunt revocare usque ad litem contestatam, quia usque ad litem contestatam possunt revocare mandatum procuratorium, ff. de procur., ante litem; et etiam post si suspectus sit, ff. de procur., post litem; et ff. de procur., item si suspectus; et ff. de procur., quae omnia. Sed isti iam suspecti videbantur, cum essent in clamoribus et discordia, ut infra, de procurat., ex insinuatione; et infra, de procurat., in nostra; et infra, de procurat., mandato. Et iudicium solvitur vetante eo qui iudicare iussit, ff. de iud., iudicium; ff. de recepti., sed si in servum, in fi. Contra probo quod re non integra non possint revocari, infra, de iudic., de Quodvultdeo; et ff. de iuris., si convenerit; et hic in fine. Quid ergo dicemus? Satis probabiliter potest dici quod talis potestas data revocari non possit, sive res sit integra sive non, et hic supple maxime, quia non est purum mandatum, immo cessio iuris sive donatio, ut dictum est. Et Io. huic opinioni consentire videtur, et ad hoc optime facit supra, de elect., causam quae. Alii dicunt quod re integra possunt revocare, ut hic innuitur a contrario sensu. Et arg. optimum, quia non dicitur durare talis potestas, nisi cui permissa durat, ff. quod cui. univ. nom., item eorum § 1, in fi.

Perfidiam

Hoc ideo quia si esset remissus et negligens ad haereticos extirpandos, debet removeri; infra, de haeret., excommunicamus itaque, in fi.

Tribuatis

Ex hac decretali bene collogitur quod ius acquiritur postulato post publicationem postulationis in hoc, scilicet, acquiritur quod postulantes ab ea recedere non possunt, sicut nec ab electione post publicationem scrutinii, infra, de elect., publicato. Et idem credo publicata postulatione, ut dixi supra, de postul. praelat., etsi unanimiter; et supra, de postul. praelat., postulationem. Sed contrarium potest assignari, supra, de postul. praelat., bonae 2, ubi videtur quod postulantes possunt recedere a postulatione, antequam sit praesentata superiori. Sed hic non poterant recedere, quia promiserant illum habere pro episcopo quem illi eligerent in episcopum, et ita non poterant venire contra promissionem suam.

X 1.06.31 *Cum ecclesia Vulterana*

Longo
Per hoc videbatur, quod episcopus posset supplere negligentiam canonicorum, etiam si alias eligere non posset, infra, de concess. praeben., nulla; et supra, de elect., cum in cunctis, in fi. Sed hic non poterat taliter supplere, quia non erant distinctae praebendae, infra, de concess. praeben., ex parte. Et si distinctae essent, adhuc non posset, cum ipse similiter negligens fuisset, unde potestas translata erat ad superiorem, nec moram poterant purgare, infra, de supp. neg. prael., licet; et infra, de supp. neg. prael., litteras; infra, de supp. neg. prael., dilecto; ex eo quod dicit, longo tempore.

Postulavit
Et videtur quod bene postulaverit, quia solus episcopus debet dare praebendas, arg. 21. dist., in novo; et 16. q. 7, nullus; arg. 21. dist. § 1; quia Moyses ex praecepto domini Aaron in summum pontificem et filios eius in minores sacerdotes elegit, ut ibi dicitur et videtur expressum in Auth. ut determ. sit num. cleric., coll. 1, in princ. Arg. contra infra, de his quae fi. a prael., irrita; infra, de his quae fi. a prael., continebatur; infra, de his quae fi. a prael., cum nos; infra, de his quae fi. a prael., novit; infra, de his quae fi. a prael., quanto; infra, de his quae fi. a prael., ea noscitur. Quia huiusmodi ecclesiastica debent facere de consensu capituli ut ibi dicitur, et cum quibus est in ministerio, cum his disponat, 93. dist., diaconi. Praeterea ex eo quod dicit in fine, si consuetudo est quod canonici eligant irrequisito episcopo, patet quod de iure communi simul debeant eligere, sicut et alia negotia simul facere debent, cum episcopus sit caput capituli et canonici membra, infra, de his quae fi. a prael., novit; et infra, de his quae fi. a prael., quanto. Et quod simul eligere debeant habes infra, de concess. praeben., postulastis. Dico quod de iure communi simul ad episcopum et capitulum pertinet collatio beneficiorum per iura proxime dicta, infra, de iure patron., nobis. Et hic in fine satis patet ita esse, sed consuetudo in pluribus ecclesiis derogat huic iuri, ut hic in fine huius decretalis, et infra, de caus. poss. et propr., cum ecclesia; et infra, de verb. sign., abbate; et supra, de consuet., cum dilectus; et 24. q. 1, pudenda; et infra, de his quae fi. a prael., ea noscitur. Et consuetudo reddit aliquem inhabilem ad eligendum, infra, de cleri. coniug., cum olim; et 12. dist., nos consuetudinem; et ff. de decur., non tantum. Arg. contra supra, de elect., cum terra; et supra, de elect., cum causam; et supra, de consuet., cum venerabilis; et supra, de consuet., cum inter. Sed illa consuetudo non est rationabilis, immo est contra decus ecclesiae, et ideo non est praescriptabilis, supra, de consuet., cum tanto.

Iniuriam
Simile ff. de iniuri., iniuriarum § 1; et ff. de pet. hered., illud, 1. resp., in fi.; et infra, de appell., bonae; et 14. q. 1, quod debetur; et 14. q. 5, non sane. Quia et si noceat alii ita ut auferat ei consueta commoda, dum tamen non faciat animo nocendi non dicitur facere iniuriam, ff. de aqua pluv. arc., si in meo; et ff. de damn. infect., proculus; et 15. q. 1, illud; ff. de servitu. urb. praed., cum eo; et 23. q. 2, notandum. Secus si faceret animo nocendi, ff. de regul. iur., domum; ff. de damn. infect., qui vias; ff. si serv. vend., sicut § Aristo.

Melius
Et ideo praevalere debet, infra, de probat., licet. Sed si aequaliter probatum sit, communiter conferat, cum de iure communi hoc sit faciendum ut dictum est in notula. Et

videtur quia res ad suum statum sic non ut totum, alias esset sententiandum pro possessore, infra, de probat., ex litteris; infra, de fide instrum., inter dilectos, in fi.; et Inst. de interdic. § commodum; nisi in tribus casibus infra, de probat., ex litteris.

Articulo
Eadem videtur petitio cum prima. Sed dic quod prima erat ne repellerent canonicos ab episcopo institutos. Secunda erat ut in posterum non impedirent eum eligere, quod licet obtineret in primo, non obtineret propter hoc in secundo, arg. supra, de elect., querelam. Sed in secundo articulo agebatur petitorio, ut patet ex ipsa littera.

Notorium
Id est, manifestum rei evidentia vel aliis duobus modis. De quibus tribus modis habes infra, de cohab. cler. et mul., quaesitum; et ff. de legib., si de interpretatione.

X 1.06.32 *Cum dilectus filius*

De gremio
Sed si hoc in illa translatione potestatis non fuisset expressum, poterant eligere undecumque vellent, supra, de elect., in causis. Quid iuris sit super hoc dictum est supra, de elect., cum inter canonicos.

Examinatis
Ad hoc non tenebatur secundum hanc formam.

In aetate
Potest enim minor iudex examinare de aetate an sit dignus venia aetatis, et docere poterit super hoc principem, C. de his qui ven. aet. impetr., omnes; non tamen in aetate dispensare potest; C. de his qui ven. aet. impetr., eos qui veniam aetatis principali. Sed bene potuit iudicare ipsum non pati defectum, et si minor fuisset, debuit cassare electionem, supra, de elect., dudum ad audientiam. Sed dispensare non potest nisi solus Papa. Sed numquid episcopi possunt dispensare ut minor promoveatur ad honores? Videtur quod non per id quod habes supra, de elect., cum in cunctis § inferiora; et infra, de aetat. et qualit., eam te. Ibi praecipit Papa quod nullus promoveatur nisi sit aetatis legitimae, infra, de elect., nihil est, ubi punitur graviter qui hoc facit. Et sic huiusmodi dispensatio illis prohibetur. Dicunt quidam quod episcopi possunt dispensare in hoc contra concilium, licet de facto hoc faciant quandoque. Et est simile, quia cum illegitimo dispensare non possunt, ut promoveatur ad honores; infra, de fil. presbyt., nimis; et infra, de fil. presbyt., dilectus, ubi dicitur quod cum illegitime natis solus Papa dispensat, quod illi prohibeantur ab honoribus, dicitur in concilio Pictaviensi, infra, de fil. presbyt., ut filii. Qua enim ratione episcopi non possunt contra illud concilium dispensare, eadem ratione dico quod non possunt dispensare contra concilium Lateranensem et contra concilium generale, infra, de elect., nihil est, ubi puniuntur qui hoc faciunt, quod est magis 2 celebre concilium, in quo prohibetur ne minores ad dignitates praemoveantur, supra, de elect., cum in cunctis, in princ. § inferiora. Et ideo stabimus illis conciliis et legibus praedictis, ex quo non invenio concessum per canones quod minores iudices

possint dare veniam aetatis, infra, de nov. oper. nunc., intelleximus. Ubi enim iura canonica non contradicunt legibus, immo concordant, illis stabo.

Terminos
Si hoc verum fuisset, nihil valuisset eorum electio, supra, de rescript., cum dilecta; et ff. mand. vel cont., diligenter.

Digniores
Quibus dignior locus debetur, 8. q. 1, illud; et 63. dist., metropolitano; et 61. dist., miramur, ad fi. Et is gradus caeteros antecedit, quem labor prolixior vel stipendia meliora fecerint anteire, C. de off. magist. offic., nemo.

Surreptionis
Sic infra, de re iudic., cum olim.

Iuramento
Sic ergo in causa spirituali praestat excipiens iuramentum calumniae, sive quod malitiose hoc non proponit; sic infra, de testib., constitutis 1; et infra, de testib., praesentium; et infra, de restit. spol., litteras; et infra, de except., pastoralis; licet directe agens non praestet huiusmodi iuramentum, ut infra, de iuram. calumn., litteras. Et hoc fuit ratione praesumptionis. Praesumitur enim quod malitiose excipiant, ex quo tot praesumptiones sunt pro electo, quia secundum leges praestatur iuramentum quandoque in exceptionibus, licet a principio praestetur super tota lite, in Auth de testi. § si vero, coll. 7; infra, de testib., ultra. Vel dic quod licet causa sit super re spirituali, quod etiam directe agens praestabit iuramentum calumniae, ut si agatur ad restitutionem rei spiritualis, infra, de restit. spol., litteras; quia sic non agitur spiritualiter. Item si agatur spiritualiter, iuramentum de veritate dicenda praestatur, infra, de elect., dudum ecclesia; et infra, de iureiur., ex litteris. Sed ibi in causa ecclesiastica iuratur de veritate dicenda.

Et si tres
Istis enim creditur quasi duobus testibus. Sed numquid fuerunt isti testes in propria causa vel quasi? Non, sed super eo quod factum est coram ipsis de facto alieno, arg. C. de fideicomm., quaestionem; et Inst. de testam. ordin. § legatariis. Nam iudici creditur de his quae coram ipso aguntur, 18. dist., de conciliis. Arg. multo fortius istis qui toti negotio interfuerunt, arg. C. de adulter., adulterii; C. ad leg. Corn. de sic., si forte. Sed non est verum quod iudicibus credatur, nisi quatenus, etc., infra, de probat., quoniam. Unde melius videtur quod licet isto suspecti essent et de facto suo quodam modo dicant, admittitur eorum testimonium in defectum probationis, arg. C. de haere., divinam, in fi.; et 4. q. 3, item in criminali, vers. item secundum, 2. resp.

Probatio
Sed videtur quod isti canonici debuerunt audiri ad hoc probandum, quia talis negativa, nos non consensimus, potest probari, infra, de probat., tertio; et negativa indirecte probari potest, infra, de testib., ex tenore. De hac materia dictum est supra, de elect., bonae 1. Sed hic ideo non sunt admissi ad probandum, quia examinatio illa facta fuit secrete et sigillatim, unde quilibet eorum esset singularis, quia non posset directe nisi de se; sic

infra, de accusat., cum dilecti, in fi. Quia singularis testis non probat, sed si publice facta fuisset illa examinatio sive nominatio, tunc probari posset saltem indirecte, ut infra, de probat., ex litteris.

Tunc
Audiatis quid utraque pars proposuerit ad probandum formam, secundum quam eligendi potestas tribus dicitur commissa fuisse, sive concessa, et si, etc. Haec littera est in antiqua decretali.

Ostensum
Qualiter compelluntur canonici probare formam traditam illis electoribus et non archidiaconis? Hoc potest esse duabus de causis. Quarum prima est praesumptio, quae multum faciebat pro eo, videlicet, quod iam erat electus et confirmatus. Secundus est quia ad hoc se obligavit ille, sicut patet in fine decretalis, ubi dicit quod ad hanc poenam obligavit.

Cassetis
Id est, nullam pronuncietis.

Obligavit
Alioquin si se non obligasset, poena esset in arbitrio iudicis, cum certa poena hic statuta non sit, ff. de iure delib., si servus; infra, de accusat., super his; et infra, de offi. deleg., de causis. Sic habes hic quod aliquis obligat se sub poena benefici sui, infra, de crim. falsi, ex continentia. Item obligatur aliquis sub poena ordinis vel anathematis, 1. q. 7, quoties cordis; et de conse. dist. 2, ego Berengarius. Item et sub alia poena pecunaria, 23. dist., quamquam; et 25. q. 2, quaecumque; et infra, de arbitr., dilecti. Arg. contra quod sub poena beneficii non possit aliquis obligari, C. quae res pign. oblig. poss., spem. Hodie vero certa poena statuta est contra illos qui se opponunt contra electos, sive impugnant electionem, infra, de elect., extravag. statuimus, in concilio Lugdunensi Inno. iiii.

Iudicatum
Sed numquid obstabit aliis haec sententia volentibus agere contra electum? Sicut videmus circa crimina et populares actiones, infra, de accusat., de his; et 23. q. 4, si illic; et ff. de procur., non cogendum § qui ita; ff. de popul. act., sed si; nec enim de delicto unius hominis saepe est quaerendum, ff. naut. caup. stab., licet. Videtur tamen quod illis solum qui praesentes fuerint debeat praeiudicari, 2. q. 5, habet hoc; et 2. q. 5, Mennam; infra, de accusat., veniens; sicut est in civilibus actionibus. infra, de fide instrum., inter dilectos; ibi, res inter alios acta, etc. Ad hoc dicas quod absolutio in popularibus actionibus praeiudicat omnibus etiam absentibus, nisi in duobus casibus. Unus est si quis suam iniuriam prosequitur, et probet se ignorasse accusationem ab alio institutam, ff. de accusation., si cui § 1. Secundus cum vult docere de collusione prioris accusatoris, ff. de praevaric., si is; ff. de iureiuran., eum qui § in popularibus.

Infra decendium
Per hoc patet quod interlocutoria sententia transit in rem iudicatam, sicut et diffinitiva, infra, de testib., significaverunt. Non tamen quo ad hoc transit in rem etiam iudicatam,

quin iudex etiam post decem dies possit revocare, infra, de appell., cum cessante; ff. de re iud., quod iussit. De hoc dicetur super illa constitutione infra, de appell., cum cessante.

X 1.06.33 *Cum in iure*

Ex se vel aliis
Dicunt quidam quod licet hoc non fuisset expressum, de iure tamen unum de se eligere poterant, ut arg. 8. q. 1, in scripturis, vers. ecce mitte me, etc.; ff. de tutor. et curat., ubi absint. Sed hoc non credo, quia a seipso videtur electus, et hic tenuit electio propter formam compromissi, ut dicit in fine iuxta compromissi tenorem, etc.; sic infra, de sortileg., ecclesia, ubi de hoc. Et hoc quod dico optime probat lex ff. de contrah. empt., licet; et ff. de contrah. empt., si in emptione, in fi. Sed si uni tantum collata est potestas, non posset se eligere, infra, de iure patron., per nostras; infra, de instit., cum ad nostram; et ff. de tutor. et curat., praetor; et 24. q. 1, didicimus; et quia nemo debet oriri a seipso, 8. q. 1, in scripturis. Dicunt quidam quod si iurasset eligere meliorem, et ipse esset melior, tunc posset eligere se. Sed tamen inconveniens esset et inhonestum quod se eligeret. Sic ambitiosus videretur, et ideo repellendus per illud capitulum 8. q. 1, in scripturis. Potius debet renunciare tali potestati, et fatuus esset qui sic iuraret, si credit se meliorem ut se eligat. Vel dic quod tunc ipse intelligitur exceptus, quia in generali sermone persona loquens non comprehenditur, C. de solut., inquisitio; ff. de condi. et demon., qui heredi § ulti.

Consentiat
Quia si vult consentire, tunc persona sua computatur inter eligentes, arg. ff. quod cui. univ. nom., plane; arg. ff. de adopt., si consul. Et sic quatuor intelliguntur, et ita maior pars capituli. Quid si consensit in alium? Resp.: si consensus talis facit cum aliis maiorem partem, in se non potest postea consentire, nec mutare consilium in alterius praeiudicium; ff. de regul. iur., nemo. Si vero consensit in talem in quem minor pars consensit, tunc potest mutare, quia talis consensus illi non prodest. Hodie non connumeratur persona electa inter eligentes, infra, de elect., Cumana; et infra, de elect., quia propter. Nec dicerem valere talem electionem si modo fieret, quia est electus a minori parte capituli.

X 1.06.34 *Venerabilem*

Cognitoris
In reprobando Philippum, et approbando Ottonem.

Messem
6. q. 3, scriptum est; et infra, de paroch., nullus. Ber.

Absente altera
Quod non debuit fieri, infra, de testib., in nomine; et 3. q. 9, quasi per totum.

Caroli
Cui etiam ius patriciatus sive dignitas collata est, 63. dist., Hadrianus.

Transtulit
Legitur in Chronicis quod cum ecclesia Romana opprimeretur ab Astulpho rege Lombardorum, petiit auxilium a Constantino et a Leone filio eius imperatoribus Constantinopolitanis. Et cum nollent patrocinari ecclesiae Romanae, Stephanus Papa secundus natione Romanus transtulit imperium ad Carolum magnum, qui fuit filius Pipini, quem Zacharias praedecessor eius substituerat Ludovico regi Francorum, quem deposuerat, de quo legitur 15. q. 6, alius. Et translatio illa facta est anno Domini septingentesimo septuagesimo sexto. Qui Carolus coronatus est a Leone Papa iii. elapsis post hoc quindecim annis.

In Germanos
Sic ergo regnum mundi translatum est ad Theutonicos, nam ipsi habent regnum Romanae ecclesiae, de conse. dist. 5, in die. Et sic patet quod imperium non est apud Graecos, licet largo nomine appelletur imperator, infra, de maior. et obed., solitae. Sicut et rex Schacorum dicitur rex, quoniam extra ecclesiam non est imperium, 24. q. 1, schisma § sed nec illud. Est autem imperator ille super omnes reges, 7. q. 1 § sed si quis, in vers. volumus. Ipse enim est princeps mundi et dominus, ff. de lege Rhod. de iac., deprecatio. Et etiam Iudaei sub eo sunt; C. de Iuda., Iudaei; et omnes provinciae; 63. dist., Hadrianus; et omnia sunt in potestate imperatoris, 8. dist., quo iure; et 23. q. 8, convenior; C. de quadrien. praescr., bene a Zenone.

Examinatio
77. dist., qui est.

Sacrilegium
Nota quod sacrilegium impedit promovendum, nam et familia sacrilegi repellitur a sacramentis ecclesiae, 17. q. 4, miror; et ab aliis legitimis actibus, 3. q. 4, nulli.

Eligentium
Quia de meritis sive studiis eligentium non cognovit, sed de qualitate electorum pronunciavit.

Quamvis
Id est, quia, vel proprie tenetur, et quod dicit supra, non tam propter studia eligentium, etc., id est, non propter studia eligentium, sed propter merita electorum personam ducis denunciavit indignam, et personam regis idoneam; sic supra, de postul. praelat., ad haec, vers. fi. Unde bene sequitur, quamvis plures, etc., et sic non gessit cognitoris personam, quia retulit se tantum ad merita electorum, non ad studia eligentium, quamvis potuerunt se referre, ut infra sequitur. Vel possunt verba teneri proprie, et quamvis ponitur pro quia, ut praedixi. Sed superior littera, scilicet, cum neutrius electio, etc., videtur contraria.

Contradictio
Infra, de elect., bonae 2.

Favere
Si favet, ergo non debet esse iudex; 11. q. 3, quatuor; et 11. q. 3, quicumque aut consanguinitate. Sed dic quod in dubio potest favere cui vult, ff. de leg. 2, si quis servum § si inter duos; ff. de reb. auct. iud. poss., in venditione § ulti.; ff. de Sil., si quis in gravi § si sum omnes. Vel potest cogere partes ad concordiam, Inst. de satisdat. tutor., sin autem; et infra, de offi. deleg., suspicionis § ab ipso; et supra, de elect., cum inter R. Tunc demum debet favere, cum merita electorum et eligentium paria sunt; arg. infra, de iure patron., quoniam; et 68. dist., si forte; vel cum potestas eligendi devoluta est ad ipsum, supra, de elect., bonae 1, circa fi.

Carebit
Advocatus ecclesiae non potest esse patronus ecclesiae, sed comparatur tutori qui datur pupillo ut eum defendat a vexationibus aliorum, et appellatur honorarius vel notitiae gratia datus, ut alios contutores instruat, ff. de solut., quod si forte § sunt quidam; nec computatur talis tutela in numero trium tutelarum, sed ex causa honoris tantum; ff. de ritu nupt., si quis tutor § quid ergo.

Lotharius
Hoc est exemplum de quo praemisit, scilicet, iure patet pariter et exemplo, et ita ab exemplo principum est argumentandum, Inst. de satisdat. tutor. § sed et quod principi; arg. contra C. de sent. et interloc. om. iud., nemo; et supra, de elect., cum in cunctis.

Commonendos
Scilicet, licet per nuncios suos.

Publica
Nota quod excommunicatio debet esse publica, ad hoc ut aliquis repellatur a prosecutione iuris sui; infra, de except., exceptionem; et infra, de except., extravag. pia, cum suis concordantiis. Unde quicquid interim facit quousque ad ipsum perveniat, excommunicatio tenet et valet; infra, de cleri. excom., Apostolicae; et infra, de re iudic., ad probandum.

Periurium
Quandoque periurium non repellit, infra, de iureiur., sicut nostris. Sed intellige ibi periurium, id est, temerarium iuramentum. Periuri enim non solum non debent promoveri ad honores, immo si promoti sunt, debent repelli; infra, de iureiur., querelam. Infames enim sunt, ut ibi not. infra, de fideiuss., pervenit, in fi.

Progenitores
In filiis enim paterni criminis exempla metuuntur, 6. q. 1, quaero § verum; et in lege illa 6. q. 1, si quis cum militibus. Unde illud saepe similis filius esse patri.

X 1.06.34 Venerabilem (rev. 9/23)

Innodatus
Propter invasionem et devastationem patrimonii Beati Petri dum in Tuscia moraretur.

Postulavit
Nota hic eo ipso quod quis petit absolvi, per consequens se confitetur excommunicatum.

Electus
Unde ipso iure nulla fuit electio, infra, de appell., constitutis 1; et supra, de elect., cum inter R; et supra, de consuet., cum dilectus.

Iuramentum
Quod fecerat Friderico regi Siciliae nepoti suo tamquam imperatori futuro, dum adhuc Henricus imperator frater eius dicti pueri pater viveret.

Illicitum
Quoniam fuit de successione viventis, C. de pacti., pactum. Tamen hic voluntas accessit viventis, unde videtur tenere; C. de pacti., de quaestione. Sed illa loquitur in hereditaria successione quae in imperio locum habere non potest, nec etiam in beneficiis ecclesiasticis locum habet, infra, de concess. praeben., nulla; infra, de decim., ad haec; et infra, de iure patron., consuluit. Ber.

Venire
Tali modo sicut fecit, scilicet, usurpando regnum. Nam alias cum fuerit illicitum, propria auctoritate potuit venire contra non obediendo illi tamquam regi aut imperatori, 22. q. 4, si quis praeventus § ecce. Ber. Nec expectari debuit superioris auctoritas, ff. de condi. insti., quae sub conditione § ulti.; quia quod necessario destruendum est, non est necessaria superioris auctoritas in destructione illius; ff. de leg. 3, fideicommissa § si quis illicite. Sed si esset dubium an valeret, tunc adiri debet superior, alias autem semper servandum est iuramentum dummodo sine interitu salutis aeternae servari possit; infra, de iureiur., si vero. Si sponte sit praestitum, et sine dolo; infra, de iureiur., cum contingat. Ber.

Gabaonitae
Hanc historiam habes 22. q. 4, inter caetera § sed cum his; et 22. q. 4, innocens.

Et successione
Tres successiones continuae videntur ius successionis inducere, immo duae, quia binus actus inducit consuetudinem, arg. 25. q. 2, ita nos; et C. de episcopal. aud., nemo.

De domo
Immo de alia tribu eligi debet, 8. q. 1, Moyses.

Observari
Etiam si ei iam coronato iurasset post reprobationem legitimam ei non teneretur in aliquo ratione iuramenti, 15. q. 6, alius; et infra, de translat., quanto, circa fi. Item arg. quod destructo principali et accessorium, supra, de elect., qualiter; C. de usuri., eos; et C.

deposi., si deposita pecunia; et ff. de rei vend., et ex diverso; et ff. de novi operis nunc., si autem.

X 1.06.35 *Coram dilecto filio*

In provincia
Hic videtur expressum quod omnes illi et soli qui sunt in provincia vocandi sunt ad electionem, et per hoc videtur sic intelligendum si sunt in provincia, infra, de elect., quia propter. De hac materia nota 7. q. 1, factus est. Et quod dicit, in provincia, sic est intelligendum si sunt in provincia ita propinqui quod commode sint vocandi, quia si provincia esset multum lata et longa non debent vocari, quia periculum est in mora, supra, de elect., cum inter universas. Et eodem modo si esset extra provinciam et propinquus tunc vocandus esset, infra, de elect., bonae 2, ubi fuit vocatus qui extra provinciam erat. Regium enim et Cremona diversarum sunt provinciarum. Et ita nec dico vocandos omnes de provincia, nisi qui commode possunt vocari, nisi consuetudo sit quod omnes vocentur, infra, de elect., in Genesi. Nec dico quod tantum de provincia sunt vocandi per capitulum sequens. In talibus enim vocationibus potius statur consuetudini, ut absentes vocentur iuxta consuetudinem uniuscuiusque ecclesiae. Et haec consuetudo erat quod omnes de provincia vocarentur, ut est infra, de elect., in Genesi. Ber.

X 1.06.36 *Bonae memoriae S.*

Expectare
Sed nonne electio quae fit contemptis illis qui debent interesse ipso iure est irrita, ut supra, de elect., quod sicut; et supra, de elect., venerabilem; et infra, de arbitr., cum olim; et 63. dist., obeuntibus. Ergo ea non obstante potest attentari secunda electio, infra, de appell., constitutis 1. Cum enim a iure sit reprobata talis electio, non est necesse iudicem adire pro ea cassanda, ff. de condi. insti., quae sub conditione § ulti. Praeterea cum universitas delinquit in eligendo, electio debet devolvi ad eum qui non deliquit, supra, de elect., bonae 1; et supra, de postul. praelat., bonae 1. Dico quod electio archipresbyteri non fuit nulla ipso iure, sed potius annullanda, et ideo debuit expectari cassatio superioris antequam processus fieret ad secundam. Unde et si unus habuisset ius eligendi, deliquit in hoc quod voluit simul esse actor et iudex praemissae electionis, infra, de concess. praeben., post electionem, in parte decisa. Et licet illi deliquerunt in eligendo, non tamen illud ius devolvitur ad unum. Et hoc secundum Io. qui dicit quod unus non constituit universitatem, et inducit in arg. hoc capitulum, et 65. dist., si forte; et ff. de leg. 1, si grege; licet ius universitatis dicatur stare in uno; ff. quod cui. univ. nom., sicut municipum, in fi.; per quam legem non dicimus contra, et si iste non elegisset, poterat post cassationem eligere si hoc postulasset. Et hoc innuit littera ista cum dicit ibi, nostrum debuit expectare iudicium antequam procederetur ad secundam. Et si electio prima nulla fuisset ipso iure, quia electus esset indignus, tunc ipse solus potuisset, supra, de elect., bonae 1; et supra, de postul. praelat., gratum; et infra, de elect., scriptum. Sed haec non fuit nulla, immo ipse poterat eam confirmare si consensisset, supra, de elect., quod sicut. Io. dixit quod non devolvitur ius eligendi ad alios, nisi quando eligitur persona ineligibilis, infra, de elect., scriptum, in fi.; et supra, de postul. praelat., gratum; et supra, de elect., bonae 1. Sed dic quando electio non est nulla ipso iure, videlicet ubi

aliquis est contemptus, tunc non ipso iure, sed per sententiam ius eligendi debet devolvi ad alios, vel si non servatur forma illius constitutionis infra, de elect., quia propter. Tunc similiter sunt privandi per sententiam, ut infra, de elect., quia propter; et infra, de elect., Cumana. An ius universitatis remaneat in uno dictum fuit supra, de postul. praelat., gratum; et ibi recurrendum est. Quandoque tamen electio est irrita ipso iure, et tamen impedit secundam, supra, de elect., auditis; nec tunc eligendi ius devolvitur ad alios. Unde secunda electio ibi non tenuit, ut ibi notatur in fine ultimae notulae, quia eligentes non sunt ipso iure privati. Et quod dixi quod aliquis est contemptus non ipso iure, sed per sententiam ius eligendi debet ad contemptum devolvi. Intelligo per sententiam Papae tantum arg. istius litterae, cum de priori nostrum deberet expectari iudicium antequam procedatur ad secundam. Ubi enim certa poena statuta est, alia non est imponenda, nisi per eum qui habet potestatis plenitudinem, quod satis innuit haec littera. Sufficit enim ut cassetur electio, ubi quis prosequitur contemptum suum. Ber.

Tractatum
Nota quod cassatur electio de qua est habitus tractatus ante sepulturam mortui, 79. dist., nullus 2. Sed propter hoc solum non fuisset cassata, sed assumit hic Papa quasi non causam ut causam, sed contemptus fuit causa cassationis, nam mortuo viro soluta est uxor a lege matrimonii, ut infra, de secund. nupt., cum secundum; et infra, de secund. nupt., super illa; et 7. q. 1, sicut alterius uxor. Ber.

Multorum
Supra, de elect., quod sicut; et supra, de elect., venerabilem.

Nec praedicta
Responsio tacitae quaestionis. Diceret aliquis domino Papae, ille H. fuit citatus, et ille respondit, citatio non fuit legitima. Et sic est arg. quod si aliquis citetur non legitime, si aliquid fiat contra absentem, non valet. Generale enim est quod ad citationem quae reprobatur a iure, non tenetur venire citatus, etiam ut alleget privilegium. De hoc nota per Io. 3. q. 2, si episcopus; et infra, de dolo et contu., cum dilecti, ubi de hoc.

X 1.06.37 *Cum ad nostram*

Monachus
Hic habes expresse quod clericus saecularis non potest eligi in abbatem. Ad idem facit supra, de elect., cum causam; et infra, de elect., cum in magistrum. Arg. contra 16. q. 1, presbyteros. Sed non est contra, quia illi presbyteri erant monachi et ita poterant eligi in abbates, et ibi solvitur contrarium. Et sunt monachi melioris conditionis quam clerici, quia clerici eos eligunt ad sua officia, 58. dist., nullus; et 58. dist., si quis; et 18. q. 1, statutum, ubi est hoc expressum. Sed ipsi non eligunt clericos ad suas dignitates. Arg. contra 28. q. 1, omnes; et 2. q. 7, sicut sacerdotes.

Nullam spem
Principalem, 8. q. 1, sunt in ecclesia. Sed secundario licitum est alicui sperare honores ecclesiasticos, 61. dist., quid proderit; et 59. dist., si officia; 74. dist., consuluit. Et verba ista habes 16. q. 7, per laicos.

Irritare
Id est, irritam nunciare; infra, de elect., officii

X 1.06.38 *Officii tui*

Incontinenti
Praesumitur aliquid ex eo quod incontinenti est subsecutum, 31. q. 1, si quis; et 50. dist., si qua femina. Quae enim incontinenti fiunt, in esse videntur, ff. si cert. pet., lecta est. Quia ex hoc praesumitur quod turpiter et ex conventione sit electus, quod esse non debet, 1. q. 2, quam pio. Sed si haec ratio est quare clericus non possit eligi in abbatem, quia non est instructus in regula monachali, sic eadem ratione monachus non debet eligi in episcopum vel praelatum alicuius ecclesiae saecularis, cum ipse non noverit regulas clericorum, ut possit praefici ecclesiis; 16. q. 1, sic vive; et 16. q. 1, si clericus; quod esset verum si omnino ignorant. Sed bene eliguntur monachi et regulares ac saeculares praelationes propter officium praedicandi, quod privilegiatum est, infra, de statu monach., quod Dei timorem; et infra, de voto et vot. redem., per tuas; et 18. q. 1, statutum; et 58. dist., nullus; et 58. dist., si quis. Sed quid si peritus esset saecularis clericus in regula monachorum, possetne tunc eligi in abbatem? Videtur quod sic, quia ratio constitutionis in eo cessat; 61. dist., statuimus § his omnibus; sicut monachus peritus in regula clericali potest eligi in episcopum per praedicta capitula. Sed non est ita, quia et si scit regulam, non tamen est expertus in ea. Nam grave est inexpertos divinis obsequiis applicare, 19. q. 3, monasteriis. Sed quare non potuit iste postulari in abbatem, cum laicus nesciens regulas clericales possit etiam in episcopum postulari, 61. dist., Osius; postea per tres menses discere potest regulas clericales, in Auth. de sanct. episc. § damus., coll. 9; item eremita postulatur in abbatem, supra, de elect., cum monasterium? Dic quod non fuit eremita, sed de monasterio quod erat in eremo. Et eadem est ratio, quia si laicus est peritus, non est necessaria in eo probatio habitus clericalis. Sed omnia ista non prosunt, quia quantumcumque sit laicus peritus in regula monachali, et expertus et probatus in ea, numquam potest eligi vel postulari in abbatem propter rationem quae hic redditur, et quia eiusdem professionis debent esse qui eligunt. Et qui eliguntur, ne quasi in bove et asino videretur arari, quia quasi simul et semel esset laicus et abbas, et quia praesumptio ambitionis maxima est, quia alias non fieret forsitan monachus, et ambitio bene repellit quemlibet a dignitatibus, 8. q. 1, in scripturis. Quia non ambitione sed labore ad augmentum honoris unumquemque convenit pervenire, C. de re milit., contra publicam utilitatem, lib. 12; et ambitus notari solet, 61. dist., miramur, in fi.

Competenter
Per tres menses, arg. infra, de aetat. et qualit., praeterea; et in Auth. de sanct. episc. § damus, coll. 9.

X 1.06.39 *Illa quotidiana instantia*

Canonicam
Nota quod licet aliqui sint excommunicati minori excommunicatione, tamen eligere possunt, et talis electio dicitur canonica, ut hic habes. Sed talis scienter eligi non potest,

pro eo quod eligitur ad ea a quibus est ipse remotus, infra, de except., a nobis. Et hoc est hodie expressum, infra, de cleri. excom., si celebrat. Nec incurrit irregularitatem si celebrat, peccant tamen tales celebrando, ut ibi dicit. Sed criminosi a prosecutione sui iuris non repelluntur, nisi sint excommunicati maiori excommunicatione, et ita isti possunt uti iure suo in eligendo, et in aliis negotiis ecclesiae temporalibus et spiritualibus. Arg. contra supra, de elect., cum inter R; et supra, de consuet., cum dilectus, ubi dicitur quod suspensi nec eligere nec eligi possunt. Solutio: hic et in infra, de cleri. excom., si celebrat, intelligitur de suspensione canonis, contraria de suspensione iudicis, et mitius agitur cum lege quam cum ministro legis, ff. de recepti., Celsus.

Supplentes
Haec suppletio ex superabundanti, non ex necessitate hic fit, ex eo quod obiectum fuit de tali excommunicatione, quae repellit ab electione per decretalem praedictam infra, de cleri. excom., si celebrat.

Simplicis excommunicationis
Hic potest sumi arg. quod utile non vitiatur per inutile, infra, de elect., scriptum, in fi., vers. nisi forsan, etc.

X 1.06.40 *Scriptum est in*

Revocatam
Sine aliquo intervallo, sicut testis qui potest corrigere dictum suum incontinenti, infra, de testibus cog., praeterea. An factum procuratoris praeiudicet domino dicitur infra, ut lite non cont., ad hoc; et infra, ut lite non cont., accedens 1; et infra, de caus. poss. et propr., cum olim; et infra, de censib., olim.

Altera
Scilicet, postulantium archiepiscopum.

Electi et postulati
Sic supra, de elect., venerabilem. Sed ibi ad studia eligentium non retulit se legatus, quamvis potuerit.

Ubi nati
Quia ibi melius potest inquiri, supra, de elect., postquam; et infra, de praesump., quosdam; et 23. dist., illud.

Consenserint
Scilicet, ut notarius iste diffiniat secundum quod inferius continetur, et in isto consensu necessarius est consensus electi et postulati; alias non possunt partes recedere a iure, supra, de elect., cum inter canonicos.

De mutuo
Hoc ideo dicit, quia pars eligentium hoc negabat. Ideo Papa mandat inquiri, cum de iure communi interesse debuerit, infra, de caus. poss. et propr., cum ecclesia. Ber.

Per alios
Qualiter quis per alium hoc facere possit, habes infra, de elect., quia propter § illud.

Duo
Isti duo habebant vocem pro duodecim praelatis singulariter pro quolibet.

Temporis
Hoc ideo dicit, quia si tunc aliqua conventualis ecclesia vacasset, pro ea nullus potuisset admitti sede vacante, quia tunc non est qui iura illius tueatur, vel eis possit uti, infra, ne sede vac. nih. inn., novit; et infra, ne sede vac. nih. inn., illa; et infra, de praescrip., de quarta. Tunc enim dormit ius ecclesiae, ita quod non currit praescriptio, infra, de praescrip., auditis; et infra, de praescrip., placuit; et infra, de praescrip., de quarta. Nec ad capitulum ius illud devolvitur, infra, ne sede vac. nih. inn., illa. Arg. contra infra, de maior. et obed., his quae; et infra, de maior. et obed., cum olim; quibus forte staretur in casu isto, quia diversi sunt isti casus a praecedentibus.

Maiorem
Hic habes quod electio semper praevalet postulationi, secundum illos qui dicunt quod haec est iuris diffinitio, nisi duae partes sint in postulatione. De hac materia dictum est supra, de postul. praelat., bonae 1. Et ideo statur hic iudicio duarum partium, quia quod duae partes faciunt, totum capitulum facere videtur, ut ff. quod cui. univ. nom., plane. Et secundum hanc decretalem intelligit quod dicit decretalis supra, de postul. praelat., bonae 1, quod postulatio in discordia non consuevit admitti. Hoc intellige prout dicitur in notula sequenti. Item nota hic quod cum in electione longe maior numerus est ex una parte quam ex alia, non habetur respectus ad meritum personae, dum tamen sit conveniens ille qui est electus a maiore parte, nec ad zelum eligentium, arg. supra, de elect., dudum ad audientiam; et infra, de appell., constitutus. Sed si numerus in modicum excedat, tunc recurritur ad merita et ad zelum, et praeferuntur numero; arg. infra, de testib., in nostra; et est expressum infra, de elect., ecclesia vestra 2, ubi de hoc.

Confirmes
Hic dicit Papa electionem a minori parte capituli factam confirmari. Et tamen pars alia non est eligendi potestate privata, quia non postulaverat indignam personam, et de iure licite poterant postulare sicut et eligere, et ita postulando non peccant, ergo ius eligendi non fuit devolutum ad pauciores, quod tunc demum locum habet, cum maior pars scienter postulat vel eligit indignum, ut in fine decretalis dicitur. Et ideo contra infra, de elect., Cumana; et infra, de elect., ecclesia vestra 1; et infra, de elect., in Genesi; in quibus dicitur quod electio non valet nisi sit facta a maiori parte capituli, et hic confirmatur facta cum longe minori parte. Propter haec et alia quae hic dicuntur, dicunt quidam quod haec decretalis ius commune non continet, sed fuit quaedam provisio de consensu partium. Et hoc videtur per verba illa superius, si partes consenserint, hoc modo procedas, et ex eo quod Papa admittit hic postulationem in discordia factam, cum per eam nullum ius acquiritur postulato, supra, de postul. praelat., postulationem; et quia non consuevit admittere tales postulationes in tanta discordia, supra, de postul. praelat., bonae 1. Et ita in his duobus continet gratiam, quod satis potest concedi. Et ita videtur quod utraque

pars renunciet iuri suo, et quod dicit, de consensu partium taliter procedatur, ut supra dicitur in verbis praemissis, si partes consenserint, etc. Alias si contradicerent, non taliter processissent, sed facta inquisitione super his de quibus praemittit, causam instructam remisissent ad Papam. Hoc probatur supra, de elect., bonae 1, in parte decisa. Sed ubi duae partes postulant aliquem, licet ius non acquiratur postulato ut agere possit, tamen potest petere gratiam et iniuria fit ei si non fiat illi gratia, arg. ff. de aqua quot. et aest., ait praetor § permittitur. De hoc nota supra, de postul. praelat., gratum; et supra, de postul. praelat., postulationem; et supra, de postul. praelat., etsi unanimiter. Et idem crederem si maior pars postulat quod gratiam deberet habere. Et quod dicit de duabus partibus, non credo necessarium, sed quaedam provisio fuit hic, ut dictum est, quia sive maior pars et sanior, sive duae partes, sive omnes, totum dependet a superiore. Sed quod in fine dicitur, ius est.

Maior
Et ita videtur a contrario, quod si minor pars capituli scivisset illum esse indignum, alii non punirentur propter hoc. Et ita est hic arg. quod utile non vitiatur per inutile, sic supra, de elect., illa. Et est notabile illud quod culpa et dolus minoris partis non nocet, nec ea quae fiunt a minori parte irritantur propter hoc, et isti soli privati essent ipso iure eligendi in proxima electione, si alii non elegissent, supra, de elect., cum in cunctis; et hic. Et alii admitterentur, dum tamen probarent ignorantiam, supra, de elect., innotuit. Et si maior pars ignorasset illum indignum, utraque pars debet reprobari a contrario ut dicitur supra. Et quod dicitur hic quod electio facta a maiori parte confirmetur quando maior pars postulantium scienter eligit indignum, intelligitur quando uno contextu fiunt postulatio et electio seu electiones, ut hic contingit. Secus si ex intervallo, tunc enim illi soli qui scienter postulant vel eligant indignum sunt eligendi seu postulandi potestati privati. Et illi qui ignoranter postulaverunt seu elegerunt indignum debent ab aliis ad electionem admitti, alias deberet electio cassari propter contemptum, ut dicitur supra in eadem notula.

Postulata
Id est, ignoranter.

Praesumptione
Id est, ex certa scientia, supra, de elect., innotuit. Sed qualiter potuit esse dignus iste postulatus archiepiscopatu et indignus patriarchatu, et qui iudicatus fuit dignus a Papa vel a suo patriarcha quando confirmavit eum, quare denuo inquiri iubet de moribus suis contra illud, 17. q. 4, si quis suadente § qui autem; et C. ad leg. Corn. de fals., satis aperte; et infra, de aetat. et qualit., accepimus. Dico quod licet quis reputetur dignus ad unam dignitatem, propterea non est dignus ad maiorem, licet enim dispensetur cum aliquo in minori dignitate, non tamen dispensatur ad maiorem, 12. dist., nos consuetudinem.

Privari
Istud referas ad factum, cum sint ipso iure privati, supra, de elect., cum in cunctis. Illi qui, scilicet, qui scienter hoc fecerunt. Vel dic, id est, nunciati privati.

Confirmes
Cum sit facta a maiori parte illorum qui habebant ius eligendi.

X 1.06.41 *Ne pro defectu*

Cathedralis
Quantum ad hoc nihil additur, quia idem erat secundum antiqua iura, 50. dist., postquam; et 63. dist., obeuntibus. Et alii tres dantur ad consecrationem petendam, 100. dist., quoniam.

Regularis
Et sic patet ex hac constitutione quod canon Lateranensis concilii, infra, de concess. praeben., nulla. Hodie non extenditur ad regulares praelaturas, quia aequiparantur episcopatus et praelaturae regulares; simile 16. q. 7, si quis deinceps.

Impedimento
Et ita non currit praescriptio contra canonicos si iusta causa interveniente non eligant, 28. dist., de Syracusanae; et 61. dist., bene novit; et infra, de concess. praeben., quia diversitatem; C. de inoffic. testam., contra maiores; ff. ex quib. cau. maio., quod quidem; et ff. ex quib. cau. maio., sed et si; et ff. ex quib. cau. maio., ait praetor. Sed si Papa interdiceret electionem, non minus currit eis tempus nisi petant licentiam eligendi infra tempus statutum, infra, de elect., his quibus. Sed numquid est hic necessaria protestatio, quod non possint eligere infra tres menses, quod videtur infra, de offi. ord., pastoralis, in fi.; et infra, de appell., si iustus. Non credo quod necessaria sit in casu isto protestatio, quia debent petere licentiam. Et si non petant, sunt in mora, ut ibi dicit.

Ea vice
Id est, in prima electione, quae si cassaretur, vel si nolet venire, vel si eligeretur indignus, statim recuperarent ius suum, supra, de elect., cum Wintoniensis.

Devolvatur
Olim non devolvebatur ad proximum superiorem, infra, de concess. praeben., dilectus; sed ad Papa in episcopatibus. Et sic reducitur ad ius commune aliarum dignitatum, ut sicut ibi post sex menses, ita hic post tres devolvatur ad proximum superiorem, infra, de concess. praeben., nulla.

Consilio
Sed numquid tenetur semper habere consilium capituli sui, ut alias non valeat electio nisi habito consilio capituli et assensu? Videtur quod sine illis eligere non possit, sicut nec alia negotia debet facere sine illis, infra, de his quae fi. a prael., novit; et infra, de his quae fi. a prael., quanto; et quasi per totum. Arg. infra, de elect., cum in veteri, ubi cassatur electio quia non fuit expectatum responsum eorum de quorum consilio debuit fieri electio, ut 63. dist., obeuntibus; et 15. q. 7, episcopus nullius. Sed contra sufficit enim petere consilium, infra, de arbitr., cum olim; et ex consilio nemo obligatur; 14. q. 1, quisquis § quod praecipitur. Credo quod hoc facere debuit consentiente capitulo vel maiori parte; alias non credo quod solus hoc facere possit per iura praedicta. Vel dic

quod sufficit tantum requirere consilium capituli in isto casu et de honestate, cum ad ipsum solum devolvatur electio et non ad capitulum. Concilium vero aliorum non inducit necessitatem, sed de honestate requiritur.

Ipsius
Scilicet, vacantis. Hic praecipitur ut de eadem ecclesia eligat. Sed nonne ad metropolitanum devolvitur idem ius quod habuit capitulum? Sed capitulum potuit eligere undecumque vellet, supra, de elect., cum inter canonicos; et supra, de elect., cum nobis; et supra, de elect., in causis; ergo et metropolitanus. Dico quod primo debet inquirere personas ecclesiae vacantis, et eligere de gremio ipsius ecclesiae, et illud debuit fieri per illa iura, 61. dist., obitum; et 61. dist., nullus; et 18. q. 2, quam sit. Sed si hoc non fecerit, nihilominus valebit electio. Nam multa fieri non debent, facta tamen manent, 27. q. 1, nuptiarum; et 27. dist., si vir. Et nusquam invenies quod propter hoc cassetur electio. De hac materia tractatur supra, de elect., cum inter canonicos. Sed quare dicitur hic quod metropolitanus eligat de eadem ecclesia, cum ipsi perdiderint ius eligendi? Responde: ipsi perdiderunt ius eligendi active, id est, quia ipsi non possunt eligere, sed non passive, quia bene possunt eligi, et satis puniuntur in hoc. Et non debent propter hoc dupliciter puniri, quia poenae restringendae sunt, de poen. dist. 1 § poenae. Hic habes quod qui eligere non possunt, eligi possunt. Sed contra aliquem possunt eligere, sed non eligi, infra, de cleri. excom., si celebrat. Hic privat negligentia eos potestate eligendi, ibi non. Et ibi ideo non possunt eligi, quia non habent id propter quod eliguntur, hic bene habent executionem sacramentorum.

X 1.06.42 *Quia propter diversas*

Ecclesiis viduatis
Per hoc videtur quod loquitur tantum de electionibus praelatorum, id est episcoporum non canonicorum. Sed numquid extendemus istam constitutionem ad omnes dignitates etiam ad non cathedrales, et ad plebanatus, et ad alias dignitates quae praelatos habent in ecclesiis collegiatis? Non videtur, cum ecclesiae propter illas dignitates non dicantur viduatae, cum habeant episcopum. Satis potest dici quod non extenditur ad alias dignitates, sed tantum ad episcopatus et regulares praelaturas, ut supra, de elect., ne pro defectu. Tamen de facto bene extenditur ad alias dignitates, et de iure etiam bene potest intelligi constitutio ista de illis praelatis qui habent iurisdictionem generalem in ecclesiis collegiatis, quia tales praelati sponsi quodammodo appellantur, 21. q. 2, sicut in unaquaque. Sed non debet intelligi de dignitatibus seu personatibus in ecclesiis cathedralibus, quia in vacatione illarum dignitatum non dicitur ecclesia viduata, cum habeat episcopum qui solus est ibi maritus. Ber.

Qui debent
Hoc ideo dicit, quia omnes qui habent ius in electione sunt vocandi, supra, de elect., quod sicut. Et qui sunt in quieta possessione eligendi simul sunt vocandi, supra, de elect., quod sicut; et supra, de elect., coram; et supra, de elect., bonae 2. Et de consuetudine, si quae est, infra, de caus. poss. et propr., cum ecclesia.

Qui volunt
Bene dicit, qui volunt, quia si quis non vult interesse electioni, alii procedere possunt sine illo postquam constiterit, supra, de elect., quod sicut; et supra, de elect., cum nobis; et arg. infra, de elect., ecclesia vestra 2, ubi de hoc dicitur. Et sic omnes vocandi sunt qui commode possunt vocari. Qui sunt vocandi dictum est supra, de elect., coram; et infra, de elect., in Genesi.

Commode
Hoc ideo dicit, quia si commode et sine periculo vocari non possunt, non sunt vocandi, supra, de elect., quod sicut § 1.

De collegio
Per hoc videtur dari occasio discordiae, quia facilius possent ipsi concordare in unam personam quam assumant in praelatum, quam in istos tres. Et si discordant canonici in eligendo istos tres, aeque inquiretur de meritis et zelo eligentium, sicut in electione episcopi. Dico quod in istis inquisitoribus non requiritur illa examiniatio, quia ipsi non eligunt, sed inquirunt vota fratrum. Et hoc potest fieri per quoslibet de capitulo, dum tamen sint viri digni, et causa inquisitionis secrete fiat, quia quidam forte timore vel favore timent aliquem nominare in publico quem nominant in secreto, et libere nominant quem volunt. Libera enim debet esse voluntas in eligendo, 8. q. 2, dilectissimi; et supra, de elect., bonae 1; et infra, de elect., quisquis; sicut in matrimonio carnali, infra, de spons., cum locum. Et praeterea per hoc obviatur malitiis quorundam qui statim eligebant, et appellabant ne alii eligerent, supra, de elect., consideravimus. Per istam constitutionem malitiis et cavillationibus talium obviatur.

Secrete
Sicut testes in secreto deponere debent, ut liberius dicant veritatem, alias non valet dictum testis, infra, de testib., venerabili; et C. de testament., nullum; et infra, de accusat., inquisitionis § tertiae; alias non valet, nisi fiat secrete.

Redacta
Per ipsos scrutatores vel per tabellionem, et quod dicit, secreto, capitulum tantum excluditur et non personae necessariae.

Mox
Id est, incontinenti nullo actu contrario imtermedio post vota quaesita, et uno contextu, sicut testamentum, ff. qui testam. fac. pot., heredes palam, in fi. Optime ponit sensum istius dictionis, mox, infra, de elect., cum post petitam, ubi cassatur electio quia statim post collationem celebrata non fuit, arg. infra, de testibus cog., praeterea. Quandoque mox aliter accipitur, id est, statim, cum quodam temperamento decem dierum, ff. de constit. pecun., promissor. Et mox quandoque dicitur ad annum, 20. q. 2, si in qualibet; et 20. q. 2, puella; cum quodam temperamento sive spatio, ff. de solut., quod dicimus; ff. ad leg. Falc., lex Falcidia lata § si ita. Item quandoque cum primum potuit, ff. ad Tert., sive ingenua sit mater § confestim autem; et illico, id est, usque ad triduum, C. de iud., cum specialis; et C. de error. advoc., sententiis.

Publicent
Postquam publicationem variare nequeunt electores, infra, de elect., publicato. Et ideo locum non habet appellatio, immo compellendi sunt ad electionem, ut infra, de elect., publicato.

Collatione
Scilicet, numeri ad numerum, ut sciatur in quem maior pars consentit. Et zeli ad zelum, et meriti ad meritum, et numeri ad numerum debet fieri collatio. Haec enim est forma electionis quando duo electi sunt; alias quando unus, et sic non est necesse, et sic tria conferuntur, numerus ad numerum, meritum ad meritum, et zelus ad zelum, infra, de elect., in Genesi; et infra, de elect., ecclesia vestra 2; et ibi de hoc tractatur, et supra, de elect., venerabilem.

Sanior
Dic ut infra, de elect., ecclesia vestra 2. Circa formam istam quaedam ita sunt exacta diligentia observanda, ut si contra factum fuerit, electio aliquando est irrita, infra, de elect., ecclesia vestra 1; et infra, de elect., in Genesi. Aliquando est irritanda, infra, de elect., cum post petitam; et infra, de elect., Cumana. In utroque tamen casu non valet ut hic dicitur in vers. aliter, etc. Ista quidem sunt de substantia electionis sive forma, ut secreto et sigillatim inquisitio fiat, et publicatio incommuni, collatio et communis electio incontinenti nullo actu contrario intermisso unum post aliud faciendo. Et haec probantur infra, de elect., cum post petitam; et infra, de elect., Cumana, in fi.; et infra, de elect., in Genesi. Et vota in scriptis redacta, ut appareat per scripturam de consensu cuiuslibet, ut si vellet mutare, ei scriptum obviet, 1. q. 7, saluberrimum; et 27. q. 1, omnes feminae; et 20. q. 1, vidua. Et quod quilibet sit vocandus qui commode vocari possit, non credo esse de substantia electionis, ut propterea cassetur electio, dummodo contemptus postea consentiat electioni factae, supra, de elect., quod sicut. Quod tres tantum debeant esse inquisitores, non credo esse de substantia, dummodo tot sint inquisitores quod fraus fieri non possit, arg. supra, de elect., cum dilectus. Quia qui plus facit, non videtur facere contra, ff. de servitu. urb. praed., si arborem. Et superflua non vitiant, necessaria vero praetermissa diminuunt contractum, C. de testament., testamentum; et ff. de supel. leg., legata, in princ.; et. ff. de supel. leg., Labeo. Nec credo esse de substantia quod sint de eodem collegio, quia in electionibus consilium religiosorum virorum inquiri debet, 63. dist., obeuntibus; et supra, de elect., ne pro defectu; dummodo non sint laici, infra, de elect., Massana; et infra, de elect., sacrosancta.

Viris
Et isti possunt esse alii a capitulo, dummodo viri religiosi, nec ipsi exprimuntur de capitulo, quia bene possunt potestatem suam dare aliis, supra, de elect., causam quae. Et licet dicatur, aliquibus, uni tamen committi potest, ut in praedicta decretali supra, de elect., causam quae, quia non est illud de forma, immo melius potest expediri per unum quam per plures, scilicet, duos, quia tunc res fere sine exitu est; ff. de recepti., item si unus § ulti.

Vice omnium
Sed numquid maior pars posset sequi istam formam aliis contradicentibus? Videtur quod sic, quia quod maior pars facit, totum capitulum facere videtur. Et firmitatem debet sortiri, nisi rationabilis causa a paucioribus ostendatur, infra, de his quae fi. a maior. par. cap., cum in cunctis. Satis videtur aequum, et sic vitatur discordia, et facilius consulitur ecclesiae isto modo quam per scrutunium. Sed littera ista contradicit ubi dicit, vice omnium, et quod dicit, aliter electio facta non valet. Et alia potest ratio esse, quia cum quilibet habeat vocem in electione, non debet privari iure suo, nec aliquis debet compelli ius suum dare alii, C. de contrahe. empt., invitum; et C. de contrahe. empt., in vendendis; sicut et emptio voluntarie est, ff. fam. ercis., si pignori § ulti. Alii dicunt quod maior pars bene potest potestatem eligendi committere minori parte contradicente, quod mihi non videtur, quia non servatur forma secunda, cum et illa debet servari sicut et aliae duae.

Priventur
Per sententia, non ipso iure, infra, de elect., Cumana, in fi. Unde signatur contra, supra, de elect., cum in cunctis, ubi ipso iure privati sunt. De hoc dic ut dixi infra, de elect., Cumana, in fi.

In eo loco
De hoc dixit supra, de elect., coram.

Venire
Si venire non potest, quare citatur? Non videtur citandus, unde alii eligere possunt. Sed hoc non est verum, quia citandi sunt semper absentes, ex quo possunt commode citari, sive venire possint sive non, et quia hoc ipsum dubium posset esse praesentibus, supra, de elect., quod sicut. Et intelligo illum venire non posse qui propter timorem non potest venire ad locum, supra, de elect., bonae 1. Sed in casu illius capituli non tenetur committere vices suas, ut notatur ibi in glossa quae incipit, si citati; vel propter informitatem, 5. q. 3, si aegrotans; vel si vocaetur ad maius tribunal, ff. de re iud., contra pupillum. Et ideo cum iusta causa sit impeditus, iure suo privari sine culpa sua non debet, ut infra, ut lite non cont., quoniam § 2. Unde quod per se non potest, per alium exequatur, ff. de procur., procurator est qui; sicut in iudice, infra, de offi. deleg., si pro debilitate; et infra, de offi. deleg., pastoralis, in fi. Et est arg. optime contra illos qui dicunt quod si plures iudices sunt cum illa clausula, quod si non omnes, etc., quod ille qui non potest interesse, licet committere possit vices suas, socii non tenentur ipsum admittere, quia extat conditio, quod falsum est. Hic non potest interesse, et tamen alii tenentur procuratorem illius admittere. De illa materia dicitur infra, de offi. deleg., coram. Et iste procurator cum sit de capitulo habebit duplicem vocem, infra, de elect., congregato; et arg. infra, de re iudic., cum olim; arg. supra, de elect., scriptum. Nec credo quod multum expediat quod iste qui dat procuratorem debeat iuramentum praestare. Sed ideo dicit, si opus est, fidem faciat iuramento. Quod si praesentes nolent ei credere super impedimento quo detinetur, nec aliter admittere velint procuratorem qui non haberet versimilem praesumptionem, tunc debet iurare quod impeditus venire non possit. Et tunc tenentur illum admittere. Sed quod si nullus vellet de capitulo recipere vicem suam, numquid posset alii committere qui non esset de collegio? Videtur quod sic, quia per hanc litteram constat quod ipse debet interesse per se vel per alium, et ita si

nullus vult recipere vicem suam, potest alicui viro religiosi clerico committere vicem suam, alias non valet electio si eligerent. Et hoc non credo esse contra substantiam, si alium admittant qui non sit de collegio, quia et viri religiosi vocandi sunt ad electionem, et de eorum consilio est facienda, ita quod non valet alias electio, 64. dist., obeuntibus. Tamen non credo quod hodie canonici ad hoc teneantur nisi velint, et illud capitulum, 64. dist., obeuntibus, non tenet nisi quo ad honestatem. Canonici tamen tenentur recipere illum, cui commiserit vices suas auctoritate huius canonis. Arg. contra supra, de rescript., cum contingat; et infra, de appell., cum speciali. Vel si nolint recipere, potest exprimere suam voluntatem per litteras suas, et voluntas illa cum aliis publicetur, et sic extra capitulum non committat.

Clandestinas
Illa electio dicitur clandestina quae fit singulariter et occulte per occulta conventicula, 79. dist., si quis Papa. Et quamdiu publicatio facta non est dicitur clandestina, ut hic in fine. Et quam cito facta est debet publicari, alias non valet, ut dictum est, et infra, ut eccl. ben., ut nostrum.

X 1.06.43 *Quisquis electioni*

Abusum
Ut laicus, princeps, vel potestas intersit electionibus. Et talis non est usus, sed abusus, ut supra, de elect., cum terra; et supra, de elect., quod sicut; et contra ecclesiasticam libertatem, ut ibi dicitur. Et hoc intellige cum clerici sponte laicos admittunt. Secus si per vim vel impressionem eligerent, quia tunc non puniuntur, supra, de elect., cum Wintoniensis. Ber.

Libertatem
Quia si admitterentur laici, sive huiusmodi potestates assumerent sibi ius in posterum, sic periret libertas ecclesiae, quia in electionibus liberum debet esse arbitrium cuiuslibet, 8. q. 2, dilectissimi; sicut in matrimonio carnali, infra, de spons., cum locum. Et ideo talis electio nulla est quae fit contra libertatem ecclesiae, infra, de elect., sacrosancta; et infra, de elect., Massana; et supra, de elect., cum terra. Et ita laici omnino excludendi sunt in collegiatis ecclesiis.

Fiat
Per hoc quod dicit, fiat, quod futuri temporis est, videtur quod non ipso iure sed per sententiam debeat suspendi. Et facit ad hoc infra, de iure patron., praeterea quia. Videtur tamen quod ipso iure fit ineligibilis, et ad hoc facit 16. q. 7, si quis deinceps; et supra, de elect., ne pro defectu, vers. careant ea vice. Sed ibi suspensio durat quousque dignitatem taliter adeptam dimiserit, et qui sic suspensus est, sicut per suum factum suspenditur, ita per actum contrarium restituitur, 15. q. 6, nos sanctorum; et 81. dist., si quis presbyter; et 81. dist., si quis ammodo. Sed numquid episcopus potest dispensare cum talibus? Credo quod sic, ex eo enim quod conditor canonis hic non reservavit sibi dispensationem aliis concessisse videtur, infra, de sent. excom., nuper; et infra, de praeben., de multa, in fi.; et infra, de praeben., grave, in fi. Et hoc minus est adulterio in quo potest episcopus dispensare, infra, de iudic., at si clerici.

Irritam
Sic supra, de elect., cum in cunctis, ubi electio ipso iure irrita est quae fit de persona indigna.

Suspendantur
Per sententiam; sic infra, de elect., Cumana, in fi. Sic intelligitur supra, de elect., quia propter. Contra supra, de elect., cum in cunctis, ubi ipso iure beneficiis ecclesiasticis sunt privati. Quidam dicunt quod standum est huic, et non illi, et in alio etiam corrigitur ille canon ibi eligendi potestate privatos, per capitulum proximum supra, de elect., quia propter. Diversitas istius verbi, quantum ad electionem, habetur infra, de elect., Cumana, in fi. Sed quod dicit, ab officiis et beneficiis priventur, hoc est verum quod sententiam privandi sunt. Et illud capitulum supra, de elect., cum in cunctis, non corrigitur, unde ipso iure privati sunt beneficiis per triennium. Et ratio diversitatis haec est: hic privantur officiis et beneficiis, et sic in duobus puniuntur quia plus peccant; et ibi privati sunt beneficiis tantum, quia minus peccant ibi quam hic, ut sic quaedam compensatio sit hinc inde. Vel verius diversi sunt isti casus et in diverso casu loquuntur, et ideo diversae poenae. Hic maior poena imponitur quam ibi, quia plus offendit quam contra ecclesiasticam libertatem aliquid fecit, sed ibi eligitur persona indigna.

Tunc
Id est, ea vice; sic supra, de elect., cum in cunctis. Sed si in illo triennio quo suspensi sunt iterum vacaret, videtur per illam expositionem quod canonici possent eligere, et ita suspensi eligerent. Sed hoc esse non potest, supra, de elect., cum inter R. Et ideo istud, tunc, respicit totum triennium, et hoc intellige quando omnes delinquunt. Sed si aliqui non deliquissent, ipsi eligerent, supra, de elect., scriptum, in fi.; et supra, de elect., cum in cunctis. Ber.

Privati
Supra, de elect., quia propter. Contra ubi privantur per sententiam. Idem est, quia plus peccant isti quam illi, ut dictum est, et ideo hic ipso iure, ibi non, et in diverso casu loquuntur.

X 1.06.44 *Nihil est quod*

Examinet
Ad illum enim pertinet examinatio ad quem pertinet confirmatio, et ex officio suo debet examinare personam electi et formam electionis, etiam si non obiiciatur aliquid electo, supra, de elect., cum nobis; et supra, de elect., venerabilem, vers. est enim generaliter, etc.; 78. dist., quid est cito; et infra, de haeret., cum ex iniuncto; quia eius interest ne puniatur si promoveret indignum, ut infra sequitur.

Indigne
Sic 71. dist., tantis.

X 1.06.44 Nihil est quod (rev. 9/23)

Scientiae

Quae impedit promovendum, infra, de elect., congregato. Et deiicit iam promotum, infra, de aetat. et qualit., quamvis.

Aetatis

Supra, de elect., cum in cunctis. Et ita expresse patet hic quod episcopi in aetate dispensare non possunt. De hoc dixi supra, de elect., cum dilectus, in glossa. Sed numquid cum puniantur si hoc fecerint, alias non deberent puniri, quia quod legitime factum est poenam non meretur, C. de adulter., Gracchus.

Potestate

Ipso iure, supra, de elect., ne pro defectu; et supra, de elect., cum in cunctis, in fi.

Suspendatur

Variae poenae statuuntur a canonibus circa illos qui illicite promovent indignos et illos qui illicite promoventur. Quandoque privantur potestate conferendi illum ordinem quem illicite contulerunt, ut 1. q. 1, si quis episcopi; et infra, de temp. ord., litteras; 36. dist., is qui ecclesiasticis; et ordinatus removetur a clero, 50. dist., ex poenitentibus. Quandoque suspenditur a celebratione missae per annum, 55. dist., nullus. Quandoque deponitur, 64. dist., illud, ubi episcopus ordinatus praeter scientiam archiepiscopi deponitur, 51. dist., aliquantos. Et hic statuitur poena contra illos qui promovent indignos, qui debent suspendi, ut hic dicit, per sententiam a superiore, cum hoc ad ipsum pervenerit. Huic assignatur contra, infra, de praeben., grave. Ibi enim non punitur qui promovet indignos nisi post primam et secundam correctionem, et hoc statim sine aliqua admonitione. Item hic ordinati sive promoti removentur, ibi non. Dicas quod in alio casu hic, et in alio ibi. Hic loquitur de his qui promoventur ad dignitates, et ad regimen animarum, ut dicit in principe, et quia plus peccant, plus puniuntur sine aliqua admonitione, quia et portae dignitatis personis vilibus patere non debent, infra, de excess. praelat., inter dilectos; et infra, de iureiur., querelam; et C. de infam., infames, lib. 10; et C. de dignitat., neque famosis, lib. 12. Ibi loquitur de beneficiis simplicibus, ubi non requiritur tanta maturitas, et ideo habet ibi locum correctio, quia in promotione illorum non est tale periculum. Unde illi non removentur, sed isti sic. Et ita contra non est, quia diversitas contradictionem impedit, sicut dicitur, diversum tempus impedit contradictionem.

Graviori

Ad arbitrium iudicis, cum hoc non determinetur, infra, de offi. deleg., de causis § ulti.; infra, de accusat., super his. Et magis punienda est malitia quam negligentia, infra, de crim. falsi, ad falsariorum.

Canonicam

Supra, de elect., cum in cunctis, in fi.

Ad Romanum

Sive sint abbates, supra, de consuet., cum venerabilis; sive episcopi.

Ultra Italiam
Licet fines Italiae non ubique distent a Roma aequaliter, tamen omnes dicuntur remoti qui ultra duas dietas extra diocesim suam distant, supra, de rescript., nonnulli. Sed istud verum est quo ad iudicia. Sed quantum ad hunc casum qui distant per duas et dimidiam vel tres aut parum plus, non credo quod debeant habere illud beneficium, quia modica distantia est, tamen consuetudini stetur. Et ita aliquid statuitur propter distantiam, quod alias non fieret; sic 63. dist., cum longe; et infra, de dolo et contu., cum olim.

Administrant
In duobus casibus ex sola electione habetur ius administrandi, in his videlicet, qui subsunt nullo medio Romano Pontifice, 23. dist., in nomine Domini. Sed quid si suffraganeus est valde remotus a suo metropolitano, numquid eodem modo potest ministrare? Videtur quod sic, cum eadem causa subsit, ergo videtur quod idem ius, supra, de consti., translato; et supra, de consti., nam concupiscentiam; et infra, de translat., inter corporalia; et infra, de confirm. util. vel inutil., cum dilecta. Et si nimia subtilitate utamur, res ecclesiarum depereunt, C. de ver. sig., cum quidam, circa finem; et C. ad Trebel., sancimus. Sed contra videtur, quia cum illud etiam dispensative sit dictum, talis dispensatio ad similia non protenditur, infra, de re iudic., in causis; et 56. dist., Cenomanensis. Nec excusat hic rerum periculum, infra, de maior. et obed., illud. Sed pone quod talis praelatus tempore confirmationis suae reperitur minus idoneus, et sic repellitur, numquid ea quae medio tempore fecit sunt cassanda? Videtur quod sic, infra, de haeret., fraternitatis; et 12. q. 2, alienationes; 14. dist., sicut; etsi principale cassatur et omnia quae secuta sunt ex eo vel ob id, C. de legi. et const., non dubium; et infra, de fide instrum., inter dilectos. Sed contrarium verum est in hoc casu, quia fuit in quieta administratione et in quasi possessione praelationis de licentia Papae, et pro praelato habitus est. Unde omnia quae fecit medio tempore rata sunt quae poterat facere, arg. infra, de iure patron., ex litteris; et infra, de iure patron., consultationibus; et supra, de elect., querelam; 3. q. 7, infamis § verum; et ff. de procur., si procuratorem, in fi.; et C. de testament., testes servi. Quae facere poterat ideo dixi, quia de rebus ecclesiae alienare non posset, quia illud ei prohibetur, ut hic dicit. Sed circa spiritualia valet quicquid fecit, et etiam in temporalibus bene administrando, emendo, recipiendo, ad utilitatem ecclesiae non dando, arg. ff. si cert. pet., eius qui in provincia; et 1. q. 1, si quis a simoniacis. Et hoc confirmat littera hic in fine. Sed si quis intrusus acquirat ecclesiae, numquid et illud cassabitur cum ipso? Videtur quod sic per iura prius dicta, et quia commodum cum incommodo debet compensari, ff. de negot. gest., si negotia. Credo quod non cassabuntur nisi ea quae perperam facta sunt in praeiudicium ecclesiae, sed utilia remanebunt penes ecclesia, quia cum in favorem ecclesiae talia cassentur. in laesionem eius non debent retorqueri, C. de legi. et const., quod favore; et ff. de minor., si iudex.

X 1.06.45 *Ut praeteritae*

Expensae necessariae
Sic patet quod si capitulum facit expensas vacante ecclesia pro negotio electionis promovendae, aut etiam pro electione episcopi confirmanda vel alias, totum possunt repetere ab episcopo. Idem intelligo pro electione alterius praelati, quia hinc inde eadem ratio et idem ius; C. ad leg. Falc., cum certum; C. de inoffic. donat., precibus; C. de liber.

praet., cum post omnes. Et istae expensae necessariae debent esse et moderatae quas fecerunt occasione istius electionis, ut hic dicit, et infra, de dolo et contu., cum dilecti; et infra, de eo qui mitt. in poss. caus., cum venissent, in fi. Nec debent excedere probabilem modum, ff. de damn. infect., inter quos § ulti.; ff. de damn. infect., ex damni infecti; nec delicatae, quia nec delicatus debitor nec onerosus creditor est audiendus, ff. de pigner. act., si servos. Et dicuntur expensae necessariae sine quibus negotium expediri non potest, vel sine quibus res efficiatur deterior, ff. de impen. in re. dot., impensarum; ff. de impen. in re. dot., vel in valetudinem; ff. de impen. in re. dot., vel si vites; et ff. de impen. in re. dot., et in totum; et ff. de ver. sig., impensae. Et sufficit si credat expedire, licet non expediat, ff. de reb. auct. iud. poss., praetor § 2. Et cum ipsi canonici utilitatem patriarchae procuraverint, dignus est ut suum stipendium consequantur, 12. q. 4, quicumque; quia illud de suo facere non tenebantur, quia nemo cogitur invitus de suo facere beneficium, 10. q. 2, precariae. Et utiliter negotium suum gestum est, ff. de negot. gest., Pomponius, in fi.; ff. de negot. gest., sed an ultro. Sed quid si duo in discordia electi essent? Dicunt quidam quod tunc non repetent expensas. Idem credo dicendum quod de uno, dummodo maior pars capituli certet pro electo et obtineat, quia idem est ac si totum capitulum. Quare eodem modo non solveret illi confirmatus expensas non video. Eadem ratio est hic.

Pro electionis negotio

Illas autem tantum solvent quas propter hoc fecerunt, infra, de eo qui mitt. in poss. caus., cum venissent, in fi.; et infra, de procurat., cum pro causa. Et propter hoc negotium iverunt; alias si pro suis negotiis ivissent vel misissent, licet tractassent praedictum negotium, non haberent expensas, infra, de procurat., cum pro causa; nisi quatenus plus expendisset propter longiorem moram, ff. fam. ercis., ex parte, in princ.; ff. de negot. gest., si communes.

Occupent

Tunc enim qui ius sibi dicunt in rebus occupatis debent cadere a iure suo, ff. quod metus cau., extat edictum; et ff. ad leg. Iul. de vi priv., creditores; et 16. q. 6, placuit. Immo tenentur bona decedentis conservare futuro successori, 12. q. 2, haec huius placiti; et12. q. 2, cum non liceat; infra, de offi. ord., cum vos. Sed si occupent bona, tunc sufficit quod habent.

X 1.06.46 *Cum post petitam*

Petitam

Peti debet instanter antequam admittatur, sicut et pallium, 100. dist., prisca; sicut et libelli dimisorii, 2. q. 6, post appellationem; infra, de appell., extravag. cordi; et ff. de libel. dim., post appellationem. Item sponsa non debet statim tradi, ut carior sit delata, 27. q. 2, institutum. Item remissio peccatorum, de poen. dist. 1, importuna. Et ea obtenta necesse habet cedere, infra, de renunciat., quidam.

Protractam

Sed videtur quod per talem prorogationem non debet cassari, quia non omne quod differendi causa fit, adnumerandum est morae, ff. de usuri., sciendum. Et quod differtur,

non auffertur, 32. q. 2, acillam; immo maturiori consilio perficitur, de poen. dist. 7, nemo. Ideo non debent differe, quia amplius deliberare non possunt, cum etiam mutare nequeant vota sua, infra, de elect., publicato. Et ideo incontinenti electio fieri deberet antequam ad alia divertant. Uno enim contextu totum fieri debet, supra, de elect., quia propter; et ff. qui testam. fac. pot., heredes palam, in fi.

Requisitum
Sed numquid sola requisitio sufficeret ad cassationem? Non videtur, quia in fraudem posset ab aliquo aemulo procurari; simile infra, de simon., sicut tuis. Et ideo non videtur impedire sola requisitio. Sed si consentiat, tunc sufficit ad cassandum propter ambitionem; et simile supra, de elect., officii; et supra, de elect., cum ad nostram; et 1. q. 6, sicut; et C. de episc. et cler., si quemquam. Et non ambitione, sed labore ad dignitatem convenit pervenire, C. de re milit., contra publicam, lib. 12. Et ita utrumque istorum reddit formam inutilem, hic requisitus consentit, et ista fuit causa quare cassata fuit electio. Si vero dissentiat, non est eligendus.

Inordinato
Quia ex his quae inordinate fuerunt facta non potest aliquid ordinabiliter agi, infra, de accusat., qualiter et quando 1; sic supra, de rescript., cum dilecta. Et qualiter forma servari debeat, dictum est supra, de elect., quia propter.

X 1.06.47 *Constitutis in praesentia*

Quo iure
Isti abbates petebant electionem Fiscanensis abbatis cassari, in qua dicebant se fuisse contemptos. Et sic cum diverent se fuisse in quasi possessione eligendi, videtur quod inique sit actum cum illis, quia possessor non tenetur dicere titulum suae possessionis, C. de pet. hered., cogi; et 2. q. 5 § deficientibus. Non est ita, quia isti tempore petitionis suae expulsi erant de possessione iuris quod se habere credebant, quia quandoque forte habuerunt vocem in capitulo Fiscanensi. Et ideo quia eis contemptis facta erat electio, petebant illam cassari; sic infra, de caus. poss. et propr., cum ecclesia. Cum enim peterent illam cassari, et ad eos de iure communi non pertineret electio, merito debebant exprimere quo iure hoc petebant, quia sine actione vel causa nemo experitur, C. de edict. div. Had. toll., edicto; ff. de negot. gest., si pupilli § ulti.; et ff. de admin. tut., quotiens § item si temporali. Quia ineptam actionem sive causam exposuerunt, imponitur eis silentium, infra, de iudic., examinata. Quia in diversis monasteriis non potest quis esse monachus, ergo nec vocem habere, infra, de relig. dom., ne nimia, in fi. Sed si allegassent solummodo consuetudinem nomine ecclesiarum suarum et probavissent se in quasi possessione fuisse, tunc cassata fuisset electio, infra, de caus. poss. et propr., cum ecclesia. Sed nomine suo non poterant allegare consuetudinem. Et sic nota quod qui non est de collegio, si electionem petit cassari, debet assignare causam suae petitionis et idoneam; alias repellitur ut hic habes. Item idem est si ante electionem dicat se debere interesse, et ab illis de collegio hoc negatur protestatione praemissa, ut si docuerit de iure suo, valeat vox eius. Possunt procedere omnes ad electionem, et in hoc casu necesse est docere de iure suo, et sola possessio in hoc casu non prodest, infra, de elect., Cumana.

Hic enim agitur confessoria et negatoria. De hoc dicitur infra, de caus. poss. et propr., cum ecclesia.

Vocem in capitulo
Isti abbates erant monachi monasterii Fiscanensis. Quando assumpti fuerunt in abbates, et tunc conventus reservavit illis confraternitatem et quod haberent vocem in capitulo Fiscanensi. Et ita hoc praetextu se credebant debere vocari ad electionem abbatis. Sic consueverunt facere multi monachi, ut quasi sint de collegio utriusque monasterii, ut sic possint eligi si conveniat ut de collegio eodem fiat electio. Istud hodie reprobatur. Nullus enim potest esse monachus in pluribus monasteriis, nec abbas potest praeesse diversis monasteriis, infra, de relig. dom., ne nimia § ulti. Et ideo causa allegata ab istis abbatibus nulla fuit. Si aptam causam etiam postquam causa illa fuit repulsa allegassent, bene debuissent audiri per praedictam decretalem infra, de iudic., examinata; et infra, de dona., inter dilectos; et ff. de excepti. rei iud., et an eadem; et infra, de caus. poss. et propr., cum ecclesia.

X 1.06.48 *Ecclesia vestra destituta*

Dirigebant
Consentiendo in ipsum et nominando ipsum. Sed videtur quod sufficiebat ex quo Thomas habebat maiorem partem quam aliquis aliorum, arg. ff. de ver. sig., maiore, ubi dicitur quis possedisse maiore parte anni, et tantum possedit nisi duobus mensibus. Illud verum est quod maiorem partem totius capituli debet habere electus, ad hoc ut sua electio confirmetur etiam per antiqua iura, infra, de his quae fi. a maior. par. cap., cum in cunctis; et 56. dist., apostolica; et supra, de elect., quia propter.

Processus
Et ideo non valuit, etiam si maior pars capituli consensisset in illum, infra, de elect., in Genesi. Et ita quod praecipuum est hic deficit, scilicet electio. Et talis deportatio non obtinet vicem electionis, et ita per alium actum fieri non potest electio, licet possessio tradita videatur, quamvis possessio non apprehendatur; arg. supra, de consuet., ex litteris; et ff. de acq. poss., quod meo § si per venditorem; sicut appellat quis ipso facto, infra, de appell., dilecti filii 2; et infra, de appell., ut nostrum. Ista enim principalia et praecipua necessaria sunt sine quibus electio non valet: collatio, publicatio, inquisitio, et incontinenti electio, et scriptura, supra, de elect., quia propter; et infra, de elect., Cumana; et infra, de elect., in Genesi.

Appellationem
Quae locum non habet publicatio scrutinio, cum mutare nequeant voluntatem, infra, de elect., publicato; et supra, de elect., quia propter.

Cassavimus
Id est, cassum et irritum ostendimus; sic infra, de elect., in Genesi.

Non admissa
Ex eadem causa, quia non fuit electus, et quia minorem partem habebat quam Thomas.

X 1.06.49 *Cum in magistrum*

Discipuli
Et merito, quia primo debet quis esse discipulus quam magister, 59. dist., ordinatos; et 61. dist., miserum; et 16. q. 1, si clericatus.

Praeficiendus
Simile infra, de aetat. et qualit., indecorum. Qui enim sub tutela debet esse, sub se alium habere non debet, C. de legit. tutel., nemo. Et qui sub alio est, alium sub se habere non debet, ff. de adulter., sic eveniet; et ff. de Maced., filium habeo; et 1. q. 1, estote.

Professionem
Professio enim sola monachum facit et non habitus, et infra, de regular., porrectum; et infra, de regular., ad Apostolicam; et huiusmodi professionem in scriptis facere debent, ut 20. q. 1, vidua; 27. q. 1, omnes feminae; ut si reclamare voluerint, obviet eis propria professio per scripturam facta, 1. q. 7, saluberrimum; arg. C. de non num. pecun., generaliter; et 2. q. 1, legum; et infra, de probat., per tuas.

Ad amotionem
Quia in uno eodemque officio dispar non debet esse professio, 16. q. 7, in nova. Et consuetudo non prodest in hic, supra, de elect., cum causam, in qua idem dicitur; infra, de testamen., quia ingredientibus. Et in hoc casu idem iudicium est habendum de monachis et canonicis regularibus, quia non differunt, nisi quia deserviunt regulae laxiori, infra, de statu monach., quod Dei timorem.

X 1.06.50 *Cumana ecclesia pastoris*

Praesentes
Per hoc videtur quod absentes non debeant vocari ad electionem, arg. 7. q. 1, factus; et 10. q. 2, hoc ius porrectum. Super hac vocatione statur consuetudini, ut dixi supra, de elect., coram.

Abbatibus
De quibus constat per speciale privilegium vel per consuetudinem, supra, de consuet., cum dilectus; et supra, de elect., quod sicut. Sed de clericis et capellanis in dubium revocabatur, et ideo sub protestatione admissi fuerunt. Et ideo qui de capitulo non sunt et dicunt se interesse debere in electione, debent dicere quo iure hoc dicant, supra, de elect., constitutis; hic allegabatur consuetudo.

Protestatione
Cui consenserunt clerici et capellani, alias non praeiudicaret eis protestatio. Sic ergo protestatio valet; sic infra, de his quae vi met. caus. fi., perlatum; et 31. q. 2, Lotharius; et ff. quib. mod. pig. vel hyp. sol., si debitor § 1; et 7. q. 1, pontifices; et 34. dist., presbyteri; 28. dist., diaconi; et infra, de offi. ord., pastoralis; et infra, de appell., si iustus; et 16. q. 3, placuit ut § potest, vers. is autem; et ff. de negot. gest., Nesennius. In

contrarium videtur quod protestatio ista non debeat prodesse, supra, de consti., cum M; et infra, de appell., sollicitudinem; et infra, de censib., olim; et ff. de condi. indeb., quod quis sciens. Sed valuit hic protestatio ut patet in fine; alias si protetsatio non praecessisset bene habuissent vocem in electione, cum essent in quasi possessione, infra, de caus. poss. et propr., cum ecclesia; et de caus. poss. et propr., cum olim; et infra, de iure patron., consultationibus; et supra, de elect., querelam. Et etiam si non essent in quasi possessione valuisset eorum vox ex quo sponte admiserunt illos, supra, de elect., scriptum. Et ideo quia hic negabatur ab initio illos debere interesse, nec admittebant illos sine protestatione et totum ius eorum in iudicium deductum fuit, vox illorum non valuit nec profuit quod interfuerunt duabus electionibus, quia praescriptionem legitimam non probaverunt. Et est simile infra, de caus. poss. et propr., cum ecclesia, ubi totum ius capellanorum deductum fuit in iudicium, culpa tamen illorum, et post factam electionem, sed isti inviti hoc fecerunt compulsi ab adversariis qui negabant illos ius habere, et est multum notabile hoc.

Consuetudine

Clerici et capellani et etiam abbates de iure communi in electione esse non debent, cum ad capitulum tantum spectet electio; 16. q. 7, congregatio; et 18. q. 2, abbatem; et supra, de elect., nullus; et infra, de iure patron., nobis. Sed de consuetudine possunt, infra, de caus. poss. et propr., cum ecclesia.

Ad maiorem partem

Sic supra, de elect., ecclesia vestra 1; et infra, de elect., in Genesi. Quia cum clerici et capellani nihil probaverint, vox eorum nulla fuit. Et sic remanserunt septem canonici ex una parte et unus abbas, et ita octo. Ex alia parte novem canonici et unus abbas, et ita decem, quia totum capitulum cum abbatibus qui ius habebant viginti unus erant, quia canonici erant octodecim, et sic nulla electio pervenit ad maiorem partem illorum qui vocem habebant, et sic cassatur utraque electio. Vel si vis intelligere maiorem partem respectu capituli tantum, adhuc idem est. Sic patet quod consensus electi non computatur inter eligentes, quia si sic computaretur una pars fuisset maior etiam quo ad totum capitulum, scilicet, pars archidiaconi quae habuit novem, et ipse fuit decimus, et sic erat maior pars capituli, et tamen non valuit electio sua. Quod persona electi non auget numerum eligentium evidenter probatur per constitutionem illam supra, de elect., quia propter. Quia antequam quis eligatur, oportet quod in scrutinio maior pars capituli consentiat in aliquem, ut ibi dicitur; et supra, de elect., ecclesia vestra 1; ut hic, et infra, de elect., in Genesi. Et ita cum nondum sit electus nec etiam sciant in quem consenserit maior pars, non potest augere numerum. Sic ergo patet ex illa constitutione supra, de elect., quia propter; et supra, de elect., ecclesia vestra 1, quod persona electi non debet computari inter eligentes. Et quod dicit supra, de elect., cum in iure, obtinet ex forma compromissi, ut ibi dixi, et hoc dicitur in littera. Nec hoc credo quod talis electio valeret hodie, et ita est de forma electionis quod maior et sanior pars totius capituli consentiat in aliquem in ipso scrutinio.

Non tamen inquisita

Et ita non sufficit dare inquisitores nisi vota eorum inquirantur. Sed alterum per se sufficeret, scilicet, inquisitio votorum, infra, de eo qui mitt. in poss. caus., constitutis.

De iure competere
Quod dicit de iure vel ex consuetudine, vel ponitur pro id est, quia de consuetudine praescripta debent interesse, sed non de iure communi. Vel proprie potest istud teneri, vel id est ex privilegio sibi concesso a Papa; simile infra, de his quae fi. a prael., ea noscitur.

Iam praescripta
Sic patet quod sola possessio non dat nec creat ius nisi sit praescripta, infra, de caus. poss. et propr., cum ecclesia. Et sic consuetudo non valet nisi sit praescripta et rationabilis, supra, de consuet., cum dilectus; et supra, de consuet., cum tanto. Sic et possessio sola non facit aliquem clericum sine canonica institutione, infra, de praeben., dilecto; et infra, de instit., ex frequentibus; arg. C. de liber. caus., non idcirco; et ff. de decur., Herennius.

Contra formam
Et sic patet quod forma quae traditur supra, de elect., quia propter, sit de substantia electionis quo ad quaedam quae ibi ponuntur, ut ibi diximus, et est verum secundum quod hic dicit. Ex quo enim forma ista attentatur diligenter servanda est, ita quod qui contra facit, punitur, ut hic dicit. Inquisitio, publicatio, collatio sunt de substantia, ut si omittantur, cassatur electio et incontinenti debet fieri electio; alias si protrahatur, non valet, supra, de elect., cum post petitam. Et sic electiones cassatae fuerunt duplici de causa, quia neutra facta fuit a maiori parte capituli, et quia forma servata non fuit.

Privantes
Et ita qui facit contra formam illam supra, de elect., quia propter, privari debet per sententiam et non ipso iure, ut dicit illa constitutio, vers. qui vero contra, etc. Unde signatur contra, supra, de elect., cum in cunctis; et supra, de elect., innotuit; vel contra istam formam, etc., ubi sunt ipso iure privati. Unde quidam dicunt quod illa constitutio supra, de elect., quia propter, corrigit illum canonem supra, de elect., cum in cunctis, in hoc quod illi hodie non sunt privati ipso iure, sed privandi per sententiam, prout hic factum fuit et dicitur in illa constitutione supra, de elect., quia propter. Istud non credo, immo utraque constitutio locum suum obtinet, et in suo casu loquitur. Illa decretalis supra, de elect., cum in cunctis, loquitur cum quis ex certa scientia elegit indignam personam, unde ipso iure sunt privati potestate eligendi, supra, de elect., scriptum, in fi.; et beneficiis ecclesiasticis per triennium, unde dico quod si forma istius constitutionis supra, de elect., quia propter, per omnia servaretur, et venirent contra illam constitutionem supra, de elect., cum in cunctis, nihilominus essent privati secundum tenorem illius canonis infra, de elect., congregato. Aliud est peccare contra formam illius capituli supra, de elect., cum in cunctis; et aliud contra illam constitutionem supra, de elect., quia propter, quia plus peccant eligendo indignas personas quam faciendo contra formam istius constitutionis supra, de elect., quia propter. Ibi enim non peccant in personam aliquam, et ideo maior poena in uno quam in alio, et ipso iure in uno, et per sententiam in alio, et sic utraque constitutio remanet in suo statu quia diversae formae sunt.

X 1.06.51 *Sacrosancta Romana ecclesia*

Iuri contrariam
Et ideo non tenuit; simile supra, de elect., cum terra, ubi nominabantur duae personae auribus principis vel patriarchae; sic infra, de transact., de caetero. Cum sit facta de re spirituali cum laico, quam ipse obtinere non potest; sic infra, de praescrip., causam quae; et 16. q. 7, decimas quas in usum; sicut nec pactio pro spiritualibus adipiscendis valet, infra, de pact., pactiones; et infra, de pact., cum clerici. Ad hoc facit infra, de collus., audivimus. Et spiritualia iudicio laicorum disponi non debent, infra, de iudic., decernimus. Nec laicus in spiritualibus arbiter esse potest, infra, de arbitr., contingit. Ideoque huiusmodi compositio fuit iuri contraria. Item damnosa fuit ipsi monasterio et ideo improbanda, infra, de in integ. restit., requisivit. Et si de iure fuit ex quo damnosa fuit, debet revocari, saltem per in integrum restitutionem, ut dicit praedicta decretalis infra, de in integ. restit., requisivit.

In laicum
Sic patet ex hac decretali, et ex illa infra, de elect., Massana, quod ius eligendi non cadit in laicos, etiam patronos in ecclesia collegiata. Et ita hoc tollitur consuetudo Bononiensium qui eligunt capellanos in capella, qui etiam non sunt patroni sed parochiani. Et qui patroni sunt eligunt cum clericis praelatum in collegiata ecclesia. Arg. contra infra, de iure patron., nobis, ubi innuitur quod patronus habet vocem eligendi in ecclesia collegiata. Sic enim corrigitur illa decretalis, et omnia alia iura quae idem dicere videntur, et sic stabimus huic, ut Tanc. dicebat. Sed electio facta debet praesentari patrono, ut hic dicit, ut suum praestet assensum; sic supra, de elect., cum terra; et supra, de elect., quod sicut. Vel intelligas illam decretalem infra, de iure patron., nobis, cum ecclesiastica persona obtinet ius patronatus, et sic non contradicit, licet generaliter loquatur non distinguendo inter laicum, patronum et clericum. Dic ut ibi notatur.

Libertatis
Quae enim in praeiudicium libertatis ecclesiasticae tentantur, firmitatem sortiri non debent, supra, de consti., quae in ecclesiarum; et supra, de elect., cum terra; et 96. dist., bene quidem; et supra, de elect., quisquis, ubi laici prohibentur ab huiusmodi electionibus.

X 1.06.52 *Cum in veteri*

Sociorum
Et sic requisierunt consilium duorum tantum, unde non videntur servare mandatum, quod quidem exacta diligentia est observandum, supra, de rescript., cum dilecta; infra, de offi. deleg., venerabili. Sed licet non requirerent consilium tertii quem eligere volebant, non dicuntur fecisse contra formam mandati, quia ipsum eligendo illo consentiente consilium ipsius requirunt et obtinent, arg. supra, de elect., cum in iure; et ff. quod cui. univ. nom., plane.

Ipsorum
Scilicet, duorum, et non illius qui electus fuit, quia illa non debuit requiri, cum hoc ipso cassaretur, ut supra, de elect., cum post petitam.

In tractatu
Hic patet quod tractatus debet haberi ante electionem et collationem adinvicem; alias quomodo eligerent nisi primo de aliquo eligendo tractarent, supra, de elect., cum terra; et supra, de elect., quia propter; et infra, de arbitr., cum olim? Sicut in carnali matrimonio tractatus praecedere debet, et ideo si isti non fuerunt requisiti in tractatu electionis cassatur electio. Sed quid si consiliarii discordarent ab istis electoribus, numquid valebit electio ipso iure? Certe ex ipsa littera satis innuitur, quod si requiratur ipsorum consilium in ipso tractatu competenti tempore antequam conveniant in aliquem, et conferant adinvicem de persona eligenda, sive concordent sive discordent, quod valeat eorum electio, quia per hanc formam non imponitur necessitas ut consilium eorum sequi teneantur; alias non viderentur habere potestatem eligendi, cum talis potestas penderet ab illorum arbitrio. Ad hoc facit optimum arg. infra, de arbitr., cum olim. Et ex consilio nemo ad id obligatur, 14. q. 1, quisquis; arg. 4. dist., denique, in fi. arg. Sed circa finem, ubi dicitur quod nec expectatum fuit eorum responsum, videtur contradicere huic dicto. Sed dic quod non contradicit, quia responsum eorum semper est expectandum, alias delusorium videretur tale consilium petere.

Requisitum
Et ideo pro non requisitis habentur, sicut sero appellat qui tempore competenti non provocat, 2. q. 6, biduum, vers. si quidem. Et est simile quod dicit lex, si promisisti facere insulam infra certum tempus, et tantum tempus transierit quod ammodo infra tempus statutum fieri non posset, licet totum tempus non transieret, possum agere contra te, quia perinde est ac si totum tempus transierit, ff. de ver. oblig., si ita stipulatus essem; et ff. de ver. oblig., cum stipulatus; et ff. de ver. oblig., hoc iure. Arg. contra ff. de ver. oblig., insulam. Et illud dicitur tempus competens quo deliberare congrue poterant, infra, de offi. deleg., consuluit. Et tarde fuerunt requisiti, sicut econverso tempestiva citatio non tenet, supra, de elect., bonae 2, arg.

Expectatum
Et sic videtur quod non sufficit consilium tantum petere, sed expectandum est consiliariorum responsum, et sine ipsorum consilio et responso non valet electio. Sed contra infra, de arbitr., cum olim, ubi consilium tantum requiritur, sed assensus non exigitur, et illud generale est, et obtinet ratione arbitrii, et sufficit licentiam petere, licet non obtineatur, infra, de regular., licet. Item tutor consilium matris potest omittere, licet testator hoc mandaverit, ff. de admin. tut., quidam § Papinianus. Et praetor nonnumquam a voluntate patris recedit, ff. ubi pupil. educ., solet. Et ita videtur quod sufficiat requirere consilium tantum et non responsum attendere. Hic non valet quod faciunt nisi eorum consilium habitum sit in tractatu electionis, ut 63. dist., obeuntibus; et 15. q. 7, episcopus nullius; et 12. q. 2, sine exceptione; supra, de elect., ne pro defectu, ubi de hoc. Sed si mandatum fuisset quod cum eorum consilio et assensu obtento, tunc non valeret electio nisi sequerentur voluntatem consiliariorum, et talis potestas non est libera, quia non possunt eligere quem volunt, et tunc non adstringuntur ad aliquam formam sed omnibus

praesentibus requirunt electores sive canonici consilium consiliariorum, et secundum eorum consilium et responsum eligant omnes vel unus vice omnium de ipsorum mandato. Sic fuit factum in electione per manum nepotis domini Papae, ubi talis forma data fuit capitulo. Si capitulum Bisuntine voluisset in casu isto eligere per formam scrutinii, tunc ante scrutinium communiter omnibus praesentibus tractare debebant de electione cum consiliariis, et requirere eos et audire consilium eorum, et postea procedere ad scrutinium et eligere quem vellent, et etiam post scrutinium requirant consilium illorum et postmodum eligant servata forma scrutinii. Ber.

Aliis imputari
Imputent sibi quia tantum se arctaverunt. Et est arg. quod negligentia unius alii obesse non debet. Iniquum est enim aliquem alterius odio praegravari, C. de inoffic. testam., si quis in suo. Et poena suos debet tenere auctores, infra, de his quae fi. a maior. par. cap., quaesivit; et C. de poe., sancimus.

Arctarant
Sic iudex cuius iurisdictio expirat in termino non debet ita se arctare, sed ea hora procedat qua possit perficere quod incumbit ante noctis tenebras, etc., infra, de offi. deleg., consuluit; et ff. de feri., pridie; et ff. de feri., more Romano.

X 1.06.53 *Congregato Nivernensi capitulo*

Procuratore
Supra, de elect., quia propter; et supra, de elect., scriptum; et ff. de admin. tut., ita tamen § gessisse.

Electus
Servata forma scrutinii in utraque electione.

Postmodum
Antequam diverterent ad alium actum, ne sit contra; supra, de elect., cum post petitam.

Lateranensis
Concilii, supra, de elect., cum in cunctis.

In litteratura
Et ita defectus scientiae facit aliquem ineligibilem, supra, de elect., cum in cunctis. Et non solum impedit promovendum sed deiicit iam promotum, infra, de aetat. et qualit., quamvis. Et defectus scientiae inducit renunciationem, infra, de renunciat., nisi § pro defectu. Et quia si non sit eminentis scientiae, saltem sit sufficientis, supra, de elect., cum nobis. Et non solum debet habere scientiam sacrarum litterarum, sed etiam saecularium negotiorum, 36. dist. § oportet; et 36. dist., qui ecclesiasticis; ut sit paratus omni poscenti reddere rationem, 36. dist. § ecce, ad fi. Quia cum ipse debeat alios docere non debet tunc discere, in Auth. de sanct. episc. § damus, coll. 9. Et nos qui episcopi sumus, aliorum doctrina non indigemus, 1. q. 7, convenientibus.

Irrita
Ipso iure, supra, de elect., cum in cunctis; cum indignam personam elegerint. Unde eligendi potestas remansit penes alios, quamvis numero pauciores, cum primi religendo talem reddiderint se indignos, supra, de postul. praelat., gratum. Unde confirmatur hic electio a minori parte celebrata non obstante priori electione. Et ita electio quae nulla est non praestat impedimentum secundae; simile supra, de elect., scriptum, in fi. Et de hoc dictum est supra, de elect., auditis. Et per hanc decretalem expresse reprobatur dictum illorum qui dicunt quod canon ille supra, de elect., cum in cunctis, non est hodie latae sententiae, sed ferendae, ut dixi supra, de elect., Cumana, in fi.

X 1.06.54 *Dudum ecclesiae Rothomagensi*

Celebrata
De decano eiusdem ecclesiae, qui primo fuerat archidiaconus Ambianensis.

Illorum
Nota quod eligentes possunt petere confirmationem suae electionis. Sed hoc intelligo de consensu electi esse faciendum, alias non, supra, de elect., innotuit.

Contra electum
Nota quod qui opponit in formam electionis, et non probaverit quod opponit, condemnari debet alteri parti in expensis. Qui vero deficit a probatione eius quod obiicit in personam, a beneficiis ecclesiasticis per triennium noverit se suspensum. Ad quae si intra id tempus se ingesserit, ipso iure illis perpertuo est privatus, nullam spem de misericordia habiturus, nisi probaverit evidenter quod probabilis et sufficiens causa ipsum a calumnia excusaverit, ut haec statuuntur in decretali Inno. iiii infra, de elect., extravag. statuimus.

In eodem concilio
Infra, de praeben., de multa, cuius verba hic inferius ponuntur.

Cupiditatis vitium
Infra, de cleri. non residen., quia nonnulli; infra, de praeben., cum iamdudum; et infra, de praeben., quia in tantum. Unde contra Lateranensem concilium et concilium generale beneficia huiusmodi retinebat.

Reprobare
Sic patet quod non debes facere id a quo alios debueras prohibere, infra, de nat. ex lib. ven., indecens; et ff. de condi. indeb., frater a fratre; et ff. si serv. vend., altius. Et quod quis debet exigere ab aliis multo fortius a seipso, ff. de negot. gest., si pupilli § videamus; et ff. de fideiussor., tutor. Nec potest esse hortator viduitatis, qui coniugia frequentaverit, 26. dist., una tantum. Nec potest de medio ecclesiae malum auferre qui in simile delictum corruerit, 25. dist., primum. Et quod adversus alium praestare debuit tutor pupillo suo, id adversus se praestare debuit, ff. de admin. tut., quotiens § 2; et 42. dist. § hospitalem, in princ.

Iure
Infra, de praeben., de multa.

Alienam
Sic ff. de procur., Pomponius; et C. und. vi, cum quaerebatur.

Furtum
Simile 7. q. 1, non furem. Furtum commitit qui rem alienam invito domino contrectat, Inst. de oblig. quae ex del. nasc. § furtum autem. Et dicitur furtum contrectatio rei alienae fraudulosa, ut Inst. de oblig. quae ex del. nasc., in princ., ut iste qui rem alienam scienter tenebat, et ideo non excusatur. Si enim quis rem contrectaverit alienam credens esse suam, non committit rapinam vel furtum, Inst. vi bon. rapt. § quia tamen. Item nec excusat hoc etiam si credat dominum permissurum, cum exigatur expressa dispensatio Apostolicae sedis, ut infra sequitur; et infra, de praeben., de multa. Sed in furto excusatur si credat dominum permissurum, Inst. de oblig. quae ex del. nasc. § placuit. Sed quod dicit, furtum vel rapinam, hoc non est verum, quia furtum non committitur in re immobili, Inst. de usucapion. § quod autem 1; nec de re incorporali, qualis erat hic, ff. de acq. rer. dom., servus § incorporales. Sed hic ista verba improprie dicuntur, et iste potius dicitur invasor. Sic exponitur 7. q. 1, non furem et latronem, id est, invasorem. Et hoc etiam exponit cum dicit, quodammodo.

Deceptae
Quia cum desierit esse praelatus ipsorum, nihil potestatis habebat in eis, unde non poterat illas animas solvere vel ligare, infra, de poenit. et remiss., omnis; et de poen. dist. 6, placuit. Sed numquid valebit illis absolutio illius talis praelati, sive poenitentia per illum imposita? Non videtur, quia nullam potestatem habet ligandi vel solvendi, sicut non valet sententia a non suo iudice lata, infra, de iudic., at si clerici, et si sic peribant. In isto casu non credo quod perirent, non quia ille hoc posset sed propter fidem quam habebant de sacramento, cum crederent illum adhuc esse suum praelatum, et ita in sola fide salvantur, infra, de bapt. et eius effect., debitum; et infra, de presb. non bapt., Apostolicam; et de conse. dist. 4, baptismi vicem.

Per concessionem
Ante concilium generale, infra, de praeben., de multa. Poterant episcopi de talibus dispensare per illud decretum, 70. dist., sanctorum. Sed postea non, et ideo non profuit huic concesso facta post illud concilium. Ber.

Electionis tempore
Nota tempus electionis spectandum, supra, de elect., dudum ad audientiam, ubi de hoc. Et ita si tunc non habuisset, non imputaretur ei, cum iam purgatus esset per restitutionem. Sic et qui in crimine detinetur, repellitur a testimonio, sed si iam emendatus est, admittitur, infra, de testib., testimonium, cum distinctione illius capituli. Et ita repellitur ut indignus, quia non erat capax tunc, ff. de iure fisc., non intelligitur § si quis palam. Sic etiam consideratur tempus contractus, an ecclesia decepta fuerit vel laesa ultra dimidium iusti pretii, infra, de empt. et vend., cum dilecti; et ff. de evict., ex mille § 1; C. de rescind. vend., si voluntate. Sed si medio tempore dimitteret illas parochiales ecclesias,

numquid prodesset ei, ut sic reputaretur dignus? Videtur quod sic, quia si tempore litis contestatae non competit mihi ius contra te, quia tunc non possides, et tempore sententiae tu possideas, sequitur condemnatio, ff. de rei vend., si autem § 1; ff. de pet. hered., si quo tempore; et ff. de peculi., quaesitum, 1. resp.; et ff. deposi., depositum § num solum. Et merito, cum res pervenit ad eum a quo potuit efficax habere principium, infra, de conver. coniug., placet. Sed contra, ipso sui principio inhabilis erat, quia intus ortus occidit; 1. q. 1, quibusdam. Et talis contractus non sumpsit initium ab origine aequitatis, 16. q. 3, si sacerdotes. Verum est quod non prodesset dimittere huiusmodi beneficia, ut per hoc confirmaretur electio sua. De hac materia quando considerandum est principium vel finis nota supra, de elect., dudum ad audientiam.

Per sedem Apostolicam super hoc dispensatum
Infra, de praeben., de multa. Et sic evacuator opinio Io., qui notavit quod episcopi adhuc possunt in talibus dispensare.

Eodem decano
Scilicet, electo, qui decanus erat eiusdem ecclesiae post dimissum archidiaconatum Ambianensem.

Responsionem
Sed pone quod reus confiteatur quod petitur ab actore. Numquid per confessionem fit litis contestatio? Videtur quod non, quia dicit lex, per narrationem propositam et contradictionem obiectam fit litis contestatio, C. de iud., rem non novam § patroni. Et alibi dicitur, lis contestata videtur cum iudex per narrationem causam audire coeperit, C. de lit. contest., res. Et ita quod dixit simpliciter per narrationem determinatur per illam legem C. de iud., rem non novam, quae est posterior. Et ita videtur quod fiat contestatio litis tantum per contradictionem et non per confessionem. Dicas quod si libellus datus est adversario, et proposita narratione actoris adversario, ipse confiteatur animo contestandi litem, tunc lis est contestata, et ex tali confessione damnatur, ff. de confes., Iulianus. Et ita sententia diffinitiva fertur contra reum. Sed si non sit datus libellus et reus confiteatur in iudicio, tunc non dicitur fieri litis contestatio, nec fertur sententia diffinitiva, sed iudex praecipit reo ut solvat ad certum tempus, ff. de iud., si debitori. Et tale praeceptum non appellatur sententia, sed simpliciter dicitur praeceptum et ita servatur. Est ergo verum quod oblato libello adversario, et postea proposita petitione actoris in iudicio, sive reus neget sive confiteatur litem contestando, litis contestatio est facta. Et hoc satis habetur per hoc quod dicit, quod per narrationem et responsionem contestatio litis fiat, non distinguendo, confitendo, vel negando, et etiam ipsa significatio verbi hoc probat satis. Contestari, id est, simul testari, et ita reus qui confitetur, cum actore simul testatur super re petita. Ber.

Irritum duximus
Sic patet manifeste quod litis contestatio est de substantia ordinis iudicarii, et nihil valet sententia vel testis receptio illa omissa, infra, ut lite non cont., accedens 1; et infra, ut lite non cont., ad hoc, et hic. Et ita per positiones et responsiones ad eas, non fit litis contestatio; infra, de litis contest., olim; et C. de iud., rem non novam.

X 1.06.54 Dudum ecclesiae Rothomagensi (rev. 9/23)

Irritari

Hic agebatur contra electum, ut eius electio cassaretur ex causa praedicta; simile infra, de iudic., exhibita. Et eadem causa possent ipsi iidem excipere contra electum si peteret electionem suam confirmari, infra, de except., dilecti filii. Et sic ex eadem causa competit actio et exceptio, diverso tamen iudicio, quod non contingit in aliis iudiciis, cum exceptio sit actionis exclusio, ff. de exception., exceptio dicta; et idem est effectus quocumque modo procedatur. Ber.

Electo respondente

Hic ergo patet qualiter litis contestatio fiat, quia per petitionem in libello petitam et responsionem directe factam ad ipsum, ut hic patet, sicut etiam traditur C. de lit. contest., res; et infra, de litis contest., olim; C. de iud., rem non novam § patroni.

De veritate dicenda

Notat ergo ius novum licet ratio esset antiqua, et sic etiam observatur quod in causis spiritualibus iuramentum de veritate dicenda tantum praestat et non de calumnia, infra, de iuram. calumn., litteras. Sed numquid huiusmodi iuramentum debet exigi a praelato quando litigatur per syndicum nomine collegii in causis spiritualibus? Non videtur, quia illud iuramentum debet praestare syndicus, qui videtur dominus litis factus per contestationem, sicut praestat iuramentum de calumnia, infra, de iuram. calumn., in pertractandis; et infra, de iuram. calumn., imperatorum; et infra, de iuram. calumn., cum in causa. Et idem dico in hoc iuramento, quod in iuramento de calumnia, ut qui illud praestare non vult, actor cadat ab actione instituta, et reus pro confesso habeatur, infra, de iuram. calumn., cum in causa; et C. de iureiuran., cum et iudices § quod si actor. Iuramentum illud de veritate dicenda quidam exigunt a praelato, licet praestitum sit a syndico et in spiritualibus et in civilibus causis, ut praelatus dicat inde veritatem de causa illa. Sed quo iure hoc faciant non vidi ius super hoc, sed ex quadam aequitate hoc dicunt, quae posset continere quandoque iniquitatem, quia posset corrumpi praelatus. Sed numquid crederetur confessioni praelati, ut per talem confessionem condemnaretur ecclesia, et si iam fundasset ecclesia intentionem suam, numquid praevaleret confessio praelati contra ecclesiam facta? Certe non, argumentum optimum 25. q. 2, postea quam; quia factum praelati non debet ecclesiae sic imputari, 16. q. 5, si episcopum; et infra, de except., cum venerabilis. Qui tale iuramentum exigunt, dicunt quod confessio praelati sola non praeiudicaret ecclesiae, sed cum aliis adminiculis praeiudicaret, ut si altera pars semiplene probasset ita quod non sufficeret ad condemnandum, tunc confessio praelati complet probationem. Sed non credo quod deberet talis exigi confessio, nisi forsan cum praelatus deberet respondere de eo quod ipse fecit, sicut servus quandoque interrogatur de facto suo, 4. q. 3, si testes § item servi neque; et C. de quaest., interrogari. Nec tunc dicerem quod confessio illa praeiudicet ecclesiae, quia delictum personae etc., nisi id fecisset de mandato capituli vel ratum postmodum habuisset. Et hoc probat decretalis illa infra, de testib., extravag. praesentium, quae hic inferius allegatur, licet consuetudo se habeat in contrarium. Hodie vero habemus quandam decretalem super hoc, quae dicit quod praelatus nomine suo et in animam capituli vel maioris partis praestat hoc iuramentum de veritate dicenda, et sic debet respondere veritatem quam ipse scit, et intelligit per eos in quorum animas iuravit, et incipit infra, de testib., extravag.

praesentium, et mittitur cuidam archiepiscopo. Et ita confessio solius praelati non praeiudicat ecclesiae, et ita non debet exigi. Ber.

Confiteretur
Et ideo pro convicto debet haberi, cum sua excusatio non valeret quia confessos in iure pro iudicatis haberi placet, C. de confes., confessos; et infra, de confess., cum super; et infra, de confess., ex parte. Tamen si quis probat se erasse, non nocet confessio, infra, de elect., his quibus; et C. de iuris et fact. ignor., error facti. De hac materia tractatur plene infra, de confess., ex parte; et infra, de iudic., at si clerici.

Suspendit
Innuit quod secus sit de iure communi, quod dicit, archidiaconus ea quae sequuntur facere non debuerat de iure communi, sed de consuetudine, infra, de offi. archidiac., ad haec; infra, de excess. praelat., ad haec. Item quod non de iure communi hoc faciunt est arg. 16. q. 7, nullus omnino. Immo videtur de iure communi quod consuetudo non prosit, infra, de offi. archidiac., cum satis. Immo contrarium videtur quod de iure communi haec spectent ad archidiaconum, 25. dist., perlectis; 63. dist., si in plebibus; infra, de offi. archidiac., ad haec; et infra, de offi. archidiac., ut nostrum. Quid est ergo tenendum de iure communi? Videtur quod haec pertineant ad archidiaconum per iura proxima. Sed consuetudo servatur in talibus. De hac materia dicetur infra, de offi. archidiac., ad haec. Et eo ipso quod archidiaconus vel alius praelatus hoc exercet, intelligere potest quod curam habet animarum annexam.

Idem de personatibus
Infra, de praeben., de multa § ulti. Et est arg. quod de similibus idem debet esse iudicium, infra, de translat., inter corporalia; et supra, de rescript., inter caeteras, in fi. Similis enim aequitatis ratio similia iura suadere videtur, C. ad leg. Falc., cum certum; ff. ad leg. Aquil., illud; et C. de constit. pecun., divi Hadriani; et infra, de confirm. util. vel inutil., cum dilecta; et supra, de consti., nam concupiscentiam. Et quoties ex una radice vitium nascitur, consequens est ut eadem lege tollatur, C. de nupt., si libertam.

Habendum
Potest hic dici prout dicitur 17. q. 4, uxor felicis, vers. sic est ad singula, etc.

Expressa
Supra, de rescript., super litteris. Multa exempla potes habere supra, de rescript., cum adeo; et supra, de rescript., constitutus; infra, de offi. deleg., coram; infra, de re iudic., inter monasterium. Et sic idem iuris est in indulgentiis sive confirmationibus sicut in rescriptis, ut hic patet, et in privilegiis, infra, de decim., ex multiplici; ut non valeant veritate tacita impetrata. Ad hoc ut confirmatio valeat necesse est quod Papa ex certa scientia confirmet omnia beneficia, alias non valet, ut hic patet, et infra, de cons. et affin., quia circa; infra, de concess. praeben., quia diversitatem.

Habuisset
Ut ipse dicebat.

X 1.06.54 Dudum ecclesiae Rothomagensi (rev. 9/23)

Penderet

De hoc nota infra, de aetat. et qualit., eam te.

Intitulatam

Nota ergo quod nullus potest habere duas ecclesias intitulatas. Ut hoc melius intelligas, videas primo quid sit titulus. Titulus quandoque dicitur signum, ut 16. q. 6, consuetudo. Et dicitur titulus omnis causa acquirendi dominii, ut titulus pro emptore, pro donato, pro herede, pro suo, pro dote, pro legato, pro derelicto. Unde dicitur quod in praescriptionibus ecclesiasticis bona fides et iustus titulus exiguntur, infra, de praescrip., si diligenti. Et qui aliquem talem habet titulum, habet causam praescribendi. Item dicitur titulus ipsa ecclesia, ut titulus S. Petri. Unde singuli tantum clerici per singulos tantum titulos sunt ponendi, id est, ecclesias, 80. dist., episcopi. Unde in ordinationibus quando vocantur clerici, dicitur talis ad titulum talis plebis. Item titulus dicitur clericatus vel canonicatus in aliqua ecclesia, unde dicitur intitulari, id est, inclericari vel canonicari. Et dicitur titulus quilibet ordo ecclesiasticus, et quaelibet dignitas vel praelatio. Unde dicitur quis intitulari in aliqua ecclesia, id est, ordinari vel praefici, 70. dist., sanctorum. Est ergo regulariter verum quod nulli clerico de iure communi licet habere duas ecclesias, vel quo ad titulum clericatus, vel quo ad titulum canonicatus, vel ordinationis, vel praelationis, vel dignitatis, ut 70. dist., sanctorum; et hic, ubi dicit quod nullus potest habere plures parochiales ecclesias vel dignitates, cum idem iudicium de huiusmodi sit habendum, ut hic dicit, et infra, de praeben., de multa; et 13. q. 1, ecclesias; et 80. dist., episcopi; et 7. q. 1, in apibus; et 21. q. 1, clericus. Nam habere plures ecclesias est genus negotiationis, ut in praedicto capitulo 21. q. 1, clericus; quia eis servire non potest, infra, de praeben., quia in tantum; et infra, de cleri. non residen., quia nonnulli. Et qui ad utrumque festinat neutram bene peragit, 16. q. 1, presbyteros. Item sicut uxore vivente nullus aliam potest habere, sic nec clericus secundam ecclesiam potest habere, 7. q. 1, sicut alterius. Et sic accipitur titulus in decretali praedicta et in decretis praedictis. Ista quidem sunt regulariter vera. Tamen in casibus potest quis habere plures ecclesias. Primo ubi una pendet ab altera, ut hic, et infra, de aetat. et qualit., eam te; et infra, de praeben., extirpandae § 1. Item si habet unam intitulatam et aliam commendatam, ut hic, et 21. q. 1, qui plures. Item propter paupertatem ecclesiarum; 10. q. 3, unio; et infra, de aetat. et qualit., eam te. Item olim propter penuriam clericorum, 21. q. 1, clericus, in fi.; item per dispensationem domini Papae, infra, de praeben., de multa. Et hodie in talibus episcopi dispensare non possunt, ut etiam dicit illa decretalis infra, de praeben., de multa, sed in illa quam quis habet commendatam non dicitur praelatus esse. Unde versus: paupertas pendens defectus gratia servans // ecclesias retinere duas dat quodlibet horum. Haec vera sunt in praelaturis et dignitatibus. Quid dicemus de aliis clericis, numquid possunt esse clerici in pluribus ecclesiis, et ibi habere praebendas? De iure communi potest dici quod in pluribus ecclesiis intitulari non possunt, nisi essent tenues in substantia, ut dictum est de praelaturis. Sed per dispensationem episcoporum bene possunt, quia episcopi dispensatio cum talibus clericis non est prohibita, immo tacite videtur concessa per contrariam consuetudinem, quam scit Papa et tolerat. Sic et ipso facto derogatum est illi decretali 70. dist., sanctorum. Sed in diversis episcopatibus necessaria est utriusque episcopi dispensatio. Sed hic videtur permitti quod clerici possint habere titulum in pluribus ecclesiis, quia non prohibet hic nisi de parochialibus, et sic per contrarium

sensum permittit clericis habere plures canonias. Sed credo quod si primum beneficium sit sufficiens, quod secundum non possit habere nisi dispensative.

Personatus
Id est, decanatus super quo impetravit indulgentiam, ut ipsum cum praedictis parochialibus ecclesiis retineret. Vel forte loquitur de archidiaconatu, ut illas retineret cum archidiaconatu, infra, de cons. et affin., quia circa.

Retinere
Nota quod qui habet plura beneficia quorum alterum per se sufficeret, non potest sine mortali peccato retinere aliud. Sed dispensatio reddit licitum quod erat illicitum, sicut vides simile, consuetudo facit quod in absentia licite possit beneficium percipi, supra, de consti., cum omnes.

Si quod
Id est, quia non videbatur competere, ideo cessit spontanea voluntate; sic infra, de simon., per tuas 1; quasi male conscius sibi causas.

X 1.06.55 *In Genesi legitur*

Concilio
Supra, de elect., quia propter.

Collatione
Quae si non fiat, non tenet electio, supra, de elect., Cumana, in fi.

Partium comparatione
Sic supra, de elect., ecclesia vestra 1; et supra, de elect., Cumana.

Ad zelum
Sic patet quod in electionibus hodie consideratur zelus, et merita electorum considerantur, et dignitas eligentium, ut ex omnibus istis maior et sanior pars censeatur, infra, de elect., ecclesia vestra 2. Et ita non semper standum est numero, ut infra, de elect., ecclesia vestra 2, in fi.; et infra, de testib., in nostra. Illa enim maior pars et sanior censetur quae est iustior, et maiori ratione nititur et aequitate, 40. dist., multi, in fi.; et ff. de pacti., maiorem.

Communiter
In communi enim et publice debet electio celebrari et non singulariter vel clandestine, supra, de elect., quia propter, in fi. Et hic est expressum qualiter fieri debeat.

Repeti
Sic videtur idem repeti, quia in scrutinio publicato quilibet per se consentit singulariter et solus. Si postea publicato scrutinio quilibet per se eligeret, vel si quilibet per se separatim eligeret, idem repeti videretur, quod esse non debet, ut sequitur, vel tot essent electiones, etc.

Nec ex singularibus
Consensus eligentium omnes simul ad invicem convenire debent, et simul exprimi per unum vel plures vel simul omnes, supra, de elect., quia propter; et supra, de elect., bonae 1, ubi non creditur testibus qui sunt in suis testimoniis singulares; et supra, de elect., cum dilectus; et infra, de accusat., cum dilecti. Nec voces eorum tamquam plurium admittuntur, quos diversitas temporum simul interfuisse prohibuit, 3. q. 9, nihilominus. Simul enim testes in unum concordare debent sicut etiam electores in unum. Cum ius eligendi commune sit omnibus, per singulos dividi non debet, sicut cum una actio communis est omnibus et pluribus, non debet dividi per singulos, sed tota simul in iudicium venit vel venire debet, ff. de iuris., si idem § si una actio; et arg. ad hoc ff. de servit. rusti. praed., si unus ex sociis. Arg. contra ff. de servitu. rust. praed., per fundum, ubi ius commune eundi per fundum communem pluribus potest mihi separatim concedi. Et cum omnes cesserint, ius habeo eundi, ut ff. comm. praed., receptum; et ff. comm. praed., si quis duas § item si duo; et ff. de aqua pluv. arc., si autem. Et diversis temporibus possunt aliqui consentire electioni, supra, de postul. praelat., bonae 2, in fi.; et supra, de elect., quod sicut.

Nec praemissi duo
De quibus nihil discussum fuit. Et ita nec Papa debuit aliquid dicere eis, cum de qua re cognovit iudex, de ea tantum debeat iudicare, infra, de caus. poss. et propr., cum super; et ff. de iud., de qua re. Sed ipse hoc supplet ex officio suo. Quando iudex supplere debeat, dictum est supra, de postul. praelat., bonae 1. Et hoc praecipue debet inquirere an forma sit servata et an persona sit digna, etiam si nihil dicatur. De hoc dixi supra, de elect., cum nobis; et supra, de elect., venerabilem.

Primus
Scilicet, Guil.

Possessione vel quasi
Unde ab electione excludi non debuit, sed vocari, infra, de caus. poss. et propr., cum ecclesia. Et potest eligere, et valet talis electio etiam si ius in veritate non haberet, dummodo possideat quiete, quia credat habere ius, ut supra, de elect., querelam; et infra, de caus. poss. et propr., cum olim; et infra, de iure patron., consultationibus. Si tamen ab initio antequam fiat electio, negatum fuerit illos habere ius in electione, et admittantur sub protestatione ut vox eorum valeat, si de iure debeat valere. Nec valebit vox eorum nisi constiterit eos ius habere, unde talis possessio non prodest, supra, de elect., Cumana. Unde contradicit ei quod hic dicit. Non est contra. quia non fuit hic discussum an debeat interesse vel non, et ita remansit adhuc in sua quasi possessione, et ita protestatio hic non fuit necessaria ratione praemissa. Praeterea aliud est hic, quia ius commune pro se habebat, quia canonicus erat, ille vero non. Ber.

De consuetudine
Sic videtur quod in talibus potius standum sit consuetudini quam alicui iuri. Quidam dicunt quod omnes de provincia vocandi sunt et soli ad electionem, arg. illius decretalis

supra, de elect., coram; quia communis debet esse electio, ut ibi notatur. De hoc verius credo ut consuetudini stetur, ut ibi dixi.

Formam
Arg. quod forma mandati exacta diligentia est observanda, supra, de rescript., cum dilecta; infra, de offi. deleg., venerabili. Et qui contra facit, nihil fecisse putatur, ut ibi, et supra, de elect., quia propter; et supra, de elect., Cumana. Per hoc et per illud quod dicitur in capitulo illo supra, de elect., Cumana; et supra, de elect., cum in veteri; et infra, de offi. deleg., venerabili, patet qualiter illa constitutio supra, de elect., quia propter, sit intelligenda. Et per hoc quod habebis infra, de elect., ecclesia vestra 1.

Irritam
Sic intellige supra, de elect., ecclesia vestra 1. Ber.

X 1.06.56 *Massana ecclesia pastore*

Per laicos
Quia ius eligendi in collegiata ecclesia non cadit in laicum, supra, de elect., sacrosancta. Huiusmodi enim mere spiritualia a laicis possideri non possunt, 16. q. 7, decimas quas in usum; et infra, de praescrip., causam quae. Cum de ecclesiasticis dignitatibus nulla sit eis attributa disponendi facultas, 16. q. 7, laicis; quos obsequendi manet necessitas, non auctoritas imperandi, ut 16. q. 7, non placuit; et 96. dist., bene quidem. Quod si attentare voluerit, tamquam sacrilegus iudicetur, ut 16. q. 7, si quis principum. Et per laicos nullus ecclesiam teneat, ut 16. q. 7, per laicos; et talis electio nulla est, supra, de elect., quisquis. Immo sunt excommunicandi, ut 16. q. 7, si quis deinceps; et 16. q. 7, quoniam investituras; et 16. q. 7, si quis episcopus. Item hic habes quod utile vitiatur per inutile; sic infra, de offi. deleg., cum super; ff. de recepti., Paedius; et 9. dist., si ad scripturas; et 3. q. 9, pura et simplex; 8. q. 1, sciendum. Arg. contra supra, de elect., illa; et infra, de cleri. excom., si celebrat; et infra, de praeben., dilectus filius 1; et 12. q. 2, si quos; et 22. q. 4, inter caetera.

Consuetudine
Cum talis consuetudo sit contra ecclesiasticam libertatem, supra, de elect., sacrosancta; et supra, de elect., cum terra; et supra, de elect., quisquis; et infra, de re iudic., cum causa. Et nulla temporis longinquitate defenditur, supra, de consuet., cum inter; et supra, de consuet., cum venerabilis; et supra, de consuet., ad nostram; et supra, de elect., causam quae; et 1. q. 3, si quis praebendas. Et quia non est rationabilis, non potest praescribi, supra, de consuet., cum tanto.

X 1.06.57 *Ecclesia vestra destituta*

Interesse
Si noluit interesse, sic videtur iuri suo renunciasse, unde sine ipso alii procedere potuerunt; supra, de elect., quod sicut; et infra, de offi. deleg., prudentiam § adiicimus; supra, de elect., quia propter; et supra, de elect., cum nobis. Nec ipsius absentia electionem habuit retardare, C. de decur., nominationum. Vel dic, si noluit interesse ad

terminum statuendum in quo debeat electio fieri, non renunciavit propter hoc quo minus vellet interesse electioni.

Vocato
Sed numquid debuit iterum vocari? Non credo, quia dicendo se nolle interesse, per consequens dixit quod ulterius non vocaretur; sic de offi. deleg., cum super. Et aliquo negato omnia negantur quae sequuntur ex illo, supra, de consti., nam concupiscentiam. Et qui scit, certiorari non debuit, ff. de act. emp. et vend., si res vendita, in fi.; supra, de elect., cum inter canonicos. Et scienti praetor non subvenit, sed ignoranti; ff. quod fals. tut., si id, in fi.; ipse enim decepit. Scienti enim et volenti non fit iniuria sive dolus, C. de transaction., cum donationis. Vel dic quod debebat vocari ut ad terminum statutum veniret ad electionem celebrandam, et quia non fuit vocatus, contemptus videtur. Unde cassari debebant electiones, nisi postea consensisset, si prosecutus fuisset contemptum, supra, de elect., quod sicut. Quia licet tunc noluerit interesse, non tamen renunciavit propter hoc quominus vellet interesse, ut dicitur in fine primae notulae.

In aetate
Si hoc esset verum, electio nulla fuisset, supra, de elect., cum in cunctis.

Sufficientis
Et ex hoc electio redditur nulla. Unde electio alterius partis, etiam longe minoris valet, ut supra, de elect., congregato; et supra, de elect., cum in cunctis; alias si esset sufficientis scientiae, licet non eminentis, toleraretur; supra, de elect., cum nobis; de hoc dicitur supra, de elect., congregato.

Dicebatur
A parte electorum cardinalis.

Adiicere
Iste dixit se nolle interesse, ut dictum est in princ. Numquid consensus istius post electionem praestitus computandus est, dato quod pars sua esset aequalis alteri dignitate, et electus sit idoneus? Videtur quod non, quia semel renunciatur iuri suo, ergo ulterius ad id redire non potest. Esau enim primatus suos postmodum recipere non potuit, quia semel cessit, ut 7. q. 1, quam periculosum. Et remittentibus actiones suas non est amplius dandus regressus ad eas, ff. de aedil. edict., quaeritur § si venditor; et 23. q. 4, si illic. Et dicit lex, qui semel noluit petere bonorum possessionem, perdit ius eius. Ubi enim noluit, coepit ius eius pertinere ad alios; ff. de succ. edict., successorium § tutor. Et quando semel potuit, noluit, et quando voluit adimplere non potuit, infra, de offi. deleg., cum super; et praecipue cum res iam non esset integra, supra, de elect., in causis. Et sic ad ius suum amplius redire non potest, ex quo remisit ius suum aliis, non potest ulterius se intromittere, sicut iudex qui refert causam ad superiores, infra, de offi. deleg., licet. Et si tantum dicat se velle referre, non potest se ulterius intromittere, infra, de appell., intimasti. Sed contra videtur quod adhuc valeat eius consensus, quia licitum est ei poenitere; arg. 2. q. 6, ei qui § si quis libellos; ne iustae poenitudinis humanitas auferatur, et iudex potest mutare suam interlocutoriam, non obstante appellatione, infra, de appell., cum cessante; et ff. de re iud., quod iussit. Et magnae sapientiae est hominem revocare

quod male locutus est, 22. q. 4, magnae. Non credo quod vox sua sit computanda, cum non fuerit in scrutinio, ex quo dixit se nolle interesse, et se absentavit quousque electio fuit celebrata, licet vocari debuerit, ut dicitur in fine secundae notulae. Et quia consensit electioni R., non potest prosequi contemptum. Si vero ante electionem factam et scrutinium reversus fuisset, bene admitteretur, quia res integra est; simile ff. de minor., Scaevola. Si vero facto scrutinio, et ante electionem revertatur, iterum debet fieri scrutinium si vellet contradicere et prosequi contemptum, si erat in loco unde vocari debebat, alias non. Item quid si aliquis erat absens in loco de quo non debebat vocari, et tandem post factam electionem sive scrutinium, quasi casu supervenit, numquid si consentiat alteri electioni, valebit consensus talis ut per talem consensum praevaleat electio? Non credo quod talis consensus debeat computari, quia nec electionem posset impugnare, eo quod non fuit vocatus tempore electionis faciendae publicato scrutinio, dico spectandum quis habuerit maiorem partem, sicut consideratur an fuerit tunc electus idoneus, supra, de elect., dudum ad audientiam. Alias posset contingere, ut qui tempore electionis haberet ius, postea perderet illud per alios supervenientes qui vocandi non erant, et hoc per constitutionem supra, de elect., quia propter.

Valebat
Et si etiam vere contemptus fuisset, electionem impugnare non posset tamquam contemptus, ex quo consentit electioni, et numero eligentium non auget.

Denique
Allegatio pro magistro.

Sicut est istud
Non credo quod istud sit de forma electionis, ut si aliqui non vocentur qui vocandi sunt, nec propter hoc cassabitur electio, dummodo ipsi postea consentiant, supra, de elect., quod sicut; et supra, de postul. praelat., bonae 2, in fi. Quae sunt illa quae sunt de substantia, dicitur supra, de elect., quia propter. Quae non sunt de substantia, collige supra, de elect., Cumana, in fi.; et supra, de elect., in Genesi.

Vigiliis
Quia noctes ducit insomnes, ut subiecti quiete vivant, in Auth. ut iudic. sine quoq. suffr., in princ., coll. 2. Et dicit imperator, voluntarios labores appetimus, ut quietem aliis praeparamus, in Auth. ut divin. iuss. subscr. hab. glor. quaest., in princ., coll. 8; et infra, de restit. spol., extravag. frequens.

Verbo
C. de inoffic. testam., si quando; arg. supra, de rescript., causam quae.

Ex Lateranensi concilio
Infra, de his quae fi. a maior. par. cap., cum in cunctis.

Non consenserit
Ex hac decretali patet quod non semper standum est numero in electionibus. Et ideo nota quod plura consideranda sunt in electione auctoritas, zelus, et numerus. Auctoritas

consideratur in dignitatibus et meritis vitae. Zelus consistit in animo ut sine carnali amore eligant, sed secundum meritum vitae personae sunt eligendae, 8. q. 1, si ergo; et infra, ut eccl. ben., ut nostrum; de numero patet. Dicas quod secundum ista tria debet fieri collatio zeli ad zelum, meriti ad meritum, numeri ad numerum, habito respectu ad dignitatem, ut hic, et supra, de elect., in Genesi. Si enim ex una parte sit dignitas et zelus melior tam respectu eligentium quam electi, et ex alia parte maior numerus, praevalebit dignitas cum zelo ipsi numero, ut hic habes; arg. infra, de testib., in nostra; quia hic erat maior numerus ab una parte, nec tamen statur numero. Et hoc intelligo dummodo numerus non excedat multum, alias staretur numero, dum tamen electus esset sufficiens; supra, de elect., dudum ad audientiam; et infra, de appell., constitutus. Sed hic maior et sanior pars censetur, licet numerus sit maior ex alia parte, nam illa pars dicitur maior et sanior quae maiori zelo et maiori pietate movetur, 40. dist., multi, in fi.; et 9. dist., sana; et arg. 8. q. 1, si ergo; et ff. de pacti., maiorem. Si vero ex utraque parte meritum par sit, standum est numero, licet ex alia parte sit auctoritas; arg. C. qui bon. ced. poss., cum solito § 2. Et sic zelus et numerus praeferuntur auctoritati in hoc casu. Sed quid si esset par zelus in meritis eligentis numerus et auctoritas hinc inde? Recurrendum est tunc ad meritum electi, 63. dist., si forte; et 63. dist., si forte, ubi de hoc. Sed si omnia sint hinc inde aequalia, neutra electio valebit de iure, quia neutra facta est a maiori parte capituli, supra, de elect., Cumana; et supra, de elect., ecclesia vestra 1; et supra, de elect., in Genesi; et sic utraque est cassanda. In casu isto non crederem illos privandos, quia non videntur facere contra formam ita directe, unde iterum eligant; arg. 79. dist., si duo. Si iterum taliter eligant, tunc priventur iure eligendi. Superior tamen potest facere gratiam cui vult; arg. infra, de paroch., si episcopus; et ff. de Sil., si quis in gravi § si cum omnes; et ff. de rel. et sump. fun., si plura, in princ.; et supra, de elect., venerabilem.

X 1.06.58 *Publicato scrutinio variare*

Scrutinio
Quid sit scrutinium habes supra, de elect., quia propter.

Variare
Sed quare non possunt variare, cum tamen nondum sit electus, immo necessaria est subsequenter electio, alias non valeret electio, supra, de elect., in Genesi; et supra, de elect., ecclesia vestra 1; et ita videtur quod possunt variare, cum non videatur adhuc ius acquisitum? Ideo non possunt variare, quia iam res non est integra, supra, de elect., in causis; et supra, de elect., ecclesia vestra 1. Et nemo potest mutare consilium in alterius praeiudicium, ff. de re iud., nemo. Et talis mutatio posset esse damnosa ecclesiae, quia sic protraheretur electio, et mora est periculosa, supra, de elect., cum inter universas; et infra, ut lite non cont., quoniam § porro. Et sic per huiusmodi publicationem electio iam initiata quodammodo videtur, sicut per citationem negotium est quasi coeptum, infra, de offi. deleg., gratum; et infra, de for. compet., proposuisti. Et est simile si quis mihi cesserit servitutem, ipse quidem postea mutare non potest, licet ex toto mihi ius non sit acquisitum, nisi cum omnes cesserint, ff. de servitu. rust. praed., per fundum. Et ita hic, licet per talem consensum et publicationem non sit ius acquisitum plenum, variare non possunt, immo per superiorem eligere compelluntur, ut hic dicit. Sed contra infra, de translat., licet; ibi dicitur quod in electione initiatur spirituale matrimonium, et per hoc

videtur quod antea possit mutari voluntas, sed ibi vere initiatur in electione. Sed hic pro tanto videtur initiari, quia variare nequeunt electores ratione praedicta.

Compellantur
Quia ex quo quasi coeptum negotium est, per consensum praestitum in scrutinio necesse est consummare, et est simile. Qui enim mandatum suscepit, necesse habet consummare, ff. commodat., in commodato § sicut; et ff. mand. vel cont., si quis alicui § qui mandatum. Adiuvari enim beneficiis non decipi nos oportet, ut in dicta lege ff. commodat., in commmodato § sicut, in fi.; et infra, de commod., cum gratia. Et quod semel placuit amplius displicere non potest, 32. q. 5, horrendus; infra, de despon. impub., de illis 1; ff. de negot. gest., Pomponius. Et quae simpliciter promittuntur, sine conditione solvantur; 32. q. 8, non solum. Et quae non coepit, deliberet, quae ingressa est, perseveret, 27. q. 1, nuptiarum. Ideoque merito sunt compellendi perficere quod coeperunt. Idem credo in postulatione, ut postquam fuerit publicatum scrutinium, ab ea recedere non possunt, immo tenentur illam porrigere superiori, licet per postulationem ius non sit postulato acquisitum ratione praedicta, et de hoc dictum est supra, de postul. praelat., etsi unanimiter; et supra, de postul. praelat., postulationem. Et in hoc casu valet electio, licet non fiat incontinenti, quia fraus et dolus eorum non debet obesse nominato, et ita non contradicunt, supra, de elect., quia propter; et supra, de elect., cum post petitam.

X 1.06.59 *Si alicuius electionem*

Ratum non habente
Alias si postea consentiret, idem esset ac si ab initio procurasset, infra, de simon., sicut tuis. Sic enim ratihabito in maleficiis retrotrahitur et mandato comparatur, ff. de vi et de vi arm., praetor ait § quotiens; et infra, de restit. spol., cum ad sedem, in fi.; et 2. q. 1, notum, in fi. Nec refert utrum ante vel post dederit vel promiserit; 1. q. 1, eos, in fi. Accipere enim est quandocumque accipere, ut ibi, et 1. q. 3, si quis obiecerit, in fi.; et 1. q. 3, si quis. Et sic quod meo nomine gestum non est, ratum habere possum, ff. de negot. gest., si pupilli § item quaeritur; et 9. q. 2, Lugdunensis. Et ita habes quod ignorantia excusat ipsum, ut possit cum eo postea dispensari, 1. q. 5, praesentium; infra, de renunciat., post translationem. Et ita habes infra, de simon., ex insinuatione, ubi capitulum dispensat.

Illa vice
Ut sic per factum illorum puniatur illa vice. Sicut illi qui delinquunt in forma electionis vel eligendo indignum privantur iure eligendi ea vice. Et punitur electus, quia eius electio non valet et cassatur, vel in persona electi puniuntur electores in electione illa vice tantum, supra, de elect., cum in cunctis; et supra, de elect., quia propter; et supra, de elect., Cumana. Et sic aliquis punitur sine culpa, causa tamen subest propter proximitatem vitii quod purgabitur per intermediam personam; simile infra, de fil. presbyt., ex transmissa. Et quia ex his quae incontinenti fiunt, praesumptio nascitur, supra, de elect., officii. Et quae incontinenti fiunt, inesse videntur, ff. si cert. pet., lecta est. Et ex vicinitate consortium trahitur, de poen. dist. 1, sed et continuo; et etiam commodum, Inst. de rerum div. § insula. Sed huic quod dicit, illa vice non potest episcopus dispensare, manifeste contradicit, 1. q. 5, praesentium. Quod loquitur in

eodem casu, in praelatione scilicet, et tamen dicit quod episcopus post renunciationem potest iterum ad curam regiminis illum assumere. Potest dici quod ibi mitius et benignius agitur, quia ultroneus supplicavit ut deponeretur, et cum talibus mitius agitur quam cum convictis, 50. dist., presbyterum. Sed iste sententiam expectavit, unde notorium est quod tali modo fuit electus, infra, de cohab. cler. et mul., quaesitum. Sed in 1. q. 5, praesentium, non fuit notorium, et ideo statim ibi dispensatur, et non hic, et ideo hic plus punitur. Vel forsan standum est hodie huic propter rationes superius dictas. Vel dic quod diversi sunt casus, et ideo non contradicit. Illud capitulum 1. q. 5, praesentium, loquitur de ipso qui invitus ordinem suscepit per simoniam ab alio commissam eo ignorante, et non de dignitate. Capitulum istud loquitur de eo qui eligitur ad dignitatem per simoniam eo ignorante, cuius electio per sententiam fuit reprobata. Unde episcopus non potest statim cum eo dispensare ad eandem dignitatem. Sed in 1. q. 5, praesentium, potest dispensare episcopus ut eligatur ad curam regiminis ad quam non fuerat electus, et sic diversitas, non contrarietas. Arg. contra infra, de simon., nobis, ubi cum tali non potest episcopus dispensare. Solvitur ut ibi. Sed quare secus in beneficio simplici in quo statim episcopus potest dispensare post liberam resignationem, quam in praelatione, ut dicit in fine? Quia circa maiora cautius est agendum, quia ibi non das, sed accipias, 42. dist., quiescamus. Et de tanta re segnius non est agendum, 7. q. 2, nuper. Et integritas praesidentium, salus est subditorum, 61. dist., miramur, circa princ. Et dicit lex, ubi maius periculum intenditur, magis est consulendum, ff. de Carb., si cui controversia § 2. Unde primum locum in empta ecclesia habere non debet, scilicet, administrationem. Sed simplex beneficium potest, 1. q. 5, quicumque, in fi. Et facilius dispensatur in beneficio quam in administratione, vel in ordine. Alia ratio est, hic sponte renunciatur, ibi per sententiam reprobatur electio. Forte idem dici posset, quod episcopus posset cum isto electo dispensare si statim ante motam quaestionem renunciaret sponte, audito quod taliter esset electus, et in hoc non prohibetur hic prout dicitur, et infra, de renunciat., post translationem, in glossa quae incipit, quia ergo, ad finem.

X 1.06.60 *His quibus interdicitur*

Tempus statutum a canone

Duobus modis intelligitur hoc, scilicet, quia in ecclesiis cathedralibus et regularibus dantur tres menses, supra, de elect., ne pro defectu. In minoribus dignitatibus sive beneficiis dantur sex menses, infra, de concess. praeben., nulla.

Currit

Sed mirum videtur dicere littera ista, quod tempus currit illis qui agere non possunt, unde contraria plura signantur, infra, de concess. praeben., quia diversitatem; et infra, ne sede vac. nih. inn., per totum; et infra, de praescrip., cum vobis. Item filiofamilias non currit tempus, sed isti loco filiifamilias habentur quia sunt in potestate superioris, unde non debet eis currere praescriptio; C. de annal. except., super annali § ulti.; C. de bon. mat., res, in fi. Ratio potest esse quia licet interdicta sit eis electio, non debent ipsi propterea ius suum negligere et provisionem ecclesiae, sed diligentes debent esse et petere licentiam infra tempus, quia negligentibus iura non subveniunt, ff. ex quib. cau. maio., non enim. Et negligentiae ignosci non debet; ff. de edend., veluti, in princ. Nec stultis solet succurri, sed errantibus, ff. de iuris et fact. ignor., regula § si quis ius, in fi. Et ei

etiam qui valetudine impeditur, tempus currit si non mandaverit per alium actionem movendam, ff. de diver. temp. praescr., quia tractatus § plane. Et ei qui appellare non potest iusta de causa, currit tempus appellationis, nisi hoc coram publicis personis fuerit protestatus, aliter negligentia obesset ei, non obstante illa clausula, infra, de appell., si iustus; simile infra, de offi. ord., pastoralis. Et ita in mora sunt quae debet eis obesse, nam mora nocet; ff. de usufru., mora. Et non potest purgari, quia si promitto tibi Stichum, et offero tibi illum post moram, purgatur mora, ff. de ver. oblig., interdum § ulti.; ff. si quis caut., et si post tres. Item si ergo fui in mora agendi tecum, et interim mortua sunt animalia mihi subtracta, mihi mora non nocet, ff. de vi et de vi arm., merito. Sed verum est quod in hoc casu nocet mora nec potest purgari, cum ius non habeant eligendi, quia translatum est ad superiorem. Unde si eligerent, nulla esset talis electio, sicut nulla est sententia illius qui amisit iurisdictionem, infra, de offi. deleg., cum super. Loquitur capitulum istud cum de consuetudine alicuius loci ubi eligere non possunt, nisi primo licentia impetrata a superiore, arg. supra, de elect., cum inter universas. Vel intellige cum superior qui habet potestatem interdicit ne sine ipsius speciali mandato ad electionem procedant, sicut saepe facit Papa vel eius legatus.

X 1.07 DE TRANSLATIONE EPISCOPI

X 1.07.01 *Cum ex illo*

Privilegio
Quo videlicet praetulit eam cunctis ecclesiis, 21. dist., in novo; et 21. dist., quamvis. Et in hoc differt a papatu imperium, quia imperator habet suam iurisdictionem a populo, Inst. de iure natural. § sed et quod principi; et C. de vet. iure enucl., Deo auctore § cum enim; in Auth. quom. oport. episc., coll. 1, ubi dicitur quod ab eodem principio sunt. Sed Romana ecclesia voce domini tantum praelata est, ut hic, et 21. dist., quamvis.

Instituta continentia
Quia quaestio religionis et fidei ad Petrum tantum referenda est, 12. dist., praeceptis; et 24. q. 1, quoties; et 16. q. 1, frater noster; et 23. q. 8, convenior.

Translationes
Et depositiones, 3. q. 6, quamvis; et 3. q. 6, dudum; et infra, eodem, inter corporalia; et 7. q. 1, mutationes.

Mutationes
7. q. 1, temporis qualitas.

Pertineant
Quae sint illa quae ad solum Papam pertineant, his versibus comprehende: restituit Papa solus deponit et ipse // dividit ac unit eximit atque probat // articulos solvit synodumque facit generalem // transfert et mutat appellat nullus ab illo. De singulis istis habebis concordia infra, de excess. praelat., sicut; et infra, de offi. legat., quod translationem, in glossa, haec sunt.

Confirmasse
Secundum quosdam factum narrat, quia ante pallium receptum non potest confirmare, quia in pallio plenitudo pontificalis officii confertur, infra, de usu pallii, nisi specialis; arg. supra, de elect., quod sicut, circa fi. Arg. contra supra, de elect., suffraganeis. Dicunt quidam quod illa non tenet. Alii dicunt quod confirmare potest, et omnia alia facere quae sunt iurisdictionis, ut hic, et supra, de elect., transmissam; et supra, de elect., nosti. Quia in confirmatione consequitur omnia quae sunt iurisdictionis, et confirmare iurisdictionis est, quia eo confirmato potest conferre beneficia, supra, de elect., nosti. Ergo eadem ratione confirmare, quia capitulum vacante sede confirmat, infra, de maior. et obed., cum olim; et infra, de maior. et obed., si quis; arg. vel conprovinciales episcopi, 64. dist., quia per ambitiones; arg. infra, de haeret., ad abolendam § et quoniam; et arg. infra, de concess. praeben., nulla; multo fortius electus confirmatus. Sed videtur quod tunc ad Papam spectet confirmatio, 100. dist., quoniam; et infra, de concess. praeben., quia diversitatem. Illud est verum quod electus in archiepiscopum confirmatus, omnia quae sunt iurisdictionis potest, et non quae sunt ordinis, unde licet possit confirmare electos. Illos tamen consecrare non potest ante pallium acceptum, supra, de elect., quod sicut; infra, de consecr. eccl. vel alt., aqua. Et illam decretalem supra, de elect., suffraganeis, quidam volunt intelligere quando non est in mora, et illam supra, de elect., quod sicut, quando est in mora petendi pallium. Alii dicunt quod illa decretalis supra, de elect., suffraganeis, non tenet. Et tu dicas et credo verius, quod decretalis illa supra, de elect., suffraganeis, teneat, et quod electus in archiepiscopum confirmatus potest confirmare suffraganeos suos, ut hic innuitur, et potest mandare suffraganeis suis ut electum debeant consecrare, licet ipse hoc facere non possit. Video enim quod ipse non potest clericum ordinare, et tamen potest mandare alicui episcopo ut ordinet. Hoc idem faciunt abbates exempti de clericis suis, quia faciunt illos ordinari per episcopos quos ipsi non ordinant sine licentia eorum praelatorum. Multo fortius electus talis potest mandare hoc suffraganeis. Et haec est ratio quia per hanc demandationem nihil committit, cum ipsi episcopi ex ordine et consecratione quam habent, facere possunt, nec deest illis nisi quod consecrandus non est de sua iurisdictione. Nec sequitur hoc facere non potest, ergo non potest aliis mandare. Instantiam habes in abbatibus exemptis et in electis confirmatis; arg. 7. q. 1, pontifices.

X 1.07.02 *Inter corporalia*

Facilius
Hoc est generale, nam et peculium facilius revocatur quam constituatur, ff. de peculi., non statim. Et possessio facilius amittitur, quia solo animo, quam acquiratur, quia ibi necessarius est actus corporalis, ff. de acq. poss., possideri § in amittenda.

Spiritualia
Tamen spiritualia nisi legaliter conserventur de facili destruuntur, 40. dist., sicut. Sed illud intelligas quo ad destructionem virtutum, quod fit per peccatum. Unde dicitur qui peccat in uno factus est omnium reus, infra, de reg. iur., defleat. Et quod dicit hic, referas ad sacramenta huiusmodi, scilicet, ordinationes, consecrationes et depositiones, et consimilia, etc.

Destruantur
Unde lex dicit quod difficilior est dissolutio matrimonii quam coniunctio, C. de repud., consensu, in princ.

Solus
16. q. 7, congregatio.

A metropolitanis
64. dist., episcopi; 64. dist., ordinationes; et 64. dist., de abiectione.

Romanum Pontificem
Ut 3. q. 6, quamvis; 3. q. 6, dudum; et supra, de translat., cum ex illo.

Fortius
Id est, dignius, quoniam carnale in veritate fortius est, quia dissolvi non potest, etiam si interveniat consensus Papae, et ipsorum coniugum, immo manent coniuges separatim, scilicet, propter fornicationem, 32. q. 7, interveniente; et 32. q. 7, licite; et infra, de iureiur., tua nos 2. Et durat usque ad mortem, 7. q. 1, sicut alterius; infra, de sepult., de uxore; nisi in casu ante carnalem copulam, infra, de conver. coniug., ex publico. Spirituale vero coniugium in multis dissolvitur casibus, translatione, renunciatione et depositione auctoritate Papae, ut supra, de translat., cum ex illo; et ideo minus est forte, sed dignius.

Non separet
33. q. 2, an quod in subditis; et 33. q. 2, quos Deus.

Non enim
Responsio tacitae quaestionis, diceret aliquis quotidie dissolvuntur. Et ipse respondet, non enim, etc.

Divina
Et sic quod fit auctoritate Papae, dicitur fieri auctoritate Dei. Et est verum si iusta causa hoc faciat, 23. q. 1, quodcumque; et 23. q. 3, si quis non recto iudicio.

Vicarium
Et tamen successorem piscatoris, 24. q. 1, quoniam verus. Et episcopus dicitur etiam vicarius Christi, 33. q. 5, mulierem. Et successores sunt episcopi aliorum Apostolorum, 68. dist., quorum vices.

Confirmatus
Ergo ante confirmationem potest, quod verum est. Adhuc tamen habet tenue ius, cum posset repelli per exceptionem, infra, de accusat., super his.

Cui
Scilicet, coniugio spirituali.

Nihil addit
Consummatur tamen in consecratione illud matrimonium; infra, de translat., licet.

Nullius
Ergo non probat hoc esse, quod ab hoc contingit abesse, C. de probation., neque natales; et C. und. cognat., non hoc; et infra, de restit. spol., cum ad sedem, in fi.; arg. infra, de testib., cum tu; et 38. dist., quae in ipsis.

Non honori
Infra, de ordin. ab ep. qui ren. epi., requisivit.

Idem iuris
Quia de similibus simile debet esse iudicium, supra, de elect., dudum ecclesia. Similis enim aequitatis ratio similia iura suadere debet, C. ad leg. Falc., cum certum; infra, de confirm. util. vel inutil., cum dilecta.

Sic et electorum
Quod dictum erat de episcopis, prorogatur ad electos confirmatos, sicut quod dicitur de uxore, prorogatur ad sponsam, ff. de iure dot., si sponsa; ff. de fund. dot., lex Iulia; C. de bon. quae liber., non sine, in fi.; infra, de iureiur., quemadmodum; arg. C. qui pot. in pign. hab., asiduis, in fi.

Post
Ergo ante confirmationem potest.

Similitudinem
Arg. quod de similibus, simile debet esse iudicium. Arg. contra 28. q. 1, sic enim, vers. perinde; et 27. q. 1, nuptiarum, circa medium.

Neque illud
Hic respondet tacitae quaestioni, quae posset fieri per capitulum, 100. dist., quoniam. Quia ibi dicitur quod ecclesia quae habet electum confirmatum, appellatur vidua, et ille cedit iudicio metropolitani, et hoc dicit quod non potest sine licentia Papae. Papa respondet huic obiectioni, quia non videtur vidua nisi quo ad quaedam. Item nec obstat illud quod de cessione subsequitur, quia illud statutum fuit ad poenam, etc.

Sex menses
Melius diceret si ultra quinque, quia de quinque mensibus dicitur in canone illo, cuius sententia hic ponitur.

Ad quaedam
Illa, scilicet, quae ministerium consecrationis desiderant, supra, de elect., transmissam.

Inutilem
In aliis etiam mortuus reputatur, probat etiam de poen. dist. 1, facilius § hoc idem probatur; et de poen. dist. 1, scindite. Et qui inhabilis est ad agendum nullus dicitur, ff.

quod cui. univ. nom., neque societas § penulti.; et ff. qui satisda. cog., si decesserit; et ff. qui satisda. cog., qui iurato; et ff. ad Velleia., quamvis § si convenerit.

Ad gratiam
Arg. ff. de excepti. rei iud., evidenter. Poena enim non debet tribuere alicui immunitatem, ff. de interdict. et releg., relegatorum § ulti.; et ff. de interdict. et releg., sed honore. Nec econverso gratia debet trahi ad poenam, C. de legi. et const., quod favore. Et quod provisum est ad concordiam, trahi non debet ad noxam, 45. dist., licet nonnumquam.

Auctoritate Romani Pontificis
Scilicet, generali.

Superstitiosis
2. q. 5, consuluisti. Et quod Apostolus non definit, nec nos definire debemus, 31. q. 1, quod si dormierit.

Non invenitur
Arg. quod non est concessum intelligitur prohibitum, ff. de colleg., mandatis, in princ.; ff. de donation., filius; et 18. q. 2, hoc tantum; et 9. q. 3, conquestus; 32. dist., de illo clerico; et 55. dist., si evangelica; ff. quod cui. univ. nom., nulli; ff. de postulan., hunc titulum § ait praetor. Regula ista locum habet in iudiciis stricti iuris, quia quicquid adstringendae obligationis causa dictum est, nisi id verbis exprimatur, omissum intelligitur, ff. de ver. oblig., quicquid; et in arbitris id locum habet, infra, de arbitr., cum dilectus; ff. de recepti., si cum dies § plenum; et ff. de recepti., quid tamen, in fi. et in princ.; infra, de decim., ad audientiam; et infra, de translat., licet; et infra, de privileg., si de terra; secus est in iudiciis bonae fidei. Hic sumitur contrarium arg., omnia concessa intelliguntur quae non sunt expresse prohibita, et habet locum in iudiciis bonae fidei, prout sequitur quia ibi omnia intelliguntur venire in iudicium, nisi expresse prohibeantur, infra, de caus. poss. et propr., cum ecclesia; et ff. de iud., solemus; ff. deposi., Lucius. Secus in beneficiis quae latissime sunt interpretanda, infra, de verb. sign., olim; et infra, de dona., cum dilecti, in fi.; et secus in absolutionibus, infra, de sent. excom., nuper. Arg. contra quod illa scilicet, intelliguntur concessa quae expresse non inveniuntur prohibita, 30. q. 3, illud; et 30. q. 4, qui spiritualem; et 16. q. 1, sunt nonnulli; et ff. de procur., mutus § 1; et 5. dist., ad eius vero; et ff. qui testam. fac. pot., testamentum; et 28. q. 1, iam nunc. In verbo illo, et hoc non vetat Dominus, super hoc consuevit dici ubi constitutio promulgata fuit affirmative intelligitur concessum, nisi reperiatur prohibitum. Patet exemplum 31. q. 1, Deus masculum; et 31. q. 1, quod si dormierit. Si vero negative fuerit expresse promulgata semper intelligitur prohibitum, maxime ubi fuerat eadem ratio nisi inveniatur concessum. Exemplum patet 23. q. 5, si non licet. Nam cuncta licerent nisi iura vetarent.

Tamquam maiores
40. dist., homo Christianus; et ff. de re milit., omne § qui manus; iuxta illud: omne animi vitium tanto conspectius in se crimen habet, quanto maior qui peccat habetur.

Ex simplicitate
Simplicitati enim parcendum est, 86. dist., tanta; et infra, de rerum perm., cum universorum, ubi plures concordantiae sunt ad hoc.

Perdurante
Id est, si adhuc durant in suo consensu; simile 63. dist., quanto; et supra, de elect., bonae 2. Et quod hic dicit de gratia solummodo dicitur, quia ille debuit utraque privari, sed quia ex simplicitate hoc contingit, pepercit illi; simile infra, de rerum perm., cum universorum. Et capitulum quod ipsum recepit privari debuit ea vice eligendi potestate si Papa eum repulisset, vel cum eo non dispensasset, infra, de translat., quanto.

Non potuerit
Et ita quod voluit non potuit, et quod potuit noluit, infra, de offi. deleg., cum super; et C. si quis alt. vel sib. sub alt., multum; et C. de iure dot., si genero; et ff. de hered. instit., quotiens. Arg. contra C. de insti. sub cond. fac., si testamentum.

X 1.07.03 *Quanto persona*

Relicta
Hoc capitulum et capitulum sequens infra, de translat., licet; et illud capitulum infra, de maior. et obed., humilis; et infra, de cleri. excom., illud, de eadem materia loquuntur.

Coniunxit
33. q. 2, quos Deus; et 33. q. 2, an quod; et 30. q. 1, ad limina.

Antiquitas
Sic 25. q. 1, contra statuta; et 9. q. 3, conquestus. Et antiquitas veneranda est, 2. q. 6, anteriorum § illud; et ff. de iure immun., semper. Mos enim retinendus est fidelissimae vestutatis, C. de testament., testamenta.

Reverentiam
Tamquam iuri scripto, 9. dist., ecclesiasticarum; et 9. dist., catholica; et infra, de caus. poss. et propr., cum ecclesia.

Puri homines
Veri tamen hominis, qui etiam aliquid est secundum quod homo, infra, de haeret., cum Christus. Et est verus Deus et verus homo, supra, de summ. trin. et fid. cath., firmiter.

Veri Dei vicem
Unde dicitur habere caeleste arbitrium, C. de summ. trinit. et fide cath., cunctos, in fi. Et ideo etiam naturam rerum immutat, substantialia unius rei applicando alii, arg. C. commun. de legat., omne. Et de nullo potest aliquid facere, C. de rei uxor. act., rem, in princ.; et de conse. dist. 2, re vera. Et sententiam quae nulla est, facit aliquam, 3. q. 6, haec quippe. Quia in his quae vult, ei est pro ratione voluntas, Inst. de iure natural. § sed quod principi. Nec est qui ei dicat, cur ita facis, de poen. dist. 3 § ex persona; alias est de poen. dist. 3, quamvis. Ipse enim potest supra ius dispensare, de concess. praeben.,

proposuit. Item de iniustitia potest facere iustitiam corrigendo iura et mutando, infra, de appell., ut debitus; et infra, de cons. et affin., non debet; et plenitudinem obtinet potestatis, 2. q. 6, decreto.

Exemplum
Quia facilitas veniae praebet incentivum, etc., 23. q. 4, est iniusta. Et si ea quae male usurpantur omittimus, excessus viam aliis aperimus, 35. q. 9, loci; et 93. dist., pervenit; et C. de indict. vid., ambiguitates, in fi. Propagatur enim vitium nisi per coerctionem disciplinae subsequatur correctio, 21. q. 2, placuit, in fi.

Notorium
Notorium est quod transivit, sed quod sine licentia transivit non est notorium; simile infra, de cleri. excom., illud.

Illicite
Ipsum recipiendo sine licentia Papae; sic supra, de elect., bonae 1; non postulando.

In quo peccaverunt
Sic supra, de translat., inter corporalia; infra, de temp. ord., litteras; et infra, de offi. deleg., cum olim magister.

Suspendimus
Per sententiam, et sic non ipso iure; sic supra, de elect., Cumana, in fi. Sic arg. contra supra, de elect., bonae 1, ubi videtur quod ipso iure sunt privati. Et ideo expone, suspendimus, id est, suspensos denunciamus.

Debebat
Sua auctoritate, immo in ea vocatione in qua vocatus erat debuit secundum Apostolum permanere, ut 21. q. 1, clericus.

Canonicas
7. q. 1, si quis episcopus.

Maiorem
Maxime, quia idem si ad parem vel minorem. Ber.

X 1.07.04 *Licet in tantum*

Licet in tantum
Secundum quod verba ista sonare videntur, colligitur quod quis possit habere principium matrimonii sine medio et sine fine. Sed contradicit Ambrosius, dicens quod sacramentum matrimonii aut plenum est aut nullum, quia matrimonium res est individua et simplex, sicut et carnale matrimonium, quod est coniunctio maris et feminae individuam vitae retinens consuetudinem, infra, de praesump., illud; et 27. q. 2 § sequitur; et Inst. de patr. potest. § ius. Resp.: ista verba possunt referri ad solemnitatem potius quam ad substantiam matrimonii. Vel dicas quod pro tanto dicitur initiatum, quia post electionem

ab ea non possunt recedere electores, supra, de elect., cum inter canonicos. Immo hodie etiam ante electionem publicato tamen scrutinio varirae non possunt, supra, de elect., publicato. Et postea per consensum electi perficitur et in confirmatione fit ratum ita quod amplius per se renunciare non potest; supra, de translat., inter corporalia. Et in consecratione consummatum intelligitur, et hoc tantum quo ad illa quae ministerium consecrationis desiderant, supra, de elect., transmissam. Sed quo ad vinculum coniugale consecratio nihil operatur, supra, de translat., inter corporalia. Sic et in carnali matrimonio ista possunt considerari per sponsalia quae sunt futurarum nuptiarum promissio, 30. q. 5, nostrates. Quodam modo videtur initiari, quia per illa ad matrimonium pervenitur, ff. de sponsal., oratio. Per consensum animorum contrahitur et efficitur ratum, ita quod numquam postea separantur nisi ante carnalem copulam causa religionis, infra, de conver. coniug., ex publico. Per coniunctionem corporum consummatur, infra, de divort., quanto.

Maiorem
Quia gradatim conferuntur honores, ff. de muner. et honor., ut gradatim. Et qui promoventur de minori ad maius promoveri debent, 93. dist., legimus, in fi.

Videatur
Si alicui videri possit, sed nulli potest videri, ergo nec huic; sic 8. q. 1, Moyses; et arg. 35. q. 5, ad sedem, vers. hic ergo evigilent. Et aciem mentis si possunt intendant, quod dicit non possunt, et 24. q. 3, si habes, vers. si invenirentur idonei, etc. Sed Augustinus dicit se nescire, et licet forsitan hoc videatur aliquibus quod possit transire. Non tamen est verum, cum persona prius sit examinanda sicut postulatio, prout sequitur.

Ad parem
Sed nonne concesso quod maius est videtur concedi quod minus est, infra, de decim., ex parte tua 2; 16. q. 2, visis; infra, de dona., pastoralis? Sed dic quod minus est transire ad maiorem quam ad parem vel minorem, quia minus est contra ius commune. Unde magis est dispensabile transire ad maiorem quam ad parem vel minorem propter maiorem utilitatem, ut hic dicit.

Postulatio
Sed quare haec verba privilegii sive indulgentiae non interpretatur Papa largissime, ut infra, de verb. sign., olim? Respondetur quod forma verborum hoc non patitur; sic infra, de privileg., si de terra; et supra, de consuet., cum dilectus. Item quia per talem indulgentiam noluit subvertere consuetam examinationem postulationis, arg. C. de inoffic. testam., si quando; et supra, de elect., ecclesia vestra 2. Sed quaero quam utilitatem consecutus fuit iste per illam indulgentiam, sive per istam interpretationem quam hic facit Papa, cum potius interpretatio fieri debeat ut res valeat quam ut pereat, infra, de verb. sign., abbate § si unus eligitur; et ff. de reb. dub., quotiens; et infra, de privileg., in his. Arg. optimum, et quod hic dicitur, sine privilegio tali hoc fieri non potuisset, et privilegium aliquid adiicere debet iuri communi, ff. ad municip., municipem; ff. de leg. 1, si quando. Potius enim adiuvari beneficio nos oportet quam decipi, infra, de commod., cum gratia; et ff. commodat., in commodato § sicut, in fi. Resp.: ideo attenuat vires huiusmodi privilegii, quia per ambitionem obtentum fuit, ut 1. q. 1, principatus; et

C. de senatuscons., quamvis. Ex eo enim quod aliquid contra ius obtinetur, praesumitur ambitiose obtentum, ff. ad municip., municipem, in princ. Vel dic quod super examinatione non dabatur ei aliqua indulgentia, prout patet ex verbis istius indulgentiae, vers. dum tamen ei nihil obstaret, etc.; et infra, ubi dicit, et tenor illius, etc. Sed in hoc valebat ei indulgentia, ut si vocaretur ad maiorem dignitatem, poterat consentire ut per mutuum consensum illius et postulantium initiatum esset spirituale coniugium. Quod non esset, si indulgentiam non haberet, quia consentire non posset, supra, de translat., inter corporalia, ad fi. Si enim servasset indulgentiam et vocatus fuisset ad maiorem dignitatem, tunc in illam potuisset transire nulla alia licentia petita. Qui enim non servat privilegium perdit illud, supra, de consti., cum accessissent, cum suis concordantiis. Et privilegium sive indulgentia ita est servanda secundum quod in ea continetur, infra, de privileg., porro. Sed iste voluit ampliare indulgentiam transeundo ad parem et sine examinatione, et ideo non profuit ei nec etiam ad minorem sine examinatione, ut patet ex tenore indulgentiae. Ber.

X 1.08 DE AUCTORITATE ET USU PALLII

X 1.08.01 *Cum super aliqua*

Ecclesiam
Verba ista habes 100. dist., pallium.

Quamlibet
Signatur contra infra, de verb. sign., cum clerici. Solutio: ibi Placentina ecclesia stricte accipitur pro cathedrali tantum, hic large pro qualibet ecclesia suae provinciae. Ratio potest esse quia per hanc interpretationem nulli fit praeiudicium, sed per illam posset praeiudicari vasallis ecclesiae, et cito possent incurrere periurium.

Pallio
Per quod significatur plenitudo pontificalis officii, infra, de auctor. et usu pal., cum sis; et infra, de auctor. et usu pal., nisi. Et eo utendum est tantum inter missarum solemnia, 100. dist., contra morem; et certis diebus, infra, de auctor. et usu pal., ad honorem; qui continetur in privilegio suo, infra, de auctor. et usu pal., quia nos.

X 1.08.02 *Ad hoc quia*

Commodes
Et ita quia pallium personale est, aliis commodari non potest, immo nec in alia provincia potest uti eo sine licentia illius cuius est parochia, etiam si privilegium habeat, infra, de auctor. et usu pal., ex tuarum. Ea enim quae inhaerent personis cum personis extinguntur, arg. infra, de offi. deleg., quoniam abbas; et de offi. deleg., P et G; ff. de regul. iur., privilegia; Inst. de iure natural. § sed quod principi; et 7. q. 1, petisti.

Sepeliri
de conse. dist. 1, nemo clericus. Contra hoc speciale vestimentis sacerdotalibus, spiritualibus, et de pallio, et sic non obstat, ff. de rel. et sump. fun., si quis § funeris. Ubi

ornamenta et annulli prohibentur cum cadaveribus poni vel sepeliri, ne forte propter ea effodiantur. Et capitulum de conse. dist. 1, nemo clericus, loquitur de laico qui non debet involvi vestibus sacris, secus de clericus.

X 1.08.03 *Nisi specialis dilectio*

Nominis
Et ita licet consecratus sit in episcopum, non est appellandus archiepiscopus ante pallii receptionem.

Palliare
Palliare debet quis quod male fecit, et revocare congruenter si potest, ne vilescat eius auctoritas, infra, de accusat., qualiter et quando 1; et infra, de appell., cum cessante; ff. de regul. iur., quod iussit.

Eligemus
Potius tenemur non magis diligere quam alium. Nam quisque regulam diligendi proximum a semetipso accipit, 23. q. 5, si non licet. Et agris tuis sitientibus alii irrigandi non sunt, C. de servit., praeses; 64. dist., quia per ambitiones; et C. ut nemo privat., ne quis. Et quilibet sibi primo faciat eleemosynam, deinde proximo, de poen. dist. 3, sane cavendum. Unde etiam mihi possum consulere cum damno alterius, ff. ad leg. Aquil., si quis fumo, in fi. Arg. contra 22. q. 2, primum; et 11. q. 3, si quis vero.

X 1.08.04 *Ad honorem Dei*

Ad honorem
Sub hac forma verborum traditur pallium: ad honorem Dei omnipotentis et beatae Mariae virginis et beatorum Petri et Pauli apostolorum, et domini Papae Gregorii et ecclesiae Romanae, et ecclesiae talis tibi commisse tradimus tibi pallium de corpore beati Petri sumptum, in plenitudinem pontificalis dignitatis, ut utaris eo infra ecclesiam tuam certis diebus, qui exprimuntur in privilegiis ecclesiae tuae concessis a Romana ecclesia, infra, de auctor. et usu pal., quia nos. Et hi sunt nativitas Domini, festivitates sancti Ioannis et sancti Stephani, in Circumcisione, in Epiphania, in ramis Palmarum, in coena Domini, in sabbato Sancto, tribus diebus Resurrectionis, Pentecostes, in festivitate sancti Ioannis Baptistae, et omnium Apostolorum, in tribus festivitatibus beatae Mariae, in commemoratione omnium Sanctorum, in dedicatione ecclesiarum, in principalibus festivitatibus ecclesiae tuae, in ordinationibus clericorum, et in consecrationibus episcoporum, in die anniversarii suae consecrationis. Et arg. hoc infra, de fer., conquestus; et de conse. dist. 3, pronunciandum.

In ecclesia sua
Id est, infra quamlibet ecclesiam suae provinciae, supra, de auctor. et usu pal., cum super. Sed extra ecclesiam in processione uti non debet, supra, de auctor. et usu pal., cum super. Et sic miles post finitam militiam cum cingulo non ibit, C. de prox. sacr. scrin., certae, lib. 12. Proconsul non utitur insignis suis priusquam intret provinciam, ff. de off.

procon., proconsul ubique. Simile est de usufructario qui scenica veste non potest uti nisi in scena, ff. de usufru., sed et si quid § 2. Arg. contra infra, ut lite penden., a memoria.

Sollicitudinis
2. q. 6, qui se.

X 1.08.05 *Ex tuarum tenore*

Infra ecclesiam
Id est infra quamlibet ecclesiam provinciae tuae, supra, de auctor. et usu pal., cum super.

Pallio
Rationabili tamen causa potest uti ubique; 36. dist., qui ecclesiasticis § ecce. Similiter videtur quod infula possit uti ubique, 21. dist., cleros. Videtur quod ubique, infra, de auctor. et usu pal., cum sis.

Consuetudo
Et mala, et est ratio quia sicut pallium fortiter postulasti datur, ut 100. dist., prisca; ita datum fortiter custoditur, et si transferat se ad aliam sedem, non tamen cum eo pallium transfertur, supra, de postul. praelat., bonae 2, in fi. Unde pro parte est beneficium personale, quia cum persona sepelitur, supra, de auctor. et usu pal., ad hoc. Et pro parte locale quia non transfertur cum persona ad alium archiepiscopatum, sed remanet ibi, supra, de postul. praelat., bonae 2, in fi.

Corruptela
Sed videtur quod non sit corruptela, et quod sit tolerandum, ff. de off. procon., proconsul ubique, ubi proconsul utitur suis insignis ubique postquam egreditur urbem.

Indulgemus
Hoc ideo dicit, quia non est licitum alicui celebrare vel praedicare in alia provincia, nisi ad hoc fuerit invitatus, 7. q. 1, episcopi vel presbyteri; et 9. q. 2, nullus primas; et 6. q. 3, scriptum est.

Propter hoc
Scilicet, pro ecclesiis consecrandis et clericis ordinandis.

Permittat
Nota quod Papa licet alicui det privilegium, non vult tamen quod utatur eo in praeiudicium alicuius; sic infra, de offi. ord., licet; et supra, de translat., licet.

Pallio
Tuo, scilicet, et non illius ad cuius provinciam declinas, cum sit personale; supra, de auctor. et usu pal., ad hoc.

Casibus
Duobus praemisis, non aliis. Quod enim in quibusdam permittitur, in aliis prohibetur; arg. ff. de iud., cum praetor.

X 1.08.06 *Cum sis*

Ubicumque
Hic videtur ex eo quod dicit, ubicumque, quod etiam extra provinciam archiepiscopus pallio possit uti, sicut proconsul, ff. de off. procon., proconsul ubique. Sed contra supra, de auctor. et usu pal., cum super; et supra, de auctor. et usu pal., ex tuarum. Sed quod dicit, ubicumque, restringe, id est, infra quamlibet ecclesiam tuae provinciae, supra, de auctor. et usu pal., cum super; vel ubicumque si habeat privilegium ad hoc, et ille ad cuius provinciam vel diocesim transit id permittat, supra, de auctor. et usu pal., ex tuarum; et sic planum est.

X 1.08.07 *Quia nos*

In aliena
De licentia diocesani episcopi, alias non, quia non debet ponere manum in messem alienam, ut 6. q. 3, scriptum est; et 9. q. 2, nullus primas. Privatim tamen posset sine licentia, infra, de cleri. peregri., tuae fraternitatis. Diocesanus debet illum invitare, 7. q. 1, episcopi vel presbyteri.

Privilegiis
Qui praecise sint dies illi nescimus, nisi sint illi qui enumerati sunt supra, de auctor. et usu pal., ad honorem; et infra, de fer., conquestus.

Quarta
Satis soluta est per hanc responsionem, quia recipere debet privilegium suum. Et si ibi continetur quod possit celebrare cum pallio pro defunctis, ita observet secundum quod ibi continetur; simile infra, de privileg., si de terra.

X 1.09 DE RENUNCIATIONE

X 1.09.01 *Litteras tuas*

Senectutem
Non enim quaelibet senectus facit, ut quis possit petere cessionem, sed ea sola quae hominem reddit prorsus ineptum, infra, de renunciat., nisi § debilitas. Propter quas causas possit quis renunciare traditur infra, de renunciat., nisi; et infra, de renunciat., post translationem.

Insufficientiam
Haec est iusta causa ad renunciandum, quia defectus scientiae non solum impedit promovendum, supra, de elect., congregato. Immo deiicit iam promotum, infra, de aetat. et qualit., quamvis. Et de hoc habebis infra, de renunciat., nisi.

Novae
Sic enim iudex potius debet causam differre, quam eam novo iudici delegare, ff. de vac. mun., praetor § ulti.; arg. 19. q. 3, monasterius.

Militiae
Simile 7. q. 1, sciscitaris. Non enim solvi debent milites nisi completis stipendiis, C. de his qui non imple. stipen., cum ob provectae, lib. 10. Et nil creditur esse actum, etc., C. de his quib. ut indign., cum Silanianum, in fi. Et frustra velociter currit qui priusquam ad metas perveniat, deficit; de poen. dist. 3, in causam; arg. 7. q. 1, nihil. Et magis delinquit qui incoeptam causam dimittit, quam qui numquam ad causam venit, in Auth. de litigios. § omnem, coll. 8. Et qui ponit principium totum supplere debet usque ad finem, de conse. dist. 1, nullus episcopus.

X 1.09.02 *Cum inter P.*

Iuramentum
Iste P. abiuravit beneficium suum, quod de caetero ipsum non repeteret, sed non iuravit quod non reciperet, si iterum eligeretur, infra, de his quae vi met. caus. fi., ad audientiam. Iuramentum non extenditur ad ea de quibus non fuit cogitatum in iuramento, et quae tunc non extant, infra, de iureiur., clericus. Sicut nec rescripta extenduntur ad lites quae non extabant tempore impetrati rescripti; supra, de rescript., quia nonnulli. Et transactio non extenditur ad ea de quibus non fuit dictum vel cogitatum, C. de transaction., si de certa; et C. de iud., licet; unde non obstat in aliis. Et sic isti P. non obstat iuramentum, cum non agat ex prima sua receptione, sed ex novo iure post iuramentum praestitum, acquisito de consensu maioris et sanioris partis capituli, quia alia est modo causa petendi, ff. de excepti. rei iud., et an eadem; ff. de institut. act., habebat; et infra, de caus. poss. et propr., in causa.

Maioris et sanioris
Et sic standum est maiori parti, 65. dist., sane; et 19. dist., in canonicis; et ff. ad municip., quod maior. Quid iuris sit servandum de hoc nota supra, de elect., ecclesia vestra 2, in fi.

Intercessit
Supple post suam renunciationem. Iste P. post suam renunciationem obtinuit litteras a Papa ut reciperetur in ecclesia illa. Sic iste investitus fuit de beneficio illo auctoritate Papae, et de consensu maioris partis, et sic pars minor non potest obiicere iuramentum.

X 1.09.03 *Ex transmissa relatione*

Abbatis
Id est, praelati, quia ecclesia saecularis est et non regularis, et est nomen dignitatis. Et iste P. Rubens erat ibi canonicus.

Votum
Non quod emisisset votum, sed quod emittere proponebat, infra, de regular., consulti. Arg. contra infra, de regular., super eo. Non est contra, ibi habitus fuit ad professionem, hic ad probationem tantum. Vel hic nullum habitum suscepit, et si suscepisset, non obstat. Nam habitus solus sine professione non facit monachum, infra, de regular., porrectum; et infra, qui cler. vel vov. matr. contr. poss., consuluit.

Resignavit
Sed qualiter bona illa sibi restituta fuerunt, ex quo enim semel fuerunt acquisita ecclesiae, non debent ei amplius restitui, 12. q. 2, nulli; 17. q. 4, sunt qui opes? Respondeo: iure poli, non iure fori, 17. q. 4, quicumque vult; arg. infra, de don. int. vir. et uxor., mulieres; et in Auth. de monach. § si vero, coll. 1. Vel de facto fuit hoc potius quam de iure, si transiverunt in proprietatem ecclesiae. Vel forsan sub conditione contulerat illa bona, si ibi perpetuo remanere deberet. De hac materia notatur infra, de cleri. coniug., quod a te.

X 1.09.04 *Admonet*

Intrare
16. q. 7, nullus omnino, infra, de iure patron., cura. Alias nisi talia beneficia dimiserint, sunt excommunicandi usque ad debitam satisfactionem, infra, de instit., ex frequentibus.

Inconsulto dimittere
Ut 7. q. 1, episcopus de loco; infra, de privileg., cum et plantare § in ecclesiis. Idem est in clericis aliorum plantorum, ut abbatum et consimilium, sine quorum consensu ecclesias non debent dimittere, 63. dist., nullus laicorum; et 63. dist., Hadrianus; et 53. dist., legem. Quod si fecerint, possunt revocari, et nisi admoniti redierint, sunt excommunicandi, 7. q. 1, si qui vero; et 7. q. 1, si quis presbyter. Et haec est canonica ultio, ut dicit hic in fine. Et si praelatus suus transitum ratum habere noluerit, potest illa ecclesia ordinari per illum ad quem spectat, infra, de renunciat., quod in dubiis; et hic in fi. Ad religionem tamen transire possunt, 19. q. 2, duae sunt. Et etiam regulares petita licentia, quamvis non obtenta, infra, de regular., licet. Item arg. est ex hac littera, quod unus praelatus non possit ad aliam praelaturam eligi in alia ecclesia vel etiam canonicus, sed tantum postulari, quoniam praelatus ille vel clericus non habet facultatem recedendi ab ecclesia sua sine licentia episcopi sui. Unde eius consensus illegitimus est, quod concedebat Vincen. Et si episcopus malitiose eum non vult concedere, cogendus est per superiorem, arg. infra, de iure patron., nullus. Et secundum eum habet locum electio tantum in clericis eiusdem ecclesiae. Nos hoc non dicimus, immo clericus alterius ecclesiae bene potest eligi ad aliam ecclesiam, dummodo alias sit idoneus, et in eodem episcopatu, et in alio et tenet electio, supra, de elect., cum inter canonicos, ubi de hoc. Implorenda est tamen licentia sui episcopi, et si denegaret eam, compelleretur per superiorem si malitiose hoc faceret, per decretalem, infra, de iure patron., nullus.

X 1.09.05 *Super hoc quod*

Reposcentibus
Id est, petentibus.

Sine causae
Id est, sine adiectione iustae causae renunciationis.

Versimile
Contra istam praesumptionem bene admittitur probatio in contrarium, ut infra dicitur in responsione, infra, de praesump., quia versimile.

Resignationis
Licet non sit allegata ab ipso reo, forte ideo renunciavit, quia habebat plura beneficia, infra, de praeben., referente. Vel quia simoniace fuerat adeptus illud, infra, de praesump., quia versimile. Maxime dico, quia idem esset si nullam causam allegasset, et hic non dicitur quod reus causam allegavit, sed iudex hic quaesivit, quia sufficit allegare spontaneam renunciationem sine aliqua causa, nec tenetur etiam allegare causam, nec iudex tenetur inquirere causam. Et hic notat cum dicit infra, ideoque supervacuum esse, etc., quod dicit, si vult potest inquirere, alias non tenetur, quia sufficit quod sponte renunciavit, infra, de renunciat., in praesentia. Quidam signant contra, infra, de restit. spol., sollicite. Ibi non recipiuntur testes illius qui allegabat spontaneam abiurationem ante restitutionem, et hic recipiuntur ante et post restitutionem. Ita solvebant quidam, hic non allegabatur quod spoliatus renunciaverit. Si hoc fecisset, non admitterentur probationes contra eum, ut ibi. Sed ubi cessit non spoliatus, licet praesumatur pro eo quod invitus hoc fecerit, auditur tamen adversarius volens probare spontaneam abiurationem. Qua probata si iterum actor vult replicare quod non sponte, bene auditur. Ad hoc ut nullum sit contrarium, ita dicas quod hic et illa infra, de restit. spol., sollicite, in diversis casibus loquuntur, nec se tangunt. Qui enim per metum vel per vim renunciat beneficio vel iuri suo tenet quidem renunciatio, quia hoc voluit licet coactus, et sic perditur dominium ex toto, quia coacta voluntas, voluntas est, 15. q. 1, merito; et ff. quod metus cau., si mulier § si metu; et ff. quod metus cau., metum autem § sed quod praetor. Et sic habet locum in hoc casu actio quod metus causa, quae appellatur actio praetoria, ff. quod metus cau., et si mulier § si metu. Et in hoc casu loquitur haec decretalis, nec talis proprie dicitur spoliatus. Unde non potest petere restitutionem, cum non fuerit spoliatus, immo tradidit dominium licet per metum, ut dictum est. Sed datur illi actio praetoria quod metus causa, et hic agebat actione in rem simpliciter petendo ecclesiam suam. Sed opponebatur sibi spontanea abiuratio quando res petita tradita est per metum, agitur actione in rem et in personam, et si promissio tantum per metum facta est, et agitur ut res tradatur, habet exceptionem quod metus causa, ff. quod metus cau., metum § sed quod praetor. Sed spoliatus remanet dominus vel quasi, et perdit solam possessionem. Et in hoc casu habet locum actio unde vi, sive interdictum possessorium, et in hoc casu loquitur illa decretalis infra, de restit. spol., sollicite, et ibi renunciavit spoliatus. Et secundum haec nulla exceptio potest opponi quae tangat dominium eius qui petit restitui, quia quaestio spoliationis privilegiata est, infra, de ord. cognit., super spoliatione. Nec potest referri spoliatio quaestio proprietatis, quod non habebat ius vel quod non sit canonice institutus, infra, de restit. spol., item cum quis; et infra, de restit. spol., in litteris; et infra, de restit. spol., ex conquestione. Et ideo in casu capitulis infra, de restit. spol., sollicite, non auditur qui ei refert quaestionem qui sponte renunciavit sive abiuravit, quia illa duo simul stare non possunt quod unus petat restitui, et adversarius agat de

proprietate, hoc esset contra ordinem iuris, C. de rei vend., ordinarii. Sed hic petebat ecclesiam agendo reali actione simpliciter, unde adversarius potest obiicere exceptionem peremptoriam et docere de iure suo, et actor potest replicare, et sic uterque debet docere de sua intentione secundum quod hic fit, ut dicit in fine. Et in fine apparebit quis melius probaverit, et ita plana est quae consuevit difficilis reputari.

Non vi
Sed sponte.

Metu
Et tamen metus continet in se vim, et ideo superflue dicitur, non vi, ff. quod metus cau., vis autem.

Oppressione
C. quod metus cau., per impressionem.

Pecuniae
Quae pro expensis etiam in talibus non debet dari, infra, de pact., cum pridem; et de rerum perm., ad quaestiones. Ex eo quod dicit, non interventum pecuniae, videtur a constrario sensu, quia si interventu pecuniae renunciasset, quod talis renunciatio non tenuisset, et sic restituetur ei ecclesia. Sed hoc falsum est, quia licet renunciatio non teneat, tamen privari debet iste, quia simoniam commisit pecuniam recipiendo pro re spirituali, et ideo potest suppleri, maxime si restitueretur in casu isto, de gratia sola hoc fieret.

Promissione
In casu isto bene restitueretur propter dolum adversarii; simile infra, de renunciat., sane.

Malo
Scilicet, non credentis, 22. q. 1, ita ergo; et infra, de iureiur., et si Christus.

Canonica
Scilicet, ut actor neget se sponte renunciasse.

Opposita
Et probata supple, ut sequitur infra § porro.

Admittere
Cum effectu, maxime si probabit reus iustam causam recusationis, obtinebit, nisi actor per replicationem repellat exceptionem, et hoc est quod sequitur, nisi replicatio, etc.

Negantis
De hac negative dictum est supra, de elect., bonae 1; dic ut ibi.

Negat
Est enim quoddam factum praegnans quod includit in se affirmativam, quia haec propositio, non sponte renunciavit, includit in se hanc affirmativam, coactus renunciavit. Et hanc probat actor in sua replicatio; simile C. de codicil., nec codicillos; et infra, de succ. ab intest., cum dilectus; et 3. q. 9, indicas.

Inficietur
Id est, neget spontaneam renunciationem.

Ad dignitatem
Scilicet, testium. Et sic non semper statur numero testium, immo considerari debet dignitas testium, et alia de quibus habes 4. q. 3, si testes, cum duobus capitulis sequentibus; et infra, de testib., in nostra; sic et in electionibus, supra, de elect., ecclesia vestra 2, ubi de hoc. Et sic obtinebit qui melius probabit de sua intentione. Sed qualiter pronunciabit hic iudex? Numquid debet pronunicare quod sponte renunciavit vel quod non sponte renunciavit? Videtur quod sic, quia super his inducuntur testes. Sed hoc non videtur, immo videtur quod iudex pronunciare debeat super principali quaestione, quae est de renunciatione ecclesiae. De hac materia an debeat iudex pronunciare super incidenti vel non dicetur infra, de ord. cognit., intelleximus. Alii intelligunt hanc litteram habito respectu ad dignitatem, scilicet, partium, quia si ille qui dicit quod metu renunciavit, esset homo praeclarae dignitatis et opinionis, praesumptio esset contra illum qui dicit quod non sponte renunciavit, ff. quod metus cau., non est. Et ideo magis apertae probationes requiruntur ab ipso, ut in lege illa dicitur, et nihilominus habendus est respectus ad dignitatem et opinionem testium, ut dictum est. Si enim ille qui obiicit quod sponte renunciavit, habeat meliores testes, ei stabitur, non obstante dignitate alterius, arg. illius decretalis, infra, de praesump., quia versimile, et hoc vers. nulla responsio etc. Et tamen recipiuntur probationes quod sponte renunciavit. In casu isto posset dici iure novo, quod exceptio haec abiurationis sponte factae, per iuramentum lite contestata impediat super principali quaestione, cum negotium per iuramentum sit finitum, infra, de litis contest., olim; et infra, de celeb. miss., cum Marthae. Vel hic reus de plano confitebatur quod beneficium illud quod petebat actor, ad ipsum actorem pertinuit, sed sponte illud renunciaverat, et sic non fuit alia contestatio necessaria hic. Ber.

X 1.09.06 *In praesentia nostra*

Ad unam speciem
Sic ff. de testi., ob carmen § ulti.; et 4. q. 3, si testes § in criminali; et infra, de re iudic., sicut; et infra, de re iudic., cum inter vos; et ff. de regul. iur., res iudicata.

Praesumi
Sic infra, de re iudic., sicut; et infra, de re iudic., cum inter vos; et ff. de regul. iur., res iudicata.

Standum
Hic est arg. contra Io., qui dicebat quod in causa appellationis victor necesse habebat probare sententiam recte latam fuisse, et hoc in Auth. de his qui ingred. ad appel. § illud,

coll. 5, ubi dicitur quod victores non aliter potientur sententiis, quam si eas recte latas monstraverint. Sed dicendum est quod semper statur sententiae nisi probetur quod iniusta sit, C. de appellat., qui ad civilia; et C. ut caus. post pub. ad. tut., tutores. Arg. detegere enim debet iniquitatem sententiae, ff. si pend. appel., appellatore § 1. Et docere debet se iuste appellasse, infra, de appell., cum in ecclesia. Quid ergo respondebis Auth.? Dicas quod hoc ipso quod non reprobatur, probat eam iustam, C. qui milit. poss., super servis, lib. 12. Si vero quis diceret sententiam iniustam ratione processus, quia diceret litem non fuisse contestatam, vel ordo iudicarius non fuit servatus in aliis, tunc necesse habet docere sententiam iustam per ipsum processum, infra, de probat., quoniam. Dic ut ibi notatur in fine, ultima notula.

Litteras
Quibus standum est quandoque, infra, de probat., post cessionem; et 9. q. 3, curae.

Confessionem
Et hoc solum sufficit, quia confessos in iure pro convictis haberi placet, C. de confes., confessos; et infra, de confess., cum super; et infra, de confess., ex parte.

X 1.09.07 *Sane dilecto*

Instituit
Et canonicos suspendit, ut patet in integra.

Ductus consilio
Dato forte in fraudem et sui lucri causa, unde errant in dolo, ff. de dolo mal., quod si cum scires; et ex consilio fraudulento obligabantur, ff. de regul. iur., consilii non fraudulenti. Unde habuit contra illos actionem de dolo, tamen apud se debuit explorare an ei expediret tale consilium, ff. mand. vel cont., mandatum, in fi.; quia non tenebatur sequi tale consilium, 14. q. 1, quisquis § quod praecipitur. Unde videtur quod non teneantur, sed tenentur si hoc constaret, et si vellet allegare hoc illud deberet probare, ff. de probation., quotiens operae § qui dolo. Sed hic praesumitur dolus, unde ipsum recipere compelluntur.

Reddens
Et sic tradendo litteras renunciavit iuri suo, sic infra, de pact., cum pridem. Et donatis et traditis instrumentis mancipiorum, mancipia ipsa donata intelliguntur, C. de dolo mal., hoc edicto; et qui chirographum legavit, et actiones quae continentur ibi legavit, ff. de leg. 3, qui chirographum; et qui obligavit instrumenta agrorum suorum, de agris ipsis cogitasse intelligitur, C. quae res pign. oblig. poss., cum constet. Et si restitui tibi cautionem pignoris, ius pignoris remisisse videor, C. de remis. pign., creditricem; et ff. de pacti., Labeo. Secus est si restituo tibi pignus, quia nihilominus possum petere debitum, ff. de pacti., postquam. Ratio diversitatis est quia in altero utilitas, in altero non. Arg. contra infra, de renunciat., veniens. Solvitur ut ibi.

Sustinere
Infra, de fideiuss., pervenit. Et sic reddebatur mala pro bonis, et haec quidem malorum sunt, unde eis nocet, 23. q. 4, sex sunt differentiae. Et exhibitio suae reverentiae sive honor impensus non debet ei esse damnosus, ff. de fur., si servus communis § quod vero; et ff. quemad. test. ap., sed si quis. Et ideo quia fuit deceptus, promissionibus ei subvenitur, supra, de renunciat., super hoc. Nam deceptis et non decipientibus iura subveniunt, ff. ad Velleia., et primo § 1; et infra, de rerum perm., cum universorum; et infra, de dona., inter dilectos; et C. si min. se maior. dix., si is. Sed qualiter iste auditur cum nullum ius habeat, et nemo sine actione experitur, ff. de negot. gest., si pupilli § ulti. Verum est quod nullum ius habet, sed quia iste imploravit officium iudicis, admittitur contra eos qui eum taliter deceperunt, quia cum deficit actio, officium iudicis est implorandum, infra, de offi. iud., iudicis; et ff. de minor., in causae; simile habes infra.

X 1.09.08 *Quod in dubiis*

In manum laicam resignantes
Non videtur quod talis renunciatio teneat, nisi fiat in manus eius qui a quo beneficium recepit, 6. q. 3, denique; 18. q. 2, abbas pro humiliatione; et in Auth. de defensor. civit. § quod interim, coll. 3; et ff. de orig. iuris, necessarium § et cum placuisset; et arg. 17. q. 2, Gonsaldus. Et optimum arg. C. de defensor. civit., iubemus eos; et supra, de renunciat., admonet, et hoc in fi. Solutio: verum est quod quantum ad ecclesias vel quantum ad superiorem talis renunciatio non tenet, quoniam ecclesia vel superior potest illum repetere si vult, 7. q. 1, non oportet; et etiam superior, 33. q. 5, mulier. Sed ipse non potest eam repetere, et ita quo ad se tenet pactum, quia etsi inutilis sit talis renunciatio, tamen habet in se tacitum pactum ne repetat, sicut acceptilatio inutilis, ff. de pacti., si unus § penulti.; et ff. de accep., si acceptolatum; et 7. q. 1, eos. Arg. contra ff. de accep., an inutilis, in princ. Et quia postea recepit de manu laici, suspensus est, 16. q. 7, si quis deinceps; et 16. q. 7, quoniam investituras. Immo plus dicit concilium generale, qui consentit electioni de se factae per saecularis potestatis abusum, ineligibilis efficitur, supra, de elect., quisquis. Arg. contra infra, de iure patron., praeterea quia. Sed expone verbum illud, communione privetur, scilicet, fidelium, cum iam sit privatus communione sacramentorum recipiendo ecclesiam de manu laici. Io. hic dicebat quod clericus qui sic recipit beneficium de manu laici, suspensus erat ipso iure, per capitulum 16. q. 7, si quis deinceps; quod satis posset dici. Sed decretalis praedicta infra, de iure patron., praeterea quia, contradicit, ut dictum est, et supra, de elect., quisquis. Concilium generale aliam poenam imponit, quia efficitur ineligibilis. Et ideo melius videtur dicendum quod illa iura, 16. q. 7, si quis deinceps; et 16. q. 7, quoniam investituras, quae dicunt quod clerici qui faciunt hoc, sunt suspensi, et laici sunt excommunicati qui clericos instituunt. Non tenent in hoc ut ipso iure poenam imponant, sed hodie laici sunt excommunicandi, et clerici quod recipiunt beneficia, suspendendi, et ineligibiles fiunt per iura illa infra, de iure patron., praeterea quia; et supra, de elect., quisquis. Ber.

X 1.09.09 *Ad supplicationem*

Morari
Forsitan propter intemperiem aeris, 74. dist., quorundam. Vel quia habebat capitales inimicos, supra, de elect., bonae 1.

Defectum
Simile 93. dist., diaconi, vers. mendicat infelix, etc.

Ad sustentationem
Huic providendum est in beneficio, quem non crimen sed causa necessitatis abducit, 7. q. 1, quamvis triste. Sed male meritus publica egestate laborare debet, ff. deposi., bona fides. Et merito huic providendum est, quia deposito subvenitur in necessariis, 50. dist., studeat. Erit autem iste tamquam plebanus ecclesiae huiusmodi.

Usu pallii
Arg. contra C. quemad. civ. mun. ind., cum te omnibus, lib. 10. Quoniam maioribus honoribus functos, non licet descendere ad minores, ut dicit lex praedicta, et arg. ad idem 93. dist., legimus, in fi.; et supra, de translat., licet; et supra, de translat., cum ex illo.

X 1.09.10 *Nisi cum pridem*

Promittis
Quasi credens quod cedendo placeas Deo.

Sanctificato
Scilicet, Hieremia.

Ministerium
Quod privilegiatum est, infra, de statu monach., quod Dei timorem.

Cum ille
Scilicet, Hieremias, qui praedicationis recusabat officium, et tamen postea recepit, 8. q. 1, in scripturis.

Cuius
Scilicet, verba Dei.

Forsitan
Istud forsitan non videtur poni dubitative, sed affirmative; simile 33. q. 2, admonere; et infra, de procurat., tuae; et de poen. dist. 1, quamobrem; et ff. de rei vend., item si § 1. Et verba sequentia hoc innuunt, et supra, de rescript., super litteris, vers. nisi forsitan.

Sed dumtaxat
Ex isto loco colligitur quod pro nullo crimine potest episcopus renunciare sine licentia Papae, quantumcumque gravi. Super hoc dicunt quidam, quod nullus criminosus, nullus irregularis potest renunciare sine licentia Papae, arg. infra, de renunciat., post translationem, vers. unde quidam; et 6. q. 3, denique; et ff. de admin. tut., tutores § qui se.

Etiam si talis sit qui titulum non habeat, ut simoniacus et intrusus. In morte tamen propter necessitatem possent renunciare, arg. illius capituli, 17. q. 4, si quis suadente. Tanc. et Io. dicunt quod simoniacus et intrusus non habent titulum, sed fures et invasores sunt, 1. q. 1, ordinationes; et 9. q. 1, ordinationes. Et ideo quanto plus rem tenent, tanto plus peccant. Et fur semper est in mora, ff. de condi. furt., si pro fure § penulti. Arg. quia non remittitur peccatum, et capitulum 14. q. 6, si res aliena. Unde dicunt quod renunciare possunt sine licentia Papae, quia ipsi ad hoc tenentur canonis auctoritate, 1. q. 1, si quis neque. In aliis qui titulum habent secus est, ibi necessaria est licentia Papae, ut hic dicit, arg. infra, de renunciat., post translationem § rursus, et seq. Sed littera ista contradicit, scilicet, non cuiuslibet, sed illius dumtaxat cuius executio post peractam poenitantiam impeditur. Sed haec duo crimina talia sunt, et sic videtur quod hic sit petenda licentia, quia licet titulum non habeat simoniacus, tamen videtur habere titulum, cum per electionem habuerit ecclesiam, quo ad communem opnionem habet titulum, cum occulta fuerit simonia. Unde saltem propter hoc tenetur licentiam petere. Et causa potest subesse, quia si bene administraverit, Papa de facili dispensabit cum eo, arg. infra eodem capitulo § personae vero. Satis posset hic dici, quod intrusus omnino debet cedere, quia nec quantum ad opinionem, nec quantum ad veritatem titulum habet. Quae ergo sunt crimina, quae post peractam poenitentiam impediunt executionem ordinis? Dic quod simonia est unum de illis, 1. q. 1, erga simoniacos; infra, de simon., tanta. Item homicidium infra, de temp. ord., quaesitum; et 50. dist., miror. Et de his duobus criminibus habemus expresse infra, de accusat., inquisitionis, in princ. Item secundum Io. omne peccatum quod ipso iure irrogat infamiam, 3. q. 7, infames § porro; quia licet culpa per poenitentiam tollatur, infamia tamen non aboletur, 2. q. 3, Euphemium § hic colligitur. De hoc nota infra, de temp. ord., ex tenore. In istis enim criminibus, quae post poenitentiam impediunt executionem ordinis, aut beneficii retentionem, debet episcopus petere licentiam cedendi, quia poenitere non potest nisi renunciet. In aliis vero criminibus de quibus potest poenitere remanendo in officio suo, non tenetur petere cessionem, arg. illius decretalis infra, de temp. ord., quaesitum.

Culpae
Hoc est contra illos qui dicunt omne crimen inducere irregularitatem.

Pauci
Quia res pene contra naturam est, quod quis sit sine peccato, 25. dist. § nunc autem; et 81. dist., Apostolus, in fi. Simile infra, de praeben., venerabilis.

Impotens
Talis enim morbus dicitur sonticus, quia cuique rei agendae impedimento est, ff. de re iud., quaesitum; et ff. de ver. sig., morbus.

Infirmitas
Quia fervor spiritus ad sublimiora conscendit, supra, de renunciat., litteras.

Plerumque
Nisi esset talis scientia, quam cito addiscere potest, ad quod semper tenetur episcopus, 38. dist., nullus. Unde dicit Iurisconsultus: si unum pedem tenerem in sepulchro, adhuc addiscere vellem, ff. de fideicommi. liber., apud Iulianum; 24. q. 3, si habes.

Spiritualium
38. dist., per totum.

Temporalium
86. dist., fratrem nostrum; et 39. dist., Petrus; 36. dist. § oportet. Et merito necessaria est scientia spiritualium et temporalium, quia in his alios docere debet episcopus, et ideo aliorum doctrina indigere non debet, 1. q. 7, convenientibus; et in Auth. de sanct. episc. § damus, coll. 9.

Scientiam repulisti
38. dist., omnes psallentes.

Tolleranda
Supra, de elect., cum nobis; et infra, de praeben., venerabilis.

Plebis
Simile 7. q. 1, adversitas § hoc tunc servandum; et 7. q. 1, ibi adunati.

Culpa
Subditorum, scilicet.

Fugit
23. q. 4, tres personas.

Utiliter
Quandoque enim dormire debet severitas disciplinae, 23. q. 4, ne amisso; et 23. q. 4, non potest; et 11. q. 3, quando.

Elicit
Ut 4. dist., denique. Et alibi, noli esse nimis iustus, quia iustus quandoque in iustitia sua perit, 2. q. 7, plerumque § de his; et de poen. dist. 1, serpens.

Esca
Infra, de nov. oper. nunc., cum ex iniuncto.

Distinguendum
Prout Gregorius distinguit super Ezechielem homilia 7, utrum scandalum sine peccato vitare possumus an non? Nam in quantum possumus, sine peccato scandala vitare debemus, alioquin utilius scandalum nasci permittitur, quam veritas relinquatur, infra, de reg. iur., qui scandalizaverit. Veritas enim bonae vitae vel iustitiae numquam deserenda est, veritas disciplinae quandoque. Tunc autem debet deseri veritas disciplinae quando

multitudo peccantium est in causa. Non tamen volunt defendere malum quod faciunt, arg. 44. dist., comessationes, ubi de hoc; et 50. dist., ut constitueretur; et infra, de cleri. excom., latores. Si vero defendere volunt malum quod faciunt, et excusare illud quasi ex auctoritate, tunc multitudini parcendum non est propter scandalum, de poen. dist. 6, qui vult, in fi. Arg. 82. dist., plurimos; et 7. q. 1, adversitas § cum autem, vers. ferrum quippe.

Hoc verbo
Scilicet, non omne quod in os intrat, sed quod ex ore procedit, coinquinat hominem. Tunc dixerunt Apostoli, scis quia Pharisaei quorum religio est in cibis discernendis, audito hoc verbo, etc., usque ibi, ut 11. q. 3, inter verba.

Sinite
Quasi dicat non est curandum de scandalo eorum.

Regulariter
Alias cum irregularis sit, regulariter ministrare non potest. Ex his enim quae inordinate sunt acta, non potest aliquid ordinabiliter fieri, infra, de accusat., qualiter et quando 1. Sed dic regulariter, id est, laudabiliter et utiliter.

Non potuerit
Id est, non debuerit de iure tempore suae examinationis, et sic est arg. quod illud dicimur posse, quod de iure possumus, 22. q. 2, faciat; et arg. supra, de rescript., sciscitatus. Sed debuit confiteri saltem in secreto, supra, de elect., innotuit.

Culpa
Quia non manifestavit impedimentum tempore suae promotionis. Unde imponi debet sibi poenitentia, cum dispensavit cum eo, ut sequens littera dicit. Tamen si culpa talis et causa, scilicet, irregularitas, dispensatur cum ipso propter utilitatem ipsius ecclesiae.

Latet
Arg. pro opinione illorum qui dicunt quod peccata latentia faciunt irregulares, 50. dist., sacerdos; et 50. dist., sacerdotes, a contrario sensu; et 50. dist., de his vero. Arg. 33. dist., habuisse; et arg. contra 32. q. 5, Christiana, ubi dicit latentia peccata non habent vindictam.

Et causa
Si ipsa irregularitas occulta est, dispensatur cum ipso propter utilitatem ipsius ecclesiae.

Zelotes
Id est, zelans et ulciscens peccata, vel exactor castitatis, 1. q. 3, salvator § econtra; et 33. q. 1 § quod autem.

Patet
A contrario sensu.

Manzeres
Sicut legitur in historiis, in rubrica, quibus non est fas ecclesiam Dei introire. Manzer proprie dicitur de scorto natus. Spurius de concubina. Nothus de adulterio natus. Sic dicitur nota febris quae affligit sicut quartana, et tamen non est vera quartana. Sic Nothus quia videtur verus filius, sed non est. Et omnes tales illegitimi ab honoribus repelluntur, ut supra, de elect., innotuit; et infra, de fil. presbyt., ut filii; et infra, de fil. presbyt., nimis. Naturalis dicitur natus de concubina, quae tenetur in domo quasi loco uxoris unica. Et talis in bonis patris ab intestato succedit in duas uncias paternae substantiae, si alii filii non extent, nec coniunx legitima, C. de nat. lib. et mat., authen. licet patri. Et in bonis maternis succedit cum legitimis filiis, C. ad senatuscon. Orfit., si qua § ulti.

Omittamus
Iuxta illud: otis si tollas, periere cupidinis arcus. Et alibi: quaeritur Egistus quare sit factus adulter? In promptu causa est, disidiosus erat. Et dicit Hieronymus ad monachum: semper facito aliquid boni operis, ut te diabolus inveniat occupatum, de conse. dist. 5, numquam.

Sponsam
Supra, de translat., inter corporalia; et ff. solut. matrim., si cum dotem § si maritus. Et expone sponsam, id est, ecclesiam miltantem.

Defigendo manum
Verba sunt Salomonis in parabolis loquentis de fideiussore, qui obligavit se apud extraneum, id est, apud creditorem qui est extraneus, id est, alius a fideiussore et reo principali. Sic episcopus defigendo manum, id est, per manualem obedientiam obligavit se pro ovibus suis apud extraneum, id est, creditorem, id est, apud Deum qui sibi credidit gregem suum mediantem suo metropolitano, cui obedientiam fecit manualem. Episcopus enim tenetur reddere rationem Deo pro animabus sibi commissis, si male custodierit oves suas, infra, de reg. iur., quamvis. Et expone apud extraneum, id est, apud alium, quia Deus est alius ab homine in eo quod Deus, quia Deus est creator, et homo est creatura. Vel dic quod Deus extraneus est a quocumque Christiano. Et tamen quilibet Christianus est eius filius. Filius enim dicitur esse in potestate patris quousque est emancipatus. Eum emancipato dicitur extraneus sicut quilibet alius, et tamen est eius filius. Ita Deus emancipavit hominem, cum dedit ei liberum arbitrium faciendi quodlibet bonum vel malum, et ita dictus est extraneus.

Spiritus ubi vult spirat
Unde Deo eo dicitur: tu spiras ubi vis, tua munera dividis ut vis. Scis cui des, quod vis, quantum vis, tempore quo vis.

Vias
Quia non sunt in homine viae eius, 47. dist., sicut § necesse est, in fi.

Sub lege
19. q. 2, duae sunt; et infra, de regular., licet.

Indubitanter
Quia nefas est dicere quod scriptura mentiatur, 23. q. 5, quid ergo.

Pontifex
Beatus Martinus.

Illius
Scilicet, beati Pauli Apostoli.

Flore
Id est, operibus virtutum, quia virtutem nullus potest habere sine caritate, quoniam qui habet unam virtutem in actum habet omnes. Et quia caret una, caret omnibus, 24. q. 1, ubi sana; 32. q. 1, cum renunciatur; de poen. dist. 2, si enim inquit; infra, de reg. iur., defleat.

Nihil
Iuxta illud Apostoli: si tradidero corpus meum ita ut ardeam, caritatem autem non habeam, nihil mihi prodest, de conse. dist. 4, solet; et de poen. dist. 3, si quis autem, ad finem distinctionis.

Multis
Ut 7. q. 1, ibi.

Plus
23. q. 4, quis non.

Effectus
Iuxta illud: non est in medico semper relevetur ut eger. Et quandoque est vitium materiae, non artificis, infra, de loc. et cond., propter; ff. ad leg. Aquil., si servus § si calicem; et 43. dist., Ephesiis. Nec eventus mortalitatis medico qui diligens fuit imputari debet, ff. de off. praes., illicitas § sicuti. Et sufficit diligentiam adhibere quam potest, 47. dist., quod ad nos. Et si negotium non habeat effectum, sufficit si sit utiliter coeptum, ff. de negot. gest., sed an ultro § 1; licet secus sit in negotiis pupilli, ff. de negot. gest., si pupilli, in princ.; et ff. de negot. gest., litis.

Maria
De qua dicitur, Maria vile forum, vas septem daemoniorum, plorans immodice fit apostola de meretrice.

Illa
Scilicet, vita contemplativa.

Secura
Ergo potius amplectanda, nam tenere certum et dimittere incertum debemus, de poen. dist. 7, nullus; ff. de ritu nupt., adoptivus § 1. Sed utraque est certa.

Ista
Scilicet, activa vita.

Liae
Lia lippa erat oculis, quae quatuor filios genuit ex Iacob, sed Rachel duos tantum, scilicet Ioseph et Beniamin.

Legislatoris
Scilicet, Moysi, 36. dist., si quis vult.

Quapropter
Id est, propter quam causam.

Ad praesulatum
18. q. 1, statutum.

Divertenti
Id est, accedenti.

De licentia
Qui petit licentiam et obtinet compelli debet ut cedat, infra, de renunciat., quidam.

X 1.09.11. *Post translationem*

Liberam
Et ideo potuit eligere undecumque. Et nota quod qui potest eligere potest postulare, supra, de elect., in causis. Sed econtrario arg. ff. de ritu nupt., generali. Hic expresse habetur quod uni potest committi potestas eligendi; simile supra, de elect., causam quae.

Postulandum elegit
Simpliciter eligi non potuerat, quia erat de alia ecclesia, 63. dist., litteras; et 71. dist., fraternitatem. Sed in postulandum eligi potest, 63. dist., Valentinianus. Quia episcopus fuerat, ideo non eligi sed postulari debet. Et haec fuit causa quare fuit postulatus, et non illa, quia de alia ecclesia, ut dixit Io. De hoc dicitur supra, de elect., cum inter canonicos.

A priore
Et a capitulo, quia solus prior non posset personam alienare; arg. 12. q. 2, sine exceptione; et 19. q. 3, statuimus. Cum maior sit alienatio personae quam rerum, 12. q. 1, praecipimus. Si autem nollet dare ipsum, compelli debet per superiorem, infra, de iure patron., nullus. Nisi iustam habeant causam non dandi, tunc compelli non debent, 63. dist., litteras; et 71. dist., illud; et 71. dist., de aliena.

Concilii Constantinopolitani
7. q. 1, hoc nequaquam.

Et quatuor
Et sunt haec, scilicet, Nicenum, Constantinopolitanum, Ephesinum primum, et Chalcedonensem, 15. dist., sicut.

Cessante
Arg. est hic quod cessante causa cessat effectus, ut 1. q. 7, quod pro remedio; et 1. q. 1, quod pro necessitate; et 55. dist., priscis; et 61. dist., statuimus § his omnibus; et 61. dist., neophytus; infra, de appell., cum cessante. Arg. contra 32. q. 1, dixit Dominus; 19. q. 2, duae sunt. Solutio: si per causam fiat dispensatio vel aliquid consimile, cessante causa, cessat quod factum est ex causa, ut in primis capitulis. Si vero ius commune statuitur ex causa, licet causa cesset, tamen remanet ius quod statutum fuit ex illa causa, ff. de postulan., hunc titulum § sexum; ut in contrariis. Vel sic, licet causa impulsiva cesset, remanet ius quod ex ea statutum est, contra 32. q. 1, dixit domnius. Si finalis est causa, quamdiu durat causa, durat quod ex ea causa statutum est, vel quod ex illa causa fit. Ea vero cessante cessat constitutum ex illa causa, contra 32. q. 7, usque adeo. Vel cessat quod ex ea causa constitutum est quando in constitutione dictum est, quod causa cessante cessat constitutio, ut in primis concordantiis.

Caeco
Unde versus: si caecus caecum conatur ducere secum // in foveam ductor primus cadit, inde secutor.

Deserendo
Supra, de renunciat., nisi § pro defectu.

Parentum
Data pecunia vel promissa, 1. q. 5, quaecumque; et 1. q. 5, praesentium.

Dimittens
Statim cum illum scivit primo petita et obtenta licentia a domino Papa, ut hic dicit. Et sic non potest renunciare sine licentia Papae, quamvis simoniacus, alias ratihabitio retro sibi praeiudicat, infra, de simon., sicut tuis; vel infra breve tempus, 1. q. 1, constat; et infra, de regular., si quis. Quod in maleficiis verum est, ff. de vi et de vi arm., praetor ait § quotiens; 34. q. 2, si virgo; C. de transaction., quamvis; et C. quom. et quan. iud. sent. prof., ab eo.

Nequeat
Quia erga simoniacos nulla misericordia est adhibenda, 1. q. 1, erga simoniacos; et 7. q. 1, praesentium; et supra, de elect., super eo; 1. q. 1, quod quidam; et infra, de simon., nobis. Sed contra videtur quod possit cum simoniacis dispensari, ut 1. q. 5, quicumque; et 1. q. 1, praesentium; et infra, de simon., de simoniace; et supra, de elect., si alicuius. Solutio: Vincen. dicit quod talis de iure non potest eligi sive postulari, sed dispensative debet postulari. Alii dicunt quod si commissa fuit simonia in ordine, nullus potest cum eo dispansare, ut 1. q. 1, erga; et 1. q. 1, quod quidam. Nec etiam dominus Papa, ut dicunt, quia characterem habet vitiosum, cui renunciare non potest. Et ideo non purgatur vitium illud, ut 14. q. 6, si res aliena. Sed hoc non credo, immo potest Papa bene

dispensare cum simoniacis qui characterem habent vitiosum, qui scienter simoniam commiserunt, infra, de simon., si quis ordinaverit. Sed inferiores praelati non possunt dispensare cum sciente, sed Papa. Hoc ideo quia bene purgatur vitium furti, re furtiva apud furem remanente de voluntate domini, ff. de usucap., si fur, in princ.; et 1. q. 1, quod quidam, vers. si forte militiae characterem; et 1. q. 1, idem in violento detentore; ff. de preca., certe § Iulianus. Sed cum simonia commissa est ignorante illo cui acquisitum est beneficium, vel qui ordinem vel dignitatem adeptus est ignoranter, possunt episcopi dispensare post liberam resignationem. Sed in hoc distingue, si beneficium etiam simplex eo modo est adeptus, statim post resignationem potest resumi ad illud dispensative, ut supra, de elect., si alicuius, in fi. Et capitulum etiam tunc dispensat, ut infra, de simon., ex insinuatione. In illo qui dignitatem sic est adeptus, distingue si sponte resignet, petens humiliter resignationem admitti, statim potest episcopus dispensare cum illo, et ad eandem praelaturam, arg. 1. q. 5, praesentium, ubi dispensatur in dignitate assumenda cum eo qui sponte renunciavit ordini ignoranter recepto, et arg. illius capituli 1. q. 5, quicumque, circa princ. Tamen illud loquitur de dispensatione Papae. Et arg. illius decretalis supra, de elect., si alicuius, a contrario sensu. Si vero de hoc contendit in iudicio, et electio sua reprobata fuerit, quia simoniace fuit facta, licet eo ignorante, tunc episcopus illa vice et in sua vacatione cum eo non poterit dispensare, sed postea sic, supra, de elect., si alicuius, in princ. Et ita teneas circa huiusmodi dispensationem simoniacorum.

Loquitur
Haec interpretatio est super capitulo illo 7. q. 1, hoc nequaquam, exclusis opinionibus ibi notatis.

Non valebat
1. q. 1, si quis neque. Ex hoc colligo quod simoniacus sine licentia domini Papae renunciare non potest. De hoc nota supra, de renunciat., nisi § 1.

Dimisit
7. q. 1, quam periculosum.

Locum tantum
Infra, de ordin. ab ep. qui ren. epi., requisivit.

Ordinem
Id est, ordinis executionem, quia characteri nemo posset renunicare.

Ex praemissis causis
Quatuor, de quibus dictum est supra in littera, scilicet, propter populi persecutionem, vel corporis infirmitatem, defectum scientiae, vel propter simoniam ab aliis eo ignorante commissam. Cum quis renunciat propter aliquam causam talem, non prohibetur iterum postulari ad dignitatem episcopalem, ut hic dicit.

Ordini
Id est, ordinis executioni. Sed quod si renunciasset ordini, adhuc potest reassumi de licentia Papae, numquid reconsecrabitur? Non, quia characterem retinuit, 1. q. 1, quod quidam, vers. si forte militiae; 32. q. 7, licite. Et ideo sola executio sibi deest, quam reassumit de licentia Papae.

Alioquin
Id est, si non renunciavit ex aliqua de praedictis causis quae fiunt sine peccato, sed ex alia propter peccatum.

Durum
Non tamen impossibile, quia bene dispensat dominus Papa contra quatuor concilia, et contra Apostolum, dum tamen nihil statuat contra fidem, 25. q. 1, sunt quidam; arg. 34. dist., lector; 82. dist., presbyter. Quod autem legitur 15. dist., sicut, de articulis fidei intelligitur.

X 1.09.12 *Quidam cedendi*

Cedendi cum instantia
Ex eo quod cum instantia perseverando petunt, praesumitur contra eos magis, de poen. dist. 1, divortium; et C. ad Velleia., si mulier, in fi. Sic etiam pallium cum instantia peti debet, 100. dist., prisca; et ff. de quaest., in criminibus § divus.

Compellendos
Nota quod aliquis cogitur renunciare obtenta licentia renunciandi, tamen secundum leges re integra recuperabuntur bona quibus cessit, ff. de cess. bon., his qui. Sed hoc ideo est ne illudatur Papa, sicut si postulatio praesentatur Papae, non potest postea recedere ab ea, supra, de postul. praelat., bonae 2. Ratio quare compellantur, redditur in littera. In huiusmodi compulsione, consideret Papa commodum ecclesiae, vel propriam salutem petentis, quorum neutrum vult impediri, et ideo compellitur.

X 1.09.13 *Veniens*

Negante
Et sic per negationem facta fuit res dubia, C. quib. ad lib. proc. non lic., si quis. Et sic per narrationem et responsionem litis contestatio facta fuit, infra, de litis contest., olim; et supra, de elect., dudum ecclesia.

Commisisse
Et sic commisit se gratiae capituli tantum. Sed in veritate non erat probatum quod per hoc litteris renunciasset, quare ipsorum sententia retractatur, quia et si verum esset quod se eorum gratiae commisisset, non videtur renunciasse litteris, nisi expresse litteras ipsas restituisset, supra, de renunciat., sane; et infra, de pact., cum pridem. Et si commisit se illorum gratiae, et ipsi nullam gratiam faciebant, poterat uti iure suo. Et est simile, licet eamus ad arbitros in causa appellationis, propterea non renuncio appellationi, immo postea possum prosequi appellationem, nec mihi currit tempus interim, C. de temp.

appel., authen. si tamen. Nec inde debet damnum substinere, unde meruit gratiam reportare, supra, de renunciat., sane; et infra, de fideiuss., pervenit; et infra, de pact., cum pridem. Sed contra videtur quod tacite videtur renunciasse litteris suis, infra, de offi. deleg., gratum; et infra, de testib., cum venisset; et infra, de his quae fi. a maior. par. cap., ex ore; et infra, de praeben., pro illorum; et C. de iure dot., si stipulatio; ff. de lege comm., post diem. Et nihil refert an alterum ex aequipollentibus quis faciat, ff. de re iud., in summa; et ff. de recepti., quid tamen § 1; et infra, de verb. sign., in his. Dic quod per hoc non renunciavit per prima iura, et quia cassata fuit illa sententia. Simile videtur supra, de renunciat., sane; sed ibi plus petit tradendo litteras adversarii, quare iuri suo renunciavit, hic non tradidit litteras, licet commiserit se gratiae adversarii. Unde ibi auditus fuit potius iudicis officio quam iure actionis, hic vero ipso iure, vel ibi auditus fuit de iure, ut dicitur ibi in fine ultimae notulae.

Duo iudices

Et propter hoc solum etiam debuit cassari sententia, cum non appareat quam tertius se excusasset, vel commisisset eis vices suas, infra, de offi. deleg., causam matrimonii; et ff. de re iud., duo ex tribus. Sed si se excusavit, bene potuerunt procedere, infra, de offi. deleg., prudentiam. Quod intellige sic, clausula illa, quod si non omnes, etc., erat in litteris, sed ex alia causa fuit cassata sententia. Et mandatur iudicibus istis ut praebendam illam faciant conferri, ut dicitur in integra in fine.

Renunciasse iuri

Arg. quod per litteras executorias acquiratur ius alicui impetranti, si non acquireretur ius, quia ei quod non est, etiam renunciari non potest. Dicas quod per litteras monitorias, praeceptorias sive executorias nullum ius acquiritur, per quod ecclesia sive clerici contra quos impetrantur litterae, obligati sint impetranti, nec aliquod ius habet in ecclesia ante receptionem, sed officium executorum implorare potest ut mandatum Apostolicum exequantur. Et ipsi mandatum tenentur adimplere. Et huic officio bene posset renunciare restituendo litteras, et renunciando litteris impetratis et etiam impetrandis. Quo facto executores ulterius non procedent. Et sic nec officium iudicis, nec aliud per litteras illas implorare poterat. Huic officio non fuit renunciatum, supra, de renunciat., sane. Cum iam executor fuerit prosecutus officium suum, sed litteras tantum restituit, quarum auctoritate fuerat restitutus. Et inde non obfuit renunciatio litterarum, et ideo de iure fuit auditus, ut notatur in fine ultimae notulae. Ber.

Praefixit

Quod quidem bene potuit, et iudex idem facere potest et debet, infra, de appell., oblatae; et infra, de appell., saepe; et terminum praefixit. Et tunc esset in curia, ut sequitur. Quandoque statuitur ad iter arripiendum, et tunc sufficit arripere iter in termino, infra, de appell., pervenit 2. Et in istis casibus litterae ante terminos impetratae non valent, ut dicit illa decretalis infra, de appell., oblatae; et infra, de appell., saepe. Terminus vero datus a lege est annus, vel ex iusta causa biennium, infra, de appell., cum sit Romana. Et talis terminus bene potest praeveniri, ut in capitulo infra, de appell., oblatae.

Minus sufficiens
Sed non videtur quod fuerit contumax ex quo misit nuncium ad impetrandum et contradicendum, cum ipse non appellaverit, sed ille Iohannes, contra quem lata sententia fuit. Et ideo non debuit sententia contra ipsum ferri, licet forsitan posset in expensis condemnari. Unde contra infra, de appell., Nicolao, ubi condemnatur appellans in expensis, quia non fuerit prosecutus nisi quo ad impetrandum. Et ibi non fuit processum super principali. Potest dici quod in illa decretali infra, de appell., Nicolao, hoc non fuit petitum. Ille Nicolaus tantum petiit alteram partem in expensis condemnari, quia non miserat sufficientem procuratorem. Hic vero petiit, ut procederetur ad sententiam informandam. Vel melius, hic fuit lis contestata, et sententia diffinitiva lata. Et ideo cum statutus esset terminus ad prosequendam appellationem, et altera pars non fuerit sufficienter prosecuta ad sententiam defendendam, contumax debet reputari, sive sit pars appellata sive appellans, quia iudex appellationis altera parte absente debet procedere ad cassandam vel confirmandam sententiam, C. de temp. appel., cum anterioribus § illud; 2. q. 6, ei qui § appellatore; et infra, de appell., per tuas, ubi de hoc est expressum, qui a non misit nuncium sufficientem, sibi imputet. Nec potest dici quod citata non fuerit, quia terminus constitutus ad appellationem prosequendam ab appellante vel iudice, vicem obtinet peremptorii, ut eo elapso perinde procedatur ac si peremptorie sit citatus, infra, de appell., saepe. Et nota quod hic appellatus tenetur mittere nuncium sufficientem ad appellationem prosequendam, si terminus sit praefixus a iudice vel ab appellante, et appellans eodem modo, alias finietur causa altero prosequente legitime. Et hoc est cum lis est contestata, et appellatur a diffinitiva sententia, sive post litem contestatam, ut hic habes; alias in expensis punitur, ut dicit illa decretalis infra, de appell., Nicolao, quia ibi non fuit lis contestata, et appellatum fuit a gravamine. Unde non poterat procedi ad sententiam altera parte absente. Unde punitur tantum in expensis, quia non venit sufficienter instructus. Si vero appellatio ante litem contestatam a iudice recepta non fuit, nec ab adversario approbata. Tunc sufficit appellanti mittere procuratorem ad impetrandi et contradicendum, infra, de appell., interposita § 1; salvo eo quod dicitur infra, de appell., extravag. cordi. Sed cum appellatur a sententia diffinitiva, non refert utrum appellatio approbetur ab adversario vel iudice, salvo eo quod dicetur infra, de appell., extravag. cordi. Sed considerantur utrum terminus sit praefixus a iudice, vel ab appellante. Et tunc utraque pars tenetur mittere sufficientem procuratorem ad totam causam, ut hic patet. Alias procederetur contra absentem tamquam contumacem, ut hic patet, et infra, de appell., interposita.

X 1.09.14 *Lectae*

Desperaretur
Sic infra, de regular., sicut tenor.

Consilium
De quo tenebatur ille aemulus actione de dolo, si fraus intercessit, ff. de regul. iur., consilii. Et contra illum potest agi de dolo quanti eius interfuit id factum non esse, ff. de dolo mal., arbitrio § dolo. Et hoc verum est si fuisset solvendo. Sed hoc non esset, si vera renunciatio fuisset. Unde in eo casu debet restitui ad pristinum ius, ff. de dolo mal.,

et eleganter § penulti.; et ff. de eo per quem fac. erit, ex hoc edicto. Hic ista cessant, quia non fuit hic renunciatio cum effectu.

Non fecit
Et ideo voluntas talis non obfuit, quia non processit ad factum simile. Voluntas non sufficit ubi opus est facto, infra, de eo qui mitt. in poss. caus., constitutis. Et arg. infra, de re iudic., cum aliquibus. Sed contrarium videtur quod tacite videtur iuri suo renunciasse, infra, de his quae fi. a maior. par. cap., ex ore, ubi ipso facto videtur renunciasse, sicut ipso facto Deum negamus, 11. q. 3, existimant; ipso facto mentimur, 22. q. 5, cavete; et ipso facto appellamus, infra, de appell., dilecti filii 2; et infra, de appell., ut nostrum. Et eo ipso quod quis salutat praelatum, consentit in illum, quem non potest reprobare, 63. dist., cum Hadrianus. Nec est opus scripto qui obedientiam suam ipso voluntarii adventus probat officio, infra, de maior. et obed., legebatur. Contrarium tamen verum est, quod propter hoc non renunciavit.

Promiserunt
Et sic videtur reassumpsisse obedientiam a qua illos absoluerat, tali modo non poterat, cum esset praelatus eorum, sine licentia episcopi sui, 18. q. 2, abbas pro humiliatione; et 18. q. 2, nullam; et supra, de renunciat., admonet; cum sit de substantia regulae ipsa obedientia, infra, de maior. et obed., cum in ecclesiis. Item arg. quod re integra licitum est poenitere, supra, de elect., in causis; et ff. de iuris., si convenerit.

X 1.09.15 *Dilecti filii*

Insufficientem
Propter insufficientiam debet removeri, 18. q. 2, si quis abbas. Item propter negligentiam praelatus repellitur, 1. q. 1, si qui episcopi § ecce cum honoris; et iudex similiter, C. de off. praef. praet. Orien., si quos. Et sic bene debet admitti renunciatio, si fiat debito modo propter insufficientiam, supra, de renunciat., nisi § pro defectu, in fi.; et supra, de renunciat., post translationem § item. Et Papa hic admittit illam propter negligentiam, infra, de offi. custod., custos ecclesiae. Et magister propter insufficientiam debet removeri a docendo, C. de prof. et med., grammaticos seu oratores, lib. 10.

In manibus
Quia ad quem pertinet confirmatio, ad ipsum pertinere debet resignatio, 18. q. 2, abbas pro humiliatione. Et ideo talis renunciatio non tenuit, arg. supra, de renunciat., quod in dubiis. Sed quantum ad se bene tenuit, quia non posset repetere. De hoc dictum fuit supra, de renunciat., quod in dubiis. Tamen compellitur postea cedere, sed hoc contingit propter insufficientiam.

Cedere
Nec ad aliam abbatiam se transferre, supra, de consuet., cum venerabilis.

Electionem
Si non tenuit renunciatio, non tenuit electio. Sic si aliquis non est legitime destitutus, alius in locum illius non fuit legitime institutus, 3. q. 6, haec quippe; et infra, de accusat.,

ad petitionem; simile 81. dist., tantis; et 7. q. 1, praesentium. Item arg. quod si principale non tenet, nec id quod ex eo secutum est, infra, de fide instrum., inter dilectos; et C. de legi. et const., non dubium. Ber.

X 1.10 DE SUPPLENDA NEGLIGENTIA PRAELATORUM

X 1.10.01 *Statuimus*

Substitutos
Et confirmatos, quia ante nihil facere vel disponere possunt, supra, de elect., nosti.

Benedicere
Arg. quod aliquis potest dare quod non habet, C. de testam. manum., constitutio, vers. fi.; arg. C. de iure emphyt., cum dubitabatur; arg. ad hoc supra, de elect., suffraganeis; et ff. de acq. rer. dom., non est novum; et ff. de usufru., quod nostrum non est. Arg. contra infra, de iure patron., quod autem, in fine; et infra, de don. int. vir. et uxor., nuper; et ff. de regul. iur., nemo; et ff. de acq. rer. dom., traditio; et 1. q. 7, Daibertum; et ff. de off. procon., observare, in fine.

Alia
Scilicet, ut conferant lectoratum in proprio monasterio, infra, de aetat. et qualit., cum contingat; et arg. 69. dist., quoniam. Si tamen presbyteri sint, ut ibi, cum et illa impositio manus non sit nisi quaedam benedictio, ut 1. q. 1, manus. Sed qualiter possunt hoc facere ante suam benedictionem? Dic quod in odium episcoporum dominus Papa hoc concedit per ipsam constitutionem, ne propterea in spiritualibus vel aliis patiantur monasteria detrimentum propter negligentiam episcoporum. Similem indulgentiam habes supra, de elect., nihil est § ulti.

X 1.10.02 *Sicut nobis*

Nituntur
Quod facere non possunt, nam ad privatum commodum trahi non debent, quae ad communem utilitatem praefixa sunt, 25. q. 1, quae ad perpetuum; et infra, de offi. archipresb., ut singulae. Et arg. ff. pro soc., actione § Labeo; et infra, de praeben., ratio.

Concessionis
Concessio episcopi sine consensu capituli vel maioris partis non sufficit ut possit transferre ecclesiam vel fructus ipsius ad regulares, infra, de dona., pastoralis; et infra, de his quae fi. a prael., cum nos.

Destituunt
In ecclesiis quae ad eos pleno iure non spectant, instituere vel destituere non possunt presbyteros. Sed illos debent episcopis praesentare, ut ipsi episcopi de cura plebis respondeant, et monachis de rebus temporalibus exhibeant rationem, infra, de praeben., in Lateranensi; et infra, de privileg., cum et plantare § in ecclesiis. Sed si pleno iure ad eos

pertineant, tunc possunt instituere et destituere, 16. q. 2, visis; et infra, de praescrip., cum olim; et infra, de privileg., quoniam.

Pensionibus
Novis, quod non licet, infra, de censib., prohibemus.

In paupertate
Magna, quod non possunt honeste Deo servire, quia cum ad utrumque festinant, neutrum bene peragunt, 16. q. 1, presbyteros; et C. de assessor., nemo.

In episcopalibus
Scilicet, in procurationibus, 10. q. 3, cavendum; et 10. q. 3, relatum; et in 10. q. 3, illud. Si episcopus donet ecclesiam monachis, cathedraticum ibi debet habere, infra, de dona., pastoralis. Et tantum debent sacerdotes monachorum habere, unde iura episcopalia solvere valeant, et hospitalitatem servare, et vitam suam honeste habere, ut hic dicit, et infra, de praeben., de monachis.

Hospitalitatem
Tenentur enim clerici ad illam hospitalitatem, quae continet officium pietatis, 42. dist. § hospitalem; non ad illam quae fit ex debito servitutis, C. de episc. et cler., iuxta sanctionem; infra, de immun. eccl., ut in domibus.

Tua
Quia tunc nihil habet episcopus, infra, de privileg., cum et plantare § in ecclesiis; et infra, de praescrip., cum olim; et infra, de privileg., quoniam.

Praedictos excessus
Ergo si exempti sunt, episcopus illorum excessus punire non poterit, arg. 16. q. 1, frater noster. Aliter inutile esset illorum privilegium, quia privilegia ita sunt servanda, secundum quod continetur in illis, infra, de privileg., porro. Quid iuris sit de hac materia, tractatur infra, de privileg., tuarum; et infra, de privileg., cum et plantare; et 6. q. 3, placuit.

Lateranensi concilio
Infra, de concess. praeben., nulla.

In posterum
Per istam enim ordinationem non fit eis praeiudicium in alia proxima praesentatione, nisi hac vice tantum, arg. supra, de elect., cum in cunctis. Et nulla admonitio est hic necessaria, quia tempus ipsos admonet, infra, de loc. et cond., potuit; et C. de iure emphyt., cum dubitabatur; et C. de contrah. et comm. stip., magnam.

X 1.10.03 *Licet magister H.*

Licet magister
De archidiaconatu isto habes infra, de concess. praeben., post electionem.

Videamur
Arg. quod ordinata caritas a se incipit, de poen. dist. 3, sane; arg. 23. q. 5, si non licet; et supra, de auctor. et usu pal., nisi, ubi de hoc.

A notitia
Sic ergo patet quod tempus istud currit a tempore scientiae tantum, infra, de concess. praeben., quia diversitatem, in fi. Arg. tamen est quod currit ab eo tempore quo scire potuit, ut ff. quis ord. in poss. ser., cum filio. Arg. contra ff. de pet. hered., item veniunt § petitam. Quod prius dictum est, valet.

Imponatis
Hic evacuatur opinio illorum qui dicunt quod mora in electionibus possit purgari, quae consuevit notari infra, de concess. praeben., nulla. Nam hic fuit nulla electio, quia fuit facta post sex menses, infra, de supp. neg. prael., dilecto. Et capitulum sequens non obstat, quia illud fuit tolerantia, et sic planum est quod dicitur per totum titulum istum.

X 1.10.04 *Litteras vestrae*

Patientia
Ita de iure talis ordinatio non valebat, supra, de supp. neg. prael., licet; et infra, de supp. neg. prael., dilecto. Nam multa per patientiam tolerantur, quae si in iudicium venirent, cassarentur, infra, de praeben., cum iamdudum. Et sic nota quod sola patientia dat hoc ius talibus institutis, non ex illa institutione ex tunc, sed ex nunc ex tali patientia, sic ff. de off. procon., observare, in fi. Simile 2. q. 1, in primis. Ber.

X 1.10.05 *Dilecto filio P.*

Communiter
De iure communi electio spectat simul ad capitulum et episcopum, ut potest hic colligi, et infra, de concess. praeben., postulastis; et infra, de his quae fi. a prael., ea noscitur. Et ideo cum omnes simul sunt negligentes, transfertur eligendi potestas ad superiorem, ut hic, et infra, de concess. praeben., postulastis. Et sicut alia tractare debent communiter, infra, de his quae fi. a prael., per totum. Ita et electio debet fieri communiter nisi consuetudo repugnet, supra, de elect., cum ecclesia, in fi., ubi de hoc. Et ita si capitulum per se confert beneficia, vel quandoque episcopus per se illud tantum fit de consuetudine singulari, ut infra, de his quae fi. a prael., ea noscitur. Sicut vides quod in quibusdam locis eligit capitulum, et in quibusdam locis eligit episcopus, unde soli consuetudini ascribendum est. Et talis consuetudo rationabilis est, et ideo potest praescribi de tali potes intelligere et de consimilibus, supra, de consuet., cum tanto, in fi. Huic quod dixi, contradicere videtur 16. q. 7, nullus omnino. Sed illud intelligas secundum ea quae dicta sunt. Et hanc consuetudinem approbat concilium Lateranense, infra, de concess. praeben., nulla, ubi habetur quod quandoque ad capitulum spectat collatio praebendarum, dignitatum, et cura animarum, quandoque ad episcopum. Et tunc unus supplet negligentiam alterius, ut ibi dicitur. Et illud non potest intelligi nisi de consuetudine; de iure communi non.

Irritam
Et sic patet quod mora in talibus purgari non potest, quia talis electio nulla est, ut hic dicit. De hoc dictum est supra, de supp. neg. prael., licet.

X 1.11 DE TEMPORIBUS ORDINATIONUM

X 1.11.01 *Subdiaconos autem*

Romano
Et ita patet quod ab aliis attentari non possunt quae sibi tantum Romanae ecclesiae reservavit; simile supra, de translat., inter corporalia; et supra, de translat., cum ex illo; et supra, de elect., quod sicut § super eo. Et est arg. quod consuetudo Romanae ecclesiae ad consequentia trahi non debet ab aliis; arg. contra 12. dist., non decet; et 12. dist., praeceptis; et de conse. dist. 1, basilicas; C. de aedif. priv., cum dubitabatur. Et quod Romae sit spectandum est, ff. de off. praet., sed licet. Et secundum quod Papa facit, et nos facere debemus, infra, de re iudic., in causis; et eadem ratio quae movet ipsum, movere debet alios iudices, supra, de rescript., super litteris; arg. optimum Inst. de satisdat. tutor. § neque, in fi. Solutio: quae Romana ecclesia servat et docet alios observare, ad illa servanda tenentur subditi eius, quae vero in signum privilegii sibi tantum servavit, nullus alius sine sua speciali licentia attentare debet. Quae sint illa dicitur infra, de offi. legat., quod translationem.

Virgines
20. q. 1, devotis. Contra ubi dicitur non nisi in die Epiphaniarum, in Albis pascalibus et natalibus Apostolorum virgines sunt velendae, adde ibi et hoc quod dicitur hic, et hoc quod ibi, et ita alterum per alterum suppletur.

X 1.11.02 *Sane super eo*

Quatuor temporum
Supple et extra sabbatum Sanctum, et in sabbato hebdomadae mediae Quadragesimae, infra, de temp. ord., de eo, quia tunc licet.

Ad sacros
Ad minores potest diebus dominicis et aliis diebus solemnibus, infra, de temp. ord., de eo. Tamen si secus fiat, characterem recipiunt, infra, de temp. ord., consultationi.

Multitudo
Arg. quod multitudo dispensationem inducit, 50. dist., ut constitueretur; et 1. q. 7, quotiens 2; et 44. dist., comessationes; et 23. q. 4, non potest, vers. ob populum multum crimen pertransit inultum. In multitudine tamen illis non parcitur, quod magis causam delicti esse constiterit, infra, de cleri. excom., latores. Et ita propter scandalum aliquid omittitur impunitum, cum alias non esset omittendum, quod fieri potest si veritas non offenditur, quae triplex est, scilicet iustitiae, infra, de reg. iur., qui scandalizaverit; veritas doctrinae suae disciplinae, 11. q. 3, quando ergo; veritas bonae vitae, 22. q. 2, primum, in

princ.; et 32. q. 5, ita ne. Haec numquam dimittenda est propter scandalum, 11. q. 3, inter verba, sed veritas iustitiae et veritas doctrinae sive disciplinae quandoque omittitur propter scandalum, puta quando multitudo est in causa, ut hic dicitur. De hoc dicitur supra, de renunciat., nisi § pro gravi quoque. Veritas iustitiae ad iudicem, doctrinae sive disciplinae ad praelatum, bonae vitae ad quemlibet pertinet, unde versus: est verum vitae doctrinae iustitiaeque. // Primum semper habe duo propter scandala linque.

Antiqua
Arg. quod consuetudo excusat in delictis, arg. 32. q. 4, obiiciuntur; et 4. dist., denique. Arg. contra infra, de simon., non satis; et infra, de eo qui dux. in matr. quam pol. per adult., cum haberet; supra, de consuet., cum tanto, 1. resp. Solutio: consuetudo sive multitudo excusat a poena temporali, quae propter scandalum imponi non potest, sed a poena aeterna non excusat, immo amplius accusat, ut dicunt contraria et non minus ardebunt qui cum multis ardebunt, 2. q. 1, multi, in fine. Vel dic quod consuetudo excusat in his quae sunt contra ius positivum, dum tamen sit rationabilis et praescripta, supra, de consuet., cum tanto, in fi. In his vero quae sunt contra ius naturale, nullo modo nec ulla consuetudo excusat, ut ibidem primo responso.

Deponerentur
Ab executione et suspensi haberentur, cum tamen recepissent characterem ut infra, de temp. ord., consultationi.

X 1.11.03 *De eo autem*

Aut duos
Numquid plures? Utique dummodo non videatur generalis ordinatio.

Ad minores
Et sic videtur quod omnes ordines possit aliquis simul recipere ex eo quod dicit, potest promovere unum ad minores, quia indeterminate dixit ad minores, de omnibus potest intelligi, 19. dist., si Romanorum, in fi.; de privileg., quia circa; quod satis potest concedi, et de facto obtinet, ut hic, et infa, de eo qui furt. ord. recep., cum H; nisi consuetudo repugnet quae scandalum generaret. Consuetudo enim ea quae licita sunt reddit illicita, infra, de cleri. coniug., cum olim; et infra, de cognat. spir., super eo.

Sabbato
Ut 75. dist., ordinationes 2. Non ergo die dominica, infra, de temp. ord., litteras. Etiam continuato ieiunio, ut quidam dicebant.

X 1.11.04 *Ex tenore tuarum*

Adeo deliquit
Puta periurium vel adulterium commisit, ut infra, de temp. ord., quaesitum.

Utatur

Nota ergo quod dicit hic quod criminosus acta poenitentia potest promoveri et in susceptis ordinibus ministrare; arg. ad hoc 34. dist., fraternitatis; 50. dist., quia tua; et.50. dist., domino; et 50. dist., ponderet, et in pluribus aliis. Arg. contra 25. dist., primum; et 1. q. 7, si quis omnem; et 48. dist., quoniam. Solutio: quidam dixerunt quod si promotus non est, nullos modo debet promoveri, per capitula proxime dicta. Haec fuit rigida opinio, quia res pene contra naturam est, ut aliquis sit sine peccato, 25. dist., unum § nunc autem. Unde videtur idem dicendum circa promotos et promovendos, facilius tamen impeditur promovendus quam deiiciatur iam promotus, 15. q. 1 § sicut ergo. Circa promotos Anto. et Tanc. distinguunt quod quatuor consideranda sunt. Primum, scilicet, quantitas criminis, utrum videlicet sit enorme vel mediocre, et in hoc consideratur quantitas criminis. Secunda est quae est qualitas crimnis, utrum sit occultum vel manifestum. Tertium est modus publicationis, an sit videlicet publicum per operis evidentiam, vel per iudicis sententiam, vel per spontaneam confessionem in iudicio. Istis tribus modis notorium fit crimen, infra, de cohab. cler. et mul., quaesitum. Quartus est satisfactio poenitentis, videlicet an egerit veram poenitentiam vel simulatam. Si crimen est enorme et manifestum, ut simul concurrant quantitas et qualitas criminis, deponitur, nec umquam restituitur post quantumcumque poenitentiam, 50. dist., miror. Si vero enorme et occultum, in eo casu monendus est ut abstineat et non cogendus, quia solum Deum habet ultorem, quia latentia peccata vindictam non habent, 32. q. 5, Christiana. Et acta poenitentia poterit officio uti, et ad maiores ordines ascendere ut hic, et infra, de simon., ex tuae; praeter reos homicidii, infra, de temp. ord., quaesitum, ubi exemplificantur crimina talia. Si vero mediocre fuerit et occultum, acta poenitentia vel parte eius poterit remanere in officio suo, et ad maiores ordines promoveri fortius quam in alio casu, 50. dist., de his vero. Si mediocre et manifestum, si convictus est in iudicio vel timore probationum confessus, in eo casu deponitur, 81. dist., si quis clericus. Si vero publicum est per operis evidentiam, vel spontaneam confessionem, tunc acta poenitentia poterit cum eo misericorditer agi secundum quod visum fuerit episcopo, quandoque plus vel minus, 15. q. 8, si quis presbyter; 50. dist., presbyterum. Et hoc totum intelligas cum veram poenitentiam egerit et non simulatam, quia si simulatam, non restitueretur, 50. dist., ut constitueretur.

Occultum

Et sic probatione cessante, vindictae ratio conquiescit, 32. q. 5, Christiana. Et secretorum Deus iudex et cognitor est, 32. dist., erubescant; et 2. q. 5, consuluisti. Et solum Deum habent ultorem, C. de reb. credit., iurisiurandi.

Prohibere

Etiam si in crimine teneantur prohibendi non sunt, sed commonendi, infra, de temp. ord., quaesitum. Arg. contra infra, de temp. ord., ad aures. Solutio: hic loquitur de saeculari, ibi de regulari qui propriam voluntatem non habet, 12. q. 1, non dicatis; et 12. q. 1. nolo. Vel illud propter scandalum praelatorum, hic nullum scandalum. Vel melius istud cum quis petens ordines, habet ius petendi ratione tituli quem habet vel dignitatis, illud cum ius petendi non habet, et ideo praelatus suus qui novit secreta sua, potest eum repellere, arg. infra, de spons., praeterea 2.

X 1.11.05 *Ad aures*

Praelati
Id est, abbates vel priores regulares, large sumpto vocabulo, infra, de verb. sign., quamvis.

Obedientiam
Et ita patet quod minores suis praelatis obedientiam servare debent, arg. 100. dist., contra morem; et 19. dist., in memoriam; et 8. q. 1, sciendum; ff. de re milit., desertorem § in bello; 11. q. 3, absit. Arg. contra, quia non est semper obediendum, 12. dist., non liceat; 15. q. 6, iuratos; 11. q. 3, non semper; C. de decur., omnes, lib. 10, in fi.; et infra, de temp. ord., dilectus. Solutio: si praelatus excommunicet, sive iusta sit sententia sive iniusta, obediendum est sententia, 11. q. 3, sententia pastoris; et 11. q. 3, si episcopus forte; nisi in duobus casibus, infra, de sent. excom., tua. Item praecepto praelati si non pertinet ad officium suum quae praecepit, non est obediendum, ff. de re iud., factum a iudice; arg. 7. q. 1, quia frater. Si vero pertinet ad officium suum, obediendum est ut hic et in similibus quando non decipitur in praecepto. Si vero praecipiat quod omnino est malum, non faciat contra conscientiam, licet iustum videatur praelato, infra, de restit. spol., litteras; servato quod dicitur infra, de sent. excom., inquisitioni. Si vero praecipiat quod malum est, non obediendum est ei, 11. q. 3, qui resistit; et 11. q. 3, si dominus; et 11. q. 3, Iulianus; et 11. q. 3, non semper. Si vero dubium sit praeceptum, propter bonum obedientiae excusatur a peccato, licet in veritate sit malum, 23. q. 1, quod culpatur.

Scandalo
Arg. nihil cum scandalo faciendum esse, arg. 54. dist., generalis, in fi.; et 51. dist., aliquantos; 11. dist., illa; 28. q. 1, uxor; et 28. q. 1, iam nunc. Arg. contra infra, de reg. iur., qui scandalizaverit; 11. q. 3, inter verba; et supra, de renunciat., nisi § pro gravi quoque. Solutio: pro vitando scandalo saepe cessat rigor ecclesiasticae sententiae, sed malum perpetrari non debet, arg. 11. q. 3, quid ergo. De hoc dictum est supra, de temp. ord., sane; et in supra, de renunciat., nisi § pro gravi.

Esse potest
Nota aliquid esse faciendum vel omittendum, ad cautelam eorum quae fieri non possunt, 32. q. 1, dixit Dominus; ff. de negot. gest., divortio, 1. resp., in fi.; ff. de his qui eff. vel deiec., si vero § praetor 2; ff. de damn. infect., qui bona § si quis stipulatus.

Regnum Dei
Quia apud Deum non gradus elegantior, sed vitae melioris actio comprobatur, 23. q. 4, sicut excellentiam. Et ille maior dicitur in regno Dei, qui est iustior, 40. dist., non loca; et 40. dist., multi., in fi.

X 1.11.06 *Si archiepiscopus*

Ordinandus
Id est consecrandus, nisi forte haberent ius in electione, 93. dist., miratus valde. Et tunc dic ordinandus, id est, eligendus, quia de consuetudine vocandi sunt.

Metropolitanam
63. dist., metropolitano; et 51. dist., qui in aliquo.

Ab omnibus
Nota quod omnes tangit ab omnibus comprobari debet, quia in concedendo haustum aquae omnes debent venire, ad quod ius aquae spectat, ff. de aqua pluv. arc., in concedendo; C. de aucto. praestan., veterem; et C. de omn. agro deser., quicumque, in fi., lib. 11; et 8. q. 1, licet ergo; et ff. de adopt., nam divus. Dicas quod in tali casu omnes vocandi sunt, et debent adesse si fieri potest. Et tunc sufficit quod maior pars consentiat, ff. ad municip., quod maior. Et quod omnes suffraganei debeant ipsum ordinare legitur, 64. dist., quia per ambitiones. Et hoc quod dixi quod maior pars sufficit, locum habet in collegiis, secus in privatis, ut dictum est supra, de consti., cum omnes.

Ordinetur
Id est, eligatur, cum habent ius in electione, ut dictum est; alias expone ordinetur, id est, consecretur.

Melius est
Et sic videtur quod licet possit aliquid fieri per alium, et perinde habeatur ac si per se, ff. quod cui. univ. nom., item eorum § 1; ff. de admin. tut., ita tamen § gessisse. Melius tamen res expeditur per se quam per alium, arg. 2. q. 7, accusatio.

Elegerit
Cum non habeat ius in electione ut dictum est; alias expone elegerit, id est, electum approbaverit.

X 1.11.07 *Ne episcopi*

Permissu
Ita quod ipse sit praesens, vel alius cui commiserit vices suas, infra, de offi. ord., quod sedem. Sic iudex iusta de causa potest committere aliis vices suas, infra, de offi. deleg., pastoralis, 1. resp. Sic et praedicationis officium potest ordinarius alii committere, cum id per seipsum complere non possit, infra, de offi. ord., inter caetera; simile ff. de procur., procurator est qui.

Sine tribus
Inclusive, et sic non est contra 64. dist., comprovinciales. Quidam intelligeant olim litteram sicut sonat, et male, quia sic videretur quod archiepiscopus minorem auctoritatem quam episcopus haberet, cum hoc possit fieri a tribus episcopis iussu archiepiscopi, ut supra, de temp. ord., si archiepiscopus. Et ideo additum fuit in littera, vel duobus, quod non erat in antiqua compilatione. Et quod dicit tribus, est de substantia consecrationis, alias non esset consecratus si essent pauciores, 66. dist., porro, ubi traditur forma consecrationis ab Apostolis.

Ordinare
Id est, consecrare.

Consensisse
64. dist., episcopi; 64. dist., ordinationes; 64. dist., de abiectione; et 64. dist., comprovinciales.

Maiori
Quando maiori numero sit standum vel non, supra, de elect., ecclesia vestra 2.

X 1.11.08 *Cum quidam*

Canonica
Ut privetur potestate conferendi ordines, quod illicite contulit, supra, de temp. ord., sane; et infra, de temp. ord., litteras. Alias si poena statuta non esset, pro arbitrio superioris puniretur, infra, de offi. deleg., de causis.

Apud nos
Et sic talis dispensatio soli Papae reservatur, infra, de temp. ord., litteras; quia ex eo quod dicit, apud nos, aliis abstulit potestatem, arg. infra, de praeben., de multa, in fi., ubi dicitur per sedem Apostolicam. Et ita non per alios, arg. infra, de sent. excom., nuper; et infra, de praeben., grave, in fi.; et infra, de temp. ord., dilectus, in fi. Et sic habes unum casum in quo episcopi vel archiepiscopi dispensare non possunt, tamen dic ut infra, de temp. ord., consultationi.

X 1.11.09 *Cum secundum regulas*

Casus
Clerici latini in partibus Calabriae ordinabantur a graecis episcopis secundum institutionem graecorum, extra quatuor tempora ordines conferendo, et econverso graeci a latinis, et ita permixtim se ordinabant adinvicem. Et hic prohibetur quod latini de caetero ritum illorum non servent, sed in quatuor temporibus ordines conferant, non obstante consuetudine antiquitus obtenta, cum sit potius contra ecclesiasticam institutionem, supra, de temp. ord., sane. Arg. contra infra, de temp. ord., quod translationem, ubi toleratur talis mos. Sed hodie talis mos reprobatur, ut de caetero talis commixtio esse non debeat, sed unus sit episcopus qui omnibus praesit, infra, de offi. ord., quoniam. Ber. Nota quod certis temporibus sunt ordines conferendi. Item nota quod in collatione ordinum non est sequendus proximorum ritus.

X 1.11.10 *Ex parte vestra*

Ad nigros
Sed quae fuit dubitatio huiusmodi quaestionis? Ideo dubitavit, quia monachus iste fuit apostata, unde non debuit admitti ad legitimos actus, ut 3. q. 4, beatus. Et ita videtur quod abbas non possit dispensare cum eo, quia tempore quo recepit ordines suspensus erat, arg. infra, de aetat. et qualit., cum bonae; et infra, de cleri. excom., postulastis. Arg.

contra supra, de elect., cum inter R. Vel dic quod non est apostata, nisi qui ad saeculum redit, infra, de apostat., praeterea; et 50. dist., hi qui post; quandoque dicuntur apostata retro abeuntes, 26. q. 7, non observetis. Item is apostata dicitur qui recedit a fide, 2. q. 7, non potest.

Libere
Si monasterium ad quod transivit fuit maioris religionis, tunc non peccavit, infra, de regular., licet. Et tunc de iure communi potest in ordine suscepto libere ministrare, et hoc ita videtur fuisse. Si vero minoris tunc peccavit mortaliter, et tunc cum eo est dispensandum, et aliter non debet ministrare.

X 1.11.11 *Quod translationem*

Ordinatur
Extra quatuor tempora, sicut est in antiqua compilatione, et sic bene facit ad titulum.

Vel licentia
9. q. 2, Lugdunensis; 71. dist., illud; 71. dist., de aliena; et 71. dist., si quis.

Toleratur
Haec fuit comparativa permisso, ut hic innuitur, arg. infra, de praeben., cum iamdudum. Forte propter scandalum et multitudinem talis consuetudo toleratur, arg. supra, de temp. ord., sane; et 23. q. 4, non potest. Mos iste hodie non toleratur, infra, de offi. ord., quoniam; et supra, de temp. ord., cum secundum.

X 1.11.12 *Cum in distribuendis*

Indultum
Sed nonne episcopus talem iudicat, infra, de maior. et obed., per tuas. Praeterea videtur quod potius sit onus quam honor? Dic quod licet sit onus in hoc, in multis tamen est honor, quia non potest nisi pluribus testibus convinci, 2. q. 4, praesul; et 2. q. 4, nullam. Item non potest cogi ab episcopo recipere ordines, arg. de conse. dist. 2, in altari. Item quia maior honor ei debetur quam aliis, infra, de maior. et obed., per tuas; et ff. de alb. scrib., in albo. Sed iste potest iudicari ab episcopo suo, ut dicit illa decretalis infra, de maior. et obed., per tuas. Unde contra, 9. q. 2, nullus primas, ubi dicitur: qui non potest ordinare non potest iudicare, et econverso. Illud ordinarium est et regulare, hoc speciale est propter excellentiam superioris, qui manum imposuit, arg. capituli illius, de conse. dist. 2, in altari.

X 1.11.13 *Litteras tuas*

Uno die
Hoc ergo solum reprehenditur hic quod ordinem unum uno die, et alterum altero die contulit idem episcopus, unde collige quod si die sabbati non potuit praeficere ordinationem, sequenti die dominico continuato ieiunio potest eam quam incepit

perficere, et uno die intelliguntur ordines collati fictione iuris, et sic loquitur 75. dist., quod a patribus.

Continuationem
Continuatio de duobus facit unum et coniungit illa, arg. 16. q. 3, placuit ut § potest, vers. haec de praescriptionibus.; et 7. q. 1, nihil; sicut cum bissextus occurrit, duo dies pro uno computantur, infra, de verb. sign., quaesivit; et ff. de minor., denique § minorem. Sed arg. contra ff. de statulib., cum heres § Stichus.

Fictione
Immo et sine fictione aliqua bene vespera et mane ad unam diem naturalem referuntur, iuxta illud et factum est vespere mane dies unus.

Pertinere
Teneas incunctanter quod omnes ordines die sabbati conferri debent, supra, de temp. ord., subdiaconos; supra, de temp. ord., sane; et supra, de temp. ord., de eo; et 75. dist., ordinationes presbyterorum et diaconorum; praeter episcopalem dignitatem, quae die dominico tantum confertur, 75. dist., ordinationes episcoporum; et praeter minores ordines qui possunt conferri diebus dominicis et aliis solemnibus, supra, de temp. ord., sane; et supra, de temp. ord., de eo; et subdiaconatus ordo potest conferri die dominico a solo Papa, supra, de temp. ord., de eo; licet ergo die dominica continuato ieiunio conferantur sabbato tamen conferri intelliguntur, et ideo continuatio ieiunii necessaria erat. Hug. vero dicit, omnes ordines die dominica conferendos, et non die sabbati; et idem dicit de baptismo, de conse. dist. 4, venerabilis; et de conse. dist. 4, baptizandi. Arg. 75. dist., quod a patribus, vers. sed post diem sabbati eiusdem noctis quae lucescit in prima sabbati exordia consecrandi eligantur, in quibus his qui consecrandi sunt ieiunis et a ieiunantibus sacra benedictio conferatur. Quod eiusdem observantiae erit si mane ipso die dominico continuato sabbati ieiunio ordinatio celebretur, a quo tempore praecedentis noctis initia non recedunt. Et secundum opinionem eius non videtur quare sit continuatio ieiunii necessaria, ut una dies fingatur sabbatum et dominica, nam sicut ordo episcopalis potest conferri die dominica sequenti, et non exigitur continuatio ieiunii, ne fingatur dies sabbati trahi ad dominicam, ita si quis ordinetur mane die dominica, posset hoc facere sine continuatione ieiunii. Nota tamen quod in sabbato magno paschali non celebratur ordo, quia nec missa cantatur, de conse. dist. 3, sabbato. Dicunt quidam quod illi ordines qui celebrantur die dominica trahuntur ad sabbatum, et ideo sit ordinatio die sabbati, quoniam sabbatum significat requiem, et qui ordinatur transit ad requiem clericalem; requiescit enim a laboribus saecularibus. Vincen. dicebat speciale de sabbato paschali, ut missa trahatur ad dominicam sequentem et ordines ad sabbatum. Sed hodie non fit hoc in illo sabbato, ut supra, de temp. ord., de eo, ubi dicitur quod in sabbato sancto ordines conferuntur, immo ita celebratur tunc missa sicut in aliis sabbatis ordinationum, et ita servatur de facto.

Nam si quantum
Responsio tacitae quaestionis diceret aliquis duo dies sunt, et ita non uno die duos ordines contulit et respondet.

Deliquit
Immo in pluribus punivit eum quam deliquit, quia non peccavit diaconatum conferendo, et tamen fuit punitus in eo. Et ideo plus punitur ordinator quam ordinatus, quia debuit esse prudentior, et quia maior, arg. supra, de translat., inter corporalia; et ut alii a similibus arceantur, et est simile infra, de temp. ord., vel non est.

X 1.11.14 *Vel non est*

Repulisse
Unde posset ei dici: et ego repellam te, ne sacerdotio fungaris mihi, 38. dist., omnes psallentes, in fi.; et supra, de renunciat., nisi § pro defectu.

Instituta
Quae dicunt quod ante vicesimum annum nullus debet in subdiaconum promoveri, 28. dist., de his; 77. dist., in singulis; et 77. dist., quicumque; et 77. dist., subdiaconus. Ergo multo minus in diaconum quis ante vicesimum quintum annum ordinari non debet, 77. dist., placuit; et 77. dist., in singulis; et 77. dist., quicumque.

Suspendentes
Ut puniatur in quo peccavit, 12. q. 2, qui et humanis; et 12. q. 2, de viro; et 16. q. 1, revertimini; et supra, de temp. ord., litteras. Et punitur hic in collatione omnium ordinum, quia in hoc tantum deliquit.

Aetatem
Et ita licet non sit in aetate legitima, nihilominus recipit ordines, sed executio suspenditur usque ad legitimam aetatem. Simile infra, de aetat. et qualit., ex ratione, ubi suspenditur administratio talibus concessa usque ad legitimam aetatem. Sic et tempus non impedit ordinis collationem, infra, de temp. ord., consultationi; et supra, de temp. ord., sane; et supra, de temp. ord., cum quidam.

Iniuriam
Simile 71. dist., illud; et 16. q. 7, decernimus. Sed propter factum praelati iste non debuit in executione puniri. Iniquum est enim aliquem alterius ordo praegravari, C. de inoffic. testam., si quis in suo. Et peccata suos debent tenere auctores, infra, de his quae fi. a maior. par. cap., quaesivit; et C. de poe., sancimus; et non debet alteri per alterum iniqua conditio afferri, ff. de regul. iur., non debet; ff. quod vi aut cla., ne in potestate; sed hoc fuit quia aetas repugnat. Sed numquid tenetur ad continentiam iste, qui infra annum discretionis suscepit ordines sacros? De hoc notatur infra, de cleri. per salt. prom., tuae.

Competenti
Scilicet, personae qualitate inspecta, arg. 41. dist., non cogantur; ff. de iure dot., cum post divortium § gener; et ff. de iure dot., quaero; ff. de admin. tut., cum plures § cum tutor; et ff. de usufru., sed et si quid § 1. Et scientia consideratur, infra, de praeben., cum secundum Apostolum.

X 1.11.15 *Dilectus filius*

Elegerunt
In postulandum, scilicet, quia si simpliciter electus fuisset, non valuisset electio. Simile supra, de renunciat., post translationem.

Tres sacros
Quod nullo modo debet fieri, sed unus ordo uno die debet conferri, supra, de temp. ord., litteras; et ideo punitur, ut in fine.

Permissa
Arg. oppositum quod episcopi dispensare non possunt nisi in casibus sibi concessis a iure, quod quidam concedunt; et facit pro eis infra, de fil. presbyt., nimis; et infra, de fil. presbyt., dilectus. Arg. contra infra, de sent. excom., nuper; in qua opinione sunt Laur., Io., Vincen. et Tanc.; de hoc traditur infra, de iudic., at si clerici. De hac materia notatur 50. dist., miror; et 1. q. 7, requiritis § nisi rigor; immo prohibita supra, de temp. ord., litteras; infra, de eo qui furt. ord. recep., innotuit; et ita colligitur arg. praedictum. Vel dic quod non licet episcopo dispensare in his quae pertinent ad generalem statum ecclesiae, ut hic, et supra, de temp. ord., sane; et supra, de temp. ord., litteras. In criminibus dispensare possunt nisi sit expresse prohibitum.

Obtemperare
Hic habes quod auctoritas superioris non excusat, 12. q. 2, quicumque; et 12. q. 2, de rebus; et 11. q. 3, si dominus; et 16. q. 1, in canonibus; et 16. q. 7, decimas. Arg. contra 63. dist., Salonitanae; 14. q. 5, dixit Dominus; et 28. dist., diaconi. Item est arg. quod praeceptum iniustum praelati non est adimplendum, 11. q. 3, Iulianus; si certum sit quod est iniustum, secus si dubitaretur, 23. q. 1, quid culpatur, in fi.; et ff. de regul. iur., ad ea.

Periurii
Unde posset privari ecclesias et deponi, infra, de iureiur., querelam; et infra, de temp. ord., quaesitum; cum in iudicio sit confessus, et confessus pro convicto habetur infra, de confess., cum super; et C. de confes., confessos; sed ei pepercit.

Variavit
Unde non erat ei credendum, infra, ut eccl. ben., ut nostrum; et infra, de praesump., litteras; et 4. q. 3, si testes § item in criminali, vers. qui falso vel varie; sic infra, de poeni., super his.

Nostram
Et sic solus Papa super hoc dispensat. De hoc dixi supra, de temp. ord., cum quidam; et melius infra, de temp. ord., consultationi.

X 1.11.16 *Consultationi*

Damnationis
Simile infra, de simon., Matthaeus, in fi.; et verae damnationis, nisi cum eis suus episcopus post peractam poenitentiam duxerit dispensandum, quod quidem potest; infra, de iudic., at si clerici. Et valde necessaria est dispensatio in occultis, non propter depositionem vitandam, quia propter occulta peccata non punitur quis, quae vindictam non habent, 32. q. 5, Christiana. Sed ut licite suum officium exequatur quod aliter non potest, 33. dist., habuisse; quia de eo super quo dispensatum est, postea accusari non potest, infra, de fil. presbyt., ex tua; et infra, de schismat., fraternitati; alioquin posset etiam post peractam poenitentiam accusari, 33. q. 2, admonere; 15. q. 5, presbyter. Arg. contra, de poen. dist. 4, divina clementia; et 23. q. 4, si illic; et 1. q. 4, iam itaque. Sed verum est quod accusari etiam posset. Ala.

Non ministrent
Si non poenituerint. Ergo si poenituerint, possunt administrare sine periculo damnationis, et sic videtur contra Ala., qui dicit quod licite non ministrant etiam post poenitentiam sine dispensatione, ut dixi in proxima notula. Saltem valet dispensatio quantum ad accusationem, alias sufficit poenitentiam in occultis, ut hic patet. Ber.

X 1.12 DE SCRUTINIO IN ORDINE FACIENDO

X 1.12.01 *Ex parte*

Et scit et testificatur
Mirabilis est responsio ista. Potius enim dicere deberet se nullam habere scientiam de eius dignitate vel indignitate? Respondeo ex eo quod videt illum electum a bonis, quandam videtur habere notitiam de dignitate ipsius, et de tali respondet, quia audivit ab aliis, 22. q. 5, hoc videtur.

Contra conscientiam
Quia tunc aedificaret ad gehennam, infra, de restit. spol., litteras; infra, de praescrip., quoniam § ex his.

Aestimare
Nota quemlibet praesumi dignum nisi probetur indignus, et de quolibet praesumendum est bonum, nisi probetur contrarium, infra, de praesump., dudum; ff. de manum. test., servos; et ff. de leg. 2, cum pater § rogo. Sed contra videtur, quia praesumitur non idoneus nisi probetur idoneus, C. de his qui ven. aet. impetr., omnes; et C. de probation., ex persona; ff. de mag. conv., in ordinem § si magistratus. Et in dubio praesumitur quis excommunicatus, infra, de sent. excom., cum desideres § secundae quaestioni; et praesumitur potius fornicatio quam matrimonium, 30. q. 5, aliter. Solutio: hoc generale est ut ubi periculum animae vertitur, praesumatur in deteriorem partem, infra, de spons., iuvenis; et 68. dist., presbytreri. Sed licet videatur deterior, tamen melior et tutior est; simile de conse. dist. 4, parvulos. Alias circa indicia potius praesumitur iustum vel bonum, quam econverso, 86. dist., si quid vero; 11. q. 3, in cunctis; 22. q. 4, innocens; ff. de probation., ab ea parte.

X 1.13 DE ORDINATIS AB EPISCOPO QUI RENUNCIAVIT EPISCOPATUI

X 1.13.01 *Requisivit a nobis*

Usque
Exclusive, ut probant sequentia. Sic ponitur ff. de his qui not. infam., quod ait praetor. Quandoque ponitur inclusive, 93. dist., a subdiacono; ff. de senat., nuptae § senatores.

A non episcopis
Id est, abbatibus, 69. dist., quoniam; et infra, de aetat. et qualit., cum contingat.

Executionem
Ergo suspensus est qui a suspenso recipit ordines, 1. q. 1, statuimus. Et resignatio non abstulit illi ordinem, sed executionem.

Crassa
Tunc dicitur crassa et supina ignorantia, quando aliquid publice fit vel coram populo, et haec non excusat, ff. de ver. sig., lata culpa.

Ignorantia
Simile infra, de cleri. excom., Apostolicae. Et ita si probabilis fuerit ignorantia, cum eo poterit per episcopum dispensarim infra, de ordin. ab ep. qui ren. epi., cum clericis. Sed contra, probabilis facti ignorantia quemlibet ignorantem excusat ex toto, ff. de iuris et fact. ignor., error facti; et ff. de iuris et fact. ignor., regula. Ergo secundum hoc nulla dispenastio est necessaria? Resp.: in culpa fuit recipiendo ordines ab episcopo non suo, 9. q. 2, Lugdunensis. Et ideo necessaria est dispensatio. Vel melius dicas quod licet probabilis sit ignorantia, necessaria tamen est dispensatio, quia cum in talibus ordinator non haberet executionem sui officii, eam alii conferre non potuit, ut 1. q. 1, statuimus; quia quod non habet, dare non potest, 1. q. 7, Daibertum. Et pro non dato habetur, quod ab illo datur qui de iure dare non potest, infra, de iure patron., quod autem, in fi. Ergo necessaria est dispensatio ad hoc ut habeat executionem ordinis.

X 1.13.02 *Cum clericis*

Excommunicato
Sic patet quod excommunicatus confert ordinem, licet extra ecclesiam, et haeretici etiam conferunt ordinem, 9. q. 1, ab excommunicatis; et 9. q. 1, ordinationes. Sed contra, 9. q. 1, nos consecrationem, ubi dicit quod nullo modo dicitur consecratio quae ab excommunicatis est celebrata. Dic quod ibi non fuit servata forma ecclsiae. Vel dicas, non dicitur consecratio, verum est quantum ad executionem, quia quod non habent, dare non possunt, ut 1. q. 1, perfectionem; et 1. q. 1, ventum est; et 1. q. 1, gratia; et de conse. dist. 4, quomodo. Sed numquid potest alios excommunicare? Videtur quod sic, quia confert ordines, quod plus est, ut videtur, ergo potest alium excommunicare. Sed non est ita, cum enim sit extra ecclesiam, alium eiicere extra ecclesiam non potest, 24. q. 1,

audivimus. Secus in ordine, quia licet sit extra ecclesiam, charactarem tamen retinet, et illum potest conferre, si ecclesiae forma servetur.

Episcopos
Et sic episcopi dispensant hic, sic 9. q. 1, ab excommunicatis; et 9. q. 1, ordinationes; quia ignorantia eos excusat. Si vero scienter ordines recepissent, non dispensaretur cum eis, ut 9. q. 1, ordinationes; sic supra, de ordin. ab ep. qui ren. epi., requisivit, in fi.

X 1.14 DE AETATE ET QUALITATE ET ORDINE PRAEFICIENDORUM

X 1.14.01 *Ut abbates*

Ut abbates
Supple statuimus.

Praepositi
Dignitas est per se, quamvis sit nomen generale ad omnes qui habent praelationem, infra, de verb. sign., quamvis.

Fiant
Sic supra, de elect., cum in cunctis.

Amittant
Supra, de elect., cum in cunctis § hic sane. Contra, infra, de cleri. aegro., cum percussio; contra ff. de statu hom., qui furere; contra ff. de postulan., hunc titulum § casum; contra. Contra hoc intellige quando per culpam suam ad talem statum pervenit, quod promoveri non potest. Contraria vero quando sine culpa, et tunc non debet addi afflictis afflictio, infra, de cleri. aegro., cum percussio; et infra, de cleri. aegro., ex parte.

X 1.14.02 *Ex ratione*

Pueris
Puer dicitur a septennio usque ad quartum decimum annum, infra, de regular., ad nostram; et 20. q. 1, firma; et 22. q. 5, pueri; et 1. q. 1, pueri; et 1. q. 1, estote; supra, de temp. ord., vel non est. Et puer dicitur quantum ad beneficium obtinendum, qui servire non potest, infra, de praeben., super inordinata.

In archidiaconatu
Arg. quod instituere non pertinet ad archidiaconum, 16. q. 7, nullus omnino; contra infra, de praeben., referente; super hoc statur consuetudini.

Ecclesias
Id est, praelaturas ecclesiarum, quod fieri non debet, infra, de aetat. et qualit., ut abbates; et infra, de aetat. et qualit., ex ratione; quia pueri ad hoc non reputantur idonei, infra, de praeben., super inordinata. Beneficia enim simplicia in tali aetate constitutis licite

conferuntur, 77. dist., in singulis; et ratione ordinis debent habere titulum, 70. dist., neminem. Et ita ratione ordinis et tituli beneficium possunt habere. De hoc tamen dicas prout dicitur infra, de praeben., super inordinata.

Praedicti pueri
Impuberibus dignitas dari non debet, ff. de iure immun., si qui certa § impuberes; et 1. q. 2, pueri; et 1. q. 2, estote.

Ad congruam
Idem dicit lex in eo qui se obligat pro filio suo decurione, quia tenetur quousque perveniat ad aetatem congruam, ff. ad municip., Lucius § imperatores. Sed pone quod episcopus aliquem minorem facit archidiaconum, habebit ne iste vocem in capitulo sicut si esset legitimae aetatis? Arg. quod non, quia minores vicesimum quintum annum decuriones facti, licet decurionum sportulas recipiant, non tamen interim suffragium ferre possunt, ff. de decur., spurii § minores; sicut nec minor factus miles debet sapientum iura tractare, ut C. de testam. milit., licet.

Aetatem
Dispensative tolerantur isti pueri, alias non deberent, supra, de elect., cum in cunctis; infra, de aetat. et qualit., eam te. Sed numquid talis rector potest omnia facere tamquam maior? Videtur quod sic, ff. de re iud., quidam consulebant; quod tamen non est verum, infra, de aetat. et qualit., indecorum; et C. de testam. milit., licet. Sed nonne iste ex quo toleratur per dispensationem, videtur veniam aetatis impetrasse, ut C. de his qui ven. aet. impetr., eos qui veniam aetatis principali? Sed non est ita, quia licet quis veniam aetatis impetret, non tamen potest alienare sine decreto, nec habet liberam administrationem usque ad aetatem vicesimum quintum annum, ut in praedicta lege C. de his qui ven. aet. impetr., eos qui veniam aetatis principali.

X 1.14.03 *Indecorum est*

Qui seipsos
Qui enim in praelatum eligitur, et si minor est, non debet esse sub patris potestate, arg. ff. ad Trebel., nam quod ad ius; et ff. de adulter., sic eveniet; et C. de legit. tutel., nemo; Inst. de excusat. § minores; et ff. de Maced., filium habeo. Arg. contra ff. de adopt., per adoptionem; et ff. de his qui sui vel alien. iur. sunt, filiusfamilias; et ff. de muner. et honor., quod ad honores; et ff. de iud., cum praetor, in fi., ubi dicitur nihil interesse, an iudices in potestate, an sui iuris sint, et presbyter dicitur in potestate patris esse, C. de episc. et cler., authen. presbyteros; Inst. quib. mod. ius pat. pot. sol. § filiusfamilias. Licet adipiscatur honores, remanet tamen in potestate patris. Per ista iura videtur quod sacer ordo non liberet a patria potestate. Laur. et alii dicunt quod quilibet sacer ordo liberat a patria potestate, quoniam liberat a Dominica, quae maior est. De episcopali ordine habes 54. dist., si servus sciente; de sacerdotio, 54. dist., ex antiquis; et 54. dist., frequens; de diacono dicitur quod praestando vicarium liberatur, 54. dist., ex antiquis. Subdiaconus eodem iure utitur cum diacono, infra, de serv. non ordin., miramur; et nulla dignitas saecularis similis est sacerdotio. Arg. 96. dist., duo sunt; infra, de maior. et obed., solitae; et dignitas patriciatus solvit ius patriae potestatis, ergo multo fortius

sacerdotium, et quilibet sacer ordo, arg. infra, de sent. excom., cum voluntate § ulti.; hoc credo verius.

Infra quartum decimum annum
Ex eo quod prohibet infra quartum decimum annum videtur concedere quod post quartum decimum annum statim concedat, quia quod de uno prohibetur, de alio conceditur, arg. 25. dist., qualis. Sed non est ita, quia licet prohibeatur infra quartum decimum annum, non tamen concedit in quintum decimum vel sextum decimum, immo infra vicesimum quintum annum prohibetur, supra, de elect., cum in cunctis § inferiora; et infra, de aetat. et qualit., eam te.

X 1.14.04 *Indecorum est*

Litterarum
Supple per aetatis taciturnitatem impetratarum. Si enim ex certa scientia scriberet Papa pro minori, eius mandato esset obediendum, quia sacrilegii instar obtinet, dubitare an is sit dignus quem princeps eligit, 17. q. 3, qui autem; et C. de crim. sacr., disputari. Praeterea contra et contra publicam utilitatem est tale rescriptum, et ideo non valet, C. de precib. imper. offer., rescripta; arg. supra, de rescript., si quando; et supra, de rescript., ex parte Conventrensis; et infra, de testib., causam quae 2. Item est hic arg. quod non est obediendum semper mandato Papae, arg. supra, de rescript., si quando; et supra, de rescript., cum adeo; et infra, de haeret., ad abolendam, in fi. Sed non dicitur mandatum quando ignoranter mandat.

Concilii
Lateranensis, supra, de elect., cum in cunctis § inferiora.

Pendeant
Qualiter dicitur una ecclesia pendere ex altera, potest dici secundum quod legitur infra, de relig. dom., quia monasterium. Arg. ff. arb. furt. caes., si gemina; et si aliqua parochialis ecclesia subsit alii, licet praelatus maioris ecclesiae duas ecclesias habere dicatur, tamen alius presbyter erit in subiecta. Item si ecclesia parochialis in fundo suo aliam constituat, nihil impedit vicarium in ea institui, et praelatum maioris ecclesiae praelatum esse utriusque, non tamen per se serviet utrique, nam dispensatione episcopi, unus praelatus diversis praeest ecclesiis in habendo unam commendatam, et aliam intitulatam, 70. dist., sanctorum. Laur. hoc tamen intellige secundum determinationem illarum decretalium, supra, de elect., dudum ad audientiam; et infra, de praeben., de multa. Item in casu quem habes infra, de praeben., extirpandae § qui vero; potest quis habere plures ecclesias.

Dimittendam
Infra, de praeben., referente. Et hoc secundum illam decretalem, infra, de praeben., de multa, intelligi debet.

X 1.14.05 Praeterea (rev. 9/23)

Tenues

In casu isto permittit Papa propter paupertatem habere plures ecclesias, 10. q. 3, unio. Item propter raritatem clericorum, 21. q. 1, clericus, in fi. Item intitulatam unam, et aliam commendatam, 21. q. 1, qui plures; supra, de elect., dudum ecclesia, ubi de hoc.

X 1.14.05 *Praeterea*

Subdiaconus

Qui hodie potest eligi in episcopum, infra, de aetat. et qualit., a multis; et eodem privilegio gaudet quo diaconus, infra, de serv. non ordin., miramur.

Breve tempus

Quandoque breve tempus dicitur quatuor mensium, C. de usuris rei iud., eos; ff. de iud., si debitori; quandoque decem dierum, ff. de constit. pecun., promissor § 1; quandoque duorum mensium, C. de secun. nupt., si qua ex feminis; quandoque triginta dierum, ff. de itin. act. priv., praetor ait § 1. Sed hic appellatur breve tempus annus. In anno enim et dimidio potest aliquis promoveri ad sacerdotium, 77. dist., monachus vero novitius. Et hic dimittimus dimidium annum propter minores ordines. Vincen. Item arg. quod parum est utrum aliquid fiat in praesenti, an in brevi tempore, ff. si cert. pet., lecta est; ff. de in int. rest., divus; ff. ut in poss. legat., si is a quo. Sic ergo patet quod episcopi possunt dispensare cum eo qui est in minoribus ordinibus, numquid cum eo qui est in minori aetate? Dicunt quidam quod sic, arg. huius capituli. De hoc not. supra, de elect., cum dilectus; arg. quod possit supra, de aetat. et qualit., indecorum.

X 1.14.06 *Quaeris a nobis*

Non sinit

Simile supra, de temp. ord., quaesitum; et infra, de aetat. et qualit., ad aures; et infra, de simon., ex tuae; et infra, de simon., Matthaeus; et 1. q. 1, sacerdotes.

Compellendos

74. dist., honoratus; et 74. dist., consuluit; et 74. dist., episcopus; et 74. dist., gesta.

Contrarium

74. dist., si qui clerici; et 74. dist., placuit; 23. q. 4, displicet; et 1. q. 6, sicut. Arg. 8. q. 1, in scripturis.

Fatentur

Aut ipsi commiserunt ista peccata occulta ante suam promotionem, aut post. Si ante, removendi sunt, quia tempore suae examinationis hoc non fuerunt confessi, 24. dist., si quis; et 50. dist., ex poenitentibus; et 81. dist., si qui sine; et 81. dist., quicumque. Sed si postea commiserunt illa peccata, fecerunt se indignos, unde sunt expellendi, ex quo sua culpa se fecerunt indignos, arg. supra, de aetat. et qualit., ut abbates. Si tamen utilitas ecclesiae fuerit quod non removeantur, quia in aliis negotiis ecclesiae sunt valde necessarii et utiles, tolerantur in ea. Et ita secundum hoc dispensatur cum eis propter utilitatem, maxime cum peccata sunt occulta. Sed contra videtur, supra, de temp. ord., ex

tenore; et supra, de temp. ord., quaesitum, ubi criminosi tolerantur, quia peccata sunt occulta, et hic privantur. Sed illi volunt et petunt promoveri acta poenitentia, et isti fatentur se indignos et nolunt promoveri. Si vellent promoveri, acta poenitentia admitterentur praeter reos homicidii, ut dicitur in contrario.

Utilitas
Ergo propter utilitatem ecclesiae compellitur quis recipere ordines et propter necessitatem, alias est etiam puniendus per subtractionem beneficiorum, ut sequitur. Simile supra, de elect., cum in cunctis § inferiora; et 74. dist., consuluit, ubi eodem modo compelluntur, ut sic indirecte de nolentibus volentes.

X 1.14.07 *Ad aures nostras*

Cum diligentia
Et ideo non videtur imputandum, si adhibuit diligentiam quam potuit, 50. dist., hi qui arborem; et 50. dist., saepe. Et ideo si praeter culpam suam casus fortuitus contingit, ei non imputatur, infra, de commod., cum gratia; et infra, de homic., quidam; et ff. commodat., in rebus; et ff. de off. praes., illicitas. Casus enim fortuitu praevideri non possunt, ut in praedictis proximis concordantiis, et absit ut nobis imputetur quod praeter voluntatem nostram contingit, 23. q. 5, de occidendis. Versus: non est in medico semper relevetur ut ager.

Conscientia
33. dist., habuisse. Qui enim facit contra conscientiam aedificat ad gehennam, infra, de restit. spol., litteras; et infra, de praescrip., quoniam; 28. q. 1, omnes deinceps § ex his; infra, de sent. excom., inquisitioni.

Remordeat
Ut si forte imperite medicinam dedisset infirmis, alias eventus mortalitatis non est imputandus ei, ut ff. de off. praes., illicitas § sicuti; et ff. ad leg. Aquil., qua actione; et ff. ad leg. Aquil., qua actione § ulti.; ff. de var. et extraord. cog., si medicus. Vel si negligens fuerit, quia dissoluta negligentia prope dolum est, ff. mand. vel cont., si fideiussor, 1. resp.

Consilio
Hoc est consilium reverentiae cui obediendum est, 6. dist., testamentum; et 14. q. 1, quisquis; et infra, de simon., Matthaeus, in fi. Secus in consilio perfectionis, 14. q. 1, quisquis. Quale est illud: si vis perfectus esse, vade et vende omnia quae habes et da pauperibus. Et de tali consilio potest intelligi quod dicitur in 14. q. 1, quisquis, in verbo illo: si consilio uti volueris.

X 1.14.08 *Cum bonae memoriae*

Laeserant
Miles qui praeposito manus intulit capite punitur. Et omnis contumacia adversus praesidem vel ducem capite punitur, ff. de re milit., omne delictum § 1; et ff. de re milit.,

omne delictum § 2. Et qui resistit castigare volenti, ff. de re milit., milites § irruens. Et iuxta divinum oraculum contumacia parentis morte luitur, 86. dist., non satis, vers. caeterum, in fi.

Suspensi
Suspensi eligere non possunt nec etiam eligi, 9. q. 1, nos in hominem; et supra, de consuet., cum dilectus; supra, de elect., cum inter R; supra, de elect., per inquisitionem; et infra, de appell., constitutis 1. Nec beneficia eis tempore suspensionis conferri possunt, vel litteras pro beneficio obtinendo impetrare, ut hic, et interim beneficia ecclesiastica sunt deneganda, infra, de appell., pastoralis.

Postmodum sunt adepti
Talia beneficia tenere non possunt etiam si postea fuerint absoluti, quia tunc tempore obtenti beneficii inhabiles erant et indigni, quia in talibus principium considerandum est, supra, de elect., dudum ad audientiam; et 1. q. 1, principatus; 16. q. 3, si sacerdotes. Et est arg. quod tempus impetrati rescripti considerandum est, puniendi ergo sunt qui suspensi spiritualia praesumunt tractare in tantum quod episcopus cum talibus dispensare non potest, 11. q. 3, si quis episcopus; et infra, de sent. excom., cum illorum.

Spoliare
Ex quo per annum et ultra qui stat in excommunicatione, privari debet beneficio suo, 11. q. 3, rursus. Et excommunicatus qui tractat spiritualia deponi debet, infra, de dolo et contu., veritatis. Idem videtur in suspenso, ut hic. Ber.

X 1.14.09 *A multis multotiens*

Nullus
Ponit tenorem illius decretalis 60. dist., nullus in episcopum; usque ibi, in quibus verbis.

Solos
Supple sacros, quia subdiaconatus bene fuit in primitiva ecclesia, sed non reputabatur sacer, 21. dist., in fi. § 1; et 25. dist., perlectis.

Metropolitani
Sic olim dispensabat metropolitanus cum ineligibili circa episcopatum, sed cum illegitimo dispensare non potest, supra, de elect., innotuit; nec in aetate, C. de his qui ven. aet. impetr., omnes; et C. de his qui ven. aet. impetr., eos qui veniam aetatis principali. Sed cum his qui patiuntur defectum in ordine, satis videtur quod potest adhuc archiepiscopus dispensare in archiepiscopatu, sicut olim potest, arg. 60. dist., nullus in episcopum; et in aliis dignitatibus inferioribus bene potest, supra, de aetat. et qualit., praeterea.

In quibus
Verba ista sunt Innocentii interpretantis capitulum Urbani, qui locutus fuit secundum antiqua tempora.

X 1.14.10 Tuam in Domino (rev. 9/23)

Verum cum hodie
Nunc incipit allegare quod subdiaconus eligi possit.

Erubescant
32. dist., erubescant.

Nemo
32. dist., nemo.

Observare
Ex quo oneratur, dignum est ut honoretur, 16. q. 6, de lapsis.

Sexta sinodo
32. dist., si quis eorum.

Mulieri
38. dist., ut nullum.

Nullum
38. dist., nullus; et 31. dist., ante triennium.

Libere
Et ita quod fuit prius dispensatio, hodie est ius commune, sic infra, de offi. legat., quod translationem. Et ad subdiaconatum extenditur quod de superioribus dictum erat, simile supra, de translat., inter corporalia; et supra, de consuet., cum venerabilis. Et eodem privilegio gaudet subdiaconus quo et diaconus, infra, de serv. non ordin., miramur.

X 1.14.10 *Tuam in Domino*

Nullum prorsus
Non enim preces carnales debet respicere quod est ordinator, sed tantum merita et providentiam ordinandi, 1. q. 1, quibusdam; et 8. q. 1, Moyses; et 8. q. 1, si ergo. Et ideo nota quod cum quis eligitur vel ordinatur, aut suis precibus intervenientibus aut alienis. Si suis, dicunt quidam et Hug. cum eis, quod quantumcumque sit idoneus, simonia committitur, arg. 8. q. 1, in scripturis; et 1. q. 7, si quis omnem; et 1. q. 1, ordinationes; et infra, de iure patron., per nostras. Istud credo si est indignus, secundum quod dicit Tanc. Sed si dignus est potest etiam preces porrigere superiori cum indiget, quia tunc non praesumitur ambitiosus, sed potius propter necessitatem, alias potest dici quod simonia esset, arg. 1. q. 1, filium § non ita quorundam. Et arg. infra, de simon., tua, si preces quis pro se porrigat ut in praelatum eligatur, ambitiosae sunt et illicitae, 1. q. 1, nullus itaque. Si vero precibus alienis promovetur aut preces sunt spirituales aut carnales. Si sunt carnales, et fiunt pro indigno, simonia committitur, 1. q. 1, de ordinationibus, quia succedunt tales preces loco pretii, 1. q. 1, sunt nonnulli. Si pro digno, dummodo superior admitti, ut hic, et 1. q. 1, quibusdam. Si vero sunt spirituales, admitti possunt, nec inducunt simoniam, 1. q. 1, latorem.

X 1.14.11 Cum contingat (rev. 9/23)

Non ascendat

Forte erat irregularis, et sic potest quis esse abbas in minoribus ordinibus propter necessitatem, alias non valeret. Nam et diaconus potest esse abbas, 50. dist., accedens, arg. Immo et infamis curam monasterii gerere potest, ut ibi. Infamis enim a civilibus muneribus non excluditur, C. de his qui non impl., ignominiae, lib. 10. Nomen abbatis potius est sollicitudinis quam ordinis vel honoris, 18. q. 2, hoc tantum. Arg. contra supra, de aetat. et qualit., ut abbates; et laicus potest esse abbas causa necessitatis, 93. dist., a subdiacono; et 16. q. 1, generaliter. Arg. tamen hoc quod dicitur hic dispensative intelligitur, quia abbas debet esse sacerdos, alias removetur, supra, de aetat. et qualit., ut abbates. Ber.

Cum instante

Hic respondet tacitae obiectioni, quae posset ei fieri. Diceret enim aliquis: quomodo erit iste abbas, cum non possit ad ordines promoveri nec sacerdos fieri? Respondet, cum id est quia, etc.

X 1.14.11 *Cum contingat*

Synodo

69. dist., quoniam.

Abbati

Hoc idem potest electus in abbatem et confirmatus, si episcopus eum differat benedicere, ut supra, de supp. neg. prael., statuimus; talis ordo appellatur psalmistatus. Tamen ubi agitur de singulis ordinibus nihil agitur de hoc, 93. dist., illud. Unde quidam dixerunt non esse ordinem, sed eorum opinio corrigitur hic in fi., ubi dicit quod per primam tonsuram clericalis ordo confertur, et etiam presbytero hoc licet, 23. dist., psalmista, ubi de hoc in summa Hug.

Ordo confetur

Sed numquid qui tales percutiunt, incidunt in canonem latae sententiae? Dic quod sic, quia clerici sunt, ut hic, et quicumque clericum percutit, excommunicatus est, ut infra, de sent. excom., non dubium.

X 1.14.12 *Intelleximus*

In canone

19. q. 3, mandamus.

Curam

Hic videtur quod si aliquis transit ad strictiorem religionem sine licentia prioris vel abbatis, quod revocandus sit ad priorem ecclesiam. Sed videtur obstare infra, de regular., licet. Sed potest intelligi quod hic dicitur quando ex levitatis causa transit, prout intelligi consuevit ille canon 19. q. 3, mandamus. Vel dicatur quod iste fuerat tantum in habitu probationis, vel iste locus quem intraverat, fuerat laxioris religionis quam prior. Vel dic quod si aliquis petita licentia, licet non obtenta, transit ad strictiorem regulam, quod tunc

non potest reverti ad priorem locum, et sic loquitur illa decretalis infra, de regular., licet. Sed si nullo modo petit licentiam, tunc redire cogetur prout hic fecit.

X 1.14.13 *Accepimus*

Exceptionem
Nota quod qui ordinavit aliquem postea non potest ei irregularitatem aliquam vel crimen aliquod obiicere, nisi ex causa superveniente, sic nec elector contra electum, 8. q. 2, dilectissimi. Et est simile 4. dist., in istis; et 4. q. 3, si quis testibus; et infra, de concess. praeben., cum super, in fi.; sic 28. dist., diaconi; et infra, de cleri. coniug., diversis.

Reputare
Nota quod qui reputatur dignus in una dignitate, si postea eligitur ad alteram, etiam tunc dignus debet reputari, sic 74. dist., gesta. Arg. contra 12. dist., nos consuetudinem; et supra, de elect., scriptum. Econtra vero qui reputatus est indignus in uno officio, debet indignus haberi in alio, ff. de susp. tut., tutor § quaeri potest, ubi dicitur quod si aliquis male se habuit in tutela, et deinde detur curator, tamquam suspectus removeri debet, C. de suscept. et arc., si aliquid, lib. 10. Item quid dices si aliquis irregularis vel criminosus toleratus est in officio sacerdotali, numquid si talis eligitur ad dignitatem potest excipi contra eum ab illis qui eum toleraverunt in officio sacerdotali? Videtur quod non, quia qui eum reputaverunt dignum ad ordinem, et ad beneficium reputabunt eum dignum, arg. infra, de accusat., nulli; infra, de sent. excom., in praesentia; et ff. de liber. caus., qui sciens; sicut nec vir accusare potest mores uxoris, quos prius probavit, ff. de adulter., si uxor, in fi. Hoc concedebat Io., sed ex officio suo potest inquirere de talibus, 2. q. 7, quaerendum; ff. de postulan., quos prohibet; et ff. de pet. hered., filius; et ff. de adulter., ex lege § si publico; et infra, de except., exceptionem. Et quod superior debeat de his inquirere habes expresse supra, de elect., nihil est; et supra, de elect., venerabilem. Tamen quod dicit Io., quod isti qui toleraverunt in sacerdotio ipsum non possunt isti postea obiicere, non credo, quia licet tolerassent eum in tali officio, propterea non debent tolerare eum in maiori. Numquid si eligatur in episcopum vel in maiorem praelatum, non possunt ei obiicere aliquid? Immo possunt, quia licet sit dignus in minori, non tamen in maiori debet idoneus reputari, 12. dist., nos consuetudinem; et arg. supra, de elect., scriptum. Accusare ipsum possunt per capitulum praedictum infra, de accusat., nulli. Sed si promoveatur ad dignitatem, credo quod possunt contra illum excipere.

Examinari
Intelligo tamen quod in eo casu permittatur episcopo examinatio sive exceptio quando non per se examinavit episcopus, sed per archidiaconum, de offi. archidiac., ad haec. Sic patet quod aliquis saepe examinatur, infra, de praeben., cum secundum Apostolum; et 2. q. 5, Mennam; et 2. q. 1, notum. Arg. contra infra, de offi. legat., licet; et ff. naut. caup. stab., licet. Sed videtur quod tantummodo debeant examinari de his quae postea contigerunt, arg. supra, de aetat. et qualit., ut abbates. Immo bene debent examinari ne indigni promoveantur, et negligentia prioris examinatoris non debet impedire quo minus quaeratur an dignus sit, et ad hoc tenetur superior, supra, de elect., nihil est; et supra, de elect., venerabilem.

BOOK I **X 1.14 DE AETATE ET QUALITATE ET ORDINE PRAEFICIENDORUM**

X 1.14.14 Cum sit ars artium (rev. 9/23)

In forma communi

Infra, de praeben., cum secundum Apostolum.

In maiori ecclesia

Nota quod per formam communem qua mandatur alicui ut provideat alicui in aliqua ecclesia cathedrali, ut bene patet hic, et infra, de praeben., pro illorum; et infra, de praeben., cum secundum Apostolum. Sed per formam illam non posset provideri in aliqua praelatura, infra, de praeben., cum olim; quia ad praelaturas non extenditur intentio mandatoris. Sed quid si dicatur tantum, provideas tali in aliqua ecclesia diocesis Bononiensis, numquid potest providere in aliqua ecclesia civitatis? Vel si dicatur in aliqua ecclesia civitatis Bononiensis, numquid in ecclesia diocesis? Dicas quod non, quia per clausulam illam, in aliqua ecclesia diocesis Bononiensis, non comprehenduntur ecclesiae civitatis vel econverso, supra, de rescript., Rodulphus.

Exceptiones

Quantumcumque Papa praecise scribat, exceptiones legitimae admittendae sunt, infra, de offi. deleg., ex parte tua; nisi dicatur quod nullae debeant admitti, quod numquam de facili dicit, ut ibidem. Sed si enumerentur non obstante tali in talibus exceptionibus, tunc illae non sunt admittendae, arg. ff. si quis caut., sed et si § quaesitum.

X 1.14.14 *Cum sit ars artium*

Ars artium

Bene dicit, quia animae sunt pretiosiores omnibus aliis rebus et corporibus, 12. q. 1, praecipimus; et 24. q. 3, si habes; et infra, de poenit. et remiss., cum infirmitas, in fine.

Per alios

Per clericos suos de latere suo missos, 24. dist., quando.

Deprehendi

Nota quod eo ipso quod ordinatus apparet indignus, et ordinans similiter, ut 81. dist., tantis, in fi. Nec enim potest ignorare praelatus vitium subditi, supra, de re iudic., quamvis; arg. supra, de elect., innotuit; C. de rescind. vend., quisquis; et ff. locat. et conduct., sed addes § 1; et ff. de aedil. edict., Labeo scribit edictum § causa. Sed hoc est verum cum eos examinat per se, secus si per alios, 24. dist., quando; et infra, de offi. archidiac., ad haec.

Malos

Simile 23. dist., tales. Et dicit lex, melius est pauca idonee effundere, quam multis inutilibus homines praegravari, C. de vet. iure enucl., tanta § contrarium. Et melius est pauca agere caute quam multis periculose interesse, in Auth. de tabell., circa medium constitutionis, coll. 4. Et est arg. contra illos qui multa inutilia allegant, de conse. dist. 5, non mediocriter; et 24. q. 1, odi et proieci; quia multitudo onerosa nihil habet honesti, in Auth. de referendar., ad. fi., coll. 2.

X 1.14.15 *Quamvis multa*

Confessus
Et ideo pro convicto debet haberi, infra, de confess., cum super; et infra, de confess., ex parte; et C. de confes., confessos.

Donatum
Et ideo grammaticam populo exponere non valebat, unde in hoc reprehendi non potuit sicut ille, 86. dist., cum multa, ubi reprehenditur qui grammaticam populo exponebat.

Defectum
Tria enim praecipue requiruntur in episcopo, litterarum scientia, aetatis maturitas, et gravitas morum, adde et quartum, quod sit de legitimo matrimonio natus, supra, de elect., cum in cunctis; et supra, de aetat. et qualit., eam te. Defectus scientiae sufficit ad cedendum, supra, de renunciat., nisi § pro defectu. Competens tamen scientia in episcopo toleratur, supra, de elect., cum nobis; et supra, de renunciat., nisi § pro defectu. Ignominiosum enim est episcopo, cum ipse deberet alios docere, si tunc quaerat ab aliis edoceri, in Auth. de sanct. episc., § damus, coll. 9; et 1. q. 7, convenientibus; et 1. q. 1, vilissimus. Et qui doctior est et sanctior eligendus est, 8. q. 1, licet ergo. Et talis debet eligi cuius comparatione caeteri, grex dicantur, 25. dist., unum § nomine autem criminis.

X 1.15 DE SACRA UNCTIONE

X 1.15.01 *Cum venisset*

Apud vos
Id est, apud Graecos. Scribit enim patriarchae Constantinopolitano.

Suppleri
Ut 1. q. 1, Spiritus Sanctus § ecce quando ab haereticis. Ergo caute supplendum est quod incaute praetermissum fuerat, infra, de sacram. non iter., pastoralis; et infra, de sacram. non iter., presbyter; unde non dicitur actum cum aliquid superest ad agendum, C. de his quib. ut indign., cum Silanianum.; et 7. q. 1, nihil.

Assistentibus et duobus
Quia in consecratione episcoporum ad minus tres episcopi debent esse, 66. dist., porro; et supra, de temp. ord., si archiepiscopus.

Inungitur cor
Immo anima, sed hoc ideo dicit, quia anima sedem habet in corde principaliter, vel potius quia non fructificat unctio in anima, nisi ex corde et voluntate procedat. Vincen.

Infirmatur
95. dist., presbyteros § sed istud.

Unctionem
Id est, unctio. Figura est antiptosis, cum casus ponitur pro casu, simile 25. dist., primum; et 65. dist., sane si, vers. omnis sanctificatio, id est, omnem sanctificatum; et infra, de iudic., de Quodvultdeo, vers. quem id est qui.

Sacramentum
Simile de conse. dist. 4, necessarium; et infra, de celeb. miss., cum Marthae § ex eo, in fi.

Agit
Scilicet, salutem.

Auget
Iuxta illud: super aegros manus imponent, et bene habebunt, et vere auget sicut confirmatio, infra, de sacr. unct., cum venisset, vers. quia per eam Spirtitus Sanctus ad augmentum datur, et robur, etc.

Mystica ratione
Prout statim sequitur.

Legitur
In evangelio sancti Matthaei.

Dicitur
In libro Sapientiae.

Quo ad proximum
Ista duo necessaria sunt, 12. q. 1, nolo; et 11. q. 3, non sunt audendi.

Ab intus
Procedit. Supple unctio.

Bonus odor
Id est, exemplum et imitatio Apostolorum, quoniam Apostoli per praedicationem et famam invitabant homines ad salutem. Verba ista habes 23. q. 4, Nabuchodonosor. Et dicitur bonus odor praedicatio bonorum, quam quidam ex caritate suscipiunt. Et inde isti in anima vivunt, unde dicit: aliis sumus odor vitae in vitam, scilicet, aeternam. Alii vilipendunt et contemnunt praedicationem bonorum, et isti de tali contempu mortem incurrunt animae, unde dicitur: aliis sumus odor mortis in mortem, scilicet, aeternam. Et ita ex eodem bono odore alii salvantur, et alii pereunt.

Vitae
Id est, dilectionis, et bonae opinionis ducentis eos in vitam, scilicet, aeternam.

Mortis
Id est, invidiae, et malae opinionis, ducentus eos in mortem, scilicet, aeternam.

X 1.15.01 Cum venisset (rev. 9/23)

Foris
Simile 8. q. 1, licet ergo; et 63. dist., plebs; et 63. dist., nosse; et 63. dist., vota civium; et 63. dist., si forte; et de conse. dist. 1, iubemus.

Ut cortina cortinam trahat
Id est, ut fidelis trahat infidelem, 28. q. 1, iam nunc.

Iuxta illud
Evangelii. Vel dic iuxta illud in canticis canticorum.

Sicut seipsum
Id est, ad id quod seipsum. Hoc adverbium sicut, non est sicutissimum, quia ordinata caritas prius debet incipere a seipso, 23. q. 5, si non licet. Unde primo debet quis facere eleemosynam sibi, deinde proximo, de poen. dist. 3, sane cavendum; C. de servit., praeses.

Illius
Scilicet, Christi.

Caput enim viri
33. q. 5, cum caput.

Consecrare inquit
Haec benedictio dicitur ab episcopo dum consecrat manus presbyterorum. Et sic communis est haec benedictio episcoporum et presbyterorum, 16. q. 1, generaliter § ecce.

Ubi
Id est, postquam.

Unxit
Mystica fuit et invisibilis unctio Christi, quia nec in regem nec in sacerdotem fuit unctus, ut 2. q. 7, testes § his ita respondetur.

Ex tunc
Id est, ex tempore Christi.

Personam capitis
Id est, Christi, qui est caput ecclesiae.

Differentia
Quod ostenditur 96. dist., duo sunt; et infra, de maior. et obed., solitae.

In fronte
Ut de conse. dist. 5, de his; et de conse. dist. 5, novissime; et de conse. dist. 5, manus; in quibus habetur significatio istarum unctionum.

X 1.15.01 Cum venisset (rev. 9/23)

In pectore
de conse. dist. 4, deinde; et de conse. dist. 4, presbyteri.

Reddere rationem
Ut 36. dist., qui ecclesiasticis § ecce ad finem.

Simplex sacerdos
de conse. dist. 4, presbyteri.

Hanc
Scilicet, confirmationem in fronte soli episcopi conferunt, supra, de consuet., quanto, ubi de hoc. Arg. contra 95. dist., pervenit, ubi presbyteri chrismabant in fronte. Solutio: illud concessit Gregorius dispensative ad tempus propter scandalum, ut ibi expresse patet, alias sacerdos nihil conferret, ut in capitulo supra, de consuet., quanto.

Summus sacerdos
Id est, episcopus, 2. q. 7, accusatio.

Vicarii
68. dist., quorum vices.

In qua
Simplex relatio est hic sicut ibi, mulier salvavit quae damnavit, quoniam alia fuit columba quae detulit ramum olivae in arca Noe, et alia quae descendit super Christum dum baptizaretur.

In cataclysmo
Id est, in generali diluvio sive tempore diluvii.

Revertens
Ad arcam Noe.

Aliud quidem
Et sic colligitur hic quod alium ordinem habuit in substantia olim Levita, et alium hodie, alias videretur etiam ecclesia iudaizare in identitate.

Pastoralis
de conse. dist. 1, nullus episcopus; et 45. dist., disciplina. Ber.

Propter historiam
Martialis unus de discipulis Petri, quem posuit Dominus inter discipulos cum dixit: nisi efficiamini sicut parvulus iste, non intrabitis in regnum caelorum, etc., quem postea Petrus cum alio, scilicet Matthaeo, ad praedicandum misit in Germaniam, qui cum iret mortuus est, et rediit collega ad Petrum. Et Petrus ait: accipe baculum, et tangens eum dic ut in nomine Domini surgat et praedicet. Et ivit quadragesima die a tempore mortis tetigit eum, et resurrexit et praedicavit, et ita Petrus removit a se baculum, et dedit

subditis. Designatur autem per baculum ea quae his versibus comprehenduntur: in baculi forma praesul datur haec tibi norma. // Attrahe per primum medio rege punge per imum. // Attrahe peccantes rege iustos punge vagantes // Attrahe sustenta stimula vaga morbida lenta. Vincen.

Mysticam rationem
Quia baculus habet in summitate recuruationem, quasi ad trahendum, quod non est necessarium Romano Pontifici, quia nullus ab illo divertere potest finaliter, quia ecclesia non potest esse nulla, 24. q. 1, pudenda, in fi. Vel quia per baculum designatur coerctio sive castigatio, ideo alii pontifices recipiunt a suis superioribus baculos, quia ab homine potestatem recipiunt. Romanus Pontifex non utitur baculo, quia potestatem a solo Deo recipit.

X 1.16 DE SACRAMENTIS NON ITERANDIS

X 1.16.01 *Pastoralis*

Permitti
Ad hoc non videtur respondere, sed dic quod antequam suppleantur ista, ministrare non debet, 52. dist., sollicitudo. Et satis videtur respondere ex eo quod dicit littera, suppleri, quia non dicitur actum cum aliquid superest ad agendum, 7. q. 1, illud; et 7. q. 1, nihil; et C. de his quib. ut indign., cum Silanianum, in fi.

Impositione
Quam solus episcopus facere potest diaconibus, 23. dist., diaconus. Sed contra 23. dist., subdiaconus, ubi dicitur quod subdiaconus non recipit manus impositionem. Sed illud capitulum loquitur de impositione manus consecratoria, quae non datur subdiacono, sed haec impositio manus est quaedam benedictio, sic accipitur, 69. dist., quoniam; et 1. q. 1, manus.

Iterandum
Et sacramentum non debet iterari, ne sacramento fiat iniuria, de conse. dist. 4, ostenditur; et 1. q. 1, quod quidem.

Supplendum
Sic supra, de sacr. unct., cum venisset, circa princ.; et 1. q. 1, Spiritus Sanctus § ecce; et infra, de sacram. non iter., presbyter.

X 1.16.02 *A nobis*

Exhumandos
Propter hoc corpora exhumari non debent, quia illis non nocet talis sepultura dummodo alias boni fuerint, infra, de sepult., sacris; et 13. q. 2, animae defunctorum.

Benedici
Indumenta propterea iterum benedici non debent, ex quo semel consecrata sunt. Et haec fuit dubitatio, quia vestimentis ecclesiae, alii quam sacrati homines uti non debent, de conse. dist. 1, vestimenta. Sed vestimenta propterea non poluuntur.

Altaria
Iterum propter hoc reconsecrari non debent, de conse. dist. 1, si motum; et de conse. dist. 1, ecclesiis. Quia propter hoc non sunt execrata, sicut nec ecclesia, licet polluatur sanguine, de conse. dist. 1, ecclesiis.

X 1.16.03 *Presbyter*

Ordinantur
Manus presbyteri et diaconi chrismatis liquore perungi non debent, ut 23. dist., praeterea.

Impositionem
Sacerdotibus et diaconibus manus imponitur, 23. dist., quorundam; et eorum consecratio simile est 16. q. 1, generaliter § ecce evidenter. Sed differentia est, quia episcopus et omnes presbyteri qui ibi sunt, super caput ipsius presbyteri ordinandi, manus imponunt, 23. dist., presbyter; cum ordinatur diacono vero solus episcopus manus super caput illius ponit, ut 23. dist., diaconus.

Ab Apostolis
Apostoli enim cum de praecepto Spiritus Sancti Paulum et Barnabam mitterent ad Evangelium praedicandum gentibus, manus eis imposuerunt, et ideo ritu introducto ab Apostolis, presbyteris et diaconibus manus imponitur, ut dicitur 75. dist., quod die dominico. Similiter ordinatio episcoporum sive consecratio, ab Apostolis, scilicet Petro, Iacobo, et Ioanne introducta est dantibus formam successoribus, 66. dist., porro.

Supplendum
Supra, de sacram. non iter., pastoralis.

Suspensio
Quando episcopus incipit orationem ad benedicendum sacerdotem, tunc presbyteri omnes qui primo tangebant caput debent elevare manus, ita quod non tangant caput ordinandi. Quod ex ipso facto melius pater qualiter debeat fieri quam aliquo iure exprimatur, sic infra, de dona., Apostolicae. Quaedam enim sunt quae melius possunt intellectu percipi, quam locutione exprimi, ff. de solut., ratum; ff. rem rat. hab., quo enim § Iulianus.

X 1.17 DE FILLIS PRESBYTERORUM ORDINANDIS VEL NON

X 1.17.01 *Ut filii presyterorum*

Ut filii
Supple statuimus.

Ex fornicatione
Simile supra, de elect., cum in cunctis; infra, de serv. non ordin., consuluit; et 35. q. 3, de incestis.

Praelationem
Sic infra, de fil. presbyt., nimis; sine dispensatione sedis Apostolicae, ut ibi.

Neque servi
Infra, de serv. non ordin., consuluit.

X 1.17.02 *Ad praesentiam*

Tacito
Et ideo non valuerunt litterae, supra, de rescript., super litteris; et 25. q. 2, et si legibus.

Ministravit
Nullo medio, quia si media persona intervenisset, secus esset, infra, de fil. presbyt., ex transmissa; et infra, de fil. presbyt., ad extirpandas. Ex tunc enim si fuisset legitimus, licite posset ibi ministrare, alias non, infra, de fil. presbyt., nimis.

Non obstantibus
Quia impetratae sunt tacita veritate, simile supra, de aetat. et qualit., eam te. Secus si ex certa scientia illum recipi mandasset. Et sic est arg. quod non est semper obediendum litteris sine mandato Papae, arg. supra, de rescript., si quando; et supra, de aetat. et qualit., eam te.

X 1.17.03 *Praesentium*

Paternis
Idem iuris est de aliis, infra, de fil. presbyt., nimis; unde supple maxime.

Patiaris
Nisi habeant illas per dispensationem Apostolicae sedis, infra, de fil. presbyt., ex tua; et infra, de fil. presbyt., dilectus; et infra, de fil. presbyt., nimis. Et idem est si fuit perpetuus vicarius, infra, de fil. presbyt., constitutus; alias expellantur, et aliis idoneis conferantur, infra, de fil. presbyt., nimis. De hac materia dicetur infra, de fil. presbyt., nimis.

X 1.17.04 *Conquerente*

M. clerico
Qui praesentatus erat a patrono ecclesiae, et iste R. molestabat eum super illa ecclesia in qua pater eius nullo medio ministraverat.

BOOK I **X 1.17 DE FILLIS PRESBYTERORUM ORDINANDIS VEL NON**

X 1.17.05 Veniens (rev. 9/23)

Notorium

Qualiter dicatur aliquid notorium esse, habes infra, de cohab. cler. et mul., quaesitum. Quia si ibi ministravit, non potest esse notorium, supra, de translat., quanto.

Amovere

Cum non ostendat dispensationem Apostolicae sedis, ut dictum est supra, de fil. presbyt., praesentium; et idem hic dicas.

X 1.17.05 *Veniens*

Ministravit

Maxime infra, de fil. presbyt., nimis; ex quo non est legitimus.

Innotuerit

Sed qualiter potuit ei innotescere? Resp.: si ipse fuit ei confessus quando ipsum examinavit, 22. q. 5, hoc videtur. Vel dicas innotuit, quoquo modo, ff. de admin. tut., quidam decedens § ulti. Et si episcopus haec sciebat, non tenebatur ei dicere, quia qui scivit, certiorari non debuit, ff. de act. emp. et vend., si res vendita, in fi. Sed quis probabit innotuisse episcopo? Ille qui dicit et allegat scientiam debet probare, ff. de probation., verius; et 82. dist., proposuisti. Sed praesumptio est contra episcopum quod ipse sciverit, qui eum examinavit vel fecit examinari, 24. dist., quando episcopus. Et praesumitur quod nihil omiserit de contingentibus, 11. q. 3, absit; et supra, de aetat. et qualit., accepimus. Unde videtur quod ipse debeat probare se ignorasse. Simile, innotuit, ponitur supra, de rescript., cum contingat.

Restituas

Quia quod benigne contulit, fraudis consilio non debuit revocare, ff. de aedil. edict., ad res donatas. Vincen. Et de poen. dist. 1, quantum libet. Simile 22. q. 2, non enim; et 16. q. 2, visis. Sed nonne potest episcopus contra factum suum venire si est illicitum? Ita videtur 35. q. 9, quod quis commisit; et supra, de elect., nosti; et infra, de rebus ecc. non alien., si quis; et C. de evict., si tibi liberam. Sed hoc praecipit in odium episcopi qui talem scienter eligit, simile infra, de cleri. coniug., diversis. Et in hoc facit Papa gratiam huic sacerdoti, ut ille episcopus de caetero tales non promoveat, et cum ignoraverit ipsum fuisse talem, toleratur in eadem ecclesia de gratia, scilicet quousque provideatur ei in alia ecclesia. Et sic in primo casu propter culpam episcopi dispensat cum eo Papa, in alia casu toleratur ad tempus.

Ordinasti

Arg. contra 50. dist., ex poenitentibus; et 81. dist., si qui sine. Contra hoc fit ex dispensatione, ut dixi. Numquid interim est praelatus? Ita, et habebit omnia, ff. de bon. poss. sec. tab., aequissimum. Sed contra videtur quod non sit praelatus, praelatura enim ad tempus dari non potest, 55. dist., praecepta. Sicut nec hereditas temporalis, ff. de hered. instit., hereditatis; ff. de regul. iur., actus legitimi. Sicut nec libertas, ff. de manum. test., libertas; ff. de poe., quaesitum § 2. Sed hoc intelligitur fieri de mandato domini Papae, alias non esset praelatus.

X 1.17.06 *Proposuit*

Carere
Et ita est hic arg. quod qui habet ordinem, debeat habere beneficium, 70. dist., neminem; et 70. dist., sanctorum canonum; et infra, de praeben., episcopus; et 1. q. 3, si quis obiecerit.

Cum assensu eiusdem
Sed quare requiritur assensus illius, et non patroni, contra illud 63. dist., principali; et 63. dist., Reatina ecclesia? Papa dicit quod patronus eligit solum praelatum, et iste subdiaconus erit praelatus, et ideo consensus eius exigebatur, infra, de iure patron., postulasti. Vel supple et patroni consensus principaliter. Vel dicas melius quod sacerdos erit praelatus, ut dicebant Laur. et Vincen. Et subdiaconus toleratur ex dispensatione, et ideo consensus patroni debet requiri principaliter. Et patronus praesentabit presbyterum de assensu clerici, et isti aequaliter habebunt bona ecclesia. Et hoc quod dicitur de isto R. potius credo dictum ex dispensatione quam de iure, quia ex eo quod dicit, indignum est ut ipse, etc., quod satis videtur. Sed ex littera potius colligitur quod presbyter sit praelatus quam clericus, ex eo quod dicit, solus presbyter, et ex eo quod dicit, sine ministri suffragio. Et est arg. quod clerici possunt habere praebendas distinctas et divisas.

Solus
Arg. quod dedicari non debet, nisi tantum assignetur eidem, quod duobus sufficiat, arg. 7. q. 1, illud; et 81. dist., in omnibus; de conse. dist. 1, hoc quoque statutum; et de conse. dist. 1, nemo; et 1. q. 2, placuit.

X 1.17.07 *Ex transmissa*

Media
Nota quod nomen heredis proximum significat, non ulteriorem. Sed non semper, sed in quibusdam speciebus, ff. de ver. sig., sciendum; C. de poe., honor. Arg. contra C. de hered. instit., cum in libris, ubi dicitur quod heres heredis testatoris est heres; et C. de legi. et const., annalibus; ff. de ver. sig., heredis; ff. de lib. et post., quid sit. Solutio: regulare est ut per multas successiones accipiatur nomen heredis, ut in praedicta lege ff. de ver. sig., sciendum, et contraria specialia sunt. Et si iste Gu. fuit legitimus, nulla dispensatio est necessaria, ex quo media intercessit persona, ut dicitur hic in fi. Et hic non dicitur non fuerit legitimus. Ber.

Observato
Id est, non propter hoc minus observatur decretum illud, quo prohibetur filios succedere in paternis ecclesiis, ut supra, de fil. presbyt., praesentium. Et in ecclesia successio esse non debet, 8. q. 1, apostolica.

Successionem
Nota quod hereditaria successio in filiis, et etiam in hominibus eiusdem loci consideratur, infra, de iure patron., consuluit; et infra, de instit., ad decorem; et infra, de decim., ad haec.

X 1.17.08 *Constitutus*

Spoliavit
Quod de iure fieri non potuit, 16. q. 7, laici; et 16. q. 7, contra sanctorum. Nec etiam in hominibus clericorum laici habent potestatem, 23. q. 8, scire; et 12. q. 2, ecclesiarum servos.

Eiectus
Sed cum iste fuerit spoliatus, debuit restitui simpliciter antequam cognoscatur de iure suo, infra, de restit. spol., in litteris; et infra, de restit. spol., item cum quis; et infra, de restit. spol., ex conquestione. Sed hoc ideo fit quod mandat Papa inquiri, quia non agebat ipse possessorio, sed petitorio et possessorio, quod patet ex ipsa littera in principio, quia dixit se canonice institutum, et fuisse postmodum spoliatum, et ideo de utroque mandat inquiri; sic infra, de restit. spol., accepta. Alias si simpliciter petiisset restitutionem, restitutus fuisset sine causae principalis cognitione.

Perpetuus vicarius
Nota quod licet pater temporalis vicarius fuit ibi, non videtur impedimentum praestare filio, quia cum pater nullum habuit titulum vel ius in re, cessat ius successsionis. Item si pater fuit praelatus, potest ibi esse canonicus filius de legitimo matrimonio natus, infra, de fil. presbyt., ad haec. Contrarium videtur dicere infra, de fil. presbyt., ad abolendam; et ibi de hoc dicetur.

Nomine
Si pater ministravit ibi nomine filii, patet quod filius erat praelatus, quia is etiam possidet cuius nomine possidetur, ff. de acq. poss., quod meo; Inst. de interdic. § possidere; infra, de restit. spol., cum venisset; infra, de praescrip., si diligenti.

Perceptis
Vel etiam qui percipi potuerunt, infra, de restit. spol., gravis, ubi de hoc.

X 1.17.09 *Ex tua*

Consultationem
Improprie ponitur, quia cum respondetur consultationi, ius commune ostenditur per responsionem, arg. infra, de voto et vot. redem., ex multa. Et ideo expone consultationem, id est, supplicationem, quia indulgentiam continet haec decretalis. Et hoc patet ex eo quod dicit infra, dispensasti et dispensationem. Et probatur hoc infra, de fil. presbyt., dilectus; et infra, de fil. presbyt., nimis. Nam Papa tantum cum talibus dispensat, ut ibi dicitur.

Eos
Scilicet, cum quibus fuerat dispensatum.

Ipsis
Impetrantibus.

Nequeant
Hoc ideo dicit, quia de gratia ipsi obtinuerunt litteras pro istis ecclesiis obtinendis. Et ex hoc patet, quod ecclesias licite retinere non poterant per solam concessionem episcoporum, ex quo Papa mandat eos removeri, et est verum, infra, de fil. presbyt., nimis.

Irritari
Ergo dispensatio semel facta non est revocanda amplius, sicut nec iniuriae remissio, 23. q. 4, si illic. Immo beneficium decens est esse mansurum, in Auth. const. quae de digni. lib. a pat. pot., § illud quoque, coll. 6. Deus enim dona sua multiplicat, de poen. dist. 1, quantumlibet; et infra, de schismat., fraternitati.

Donationis
1. q. 7, si quis omnem, in fi. Immo suspendi debent clerici et communione privari, qui ecclesias recipiunt de manibus laicorum, et laici sunt excommunicandi, infra, de iure patron., praeterea quia. Cum ipsi tale ius possidere non possunt, supra, de elect., sacrosancta; et supra, de elect., Massana; nisi in capella ubi patronus habet tantum ius praestandi, infra, de iure patron., nobis; et infra, de iure patron., quod autem; et infra, de iure patron., pastoralis. Et non ius conferendi, infra, de fil. presbyt., nimis.

X 1.17.10 *Quoniam*

Excludatis
Supra, de fil. presbyt., praesentium; et infra, de fil. presbyt., nimis.

Ulterius
Et ita loquitur de illegitimis, et sic nec in paternis nec in aliis institui debent, infra, de fil. presbyt., nimis.

Manifestum
Et ita habes quod in manifestis et notoriis ordo iudicarius non est observandus, 2. q. 1, de manifesta; et 2. q. 1, quae Lotharius; infra, de appell., cum sit Romana, in fi.; et C. de accusation., ea quidem. Arg. contra 2. q. 1, Deus omnipotens; et infra, de divort., porro; et supra, de elect., bonae 1.

X 1.17.11 *Ad extirpandas*

Filii presbyterorum
Vel etiam nepotes, vel inferiorum quilibet quorum est ius succedendi, arg. Inst. de hered. qual. et diff. § sui. In collateralibus non prohibetur, arg. infra, de offi. deleg., ex parte N. Et quilibet repellitur qui quasi iure successionis ecclesiam sibi vendicare intendit, quia ibi non habet locum successio, supra, de fil. presbyt., ex transmissa, in fi.; et 8. q. 1, apostolica.

Vicarii
Perpetui; simile supra, de fil. presbyt., constitutus.

Nulla persona media
Supra, de fil. presbyt., ex transmissa.

Amovere
Etiam si sint de legitimo matrimonio nati, ne videatur locum habere successio, 8. q. 1, apostolica. Secus si media persona intercessisset, quia de iure communi ibi et alibi possent praefici, cum sint legitime nati.

X 1.17.12 *Ad haec*

Legitimo
Infra, de fil. presbyt., ad abolendam, arg. contra secundum unam lectum. Sed illud maxime, quod est ibi, tenetur comparative. Alias illegitimus filius simul cum patre in eadem ecclesia esse non debet, infra, de fil. presbyt., cum decorem.

Obtinere
Et ita potest filius legitimus in paterna ecclesia simul cum patre beneficium obtinere, arg. infra, de fil. presbyt., cum decorem. A contrario sensu in verbo, illegitimus, sed in paterno beneficio sive dignitate succedere non debet, 8. q. 1, apostolica; et supra, de fil. presbyt., constitutus; et supra, de fil. presbyt., ad extirpandas. Ber.

X 1.17.13 *Michael*

Constiterit
Sed quomodo poterit hoc constare si ipse negaverit se filium fuisse illius? Resp.: si natus ex illa quam tenebat secum publice in domo pro concubina, praesumitur enim filius illius, sicut aliquis praesumitur filius, quia natus est in matrimonio, quia pater est is, quem nuptiae demonstrant, ff. de in ius voc., quia mater. Et ita praesumptive talem dicimus filium, quem talis cohabitatio filium demonstrat, quia fuit in possessione filiationis, C. de suis et leg. lib., ut intestato. Sed si non fuit natus de tali, qualiter probabit? Resp.: ex eo quod ille vocabat illum filium, et ille appellabat eum patrem, et communiter habebatur et nominabatur filius, infra, de probat., per tuas. Et ex dilectione sola discernitur quis cuius filius approbatur, infra, de praesump., afferte. Sed videtur quod talis nominatio non probet illum filium, quia contrarium admittit probationem, C. de probation., non nudis; C. de testament., neque professio; ff. de inoffic. testam., instituta § 1. Bene statur nominationi per illam decretalem, infra, de probat., per tuas, in fi., nisi expresse contrarium probaretur, ut dicunt illa ultima iura.

Proximo
Supra, de fil. presbyt., ad extirpandas.

X 1.17.14 *Litteras*

Legitima
Ducta ante sacros ordines susceptos, qua postea uti non licuit, 31. dist., ante triennium; 32. dist., placuit. Quia promissa continentia sive castitate, postea fuit promotus, unde postea uti uxore non licuit, 77. dist., episcopus benedictionem; et 32. dist., seriatim; infra, de cleri. coniug., sane 1; et infra, de conver. coniug., coniugatus. Et ideo de iure non potuit promoveri.

Licet a filiis
Hic vult dicere, licet a filiis, etc., id est, licet filii sint repellendi propter paternam incontinentiam, tamen si alias boni, etc.

Ordinari
Sed numquid per hoc non dispensatur tantum cum eo in minoribus ordinibus? Arg. quod sic, quia promissio in genere mediocritatem respicit, ff. de aur. arg. leg., qui lancem; et ff. de leg. 1, legato; et C. commun. de legat., si duobus. § sed si quis; et ff. de leg. 1, apud Iulianum § scio; et C. de donation., si quis argentum § simili quoque. A simili dispensatio in genere respicere debet tantum minoritatem, arg. ff. de leg. 3, nummis. Arg. contra supra, de translat., licet; et ff. de constit. princ., beneficium; et infra, de verb. sign., olim; infra, de dona., cum dilecti, in fi.; et optimum arg. infra, de simon., mandato. Sed tutius est tantum intelligere de minoribus, quia sic Papa sensisset videtur, et nos ita sentire debemus, arg. supra, de rescript., super litteris, in fi.; et infra, de praeben., cum olim.

X 1.17.15 *Cum decorem*

Illegitimus
Sed legitimi bene possunt esse in ecclesiis in quibus praesunt partes eorum, supra, de fil. presbyt., ad haec. Sed contra infra, de fil. presbyt., ad abolendam, ubi legitimi prohiberi videntur, secundum unam lecturam illius adverbii, maxime, et ei standum est.

Victimatur
Supra, de summ. trin. et fid. cath., firmiter § una vero.

X 1.17.16 *Ad abolendam*

Filii
Scilicet, illegitimi.

Maxime spurii
Sic istud adverbium, maxime, ponitur pro tantum, tunc legitimi possunt institui, ut supra, de fil. presbyt., ad haec. Si intelligas proprie, tunc nec legitimi sunt instituendi in ecclesiis in quibus sunt instituti patres eorum, multominus et spurii, quod satis videtur, et ita corrigitur supra, de fil. presbyt., ad haec. De spuriis nulla dubitatio erat, cum illi esse

prohibiti per multa alia iura, ut supra, de fil. presbyt., ut filii; et infra, de serv. non ordin., consuluit; et ff. de poe., sanctio legum. Sed dic ut in sequenti notula dicitur. Ber.

In saecularibus

Et hoc ideo dicit, quia in regularibus bene possunt simul esse monachi, vel regulares canonici pater et filius, quia tales personae irregulares non prohibentur intrare religionem, supra, de fil. presbyt., ut filii; et 56. dist., ut filii. Et ita in saecularibus prohibentur tantum ex hoc verbo. Sed ex eo quod dicit inferius, quod vero tales, ut dictum est canonicare praesumpserint, a suis beneficiis suspendantur, videtur quod loquatur tantum de spuriis, quia cum illis episcopi dispensare non possunt, ut infra, de fil. presbyt., nimis. Pro legitimis non ita punirentur, et ita loquitur tantum de spuriis, et secundum hoc haec dictio, maxime, ponitur pro tantum, id est, illegitimi tantum prohibentur, et non legitimi, licet glossula praecedens contrarium videatur dicere. Sed verius credo quod de omnibus filiis intelligatur, alias nihil adderet ista constitutio, nisi hoc solum quod tantum poenam imponit hic ordinatoribus. Sed contrarium est verum, quia ponitur pro tantum, sed a propria verbi significatione non est recedendum, si res aliter salva esse potest, ff. de leg. 3, non aliter; et infra, de decim., ad audientiam; et supra, de translat., inter corporalia. Et in re dubia melius est verbis edicti servire, ff. de exerc. act., utilitatem § si is qui. Et ideo istud, maxime, tenetur proprie, et potest intelligere respectu eorum quod non sunt spurii, sed alias illegitimi ut sunt naturales, et sic idem dicit quod supra, de fil. presbyt., cum decorem. Et addit, quia poena hic statuitur contra ordinatores, et sic non tollitur supra, de fil. presbyt., ad haec.

Non valere

Arg. quod episcopi non possunt dispensare cum illegitimis in simplici beneficio, et ex eo quod hic dicitur, decernimus non valere, et quod poena imponitur ordinatoribus talium personarum, est arg. infra, de fil. presbyt., nimis, ubi removentur illegitime promoti sine dispensatione Papae. Hoc ius commune statuitur, sed dispensatio non prohibetur in aliis ecclesiis, in quibus patres non sunt instituti, et ita bene possunt episcopi dispensare cum illegitimis in simplici beneficio in aliis ecclesiis non paternis, sed in paternis non possunt. Eo enim ipso quod prohibet concilium de paternis tantum, datur intelligi quod de aliis concedat, arg. infra, de fil. presbyt., nimis; et supra, de fil. presbyt., ad haec; et supra, de fil. presbyt., cum decorem. De hoc dic ut infra, de fil. presbyt., nimis, in notula: sic ergo. Ber.

X 1.17.17 *Dilectus filius*

Nullo medio

Quare medio debet expelli, supra, de fil. presbyt., Michael; et supra, de fil. presbyt., ad extirpandas; et supra, de fil. presbyt., ex tua; et supra, de fil. presbyt., praesentium; et supra, de fil. presbyt., conquerente; etiam si legitimus fuisset.

Non obstante

Sic patet expresse quod legatus domini Papae non potest cum talibus dispensare, licet habeat generalem legationem. Sed videtur contra infra, de offi. legat., quod translationem, ubi legatus exercet ea quae tantum sunt sedi Apostolicae reservata, scilicet

excommunicatos propter violentas manus in clericos absolvere. Sed illud iam introductum est ex consuetudine, ex certa scientia Papae, et ita perinde est ac si Papa specialiter committeret, et ita per generalem legationem non transferuntur ea quae specialiter tribuuntur, ff. de off. eius cui man. est iur., quaecumque; et infra, de offi. legat., quod translationem; et ff. de pignorib., obligatione. Vel forsitan iste legatus erat tantum legatus in provincia sua, et isti legati qui non mittuntur de latere domini Papae, ut infra, de offi. legat., cum non ignoretis. Non habet tam largam legationem, sicut illi qui mittuntur a latere domini Papae, ut infra, de offi. legat., excommunicatis. Unde satis potest dici quod Cardinales legati, qui quasi pars corporis domini Papae intelliguntur, ut 6. q. 1, si quis ex militibus, possunt cum talibus dispensare, sed alii non possunt ultra id quod specialiter in eorum privilegio continetur. Et quod illi habeant maiorem auctoritatem et potestatem patet, quia praesentibus legatis missis de latere domini Papae, isti non debent tunc suae legationis officium exercere, infra, de offi. legat., volentes. Et optime facit ad hoc 93. dist., praecepimus; et 94. dist., valde. Immo nec illi possunt dispensare contra concilium Lateranense, infra, de praeben., dilectus filius 1; et hic, et infra, de fil. presbyt., nimis; et supra, de fil. presbyt., ad extirpandas.

Canonicum

Sed quid erit canonicum? Resp.: ut ab ecclesia expellatur, ut infra, de fil. presbyt., nimis. Filius enim patri in ecclesia succedere non debet, supra, de fil. presbyt., praesentium; et supra, de fil. presbyt., conquerente; et supra, de fil. presbyt., ad extirpandas; et in pluribus capitulis sequentibus post illud capitulum supra, de fil. presbyt., praesentium; et 8. q. 1, apostolica.

X 1.17.18 *Nimis in tua*

Sedis Apostolicae

Sic ergo patet aperte per decretalem istam quod iuris sit de filiis presbyterorum, et aliis illegitime natis, quia non possunt ad dignitates vel beneficia curam animarum habentia promoveri, nisi per dispensationem sedis Apostolicae; sic supra, de fil. presbyt., ex tua; et supra, de fil. presbyt., dilectus. Arg. supra, de fil. presbyt., ad abolendam, et si promoti sint, debent expelli. Sed numquid episcopi possunt dispensare cum talibus illegitime natis in simplici beneficio, et ut promoveantur ad sacros ordines sine aliqua praelatione? Videtur quod sic, eo enim quod prohibet tantum illos a dignitatibus et cura animarum, intelligitur permittere de aliis inferioribus beneficiis, quia quod de uno prohibetur, de alio permittitur, 25. dist., qualis; et infra, de his quae fi. a prael., cum Apostolica, in fi. Praeterea non invenitur eis prohibitum, ergo intelligitur permissum eis, infra, de rerum perm., ad quaestiones; et 30. q. 4, qui spiritualem. Sed videtur prohibitum supra, de fil. presbyt., ut filii; et supra, de fil. presbyt., ad abolendam; et infra, de serv. non ordin., consuluit. Sed potest dici quod ibi ius commune statuitur, sed dispensatio non prohibetur. Sed contra hoc videtur expressum supra, de fil. presbyt., litteras, ubi dispensat Papa cum tali ad clericatum ibi, Papa dispensavit per hoc tamen aliis non prohibetur, quia hoc ab ipso fuit petitum. Et sic patet quod illegitimi nati, de iure communi promoveri non possunt ad aliquem ordinem. Sed si in monasteriis vel regularibus ecclesiis ministraverint, numquid postea possunt promoveri ad ordines, vel ad dignitates de iure communi, vel per dispensationem? Videtur quod sic de iure communi, supra, de fil.

presbyt., ut filii; et 56. dist., presbyterorum filios; quia ingressus religionis omnem tollit irregularitatem, in Auth. de monach., in princ., coll. 1. Sed contra videtur quod non tollatur irregularitas per ingressum religionis, infra, de apostat., ex litterarum; et infra, de poeni., in quibusdam. Potest dici quod postquam interaverint religionem possunt promoveri ad ordines sine aliqua dispensatione, ad honores vero promoveri non debent sine dispensatione, prout hic dicitur, et arg. supra, de fil. presbyt., ut filii, vers. praelationem vero, etc. Et ita habes hic casum in quo episcopis aufertur dispensandi potestas.

X 1.18 DE SERVIS NON ORDINANDIS

X 1.18.01 *Instruendi*

Ingenuitatis
Improprie tenetur illud verbum, quia ingenuus est qui statim cum nascitur liber est, Inst. de ingen., in princ. Unde dic ingenuitatis, id est, libertatis plenae, quia qui ad clericatum promovetur, prius plenam libertatem consequi debet nullo a domino retento obsequio temporali, alioquin promoveri ad clericatum non debet, 54. dist., quicumque.

Praecaveri
Nota quod futura sunt praecavenda, 23. dist., in nomine Domini; et 63. dist., cum Hadrianus; et 1. q. 7, convenientibus, circa princ. Et exempla praesentia nos cavere praemonent in futurum, 82. dist., plurimos, in fi. Et maior tristitia est de talibus cum revocantur quam nascatur gratia de accitis, id est, vocatis, 51. dist., praeterea; et 51. dist., designata. Et ecclesia pro talibus infamatur, infra, de obligat. ad rat. ord., magnus. Et sic ad cautelam futuorum aliquid fit, 28. dist., de Syracusanae. Et providere quis debet, quod contingere potest, ff. locat. et conduct., si quis domum § 1. Arg. contra quod non imputatur alicui si non divinavit, ff. ad leg. Aquil., si putator, in fi.; et ff. mand. vel cont., si fideiussor § si cum debitor; et infra, ut eccl. ben., ut nostrum.

X 1.18.02 *De servorum*

Ad sacros
Idem intelligas de inferioribus, 54. dist., nullus episcoporum; et 54. dist., quicumque; et 54. dist., si quis obligatus; et supra, de serv. non ordin., instruendi.

Fugiens
Iste fugiens si de statu suo certare voluerit, ad priorem iudicem a quo fugit, remitti debet, ut ibi causa status agatur, C. ubi cau. stat. agi deb., quae a te. Si vero est possessione libertatis, sub illo iudice ubi est convenietur, C. ubi cau. stat. agi deb., si in possessione. Hoc autem debes intelligere, quod haec quaestio si dubitetur an sit fugitivus vel non, tractabitur et finetur antequam inchoetur causa status, ff. de liber. caus., liberis § sunt et aliae; et ff. de liber. caus., igitur § potest. Si vero non est fugitivus, et vult proclamare in libertatem, sequitur forum domini, C. ubi cau. stat. agi deb., si ex possessione.

X 1.18.03 De famulis (rev. 9/23)

Deponatur

Quid iuris sit de servis ordinatis, nota quod si ordinatur servus domino sciente et contradicente, servus remanet et restituitur domino, etiam si sacerdos sit factus, ut quidam dicunt, ut 54. dist., ex antiquis. Alii contradicunt, ut Io. et Tanc. Si vero sciente et non contradicente domino, tunc statim liber est, ut 54. dist., si servus sciente. Si autem domino ignorante ordinetur, sed episcopo vel praesentatore sciente quod sit servus, tunc ille efficitur liber, et episcopus vel praesentator tenetur dare domino duos servos aeque bonos, 54. dist., si servus absente. Si non habeat unde solvat, restituetur domino, ut statim distinguitur. Si vero domino ignorante, et episcopo et praesentatore fuit ordinatus, si constitutus est in minoribus ordinibus, deponitur et remanet servus, 54. dist., ex antiquis; et 54. dist., frequens. Diaconus vero det vicarium pro se, aut si non habet, ipse reddatur, 54. dist., ex antiquis. Eodem privilegio subdiaconus gaudet, infra, de serv. non ordin., miramur. Arg. ad id supra, de aetat. et qualit., a multis. Si vero est sacerdos, statim liber est, sed amissione peculii sui mulctatur, ut in 54. dist., ex antiquis. Vel si non habet peculium, serviat domino in divinis officiis, 54. dist., frequens. Si vero quis monachus factus est, usque ad triennium tantum potest eum repetere, ultra vero remanet monachus et liber, 54. dist., servus sciente.

X 1.18.03 *De famulis*

Non licebit

12. q. 3, placuit; et 12. q. 3, quicumque. Contra hoc loquitur libertis ecclesiae hac conditione manumissis. Illud intelligitur de his qui ingenui sunt. Item contra, Inst. de succ. lib. § sed nostra. Hic de rebus acquisitis occasione ecclesiae, ibi de aliis. Vel hoc de manumissis ab ecclesia, ut quicquid acquirant, ecclesiis intelligantur acquirere, illud a privatis. Vel isti non habebant consanguineos, illi sic, 12. q. 2, episcopus qui filios. Et ratio est 12. q. 3, pontifices; et infra, de testamen., cum in officiis. Hoc est de his quae intuitu ecclesiae data sunt, et pro remedio animarum defunctorum, ut ibi dicitur, et in 12. q. 3, pontifices. Illud verius credo quod hac conditione isti manumissi fuerunt. Si vero simpliciter libertati sunt donati, tunc liberum est eis facere quod volunt, infra, de serv. non ordin., eo libentius.

Ecclesiam

Id est, praelatum, quia ei praecipue tenentur, cum sit caput, infra, de verb. sign., cum clerici. Secus est de aliis singularibus personis, 12. q. 2, qui manumittitur; 12. q. 2, octava discussio; et 12. q. 2, episcopus qui mancipium. Sed contra ecclesiam testificari non potest, cum sit patrona, nisi ipsius edicti venia impetrata, C. de in ius voc., venia; et 12. q. 2, qui manumittitur. Alias in servitutem rediguntur, ut dicit hic, et 12. q. 2, qui manumittitur.

Meruerunt

Id est, acceperunt. Vel intellige proprie, quia ipsi libertatem meritis suis acceperunt, 12. q. 2, si quos.

X 1.18.04 *Nullus*

Canonicas
Arg. quod dominus posset retinere operas spirituales in eo quem manumittat ad clericatum. Arg. contra 54. dist., quicumque. Illud intelligitur de obsequio temporali, quod retinetur in eo quod manumittitur non ad ordines, sed ut laicus remaneat, et istud de obsequio spirituali, quod non prohibetur, immo licitum est, 54. dist., frequens, in fi.

Accusatus
Sed qualiter contra istum agitur, civiliter an criminaliter? Si criminaliter, et dominus non probet, qualiter punietur dominus? Potest dici quod accusatus non punitur proprie, quia dominus non accusat, sed potius agit ut in servitutem refigatur, arg. C. de edend., qui accusare. Vel si vis ut proprie teneatur, accusator punietur pro motu iudicis si defecerit in probando, et obligabit se ad extraordinariam poenam, infra, de accusat., super his.

Degradetur
54. dist., ex antiquis; et 54. dist., frequens. Contra, ubi dicitur quod sacerdos factus remanet liber, super hoc varii varia dixerunt. Quidam dicunt quod istud corrigitur per illa. Vel dic quod illa continent ius commune, haec specialia sunt in odium illorum qui promoti sunt ut serviant in divinis officiis, arg. infra, de serv. non ordin., eo libentius. Melend. dixit, quod hoc dominus dixit in pacto ut redigeretur in servitutem, nisi ministraret dominis suis divina. B. dicit quod intelligitur de servo praelati. Vel posset dici, ut quidam dicunt, quod libertas est res spiritualis, et ideo potest venire in commutatione cum alia re spirituali, infra, de rerum perm., ad quaestiones. Hug. dicit quod hoc capitulo non tenet. Verior videtur opinio Melend., qui dicit quod eo pacto vel conditione liber factus fuit et ordinatus, ut serviret dominis suis in divinis, alias in servitutem refigatur. Et facit pro hoc infra, de serv. non ordin., eo libentius. Et est arg. quod si domino ignorante servus sacerdos factus fuerit, debet reddi Domino ut serviat ei in divinis, 54. dist., frequens. Ergo multo fortius debet ei servire ubi eo pacto promotus est, ut dixi, quia maior contumacia praesumitur illius, et sic propter contumaciam, et quia fidem promissam non servat, deponitur et redditur domino, et nullo privilegio clericali gaudebit ulterius, quo ad dominum.

X 1.18.05 *Consuluit*

Spurios
Spurius est cui pater vulgus et sic non potest ostendere patrem. Vel si ostendit verecundum, ostendit quem habere non licet, ff. de statu hom., vulgo. Et isti illegitime nati promoveri non debent, supra, de fil. presbyt., ut filii; et supra, de fil. presbyt., nimis.

Servos
54. dist., nullus episcoporum; et supra, de serv. non ordin., per totum.

X 1.18.06 *Eo libentius*

Eo tenore
Arg. contra, 1. q. 2, quam pio; et supra, de serv. non ordin., instruendi; et infra, de pact., pactiones; eo intuitu vel modo. Non enim fuit conditio, sed modus ad quem servandum

tenetur, supra, de serv. non ordin., instruendi; et infra, de pact., pactiones. Arg. quod non fuit conditio, ff. de tutel., muto § sub conditione; et infra, de praeben., significatum; ff. de manum. test., libertas § haec scriptura. Vel aliter sicut sponsalia possunt contrahi sub conditione, ut quis fidem Christianam recipiat, 28. q. 1, non oportet. Vel ut corrigat vitam, infra, de spons., inter opera. Item potest aliquem manumittere ut ordinem recipiat, ut hic, et infra, de cond. appos., cum sit. Libertas enim res spiritualis est, et ideo potest venire in commutationem cum alio spirituali, ut hic, et supra, de serv. non ordin., nullus; et infra, de rerum perm., ad quaestiones.

Impendere
Immo si non impendunt, rediguntur in servitutem, 12. q. 2, diaconi; et 12. q. 2, octava discussio. Et illud exaudias secundum hoc et secundum distinctionem istius intelligas, supra, de serv. non ordinan., nullus, ut ibi dictum est.

Ad aliam
De licentia tamen episcopi, alias non esset quaestio. Ex quo enim intitulari sunt in aliqua ecclesia, debent in ea perpetuo permanere, 70. dist., sanctorum; 21. q. 1, clericus; supra, de renunciat., admonet; et infra, de pact., pactiones.

X 1.18.07 *Miramur*

Antiquorum
54. dist., ex antiquis; 54. dist., frequens; et 54. dist., quis autem.

Mentio
Ut patet in praedictis canonibus, 54. dist., ex antiquis, ubi nulla fit mentio de subdiacono expresse. De subdiacono et inferioribus officiis fit mentio non expresse, sed generaliter fit de subdiacono mentio in 54. dist., ex antiquis, vers. reliqua vero officia. Illa clausula respicit omnes post diaconum, quia secundum antiqua iura subdiaconalis ordo non erat sacer, et ideo communi iure censebatur cum inferioribus ordinibus in primitiva ecclesia, 60. dist., nullus in episcopum; et 60. dist., innovamus, in quibus ad honores provehi prohibentur omnes inferiores post diaconum. Et ideo olim subdiaconus si promotus fuerat domino suo ignorante, revocabatur in servitutem. Hodie vero cum diacono non eodem privilegio gaudet, ut si quis ignorante domino subdiaconus fiat, vicarium pro se praestet, aut si non habet, ipse reddatur. Hic cavetur de diacono, et idem iuris est de subdiacono per hanc decretalem.

Gregorii
Constitutionem Gregorii habes 31. dist., ante triennium; et 28. dist., nullum.

Urbani
Secundi scilicet, ut 32. dist., erubescant. Et illa iura, 61. dist., hodie correcta sunt, quia bene potest subdiaconus hodie eligi in episcopum, supra, de aetat. et qualit., a multis.

X 1.18.08 *Dilectus filius G.*

Mater sua
Si iste natus est de legitimo matrimonio, contradicit illud decretalem, 32. q. 4, liberi dicti sunt, ubi dicitur quod natus de legitimo matrimonio deteriorem partem sequitur semper. Et hic dicitur partus sequitur matrem. Si autem dicis quod non fuit natus de matrimonio, tunc sequitur conditionem etiam matris, ut ibi. Et hic videtur idem. Sed secundum hoc non potest stare quod hic dicitur, quia si iste non est natus de matrimonio legitimo, promoveri non potest ad sacros ordines, supra, de fil. presbyt., ut filii. Et hic dicit quod in presbyterum ordinetur. Dico ergo quod iste erat natus de legitimo matrimonio, et tamen sequitur conditionem liberae matris, C. de rei vend., partum; et ff. de liber. caus., placuit. Et etiam ancillae si ibi non est matrimonium, ut ff. de statu hom., lex naturae. Et capitulum illud intelligitur secundum Lombardam consuetudinem, quae adhuc observatur in multis regionibus, ut partus sequatur deteriorem conditionem natus de matrimonio legitimo. Sed lex Romana aliud tenet, ut partus sequatur conditionem matris natus de legitimo matrimonio, ut dicunt leges praedictae. Vel capitulum illud, 32. q. 4, liberi dicti sunt, potest reduci ad leges praedictas, ut dicas ibi: deteriorem partem sequatur, id est, debiliorem, scilicet, femineam. Nam sexus femineus debilis est, et ideo iste cum sit natus liber de libera matre potest promoveri non obstante contradictione militis. Praeterea cum iste iam esset diaconus, poterat in libertate remanere dato vicario, et sic dominus ipsum impedire non poterat, 54. dist., ex antiquis.

X 1.19 DE OBLIGATIS AD RATIOCINIA ORDINANDIS

X 1.19.01 *Magnus episcopus Augustinus*

Procuratores
Procurator dicitur qui mandato domini aliena negotia in iudicio administrat, ff. de procur., procurator est qui. Alius dicitur procurator ad negoria datus, ff. mand. vel cont., si remunerandi § 1. Et specialis titulis est iste ad negotia, quia iste ad causas, ille ad negotia actor constituitur a corpore vel universitate, ff. quod cui. univ. nom., neque societas. Et debet constitui etiam cum decreto, et ad lites praesentes non ad futuras, ff. quod cui. univ. nom., item eorum § sed si ita.

Executores
Qui mandata iudicum exequuntur, sicut sunt huiusmodi officiales dum tamen saeva praecepta non exercuerint, quia illi promoveri non possunt, 51. dist., aliquantos; ita quod irregularitatem non contraxerunt.

Curatores
Melius dixisset, tutores, per hoc quod sequitur, pupillorum. Tutor enim datur pupillo intra quatuordecim annos, curator post quatuordecim, usque ad vigintiquinque.

Ratiocinia
Ratiociniis obligatus alicuius saecularis personae nisi fuerit miserabilis cui obligatus est. Et si in officio suo voluerit remanere, promoveri non debet, arg. 21. q. 3, pervenit; et 21. q. 3, credo; infra, ne cler. vel mon. saecul. neg., multa; et infra, ne cler. vel mon. saecul. neg., sacerdotibus; et infra, ne cler. vel mon. saecul. neg., sed nec. Si vero ecclesiasticae

personae vel miserabili fuerit obligatus, etiam in officio suo perseverans poterit promoveri, si aliud non obsistat, arg. 86. dist., pervenit; arg. 16. q. 7, in nova; 89. dist., indicatum. Si vero privata, aut in ipsa promotione movetur sibi quaestio, aut non. Si movetur, aut prius mota est, distinguitur: aut convenitur de dolo, vel de culpa tantum. Si de dolo vel perfidia, non debet ante finem litis promoveri, arg. 81. dist., tantis; et 23. dist., illud; et C. de procur., reum; et in hoc casu potest intelligi hoc capitulum. Et tamen debet taxari infra quod tempus decidatur causa, arg. infra, de clan. despon., cum inhibitio; et infra, qui fil. sint legit., lator; et 5. q. 1, quidam; C. de ing. manum., diffamari; ff. de accusation., cum Titia. Si de culpa tantum convenitur, promoveri potest, non obstante reclamatione creditoris, cum lis suo marte currere possit ut prius, et etiam sub eodem iudice, ff. de iuris., cum quaedam; et infra, de for. compet., proposuisti. Si vero nec lis sibi movetur nec mota est, non obstante obligatione promovetur, nisi manifestum sit ipsum de dolo teneri. Tunc enim episcopus ipsum ex officio suo repellere potest, sicut quemlibet criminosum, 6. q. 1, infames. Ala.

Infamatur
Quid si prohibente creditore fuerit promotus ad clericatum? Resp.: non deponetur propter hoc, sed bona sua cedent ei in solutum, quae si non sufficiant, episcopus ei tenetur qui abstulit ei occasionem negotiandi, 88. dist., fornicari. Et expone infamatur, id est, inde puniatur.

Nostra
Nam omnia nostra facimus quibus auctoritatem impertimur, C. de vet. iure enucl., Deo auctore § sed neque; arg. infra, de sent. excom., mulieres. Ber.

X 1.20 DE CORPORE VITIATIS ORDINANDIS VEL NON

X 1.20.01 *De presbytero*

Suscepit
51. dist., si quis post acceptum, contra. Solutio: qui duellum suscepit, licet impune possit occidere, non tamen habet affectum vel propositum occidendi, sed ius suum defendendi, non repellitur ab officio suo. Vel quod hic dicitur est dispensatio, per illud verbum, misericorditer, ita tamen quod homicidium vel membrorum truncatio non fuerit subsecuta, quia tunc dispensare non posset, infra, de cleri. pug., porro. Sed de rigore iuris tales deponendi sunt, ut ibi.

Ministrare
Infra, de cleri. aegro., presbyterum, contra. Hic non fuit debilitas vel deformitas, ibi fuit; sic infra, de corp. vitia., Thomas.

X 1.20.02 *Cum de tua*

Canonici
De concubinatu, et ideo contra ius commune, supra, de elect., cum in cunctis. Unde sequitur ex multa dispensatione.

Cum consilio
Ergo isti suffraganei delegati consentur, arg. 50. dist., studeat. Sine quorum consilio super macula illa nihil disponere debet, alias non valeret, supra, de elect., cum in veteri.

Visum fuerit
Ita quod idoneum sit et iustum, quod eis videbitur, supra, de elect., causam quae; et ff. locat. et conduct., si in lege; et ff. de oper. pub., si libertus. Item pone quod habeat unum oculum maiorem alio, numquid removebitur propter hoc? Videtur quod non, ff. de aedil. edict., qui clavum § 1. Et hic non determinat quid facere debeant, unde arbitrio istorum relinquitur, infra, de offi. deleg., de causis; et ff. de iure delib., si servus § 1.

X 1.20.03 *Ex parte B.*

Nicaeni concilii
55. dist., si quis per aegritudinem; et 55. dist., si quis a medicis.

Absciderint
Ex indignatione, scilicet, nulla causa superveniente, 33. dist., maritum. Quia si ex causa superveniente hoc fecit, puta timore leprae, non imputatur, infra, de corp. vitia., ex parte M. Et ideo isti ordinari prohibentur qui sani se abscindunt, quia quasi homicidae sui ipsius iudicantur et Dei conditioni inimici, 55. dist., si quis absciderit. Et quia praesumitur quod omne turpe in alium faceret qui hoc in seipso ausus est attentare, ff. de aedil. edict., cum autem § excipitur. Sed quare aliquis iniicit sibi manus, cum membrorum suorum nemo sit dominus, ff. ad leg. Aquil., liber homo suo nomine. Religione enim et non ferro quaerenda est castitas, 23. q. 5, tunc salvabitur, ad fi.; arg. infra, de corp. vitia., significavit. Et quod dicit, effectaverint, ut ab aliis, etc., intelligas cum effectu, quia cognitionis poenam nemo meretur, de poen. dist. 1, cogitationis.

Iudicium
Quia aetas illa nescit quid videat, C. de fals. mon., quoniam; et C. de fals. mon., si quis super; et 3. q. 7, infamis § tria.

Apostolorum
55. dist., eunuchus.

X 1.20.04 *Significavit*

Obsequium
Sed in hoc displicuit, quia non ferro, sed religione quaerenda est castitas, 33. q. 5, tunc salvabitur, in fi.; et supra, de corp. vitia., ex parte B.

Virilia
Talem appellat lex morbosum, ff. de aedil. edict., sin autem; arg. 55. dist., si quis absciderit. Et etiam homicida reputatur, 55. dist., qui partem.

Officium
Sicut baptizare, poenitentiam dare, et alia officia propter officium missae, et alia similia quae solis sacerdotibus sunt concessa, 16. q. 1, adiicimus; de conse. dist. 4, constat.

Nostra
Et ita dispensatio est, quia deponi debet qui iniusto errore superatus seipsum absciderit, 55. dist., si quis absciderit; et 55. dist., qui partem; 33. dist., maritum. Non enim licet alicui servire in corpus suum, cum nemo sit dominus membrorum suorum, ff. ad leg. Aquil., liber homo suo nomine, 1. resp. Et sic in hoc casu potest dispensare episcopus cum dicat auctoritate sua, quod credo etiam sine auctoritate domini Papae in aliis amissa.

X 1.20.05 *Ex parte M.*

Leprae
Quae expellit hominem a cohabitatione aliorum, 33. q. 2, hoc ipsum; et infra, de eccl. aedif., cum dicat; et infra, de cleri. aegro., tua.

Infirmitatis
Secus si ex indignatione, 55. dist., si quis absciderit; 55. dist., qui partem; et 55. dist., nullus poenitentiam; qui se vel obtentu religionis, supra, de corp. vitia., significavit. Et est ratio, quia eunuchos voluntarios diligit Deus et non ex necessitate factos, 33. q. 5, tunc salvabitur; 55. dist., si quis per aegritudinem. Quia nemo est dominus membrorum suorum, ff. ad leg. Aquil., liber homo suo nomine; et ff. de peculi., deposui § Stichum; arg. contra ff. de peculi., sed et si damnum § si ipse. Hoc tantum ei liceret, quod dominus servi propter hoc damnum nihil de peculio servi deducit. Vincen.

Hunc
Scilicet, qui a dominis, vel a medicis, vel a barbaris sectus fuerit, 55. dist., si quis a medicis.

Exequatur
Et ad superiores promoveatur ordines, 55. dist., si quis a medicis. Et de iure communi sine aliqua dispensatione per iura praedicta.

X 1.20.06 *Exposuisti*

Manu
Idem esset si amisisset digitos, propter quod impediretur ad frangendum Eucharistem, infra, de cleri. aegro., presbyterum; et ff. de aedil. edict., idem Offilius. Secus si impediretur per amissionem digiti, supra, de corp. vitia., de presbytero. Sed propter carentiam dentis non impediretur, nec dicitur morbosus, ff. de aedil. edict., cui dens.

Enormi
Secus si pro minori, supra, de corp. vitia., de presbytero; supra, de corp. vitia., cum de tua.

Defectu
Id est, irregularitate.

Promoveri
Quia abbas debet esse sacerdos, ut supra, de aetat. et qualit., ut abbates.

Tacuerit
Ordinandus enim impedimentum suum tenetur prodere, 50. dist., quia simpliciter; et 54. dist., si servus. Sed quare iste removetur ab abbatia? Si dicis propter irregularitatem, contradicit supra, de aetat. et qualit., tuam; et 16. q. 1, legi; et 50. dist., accedens; arg. Dixit Io. quod potius removetur propter scandalum quam propter irregularitatem, quod non credo. Immo irregularitas sufficit ad remotionem, et quia hoc tacuit fraudulenter, et abbates de iure debent ad ordines promoveri. Alias si culpa sua impediuntur, repelluntur, supra, de aetat. et qualit., ut abbates. Et capitulum illud 50. dist., accedens, non dicit quod ille sit abbas, sed sollicitudinem in monasterio debet habere, puta syndicus vel cellarius, potius ad laborem quam ad honorem. Decretalis illa supra, de aetat. et qualit., tuam, quae videtur contraria, loquitur de dispensatione propter necessitatem. Quod abbas talis debeat esse sacerdos, est arg. supra, de elect., ne pro defectu. Ibi aequiparatur regularis et cathedralis ecclesia, unde videtur quod sit nomen honoris, et nihilominus oneris et laboris. Unde dicit Gregorius: omne enim quod hic eminet plus afficitur moeroribus quam honoribus gaudet, 23. dist., nervi.

X 1.20.07 *Thomas*

Deformitatem
Modica enim deformitas non impedit, qualis hic fuit, supra, de corp. vitia., de presbytero. Si enim magna esset deformitas, ut totum digitum vel pollicem perdidisset, non promoveretur, infra, de cleri. aegro., presbyterum. De huiusmodi deformitatibus nota ad intelligentiam huiusmodi tituli, quod quidam sunt corpore vitiati sponte, quidam casu. Si sponte, distinguo: aut nulla iusta causa interveniente, et tunc ordinandus repellitur, et iam ordinatus deiicitur, 55. dist., qui partem; et 55. dist., si quis a medicis; et 33. dist., maritum. Aut iusta causa interveniente, tunc non prohibetur ab ordine, puta timore leprae vel aliqua consimili casusa, supra, de corp. vitia., ex parte M; nisi generet deformitatem, quia tunc in omni casu repellitur, arg. 55. dist., lator; et 55. dist., si evangelica; et supra, de corp. vitia., exposuisti. Si casu in magnis membris, sive corpulentia sive dignitate, repellitur et deiicit, si deformitatem generet, 55. dist., si evangelica. In parvis vero membris non impeditur si deformitas modica sit, et sine culpa sua, ut hic. Si vero culpa sua in talem modicam deformitatem incidit, de misericordia etiam toleratur, supra, de corp. vitia., de presbytero.

X 1.21 DE BIGAMIS NON ORDINANDIS

X 1.21.01 *Ut bigami*

Ut bigami
Supple statuimus, propter istud verbum bigami, et repudiatarum mariti, solum facit ad titulum.

Poenitentes
Solemniter, 50. dist., ex poenitentibus; 61. dist., non promoveantur.

Non ascendant
Propter defectum sacramenti, infra, de bigam., debitum, ubi de hoc sacramento traditur.

X 1.21.02 *Super eo quod*

Bigamis
Scilicet, ordinatis.

Et officio ordinandi
Id est, privandi sunt potestate et officio conferendi similes ordines, sic supra, de temp. ord., litteras; et supra, de temp. ord., dilectus.

In bigamis
Vere vel interprative. Unde dicitur bigamus qui castitatem promissam violat, 27. q. 1, quotquot. Item qui contraxit cum vidua vel corrupta, 33. dist., maritum; et infra, de bigam., debitum; et infra, de bigam., a nobis. Item qui unam de facto, et alteram de iure habuit diversis temporibus, infra, de bigam., nuper. Item qui scienter cognovit uxorem adulteram, 34. dist., si cuius; et 34. dist., si laici. Isti omnes bigami reputantur interpretative quantum ad legem promotionis. Quidam vero propter defectum sacramenti, ut mariti viduarum, et corruptarum, et qui scienter cognovit uxorem adulteram. Alii vero non propter defectum sacramenti, sed propter affectum intentionis cum opere subsecuto, ut infra, de bigam., nuper; et infra, de bigam., a nobis. Item ille vere dicitur bigamus qui diversis temporibus successive habuit uxores duas, 26. dist., deinde; et 26. dist., acutius. Et isti non promoventur propter sacramenti defectum, de quo dicetur infra, de bigam., debitum.

Dispensare
Sed contra 34. dist., lector. Ibi dispensatur ut bigamus subdiaconus fiat, sed ibi ostendit M. quod liceat Papae aut aliis episcopis, scilicet, dispensare cum bigamo usque ad subdiaconatum, et non supra, quod non est contra Apostolicum per hoc capitulum. Prohibitio Apostoli est de diacono, presbytero, et episcopo, et non de aliis, quia subdiaconatus non erat adhuc sacer ordo. Rich. dixit quod Marcellus Papa retulit se ad statum primitivae ecclesiae, in quo subdiaconatus non erat sacer ordo, 60. dist., nullus. Quidam dicebant quod episcopi olim poterant dispensare cum bigamis in ordinibus maioribus hac ratione, quia episcopi dispensant cum criminosis, infra, de iudic., at si clerici. Et tamen Apostolus prohibuit criminosum ordinari, 25. dist. § nunc autem. Nec autem dicuntur facere contra Apostolum, et sic eadem ratione cum bigamo, quorum opinio reprobatur infra, de bigam., nuper; et infra, de bigam., a nobis. Hug. dixit quod episcopi dispensare non poterant cum bigamo vel viduarum marito, arg. 50. dist., non

confidat. Cuius opinio confirmatur per illa capitulum infra, de bigam., nuper; et infra, de bigam., a nobis. Io. voluit dicere quod Papa non posset, quod dicit Rich. et Hug. Verissimum videtur quia licet dispensetur cum criminosis, non tamen sequitur quod cum bigamo, et illa est ratio quia criminosus post peractam poenitentiam restitutus videtur in pristinum statum, et incipit esse quod non fuit, 50. dist., ferrum; et 50. dist., ponderet; et 50. dist., Domino sancto. Et ideo cum talibus dispensatur. Sed bigamus non prohibetur promoveri propter crimen, sed propter sacramenti defectum, infra, de bigam., debitum; et 26. dist., acutius. Quia carnem suam divisit in plures ab unitate recedendo. Sed illud sacramentum amplius restitui non potest per aliquam satisfactionem, cum non sit crimen. Et hoc consideravit Apostolus cum dixit, non bigamum. Et aliud consideravit cum dixit, non criminosum, quia in criminoso consideravit indignitatem personae propter crimen, etiam quo purgato non prohibuit dispensationem. Sed ille defectus sacramenti non potest purgari, nec baptismus tollit illam irregularitatem, 26. dist., acutius. Propter quod videtur quod Papa non possit dispensare cum bigamo propter eandem rationem, quia propter dispensationem Papae non restituitur sacramentum unitatis, cum nec posset. Nam cum Deus caetera possit, virginem tamen post ruinam suscitare non potest, 32. q. 5, si Paulus. Et idem dicit imperator, C. de rap. virg., raptores, circa princ. Item dispensare non potest cum monacho ut proprium habeat, vel continentiam abiiciat, infra, de statu monach., cum ad monasterium. Multo minus videtur dispensare posse cum bigamo. Unde opinio Rich. bona est. Et licet ipse Hug. dubitet, videtur tamen consentire, ne videatur diminui potentia Papae, quod possit dispensare cum bigamo. Tamen hoc quod dicitur, bigamus in quocumque ordine ordinetur, recipit ordinem, arg. 50. dist., quicumque poenitens. Per quod capitulum videtur quod cum bigamo dispensare potest. Sed illud tamen intelligitur de minoribus ordinibus.

Sacros

Diaconatum et presbyteratum, qui duo tantum sacri fuerunt secundum antiqua tempora, 60. dist., nullus. Hodie idem est de subdiaconatu, supra, de aetat. et qualit., a multis; et supra, de serv. non ordin., miramur, ubi dicitur quod eodem privilegio gaudet cum diacono.

In ordinatore

Cum quo potest dispensari, per hoc patet quod non cum bigamo ordinato ut remaneat in ordine, vel ut promoveatur, quia quod de uno conceditur, de altero denegatur, 25. dist., qualis; et infra, de praesump., nonne.

X 1.21.03 *De bigamis presbyteris*

Nec defunctis

Et ita illud impedimentum non potest purgari per mortem uxoris, quia non matrimonii vinculum, sed irregularitas contracta ex carnis divisione est impedimento, et illa non tollitur per mortem vel poenitentiam, 26. dist., una; et 26. dist., acutius; nec per baptismum, ut in capitulo praedicto.

X 1.21.04 *Nuper a nobis*

Tertius
Alii duo solvuntur, infra, de sent. excom., nuper.

Matrimoniis contrahendis
Illicitis et prohibitis.

Iuris effectus
Ut C. de adulter., eum qui, ubi sunt haec verba: si enim aliquis contrahat nuptias, cum ea cum qua non potest de iure contrahere, infamis est, licet nuptiae non habeant effectum, ff. de his qui not. infam., quid ergo § 3. Quandoque magis consideratur effectus quam affectus, vel quam factum ipsum, de poen. dist. 1 § haec autem verba. Quia verba ipsa sunt cum effectu accipienda, infra, de cleri. non residen., relatum; ff. de condi. et demon., haec conditio 1; et infra, de spons., adolescens. Quandoque magis consideratur factum quam ius, infra, de concess. praeben., litteras; et infra, de concess. praeben., cum nostris. Quandoque consideratur plus iuris effectus, ff. de condi. insti., mulieri § 1; infra, de spons., iuvenis.

Duas simul habet uxores
C. de adulter., eum qui.

Ad factum
Quasi diceret, de facto contraxit cum secunda, quia de iure non potuit. Duas enim uxores simul habere non licuit, nisi cui ex revelatione divina concessum fuit, infra, de divort., gaudemus.

Non legalibus nuptiis
28. dist., presbyterum.

Tales
Clerici, scilicet, de quibus primo quaesitum est.

Videntur inter bigamos
Hic collige quod opinio praefertur veritati; simile infra, de spons., iuvenis; et 3. q. 7, infamis § tria, vers. verumtamen si servus; et C. de testament., testes servi; et 22. q. 2, homines; ff. de Maced., si quis patrem; infra, de offi. deleg., coram; et infra, de iure patron., consultationibus; et supra, de elect., querelam. Sed contra 8. dist., veritate; 81. dist., quicumque; et infra, qui fil. sint legit., per tuas; C. plus val. quod agit., in contractibus; C. plus val. quod agit., acta; et C. plus val. quod agit., emptione. Solutio: verum est quod veritas praefertur opnioni, alia casualia sunt, ut scilicet opinioni potius quam veritati, vel in favorem contrahentium et odium decipientium, ff. de Maced., si quis patrem; vel in favorem prolis, infra, qui fil. sint legit., cum inter; vel favorem testamentorum, C. de testament., testes servi; vel sententiarum, 3. q. 7, infamis § tria, vers. verumtamen si servus.

Quantum in ipsis fuit
In maleficiis enim voluntas, non exitus spectatur, arg. 49. dist., sacerdotes; et ff. ad leg. Corn. de sic., divus; C. de furti. et serv. cor., si quis servo.

Tamquam cum bigamis
Nota arg. propter similitudinem facti aliquem numerari inter eos, de quorum numero ipse non est, 27. q. 1, quotquot; et 50. dist., si ille; ff. mand. vel cont., cum controversia, in fi.

Dispensari
Arg. contra infra, de cleri. coniug., sane 2. Illa loquitur de eo qui numquam habuit uxorem, sed in sacro ordine contraxit, et ideo cum tali dispensari potest. Hic loqui videtur de eo qui primo in laicali habitu contraxit, et postea factus sacerdos iterum contraxit. Unde bigamus reputatur quantum ad effectum, licet in veritate non sit. Et sic punitur propter affectum tantum cum opere subsecuto, et non propter defectum sacramenti. Defectus enim sacramenti unitatis non est in isto, quia in veritate carnem suam non divisit in plures.

Sacramenti defectum
De quo infra, de bigam., debitum.

X 1.21.05 *Debitum*

In coniugio
Scilicet, carnali copula consummato.

Alterum
Scilicet, consensus animorum.

Caritatem
Id est, dilectionem et coniunctionem.

Reliquum
Id est, commixtio corporum.

Conformitatem
Id est, coniunctionem et unitatem.

Protoplastus
Id est, Adam primo plasmatus.

Caro
35. q. 10, fraternitatis; et infra, de divort., gaudemus.

In carne una
Id est, in carnali operatione ad unam carnem procreandum.

Sacramentum

Triplex sacramentum designatur in matrimonio carnali copula consummato. Primum est unio fidelis animae ad Deum per dilectionem et caritatem, et haec designatur per coniunctionem animorum in ipsa prima desponsatione, dum alter per mutuum consensum consentit in alterum. Et de hoc sacramento fit mentio ibi, alterum signat caritatem quae constitit in spiritu inter Deum et iustam animam. Secundum est unio humanae naturae ad Deum, quae facta est in utero virginali per incarnationem verbi Dei. Et hoc designatur per carnalem commixtionem viri et uxoris, et de hoc ibi fit mentio. Reliquum vero designat conformitatem, quae constitit in carne inter Christum et sanctam ecclesiam. Primum est unio voluntatis. Secundum est naturae conformitas, ut 26. dist., acutius; de conse. dist. 2, in Christo pater, ubi habes de conformitate naturae divinae et humanae. Et non intelligas quod ipse actus corporalis designet hoc sacramentum, sed propter actum consummatum, sacramentum designatur. Tertium sacramentum est unitas ecclesiae ex omnibus gentibus collecta, et uni viro Christo subiecta. Hoc sacramentum designatur per illum coniugatum, qui unicum tantum matrimonium servavit. Sed ubi secundum matrimonium contrahitur, hoc tertium sacramentum non habet locum, quia recedit ab illa unitate, quae primo signabatur per unicum matrimonium, quia in secundo matrimonio dividit carnem suam in plures, unde unitatem ammodo signare non potest, Christus enim signat unitatem ex omnibus gentibus Christo subiectam, ut 26. dist., acutius. Sed ex quo ecclesia Christo se coniunxit, ab eo numquam discessit, nec ipse ab ea. Ergo bigamus talem unitatem signare non potest, et ideo promoveri non potest propter defectum istius tertii sacramenti. Duo prima sacramenta hic exprimuntur, ut dictum est, sed hoc tertium non expressit in littera, nisi loquendo de ipso non imponendo aliqua verba per quae illud significet, nisi forsitan per illa verba, nec illa est unica unici, nec ille unus unius. Per hoc tantum notatur recessus ab unitate, et melius infra, ubi dicitur: nec illa nec ipse divisit carnem suam in plures. Et sic in unitate remansit uterque. Et ibi, ubi deficit inter huiusmodi coniuges commixtio carnalis, non deest signaculum huiusmodi sacramenti, scilicet, unitatis. Vel per illa verba, hoc autem dico magnum sacramentum inter Christum et ecclesiam. Sed de isto tertio sacramento legitur 26. dist., acutis. Sed in quo consistit signatio illius tertii sacramenti? Quidam dicunt quod in ipso coniugio, sed hoc est falsum, quia mortua uxore coniugium desinit, et sic nulla esse signatio. Item matrimonium non consummatum non signat hoc sacramentum, ut hic in fine. Est ergo dicendum quod in eo, qui matrimonium unicum servavit, clerico facto et ordine suscepto est signatio istius tertii sacramenti. Nec est necesse quod talis clericus sit vel fuerit coniugatus, quia auctoritas Apostoli, oportet ordinandum esse unius uxoris virum, intelligitur per negationem, sic, unius uxoris virum, id est, non plurium. Immo qui numquam habuit uxorem liberius promovetur, quia ab unitate non recessit, sed in unitate permansit.

Viduae

Id est, corruptae, quia licet fuisset vidua, dummodo non corrupta, non prohibetur, ut hic dicit.

Cognitam

Sic patet quod uxor ordinandi, ad hoc ut ille possit promoveri, virgo debuit esse, infra, de bigam., a nobis. Sed quare exigitur maior castitas in uxore quam in viro? Resp.: quia

maritus corruptae, si cum ea una caro efficiatur, promoveri non potest, 34. dist., praecipimus; 34. dist., curandum; 34. dist., si cuius; 34. dist., si quis; et 34. dist., si laici. Sed ille qui habuit concubinam post uxorem vel ante, promoveri potest, ut 34. dist., fraternitatis. Hug. dixit quod vir signat ecclesiam, quae in parte recessit a Christo adulterando, recedendo a fide, et si in parte virgo fuit, et ideo non deest signatio sacramenti in viro, quamvis non sit virgo. Uxor vero signat Christum, qui numquam ecclesiam divisit, quoniam ipse est fons vivus cui non communicat alienus, infra, de regular., licet, in fi.; et de poen. dist. 1 § item ut Christus. Alii dicunt, et videtur melius, quod vir signat Christum, qui primo copulavit sibi synagogam, et postea copulavit sibi ecclesiam de gentibus, scilicet militantem, in qua sunt boni et mali, et ideo non nocet si vir non fuerit virgo. Uxor vero signat ecclesiam triumphantem, in qua non est macula neque ruga, quae semper virgo permansit, saltem mente. Unde Apostolus: despondi enim vos uni viro, etc., 27. q. 1, nuptiarum. Et ideo exigitur quod uxor carnem suam non diviserit in plures. Quod si fecerit, deest in coniuge signatio tertii sacramenti unitatis, et ita illud tertium sacramentum exigitur tam ex parte viri quam ex parte uxoris. Unde episcopus unius uxoris, signat unitatem ex omnibus gentibus uni viro, id est, Christo subiecta, 26. dist., acutius.

Divisit

Sic 34. dist., Valentino, per quod solvebatur haec quaestio. Sic ergo consideramus potius rationem et causam quare haec fiant, quam factum ipsum. Et ita is qui duxit uxorem a se primo corruptam potest promoveri, quia ratio et causa non invenitur in eo quare non divisit carnem suam in plures. Dicunt quidam quod talis promoveri non debet, quia verum est quod est maritus corruptae. Arg. optimum pro eis 30. q. 5, qualis. Et Hug. in hac opinione fuit. Sufficit quod ita scriptum est, ff. qui et a quib. man. lib., prospexit; et 6. q. 3, scriptum est. Quod non credo eadem ratione et iste de quo quaesitum fuit, non posset promoveri. Quia verum est quod fuit maritus viduae et corruptae, quare intelligo quod dicit 30. q. 5, qualis, quando ab alio corrupta est, et capitula plura quae ad idem possent induci, 77. dist., quicumque; et 34. dist., curandum; et 34. dist., praecepimus.

X 1.21.06 *Quia circa*

Bigami

Supra, de bigam., nuper, arg. contra. Sed ibi loquitur quando utraque fuit solemniter ducta tamquam uxor, hic vero non. Et ibi prima fuit uxor, secunda vero esse non potuit. Nota mirabile quod plus habet hic luxuria quam castitas, arg. 34. dist., fraternitatis. Sed contradicit in Auth. de restitut. et ea quae par., in fi., coll. 4. Et stulti non debent esse melioris conditionis quam periti, 16. q. 1, legi epistolam; et ff. quod vi aut cla., servus; et ff. de fur., itaque fullo § 1. Ratio huius redditur supra, de bigam., debitum.

X 1.21.07 *A nobis fuit*

Viduam

Quia cum esset in sacro ordine constitutus, cum ea matrimonium contrahere non potuit, 28. dist., presbyterum; et supra, de bigam., nuper. Tamen licet non fuerit matrimonium, quia tamen quantum in ipso fuit, cum ipsa vidua contraxit, cum eo dispensari non potest

contra doctrinam Apostolicam, supra, de bigam., super eo; non propter sacramenti defectum, sed propter voluntatem quam habuit contrahendi cum vidua, non contentus suis terminis, cum processit ad actum, licet non habuisset effectum. Sic supra, de bigam., nuper. Et est hic et ibi argumentum expressum, quod voluntas non contenta suis terminis punitur, et ea quae ibi etiam dicta sunt hic possent repeti, cum similis causa sit quare hoc fiat. Causa dicta est supra, de bigam., debitum.

Cum opere
Scilicet, carnali. Arg. supra, de bigam., debitum; et 34. dist., Valentino.

X 1.22 DE CLERICIS PEREGRINIS

X 1.22.01 *Tua nos*

Statutum
98. dist., per totum.

Quinque
Ideo enim quinque exiguntur, quia dubitari consuevit de sigillo unius episcopi. Si enim de illo constaret, id solum sufficeret, infra, de probat., post cessionem; vel per testes, infra, de cleri. peregri., tuae fraternitatis.

Incogniti
Ex quo enim incogniti sunt, explorandum est cuius fidei et innocentiae sint, 42. dist., quiescamus; ff. naut. caup. stab., debet § servorum.

In suspensione
Quod hic dicitur, intellige de his qui in ecclesiis recipi postulant tamquam clerici. Caeterum si tamquam viatores vellent celebrare secreto, permittendi sunt, infra, de cleri. peregri., tuae fraternitatis; et arg. de conse. dist. 2, non prohibeat; et 7. q. 1, episcopi.

Actibus
Nam per actus sequentes praesumitur de praeteritis, et econverso, 34. q. 2, cum per bellicam; et 6. q. 1, qui crimen; ff. de re milit., non omnes § a barbaris; et 2. q. 1, in primis; 50. dist., si quis diaconus; et 77. dist., quicumque.

Poterit dispensare
Id est, ex benignitate recipi poterunt.

X 1.22.02 *Inter quatuor*

Litteris
Quas habere debet semper, 71. dist., primatus; supra, de cleri. peregri., tua nos.

Per argumenta
Non dicit per testes vel instrumenta, sed per argumenta esse probandum, quia per argumenta sive per indicia probatur aeque sicut per testes, 2. q. 6, ei qui § diffinitiva, vers. nullus homicidarum; et 32. q. 1, dixit Dominus; 27. q. 1, nec aliqua; et C. de rei vend., indicia; et infra, de praesump., litteris. Vel idonea argumenta vocat sigilla episcoporum, 98. dist., transmarinos; ut supra, de cleri. peregri., tua nobis. Vel sigillum episcopi sufficit si notum sit, 71. dist., extraneo; et C. de episc. et cler., si qua per calumniam, in fi. Sed si perdiderit instrumentum, probet amissionem et tenorem ipsius, et quod sine vitio fuerit, infra, de privileg., cum olim essemus, in fi.; vel per testes, infra, de cleri. peregri., tuae fraternitatis.

Suscipere
Nisi ut hospites, 7. q. 1, episcopi vel presbyteri; et de conse. dist. 2, non prohibeat; et 42. dist., quiescamus.

X 1.22.03 *Tuae fraternitatis*

Commendatitiis
Vel etiam dimissoriis, 71. dist., hortamur; et 19. q. 1, duae sunt.

Per testes
Vel per alia legitima, arg. supra, de cleri. peregri., inter quatuor; arg. infra, de praesump., litteras. Et de conversatione ipsius primo debet constare, supra, de cleri. peregri., inter quatuor.

Canonica
Id est, secundum ordinem ecclesiae facta, supra, de summ. trin. et fid. cath., firmiter, in fi.

Secreto
Quia tunc nullum periculum sit alicui nisi sibi. Sed si publice celebraret populo, tunc periculum esset ut si non esset sacerdos, populum deciperet, 42. dist., quiescamus; et infra, de celeb. miss., de homine.

X 1.22.04 *Te nobis*

Institutionibus
71. dist., illud quoque; 71. dist., de aliena ecclesia; et 52. dist., per totum; et C. de episc. et cler., in ecclesiis. Sic de aliena ecclesia non est assumendus praelatus, dum reperitur idoneus in eadem, 61. dist., nullus.

Ex dispensatione
Nota arg. quod nullus potest eligi de aliena diocesi, sed tantum debet postulari, quia instituti absque scientia episcopi removentur, nisi cum eis voluerit dispensare. Et sic per solam dispensationem de aliis episcopatibus instituuntur. Et est hic bonum argumentum pro opinione illorum qui dicunt quod semper praevalet electio de gremio ecclesiae, alii

electioni factae de alia, etiam si sit facta a minori parte. De hoc dixi supra, de elect., cum inter canonicos.

X 1.23 DE OFFICIO ARCHIDIACONI

X 1.23.01 *Ut archidiaconus*

Vicarium
Et ita habet cognitionem et iurisdictionem, et ex quo vicarius est, C. de off. vicar., relationes; et infra, de offi. vicar., sua nobis; et 25. dist., perlectis; arg. in Auth. de defensor. civit., circa princ., coll. 3.

In urbe
Arg. contra 25. dist., perlectis. Solutio: licet quaedam pertineant ad officium archidiaconi, primicerii, et thesaurarii, ut ibi dicitur, tamen praeordinator est in cunctis, et loco episcopi, et tamquam vicarius eius.

De tertio
Episcopus vero singulis annis debet visitare parochiam suam, 10. q. 1, episcopum; 10. q. 1, decrevimus; 10. q. 1, placuit. Nisi dimittat hoc ne propter eius accessum graventur ecclesiae, tunc mittat archidiaconum, vel quia episcopus ire non potest, ut hic dicitur. Item contra infra, de offi. archidiac., mandamus, ubi dicitur quod archidiaconus debet visitare singulis annis aut etiam pluries si expedit. Ibi loquitur de visitatione suae propriae parochiae, hic quando visitat universam parochiam ad mandatum episcopi.

Corrigat
Sic ergo arhcidiaconus habet coerctionem ex quo habet iurisdictionem, quia iurisdictio sine coerctione nulla esset, ut infra, de offi. deleg., ex litteris; et ff. de off. eius cui man. est iur., mandatam. Quid de iure communi pertineat ad archidiaconum habes infra, de offi. archidiac., ad haec; et infra, de offi. archidiac., ut nostrum; et infra, de offi. archidiac., officium. Secus de consuetudine, infra, de offi. archidiac., dilecto, ubi de hoc.

X 1.23.02 *Officium*

Auscultetur
Videtur hoc potius spectare ad officium magistri scholarum, sed potius ex consuetudine fit hoc, sicut et multa alia quae considerantur et attenduntur in huiusmodi officiis, potius quam ius commune, infra, de excess. praelat., ad haec; et infra, de offi. archidiac., dilecto. Ber.

X 1.23.03 *Ea quae contra*

Ea quae
De isto archidiacono habetur 74. dist., gesta; et 74. dist., honoratus; et 74. dist., ubi ista didicisti.

Cimilia
Per hoc intellige omnia vasa ecclesiae, arg. 12. q. 2, apostolicos, et custodia horum potius pertinet ad custodem sive thesaurarium, sed ut dixi in proximo capitulo consuetudo attenditur, ubi non est thesaurarius, hoc forte pertinet ad archiadiaconum, ut hic videtur.

Negligentia
Praelatus enim non solum tenetur de dolo, sed de culpa lata, et levi ad instar tutoris, C. de peric. tut. vel cur., si res pupilli; et C. arb. tut., quicquid. Sed etiam de negligentia, ut hic patet, cum etiam propter negligentiam removeatur, infra, de offi. custod., custos ecclesiae; 1. q. 1, si qui episcopi § ecce cum honoris; et 81. dist., dictum; et arg. 18. q. 2, si quis abbas. Sic etiam iudex propter negligentiam removetur, C. de off. praef. praet. Orien., si quod; et ff. de cust. reo., carceri; et ff. de cust. reo., non est. Quod potest intelligi cum negligentia crassa est, arg. 1. q. 1, quicquid; et ff. de ver. sig., magnam; et arg. supra, de ordin. ab ep. qui ren. epi., requisivit, in fi.

Reatu
Arg. quod negligentia praelati mortale peccatum est, 81. dist., dictum; infra, de reg. iur., quamvis.

Custodiae
Ad ipsum etiam pertinet cura et sollicitudo totius ecclesiae, 25. dist., perlectis; et infra, de offi. archidiac., ad haec.

X 1.23.04 *Cum satis*

Consuetudinis
Utrum archidiaconus habeat curam animarum vel non, iura videntur diverso modo loqui. De iure communi non habet curam animarum, 16. q. 7, nullus omnino. Et hic non potest etiam de iure communi excommunicare, infra, de offi. archidiac., archidiaconis. Arg. contra, infra, de eo qui furt. ord. recep., veniens, cum suis concordantiis; et supra, de offi. archidiac., ut archidiaconus. Hug. dixit quod archiadiaconus de iure communi non habet curam animarum, nisi sibi specialiter ab episcopo demandetur, nec alii potest committere, per capitulum praedictum, 16. q. 7, nullus. Et per hoc capitulum et omnia illa iura quae videntur contrarium innuere, intelligit ex delegatione episcopi, sic et illud capitulum 63. dist., si in plebibus. Alii dicunt contrarium, scilicet, quod habet curam animarum et iurisdictionem. Et ex eo quod episcopus eum instituit, sive quia per collegium eligitur, et per episcopum confirmatur generalem administrationem cum iurisdictione adipiscitur, et facit ad hoc infra, de praeben., referente; et infra, de eo qui furt. ord. recep., veniens, cum suis concordantiis; et infra, de offi. archidiac., mandamus. Quae autem sunt illa quae de iure communit pertinent ad archidiaconum, collige per capitulum infra, de offi. archidiac., ad haec; et infra, de offi. archidiac., ut nostrum. Alia vero potius habent archidiaconi de consuetudine quam de iure communi, quia visitant et corrigunt de consuetudine, infra, de offi. archidiac., dilecto; et supra, de elect., dudum ecclesia. Et sic de consuetudine omnia alia iura consimilia intelliguntur, infra, de excess. praelat., ad haec. Et quod dicit hic, obtentu consuetudinis, intelligere non praescriptae, infra, de offi. archidiac., archidiaconis. Quod archidiaconus non potest excommunicare, intellige, quod non

excommunicabat de consuetudine, et sic retulit se ad ius commune. Sic ergo iura quae loquuntur diversimode de iurisdictione archidiaconi, intelligenda sunt secundum diversas consuetudines diversorum locorum; sic supra, de consuet., cum olim.

Constitutiones
16. q. 7, nullus omnino; et 16. q. 1, cunctis fidelibus. Et sic de iure communi ad officium archidiaconi non pertinet committere curam animarum. Hoc iam patet per notulam praecedentem.

X 1.23.05 *Archidiaconis*

Promulgare
Hoc verum est de ecclesiastica institutione, id est, de iure communi, ut hic dicit, 16. q. 2, visis; et 16. q. 7, nullus; et 24. q. 3, corripiantur. Secus de consuetudine, ut supra, de elect., dudum ecclesia; prout dictum est in capitulo proximo, supra, de offi. archidiac., cum satis. Dicunt tamen quidam quod eo ipso quod eligitur ab universitate, habet iurisdictionem in subditos et potest excommunicare, arg. 93. dist., legimus; et de offi. ord., cum ab ecclesiarum. Et quod hic dicitur in fi., non videtur licere, verum est quo ad verba canonis ex antiqua institutione ecclesiastica, arg. 16. q. 1, cunctis fidelibus. Sed quo ad iura decretalium secus. Sed credo verius quod dicitur supra, de offi. archidiac., cum satis.

X 1.23.06 *Mandamus*

Visitandas
Hoc enim pertinet ad curam animarum, supra, de elect., dudum ecclesia. Et sic est arg. quod archidiaconus habet curam animarum, et quod possit alii committere, sed intellige hic loqui de consuetudine, ut dixi supra, de offi. archidiac., cum satis.

Saepius visitare
Et ita sufficit semel tantum in anno visitare, ex eo quod prohibet pluries visitare, nisi nova causa emerserit. Sed contra, infra, de censib., cum venerabilis, ubi dicitur quod possunt praeter aliquam necessitatem bis in anno visitare et procurationem habere. Intellige illud cum determinatione istius, prout ibi dicitur, si est opus, quia non solum bis in anno sed etiam pluries in anno si causa subsit potest praelatus visitare, 18. q. 2, visitandi; et 18. q. 2, non semel. Si vero alia de causa pro suis necessitatibus accedat ad ecclesias, propriis sumptibus procuretur, C. de stat. et imag., et virtutum. De hoc dicit ut infra, de censib., cum venerabilis.

X 1.23.07 *Ad haec*

Beati Isidori
Ut 25. dist., perlectis.

Iurgia
Et sic est arg. quod archidiaconus habeat iurisdictionem per capitulum 25. dist., perlectis; et arg. 63. dist., si in plebibus; et infra, de poeni., licet. Dixit Io. quod habet ordinariam iurisdictionem de iure communi et verum est in omnibus quae continentur in hoc capitulo, et infra, de offi. archidiac., ut nostrum. Et ita per consequens correctionem, licet non possit cognoscere nisi de modicis causis per hoc quod dicit, iurgia, quia talis iurisdictio sine coerctione nulla esset, ut dixi supra, de offi. archidiac., ut archidiaconus. In aliis autem quae hic non enumerantur stabimus consuetudini praescriptae, ut dictum est supra, de offi. archidiac., cum satis.

Romani ordinis
Supra, de offi. archidiac., ut archidiaconus.

Beati Clementis
93. dist., diaconi 1; et in epistola Evaristi, 93. dist., diaconi 2.

Nostra constitutione
Credo quod sit illa, infra, de offi. archidiac., ut nostrum, quae debuit praecedere istam in ordine, secundum ordinationem illarum decretalium. Unde per hoc videtur quod loquatur de alia constitutione. Sed forsitan non servatur ille ordo, nisi in ordinatione decretalium diversorum auctorum, secundum quod patet etiam in aliis locis.

Examinentur archidiacono
Infra, de offi. archidiac., ut nostrum. Sed alibi dicitur quod istud est officium sacerdotum, 24. dist., quando. Hoc verum est de iure, sed illud ubi episcopus eligit specialiter sacerdotes ad hoc, vel si non est ibi archidiaconus ut in multis ecclesiis. Videtur ergo quod episcopus non sit puniendus si promovet indignum, sed potius archidiaconus qui examinat et repraesentat episcopo, arg. 54. dist., si servus. Sed non est ita, quia episcopus tenetur de facto illius qui examinat, cum de mandato illius illud fiat, sicut executor navis de facto magistri tenetur, ff. de exerc. act., utilitatem § magistrum; nisi forte examinator talis fuisset, ut non sit versimile ipsum mentiti, arg. infra, de pignor., significante. Secundum hoc, si talis ordinatur sine titulo episcopo ignorante, examinator qui praesentavit eum, tenebitur ei providere. Sed si ille non sit solvendo, habebit regressum contra episcopum, et hoc ideo quia adhuc reservatum est episcopo ius examinandi illum, arg. supra, de aetat. et qualit., accepimus; et in subsidium ne ille ordinatus in opprobrium clericorum mendicet, supra, de renunciat., ad supplicationem; 93. dist., diaconi.

Tangit
C. de aucto. praestan., veterem; et ff. de aqua pluv. arc., inconcedendo; et ff. de accusation., nam ita divus; et supra, de temp. ord., si archiepiscopus, ubi de hoc.

Communiter
Secundum consuetudinem loci.

X 1.23.08 *Significasti*

Auctoritate
Hoc ideo dicit quia sine auctoritate et conscientia sui episcopi nullus debet promoveri ad ordines, et alius episcopus talem ordinare non debet, quod si factum fuerit, talis ordinatio rata non est quo ad suum episcopum, qui eis interdicit executionem, 9. q. 2, nullus alterius; et 9. q. 2, placuit; et infra, de paroch., nullus. Et interdicenda est talibus executio ordinis sic suscepti, supra, de temp. ord., quod translationem. Episcopus tamen potest cum talibus dispensare, et recipere eos in illis ordinibus, 9. q. 2, Lugdunensis.

Litteras
Et ita patet quod archidiaconus non potest dare litteras commendatitias ad ordines suscipiendos, sed solus episcopus, 71. dist., extraneo; et de conse. dist. 5, non oportet; et 68. dist., quamvis. Arg. tamen contra quod hoc possit, supra, de offi. archidiac., ad haec, vers. in quadam, ad fi. Non contradicit, quia licet illos examinet, et praesentet illos suo episcopo, non tamen potest illos alii episcopo praesentare. Hoc intellige cum episcopus est praesens. Si vero episcopus absens esset extra parochiam suam, et necessitas vel utilitas ordinandorum immineret, tunc posset illos praesentare aliis episcopis per quos ordinetur, quia absente episcopo supplet vices illius, arg. supra, de offi. archidiac., ut archidiaconus; et supra, de offi. archidiac., ad haec. Sic et archipresbyter, infra, de offi. archipresb., ut archipresbyter; vel vacante ecclesia, infra, de maior. et obed., cum olim. Et hoc intelligo si archidiaconus habet hoc de consuetudine, alias non, nisi haberet speciale mandatum ab episcopo.

X 1.23.09 *Ut nostrum*

Ut nostrum
Haec est pars illius infra, ut eccl. ben., ut nostrum; et infra, de appell., ut nostrum.

De iure communi
Ex eo quod hic dicitur, et supra, de offi. archidiac., ad haec. Collige quae pertineant ad archidiaconum de iure communi de iure communi. De hoc dictum est supra, de offi. archidiac., cum satis; et supra, de offi. archidiac., archidiaconis.

Examinare
Ut supra, de offi. archidiac., ad haec, in fi. Arg. contra 24. dist., quando; sed solutum est in capitulo supra, de offi. archidiac., ad haec.

X 1.23.10 *Dilecto filio*

Sit situm
Per hoc forte credebat archidiaconus intentionem suam fundatam esse, quasi de iure communi, 16. q. 7, omnes basilicae; et 18. q. 2, monasteria. Sed hoc est ius episcoporum.

Et eius mandata
Ista pertinent ad correctionem, sed ea quae praecedunt ad iurisdictionem.

Quae archidiaconi solent
Et ita videbatur in hoc respicere consuetudinem, infra, de excess. praelat., ad haec; et supra, de consuet., cum olim; quae tribuit iurisdictionem, arg. infra, de offi. ord., duo; et C. de emancip. lib., cum inspeximus; quae in his praecipue considerantur, ut dixi supra, de offi. archidiac., cum satis.

Salva sua regula
Correctio enim monachorum, primo loco pertinet ad abbatem, infra, de offi. ord., quanto; et infra, de statu monach., in singulis.

Sub ipso
Per hoc multum praeiudicabatur archiepiscopo, si hoc esset verum, sed forsan consuetudo est illius archidiaconi.

Exceptis
Lite vero contestata super praemissis, de consensu utriusque partis causam remiserant iudices ad Apostolicam sedem, quia Papa nesciebat consuetudinem qua utitur archidiaconus Senonesis in abbatiis Senonensis diocesis praefati monasterii sententiam proferre non potuit. Unde causam committit sicut sequitur. Hoc est in antiqua decretali.

Maiores ecclesiae Senonesis canonicos
Nota ergo quod testes illi requirendi sunt ad testimonium, de quibus magis est versimile quod veritatem sciant. Et illi sunt potius praeferendi, sic 35. q. 6, consanguineos; et infra, qui matrim. acc. poss., videtur; et ab antiquioribus, ut ibi dicitur. Ad quorum dicta recurrendum est in antiquis factis, ff. de leg. 3, si chorus § 1; et 20. dist., de quibus. Ab illis enim requirenda est veritas, quibus lex veritatis potius assistit, 4. q. 3, si testes. Sic ergo canonici praeferentur hic, quia melius veritatem scire debent, qui forte cum ipso archidiacono praedictis quandoque interfuerunt. Sic et illa quae in capitulo fiunt, per canonicos melius probantur, infra, de testib., veniens 2. Et quae domi geruntur, facilius probantur per domesticos quam per alios, C. de repud., consensu § servis; et C. de quaest., interrogari.

Pacifica
Nota quod consuetudo sive possessio debet esse pacifice, non violenta, ad hoc ut praescriptio locum habeat et sine interruptione, infra, de praescrip., sanctorum; et infra, de praescrip., illud; et 16. q. 4, volumus; et C. de praescri. trig. vel quad., si quis; et C. de praescri. trig. vel quad., saepe. Et ita patet quod iurisdictio sive officium archidiaconorum, potius colligitur ex consuetudine quam ex iure communi, quia huiusmodi visitatio et correctio potius ex consuetudine habentur, arg. supra, de elect., dudum ecclesia. Dic ergo super hoc ut dixi supra, de offi. archidiac., cum satis.

Abbatiis
Arg. quod ad consuetudinem aliarum ecclesiarum sive iurisdictionem recurrendum est, si dubitetur quid aliqua ecclesia facere debeat, infra, de censib., ecclesiis; et infra, de censib., sopitae; et infra, de censib., super eo; et 100. dist., contra morem. Nisi diversa

esset consuetudo uniuscuiusque ecclesiae, arg. supra, de consuet., cum olim. Et ita si archidiaconus probaret consuetudinem huiusmodi in aliis monasteriis sui archidiaconatus, obtineret in isto, quia non debent diverso iure censeri, 12. q. 2, cognovimus; et infra, de decim., cum in tua.

X 1.24 DE OFFICIO ARCHIPRESBYTERI

X 1.24.01 *Ut archipresbyter*

Ut archipresbyter
Supple statuimus.

Subesse
Sic videtur quod qui maior est in ordine, subsit minori. Unde contra, infra, de maior. et obed., statuimus; et infra, de maior. et obed., cum certum. Sed dicas quod archidiaconus praeest archipresbytero quo ad dignitatem, non quo ad ordinem, 2. q. 7, puto; et 2. q. 7, quaeritur; C. de off. vicar., in civilibus. Et sic non contradicunt 33. q. 5, est ordo naturalis. Sic et in angelis et in potestate et in ordine differt alter ab altero, 89. dist., ad hoc.

Collectam
Id est, missam matutinalem seu ferialem. Simile 69. dist., quoniam.

Iniunxerit
Sic 25. dist., perlectis, ad fi. Unde sumptum fuit hoc capitulum de verbo ad verbum.

X 1.24.02 *Ministerium*

Cardinalium
Id est, principalium. Simile 7. q. 1, pastoralis. Et dicunt cardinales a cardine, quia sicut in cardine regitur ostium, ita per istos debet in ecclesia regi officium. Unde etiam dicti sunt cardinales, quia per eos regitur universalis ecclesia; simile 24. dist., presbyter; et 71. dist., fraternitatem. Ibi exponitur cardinalis, id est proprius; et 21. q. 1, relatio.

A sacrosancto die dominico
Id est, a vespere sabbati, quoniam tunc incipit secundum canonicam computationem; sive quo ad officium, infra, de fer., quoniam; et 75. dist., quod a patribus.

Indeclinabiliter
Id est, horis statutis, et iusto impedimento cessante, infra, de celeb. miss., presbyter. Et ferens illam sententiam: maledictus qui negligenter facit opera Dei.

Cedant
Id est, cessent quando officium suum facere debent.

Scurrilitate
Id est, rusticitate vivendi, sicut scurra facit.

Prohibita
De quibus habes 68. dist., quamvis. Sed ad ea facienda debent vicinos episcopos invitare cum cautela et studio, 7. q. 1, pontifices.

Consulto episcopo reconciliare
Ergo eo inconsulto non debet, nisi eo absente maxima necessitas cogat, 26. q. 6, presbyter inconsulto episcopo non reconciliet. Et loquitur de solemni poenitente, qui publicum crimen commisit, quod universam commovet urbem, ut ibi dicitur. In quo etiam casu quilibet sacerdos posset eum reconciliare, arg. 17. q. 4, si quis suadente; et etiam laicus, de conse. dist. 4, sanctum est baptisma.

Cunctis
Archipresbyter post episcopum curam debet habere animarum in ecclesia cathedrali.

Iussionem
Sic supra, de offi. archipresb., ut archipresbyter; et 25. dist., perlectis.

X 1.24.03 *Officium*

Benedictiones
In matutinis quando debent legi lectiones.

Infirmos
de conse. dist. 2, in tribus contra, ubi subaudiendum est, nisi ad opus infirmorum, ut hic, de conse. dist. 2, presbyter Eucharistiam.

Sine confessione
Si culpa vel negligentia presbyteri moriatur infirmus sine confessione, reus erit animae illius, 26. q. 6, si presbyter; et 26. q. 6, cognovimus.

A foris veniunt
Id est, extra civitatem, tamen qui sint de diocesi. Et arg. quod quilibet de episcopatu potest sacramenta recipere in maiori ecclesia, quod verum est, arg. 50. dist., in capite. Arg. contra de poen. dist. 6, placuit; et infra, de paroch., nullus; non contradicunt. Episcopus non debet recipere parochianum alterius episcopi, hic nullum parochianum alterius recipit, quia omnes possunt recurrere ad archipresbyterum maioris ecclesiae, ut hic dicit. Ber.

X 1.24.04 *Ut singulae*

Ut singulae
Hoc capitulum loquitur de archipresbytero rurali, praecedens de archipresbytero Civitatensi. Ala.

Titulos
Titulus appellatur ecclesia, 70. dist., sanctorum canonum; et 80. dist., episcopi. Et hic etiam titulus canoni, 50. dist., si quis diaconus. Item dicitur titulus, tractatus, ff. de postulan., hunc titulum. Arg. 26. q. 5, nec mirum, verba fi., verba his duobus titulis. Item dicitur actio titulus, C. fam. ercis., non est ambiguum. Item dicitur titulus dignitas, unde Ovidius: gratulor Oecaliam titulis accedere nostris. De hoc dictum est supra, de elect., dudum ecclesia.

Renunciet
Arg. quod solus episcopus sit iudex ordinarius in sua diocesi, 11. q. 1, de persona; 80. dist., non debere. Arg. contra, 10. q. 3, placuit ut nullus; et 10. q. 3, nullus; et 2. q. 1, nemo, 1. resp.

Valeat
Quia ipse sufficere omnibus non potest, et ideo per alios hoc facere debet. Arg. contra infra, de offi. ord., inter caetera. Nec ipsemet eam sibi assumere debet, quia et praetor se tutorem dare non potest, ff. de tutor. et curat., praetor. Sic praelatus a seipso praelaturam accipere non potest, infra, de instit., cum ad nostram; et infra, de iure patron., per nostras; et infra, de bapt. et eius effect., debitum. Quia differentia debet esse inter dantem et accipientem, ut ibi dicitur.

Sua onera
Debet enim sua onera partiri cum aliis, infra, de praesump., mandata, ubi de hoc.

Ita archipresbyteri
Istud, ita, non notat omnimodam similitudinem, quia aliter praeest episcopus quam archipresbyteri praesint.

Referant
Praeter minora quae ipsi archipresbyteri determinare possunt, cum habeant ordinariam iurisdictionem, infra, de offi. ord., cum ab ecclesiarum; et infra, de cons. et affin., ex litteris.

X 1.25 DE OFFICIO PRIMICERII

X 1.25.01 *Ut primicerius*

Ut primicerius
Supple statuimus.

Diaconis
Supra, de offi. archidiac., officium. Contra capitulum ista loquuntur secundum diversas consuetudines diversarum ecclesiarum, vel primicerius hoc facit ad mandatum archidiaconi, vel tamquam vicarius eius. Et ita praelatus qui subest episcopo potest alii demandare vices suas, et merito, quia ordinarii iudices sunt. Laur.

Ut ipse
Scilicet, archidiaconus. Vel ipse, scilicet, primicerius, quod est melius.

Donet lectiones
Sed hoc videtur pertinere ad officium archidiaconi, supra, de offi. archidiac., officium. Diversa consuetudo diversarum ecclesiarum impedit contradictionem, quae circa huiusmodi officia consideratur potius. Ber.

X 1.26 DE OFFICIO SACRISTAE

X 1.26.01 *Ut sciat*

Ut sciat
Supple statuimus.

Vasorum
Secundo post archidiacono. Et sic non est contra, supra, de offi. archidiac., ea quae.

Luminaria
Lampadum, ut differat ab eo quod sequitur.

Sive in cera
Quia in his illuminatur ecclesia. Et secundum hoc etiam videtur pertinere ad officium custodis, infra, de offi. custod., custos ecclesiae. Sed hoc referas ad diversam consutudinem, ut saepius dictum est. Ber.

X 1.27 DE OFFICIO CUSTODIS

X 1.27.01 *Custos ecclesiae*

Tintinabulorum
Supra, de elect., in causis; et infra, de offi. custod., custos sollicitus; et 1. dist., ius militare.

Utensilia
Supra, de offi. archidiac., ea quae. Solutio: supple sub archidiacono et sacrista. Vel diversa est consuetudo.

Modum
Sic 24. q. 1, manet. Arg. quod ita exceditur modus in eo quod est amplius, sicut in eo quod est minus, 51. dist., quod in aliquo; 45. dist., disciplina; 41. dist., quisquis; et ff. de poe., respiciendum; C. de cust. reo., si quis, in fi.; et infra, de vit. et honest. cler., clerici officia. Et sic media via teneda est. Unde versus: cum media semper gaudebam ludere forma // maior enim mediis gratia rebus inest. Et illud versus: inter utrumque vola medio tutissimus ibis.

Cum discretione
Discretio enim mater est omnium virtutum, 1. q. 5, praesentium.

Minus idoneus
Sic ergo removetur ab officio suo minus idoneus. Sic magister minus idoneus removetur, qui primum moribus, deinde scientia et facundia alios praecellere debet, C. de prof. et med., grammaticos seu oratores, lib. 10. Et iudex et praelatus removentur propter negligentiam, supra, de offi. archidiac., ea quae.

Emendet
Arg. guod per denuciationem offensa proxima veniam meretur, 35. dist., episcopus; C. de episcopal. aud., nemo. Et sic quodlibet peccatum non inducit depositionem, 5. q. 4, in loco.

Denunciando
Arg. quod per denunciationem aliquis removendus sit, arg. 2. q. 7, quapropter; infra, de iureiur., querelam; infra, de fideiuss., pervenit. Sed non loquuntur in denunciatione, et arg. ad hoc 24. q. 3, ecce, vers. undecumque.

X 1.27.02 *Custos sollicitus*

Absente episcopo
Arg. quod res canonicorum per episcopum dispensari debent, 12. q. 2, Vulteranae. Et per ipsum debet constitui oeconomus, C. de episc. et cler., omnes § hoc nihilominus; et 9. q. 3, cum simus.

His tribus
Qui enumerantur inferius archidiaconus, archipresbyter et custos.

Sanctiores
Et ita videtur quod semper melior et iustior sit eligendus, 8. q. 1, licet; et 8. q. 1, si ergo; 63. dist., metropolitano; et 25. dist., unum § nunc autem; 1. q. 1, vilissimus; in Auth. de monach. § ordinatione, coll. 1; arg. 16. q. 7, monasterium; et supra, de elect., cum nobis; et supra, de renunciat., nisi § pro defectu; et infra, de praeben., venerabilis; 61. dist., Cathinensis; et 85. dist., Florentinum; arg. ff. de leg. 2, cum pater § rogo. Solutio: melior, iustior et sanctior debet eligi. Tamen si alius eligatur, licet non sit melior, sufficit quod sit sufficiens, quia conveniens scientia sufficit in praelato, supra, de renunciat., nisi § pro defectu; et supra, de elect., cum nobis.

Neque zelus
Id est, odium, quia est et bonus zelus et malus zelus. De malo hic intelligitur. Sicut est bonus dolus et malus dolus, ff. de dolo mal., hoc edicto § non fuit.

X 1.28 DE OFFICIO VICARII

X 1.28.01 *Ad audientiam*

In diversis
Quod esse non debuit, cum pluribus servire non possit, quia dum ad utrumque festinat, neutrum bene peragit, 16. q. 1, presbyteros; et C. de assessor., nemo. Et eo ipso quod permisit se intitulari in secunda, vel postquam translatus est ad eam, perdit ius quod habuit in vicaria, infra, de concess. praeben., litteras; 21. q. 2, si quis iam translatus. Et qui beneficiatus est in una ecclesia non est idoneus ad aliam, infra, de praeben., super inordinata. Immo non solum vicariam petere non poterat, sed utrumque beneficium perdere debet, si utrumque retinere contendit, secundum moderna iura, infra, de praeben., de multa. Qui enim habet vicariam perpetuam, beneficiatus intelligitur, supra, de rescript., postulasti. Et quod curam animarum vel praelationem et consimilem recipit, prima ipso iure vacat, infra, de praeben., de multa. Et idem est si quis habet perpetuam vicariam, sicut si haberet ecclesiam intitulatam, infra, de offi. vicar., ex parte; et supra, de fil. presbyt., constitutus.

X 1.28.02 *Provideas*

Plures
Ex eo quod dicit, plures, videtur quod possit habere unam vicariam. Sed hoc videtur falsum, quia quilibet in propria persona, et non per vicarium debet in ecclesia deservire, infra, de cleri. non residen., quia nonnulli; et infra, de cleri. non residen., relatum; et supra, de elect., cum in cunctis. Et melius in iure novo infra, de praeben., extirpandae § qui vero. Et hoc est verum nisi in casibus qui ponuntur in dicta decretali infra, de praeben., extirpandae § qui vero, scilicet, cum parochialis ecclesia sit annexa dignitati vel praebendae maioris ecclesiae, ut ibi; alias hodie vicarii constitui non possunt. Et talis vicarius debet esse sacerdos, cum habeat curam animarum, infra, de offi. vicar., ex parte. Et debet esse perpetuus, ut in praedicto infra, de praeben., extirpandae § qui vero; et canonice institutus cum certa portione per episcopum, infra, de offi. vicar., ad haec.

X 1.28.03 *Ad haec*

Episcopi
Quidam supplent: et patroni si non sit collegiata ecclesia, quoniam patroni consensus desideratur ubicumque ius perpetuum percipiendi aliquid confertur alicui, arg. 16. q. 7, decernimus; et 16. q. 5, si quis episcoporum; C. de aucto. praestan., veterem; et 63. dist., principali. Hoc non credo quod consensus patroni sit requirendus, cum patronus tantummodo debeat praesentare vacante ecclesia, ut dicunt iura praedicta. Sed ecclesia non intelligitur vacare in institutione vicarii, et hoc videtur hic innui.

Removere
Ergo habet ius in re. Verum est quod habet ius vicariae, sed non dicit habere ecclesiam quo ad titulum. Solus enim praelatus habet eam intitulatam. Tamen expelli non potest, ac si haberet eam intitulatam sine iusta causa, et tunc per iudicem, et non per praelatum ipsius ecclesiae, ut hic in fine dicit.

Minuere
Cum sit perpetuo constituta, arg. infra, de censib., prohibemus.

X 1.28.04 *Clericos*

Clericos
Sic pone casum: praelati ecclesiarum in quibus habent curam animarum vel aliam dignitatem in propria persona deservire debent ecclesiae et non substituere sibi vicarios, quia hoc est contra rationem. Et iste casus probatur infra, de praeben., extirpandae § qui vero. Et sic ordinabis litteram. Non permittas clericos, id est, praelatos, in presbyteratu vel alios in inferioribus ordinibus constitutos substituere alios in vicariis ecclesiarum quas, scilicet, ecclesias adepti sunt tamquam praelati. Et quod ita accipiatur hoc nomen, clericos, probatur. Appellatione enim clericorum omnes superiores continentur, in Auth. de sanct. episc. § presbyterorum, coll. 9; et 11. q. 1, de persona. Secundum alium casum, qui poni consuevit, expone clericos, id est vicarios substitutos, alios scilicet vicarios in vicariis quas adeptis sunt, quasi dicat vicarius non potest alium vicarium sibi constituere. Sed iste casus non est bonus, quia per hoc innuitur quod licitum sit constituere vicarium, quod non est verum, ut dictum est secundum ius novum, nisi tu velis restringere hanc decretalem ad casum illius infra, de praeben., extirpandae § qui vero. Sed in nullo casu licet vicario alium sibi vicarium substituere. Ber.

X 1.28.05 *Sua nobis*

Vicarii
Vicarius omnia potest quae pertinent ad iurisdictionem illius cuius vices gerit, C. de off. eius qui vic., in causa; 93. dist., praecipimus; et 94. dist., valde. Quaedam tamen sunt quae sine speciali mandato attentare non debet, infra, de offi. legat., quod translationem.

Non extenditur
Nisi forte infra centesimum milliare ad instar praefecti urbis, ff. de off. praef. urb., omnia § in initio; et ff. de off. procon., si in alia § ulti.

Irritum
Nota quod factum est per surreptionem non valet tamquam a non suo iudice, 11. q. 1, in clericorum; et C. si a non comp. iud., et in privatorum. Et retractari potest altera parte absente, infra, de re iudic., cum olim. Et praecipue in decretali ista, hae enim litterae nullam conferebant iurisdictionem, quia iurisdictio vicarii non extenditur extra urbem, ut hic dicit. Ergo si concedat litteras extra est nulla iurisdictio, ff. de iuris., extra territorium; C. qui pro sua iur. iud., in causarum. Et ita quicquid factum est hic per litteras vicarii ipso iure non tenuit. De hac materia dictum est supra, de rescript., ad audientiam 2.

X 1.28.06 *Ex parte*

Perpetuos vicarios
Perpetuus vicarius dicitur qui canonice a persona ecclesiae et auctoritate episcopi est institutus et certam debet percipere portionem, supra, de offi. vicar., ad haec; et infra, de praeben., extirpandae § qui vero. Nec potest quis habere plures vicarias, cum habeat curam animarum tamquam vicarius et debet residere in loco, ut hic dicit, sicut nec quis potest habere plures ecclesias, infra, de cleri. non residen., quia nonnulli; et infra, de cleri. non residen., relatum; et infra, de praeben., de multa. In quibus casibus possit quis constituere vicarium, dicitur in praedicta decretali infra, de praeben., extirpandae § qui vero. Beneficia enim ecclesiarum propter officia divina constituta fuerunt, 12. q. 2, concessio; 16. q. 1, generaliter; et 1. q. 2, clerici; arg. C. de testam. milit., ne quidam; et 21. q. 3, Cyprianus.

Per subtractionem
Et sic certam compelluntur alii clerici quando necessitas vel utilitas, ut ordinentur exposcit, supra, de aetat. et qualit., quaeris. Nec habet locum distinctio quae consuevit notari, 84. dist., in princ., maxime ubi quis recipit beneficium animarum curam habens annexam sibi, indistincte debet promoveri vel privari illo officio, supra, de elect., cum in cunctis; et supra, de aetat. et qualit., ut abbates; et 60. dist., per totum.

X 1.29 DE OFFICIO ET POTESTATE IUDICIS DELEGATI

X 1.29.01 *Quia quaesitum*

Compellunt
Unde iactura causae affici debent qui patrocinium potentiorum advocant, C. ne lic. pot. patroc., divine; et infra, de alienat. mut. iud., ex parte. Et iudex propter prohibitionem illorum non dimittat suam iustitiam exercere, infra, de iudic., decernimus, in fi.; arg. 11. q. 3, quatuor; 11. q. 3, iniustum; et C. quod metus cau., venditiones.

Pari poena
Sic patet quod facientes et consentientes pari poena constringuntur; sic 2. q. 1, notum; 86. dist., facientes. Arg. contra quod magis puniuntur consentientes quam agentes, 24. q. 3, qui aliorum; et 11. q. 3, qui consentit. Ad hoc nota quod quadruplex est consensus, scilicet, negligentiae, consilii, cooperationis, et auctoritatis seu defensionis. In primo casu, scilicet, negligentiae, minus peccat consentiens quam faciens, nisi forte negligentia nimis crassa fuerit, ut in praelato, ut 1. q. 1, quicquid invisibilis; et 83. dist., consentire; et 83. dist., nihil. In secundo casu, scilicet, consilii, minus punitur; plus tamen quam negligens, arg. 86. dist., tanta. In tertio casu, cooperationis, aequaliter peccant facientes et consentientes, et secundum hoc intelliguntur omnes auctoritates quae dicunt quod aequaliter puniuntur. In quarto casu auctoritatis sive defensionis, magis peccat consentiens defendendo et auctoritatem praestando quam faciens, et magis puniendus est, 24. q. 3, qui aliorum; et 11. q. 3, qui consentit.

Impedire
Vide qualiter iurisdictio extenditur ad illos de quibus in rescripto mentio non habetur. Sic excommunicatio extenditur ad illos in quos lata non fuit, infra, de sent. excom., nuper; et

infra, de sent. excom., si concubinae. Et hoc contingit quia impedit ipsam iurisdictionem, et iudex omnia potest quae ad ipsam iurisdictionem pertinent, et sine quibus causa expediri non potest, infra, de offi. deleg., praeterea; et infra, de offi. deleg., significasti; et infra, de offi. deleg., prudentiam, in fi.; et infra, de offi. deleg., suspicionis, 1. resp.; et infra, de testib., tam litteris.

X 1.29.02 *Sane si a nobis*

Priorum litterarum
Contra supra, de rescript., caeterum, ubi valent primae litterae si secundae non faciant mentionem de primis. Sed illud intellige quando ad diversos iudices primae et secundae impetrantur, hic quando ad eosdem iudices primae et secundae litterae impetrantur, et forma diversa est. Unde videtur dicere quod supersedere debent, donec consulant superiorem qualiter debeant se habere in causa ipsa, secundum quas litteras procedant, ne pro tali varietate negotium ex toto impediatur, si vellent sequi utramque formam. Sed secundum hoc videtur negotium impediri. Non impeditur finaliter, sed ad tempus, vel quousque Papa rescribat super illo. Sed hodie non videtur habere locum quod hic dicit, quia procedere debent per formam primo sibi datam, ex quo secundae litterae non faciunt mentionem de primis, infra, de appell., ut debitus; et supra, de rescript., capitulum; et quia tacita veritate impetratae sunt, cum non fecerint mentionem de prima forma. Alii volunt intelligere hoc capitulum ut concordet cum illo supra, de rescript., caeterum, et dicunt quod procedendum est per primas, et supersedere debent executioni secundarum donec consulant Papam super poena imponenda illi impetranti tacita veritate. Sed haec littera utrarumque contradicit eis, et est prius primum dictum verius per decretalem infra, de appell., ut debitus. Sed super expensis potest puniri, supra, de rescript., caeterum, in fi. De hac materia dixi supra, de rescript., sicut Romana.

X 1.29.03 *Si pro debilitate*

Liberum
Etiam partibus invitis, cum potestas sit taliter a lege concessa, C. de iud., a iudice; infra, de offi. deleg., quoniam Apostolica; nisi in casu eiusdem decretalis infra, de offi. deleg., quoniam Apostolica § is autem; et infra, de offi. deleg., pastoralis, in princ. Et compellere etiam potest renuentem, nisi malitiose exonerare se vellet, ut ibi dicit. Et sic semper iusta causa debet subesse quando causam committit, ut hic habes.

Personis discretis
Infra, de cons. et affin., ex litteris; et infra, de praeben., super inordinata.

Te consulere
Tamquam virum discretum et non tamquam iudicem, si vices suas in totum commisit, ut infra, de offi. deleg., super quaestionum § porro; alias si cum eo postea vellet iudicare, non valeret, infra, de offi. deleg., cum super.

Causae
Puta inquisitio excesuum provisio ecclesiae, arg. infra, de offi. deleg., quoniam Apostolica § 2; secundum formam illius §, alioquin bene posset committere magis perito.

Graves
Sic etiam gravia negotia debet quis per se tractare, et non per procuratorem, C. de procur., in pecuniariis. Nec tamen potest cogi constituere procuratorem, infra, de procurat., querelam. Ber.

X 1.29.04 *De causis*

Certum terminum
Tempus id currit postquam litterae iudicibus praesentatur, infra, de appell., super eo 2. Quid si infra viginti dies causa committatur terminanda, numquid induciae viginti dierum dandae sunt, 3. q. 3, offeratur? Videtur quod sic, quia beneficium iuris nemini est auferendum, 28. dist., de his, in fi.; ff. de re iud., si se non § si quis ex testamento; et restitutio quae infra quadriennium determinari debet, reo dilationem petente prorogatur ultra quadriennium, et tunc prodest tam reo quam actori, C. de temp. in int. rest., petendae. Sed contradicit in fine, quia tempus prorogari non potest nisi de consensu partium. Solutio: propter temporis angustiam puto arctandas inducias et non ampliandas. Interdum enim licet iudici arctare tempus a lege statutum, ff. de re iud., qui pro tribunali; et infra, de re iudic., quod ad consultationem. Nam et causa criminalis infra biennium terminanda est, C. de iud., properandum, in princ.; et C. ut inf. cert. temp., criminales. Quandoque tamen infra quinquaginta dies, C. ut omn. tam civ., nemo.

Consensu partium
Arg. quod de consensu partium solemnitates iuris possunt remitti, arg. infra, de restit. spol., licet; et ff. de feri., ne quis messium. Arg. contra infra, de fer., conquestus; et 3. q. 5, accusatoribus; 23. dist., quorundam; C. de liber. caus., nec si volens; C. de recepti., authen. decernimus; C. de iureiuran., cum et iudices § sed quia. Solutio: illae solemnitates iuris quae sunt introductae in favorem partium, possunt omitti de consensu partium, ut ff. de feri., ne quis messium; et infra, de testib., tuis quaestionibus; et infra, de restit. spol., licet. Sed illis solemnitatibus quae sunt introductae propter reverentiam dierum partes renunciare non possunt, infra, de fer., conquestus. Et illis quae pro communi utilitate sive publica, ut in praeallegata, C. de iureiuran., cum et iudices § sed quia; et caeteris quae sunt de substantia iudiciorum, ut est libelli oblatio et litis contestatio, et quod sententia feratur in scriptis.

Prorogetur
Et ita patet quod iurisdictio quae certo tempore finitur potest prorogari ad maius tempus. De prorogatione iurisdictionis dicetur infra, de offi. deleg., P et G. Et si compromissum fiat ad certum tempus, finitur compromissum, nisi de consensu partium prorogetur, ff. de recepti., diem.

X 1.29.05 Praeterea (rev. 9/23)

Eo transacto
Posset quaeri in capitulo isto: pone quod iudex ultima die iurisdictionis suae tulit sententiam. Quis mandabit ipsam executioni, numquid idem iudex? Dico quod sic, quoniam potestas cognoscendi expiravit, non potestas exequendi, arg. infra, de offi. deleg., in litteris.

Venire
Dum tamen citatio teneat, alias non tenetur, supra, de elect., bonae 2; et infra, de fer., conquestus. Ber.

Certa
Sic est in usurariis, infra, de usur., quia in omnibus. Et si illi perseveraverunt, excommunicentur, infra, de usur., praeterea. Sed certa poena statuta est, quia si est contumax, si talis est res, debet mitti in possessionem causae rei servandae. Si non est talis, excommunicetur, infra, ut lite non cont., tuae; et infra, ut lite non cont., quoniam. Quid si diversae sunt poenae? Minor imponatur, de poen. dist. 1, poenae; 50. dist., si quis voluntate; et 50. dist., si qua femina; vel locus erit gratificationi, infra, de iure patron., cum autem; vel illam quae magis timetur, ut in capitulo infra, ut lite non cont., quoniam, in fi.

Eandem infligas
Cum sis delegatus, quo casu dispensare non potes, sed iure communi procedere, cum fines mandati exacta diligentia sint servandi, supra, de rescript., cum dilecta; secus in ordinario, qui dispensare potest, infra, de iudic., at si clerici.

Arbitrium
Arg. ff. de iure delib., si servus § 1; qualitate delicti et causae et personae inspecta, infra, de homic., sicut dignum.

X 1.29.05 *Praeterea*

Simpliciter
Sine aliqua forma expressa, quia si certa forma esset data, illa esset servanda, supra, de rescript., cum dilecta. Sed cum simpliciter mandat quod iniustum fuerit exequaris, supra, de fil. presbyt., dilectus. Tunc habet locum quod hic dicit, quod omnia potest sine quibus causa expediri non potest, infra, de offi. deleg., prudentiam, in fi.; et infra, de offi. deleg., suspicionis. Et sic est quod verbum simpliciter positum, generaliter intelligitur, 19. dist., si Romanorum; et infra, de privileg., quia circa.

Coercere
Secundum tenorem illius decretalis infra, ut lite non cont., tuae. Si lis est contestata, secundum tenorem illius decretalis infra, de dolo et contu., prout.

Mandatum
Secundum quod habetur infra, de restit. spol., conquerente.

Ex eo quod causa
Arg. quod concessio principali conceditur accessorium, 8. dist., quo iure; et 16. q. 1, si monachus; et ff. de iuris., cui iurisdictio; et ff. de re iud., quidam; C. ubi et apud quem cog. rest. agit. sit, cum scimus; et infra, de in integ. restit., causa. Arg. contra 20. q. 3, constituit; ff. deposi., depositum § quae depositis; et infra, de testamen., ad haec; ff. de usufru., item si fundi § sed si insula; 2. q. 6, quisquis; et C. de episcopal. aud., authen. si liberi; et C. de liber. praet., authen. ex causa; et C. de legi. et const., servis. Solutio: prima pars vera est, et capitulum 20. q. 3, constituit, non est contra, quia ibi intentio principalis fuit circa res, alia non tangunt contrarium. Item est arg. quod aliquo prohibito, prohibetur omne id per quod pervenitur ad illud, ff. de sponsal., oratio; infra, de procurat., tuae. Verumtamen licet aliqua sint annexa, et alicui concessa, licet unum admittatur, non tamen aliud, immo nec illud, ff. de lib. et post., si ita § regula. Sed illud est speciale favore libertatis. Item arg. quod idem iuris est in utroque connexorum, supra, de consti., translato; et 1. q. 3, si quis obiecerit; et 8. dist., quo iure; et infra, de appell., una; ff. de appellat., si qui; et ff. de appellat., si qui § si quis; et ff. de appellat., si qui § sed cum. Arg. contra infra, de eo qui dux. in matr. quam pol. per adult., propositum; C. de fid. instrum., si uteris; et infra, de despon. impub., de illis 2; et 2. q. 5, interrogatum. Solutio: idem iuris est in utroque connexorum, ubi alterum sine altero esse non contingit, ut hic, et ubi eadem ratio est in utroque casu, ut supra, de consti., translato; secus ubi diversa est ratio, ut patet per contraria.

X 1.29.06 *Quamvis*

Duobus
Haec fuit dubitatio, quia causa commissa fuit duobus sub hac forma: mandamus ut procedatis in causa. Quod iustum fuerit facientes, nulla clausula adiecta, quod si ambo non poteris, etc. Credebatur quod si unus non posset interesse, quod non posset committere. Ideo quaesivit episcopus Wintoniensis an posset committere vices suas, et dicit quod bene potest, quia clausula illa nihil facit quantum ad potestatem committendi, cum habeat illam a lege, infra, de offi. deleg., pastoralis, 1. resp.; et infra, de offi. deleg., quoniam abbas; et C. de iud., a iudice.

X 1.29.07 *Significasti*

Ordinarius
Dubitatio fuit, quia iste credebat quod delegatus iudex non posset suam sententiam mandare executioni, arg. 2. q. 6, quisquis 2; et ff. de re iud., a divo pio; sed potest, ut hic patet.

Non vult
Si non vult, potest compelli a delegato qui maior est illo etiam episcopo quantum ad causam illam, infra, de offi. deleg., sane quia; et infra, de offi. deleg., pastoralis, 1. resp.; etiam si sciat eam iniustam, infra, de offi. deleg., pastoralis § quia vero; dum tamen faciat ei fidem de iurisdictione sua, infra, de offi. deleg., cum in iure; et C. de mand. princ., si quis.

Resistentibus
Quos potest excommunicare, cum habet coerctionem; alias talis executio delusoria videretur, infra, de offi. deleg., ex litteris; et arg. ff. de off. eius cui man. est iur., mandatam, in fi.; et supra, de offi. deleg., quia quaesitum.

Restiterint
Et sic videntur fieri de sua iurisdictione praestando impedimentum. Unde illos potest excommunicare, supra, de offi. deleg., quia quaesitum; et infra, de testib., tam litteris.

X 1.29.08 *Si quando*

Transactione
Transactio in spiritualibus intervenire non potest proprie sumpto vocabulo, infra, de transact., super eo. Amicabilis autem compositio posset, infra, de transact., statuimus; arg. ad hoc infra, de praeben., nisi; et infra, de rerum perm., exhibita. Unde expone transactione, id est, amicabili compositione.

Institutionem
Unde titulum non habent vel causam possidendi titulus enim non acquiritur per transactionem in spiritualibus, sed canonica institutione, infra, de instit., ex frequentibus; et ff. de decur., Herennius Modestinus.

Mandato
De mittendo in possessionem illum transigentem.

Resistere
Sed precibus instet, alias appellet si non admittat preces et tenebit appellatio, infra, de offi. deleg., super eo; arg. infra, de re iudic., cum super.

X 1.29.09 *In litteris*

Praecepit
Cum effectu, scilicet, nam si mandavit. Et non est paritum, ipsemet postea exequatur, ut supra, de offi. deleg., significasti. Verba enim cum effectu sunt accipienda, infra, de cleri. non residen., relatum; et de poen. dist. 1, haec autem verba; et ff. quod quisque iur., hoc edictum § haec autem verba; et infra, de spons., adolescens. Haec potest facere usque ad annum a die latae sententiae, infra, de offi. deleg., quaerenti.

Officio suo functus
Sic ff. de re iud., iudex; et infra, de offi. deleg., venerabili. Et ita expirat delegati iurisdictio, sententia lata et executioni mandata, ut hic. Item finitur mortuo iudice, cui proprio nomine scribitur, infra, de offi. deleg., quoniam abbas, a contrario sensu. Item per mortem illius contra quem litterae impetrantur re integra, supra, de rescript., significavit; item revocato mandato, ff. de iud., iudicium; et per secundas litteras quae expressam faciunt mentionem de primis, supra, de rescript., caeterum. Item si iudex remittit causam superiori, infra, de offi. legat., licet. Item elapso termino commissionis,

supra, de offi. deleg., de causis. Item si re integra moriatur delegans, infra, de offi. deleg., gratum; et infra, de offi. deleg., licet. Item per legitimam recusationem, infra, de for. compet., licet ratione; et infra, de appell., ut debitus. Item per delationem appellationis, arg. infra, de appell., saepe; et infra, de appell., interposita.

X 1.29.10 *Consultationibus*

Antequam
Alias si fraudulenter recessisset, secus esset, infra, de appell., suggestum; vel post citationem, infra, de eo qui mitt. in poss. caus., si adversarius. Sed ibi suppletur: maxime, et hic eodem modo.

Restitutionem
Sic videtur quod si quis sit absens iusta de causa, et non animo fraudandi, non debet fieri missio in possessionem bonorum ipsius, ff. quib. ex caus. in poss. eat., Fulcinus § quid sit latiare; arg. ff. de iud., non videtur; ff. de peculi., eo tempore, 1. resp. Arg. contra C. de rest. milit., ignorare; et ff. de reb. auct. iud. poss., pupillus; et ff. quib. ex caus. in poss. eat., Fulcinus § si fundum. Quia in istis contradicitur quod etiam iusta de causa absens si non defenditur, fit missio in possessionem. Solutio: aliud est bona alicuius possideri, et aliud in possessionem mitti, et aliud restituere possessionem, quia si aliquis vocatus latitat causa fraudandi creditores, si non defendatur boni viri arbitratu, bona eius possideri iubentur, et etiam venduntur, ff. quib. ex caus. in poss. eat., Fulcinus, circa princ.; et ff. quib. ex caus. in poss. eat. § quid sit latiare; et C. de bon. auct. iud. poss., cum proponas; et secundum quod dicitur in authentica ibi posita C. de bon. auct. iud. poss., authen. et qui iurat. Si autem vocatus non latitat ut fraudet creditores, sed absens est ex quacumque causa probabili vel non probabili, necessaria vel non necessaria, si non defendatur, mittuntur creditores in bonorum possessionem causa custodiae, nec ea vendere possunt, nec possident, ff. ex quib. cau. maio., item ait § hic autem; et ff. de acq. poss., possideri § ulti.; et infra, ut lite non cont., quoniam, in fi.; et hoc in personali actione. Sed si quis absens sit contra quem agatur actione reali, citari debet ad domum, et interrogandi sunt amici an ipsum defendere velint, ff. ex quib. cau. maio., ergo. Et si non sit qui eum defendat, fit missio in possessionem petitam causa rei servandae, infra, ut lite non cont., quoniam § in aliis. Et sic intelligitur contrarium illud ff. quib. ex caus. in poss. eat., Fulcinus § si fundum. Aliud est possessionem restituere, ut hic dicitur, quia tunc est possessor quousque evincatur proprietas, et habet commodum possessionis, et hoc denegatur in casu praesenti si daretur restitutio; quasi diffinitive procederetur contra absentem lite non contestata, quod esse non debet, infra, ut lite non cont., per totum. Et idem est servandum in hac causa, sicut esset si tractaretur causa proprietatis, infra, ut lite non cont., accedens 1. Quid ergo faciet iste spoliatus? Fiet denunciatio ad domum legitimam, et si non sit qui eum defendat, mittatur in possessionem causa rei servandae. Reo postea veniente, iusta probata causa absentiae restituitur in integrum, vel ad appellandum. Et haec missio non prohibetur hic, sed restitutio tantum. De restitutione absentis dicitur 2. q. 6, biduum § si adversus absentem. Et etiam sine iusta causa restituitur ei possessio quandocumque infra annum, prout dicitur in decretali infra, ut lite non cont., quoniam § in aliis.

Possessionem et deiectionem
Nota quod haec duo tenetur qui petit restitui, scilicet se possedisse et spoliatum fuisse, infra, de restit. spol., olim causam; et infra, qui fil. sint legit., causam quae 2. Et idem est si aliquis spoliavit vel mandavit vel ratam habuit spoliationem, infra, de restit. spol., cum ad sedem, ad fi.; ff. de vi et de vi arm., praetor ait § deiecisse.

Nisi is
Per hanc litteram videtur quod si iste contumaciter fuisset absens, quod esset restitutio facienda. Quod non est verum nisi post litem contestatam, quia tunc si esset contumax reciperentur testes, et restitueretur si probasset suam possessionem et spoliationem. Et sic intellige versiculum ultimum, alias testes ante litem contestatam propter contumaciam non sunt recipiendi in causa restitutionis, infra, ut lite non cont., accedens 1; et sic mutat casum. Similis mutatio est infra, de caus. poss. et propr., cum olim. Quia supra dixit de eo qui erat absens probabili causa, et antequam sciret litteras contra se impetratas, et hic loquitur cum lite contestata, contumax invenitur, et in eo casu, si liquet de causa, restituitur possessio, infra, de dolo et contu., prout. Vel mittitur tantum in possessionem causa rei servandae propter contumaciam lite non contestata, infra, ut lite non cont., quoniam § in aliis. Vel potest intelligi secundum opnionem illorum qui dicebant quod lite non contestata possunt recipi testes contra contumacem, et sententia ferri. Haec fuit opinio Hug., et sic proprie tenetur illud, nisi. Ber.

X 1.29.11 *Sane*

Vices nostras
Nota quod delegatus vicem gerit delegantis, 93. dist., praecipimus; et 94. dist., valde; et ff. de off. eius cui man. est iur., et si praetor.

Terminandam
Arg. 21. dist., inferior; et 21. dist., denique. Item maior est ordinario quantum ad causam illam, infra, de offi. ord., pastoralis. Item arg. quod Papa potest ligari ab illo, cui peccata sua confitetur, 2. q. 5, mandastis.

Si episcopus
Cuius causa commissa est delegato, et ita est de iurisdictione delegati quantum ad illam causam.

Persona
Cuius causa non est delegato commissa, tamen si iurisdictionem delegati impediat, delegatus potest illum punire, ut hic dicitur, et supra, de offi. deleg., quia quaesitum.

De iurisdictione
Quia ex tali delegatione fit de sua iurisdictione, cuius causa est delegato commissa.

Compelli
Cum habeat iurisdictionem in illum, alias nulla esset delegatio talis, infra, de offi. deleg., ex litteris; et ff. de off. eius cui man. est iur., mandatam, in fi. Et est notabile, quia

defertur maioribus in poenis inferendis propter dignitatem. Contra habes infra, de statu monach., ea quae, 1. resp.

Officium
Quando sic specialia interdicuntur, alia non interdicta potest exercere, supra, de corp. vitia., significavit. Secus si esset simpliciter ab officio suspensus. Ber.

Specialiter
Hoc fit cum episcopus suo nomine convenitur, et est arg. quod alius pro delicto alterius punitur. Item arg. pro delicto unius totam terram supponi interdicto, supra, de postul. praelat., ad haec; et infra, de spons., non est.

X 1.29.12 *Ex parte N.*

Omnino
Id est, sine aliqua pactione, conditione vel modo.

Dimittere
Videtur quod talis renunciatio simoniaca fuerit, quia qui remittit, dat, 8. q. 3, talia; et infra, de testib., veniens 1; et ff. de calum., quin etiam; et ff. quae in fraud. cred., in fraudem. Arg. contra ff. quae in fraud. cred., si pignus. Resp.: haec dictio, omnino, solvit contraria, id est, sine aliqua conditione. Item pone quod simpliciter renunciet, sed in animo habet ut ei detur, alias non renunciaturus, videtur quod simonia committitur. Sola enim voluntate committitur, sicut usura, quae sola voluntate committitur, infra, de usur., consuluit; et 1. q. 1, qui studet; sed secus in simoniacis, quia prohibita, secus in prohibitis, quia simoniaca. Prohibita, quia simoniaca sunt illa quae in veteri testamento novoque simoniaca erant in sui natura, ut vendere sacramenta, ut praedicto capitulo 1. q. 1, qui studet; et 1. q. 1, sicut eunuchus. Simoniaca, quia prohibita sunt illa quae per constitutionem ecclesiae facta sunt simoniaca. Quale est hoc et etiam pastum dare post receptionem in canonicum, et in istis non sufficit sola voluntas, nec in aliis, dum tamen sit contenta suis terminis. Quod de usuris dicitur non promovet, quia usurae in utroque testamento prohibitae sunt. Vincen.

Non obstantibus
Arg. contra supra, de rescript., sicut Romana; speciale derogat generali. Sed hic primae videntur generales et secundae speciales, quae de uno speciali beneficiato faciunt mentionem, et tamen non valent hic secundae. Sed hic veritate inspecta speciales sunt tam primae quam secundae, id est, quia primae tantum ad unum beneficium restringuntur. Sed hodie in litteris pro beneficiis obtinendis illae solae praevalent, quae primo praesentantur, supra, de rescript., capitulum. Et secundum hoc concordat cum illa, quia prima primo fuerunt praesentatae, et episcopo loci hoc mandabatur, infra, de appell., ut debitus. De hac materia dictum fuit supra, de rescript., sicut Romana; dic ut ibi.

X 1.29.13 *Ex parte tua*

Rationabiles
Arg. quod magis est procedendum secundum iuris ordinem quam secundum formam rescripti, sic supra, de rescript., causam quae. Sed contra supra, de rescript., cum dilecta. Solutio: semper sequenda est forma rescripti si non contradicat iuri. Si vero contradicat, secus est, supra, de aetat. et qualit., eam te. Et hoc verum est nisi Papa ex certa scientia contrarium mandet, tunc est ei obediendum, etsi durum sit mandatum, 100. dist., contra morem; et 19. dist., in memoriam. Et ille qui recipit legitimas exceptiones, secundum ius facere intelligitur ad quod etiam tenetur, supra, de aetat. et qualit., accepimus, in fi. Item arg. quod si compromisisti in aliquem ut stares mandato suo, intelligendum est de honesto, infra, de iureiur., veniens; et infra, de iureiur., Quintavallis.

Nullae
Supple et constet intentionem Papae talem fuisse et voluntatem; alias enim non obstante tali generalitate, rationabiles exceptiones recipi debent, arg. infra, de restit. spol., audita; arg. ff. de pignorib., obligatione; C. quae res pign. oblig. poss., alumnos; et ff. de peculi., qui peculii. Sed cum specialiter numerantur et dicit non obstante tali generalitate vel tali exceptione, illas non recipiet iudex, arg. ff. si quis caut., sed et si § quaesitum.

Credimus umquam
Arg. contra 2. q. 7, lator; et 21. q. 2, placuit. Contra 27. q. 1, si homo esses. Solutio: in contrariis notum erat Papae factum ipsum, et quia illa talia sunt ubi locum non habet exceptio vel excusatio. Item arg. contra C. de decur., exemplo, lib. 10.

X 1.29.14 *Quoniam abbas*

Praefixit
Et etiam solus potuit praefigere altero mortuo, si continebatur in litteris, quod si ambo non poteritis, etc. Quia tunc extitit conditio, nec propterea expiravit mandatum quantum ad illum defunctum, sed statim altero substituto, et confirmato ambo procedere debent, quia temporale fuit impedimentum, C. de curat. fur., cum aliis.

Substitutum
Ecce quod successor potest cognoscere unde potuit cognoscere praedecessor etiam delegatus, et hoc verum est quando proprium nomen in litteris non sit expressum. Quia pro una persona intelliguntur, quia dignitas non moritur. Sed si proprium nomen in litteris fuerit expressum, quia tunc commissio facta fuit personae, successor non cognoscet. Et haec est ratio quia, ut dixi, dignitas numquam perit, individua vero quotidie pereunt, ff. de leg. 1, si quis in fundi. Sed videtur quod idem sit, et si non exprimatur proprium nomen, quia hoc nomen abbas talis loci, loco proprii nominis est, ff. de lib. et post., nominatim, arg. Sed non est proprium nomen, sed singulare, ut phoenix, et appellativum similiter, et si electus sit loco praemotui, idem est, quia idem debet cognoscere ut praedecessor, ff. de iud., mortuo; in Auth. ut nulli iudic. lic. hab. § et hoc iubemus, coll. 9. Sed videtur quod etiam si expressum non sit nomen dignitatis, quod successor adhuc cognoscere possit, arg. ff. de condi. et demon., filiae § Titia; et ff. de lib. et post., placet; et ff. de lib. et post., ideoque; et arg. ff. de ann. legat., annua § 1; sed illud testator voluit. Sed pone quod plures archidiaconi sunt in aliqua ecclesia sicut sunt in

ecclesia Parisiensi. Et Papa mandat archidiacono Parisiensi sine additione proprii nominis vel cognominis ita quod non apparet de quo senserit, cum plures sint archidiaconi, quis ergo erit iudex? Videtur quod nullus, quia si duo dati sunt tutores eiusdem nominis, nec apparet de quo senserit testator, neuter erit tutor, ff. de testam. tut., duo sunt Titii. Et si testator dicat: exheredo filium meum, cum plures habeat, nomine proprio non expresso, nullus est exheredatus, ff. de lib. et post., nominatim. Et si non apparet quis heres institutus sit, institutio non valet, ff. de hered. instit., in tempus § quotiens; et ff. de reb. dub., si ita fuerit § item si ex pluribus; et ff. de manum. test., cum ex pluribus. Sed videtur quod ille sit iudex quem imperator elegerit, sicut si inter duos dubitetur de eodem legato cui potius dari debeat, heres eligere debet cui solvat, ff. de leg. 2, si quis servum § si inter duos. Et si quis intentione ambigua usus est, quod ei utilius est debet accipere, ff. de iud., si quis intentione; et ff. de iud. solemus; et C. de condi. indeb., si quis servum; hoc vidi de facto. Hic satis patet quod ille quem elegerit actor erit iudex, quia de illo sensit cum impetravit litteras, ff. de ver. oblig., inter stipulantem. Sed si communi consensu partium partes concordassent et consensissent, non distinguando de quo, quid erit, cum modo dicat actor de uno, et reus de altero, nec potest constare de quo intellexerunt, quia non concordant? Hic dicere possum, quia ille sit iudex cui primo sunt litterae praesentatae, supra, de rescript., capitulum; et infra, de appell., ut debitus. Sed si esset simul praesentatio facta, tunc qui dignior est. Sed si essent aequaliter digni, forte dirimatur, ff. de iud., sed cum ambo; et 26. q. 2, sors non est.

Sicut est iusta
Haec verba cum ponuntur in confirmationibus conditionaliter intelliguntur, infra, de confirm. util. vel inutil., examinata; et infra, de concess. praeben., quia diversitatem. Secus si ponantur in privilegio, quia privilegium est lex privata, 3. dist., privilegia; et privilegium semper debet aliquid ponere, infra, de verb. sign., abbate; et infra, de privileg., in his. Et sic ponuntur in sententiis quas Papa ex certa scientia confirmat, ut hic.

X 1.29.15 *Super eo*

Inter aliquos
Qui se dicunt patronos.

Ius
Scilicet, praesentationem, ut dixi supra.

Ordinet ecclesiam
Haec verba ambiguitatem continere videntur, unde iudex credebat quod ipse instituere posset clericum praesentandum, quod non est verum. Unde sic expone, ordinet, id est, pronunciet ordinandam ecclesiam ad praesentationem illius qui probavit ius patronatus ad se pertinere. Tamen si episcopus, archidiaconus vel archipresbyter consentiret delegato, valeret eius institutio.

An liceat
Prima quaestio.

An si archipresbyter
Secunda quaestio.

Archidiaconus
Arg. quod archidiaconus vel etiam archipresbyter committere curam animarum, sed hoc est quando ab episcopo est eis specialiter concessum, supra, de offi. archidiac., cum satis; vel cum aliis hoc obtinent de consuetudine, arg. supra, de elect., dudum ecclesia; et supra, de offi. archidiac., dilecto; et infra, de excess. praelat., ad haec.

Intentionis
Arg. privilegia, rescripta et alia consimilia ad ea tantum extendi de quibus cogitatum est, ff. de pacti., tres fratres; ff. de transaction., cum Aquiliana. Et ita intentio mandantis consideranda est, infra, de restit. spol., audita; et infra, de praeben., cum causam; et infra, de praeben., cum olim. Item arg. quod iuri nullius intendit Papa derogare, 22. q. 2, primum; infra, de offi. ord., licet; et infra, de decim., ex multiplici; et supra, de rescript., ad aures.

Tenebit
Et ita debet differri executio sententiae, si per eam alicui praeiudicium generatur, infra, de re iudic., cum super. Et verum est nisi praesumptio sit in contrarium quod malitiose appellatur, sicut contingit in restitutione, infra, de in integ. restit., suscitata.

Sed partibus inter quas
Et ita licet appellatio sit remota in litteris, nihilominus possunt appellare omnes quorum interest, 2. q. 6, non solent. Item nota quod omnes possunt se opponere quos negotium tangit, licet de illis non fiat mentio et sunt admittendi; alias non teneret appellatio interposita per eos. Item arg. quod iurisdictio extenditur ad eos de quibus non est cogitatum. De hoc dixi supra, de offi. deleg., quia quaesitum. Item arg. quod res inter alios acta non nocet aliis, infra, de re iudic., quamvis, ubi de hoc tractatur, et competentius ibi ponitur quam hic.

X 1.29.16 *Causam matrimonii*

Invita
Et ideo talis confessio praeiudicare non debet, 31. q. 2, Lotharius; et 15. q. 6, si sacerdotibus. Et si etiam sponte id confiteretur, propter unius confessionem vel etiam amborum matrimonium separari non debet, quia saepe adinvicem colluderent, infra, de eo qui cog. consang., super eo; et 35. q. 6 § quod autem. Sed si ambo confiteantur et fama publica consensit, tunc possunt separari, 35. q. 6, si duo. Quidam tamen aliter intelligunt illum canonem.

Confessa est
Coram uno iudice tantum, cum talis confessio hodie non teneret.

Adinvicem unius
Et male, quia non erat ibi posita illa clausula, quod si non omnes, etc., vel alter se litteratorie non excusavit.

Solummodo
Arg. quod ubi aliquorum praesentia desideratur, quod in eorum absentia agitur, non tenet, ut 63. dist., obeuntibus; et supra, de elect., cum in veteri; et C. de testament., si unus; et 66. dist., porro; et 68. dist., corepiscopi; et ff. de transaction., cum hi § si praetor; et ff. de re iud., duo ex tribus; et C. de advoc. fisc., rationales; et ff. de iure fisc., si fiscus. Arg. contra 63. dist., nullus laicorum; et 63. dist., Hadrianus; et C. de postulan., velamento; et 15. q. 7, felix. Solutio: duobus modis desideratur praesentia alicuius quantum ad necessitatem, et sic vera est prima rubrica, ut hic, et supra, de elect., quod sicut; et supra, de elect., venerabilem. Item quantum ad honestatem vel utilitatem, et talis absentia non vitiat quod actum est, ut in contrariis, et 32. q. 2, honorantur.

Unius
Quid iuris sit quando iudices ordinarii, vel delegati, vel arbitri ferunt diversas sententias, dicitur infra, de re iudic., duobus; et ibi dicitur de hoc. Si vero duo sunt iudices et alter sine altero procedat, non tenet sententia, ut hic, sive etiam plures, et aliquo absente pronunciant, ff. de re iud., duo ex tribus.

Recipiat
Sic infra, de restit. spol., ex conquestione. Arg. contra infra, de ord. cognit., intelleximus. Hic et in illa infra, de restit. spol., ex conquestione, possessorio agitur. Et ideo cum causa spoliationis sit privilegiata, illa semper primo est tractanda, et conventus super spoliatione reconvenire spoliatum non potest, nisi de alia spoliatione, infra, de ord. cognit., super spoliatione. Facta vero restitutione postea cognoscatur de proprietate, scilicet, de causa matrimonii. Illa infra, de ord. cognit., intelleximus, loquitur de petitorio. Sed si incontinenti iste vellet probare consanguinitatem, maxime in gradu indispensabili, restitutio differtur secundum tenorem illius decretalis infra, de restit. spol., litteras; alias semper facienda restitutio.

X 1.29.17 *Causam quae*

Dominus
Arg. est hic evidens quod rationabilis est causa suspicionis, si iudex est dominus adversarii, arg. 3. q. 5, accusatores; et 11. q. 3, quatuor; et infra, de offi. deleg., insinuante. Et idem esset si iudex est vasallus impetrantis, arg. 22. q. 5, de forma. Item si sit suffraganeus impetrantis, infra, ut lite non cont., accedens 1. Item si esset consanguineus vel advocatus extitit in eadem causa pro ipso, infra, de appell., postremo. Idem videtur si habet consimilem causam, infra, de iudic., causam quae inter. Arg. opponitur ad hoc infra, de testib., personas. De causa suspicionis tractabitur infra, de offi. deleg., suspicionis; et infra, de appell., cum speciali.

X 1.29.18 *Cum te*

A personis ecclesiasticis
Id est, ab audientia personarum, quibus causa commissa est. Et est arg. quod delegatus causam commissam sibi subdelegare debet personis ecclesiasticis, et non laicis, cum laici de talibus causis ecclesiasticis iudicare non debeant, infra, de iudic., decernimus. Et decretalem istam habes infra, de offi. deleg., super quaestionum, circa princ.; et ibi exponitur.

X 1.29.19 *Relatum*

Contestata
Quod dicit hic secundum leges locum habet, quod si ante litem contestatam moriatur mandator expirat mandatum, ut hic dicitur, quia lis non dicitur coepta nisi per litis contestationem, in Auth. de litigios. § omnem, coll. 8; ff. rem rat. hab., amplius. Secundum canones non consideratur tantum litis contestatio, sed sufficit sola citatio ante mortem mandatoris ad perpetuandum rescriptum. Unde citatione praemissa non finitur mandatum per mortem mandantis, infra, de offi. deleg., gratum; et infra, de offi. deleg., licet. Sed si citatio non praecedat mortem, statim expirat mandatum, infra, de offi. legat., nemini § 1; et ff. de iuris., et quia. Qualiter fiat contestatio litis habetur infra, de litis contest., olim. Item sicut per libelli oblationem perpetuatur actio, C. quan. lib. princ. dat., dubium; et 2. q. 6, anteriorum. Et sicut res litigiosa efficitur per libelli oblationem, ut in Auth. de litigios., in princ., coll. 8; et C. de litig., authen. litigiosa. Eodem modo perpetuatur iurisdictio delegati per solam citationem, ut dicunt iura praedicta.

X 1.29.20 *Gratum*

Quasi coeptum
Ideo dicit, quasi coeptum, quia quantum ad perpetuandam iurisdictionem coeptum est negotium, sed quantum ad litem contestatam non est coeptum. Unde legitimas exceptiones potest opponere, unde successor impetratis poterit convenire reum mortuo impetrante, arg. supra, de rescript., significavit, ubi de hoc; et arg. ff. de inoffic. testam., posthumus § ulti.; C. de novat., si delegatio; ff. de iuris., et quia; ibi expone agi coeperit per citationem, ad hoc ut faciat ad propositum, et infra, de offi. deleg., licet; et infra, de offi. legat., nemini.

Maxime
Hic bene dicit quia idem esset si esset certus praemissa citatione, quia potest procedere etiam si esset certus de morte delegantis, et si negotium non esset quasi coeptum, non procederet. Et ideo potest procedere cum nondum sit certus, et negotium sit quasi coeptum. Arg. contra Inst. de mandat. § recte; ibi innuitur quod si ignorans post mortem citavit, licet postea sciat de morte, procedere potest, ff. de acq. poss., fundi venditor § 1; et ff. si cert. pet., eius qui in provincia; et in eadem lege contrarium dicitur.

Recessum
Nota praesumptionem iuris, quod iuri suo renunciare praesumitur qui iuri suo contrarium facit, infra, de testib., cum venisset; quae loquitur de hoc eodem negotio, et est eiusdem Urbani; et infra, de appell., sollicitudinem; et infra, de his quae fi. a maior. par. cap., ex

ore, ubi de hoc multa argumenta invenies; et infra, de vit. et honest. cler., ex litteris; et C. de iure dom. imp., si creditor; et ff. de minor., si filius; ff. de inoffic. testam., si exheredatus; et ff. de inoffic. testam., si proponas § 1; et 63. dist., cum Hadrianus.

X 1.29.21 *Prudentiam*

Quinto loco
Primam quaestionem habes infra, de mut. petit., prudentiam; secundam et tertiam infra, de appell., secundo; quartam habes infra, de transact., praeterea quarto.

Teneatur
Ad hanc quaestionem non videtur Papa respondet, sed videtur quod non teneatur venire, supra, de offi. deleg., causam matrimonii; et infra, de eo qui mitt. in poss. caus., cum sicut; et 2. q. 6, ei qui § diffinita, vers. item si plures; et ff. de re iud., duo ex tribus; et ff. de recepti., si in tres; et ff. de recepti., sicuti. Praeterea si veniret, illi duo non possent procedere, et ideo non esset contumax si non veniret, ut ff. de iud., non videtur; et ff. de peculi., eo tempore; et ff. de recepti., si cum dies § si arbiter. Praeterea non videtur esse in mora qui se potest tueri per exceptionem, ff. si cert. pet., lecta est; ff. de usuri., sciendum; et infra, ut lite non cont., quoniam § si vero aliter, ad fi.; et ff. iudi. solv., vir bonus. Contra videtur quod teneatur venire, quoniam quilibet illorum est iudex insolidum, cum sit res indivisibilis, 24. q. 1, loquitur; infra, de iure patron., perlatum; et ff. de bon. libert., si libertus, in fi.; et ff. de servit., viae; et C. de reli. et sump. fun., si sepulchrum; et ff. de rel. et sump. fun., vel quod; et ff. ad leg. Falc., lex Falcidia lata § si usus fructus. Item unus solus consul procedere potest altero absente, ff. de off. consul.; arg. C. de aucto. praestan., veterem § sancimus; et ff. de exerc. act., utilitatem § si plures; tamen ille § pro utraque parte facit, et est arg. bonum ff. de fideicommi. liber., si legatario § 1. Et quilibet tenetur saltem venire allegaturus privilegium suum, infra, de appell., cum parati; ff. de iud., si quis ex aliena; et ff. si quis in ius voc. non ierit, ex quacumque, 1. resp. Ad hoc distinxit Io. et bene utrum iudices sint ordinarii vel delegati. Si iudices sunt ordinarii, uno absente reliqui possunt procedere. Per iura quae ad hoc sunt inducta, cum quilibet per se insolidum habeat iurisdictionem. In delegatis vel arbitris secus est, quia uno absente reliqui non possunt facere nec tenet quod fit ab eis, supra, de offi. deleg., uno delegatorum; et infra, de offi. deleg., cum causa; et ff. de re iud., duo ex tribus. Licet enim quilibet eorum habeat iurisdictionem insolidum, eam per se non potest exercere, quia loco unius intelliguntur, sicut si plures furantur unam trabem, ita quod nullus eam furatur, et tamen quilibet tenetur, ff. ad leg. Aquil., ita vulneratus, in fi.; simile supra, de rescript., pastoralis, in fi. Et sic patet quod iste de quo quaeritur ad talem citationem non tenetur venire. Et si dicis quod Papa non respondet ad quaestionem, immo bene respondet, quia respondet ad secundam quae est utrum duo praesentes absente tertio et se nullo modo excusante procedere possint, quod non debent procedere; et si processerint, quod nihil putabuntur egisse. Bene respondet ad prima quaestionem, quia secunda soluta intelligitur prima soluta, quia si nihil facere possunt, sequitur quod non tenetur venire, et sic quasi superflua relinquitur quaestio prima, supra, de rescript., pastoralis; sic infra, de iure patron., postulasti, ubi per solutionem ultimae quaestionis solvuntur praecedentes, et saepe sic invenies. Et sic dico quod quando duo citant tantum, et hoc constat, citatus non tenetur venire, in quo casu loquitur haec decretalis. Quia hic ponitur pro quaestione quod

tantum duo citant, et est quaestio iuris, et ego respondeo quod non tenetur. Sed si tu ponas quod tres sunt dati iudices contra te, et duo citant per litteras suas vel nuncium et nulla fit mentio de tertio, hic non est certus de facto, immo potes dubitare se excusaverit vel commiserit vices suas illis, et ideo licet minus caute faciant, quia non faciunt mentionem de tertio in litteris suis. Tutius est ire et videre an habeant auctoritatem a consocio, et si habent, bene possunt procedere. Si vero non habeant delegationem vel excusationem a suo consocio, non possunt procedere, ut infra, de offi. deleg., cum causa. Et potes agere contra illos ad interesse eo quod te calumniose citaverunt, nec in hoc possunt praetendere errorem, cum in hoc sint certi. Et quod teneantur ad interesse, patet de sent. excom., sacro. Sed pone quod duo procedant contra istum absentem citatum, et tertius postmodum habeat ratum quod illi fecerint, numquid valet sententia sicut valet in electione, supra, de elect., quod sicut? Dico quod non valet sententia talis per ratihabitionem tertii, cum ab initio nulla fuerit, unde postea ratificari non potest, ff. de regul. iur., quod initio, in fi. Item quid si partes consentiant ut duo procedant, numquid valeret talis processus tertio non veniente nec se excusante? Non credo quod partes possint illis dare illam iurisdictionem, C. de iuris., privatorum consensus; et infra, de offi. deleg., P et G.

Sententia calculo

Id est, finali vel diffinitiva sententia. Unde calculus multipliciter sumitur ut patet in his versibus: Calculus est ratio numerus sententia carbo. // Calculus est pondus minimus lapis ensis acutus. // Libro Papiae si vis exempla require.

Per certum nuncium

Qui sit certae et approbatae fidei, 97. dist., nobilissimus. Sed cui debet fieri fides quod sit certus nuncius? Dico quod iudicibus consociis, arg. ff. rem rat. hab., nec satisdatio. Et fides facienda est iudici, cum secundum ea quae coram eo probantur debeat iudicare, supra, de renunciat., in praesentia; et 3. q. 7, iudicet. Et partibus etiam de hac delegatione vel executione debet fieri fides, quia per hoc constat an habeant iurisdictionem de quo facere fidem debent, infra, de offi. deleg., cum in iure. Sed numquid isti nuncio vel excusatori creditur sine litteris? Non credo, quantumcumque honestus sit vel fidelis, infra, de probat., quoniam. Et uni testi non creditur quantumcumque honestus sit, 4. q. 3, si testes, vers. unius testimonio. Et ideo sequitur litteratorie destinatum, et ita potius creditur litteris quam nuncio. Haec enim est idonea probatio quae fit per litteras, ff. de pignorib., contrahitur; 18. dist., placuit. Et quod dicit, litteratorie destinatum, respicit utrumque divisim, vel est expositivum.

Non ostenderit

Videtur quod non debeat eos certificare, quia ipsi certi sunt. Si non interest, hoc contingit vel quia non potest, vel quia non vult. Sed in utroque casu procedere debent, ut hic dicitur § adiicimus. Ergo cum certi sint, certificari non debent, ut ff. de act. emp. et vend., si res vendita, in fi. Resp.: licet sciant, hoc eis denunciandum est, semper enim debet constare de hoc antequam procedat, quia posset esse quod bene vult interesse, nec per eum stat, sed per partes, quae ipsum ducere debent suis expensis, quia cum suis expensis venire non tenetur, ut bene colligitur infra, de vit. et honest. cler., cum ab omni. De hoc ibi notatur, et est simile si mulier sciat libellum accusationis esse porrectum.

Recte tamen nubet, dum ei nondum est denunciatum, ff. de adulter., denunciasse, circa princ.; arg. ff. quan. dies leg. vel fid. ced., huiusmodi legatum.

Canonice
Puta per testes, ut probetur absens longe ut haberi non possit vel infirmus, arg. supra, de cleri. peregri., tuae fraternitatis.

Nihil egisse
Per hoc noveris esse solutam primo loco propositam quaestionem. Haec solutio includit in se illius solutionem, ut dictum est in prima notula, sic infra, de frig. et malef., fraternitatis; et supra, de offi. deleg., super eo.

Illa quippe
Interpositio est ob hoc quia fecerat mentionem de pluribus iudicibus, quia nihil facit ad quaestionem, et ille versiculus, mandati si quidem, etc., continuatur praecedenti solutioni, et illa clausula, illa quippe, etc., competentibus, poneretur post illam clausulam, mandati si quidem, et sic esset tota continua et planior, vel satis potest legi tota continua.

Duobus quam uni
Secus est in arbitris, quia propter naturalem hominum facilitatem ad dissentiendum, melius compromittitur in unum quam in duos, quia res fere sine exitu est, ff. de recepti., item si unus § principaliter; et infra, de arbitr., innotuit. Tamen si compromittitur in duobus, tenet compromissum, et praetor cogere debet illos, ut si dissentiant tertiam eligant personam cuius auctoritati stetur, ut dicit ff. de recepti., item si unus § principaliter; et infra, de offi. deleg., suspicionis § 1.

Plurimorum
Quod enim a pluribus quaeritur sapientibus facilius invenitur, 20. dist., de quibus. Et per ampliores homines perfectissima veritas revelatur, C. de fideicomm., quaestionem, ad fi.; et 64. dist., extra conscientiam.

Citra formam
Versiculus iste probat quod duo tantum procedere non debent, et citatio est de processu, infra, de offi. deleg., pastoralis § 1; et infra, de probat., quoniam. Et si procedant, nihil egisse reputabuntur. Ergo si citant nihil faciunt, quia de toto ad partem negando valet argumentum, et sic per hoc probantur quae dicta sunt in prima notula, et sic forma rescripti servanda est, supra, de rescript., cum dilecta. Et quia omnibus iurisdictio demandatur, ab omnibus debet citari.

Cum possit
Et hoc absque periculo rei familiaris, quia tunc non tenetur negligere sua, ff. de iud., si longius, 1. resp.

Noluerit
Hoc est quod additur ei quod supra dixi, si omnes interesse nequiverint. Et ibi potes hoc verbum supplere: vel interesse nequiverint aut noluerint, etc.

Procedant
Postquam constiterit quod interesse non vult, ut supra dixi in alio casu quando interesse non possint, supra, de rescript., sciscitatus.

Arguendus
Immo et puniendus pro eo quod mandatum Apostolicum exequi non vult, ut supra, de rescript., sciscitatus. Sed quis arguet eum aut puniet? Coniudices? Non, quia par in parem non habet imperium, supra, de elect., innotuit; et ff. ad Trebel., ille a quo § tempestivum. Ordinarius? Non, quia delegatus maior est eo quantum ad illam causam, arg. supra, de offi. deleg., sane quia; et infra, de offi. ord., pastoralis § 1. Superior ergo eum puniet cuius mandatum exequi non curat, C. de temp. appel., cum anterioribus § illud. Et coniudices debent superiori denunciare negligentiam ipsius, arg. infra, de praeben., grave, ad fi.; 2. q. 7, ea propter. Sufficit sola redargutio, cum per hoc non praeiudicetur partibus, quia alii procedere possunt.

Vinculo excommunicationis
Sed videtur quod excommunicatus impetret rescriptum tacito de sua excommunicatione, quod valeat postquam fuerit absolutus, arg. C. de precib. imper. offer., universis. Item arg. quod per absolutionem quis in pristinum statum reducatur, arg. 4. q. 1, diffinimus; et 4. q. 1, quod autem hi. Et quia cum sit poena, non debet extendi sed potius restringi, infra, de his quae fi. a maior. par. cap., quaesivit; de poen. dist. 1, poenae. Sed contra supra, de aetat. et qualit., cum bonae; et supra, de rescript., dilectus filius 1; et infra, de appell., pastoralis. Verum est quod litterae ab excommunicato impetratae hoc tacito non valent ad agendum vel ad beneficium obtinendum, ut dicunt contraria. Sed ad sui defensionem obtentae, puta quia appellavit, tunc bene valent litterae, licet non faciant mentionem de excommunicatione, infra, de except., cum inter; infra, de except., dilectae; et infra, de except., significaverunt; et infra, de except., venerabilem. Et quod hic dicit, scilicet, absolvat eum, et postmodum procedant, locum habet quando post litteras impetratas fuerit excommunicatus ab homine vel a iure. Et ideo eo absoluto valent litterae, quod patet ex eo quod dicit, non potest stare in iudicio. Nec dicit quod litterae non valent, sed dic super hoc secundum quod notatur.

Statim
Id est, infra octo dies, infra, de except., extravag. pia.

Donec
Hic fuit dubitatio utrum esset procedendum super principali non obstante exceptione opposita, donec de ipsa excommunicatione constaret, ut simul super principali et exceptione procederetur, quod non debet esse. Immo supersedendum est super principali quaestione, donec termino competenti probetur exceptio, infra, de iudic., exhibita.

Terminum
Et duo ita non plures, infra, de appell., secundo; et infra, de appell., cum speciali.

Competentem
Hodie terminus iste non est ad arbitrium iudicis, sed infra octo dies exceptio excommunicationis probari debet, die in quo proponitur non computato. Quod si probata non fuerit, iudex in causa procedat, reum in expensis actori quas propter hoc fecisse docuerit condemnando, taxatione praemissa, et ultra duas vices haec exceptio non proponatur servato tenore decretalis. Et qui excommunicationem opponit, speciem ipsius et nomen excommunicatoris exprimere debet, ut in decretali Inno. iiii, in qua omnia haec statuuntur, et incipit infra, de except., extravag. pia.

Ex confessione
Ex loco isto satis colligitur quod super exceptione debet lis contestari inter partes, et iurari etiam de calumnia in civilibus sed non in spiritualibus, sed de veritate dicenda, quia exceptiones debent dari in scriptis, infra, de probat., quoniam; sicut etiam datur libellus infra, de libel. oblat., ignarus. Et ad exceptionem debet ille contra quem proponitur respondere, ut hic dicit, et sic lis contestatur. Si negaverit actor exceptionem, tunc iurabitur de calumnia, infra, de fideiuss., constitutus; et est oppositum arg. C. de iureiuran., in omnibus. Et si postea per confessionem non constiterit de exceptione, probabit illam per testes vel alio modo quo poterit, ut per instrumenta. Alias processus non valeret lite non contestata, infra, ut lite non cont., per totum. Arg. contra infra, de iudic., decernimus. Et super hac exceptionibus, et male sicut credo, quia ordo iuris ubique est servandus, cum proceditur iure ordinario, et hoc probatur infra, de appell., interposita § ulti. Tamen iura illa quae dicunt quod lite non contestata, non tenet processus, loquuntur in negotiis principalibus. Unde satis potest dici quod nihilominus valet processus in exceptionibus dilatoriis et emergentibus, licet lis non fuerit in his contestata, et nullo iure cavetur quod in his processus non teneat, contestatione omissa, iuxta illam regulam: multa fieri non debent, etc., infra, de regular., ad Apostolicam. Ber.

Quolibet modo
Puta testibus vel instrumento, infra, de testib., veniens 2; et infra, ut lite non cont., quoniam.

Excommunicationis
Maioris scilicet, quia minor non repellitur ab agendo, nec a consortio fidelium, infra, de except., a nobis; nec a electione, infra, de cleri. excom., si celebrat.

Formam
Quae duplex est, infra, de verb. sign., ex parte in Christo.

Aliam iustam causam
Secus esset si propter eandem causam quae nunc delegatur, quoniam non teneret iurisdictio si se excommunicatum suppressit. Vel si expressit, a delegatis istis absolveretur, nec remitteretur ad primos, immo tacita veritate de alia commissione, non valerent litterae, vel de processu ordinarii, arg. infra, de appell., ut debitus. Laur. Sed hic non dicebatur actor excommunicatus ante impetrationem litterarum, quod patet ex ipsa littera et notatur in glossa quae incipit: sic videtur. Hoc quod dicitur in ista notula olim

servabatur. Hodie vero litterae impetratae ab excommunicato bene valent, et eo absoluto proceditur per eas, infra, de except., extravag. pia.

Ad excommunicatorem
Quia isti delegati. Alias non habent potestatem illum absolvendi nisi primo illum excommunicatorem requiratur. Quod si non fecerit, primus ordinarius vel delegatus tunc illum absolvere possunt praestito iuramento prius, quod stabit mandatis ecclesiae super eo pro quo prius fuit excommunicatus. Alias si statim illum absolverent, non credo ipsum esse absolutum, 11. q. 1, in clericorum; et C. si a non comp. iud., et in privatorum; et ff. de regul. iur., factum a iudice. Quia sub conditione hoc mandatur et ita ante conditionem existentem etiam absolvere ipsum non possunt.

Reservetur
18. q. 4, si quis suadente; infra, de sent. excom., tua.

Explorati
Quod dicit hoc non videtur eis commissum, et Papa respondet quod commissum intelligitur tamquam accessorium, et est responsio tacitae quaestionis. Et sic absolutio est accessorium, quia sine illa causa principalis procedere non potest, quia non auditur nisi absolvatur actor, supra, de offi. deleg., praeterea; ff. de iuris., cui iurisdictio.

Excommunicatoribus
Nisi ab ipsis fuisset legitime appellatum, vel nisi aliam legitimam exceptionem opponere posset contra illos, infra, de offi. deleg., insinuante.

Distulerint
Scilicet, procedere in causa illa pro qua ille fuit excommunicatus. Et sic videtur quod actor et reus eodem tempore possunt litigare coram diversis iudicibus, et sic est contra C. de sent. et interloc. om. iud., authen. et consequenter. De hoc dixi supra, de rescript., quia nonnulli. Hodie standum est decretali Inno. iiii supra, de rescript., extravag. dispendia.

In principali
Sic econverso idem iuris in accessorio et in principali, ff. de accep., et per iusiurandum § et si fideiussori.

Accessorio
Accesorium vocat causam illam pro qua fuit excommunicatus actor huiusmodi causae, et sic respondebit reo in hac causa sub iudicibus delegatis, quod ipse impetravit si reus voluerit ipsum reconvenire, infra, de mut. petit., ex litteris; et infra, de mut. petit., prudentiam. Et si pro causa alterius tertii ab isto reo fuit excommunicatus, quid erit? Nihilominus absolvent eum praestito iuramento, quod stabit mandatis ecclesiae et procedent in negotio sibi commisso principali. Sed in alio procedere non possent etiam si ille reus, et ille actor consentirent quia iurisdictio istorum prorogari ad istum tertium non posset, cum de illo in litteris mentio non fiat, cum talis iurisdictio sit delegata, infra, de offi. deleg., P et G, in fi. Et nota quod isti excommunicatores per negligentiam perdunt

sua iurisdictionem tam circa absolutionem quam super principali negotio, sic infra, de for. compet., licet ex suscepto; et infra, de for. compet., ex tenore. Et ita delegatus supplet negligentiam alterius delegati vel ordinarii, sicut ordinarius supplet desidiam delegati, infra, de offi. ord., significavit.

X 1.29.22 *Cum causa*

Ab illis

Unde non tenebatur coram eis respondere nec etiam venire tenebatur, si certum erat quod a duobus tantum fuerat vocatus. De hoc dictum est supra, de offi. deleg., prudentiam; nisi velit quis venire suum privilegium allegaturus, ne de facto saltem vexetur secundum quod hic contingit, quia non obstante tali exceptione isti duo processerunt de facto solummodo, quis de iure non potuerunt. Sed contra videtur infra, de appell., si duobus, ubi tenet sententia excommunicationis ab eo lata qui iudex non erat, propter contumaciam illius qui appellaverat ad Papam, quia citatus coram metropolitano non comparuit. Sed hoc ideo est quia ille qui excommunicavit, credebat se iudicem propter appellationem ad ipsum factam, ignorans quod alter ad sedem Apostolicam appellasset. Unde tenuit sententia quia ille debuit ei significare quod apppellaverat ad Papam, et per illam probo quod iste citatus tantum a duobus iure non tenetur, cum illi sciant se sine tertio procedere non posse, et si procedant, nihil valet, sic in decretali infra, de appell., si duobus. Si ille scivisset quod ad Papam appellasset, et eo non obstante ipsum excommunicasset, non valuisset ut ibi colligitur evidenter. Sed ponamus quod tres sunt iudices sub illa forma, quod si non omnes, etc. Tertius malitiose non venit nec se excusat vel non committit, et sic alii non possunt procedere. Quid fiet de illa causa? Arg. quod possunt duo procedere, 65. dist., si forte; ad instar electionis, ut supra, de elect., quod sicut. In contrarium videtur quod non possunt, quia primo constare debet eis de impotentia vel voluntate tertii, supra, de offi. deleg., prudentiam; et supra, de rescript., sciscitatus. Vel potest esse quod habet iustam causam absentiae. Quid enim si postea probaret se non potuisse venire iusta de causa? Cassabitur quod factum est ad instar rei absentis, infra, de re iudic., cum Bertholdus. Item qualiter possunt duo citare tertium, cum sit par illis, et par in parem non habet imperium, supra, de elect., innotuit; et ff. ad Trebel., ille a quo § tempestivum. Si enim teneretur ad eorum citationem venire, ergo si non veniret, possent eum excommunicare, quod non est verum. Ad hoc dicas quod citare non possunt eum ut veniat, sed admonere possunt ut veniat et rogare. Et si non venerit usque ad tertiam monitionem vel rogationem, nec aliquid rescripserit, vel si dixerit se velle interesse, et non venerit, tunc possunt alii procedere, quia praesumitur nolle venire, vel non posse interesse, et talis praesumptio habebitur pro responsione illius, scilicet, quod non velit vel non possit venire, arg. 3. q. 9, decernimus; et ff. de re iud., contumacia; et oppositum arg. 65. dist., si forte. Et sic stati remanet iurisdictio apud alios, supra, de offi. deleg., prudentiam; et infra, de offi. deleg., consuluit. Nec obstat si dicat se tunc non potuisse venire, quia potuit alii committere vices suas vel se excusare, infra, de offi. deleg., pastoralis § ulti. Nec est inconveniens quod unus delegatus suppleat negligentiam alterius delegati, ut supra, de offi. deleg., prudentiam § sexta. Sic etiam ordinarius supplet desidiam delegati, infra, de offi. ord., significavit. Item talis iudex qui negligit iustitiam facere, facit litem suam, 23. q. 2, dominus; et propter negligentiam iudex removetur, C. de off. praef. praet. Orien., si quos; sic et praelatus, 1. q. 1, si qui episcopi

§ ecce cum honoris. Merito ergo cum constet de negligentia tertii, duo procedere possunt.

Nuncium
Infra, de appell., meminimus; et infra, de appell., ad haec sicut. Arg. contra 2. q. 6, non solent § eius vero. Hodie haec allegatio locum non habet, infra, de appell., ut debitus, in fi.

Protulerunt
Et male ex certa scientia, quia appellavit. Unde non valuit quod postea fecerunt.

Constiterit
Et in absentia partis adversae contumacis potest constare lite non contestata, infra, de appell., interposita § ulti. Et hic est casus in quo potest procedi lite non contestata, ut patet per decretalem praedictam.

Admisisse
Et ita videtur quod in causa appellationis sufficit ostendere se appellasse ex causa probabili. Est tamen necesse quod probet causam appellationis veram fuisse; simile infra, de appell., dilecto filio. Unde signatur contrarium, infra, de appell., interposita, ubi appellans debet probare causam appellationis fuisse veram; et infra, de testib., ex parte. De hoc dicetur infra, de appell., interposita. Quando debeat probari veram fuisse, vel sufficiat ostendere se appellasse ex causa probabili, dic ut in infra, de testib., ex parte.

Spoliatum
Ab illis duobus iudicibus quo mandaverant eum spoliari.

Cum fructibus inde perceptis
Vel qui percipi potuerunt, infra, de restit. spol., gravis; et 12. q. 2, non liceat.

X 1.29.23 *Cum super abbatia*

Iuxta formam
Quae fuit ut alter solus in causa procederet, altero non valente aut nolente interesse, ut dictum est in casu.

Appellationem
Quia non admisit recusationes propositas contra ipsum, et potest dici quod ipso facto interlocutus fuit restituendo eum ipso episcopo, ut dictum est supra. Et imponendo silentium adversario post illam appellationem, quia in integra non invenitur quod verbo super hoc interlocuti fuisset.

Confessus est
Ipso enim facto confessus est, sicut ipso facto negamus Christum, 11. q. 3, existimant. Et ipso facto mentimur, 22. q. 5, cavere. Ipso facto appellamus, infra, de appell., ut nostrum; et infra, de appell., dilecti filii 2. Ipso facto habemus ratum, ff. de inoffic.

testam., si proponas; et ff. de inoffic. testam., si exheredatus; ff. rem rat. hab., cum minor § falsus. Et ipso facto renunciat quis iuri suo, ut supra, de offi. deleg., gratum; et infra, de his quae fi. a maior. par. cap., ex ore, ubi plura argumenta invenies de hoc. Item arg. quod qui unum dicit vel facit, plura facit vel dicit, ff. de recepti., Celsus § 1; et 11. q. 3, existimant; et 11. q. 3, non solum; arg. infra, de dolo et contu., cum dilecti; et ff. quod metus cau., ait praetor.

Desierat
Propter recusationes praedictas et appellationes.

Mutuo adversantibus
Nota quod posse et velle contraria sunt, ut hic. Nec valet quod valere potest, quia illud non vult, nec valet illud quod vult, quia illud non potest valere, C. si quis alt. vel sib. sub alt., multum interest; C. de iure dot., si genero; sic supra, de translat., inter corporalia, vers. ulti.; ff. de testam. milit., si miles qui; ff. de reb. dub., in ambiguo; ff. de hered. instit., quotiens. Arg. contra infra, de praeben., inter caetera; et infra, de praeben., dilectus filius 2. Et potius interpretanda est res ut valeat quam ut pereat, infra, de verb. sign., abbate; et infra, de privileg., in his. Item arg. contra 12. q. 2, si quos; ff. de contrah. empt., qui tabernas; ff. de liber. caus., si quando; et ff. de liber. caus., non solum § 1. Et facit ad hoc Inst. de adopt. § apud Catonem. Arg. contra supra, de elect., cum Wintoniensis; sed ibi solvitur. Item arg. contra ff. quod fals. tut., huius edicti § 1, ubi dicitur quod licet verus tutor auctoritate praestet cum falso tuto, tamen tenet quod dictum est. Sed illud ideo est, quia licet plures sint tutores, tamen solus potest administrate, C. de aucto. praestan., veterem. Vel cum verus tutor scit se solum esse tutorem; simile huic est ff. de recepti., parvi, in fi; et infra, de re iudic., ad probandum. Io. Item arg. quod utile vitiatur per inutilem, infra, de offi. deleg., super quaestionum § si vero, ubi de hoc.

X 1.29.24 *Consuluit*

Depositiones
Id est, dicta ipsorum testium.

Citandus
Videbatur quod peremptorium fuisset circumductum, ut iterum esset citandus, ff. de iud., et post peremptorium.

Aequitate
Et quidem aequum est et honestum in diem alterum expectare, nec statim debet dici contumax. Potuit quidem habere iustam causam absentiae, et sic revocabitur sententia, infra, de re iudic., cum Bertholdus. Nec praetor festinare debet ad decernendum, ut iubeat possidere, ff. de damn. infect., si finita § forte. Non tamen est necessarium nisi velit in diem alterum expectare.

Gratiam fecerit
Ecce quanta potestas datur iudici circa iudicia, ut possit parcere contumaci in praeiudicium alterius, C. quom. et quan. iud. sent. prof., non semper; ff. de recepti., si

cum dies § si quis ex ligatoribus. Non enim quicquid iudicis potestati permittitur, id iuris necessitati subiicitur, ff. de iud., non enim quicquid; et est contra id 3. q. 9, necesse. Item licet iudex possit parcere in ferendo sententiam termino constituto, non tamen potest ei parcere in expensis et sumptibus, alioquin ipse de suo restituet expensas, C. iud., sancimus. Sed videtur quod de iure mero teneatur expectare usque in diem sequentem, ff. de ver. oblig., qui hoc anno; vel quod saltem in suprema hora diei possit iudicare, 2. q. 6, biduum. Et hoc ideo, quia iudex matutino, vespere, et mane, et meridie iudicare potest, in Auth. de iudicib. § sedebunt, coll. 6. Sed contra videtur ff. de orig. iuris, necessarium § et quia, ubi dicit quod incongruum est quod iudices vespere sedeant, statur potius authentico. Vel dicas quod non est contra, quia ibi dicitur quod incongruum erat magistratibus hora vespertina in publico esse, et ideo inventi fuerunt quinque viri qui eorum vice illa hora fungeretur. Et sic potius concordat, et sic usque ad supremam horam ante noctis tenebras iudex procedere potest, ut hic in fine dicit. Honestum tamen esset iterum ipsum citare ad superandam malitiam eius; simile infra, de dolo et contu., prout; arg. ff. de iud., et post edictum.

Terminum peremptorium
Nisi terminus peremptorius sit statutus ad sententiam audiendam, non valet sententia in absentia partis alterius, ff. quae sent. sine appel., illud § item cum ex edicto. Arg. contra C. quom. et quan. iud. sent. prof., cessante. Sed lex ista contra loquitur, cum iudex partes in praesentia sua monuit, ut certo termino comparerent ad sententiam audiendam, et tunc si qua pars non veniat, re vera contumax est et sententia tenet, licet peremptorie per edictum non fuerit monita, alia lex loquitur cum absens citatur per edictum in absentia.

Ex tunc exequi
Immo videtur quod in ultima die qua futurus privatus vel privandus est, iudicare non possit, ff. de feri., pridie; ff. de iuris., eum qui. Arg. contra ff. de poe., imperator; sed hic ultima die suae iurisdictionis tenetur iudicare, ut hic patet.

Instantia
Id est, potestas.

Qui male agit
Unde Horatius.

Odit lucem
Sic 18. q. 2, perniciosam. Unde praesumitur contra illum qui occulte confert beneficia, infra, ut eccl. ben., ut nostrum; 19. dist., Anastasius; et 81. dist., clericus; ff. de ritu nupt., palam; et melius ff. de ritu nupt., iure gentium; ff. de adimen. leg., non existimo. Et tenebrae aptae sunt ad fabricandum falsum, ff. de ven. inspic., prima § tria luminaria. Tamen transactio potest fieri de nocte, C. de transaction., non minorem; et testamentum, ff. de testi., ad testamentum § ulti.

Incipiat
Quantum ad contractus, qui possunt fieri qualibet hora.

Auctoritas
ff. de feri., more Romano.

Tenebras
Quid si iudex processit in tenebris ad lumen candelae, vel ad contestationem litis, vel sententiam protulit, numquid valet quod agitur? Credo quod valeat processus, licet procedi non debuerit, dummodo aliud non impediat, et praecipue si iudex honestus sit, cum hic non dicatur quod si processum fuerit, non valeat, quia multa fieri non debent, facta tamen valent. Alii forte contra.

Peremptorii
ff. de iud., nonnumquam; infra, de in integ. restit., tum ex litteris.

Coarctare
Infra, de appell., reprehensibilis; et 2. q. 6, ei qui § appellatore; ff. de excusat., non tantum.

X 1.29.25 *Insinuante*

Familiarem
Familiaritas repellit iudicem sicut et testem, infra, de restit. spol., in litteris. Nam familiaritatis veritatem impedire solet, 3. q. 5, accusatores. Immo tota familia recusatur propter dominum, C. si quacum. praed. pot., si quis. Sed modica familiaritas non nocet, ff. de ver. sig., late § amicos. Et est simile infra, de appell., ex insinuatione; et infra, ut lite non cont., accedens 2; et supra, de rescript., ad haec; et ff. de procur., aut affinitate. Hic tamen advertas quod minor causa repellit iudicem quam testem, quia quaelibet consanguinitas repellit iudicem, infra, de appell., postremo. Sed non testem, quia frater testatur pro fratre, infra, de praesump., litteras. Propterea non invenitur prohibitum, quia edictum de testibus prohibitorium est, ff. de testi., testimoniorum. Et hoc ideo quia facilius inveniuntur plures iudices, quam unus testis.

Sine quo
Quia mandabatur, quod si non omnes, tu frater episcope cum altero ipsorum in causa procedas, tunc enim alii non possunt procedere sine ipso vel suo subdelegato, infra, de offi. deleg., quoniam Apostolica § 1.

Officialis
Et ita timeri potest ne trahatur in partem episcopi et sic in partem R., arg. infra, de eo qui mitt. in poss. caus., cum sicut; et infra, ut lite non cont., accedens 2.

Postmodum
Sic patet quod exceptio dilatoria potest proponi post litem contestatam, si de novo incipiat competere, sic ff. de recepti., non distinguemus § cum quidam; et ff. de interrog. act., aetate § ex causa; et infra, de in integ. restit., beneficio.

Merito
Haec causa movit istum R. ut causam faceret aliis committi ne pars adversa propter huiusmodi suspicionem recusaret illos iudices, et impetraret causam aliis committi coram quibus oportuisset ipsum R. postmodum litigare, et ita est arg. quod quis debet providere ea quae possunt facere contra ipsum sicut pro ipso, arg. 11. q. 1, de persona, vers. ne obiiciatur, etc.; ff. locat. et conduct., si quis domum § 1; et infra, de procurat., alia.

Consenserit
Scilicet, pars adversa. Nam ipse R. cogitur litigare coram eis, cum in eos semel consenserit et ipsos impetraverit, infra, de offi. deleg., super quaestionum; et 3. q. 3, offeratur; et 4. q. 3, si testes § venturis. Videtur tamen quod ipse R. eos possit recusare propter novam causam, sicut eius adversarius. Absurdum enim esset iudicium in unam partem declinare, et non in alteram, ff. de recepti., si cum dies § si arbiter, in fi.; arg. ff. de auct. tut., quod dicimus, in fi.; et C. de his qui ad eccl. confug., praesenti § sicubi; et 3. q. 5, constituimus.

Alioquin
Id est, si consenserit litigare coram illo postquam scivit illum effectum fuisse familiarem, supra, de offi. deleg., gratum; et infra, de testib., cum venisset; supra, de elect., cum inter canonicos; et ff. de iuris., est receptum. Etsi non consenserit, dummodo consentire velit, non valent istae litterae, ut supra, de elect., cum inter canonicos. Ber.

Revertantur
Hoc iustum est ut revertatur ad eum quem iniuste dimisit, infra, de appell., cum in ecclesia. Et in expensis adversario condemnabitur insuper, infra, de appell., ut debitus; et supra, de rescript., caeterum.

X 1.29.26 *Quaerenti*

Officio
Supra, de offi. deleg., in litteris; ff. de re iud., iudex; et infra, de iuram. calumn., at si clerici, in fi.

Pareatur
Cum effectu, supra, de offi. deleg., in litteris; et infra, de cleri. non residen., relatum.

Per aequitatis semitam
Placet ergo media via domino Papae, arg. ff. de acq. rer. dom., adeo § cum quis. Unde versus: cum media semper gaudebam ludere forma // maior enim mediis gratia rebus inest. Et illud versus: medium tenuere beati.

Quadrimestre tempus
In personali actione dantur quatuor menses reo ad solvendum, C. de usuris rei iud., eos; et C. de usuris rei iud., sancimus. Et si minus tempus daretur, suppletur a lege, ff. de re iud., si se non § si quis. Arg. contra infra, de re iudic., quod ad consultationem; et ff. de re iud., qui pro tribunali, ubi dicitur quod tempus illud potest arctari et elongari a iudice.

Sed illud intelligitur fieri cum causae cognitione et iusta de causa, alias non debet arctari. Et in illa infra, de re iudic., quod ad consultationem, sponte recepit terminum breviorem. In reali vero actione statim si dixerit reus se velle parere sententiae, alias post decem dies si non fuerit appellatum debet sententia mandari executioni, arg. Inst. de off. iudic. § et ideo si. Et in criminali statim mandanda est executioni, arg. de poen. dist. 1, defleant; alias incipit de poen. dist. 1, Adam; C. de poe., cum reis. Sed hoc est verum generaliter nisi in casibus qui notantur 11. q. 3, cum apud. Et tempus illud quadrimestre datur a die latae sententiae si non est appellatum, vel si est appellatum a die confirmationis sententiae, C. de usuris rei iud., eos. Et confessus habet hic tempus a die confessionis, ff. de confes., certum § ulti. Sed si confessus fuerit de crimine non statim mandabitur sententia executioni, donec pronuncietur crimen contra ipsum, sed in vinculis teneri debet, ff. de cust. reo., si confessus; et 2. q. 1, nos in quemquam.

Ad integrum annum

Sed quare non potest exequi sententiam suam post annum, cum iudex semper teneatur sententiam tueri, ff. ne vis fiat ei qui in poss., ait praetor. Nam iudex quantum ad futurum tempus prospicit partibus, ff. si serv. vend., egi; et ff. si serv. vend., harum. Sed illa lex loquitur de ordinariis, ne vis fiat ei, etc. Aliae duae leges loquuntur in servitutibus, quae debentur in futurum. Sed hic loquitur de legato cuius iurisdictio non est perpetua, sed infra certas metas temporis finitur secundum quod hic dicit. Sed pone quod post sententiam victus inquietat victorem, numquid prior delegatus debet adhuc cognoscere? Videtur per hanc decretalem quod sic, cum iurisdictio duret usque ad annum, quia non videtur possessionem adeptus qui eam statim amisit, ff. de acq. poss., non videtur; arg. ff. de hered. vel act. ven., venditor hereditatis § pervenisse; et ff. de hered. vel act. ven., iudex. Et quia istud ad ordinarium spectat, infra, de appell., cum teneamur. Item quia hic nova iniuria est, et ideo nova interpellatione opus est, ff. de excepti. rei iud., si mater § 2. Potest dici quod licet sit nova iniuria, tamen sequela est praecedentis facti, unde ad ipsum spectat, arg. ff. de institut. act., cuicumque § penulti. Aliter delusoria viderentur edicta iudicum, ff. ne quid in loc. pub., sicut is; et infra, de matr. contrac. con. int., litterae. Et satis videtur quod saltem usque ad annum possit compescere contradictores, et qui non patiuntur illum quiete possidere, excommunicando illos etiam generaliter, sed non assumendo aliquam cognitionem ulterius. Ad iudicem enim delegatum spectant quae accidunt ante sententiam, sed post sententiam nullam cognitionem assumere dent, cum iam non habeat nisi meram executionem. Unde non valet si cognoscere vellet ut iudex, C. de execut. rei iud., si ut proponis. Ea vero quae accidunt post sententiam spectant ad ordinarium, quia non agitur ex prima causa sed ex nova.

Ante litis contestationem

Videtur quod si iudex delegatus ante litem contestatam excommunicet aliquem pro contumacia, quod post annum ipsum absolvere non possit. Sed contra infra, de offi. ord., pastoralis, ubi successor in honore et onere absolvit. Item iudex coepit exercere iurisdictionem suam, unde perpetuata est, infra, de offi. deleg., licet; et supra, de offi. deleg., gratum. Et ita post annum potest absolvere, et quandocumque, quia ecclesia nulli claudit gremium suum, C. de summ. trinit. et fide cath., inter claras. Arg. contra quod post annum absolvere non possit, 11. q. 3, rursus; et 11. q. 3, quicumque. Solutio: dico quod post annum potest illum absolvere quandocumque, et procedere in causa,

quandocumque ille fuerit absolutus. Et quod dicit hic quod post annum non potest illum absolvere intelligitur de eo qui excommunicatus fuit post diffinitivam sententiam, cui non parebat, unde fuit excommunicatus iste et talis post annum absolvi non potest ab eodem, quia iurisdictio expiravit in totum, et quo ad executionem omnino. Sed ubi quis excommunicatur ante litis contestationem vel post litis contestationem, ante sententiam diffinitivam semper potest absolvi, quia iurisdictio durat usque ad sententiam latam et executioni mandatam, et infra annum post sententiam. Et ista littera sic intelligitur si aliquis contumax est, qui convenitur actione reali, actor dent mitti in possessionem rei petitae causa rei servandae. Et si contumax venerit infra annum a tempore interlocutoriae latae, recuperat possessionem post annum non recuperat possessionem, sed auditur de proprietate, eodem modo delegatus usque ad annum suam sententiam executioni mandare potest, postea vero non potest, et in hoc attenditur ista similitudo.

X 1.29.27 *Super quaestionum*

Nostram
Quae infra sequitur, et incipit, licet cui, etc. Et protenditur usque ad § intentionis.

Consultationi
Quae est supra, de offi. deleg., cum te. Et ista ponitur statim, scilicet, ibi, si super causa, etc., usque ibi, nos autem statuimus.

Derogatur
Immo corrigit qui interpretatur, ff. ad Tert., sive ingenua sive libertina § qui operas.

Committit
Litis contestationem, ut probatur infra § porro, vers. unde si forsan.

Interposita
Ad Papam, scilicet.

Non possit
Arg. contra infra, de offi. deleg., pastoralis, in fi. Sol. ut ibi infra, de offi. deleg., cum R, ad fi.

Provocationis
Hoc ideo dicit, quoniam nullus potest committere causam appellatione remota nisi princeps, quia privilegium est principis, ff. a quib. app. non lic., tractandum, in fi.

Quicumque
Ergo si ordinarius delegat aliquem articulum causae alicui, ab eo appellari non potest, nisi modum excedat, prout sequitur in littera.

Executorem
Executor dicitur proprie qui rem iudicatam ducit ad effectum, C. de execut. rei iud., executorem. Et talis executor partes iudicis sibi vendicare non debet, quia non habet

aliquam cognitionem, C. de execut. rei iud., si ut proponis. Hic autem improprie dicitur executor qui aliquem certum articulum examinat et de eo cognoscit. Et ideo praesumit non tam cognitorem quam executorem, puta de aliqua exceptione, utrum testis sit admittendus vel de aliquo consimili, ita quod nullam iurisdictionem habeat, sed tantum exequatur mandatum et faciat quod iniunctum est. Et si quid dubii fuerit, debet referre delegato, et a tali non appellatur nisi modum excedat, ut hic dicitur. Et posset forsitan dici quod talis auditor habet iurisdictionem et coerctionem, arg. infra, de offi. deleg., ex litteris. Et tamen non potest ab eo appellari, nisi modum excedat. Hodie vero nullus potest appellare ipso iure, nisi ipse gravetur qualiscumque sit iudex, et in quocumque articulo potest appellari ab eo cui commissa est iurisdictio cum cognitione, si aliquam partem gravaverit, infra, de appell., ut debitus. Et ideo nihil operatur quod dicit, appellatione remota.

Modum excedat
Quod si fecerit, appellatur ad delegatum non ad delegantem, infra § porro.

Dummodo
Supple nec potest recusari, dummodo, etc., quod patet in § verum, ubi Papa ostendit qualiter constitutio sua sit intelligenda.

Recipiatur assensu
Hoc videtur obviare decretalem Alexandris a contrario sensu.

Litis exordium
Exordium litis potest appellari quo ad perpetuandum rescriptum, citatio supra, de offi. deleg., gratum; et infra, de offi. deleg., licet; et infra, de offi. legat., nemini; et infra, de for. compet., proposuisti; et C. de praescri. trig. vel quad. ann., sicut in rem. Vel quo ad faciendam rem litigiosam oblatio libelli reo insinuata, C. de litig., authen. litigiosa. Proprie vero exordium litis est litis contestatio. Tunc enim praestatur sacramentum de calumnia, infra, de iuram. calumn., cum causam; quod debet fieri in exordio litis, C. de iureiuran., cum et iudices. Et ex tunc, id est, post litis contestationem, tenetur de fructibus etiam bonae fidei possessor, C. de rei vend., certum.

Causae finem
Id est, cognitionem cum calculo sententiae quae imponit finem causae, ff. de recepti., diem autem; ff. de re iud., res iudicata.

Provocetur
Si gravatur; alias hodie ante sententiam non appellatur, infra, de appell., ut debitus; et infra, de appell., interposita.

Per iudicem
Ex hoc probat quod is cui committi litis contestatio et causae decisio iudex est, et ab eo potest appellari.

Divisim
Id est, unam partem uni, et aliam alii.

Alii delegare
Nisi causa sit criminalis, quae non delegatur; arg. 9. q. 3, salvo, ubi dicitur, in conspectu omnium, etc., licet a principe possit delegari, 23. q. 4, illud; et ff. de testi., testium § item divus. Vel nisi sit iudex appellationis, qui secundum leges nihil potest delegare, C. de iud., authen. ad haec. Secundum canones secus est, de quo autem hic fit mentio cui derogatur per hanc decretalem, saltem quod delegatus quicumque sit, vel causae principalis sine appellatione potest committere vices suas secundum tenorem huius decretalis.

In principio
Istud obtinet secundum leges, ut iudex coram eo in principio faciat litem contestari, et per se ferat sententiam. Media vero committat consiliariis suis, sed semel etiam audiat negotium in medio, in Auth. ut defun. seu funer. § illud, coll. 5; et in Auth. ut defun. seu funer. § sancimus igitur contestationes, coll. 5; in Auth. de exhib. et intro. § si vero, coll. 5; et C. de iud., authen. ad haec. Secundum canones aliter, ut hic diciter. Item secundum leges tantum suis consiliariis committit iudex examinationem, ut in dicta authentica, C. de iud, authen. ad haec; et in Auth. de iudicib. § si quis autem, coll. 6. Secundum canones committit cuicumque vult, infra, de offi. deleg., pastoralis.

Investigare
Hoc non habet locum quando committit finem.

Ab eo
Cui principium vel finem committit secundum quod determinatur infra, § proxima. Quandoque ad Papam, quandoque ad ipsum delegatum potest appellari.

Vel merito
Supple vel recusari, nisi merito, etc.

Statuimus
Non statuit, sed consulendo dixit, dummodo de partium deputetur assensu ne possit recusari. Ber.

Assensu
Et ideo postea recusari non potest, semel enim iudex electus recusari non potest, supra, de offi. deleg., insinuante; et 3. q. 3, offeratur; et 32. q. 5, horrendus. Appellare tamen possum ab eo, non tamen eum recusare, ff. de appellat., ex consensu; ff. qui satisda. cog., arbitro; licet sit contrarium arg. infra, de re iudic., causam quae, non est contrarium, quia ibi fuit appellatum. Et quod dicit ibi in confirmatione sententiae, quod de communi consensu fuit causa commissa, illa non fuit causa quare sententia fuit confirmata, sed quia appellans non probavit quod sententia fuisset iniqua. Item contra 2. q. 6, a iudicibus, sed illud loquitur de arbitris compromissariis a quibus non appellatur, C. de recepti., ex sententia. Item arg. quod assessor qui participat examinationi causae et similibus, ff. de

off. asses., omne. De consensu partium est eligendus, arg. hic, et 2. q. 6, placuit; et 11. q. 1, clericum cuiuslibet. Sed si partes non conveniant, eligat iudex non suspectum, arg. infra, de appell., cum speciali; et infra, de offi. deleg., pastoralis, in fi. Et illum recipiant partes etiam invitae, quia iudicium in invitum redditur, ff. de ver. oblig., inter stipulantem § 1, vers. non forsan et praecedentibus verbis; ff. de ver. oblig., inter stipulantem § si vero; et ff. de ver. oblig., inter stipulantem § quando vero.

Porro
§ iste respicit § nos, et proxima, et § verum.

Transfert
Non tamen iudicis dandi licentiam committere potest, licet illud sit de iurisdictione, ff. de iuris., imperium, in fi. Nec potest committere remota appellatione, et hoc ideo quia illam non habet ex commissione, sed a lege, C. de iud., a iudice; et infra, de offi. deleg., pastoralis, 1. resp.; et infra, de offi. deleg., quoniam Apostolica, unde in alium eam transferre nequit. Et sic hoc saltem non transfert in alium, quia si hoc posset subdelegatus, posset alium delegare, quod esse non potest, infra, de appell., cum causam. Praeterea qualiter potest abdicare a se iurisdictionem, saltem sine licentia eius a quo habet eam, ut ff. de off. procon., solent, 1. resp. Cum teneatur exequi mandatum ipsius etiam si sit per quamdurum, 19. dist., in memoriam; et 100. dist., contra morem. Licet enim iudex committat totam causam alicui, nihilominus retinet iurisdictionem, licet alius habeat exercitium illius causae, ff. de off. eius cui man. est iur., quaecumque § ulti.; ff. de iuris., more; et ff. de iuris., et quia; et revocare potest quando vult, ff. de iud., iudicium. Dicas quod leges illae omnes quae dicunt quod non potest abdicare a se iurisdictionem, et proxime ad hoc inductae, intelliguntur de iudicibus ordinariis, et illi possunt quandocumque revocare etiam si totam causam committant. Sed in delegato secus est, cum proprium nihil habeat, sed eius qui mandavit, ff. de off. eius cui man. est iur., quaecumque § qui mandatam. Et ideo nihil reservat si totam iurisdictionem committit. Sed numquid delegatus potest committere totam causam retenta sibi executione sententiae? Satis videtur quod possit, quia illud est de iurisdictione sua, sed tunc ad eum appellari non posset, quia nihil habet iurisdictionis quantum ad eum appellari non posset, quia nihil habet iurisdictionis quantum ad cognitionem causae, sed solam executionem, unde ulterius partes iudicis assumere non potest, C. de execut. rei iud., si ut proponis. Tanc. dixit quod non potest, quia sententiando desinit esse iudex. Sed illa non videtur ratio quia ille non sententiat, et quantum ad executionem durat iurisdictio, infra, de offi. deleg., pastoralis. Et secundum dictum Tanc. delegatus non posset exequi sententiam suam, quod falsum est, supra, de offi. deleg., significasti. Ber.

Ad eum
Lex indistincte dicit, quod si delegatus committit alii causam, ad eum est appellandum, C. qui pro sua iur. iud., in causarum. Et illa intelligitur secundum istam, quando non committit totum, vel aliter secundum leges. Item aliud contrarium videtur, ff. quis a quo appel., quod dicitur, in fi., ubi dicitur quod si iudex delegatus delegat alii causam, si ab illo ultimo appelletur, non appellabitur ad ipsum qui eum dedit, sed ad iudicem illius qui dedit illum a quo appellatur. Et ita contradicit huic quod dicit, non ad eum, sed ad nos. Et intelligas illam secundum istam, ut dictum est de alia, quia ibi totum commisit. Et ita

concordat huic quando totum commisit, C. qui pro sua iur. iud., in causarum. Vel aliter secundum leges, et aliter secundum canones.

Si causa sit ei
Maxime, quia idem esset si non sit remota, quia utroque casu appellatur ad eum et non ad Papam, et quia ipso iure hodie remota est ante sententiam, infra, de appell., ut debitus. Alii contradicunt quod si non est remota appellatio in litteris, appellatur ad Papam omisso delegato ipsius, sic potest appellari ad Papam ab illis iudicibus quolibet medio omisso. Quod prius dixi, verius credo, arg. supra, vers. quod si super, etc., cum te consulente, etc.

Appellaretur
Ad Papam.

Auditor
Talis potius dicitur habere notionem quam iurisdictionem, ff. de re iud., praetor ait, in princ. Et dic notionem, id est, cognitionem et iurisdictionem, ff. de ver. sig., notionem.

Merito
Supple vel recusetur pro eo quod merito, etc.

Consultationem praemissam
Scilicet, Alexandri, quae ponitur in princ., vers. quod si super causa. Et hoc interpretatur in quo casu illa intelligatur.

Coram eo
Id est, coram delegato a Papa. Et ideo in isto casu causa suspicionis non probatur coram arbitris, cum alias generale sit, quod causa suspicionis probari debet coram arbitris, infra, de appell., secundo; et infra, de appell., cum speciali. Idem credo si ordinarius delegat causam.

Vices suas
Simpliciter committens vices suas, totum commisisse videtur, infra, de iure patron., ex litteris; et infra, de dona., pastoralis; et arg. optima ff. de tutel., qui habet, in fi.; et C. de excus. et temp., si curatores; et optimum arg. infra, de offi. deleg., venerabili, ubi est hoc expressum, quia functus est officio suo vices suas committendo, ut ibi dicit.

Nec potest appellatione remota procedere
Hodie non habet locum hoc quod dicit, non potest appellatione remota procedere, quia ipso iure appellatio remota est, infra, de appell., ut debitus. Et ita propter hoc non vitiatur iurisdictio istius qui recipit commissionem a socio, quia et si vitiatur sua iurisdictio per alterius commissionem, relevatur ipso iure, ut ab illo non appellatur nisi gravetur, per illam decretalem infra, de appell., ut debitus.

Delegare
Hoc enim non potest, cum sit delegatus ab alio quam a principe, infra, de appell., cum causam; ff. de off. procon., legatus; et C. de iud., cum praetor § 1; ff. quis a quo appel.,

quod dicitur. Arg. contra infra, de re iudic., cum Bertholdus; sed illa non tenet in hoc per decretalem praedictam, infra, de appell., cum causam. Item hic habes quod minus dignum trahit ad se magis dignum, arg. supra, de temp. ord., litteras; et supra, de offi. deleg., cum super. Arg. contra infra, de consecr. eccl. vel alt., quod in dubiis; et infra, de celeb. miss., cum Marthae § praeterea potest dici; et C. de pet. hered., hereditatis; et 13. q. 2, non aestimemus; et ff. de solut., si alieni; et C. de appellat., praecipimus § ulti. Item habes quod cum res transit de una persona ad aliam, non transit cum suo privilegio vel sua causa, vel honore vel onere, sic 12. q. 2, qui manumittitur. Arg. contra 16. q. 1, si quis laicus; et infra, de pignor., ex litteris. Sic quandoque aliquod ius inefficax est apud unum, et si ille mandet illud ius alii, efficax est apud illum, supra, de elect., suffraganeis; ff. de novat., doli mali.

Si non possunt ambo

Hic patet ex isto § quod quando dicitur in commissione: quod si ambo in causa procedere non potestis, alter nihilominus procedat; quod ille qui non potest interesse, potest committere vices suas. Sive ergo apponatur clausula illa: quod si ambo, vel: quod si non omnes, etc.; sive non apponatur, iudex potest semper committere vices suas, cum habeat illud a lege, infra, de offi. deleg., pastoralis; et infra, de appell., cum causam; et C. de iud., a iudice. Hic consuevit illud quaeri, utrum coniudices teneantur admittere subdelegatum a coniudice suo, qui interesse non potest? Et videtur quod non, quia iam extat conditio, infra, de offi. deleg., coram; et ibi statim quaestione explicabimus. Sed illud quaeritur an invitis partibus iudex possit causam alii delegare? Utique, cum hoc habeat a lege, ut dicunt iura praedicta, et infra, de offi. deleg., quoniam Apostolica, 1. resp. Et ita nulli facit iniuriam qui utitur iure suo, supra, de elect., cum ecclesia. Sed quaeritur utrum delegatus postquam commisit vices suas in totam, an possit postea revocare? Videtur quod sic, nam iudicium solvitur vetante eo qui iudicare iussit, ff. de iud., iudicium. Dicas quod si ille cui commisit suscepit subdelegationem, et ea uti coeperit, postea eam revocare non potest, infra, de offi. deleg., venerabili. Si vero non vult suscipere, tunc posset nihilominus postea procedere, alioquin poterit eam bene re integra revocare, quia verba intelligenda sunt cum effectu, infra, de cleri. non residen., relatum; ff. quod quisque iur., hoc edictum § haec autem verba. Et ita notaverunt in hac decretali Inno. iiii et Gott., supra, de offi. deleg., super quaestionum § porro, in verbo illo: totam. Et idem dicit Inno. iiii infra, de offi. deleg., venerabili. Sed sola commissio non sufficit etiam si subdelegatus eam receperit, nisi sequatur citatio quominus eam revocare possit, et ita sententiavit Inno. iii ut notatur in decretali infra, de offi. deleg., venerabili, quod patet ex eo quod mortuo delegato re integra subdelegatus postea procedere non potest, infra, de offi. deleg., licet. Et eadem ratione mortuo subdelegato re integra delegatus resumit iurisdictionem hac ratione, quia iurisdictio delegati re integra existente apud subdelegatum non est plene translata, nec legatus plene dicitur functus officio suo, nisi citatione secuta per subdelegatum, ut patet in decretali infra, de offi. deleg., venerabili. Tanc. dixit quod si subdelegatus recepit subdelegationem, postea revocari non potest, et idem dixit B., sed postea mutavit, ut supra dicitur. Ordinarius quandocumque potest revocare iurisdictionem, in quo casu intelligitur illa lex, ff. de iud., iudicium; et ff. de off. procon., solent § 1. Sed si partem iurisdictionis delegatus sibi retinuit, potest revocare supra, de offi. deleg., super quaestionum § porro; et per legem ff. de iud., iudicium. Sed pone quod unus delegatorum committit consocio partem iurisdictionis, si

ille gravaverit partem ad quem appellabitur ad condelegatum? Non, quia par est illi, et a pari ad parem non appellatur, ff. de appellat., appellandi; et 2. q. 6, anteriorum § illo videlicet; infra, de appell., dilecti filii 3. Nec consocius a quo appellatum est posset cognoscere, immo si hoc vellet hoc ipso perderet iurisdictionem, supra, de offi. deleg., cum super. Arg. contra ff. quan. appel. sit, si quidem § sed et si praeses; et ff. quan. appel. sit, si quidem § solent. Ibi appellatur ab ordine et praeside ad ipsum praesidem tantum, arg. 17. dist., multis. Ibi enim appellatur a metropolitano ad concilium in quo ipse habet interesse, et ita in hoc casu appellabitur ab isto ad eum et condelegatum. Quidam dicunt quod bene valet appellatio ad ipsum et condelegatum, et idem est si unus committit alii a suo iudice, quia si tunc appellatur ab illis, appellari debet ad ipsum et condelegatum, arg. huius § per contrarium sensum. Credo quod in nullo istorum casuum taliter sit appellandum. Si enim unus vellet confirmare illud quod fecit, et alter cassaret, nihil esset. Dic ergo quod ad superiorem in talibus est appellandum, intelligendum est quando unus solus est iudex, vel si plures essent, omnes committunt alii vel uni soli retenta sibi parte iurisdictionis vices suas; alias qualitercumque permisceas, semper est appellandum ad Papam, quicquid alii dicant. Et hoc idem dicit Laur. propter rationes praemissas, et idem sequeretur quod unus solus posset procedere, quod non est verum, praecipue quando causa committitur simpliciter sine clausula illa: quod si ambo, etc. Sed dicunt, si esset in litteris illa clausula: quod si ambo, vel: quod si non omnes, etc., tunc potest procedere delegatus, quia reservavit sibi aliquid de iurisdictione, quia tunc extat conditio, quia ille a quo fuit appellatum non debet cognoscere de appellatione. Sed hoc non credo, quia non intendit Papa delegare istis causam principalem et appellationis. Ber.

Aliquibus
Scilicet, Alexandro in antiqua compilatione, de appell., nos in eminenti.

Ad primum
Quia in totum commisit, ergo a contrario si reservavit sibi iurisdictionem ad ipsum delegatum appellari, et hoc potest respicere quod sequitur: eius ergo, etc.

Superius
Supra, de offi. deleg., super quaestionum § porro, in princ.

Eius ergo
Concludit ex praemissis tribus § porro, § quem vero; et § si vero. Et est arg. a toto in quantitate, sic infra, de offi. deleg., pastoralis § 1; et 9. q. 3, cum simus. Et hic respondet secundo articulo quaestionum.

Commisit
Lite coram se prius contestata, et idem est ante litis contestationem.

Recepti
Nec poterat recusari, nisi, etc.

A tali gravamine
Et re vera a gravamine, quia periculosum est sub iudice litigare suspecto, 3. q. 5, quod suspecti; et infra, de appell., cum speciali. Unde quicquid fit post appellationem legitimam, debet in irritum revocari, supra, de offi. deleg., cum causa; et hic in fi.

X 1.29.28 *Pastoralis*

Pastoralis
Delegatus a Papa causam sibi commissam alii committere voluit, ille noluit eam recipere, quaeritur utrum delegatus possit eum compellere.

Concessa
C. de iud., a iudice; et infra, de appell., cum causam; et infra, de offi. deleg., quoniam Apostolica.

Exonerare
Non videtur quod iudex possit committere causam, nisi cum iusta causa impeditur interesse non potest, supra, de offi. deleg., si pro debilitate; et supra, de rescript., sciscitatus; C. de pedan. iud., placet nobis; ff. de iud., nonnumquam; arg. infra, de testib., in nomine; quod non est verum. Immo cum de iuris beneficio hoc habeat, potest committere vices suas, ff. de off. eius cui man. est iur., quaecumque; et supra, de offi. deleg., super quaestionum; et infra, de offi. deleg., quoniam Apostolica. Sed numquid statim credendum est iudici, cum scribit se non posse interesse? Non videtur, nisi de hoc constet, ut supra, de offi. deleg., prudentiam, 1. resp. Si enim crederetur passim cuilibet iudici, quilibet se posset malitiose exonerare cum vellet, arg. ff. de vac. mun., omnis excusatio; et ff. de vac. mun., praetor. Arg. contra infra, de re iudic., cum super, in parte decisa. Solutio: non est praesumendum quod iudex malitiose causam committat. Dubia enim in meliorem partem debemus interpretari, infra, de reg. iur., estote; et ff. de regul. iur., semper in dubiis. Et de quolibet praesumendum est bonum, nisi contrarium appareat, ut supra, de scrutin., ex parte; supra, de praesump., dudum. Et si quis dicat hoc factum in fraudem, illud debet probare, ff. de probation., quotiens operae § qui dolum.

Renitentem
Sic patet quod aliquis compellendus est invitus suscipere iudicium etiam homo alterius fori, C. qui pro sua iur. iud., in causarum, circa fi.; ff. de muner. et honor., munerum § iudicandi necessitas, nisi advocatus qui non potest cogi alibi quam in suo foro suscipere iudicium, C. de advoc. div. iud., sancimus, in fi.; et hoc in delegatis a principe. Sed ordinarius non potest cogere hominem alterius fori, ff. de iuris., extra territorium; ff. de tutor. et curat., sive proconsul; et ff. de tutor. et curat., cum quidam; et infra, de offi. ord., pastoralis. Sed nemo potest cogi ut arbitrium suscipiat, ff. de recepti., Labeo ait si compromisso § 1. Sed postquam suscepit debet compelli, ut in dicto §.

Si coerctionem
Iurisdictio sine coerctione nulla est, ff. de off. eius cui man. est iur., mandatam; et infra, de offi. deleg., ex litteris. Verumtamen verbum, coercendi, maiorem continet animadversionem, ff. de off. procon., meminisse, in fi. Immo qui delegat, praecipit, C.

qui pro sua iur. iud., in causarum, in princ. Et praeceptum necessitatem habet, 14. q. 1, quod debet; et invitus quis delegatus, arg. ff. de muner. et honor., munerum § iudicandi; C. de advoc. div. iud., sancimus, in fi.

Superioribus
Puta in dignitate constitutis, supra, de offi. deleg., sane quia; 50. dist., contumaces; 45. dist., cum beatus; et infra, de maior. et obed., per tuas; et 2. q. 8, quisquis.

Citationis officium
Arg. a toto in quantitate, arg. supra, de offi. deleg., super quaestionum § eius ergo; et 9. q. 3, cum simus, in princ.

Discretione
Quae est mater omnium virtutum, supra, de offi. custod., custos ecclesiae; et 1. q. 5, praesentium.

Punire
Supra § prox.; et supra, de offi. deleg., sane quia.

Ex certa scientia
Certam intelligo si in litteris appellationis fit mentio de processu causae et de appellatione interposita et de exceptione proposita. Et hoc est verum quando appellatur a gravamine ante sententiam, infra, de appell., ut debitus. Sed si appellatur a diffinitiva sententia, ibi non est necesse dicere nisi appello ab iniqua sententia a tali iudice lata, de de tali appellatione hic fit mentio, ff. de appellat., sed et si apud.

Discussa
Sed pone quod iudices appellationis pronunciaverunt male appellatum, et sic confirmaverunt sententiam latam. Quaero quis mandavit sententiam executioni, utrum primi iudices vel secundi? Quidam dicunt quod primi, argumentum sumentes ex illa littera, interim executio sententiae suspendatur. Sed videtur quod eorum iurisdictio sit revocata, ex eo quod dicit iurisdictionem priorum iudicum videmur revocare, arg. C. de episcopal. aud., authen. si quis litigantium. Et ideo melius videtur quod secundi iudices debeant eam mandare executioni, ut dicit Tanc. Et quod secundi hoc facere debeant, videtur quia si iudices appellationis confirmarent sententiam ultima die anni a tempore appellationis, patet quod primi iudices non possunt eam mandare executioni, cum iurisdictio sua quo ad omnia expiraverit, supra, de offi. deleg., quaerenti. Sed illud est verum ubi non est appellatum, sicut videmus quod iudices appellationis ante diffinitivam sententiam, si pronuncient appellationem legitimam, procedunt postea in principali, infra, de appell., ut debitus; et infra, de appell., cum in ecclesia. Et etiam idem est in diffinitiva quandoque, C. de reb. credit., generaliter § et si iudex. Sic dicendum est quod illi qui confirmant diffinitivam sententiam debent facere quod superest ad faciendum. Sed sive primi sive secundi hoc faciunt, non refert quantum ad effectum sententiae. Si primus iudex fuit ordinarius, satis potest dici quod exequetur ipse suam sententiam, cum sua iurisdictio sit perpetua. Sed videtur quod secundus iudex debeat potius eam exequi, quia ex secunda sententia agitur per actionem in factum, et non ex prima, ut notatur infra, de

offi. deleg., coram; et ff. de his qui not. infam., furti. Et ideo iudex appellationis eam debet exequi, non primus.

Et si sciat

Ad intelligentiam eius quod hic dicitur, nota quod est executio mera et est executio mixta. Mera executio dicitur quando partibus praesentibus cognita est de causa ab aliquo, et ille mandat alicui quod sententiam suam exequatur, C. de execut. rei iud., executorem. Talis executor non debet audire exceptiones, et de tali executione hic loquitur, et C. de execut. rei iud., si ut proponis; et infra, de re iudic., de caetero; et ff. de iud., si praetor, 1. resp., ubi sententiatum fuit contra absentem. Et expone si sciat illam sententiam latam iniustam, id est, contra ius litigatoris latam, quia super hoc nullam habet cognitionem, ideo dicit, et si non cognitio sed executio, etc., unde illam debet tantum simpliciter mandare executioni. Secus si sciat illam nullam, ut si esset lata auctoritate falsarum litterarum, infra, de crim. falsi, super eo. Unde iudex delegatus non habuit iurisdictionem, vel per falsa instrumenta, vel per dolum adversarii. Et si ista obiiciantur coram executore isto, supersedere debet executioni dummodo malitiose vel calumniose huiusmodi non proponantur, et tunc refert negotium superiori, infra, de re iudic., de caetero; et supra, de offi. deleg., si quando; et C. si ex fals. inst. vel test., iudicati; et ff. de iud., si praetor § Marcellus. Calumniose ideo dixi quia si hoc esset, non deberet differri executio, C. ad leg. Corn. de fals., satis aperte, ubi crimen falsi obiiciebatur causa morandae solutionis, et ideo executio non differtur, cum salva sit ei postea quaestio falsi, ut ibi. Mixta dicitur executio quae habet cognitionem annexam, ut cum Papa mandat alicui restitui rem suam vel mandat alicui dari beneficium coram tali executore. Admittuntur legitimae exceptiones quantumcumque absolute scribat, supra, de offi. deleg., ex parte tua; et 25. q. 2, et si non cognitio; et supra, de rescript., si quando; et supra, de rescript., cum adeo; et supra, de aetat. et qualit., accepimus. Et nota quod a mero executore non appellatur, nisi excedat modum executionis, C. quor. app. non rec., ab executione; et infra, de re iudic., quod ad consultationem, in fi.; et 2. q. 6, ei qui § sunt etiam quorum, vers. ab executore; et supra, de offi. deleg., super quaestionum § verum; et supra, de offi. deleg., super quaestionum § porro. Sed ille non dicitur proprie executor sed auditor, ut ibi dicitur. Sed a mixto executore bene appellatur si non admittat legitimam exceptionem, vel alias partes gravaverit, infra, de appell., dilecto filio; et infra, de appell., ut debitus; supra, de aetat. et qualit., accepimus. Item nota quod non semper obediendum est iudici, si evidenter iniquum est mandatum ipsius, sive contra ius, 23. q. 1, quid culpatur; et 11. q. 3, non semper; et 11. q. 3, si dominus ea; et 11. q. 3, Iulianus imperator; 50. dist., si quis praepostera. Secus si alias fuerit iniustum, 23. q. 5, lex aeterna; et 23. q. 5, cum minister. Licet non sit obediendum iniquo praecepto iudicis, ut dicunt iura hic proxima signata. Hoc praeceptum iam non dicitur iniquum, immo iustum est, id est, de rigore iuris indictum, et ideo est exequendum, nam ex quo sententia lata est, licet iniusta et contra ius litigatoris a qua non est appellatum, elapso decennio de iuris rigore mandanda est executioni, arg. C. ut lit. pend. vel post prov., qui licitam. Spontanea enim appellationis omissio turpitudinem purgat, quae sententiae inerat, arg. ff. de condi. ob turp. caus., si ob turpem. Vel si appellavit secundo et succubuit, et hoc etiam de rigore iuris introductum est, nec litem debet refricare sententia lata, ut aliquis sit litium finis, infra, de dolo et contu., finem; et infra, de dolo et contu., venerabilis. Si per iniuriam

iudicis sit damnatus, conqueratur de ipso, infra, de empt. et vend., si venditori; C. de evict., si per imprudentiam; et Inst. de oblig. quae ex del. nasc., in princ.

Tenetur eandem
Arg. contra Hug. et eius sequaces qui dicunt quod iudex non debet ferre sententiam secundum allegata, si habeat conscientiam laesam in contrarium, sed debet causam alii delegare. Sed si non posset alii delegare, cum sit subdelegatus a delegato, quid fieret secundum eum? Trepidaverunt timore ubi non erat timor. Pronunciet ergo in nomine Domini secundum allegata, et deponat conscientiam laesam, 3. q. 7, iudicet. Et iudex qui contra conscientiam aliquid facit in gravamen partis, punitur, ut in decretali Inno. iiii infra, de re iudic., extravag. cum aeterni.

A rege
Simile 18. dist., si episcopus. Per hoc patet quod haec clausula, si non omnes, etc., non spectat ad temporales impotentias, quia secundum hoc iudex qui quandoque non posset interesse non posset alii committere vices suas. Sed videtur quod iudex iste potius teneatur obedire mandato Papae quam archiepiscopo vel regi, ut 11. q. 3, qui resistit; ff. de re iud., contra pupillum. Sed cum utrique possit obedire diversis temporibus, vel etiam eodem utrique, obedire tenetur, ff. de oper. lib., duorum libertus. Immo propter propria commoda potest deferere iudicium, ff. de iud., si longius.

Puniat
Forte ad interesse vel potest ei imponere mulctam, id est, poenam pecuniariam, C. de sport., omnibus iudicibus. Vel ad arbitrium iudicis, ex quo poena statuta certa super hoc non est, supra, de offi. deleg., de causis, in fi. Vel excommunicet illum, quia impedit iurisdictionem iudicis, ut supra, de offi. deleg., quia quaesitum; et supra, de offi. deleg., praeterea.

Neutri parti suspectae
Hoc semper est faciendum, infra, de appell., cum speciali.

Appellatione remota
Supra, de offi. deleg., super quaestionum § si vero; et supra, de offi. deleg., super quaestionum § nos autem; et ff. a quib. app. non lic., tractandum. Dic quod speciale est hoc ut iudex delegatus possit committere causam remota appellatione, in odium illius qui procuravit absentiam iudicis. Sed hodie locum hoc non habet, quia appellatio ipso iure remota est, unde nullus potest appellare ab aliquo iudice nisi gravetur, infra, de appell., ut debitus. Vel dic quod non committit appellatione remota, sed auctoritate huius decretalis, subdelegatus procedit appellatione remota, et statutum fuit hoc in casu isto quod subdelegatus procedit appellatione remota in odium illius qui procuravit absentiam delegati. Ita non est contra, quod satis patet per hanc decretalem. Et eodem modo intelligitur infra, de offi. deleg., cum R, ubi dicitur quod delegatus causam committit appellatione remota. Sed illud fit ex praecepto Papae non per commissionem delegati, quia delegatus nihil committit ubi iudex electus procedit appellatione remota auctoritate illius decretalis infra, de offi. deleg., cum R, secundum tenorem primarum litterarum. Ber.

X 1.29.29 *Ex litteris*

Expressam fecerint mentionem
Puta quia non continent seriem rei suae sive facti, infra, de cohab. cler. et mul., super eo; et ff. de appellat., si expressum; et infra, de re iudic., inter monasterium. Vel quia simpliciter fecit mentionem de ecclesia illa, tacito de aliis litteris, infra, de dolo et contu., ex litteris.

Si subdelegatus
Scilicet, patriarcha. Hic evidenter apparet quod iudex subdelegatus et etiam merus executor, qualis erat patriarcha, habent coerctionem, infra, de re iudic., cum Bertholdus, vers. alioquin; supra, de offi. deleg., pastoralis, 1. resp.; et etiam iudex delegatus ab episcopo, 11. q. 1, pervenit. Immo et subdelegatus secundum leges habet iurisdictionem, scilicet, modicam coerctionem, C. de sport., omnibus iudicibus; et ff. de off. eius cui man. est iur., mandatam; et C. de defensor. civit., defensores; et ff. si quis ius dic. non obtem., omnibus. Immo et arbiter habet coerctionem, ff. de recepti., non ex omnibus; et ff. de iud., consensisse, in fi. Dicunt tamen quidam quod delegatus ab ordinario non habet aliquam coerctionem, 2. q. 6, quisquis; et ff. de re iud., a divo pio; et infra, de for. compet., si quis contra; nisi lis sit contestata coram ipso, in Auth. de litigios. § omnem, coll. 8. Et sic non potest mittere in possessionem, ff. de iuris., iubere. Sed quod possit in possessionem mittere, dicit lex ff. de off. eius cui man. est iur., cognitio § ulti. Sed illa lex, ff. de iuris., iubere, loquitur de possessione, quae ius tribuit; illa ff. de off. eius cui man. est iur., cognitio, de alia possessione loquitur quam ius non tribuit, quae fit causa custodiae.

Satisfactum
Hoc obtinet ubi quis excommunicatur pro crimine sive pro manifesta offensa, ut prius satisfaciat quam absolvatur, infra, de verb. sign., ex parte in Christo. Si vero pro contumacia vel occulto delicto, statim debet absolvi praestito iuramento quod stabit mandato ecclesiae, ut ibi dicitur. Sed contradicit infra, de appell., qua fronte § sane. Sed illa non contradicit, immo concordat; ibi excommunicatus fuit pro contumacia vel alia causa quae non fuit manifesta, ut dicit Tanc. Sed obstat quod ibi dicitur vel qualibet alia causa. Laur. dicit quod ideo statim recepta cautione absolvitur, ne in excommunicatione decedat. Sed dic cum Tanc. quod non contradicit, et quod dicit pro qualibet alia causa quae non sit manifesta, quia si causa illa non est manifesta statim debet absolvi ante satisfactionem, nec tenetur satisfacere, nec debet compelli nisi primo constet de illa iniuria vel offensa.

Denuncietis irritam
Ex hoc patet quod sententia quae nulla est non est executioni mandanda. Immo exequenti impune non paretur, arg. supra, de offi. deleg., si quando. Immo et violenter resisti potest ei, ut hic, sicut resisti potest officiali venienti ad accipiendum bona alicuius, nisi prius ab imperatore forma fuerit data, C. de iure fisc., prohibitum est, lib. 10. Licet ita sit, non tamen patriarcha iste tenetur iniuriarum, cum hoc ignoraret, quia putabat sententiam

aliquam fuisse, arg. ff. vi bon. rapt., praetor ait si cui § si publicanus; arg. infra, de sent. excom., sacro.

Et inanem
Ut puta latam a iudice non suo. Et potest notari argumentum quod patriarcha sive archiepiscopus non est iudex ordinarius in provincia, arg. 9. q. 3, conquestus. Sed hic non procedebat patriarcha ordinaria potestate, immo delegata tantum, et sic non colligitur illud argumentum hic.

X 1.29.30 *Licet undique*

Omnes
Supra, de offi. deleg., prudentiam.

Suspectus
Ut supra, de offi. deleg., causam quae; et supra, de offi. deleg., insinuante.

Uti non coeperit
Saltem per citationem, supra, de offi. deleg., gratum; infra, de offi. legat., nemini; ff. de iud., si quis postea; ff. de poll., si pollicitus; ff. de negot. gest., nam et Servius § si viro.

Re integra
Et ita solvitur mandatum re integra morte alterius, tam mandatoris quam mandatarii. Et idem est si revocetur expresse re integra, Inst. de mandat. § recte; et Inst. de mandat. § item si adhuc. Solvitur etiam morte litigatoris re integra, supra, de rescript., significavit; arg. ff. qui satisda. cog., si decesserit. Arg. contra ff. fam. ercis., si uni § Neratius. Item arg. contra quod non solvatur morte litigatoris, infra, de iudic., quia V; et ff. de fideicommi. liber., cum quasi. Quod autem dicitur morte mandatoris finiri mandatum, illud verum est nisi sit tale mandatum quod post mortem necesse sit adimpleri, ff. mand. vel cont., si vero non remunerandi § ulti. Sed pone quod plures causae committantur per unum rescriptum, citatio fit in una causa, et non in alia, numquid perpetuatur iurisdictio super aliis? Arg. quod non, 2. q. 3, si quem § notandum, vers. abolitio; et 2. q. 6, ei qui § diffinitiva; et 2. q. 6, ei qui § quandoque; arg. ff. de appellat., cum in una; et ff. de negot. gest., nam et Servius § si vino; ff. de minor., etiam § ex causa. Arg. contra quod quantum ad omnes sit perpetuata iurisdictio, C. de duob. reis, cum quidam. Verum est quod non est perpetuata iurisdictio nisi in causa illa pro qua citatio facta est, unde mortuo mandatore expirat iurisdictio quantum ad alias. Sed quid si moriatur ante declarationem rerum facta citatione? Arg. quod non potest procedere, supra, de rescript., pastoralis, in fi., quia plures causae intelliguntur, licet contra unum tantum, arg. infra, de offi. legat., novit. Item quid si delegatus non moritur, sed deponitur? Non procedet. Quid si excommunicatur? Tunc procedet delegatus, quia morte naturali confirmatur donatio et non civili, ff. de donat. inter vir. et uxor., cum hic status § donetur; et infra, de celeb. miss., cum Marthae § caeterum. Arg. contra in decretali Inno. iiii supra, de offi. vicar., extravag. Romana.

X 1.29.31 *Cum in iure peritus*

Super mandato
Sed hoc valde notabile est, quod licet exhibeatur sententia delegati ei tamen non creditur, nec praesumitur pro sententia nisi ostendatur commissio. Nec creditur iudici si se delegatum dicat, arg. infra, de testib., cum a nobis. Et idem dicit lex in arbitrio, quia non statur verbo eius si dicit iuramentum a partibus interpositum, C. de recepti., ne in arbitris § sin autem; C. de mand. princ., si quis. Caveat ergo quicumque impetrat a principe causam committi alicui vel delegari, ut si sententia lata fuerit pro eo a delegato, ita bene custodiat commissionem sicut ipsam sententiam. Lapsu enim temporis si conveniretur et ostenderet sententiam sine commissione, non valeret ei nisi probaret de commissione. Sententiae vero ordinarii semper statur et pro ea praesumitur, quia ibi constat de iurisdictione, infra, de re iudic., sicut; et 2. q. 6, hoc etiam. Laur. Si tamen publicatum fuisset rescriptum in iudicio, videtur quod sufficiat si de hoc constat, licet postea sit amissum, infra, de privileg., cum olim essemus; C. de testament., publicati; et infra, de fide instrum., si instrumenta. Item si sententia redacta est in publicam chartam, videtur quod sufficiat, infra, de testib., significavit; et in Auth. ut frat. fil. succed. § hoc itaque, coll. 9; licet sit arg. contra infra, de re iudic., cum inter vos. Item sufficit si habet subscriptionem testium, 16. q. 3, dilecto § potest. Sed videtur quod hodie sufficiat solus tabellio ad imponendam fidem sententiae, infra, de probat., quoniam. Ut nulla sit dubitatio, ita debet fieri quod auctoritate iudicis resciptum domini Papae solemniter in publicam formam redactum inseratur in ipsa sententia iudicis auctoritate, et alia instrumenta procuratoria, quia idem iuris est de illis, ut si ostenderetur sententia lata in personam procuratoris vel syndici vel in contrarium, si non constaret de mandato procuratorio, sententia non valeret, nec staretur ei si negaretur illum fuisse procuratorem. Sed postquam in ipsa sententia inseruntur huiusmodi instrumenta et rescriptum, iudicis auctoritate stabitur postea sententiae, etiam si originali rescripta non apparent, C. de testament., publicati. Item caveat in sententia excommunicationis, ut qui absolutus est custodiat instrumentum sive litteras absolutionis, per quas tutus existat si ei obiiceretur excommunicatio, alias posset ei periculum generari, ut supra, de elect., venerabilem; et infra, de cleri. excom., proposuit; arg. optimum quod ita sit faciendum. Ber.

X 1.29.32 *Cum olim abbas*

In rescripto
Et ideo non valuit quod factum est si formam mandati transgressi sunt, supra, de rescript., cum dilecta.

Antequam
Maxime quia nec post litem contestatam, quia dominus non habuit ratum factum procuratoris, immo postquam scivit, statim contradixit.

Cum procurator
Qui simpliciter constiutus fuit ad causam praedictis iudicibus delegatam. Et nota quod licet per principales personas posset fieri prorogatio iurisdictionis, ff. de iud., consensisse § sed et si iudex; et ff. de iud., de qua re § 1. Per procuratorem tamen fieri non potest,

cum de hoc non fuit procurator, arg. ff. de aur. arg. leg., si ita; ff. de transaction., cum Aquiliana; ff. de contrah. empt., Rutilia Polla; et C. de transaction., transactionis. Simile ff. de iureiuran., iusiurandum quod § procurator; et 22. q. 2, ne quis arbitretur. Qualiter fiet prorogatio dicetur infra, de offi. deleg., P et G. Praetextu enim unius articuli non debent super alio probationes admitti, C. qui legit. pers. in iud., momentariae; et ff. de iureiuran., si duo patroni § Iulianus, circa fi. Et alia dicta non valent, cum iurent super alio articulo, infra, de testib., de testibus.

Protinus contradixit
Ex hoc videtur quod si procurator fines mandati excedit domino sciente, quod praeiudicet domino nisi statim contradicat, arg. 54. dist., si servus sciente; arg. infra, de his quae fi. a prael., continebatur; ff. quod cum eo qui in alien. pot., Titianus; ff. de institut. act., sed et si, in princ.; ff. de Maced., si filius 2; C. de nupt., si ut proponis. Et si iudex scientibus partibus excessit fines etiam mandati, eis praeiudicat, arg. C. commun. utrius. iud., etiam si; alias non praeiudicat factum procuratoris domino ignorante, C. de procur., si procurator; ff. de procur., si ignorantis. Item nota quod licet procurator non possit prorogare causam de re ad rem, tamen videtur quod posset prorogare de tempore ad tempus, quia qui dat procuratorem ut confestim agat, intelligendum est permittere procuratori et postea litem peragere, ff. de procur., qui procuratorem. Item procurator mandatum prorogare potest ad id quod est prope mandatum, supra, de elect., in causis; et supra, de renunciat., post translationem; et ff. iudi. solv., iam tamen § ulti. Et prorogat ad ea quae sunt praeparatoria mandato, ff. de procur., ad rem mobilem; et ff. de procur., ad legatum. Et accessorium ipsius sive sequalem, ff. de institut. act., cuicumque § si ei quem, in fi. Prorogatio de re ad rem, invito reo non valet deficiente iurisdictione, quia imperator invito reo non potest extendere rescriptum ad alias res quas in rescripto non expressit, ut in capitulo isto contingit. Sed per reconventionem bene extenditur ad res alias invito actore, de quibus nulla mentio habita est in rescripto, si actor persistere velit in sua petitione, supra, de offi. deleg., prudentiam, in fi.; et est ratio infra, de mut. petit., ex litteris. Ber.

Ligatum
Quia non habebant iurisdictionem super damnis, sic supra, de offi. deleg., in litteris. Unde posset agere contra iudices ad interesse qui eum iniuste excommunicaverunt, infra, de sent. excom., sacro. Et hic error eos excusare non potest.

X 1.29.33 *Cum olim magister*

Cum olim
Haec decretalis et illa quam habes infra, de rerum perm., cum olim, loquuntur de eadem materia.

Deleganti
Cuius vicem gerebant supra, de offi. deleg., sane quia. Iniuria enim iudicum ad eum pertinet cuius legatione funguntur, 2. q. 7, accusatio, in fi.; et 3. q. 1, nulli. Immo ipsos tamquam delegantem honorare debent partes, 93. dist., praecipimus; et 94. dist., valde.

Sigilla violavit
Et ideo est puniendus tamquam falsarius, et ob hoc solum privari debuit beneficio, supra, de rescript., olim; et infra, de crim. falsi, ad audientiam.

Uriae
Tangit illud quod legitur in libro Regum. Cum Urias rogatus a rege David nollet accedere ad Bersabe uxorem suam, quam David rex cognoverat, timens ne concepisset ex eo sicut et fecerat, quod cum ipse facere nollet, rex remisit Uriam ad Ioab principem militiae cum litteris continentibus, ut poneret eum inter fortissimos hostes, ut occideretur ab eis, quod et factum est. Sed iste stultus fuit, quia recepit litteras illas et habeat eas suspectas, quia primo debuit eas videre diligenter. Et si quid inesset iniquum, debuit contradicere relationi iudicum si contra veritatem referebant. Iudices enim debent ostendere partibus relationem quam faciunt superiori, 2. q. 6, biduum, in fi.; et C. de relat., si quis; et C. de relat., super delictis. Alias posset appellare, ut ibi. Et quotiens iudex se relaturum pollicetur, illico litigatoribus acta edere tenetur, infra, de appell., intimasti.

Proprio motu
Sic ergo videtur quod iudex maxime quem princeps concedit possit recusari. Arg. contra, infra, de appell., novit; et ff. de off. praet., breviter. Credit enim princeps non aliter fore iudicaturum, quam ipse esset iudicaturus, ut ibi dicitur. Arg. contra Inst. de satisdat. tutor., in princ.

Peccaverat
Sic supra, de translat., quanto; et supra, de translat., inter corporalia; et infra, de iure patron., pastoralis, in fi; et supra, de temp. ord., litteras.

Ne videretur dolus
Quia fraus et dolus nemini debent patrocinari, supra, de rescript., sedes; infra, de testamen., officii.

X 1.29.34 *Coram dilecto*

Absque litteris
Et ideo audiri non debuit, infra, de procurat., alia; nisi cavisset de rato. Sed qualiter admittitur iste H. ad agendum contra sententiam, cum non haberet mandatum? Ad hoc dici potest quod ideo admissus fuit, quia erat coniuncta persona, quia clericus illius ecclesiae et canonicus plebis de Pastino, cui subest ecclesia sanctae Agathae, et coniuncta persona, licet admittatur ad agendum, cavere tamen debet de rato, ff. de procur., sed et hae personae; et ff. de procur., Pomponius, in fi. Et ideo cavet de rato, quia potest contingere quod illi de plebe non habebunt ratum, unde eis res iudicata non obesset, C. quib. res iud. non noc., si neque. Et ideo ille H. cavit de rato sub fideiussoria cautione. Vel potest dici quod ideo cavit de rato, quia de mandato dubitabatur, quia tunc habet locum cautio rati, C. de procur., cautio. Sed videtur quod cautio ista fragilis sit, quia ex ea non potest agi ad interesse, cum res talis sit quae non potest aestimari, unde non videtur admittenda propter fragilitatem ipsius, ff. ad Trebel., qui ita § 1; et infra, ut lite

non cont., accedens 2. Sed agi potest ad impensas factas in lite, ff. rem rat. hab., si sine § cum autem procurator; et hoc magis expedit reo. Ut dicit Io. quod ei caveatur de rato quam probetur mandatum, quia per hoc consequitur sumptus, ut hic dicit. Sed credo quod in tali casu cum res talis sit quae aestimari non possit, tutius esset reo si illi probet mandatum, quia dominus postea contra sententiam venire non potest. Sed forte ex ista cautione posset agi contra fideiussores ad interesse, si dominus rem ratam non habuerit. Et aestimabitur in quantum laesa sit ecclesia, quod non statur sententiae, ne quotidie litiget, arg. infra, de arbitr., per tuas, ubi agitur ad interesse in consimili causa. Item ex hoc videtur quod quando dubitatur de mandato, simpliciter sit cavendum de rato, etiam si ille diceret se velle probare mandatum, et hoc videtur per legem C. de procur., cautio. Et quod per fideiussoriam cautionem, et non nudam, ff. de procur., servum quoque § ait praetor. Sed videtur quod iste sine cautione debuit audiri ex eo quod habet instrumenta ecclesiae, arg. ff. de leg. 3, qui chirographum. Resp.: ista non erant talia instrumenta, sed instrumenta causae per quae intedebant probare de iure ecclesiae, et illa lex loquitur de instrumento cautionis legato, et hoc constabat. Unde eo ipso quod legatur instrumentum, intelligitur esse legatum illud quod continetur in instrumento; alias inutile esset legatum; alias instrumentum alterius non prodest, cum verba instrumenti non adiuvent recitantem, C. de probation., ad probationem. Qualiter sit intelligendum quod dicitur in litteris de rato dicitur infra, de re iudic., inter monasterium.

Suppressa
Et ideo litterae non valuerunt, cum consenserint in Ferrariensi litem contestando, et producendo testes coram eo, sic infra, de re iudic., inter monasterium.

Decisione
Id est, cognitione, sicut est in antiqua, et bene. Et hoc probatur per hoc quod dicitur: horum veritate suppressa. Si de huiusmodi processu mentionem fecisset, tunc bene diceret decisionem. Et tunc non posset episcopus procedere sine adiuncto vel subdelegato ipsius, ut dicitur in illa glossula magna, sic supra, de offi. deleg., insinuante; et infra, de iudic., venerabilis.

Sententiam
Latam per abbatem sancti Stephani et priorem sancti Victoris.

Admittere noluit
Sed videtur quod Ferrariensis male fecerit, quia illum subdelegatum non admisit, quia delegatus a principe potest alii causam delegare, cum id sit ei a lege concessum, C. de iud., a iudice; et supra, de offi. deleg., pastoralis, in princ.; et infra, de offi. deleg., quoniam Apostolica; et infra, de appell., cum causam. Sic ergo male fecit Ferrariensis contra iure praedicta, quia debuit ipsum subdelegatum recipere. Sed contra hoc quod dixit facit, quia sententia Ferrariensis postea confirmatur. Dicunt quidam quod ideo noluit ipsum admittere, quia sub hac forma scriptum fuerat: quod si ambo, etc., tu frater episcope solus procedas; quia tunc extat conditio, ut videtur hic circa finem. Secundum hoc videtur quod aliquis non possit committere vices suas, quando clausula illa apponitur: quod si non omnes, etc., si ipse non possit interesse. Dicas ergo quod Ferrariensis ideo istum subdelegatum non admisit, quia litterae impetratae fuerunt tacita veritate, nulla

facta mentione de processu coram Ferrariensi, coram quo lis fuit contestata et testes producti, ut patet in integra, infra, de re iudic., inter monasterium. Unde non valebant, et ita nec subdelegatum nec delegatum admittere tenebatur, et solus episcopus iurisdictionem habebat. Et haec fuit causa quare sententia ipsius confirmabatur, unde non valuit appellatio propter hoc facta, ut hic dicit.

Quod non intelligitur

Pone quod plures sint iudices dati cum illa clausula: quod si non omnes, etc. Quaero an ille qui non potest interesse, possit committere vices suas, et an socii teneantur illius subdelegatum admittere? Quod possit committere planum est, quia hoc habet a lege concessum, C. de iud., a iudice; et infra, de offi. deleg., quoniam Apostolica; et supra, de offi. deleg., pastoralis; et infra, de appell., cum causam; etiam si interesse non potest, supra, de offi. deleg., super quaestionum § si vero; et supra, de offi. deleg., si pro debilitate; et supra, de offi. deleg., pastoralis § ulti. Immo alias committere non debet nisi quando est impeditus, supra, de offi. deleg., pastoralis, in princ.; et supra, de offi. deleg., si pro debilitate. Sic patet per iura ista quod delegatus potest committere vices, et quando etiam impeditus est, ergo alii tenentur admittere subdelegatum ipsius, alias talis commissio delusoria esset, et sic fierent ludibrio leges, quod esse non debet, C. de bon. quae liber., cum non solum § ubi autem; et cum effectu verba sunt intelligenda, infra, de cleri. non residen., relatum; et ff. quod quisque iur., hoc edictum § haec autem verba. Praeterea optime hoc probatur supra, de elect., quia propter § illud, ubi habes quod ille qui non potest interesse, potest alii committere vices suas, et illi tenentur recipere illum, alias non valeret electio. Et quod per nos facere non possumus, per alios facere debemus, ff. de procur., procurator est qui; et ff. de admin. tut., ita tamen § gessisse. Sed contra videtur expresse per hanc allegationem, quia secundum eam confirmata fuit sententia. Praeterea non tenentur illum recipere ad mandatum illius, quia par est illis, et par in parem non habet imperium, supra, de elect., innotuit; ff. ad Trebel., ille a quo § tempestivum. Nec illud videtur sequi, quod si ille potest committere, quod alii ipsum admittere teneantur, quia ex alieno facto nullus obligatur, ff. de ver. oblig., stipulatio ista, arg. Dicunt quidam quod licet ille qui non potest interesse possit committere vices suas alii, coniudices non tenentur eum admittere nisi velint, quia iam extat conditio, et sic remansit iurisdictio penes illos, unde ipsi procedere possunt soli si volunt, et cessante impotentia poterit postea cum ipsis procedere, arg. C. de curat. fur., cum aliis. Ubi curator tempore furoris administrat, cessante furore cessat, sic delegatus iste cum interesse non potest, non committit vices suas. Sed hoc non credo, immo dico quod ille qui interesse non potest per impotentiam facti temporalis, potest committere vices suas. Et consocii tenentur admittere illum subdelegatum, et allegatio quae hic ponitur non continet ius. Et circa huiusmodi subdelegationes ita distingue: aliud est cum ab initio delegantur plures iudices cum illa clausula: quod si non omnes, etc., et nullus postea adiungitur; et aliud cum ab initio delegatus est unus vel plures, et postea alius adiungitur cum illa clausula: quod si ambo, vel: quod si non omnes, etc. In primo casu delegatus potest alium subdelegare, et consocii tenentur illum admittere. In secundo casu refert an res sit integra vel non. Si res sit integra, idem est ac si ab initio omnes dati essent, et adiunctus potest committere vices suas, et alii tenentur ipsum admittere in causae cognitione. Si vero res non est integra, quia iam processum erat ad litis contestationem, et horum veritate supressa aliquis est adiunctus, huiusmodi adiunctus vel subdelegatus

ipsius non est admittendus, tamquam per veri suppressionem adiunctus sive obtentus, sicut contingit in praesenti negotio. Et hoc bene colligitur ex hac decretali, et hoc probatur in Auth. de exhib. et intro. § illud, unde sumpta fuit authentica C. de lit. contest., authen. offeratur, ubi idem dicitur quod post litis contestationem alius peritus adiungi non potest nec primus refutari, et ideo sententia Ferrariensis episcopi confirmata fuit. Et quod dicit hic, quod non intelligitur ut si per se vel per alios, etc., non est verum, quia clausula illa: quod si non omnes, etc., potest locum habere in multis casibus de iure et de facto, in quibus casibus duo vel alius procedere possunt, puta de iure, ut si est excommunicatus, infra, de re iudic., ad probandum; vel suspectus recusatus, supra, de offi. deleg., cum super; et supra, de offi. deleg., licet; vel infamis vel servus, ut supra, de rescript., sciscitatus. Et in talibus casibus locum habet clausula illa, quod si non omnes, etc. Sed quando impeditus est temporali impotentia, bene potest committere vices suas, et consocii tenentur admittere subdelegatum. Sed in casu istius decretalis admitti non debuit rationibus praemissis. Ergo sic debet intelligi clausula illa, quod si non omnes, etc., puta si non potest interesse de iure vel de facto, ut dixi, tunc non potest committere, cum nullam habeat iurisdictionem, alias bene habet iurisdictionem quamvis impediatur ad tempus. Et ideo tunc potest committere et cum effectu. Et quod dicit, impeditus ad tempus, non intelligas quod omnino sit impeditus, ut nullo modo tunc possit interesse. Sed si vellet omnia alia dimittere, bene posset interesse, sed non vult contemnere sua, tunc propter causam illam nec tenetur, ff. de iud., si longius. Ber.

Sententiam confirmavit
Ex hac secunda sententia datur actio in factum quae hic confirmatur, et non ex prima, ut ff. de his qui not. infam., furti; arg. ff. ad Trebel., si quis priorem; hac tamen confirmata, confirmatur et prima.

X 1.29.35 *Cum R. canonicus*

P. civem
Sed quomodo committit Papa hic causam contra laicum? Intelligo quod causa spectabat ad forum ecclesiae, puta causa usurarum vel decimarum, vel ipse laicus noluit excipere, vel est consuetudo ibi quod laici conveniantur per litteras Papae.

Cum sint eius socii
Hic habes quod canonicus non potest esse iudex concanonici sui propter familiaritatem, quae veritatem aliquando impedire solet, 3. q. 5, accusatores. Testis enim potest esse canonicus pro canonico, cum etiam frater pro fratre possit testificari, infra, de praesump., litteras. Cum edictum de testibus sit prohibitorium, ff. de testi., ea ratione. Quia facilius habentur iudices quam testes. Unde facilius repellitur iudex quam testis. Iudex enim recusatur pro modica causa, ut si esset oriundus de terra impetrantis, infra, ut lite non cont., accedens 2; et arg. infra, de appell., ex insinuatione. Item si iudex est suffraganeus eius, infra, ut lite non cont., accedens 1. Item consanguinitas, infra, de appell., postremo. Sed in teste secus, 4. q. 3, si testes § lex Iulia. Quandoque tamen aliquis potest esse iudex quo non potest esse testis, ut pater in causa filii, 3. q. 7 § tria, circa fi. Et criminosi possunt esse iudices, sed non testes, 3. q. 7, infames § ulti. Item iudex recusatur, vel alius ei adiungitur, si habet consimilem causam, infra, de iudic., causam quae inter. Sic et

testis repellitur qui habet consimilem causam, infra, de testib., personas. Sed si canonicus daretur iudex contra alium canonicum, quid dices? Non poterit recusari ex hac causa, quia per affectionis causa omnem suspicionem removet, ff. de ritu nupt., non solum § denuo.

Iudicem eligat

Nota ex hac littera quod quando reus ad iudicem ire non potest secure, quod actor potest et debet eligere iudicem in loco non suspecto et non adversarius. Contra habes, quia reus eligit iudices, 11. q. 1, iudices; et 15. q. 7, si autem; et 3. q. 6, peregrina; et 4. q. 5, quisquis; et 2. q. 6, placuit. Idem videtur cum ordinarius recusatur quod reus eligat, infra, de appell., cum speciali. Contrarium dicit lex, quod iudex petitus dari non debet nisi ob reverentiam petiti iudicis, ff. de iud., observandum. Decretales praedictae loquuntur in causa criminali, et praeterea non statur hodie illis. Quod dicit hic quod iste eligat, intelligo si altera pars cum eo noluerit concordare, vel cum altera pars est absens. Vel dic quod de speciali gratia dabat ei Papa hanc electionem cum de consensu utriusque esset eligendus, ut supra, de offi. deleg., super quaestionum. Item arg. quod si iudex non potest de causa cognoscere, potest alii committere vices suas. Sed contrarium est verum, infra, de appell., secundo § tertio. Et hic non loquitur de iudice suspecto, sed quia reus non potest ire ad iudicem. Unde iudex tenetur locum providere securum, infra, de appell., ex parte 1; et 33. q. 2, sive; vel committere causam in loco non suspecto, ut hic. Vel potius procedit iudex iste auctoritate illius rescripti. Et est hic arg. quod iudex incertus dari possit. Contra supra, de rescript., ad haec. Sed hoc de gratia fuit, ut dictum est.

X 1.29.36 *Cum contingat*

Utriusque partis

Et si testes episcopi dicerent excommunicationem praecessisse appellationem, testes autem alterius dicerent appellationem praecessisse, sententiare debet iudex quod et ante sententiam et post fuit appellatum, infra, de testib., cum tu. Et ita videtur superfluum, quia semper iudicatur pro appellante, quia si testes episcopi dicerent quod tantum post sententiam appellasset, illis non crederetur quia probarent negativam, quod esse non debet, supra, de elect., bonae 1; et infra, de caus. poss. et propr., cum ecclesia. Dico quod probationes episcopi audiri debent si vult probare se illum excommunicasse antequam vocem appellationis emitteret, secundum quod ponitur in quaestione in principio. Vel etiam si vellet probare appellationem iniustam, quia illa non impediret excommunicationem sequentem, infra, de appell., ut debitus, ubi dicitur quod qui appellat, rationabilem causam debet proponere. Et si probata fuerit iniusta appellatio, remittetur ad episcopum, infra, de appell., ut debitus; et infra, de appell., cum in ecclesia. Nec est verum quod dicitur quod semper pronunciabitur pro appellante, quia potest esse quod episcopus melius probet, et per plures et meliores testes quibus stabitur, infra, de probat., licet; infra, de testib., in nostra. Et potest dici quod illa decretalis infra, de testib., cum tu, loquitur cum testes utriusque partis erant aequales, ut sic fiat interpretatio pro utriusque partibus ne de periurii reatu notentur.

Vix vel numquam

Scilicet, in casu sequenti tantum; simile infra, de sent. excom., per tuas.

Intolerabilem errorem
12. q. 2, quia divinis; 9. q. 3, episcopus; infra, de haeret., si quis.

Nihilominus
Nota quod non debet quis admitti ad probandum illud quod probatum non prodest, C. de probation., ad probationem; et infra, de simon., per tuas 1, in fi., vers. quoniam; et si probata etc. Et valet ad exceptiones opponendas quas quidam admittunt indifferenter. Et in fine pronunciantur secundum illas, si de iure valent, alias non prodest illa probatio. Illud fieri non debet. Primo cum proponuntur, debet providere iudex an sint admittendae vel non. Si sunt admittendae, tunc demum audiat probationes super illis, qui aliter faciunt non bene faciunt, quia si quis bene probaret exceptionem suam, et non admitteretur, potest esse causa appellandi, quia audiendo probationes super illa, iudex videtur eam admittere cum effectu. Et ideo illud non est faciendum, nisi iudex sub illa protestatione illum ad probandum admittat, ut si de iure debeant valere, quod valeant, alias non, supra, de elect., Cumana.

Probationibus
Sed cum iste sit absolutus, quare audiuntur probationes super hoc? Dico quod duplici de causa potest fieri, quia si probabit quod iniuste fuit excommunicatus, non iniungitur ei aliquid per iuramentum. Et ideo praeceptum differtur quousque constet utrum iuste vel iniuste sit excommunicatus, infra, de offi. ord., ad reprimendam. Si iuste fuit excommunicatus, tunc praecipiet et per iuramentum quod super eo pro quo fuit excommunicatus satisfaciat, ut in dicta decretali infra, de offi. ord., ad reprimendam. Item si probaret quod admonitione legitima non praemissa ipsum excommunicasset, excommunicator per mensem erit privatus ingressu ecclesiae, infra, de sent. excom., sacro. Item si iniuste excommunicatus fuerit, excommunicator tenetur illi ad interesse, ut dicto capitulo infra, de sent. excom., sacro. Et in tantum tempus abstineat quantum visum fuerit superiori, 2. q. 1, nemo; et 24. q. 3, de illicita. Et econverso, si sententia iusta probata fuerit, excommunicatus tenebitur ad interesse excommunicatori, ut in decretali infra, de sent. excom., sacro; nisi utrumque probabilis error excuset, ut ibi. Et ita patet quare admittantur probationes post absolutionem.

X 1.29.37 *Venerabili fratri*

Fuerat spoliatus
Per Fridericum imperatorem.

Restituto plenarie
Hoc ideo dicit quia spoliati ad omnia iura sua tam corporalia quam incorporalia debent restitui, antequam aliquis sibi obiiciatur, vel antequam inquisitio fiat contra ipsos, ut 2. q. 2, per totum; et 2. q. 2, nullus, ubi dicitur quod omnia iura sunt restituenda; 3. q. 3, per totum; et infra, de restit. spol., in litteris; et infra, de restit. spol., item cum quis; et infra, de reastit. spol., ex conquestione; et infra, de restit. spol., Pisanis; unde dicit, plenarie.

Suspectus
Sed videtur quod isti non sit dandus coadiutor ex quo erat de dilapidatione suspectus. Immo potius deberet destitui, 3. q. 2, quia ea; C. de susp. tut., eum quem. Et dolum facere videbatur petendo restitutionem, cum destitui debeat propter hoc, ff. de dol. except., dolo. Dic quod hoc olim obtinebat secundum antiqua iura, quod accusatus seu denunciatus suspectus de dilapidatione removebatur pendente lite ab administratione, ut 3. q. 2, quia ea, ubi de hoc; et C. de susp. tut., eum quem. Hodie vero secus, quia non removetur ab administratione, nisi primo probetur suspectus de dilapidatione male administrando, et hoc probato praesumitur quod de caetero male administrabit, ff. de admin. tut., cui § hisdem; et ff. de susp. tut., tutor § quaeri potest; et C. de suscept. et arc., si aliquid, lib. 10. Et ita accusatus sive denunciatus de dilapidatione et probatus suspectus secundum iura nostra removetur ab administratione, ut hic, et infra, de simon., licet Heli. Et etiam iudex sine accusatore potest aliquem removere, si apertissimis argumentis liqueat eum esse suspectum, ff. de susp. tut., tutor § praeterea. Nec admittendus est si vellet satisdare, quia satisdatio non immutat malevolum animum tutoris, Inst. de susp. tut. § novissime; et ff. de susp. tut., quia satisdatio. Et qui ecclesiam suam pro alienis debitis aggravat sive obligat, ipso iure suspensus est ab administratione temporalium et spiritualium, infra, de solution., si quorundam. Ad hanc autem denunciationem quilibet videtur admittendus, in Auth. de non alien. aut perm. ecc. § hic nobis, in fi., coll. 2; et C. de susp. tut., pietatis. Probabilius tamen videtur quod hi tantum admittantur quorum interest, ut 16. q. 7, filiis; et 2. q. 7, quapropter; vel saltem soli clerici admittantur, 11. q. 2, non liceat. Ad denunciandum admitterem quemlibet de illa parochia, quia eorum interest ut ecclesia non perveniat ad malum statum, arg. 16. q. 1, quoniam quicquid; et 12. q. 2, aurem habet.

Coadiutorem
Et ita hic datur coadiutor propter suspicionem dilapidationis. Alibi datur propter infirmitatem seu senectutem, 7. q. 1, scripsit; et 7. q. 1, quamvis; arg. ff. de tutel., solet; et infra, de cleri. aegro., ex parte; et infra, de cleri. aegro., consultationibus.

Consilio
Hic intelligo, et consensu. Alias non valeret multum talis coadiutor, arg. ad idem supra, de elect., cum in veteri; et supra, de elect., ne pro defectu. Arg. contra infra, de arbitr., cum olim. Sed illud videtur dictum propter formam arbitrii.

Omne alienationis genus
Quid contineatur per hic quod dicit, omne genus alienationis, habes infra, de rebus ecc. non alien., nulli; et C. de reb. alien., sancimus. Largissime sumitur hic hoc verbum, alienationis. Alibi stricte sumitur pro eo tantum contractu quo dominium transfertur, C. de fund. dot., si aestimata.

Cassavimus
Id est, cassos et irritos denunciavimus, supra, de rescript., cum dilecta.

Mandati
Et merito, quia fines mandati diligenter servandi sunt, ff. mand. vel cont., diligenter; et C. de procur., si procurator; et supra, de rescript., cum dilecta, ubi quasi idem quod hic dicitur, ubi de hoc.

Vices suas
Hic solvitur quod dubitatur, an delegatus simpliciter committens vices suas possit eas revocare? Et patet quod non, postquam ille uti coeperit sua iurisdictione, ut hic patet, et ut notatur supra, de offi. deleg., super quaestionum, in notula: patet, etc. Quia committendo vices suas simpliciter, omnia commisit quae poterat super illo negotio, sic supra, de offi. deleg., super quaestionum § si vero. Sic qui causam simpliciter committit, omnia videtur committere quae ad causam pertinere noscuntur, supra, de offi. deleg., praeterea; et infra, de offi. deleg., suspicionis. Et est arg. quod indefinita aequipollet universali, ff. de servitu. urb. praed., si servitus; et ff. de tutel., qui habet § ulti; et infra, de privileg., quia circa; et infra, de iure patron., ex litteris.

Non potuit demandare
Cum abbas iam processisset in negotio, antea vero potuit revocare. Ber.

X 1.29.38 *Significantibus*

Pauperem se dixisset
Et si pauper esset, adhuc debet coram iudice agere et sequi forum rei, quia causa viduarum non spectat principaliter ad ecclesiam nisi quo ad protectionem et defensionem, infra, de verb. sign., super quibusdam; 87. dist., licet omnibus; et 87. dist., defensionis. Immo ad iudicium regis sive domini illius loci causa viduarum, pupillorum et orphanorum spectare videtur, 23. q. 5, regum; et 23. q. 3, ab imperatoribus; et C. quan. imp. int. pup. vel vid., si contra; secundario ad ecclesiam spectat, 23. q. 5, administratores; vel si iudex saecularis negligens esset, infra, de for. compet., ex parte. Sed loquitur ibi in possessorio, in quo casu potest implorare iudicium ecclesiae.

Procedere non debere
Non videtur quod bene pronunciarent quantum ad secundam exceptionem, sed supersedere debuerunt quousque procederetur coram iudice saeculari. Et si ille fuisset negligens in iustitia exhibenda, ipsi postea procedere potuissent, infra, de for. compet., ex transmissa; et infra, de for. compet., licet ex suscepto; et infra, de for. compet., ex tenore. Et ita sic pronunciando amisserunt iurisdictionem, quia iudex sive bene sive male pronunciando functus est officio suo, ff. de re iud., iudex. Sic etiam ipso facto sine pronunciatione amittit quis iurisdictionem, alium sibi associando qui iurisdictionem non habet, supra, de offi. deleg., cum super; etsi referat negotium ad superiorem, infra, de offi. legat., licet. Vel si dicat tantum se referre velle negotium, infra, de appell., intimasti; et C. de relat., si quis. Et ideo non potuerunt illam post modum resumere, quia sive bene sive male functi sunt officio suo, supra, de offi. deleg., in litteris; ff. de re iud., iudex. Etiam de consensu partium, quia ex quo expiravit iurisdictio, partes non poterant eis dare iurisdictionem, quia consensus privatorum iudicem non facit eum qui nulli praeest iudicio, C. de iuris., privatorum. Unde ulterius non poterant se intromittere. Unde

cassatur quicquid fecerunt tamquam a non suo iudice factum, ut dicit in fine. Sed in eo quod dicit se pauperem, cum esset dives et nobilis, in fraudem ut citius haberet litteras, videtur quod bene pronunciassent ne de fraude commodum reportaret, arg. supra, de rescript., super litteris; et supra, de rescript., sedes. Si constiterit eis quod dolo sive fraude dicit se pauperem, bene pronunciarunt; secus si per simplicitatem, ut in decretali praedicti supra, de rescript., super litteris. Quia tunc, sive sit pauper sive dives, debet requiri prius dominus saecularis, ut dixi in principio notulae.

Si infra terminum
Quod fieri potest, ff. de recepti., si cum dies, in princ. Sicut et iurisdictio ad terminum committitur, supra, de offi. deleg., de causis. Et etiam infra terminum posset quis redire ad iudicem si vellet, ff. de recepti., sed si in servum, in fi. Sed poena committeretur.

Negligentibus
Poterant compelli ad procedendum ex quo erant negligentes, ff. de recepti., Labeo ait si compromisso § 1. Immo et si partes finito termino vellent iterum in eos compromittere, compellendi sunt suscipere arbitrium ex quo fuerunt in mora, ff. de recepti., si cum dies, 1. resp.

Per formam compromissi
Si poena fuisset apposita in isto compromisso, numquid mulier ista quae noluit redire ad iudices posset conveniri ad poenam? Credo quod non, quia per huiusmodi compromissum partes non poterant eis dare iurisdictionem, cum privatorum consensus eum iudicem non faciat, qui nulli praeest iurisdictioni, ut dictum est in glossula: non videtur. Et ideo cum principale non teneat, nec poena super hoc adiecta, ut infra, de precar., de precariis, in glossula quae incipit: promissa; et infra, de censib., gravis, in glossula quae incipit: haec fideiussio. Si autem isti iudices essent ordinarii alias, tunc posset peti poena, si nollent se subiicere ipsorum iurisdictioni. Ber.

X 1.29.39 *Suspicionis causa*

Suspicionis causa
Quae debet esse rationabilis ad recusandum, talis quae si esset probata, deberet legitima reputari, infra, de appell., cum speciali. Sic et in appellatione, ut in decretali infra, de appell., cum speciali; et infra, de appell., ut debitus; et si est dubiam, arbitri hoc diffiniant.

Forsan
Quia non debet iudex propter ea moveri, quia non facit ei iniuriam, cum utatur iure suo, supra, de elect., cum ecclesia; ff. de iniuri., iniuriarum § 1. Et hoc est ei a iure concessum, ut hic, et infra, de appell., secundo §1; et infra, de appell., cum speciali. Sed refert se ad id quod contingere solet, licet non debeant moveri, tamen indignantur pro maiori parte. Et ideo quod forsitan provocatus est contra illum, non debet terminum ad hoc cognoscendum assignare, ne sibi obesset in arctando ipsum. Et licet sit provocatus, non tamen propterea poterunt ipsum declinare quasi offensum, cum habeat iurisdictionem cessante probatione suspicionis, ff. ap. eum a quo app., si quis.

Ad quos omnia
Sicut enim iudici omnia commissa intelliguntur quae ad causam ipsam pertinent, supra, de offi. deleg., praeterea; et hic § sequentibus; ff. de iuris., cui iurisdictio. Sic et his arbitris, et habent iurisdictionem et coerctionem et possunt compellere testes et impedientes punire, ut patet hic expresse, et potest appellari ab eis. Sed ad quem appellabitur? Ad Papam appellabitur. Sed quid dices si isti qui eliguntur arbitri a partibus nolunt suscipere arbitrium, quid erit, suntne compellendi? Videtur quod non, quia nemo compellitur arbitrium suscipere, ff. de recepti., Labeo ait si compromisso § 1, quia haec res libera est, ut ibi dicitur. Dico quod tenentur accipere tale arbitrium, immo in virtute obedientiae districto praecepto a domino Papa iniuncto tenentur, infra, de appell., cum speciali. Et si huic praecepto non obediant, sunt compellendi. Si iudex ordinarius recusatur, ordinarius compellat illos. Si delegatus de quo hic loquitur eos compellat, non obstante eo quod recusatus est, alias iudicium non procederet. Item hic est aliud speciale, quia consensus privatorum eum facit iudicem qui nulli praeest iudicio, nec isti veri arbitri dicuntur, nisi pro tanto quia eliguntur sicut arbitri, alii eliguntur de consensu partium. Et hic patet quod alii arbitri nullam coerctionem habent, sed tantum metu poenae eorum sententiae statur, C. de recepti., ex sententia; vel per homologationem, id est, confirmationem vel approbationem, vel taciturnitatem decem dierum, C. de recepti., cum antea. Et isti iudices sunt, licet arbitri appellentur; sic 11. q. 1, pervenit; et ff. qui satisda. cog., arbitro; et ff. quod metus cau., si cum exceptione § haec autem actio; C. de sent. ex per. recit., arbitri; et ff. de probation., si arbiter. Et iurisdictio istorum quasi ordinaria est per electionem, sicut quando exercitus sibi eligit imperatorem, 13. dist., legimus; et constitutio confirmat talem iurisdictionem, infra, de appell., cum speciali; sicut et lex mandata confirmat talem iurisdictionem, ff. de iuris., et quia. Et ex eo quod dicit, omnia quae ad hunc articulum, etc., iudex recusatus nil poterat facere circa articulum recusationis, et sic non poterat praefigere terminum arbitris ad finiendam causam recusationis. Sed ante istam decretalem iudex recusatus praefigebat terminum arbitris ad finendam causam suspicionis. Sed hodie iudex recusatus debet statuere terminum arbitris secundum quod olim fiebat ante istam decretalem infra, de appell., extravag. legitima. Et in hoc solo corrigitur haec decretalis per illam, aliis non mutatis. Ber.

Terminum
Scilicet, ad probationem faciendum possunt arbitri terminum partibus assignare, et omnia alia quae pertinent ad hanc suspicionem probandum arbitri facere debent et non iudices. Et per hanc decretalem non videtur prohiberi iudici quin possit praefigere terminum competentem arbitris, infra quem causam suspicionis debeant terminare, sicut olim fiebat. Contra tamen dici consuevit, et hodie redactum est ad ius commune, ut infra, de appell., extravag. legitima, in concilio Lugdunensi.

Ut conveniant
Scilicet, arbitri, et non partes. Contra supra, de rescript., pastoralis. Et verum est quod primi duo eligi debent a partibus, sed tertius ab arbitris, ut hic.

Sunt cogendi
Simile dicit lex in veris arbitris, ff. de recepti., item si unus § principaliter; ne res sine exitu esset. Sed videtur quod iste iudex super principali non possit se intromittere, cum sua iurisdictio interim sit suspensa; sic supra, de offi. deleg., pastoralis; et supra, de offi. deleg., praeterea. Et pendente dilatione iudicis officium conquiescit, C. de dilation., sive pars; et infra, de appell., significante; arg. supra, de rescript., pastoralis, in fi. Sed hoc permittitur iudici in poenam illorum qui nolunt concordare, et ne culpa eorum contingat negotium prorogari, et ita malitia eorum coercenda est. Alias se iudex intromittere non potest circa principale, cum sit iurisdictio suspensa, ut dixi. Sed quid erit si arbitri non conveniant simul malitiose ut negotium ipsum prorogetur? Idem credo quod iudex possit eos compellere ut procedant ne diutius contingat negotium differri, alias contineret iniquitatem ista constitutio, quia per hoc daretur causa malitiis hominum quibus est potius obviandum, supra, de rescript., sedes; et ff. de rei vend., in fundo.

X 1.29.40 *P. et G.*

Loco et termino
Hoc ideo dicit, quia si promittis pecuniam mutuatam mihi solvere certo loco et termino, et non solvis eo loco, teneris mihi in quantum mea intererat mihi solutam fuisse in eo loco. Et ideo per officium iudicis condemnaberis ad interesse, quia abstulisti mihi utilitatem loci. Idem est si ego peto in alio loco quam conveni, quia aufero tibi utilitatem loci. Unde et tibi in hoc teneor, infra, de plus petit., consilium. Haec enim actio utriusque utilitatem continet actoris et rei, ff. de eo quod cert. loc. dar. op., arbitraria; et C. ubi conv. qui cert. loc., qui certo. Et dicitur haec actio certi condictio, sed appellatur arbitraria propter locum, quia per officium iudicis petitur hoc interesse. Cum enim petitur principale debitum principali actione, puta ex testamento vel certi condictione, tunc debet implorare iudicis officium ut habeat rationem utilitatis actoris vel rei in condemnatione facienda, ff. de eo quod cert. loc. dar. op., arbitraria, 1. resp.; et ff. de eo quod cert. loc. dar. op., arbitraria § 1; et ff. de eo quod cert. loc. dar. op., si heres; et ff. de eo quod cert. loc. dar. op., aut si mutua; et ff. de eo quod cert. loc. dar. op., in bonae. Sed in bonae fidei contractu si promisisti mihi solvere certo loco, interesse venit tunc iure actionis, et est in obligatione ad interesse.

Iurisdictionem
Scilicet, delegatum, secus in ordinaria.

Voluit prorogare
Sed non potuit, ut in fine dicit, sed prorogavit de facto.

Promulgares
Sic ergo volebat se obligare sub poena excommunicationis, quod quidem potest, de conse. dist. 2, ego Berengarius. Item sub poena beneficii sui, supra, de elect., cum dilectus; et infra, de crim. falsi, ex continentia; sed deficit iurisdictio.

Iurisdictioni praeesse

Unde videtur quod potuit in eum consentire et illum constituere sibi iudicem, ff. de iud., si se subiciant; et ff. de iud., consensisse; ff. de iuris., si convenerit. Sed hic prorogare volebat delegatam iurisdictionem in se, quod esse non potest, ut hic dicit, et non ordinariam.

Prorogatio nulla

Nota ergo quando possit fieri prorogatio iurisdictionis. Fit enim prorogatio de tempore ad tempus, ut si Papa mandat causam terminari infra certum tempus. Illo elapso expirat iurisdictio, nisi partes infra tempus de communi consensu prorogarint tempus, supra, de offi. deleg., de causis. Et hoc faciendum est de consensu iudicis, ff. de iud., consensisse § sed si iudex; et ita triplex consensus requiritur. Sic arbitrium prorogatur, ff. de recepti., diem; et ff. de recepti., arbiter ex compromisso. Et si arbiter fuit in mora, compellitur iterum finito tempore arbitrium suscipere, ff. de recepti., si cum dies, 1. resp. Item de re ad rem, puta datus est super una re tantum, super alia re si consentiant omnes, scilicet, partes et iudex, potest iurisdictio prorogari, ff. de iud., de qua re § 1; et supra, de offi. deleg., cum olim abbas. Item de persona ad personam fit prorogatio, infra, de alienat. mut. iud., ex quorundam. Et tunc prorogatur iurisdictio altera parte invita. Item prorogatur iurisdictio iudices ad eos qui non sunt de sua iurisdictione de consensu ipsorum, C. de iuris., non quidem. Et haec prorogatio in alienum iudicem ex certa scientia, et non per errorem fieri debet, ff. de iuris., si per errorem; et ff. de iud., si se subiciant; ff. de iud., consensisse, in princ. Et hoc intellige quando ille in quem partes prorogant iurisdictionem habeat ordinariam; alias non, quia consensus privatorum eum iudicem non facit qui nulli praeest iudicio, C. de iuris., privatorum. Ordinariam iurisdictionem ideo dixi, quia in delegatum non potest prorogatio fieri nec iurisdictio delegati potest extendi ad alias personas quae in rescripto non continentur ubi dicitur expresse. Et sic sola ordinaria iurisdictio potest prorogari ad eos qui sibi subiecti non sunt, et hoc satis potest intelligi ex eo quod dicit lex, privatorum consensus eum iudicem non facit, qui nulli praeest iurisdictioni, id est, iudicio. Sed delegatus nulli iudicio sive iurisdictioni praeest, et ideo in eum nulla potest fieri prorogatio. Solae enim illae personae quae in rescripto continentur iurisdictionem delegati possunt prorogare ad res alias quam quae in rescripto contineantur. Cuiusmodi erit illa iurisdictio, eritne delegata vel ordinaria? Videtur quod sit ordinaria, quia habetur a lege, ff. de iuris., et quia. Econverso, videtur quod sit delegata, quia sortitur naturam prioris iurisdictionis, ut sicut non appellatur a prima nec ab ista, ff. de recepti., Labeo; et C. de iud., cum specialis. Immo videtur quod eadem sit cum priori, sicut idem est precarium cum priori quando precarium prorogatur, ff. de preca., sed si manente; arg. ff. de off. procon., meminisse. Et est verum quod talis iurisdictio delegata est. Prima enim iurisdictio extenditur ad res alias per consensum partium. Item illud scias quod clerici non possunt in se prorogare iurisdictionem in iudicem saecularem, quantumcumque contrasentiant, nec etiam alterius iudicis ecclesiastici nisi de licentia sui episcopi, infra, de for. compet., significasti; et infra, de for. compet., si diligenti.

X 1.29.41 *Cum vigesimum annum*

Peregeris
Et sic videtur quod non sufficit annus incoeptus, sic supra, de elect., cum in cunctis; et infra, de regular., ad nostram; et infra, de regular., significatum; et 20. q. 1, firma; et 20. q. 1, illud. Arg. contra ff. de muner. et honor., ad rempublicam, ubi annus incoeptus pro completo habetur. Sed illud loquitur de his qui rem publicam administrant, et de decurionibus qui favoris causa admittuntur post incoeptum vicesimum quintum annum. Simile supra, de elect., cum in cunctis § inferiora. Sed hic loquitur de iudice delegato qui dare potest post vicesimum annum, ubi tantus favor non consideratur. Et quia qui in minori aetate est, minoris discretionis esse praesumitur. Unde annus vicesimus debet esse completus.

Aetatem eandem
Nota ergo quod quidam sunt qui impediuntur ut iudices esse non possint natura, ut surdus, et mutus, perpetuo furiosus, et impubes, quia huiusmodi personae iudicio, id est, discretione carent, 3. q. 7, infamis § tria; et ff. de iud., cum praetor § non autem. Item lege impeditur qui a senatu remotus est propter infamiam. Item moribus, ut feminae et servi, non quia non habent discretionem, sed quia civilibus non funguntur officiis, ut in dicta lege ff. de iud., cum praetor § non autem. Ex eo quod dicitur quod impubes iudex esse non potest, videtur a contrario, quod statim postquam est pubes possit esse iudex, quod tamen non est verum indistincte. Tamen dicas quod adultus ordinarius et delegatus a principe constitui potest, quia princeps qui eum constituit, omnia ab eo facta valere decrevit, ff. de re iud., quidam consulebant; unde sumpta est haec decretalis. Si vero adultus maior viginti annis delegatus sit ab alio quam a principe, tenet delegatio, ut hic in principio. Si vero sit minor viginto annis, non tenet delegatio nisi partibus consentientibus in eum qui sit maior octodecim, ut hic in fi., et ff. de recepti., cum lege; nisi esset datus a principe minor viro octodecim annis ab alio quam a principe dari non potest iudex, etiam consentientibus partibus, ut hic innuitut. Sed lex illa ff. de re iud., quidam consulebant, videtur dicere quod ex consensu partium minor octodecim annis dari possit delegatus. Sed dic ibi minor, dummodo non sit minor octodecim annis. Arbiter enim minor viginti annis esse non potest, ff. de recepti., cum lege. Praeterea consentientibus partibus ut videtur iurisdictio datur in octavo decimo anno, ut dicit lex ff. de re iud., quidam consulebant; arbitrium vero non, nisi in vigesimo anno, ff. de recepti., cum lege. Sed cum iurisdictio maior et dignior sit quam arbitrium, videtur quod maior aetas esset requirenda et infamis arbiter esse potest, 3. q. 7, infames § tria; et 3. q. 7, infames § cognitores; ff. de recepti., pedius. Sed infamis iudex esse non potest, 3. q. 7, infames; et supra, de rescript., sciscitatus. Quae est ergo ratio diversitatis? Ratio potest esse duplex, quia iurisdictio datur a principe, sive a magistratibus, arbitrium vero a privatis. Vel ideo quia multa remedia sunt in iudicio, puta, supplicatio, appellatio, recusatio. In arbitrio vero sola poenae solutio. Ideo aetas maior requiritur, ne partes in promptum incidant periculum propter ignorantiam arbitrorum. Unde arbitri iurare non debent, ne propter ignorantiam in periurium incidant, in Auth. de iudicib. § quia vero, coll. 6.

X 1.29.42 *Uno delegatorum*

Delegatorum
Nota quod si plures sunt iudices deleagti, et clausula illa: quod si non omnes, etc., non fuit apposita, uno mortuo, alter procedere in causa non potest, quia cum alter sine altero procedere non possit, per mortem unius finitur iurisdictio alterius. Idem esset si alter efficiatur infamis, supra, de rescript., sciscitatus. Item si removeatur ut suspectus, supra, de offi. deleg., licet, quia neuter illorum iudex erat insolidum, ut iudicare posset, quia loco unius tantum sunt, et omnes quidem iudicare iussi sunt, ff. de re iud., duo ex tribus. Tamen unus potest committere vices suas alteri, supra, de offi. deleg., quamvis. Et si eo vivente alter coepit uti iurisdictione ibi commissa, solus poterit postea procedere, supra, de offi. deleg., licet; alias non, ut hic dicit. Idem enim est in arbitris, ut uno mortuo eorum officium expiravit, cum in eos compromissem est, ut omnes iudicent, ff. de recepti., item si unus § item si plures; et ff. de recepti., si in tres; et ff. de recepti., sicuti; et hic. Et hoc verum est nisi in compromisso expresse sit actum, ut si alter interesse non possit, alter arbitrium possit praeferre, ff. de recepti., non distinguemus § cum in plures; et infra, de testamen., Raynaldus, in princ. Sicut servatur quandoque in delegatis iudicibus, ubi ponitur clausula illa: quod si non omnes, etc. Et hoc est quod sequitur in fine, nisi aliud in delegatione aut compromisso sit expressum. Et sic idem in arbitrio quod in iudicio quantum ad hoc servatur. Et eodem modo compromissum finitur per mortem litigatoris alterutrius, nisi in compromisso fiat mentio heredis utriusque litigatoris, ff. de recepti., diem § 1; et ff. de recepti., sed si interpellatur § si ab altera; et ff. de recepti., si compromissum; et infra, de arbitr., compromissum. Sed secus est in iudicio, quia ibi non finitur iurisdictio re non integra. De hoc dictum fuit supra, de rescript., significavit. Arg. ad idem infra, de iudic., quia V.

X 1.29.43 *Quoniam*

Negotiis
Simile dicit lex, rebus enim et non verbis legem imponimus, C. commun. de legat., omne, in fi. Et hoc ideo dicit, ne credat aliquis Papam ita eligisse illum vel partes in eum taliter consensisse, quod abstulerit ei potestatem delegandi vices suas, cum eis visum fuerit expedire, nisi Papa hoc expresse vetaret, cum habeat hoc a lege, C. de iud., a iudice; et supra, de offi. deleg., pastoralis. Et ita licet communiter a partibus sit electus, nihilominus eis invitis poterit committere vices suas, ut hic manifeste colligitur. De hoc dictum est supra, de offi. deleg., super quaestionum. Et haec fuit dubitatio, alias non provideret Papa negotiis suis, sed personis. Ber.

Cum mandatur episcopo
Sic ergo soluta est quaestio qua quaerebatur olim, an episcopus posset committere vices suas, cum sic scribebat: tu frater episcope cum eorum altero, etc. Et ita potest committere, et alii non possunt procedere sine ipso vel subdelegato ipsius. Unde si moreretur episcopus antequam committat vices suas, expirat aliorum officium quousque alter substituatur, supra, de offi. deleg., quoniam abbas. Quia sine ipso alii nullo modo poterunt procedere, supra, de offi. deleg., uno delegatorum.

Ut personaliter
Sic patet quod si iniungitur alicui ut personaliter aliquid faciat, non potest id per alium facere, nisi de consensu illius seu illorum quorum est negotium illud, quia eorum interest. Potest etiam de ipsorum consensu committere alii istud exequendum, alias non potest, ff. de solut., inter artifices. Et si testator iusserit aliquem suis manibus domum construere vel pingere, per alium id facere non potest, quia hoc in personam illius conclusisse videtur, C. de caduc. toll., et nomen § sin vero talis. Sic econverso, quod quis in persona sua facere prohibetur, id per subiectam personam exercere non debet, ff. de admin. rer., non utique § 1. Quod nomine meo facere non debeo, nec nomine alieno, 46. dist., sicut non suo; et 23. q. 8, his a quibus. Et hoc ideo ne alia via contingat quod fieri prohibetur, ff. de tutor. et curat., scire § si mater; et ff. de condi. insti., quae sub conditione § si quis; et ff. de bon. libert., quaeritur; et infra, de procurat., tuae; et C. si manc. ita ven. ne prost., eam. In casibus enim sequentibus non potest iudex committere vices suas, etiam consentientibus illis, quorum negotium committitur in causa inquisitionis. Et cum debent ordinare ecclesiam de praelato vel de aliis inferioribus ministris, quia in his Papa eligit industriam illorum, et quia in istis maius periculum vertitur. Ideo non vult Papa ea per alios fieri, quia circa maiora cautius est agendum, 42. dist., quiescamus; 7. q. 2, nuper; et ff. de Carb., si cui controversia § 2; et 61. dist., miramur.

Consentiant
Alias non possunt.

Inquisitionem
Hoc intelligunt quidam cum Papa committit inquisitionem vel provisionem de praelatis, aut aliis ministris ex officio suo. Ubi non sunt partes, tunc non potest delegatus committere vices suas si mandatur ut personali intersit, secus ubi sunt partes, quia partes possunt renunciare iuris suo. Ego credo quod sive ista fiant per partes, sive ex officio, quod non possit alii delegare ille cui hoc mandatur ut personaliter intersit, quia Papa considerat in his casibus publicam utilitatem, ne crimina remaneant impunita, et ut potius provideatur ecclesiis quam personis, ut dicitur in principio de aliis negotiis. Et ideo eligit industriam illorum quibus hoc mandat, ut hic dicit. Ber.

Commissum
Isti enim quibus haec quae sequuntur expedienda committuntur meri executores sunt ad certos articulos expediendos, et nullam habent iurisdictionem, ut dicit in fine. Ideoque vices suas aliis committere non possunt. Coerctionem tamen videntur habere, ut saltem excommunicare possint impedientes eos exercere suum ministerium sibi iniunctum, alioquin delusoria et sine exitu esset talis commissio, supra, de offi. deleg., ex litteris; quod satis credo; arg. illius capituli supra, de offi. deleg., ex litteris. Contradicere tamen videtur littera quae dicit, non sibi iurisdictio, etc. Sed dic, non sibi iurisdictio, verum est quantum ad hoc ut committere possint, vel quia nullam habent iurisdictionem inter aliquas partes, sed tantum officium.

Cum irregularibus
Arg. quod episcopi auctoritate propria cum irregularibus dispensare non possunt, ex eo quod hoc ex commissione conceditur, et verum est quod episcopi cum quibusdam

irregularibus dispensare non possunt, supra, de fil. presbyt., nimis. An episcopi possint dispensare ubicumque non prohibentur, dicetur infra, de iudic., at si clerici.

X 1.30 DE OFFICIO LEGATI

X 1.30.01 *Cum non ignoretis*

Per appellationem
Sunt tamen alii casus quibus archiepiscopus potest iudicare de subditis suffraganeorum, qui notantur infra, de offi. ord., pastoralis.

Legationis tamen obtentu
Ex hoc loco patet quam potestatem habeat legatus, quia de omnibus causis tam per appellationem quam per querimoniam potest cognoscere. Sed numquid posset deponere episcopum? Et dicendum quod non, cum hoc Papa sibi specialiter reservaverit, supra, de translat., cum ex illo; et supra, de translat., inter corporalia. Immo legatus missus de latere Papae, puta cardinalis, hoc facere non posset, nisi expresse contineretur in legatione sua, infra, de offi. legat., cum non ignoretis; et infra, de offi. legat., studuisti. Illa enim quae specialiter sibi reservavit Papa mandata iurisdictione generali non transferuntur, ff. de off. eius cui man. est iur., quaecumque § ulti. Multa enim sunt quae in generali mandato non intelliguntur nisi exprimantur, ff. de procur., Pomponius, in princ.; et ff. de procur., non solum, in fi.; et ff. de minor., illud § si talis; ff. de iureiuran., iusiurandum quod § procurator. Sed presbyterum posset deponere adiunctis sibi aliis episcopis, 15. q. 7, felix; et 15. q. 7, si autem. An possit absolvere illos qui in canonem inciderunt, habes infra, de offi. legat., excommunicatis. Item si quis appellerat ad Papam, posset ne illum compellere coram se litigare? Non, arg. infra, de appell., si duobus; quia quolibet omisso ad eum potest appellari, 2. q. 6, ideo. An indulgentiam possit facere, dicitur infra, de offi. legat., nemini.

Universas
Et ita potest audire causas quae moventur contra exemptos archiepiscopatus. Sed contra supra, de supp. neg. prael., sicut. Item arg. contra 25. q. 2, servatis, ubi dicit quod privilegia perpetua sunt. Sed hoc videtur derogare illis privilegiis. Dicas quod isti legati per suam legationem non possunt punire exemptos vel audire causas quae moventur contra eos, nisi velint respondere sub eis, et hoc de his quae in eorum privilegiis continentur. Et tota sua potestas consideranda est ex forma privilegii. Alii vero legati cardinales vel etiam alii qui mittuntur de latere domini Papae, habent maiorem iurisdictionem tam contra exemptos quam contra omnes alios, salvis his tantum quae sedi Apostolicae specialiter reservantur. Sed iste episcopus Cantuariensis et consimiles non habent talem potestatem. Arg. infra, de offi. legat., excommunicatis.

X 1.30.02 *Studuisti*

Ante cognitionem
Hoc intellige secundum illam decretalem, infra, de appell., ut debitus, ut notatur in glossula: sed numquid; infra, de appell., proposuit.

Mandatum
Simile supra, de rescript., sicut Romana; et supra, de rescript, pastoralis. Quid iuris sit super istis mandatis dictum est supra, de rescript., sicut Romana; et supra, de offi. deleg., ex parte N. Contra et illud solvitur supra, de rescript., sicut Romana.

Non potest
Non enim expirat iurisdictio minoris iudicis in praesentia maioris, 11. q. 1, pervenit; et 95. dist., ecce; C. de donation., in hac sacratissima. Immo specialis delegatus quantum ad causam illam maiorem generali delegato habet potestatem, arg. 93. dist., praecipimus; arg. infra, de offi. ord., pastoralis; vel saltem par est ei.

Mandatum speciale
Quia par in parem non habet potestatem nec revocare potest sententiam alterius, C. si adv. rem iudic., adversus sententiam; et ff. ad Trebel., ille a quo § tempestivum; et ff. de recepti., nam et magistratus; et supra, de elect., innotuit.

Confirmare valebit
Sed qualiter confirmabit istam sententiam nisi de ea cognoscat an sit iusta vel iniusta? Sed de illa cognoscere non potest, nisi specialiter ei committatur, ut superius dicit. Ergo illam confirmare non potest. Dicunt quidam, ut Ala. et Gott., quod de ea cognoscet. Et si eam invenerit iustam, confirmabit eam. Si vero iniustam, remittet illam ad superiorem. Simile C. ubi sen. vel clar., quotiens. Verius esse credo, quod nullam habeat super hac sententia cognitionem, nec debeat super hoc se intromittere, tamen ad mandatum illius qui tulit sententiam posset illam mandare executioni. Alias nullo modo se intromittat. Et quod dicit, confirmare valebit, refert se potius ad factum quam ad ius. Quia talis confirmatio nihil operatur. Vel in communi forma posset confirmare quae parum valet. Sed nec sic potest cum sit quantum ad hoc inferior. Sed numquid legatus tenetur ei obedire, ut ipsam sententiam mandet executioni? Non videtur, quia cum sit generalis legatus et ab eodem datus, maior est illo cui causa delegata est, et ille ei subest. In aliis satis crederem quod deberet illam mandare executioni, quia quantum ad istam causam maior videtur ipso legato, ut superius dixi, et debet super hoc supplicare, nec ipsum compellere, ut ipsam sententiam exequatur, quia forsan per alium non ita bene potest executioni mandari.

X 1.30.03 *Nisi specialis*

Specialis illa dilectio
Nota quod iudex ratione amicitiae potest remittere poenam, 50. dist., clerico; et 35. q. 9, veniam. Licet pretio non possit eam remittere, infra, de simon., nemo; et 1. q. 1, nullus, arg.

Poena docente
Quia qui stultus est in culpa, sapiens fit in poena, 38. dist., qui ea. Simile 27. q. 1, si homo esses.

Sanctionibus
79. dist., electionem; 7. q. 1, mutationes; supra, de translat., inter corporalia; et supra, de translat., cum ex illo.

Transferre
Haec enim generali mandato non transferuntur, quia sunt meri imperii, et specialiter sedi Apostolicae reservata, ff. de off. eius cui man. est iur., quaecumque; et supra, de translat., cum ex illo; et supra, de translat., licet; et supra, de translat., inter corporalia; et infra, de offi. legat., quod translationem.

X 1.30.04 *Quod translationem*

Reservata
Quaedam sunt quae sedes Apostolica sibi specialiter reservavit, ut est quaestio fidei, 24. q. 1, quotiens; et infra, de bapt. et eius effect., maiores. Item maiores ecclesias causas, translationes episcoporum, sedium mutationes, 7. q. 1, mutationes; supra, de translat., cum ex illo. Item depositiones episcoporum, cessiones eorundem, et translationes electorum, supra, de translat., inter corporalia. Item congregatio concilii generalis, 17. dist., synodum; depositio et restitutio episcoporum, et summa negotia ecclesia, 2. q. 6, ideo. Item exemptio episcoporum, 16. q. 1, frater noster. Item quaedam vota solus Papa commutat, infra, de voto et vot. redem., ex multa. Item solus Papa dispensat in maioribus criminibus, et cum filiis presbyterorum, et caeteris illegitime natis, ut promoveantur ad dignitates, infra, de iudic., at si clerici; et supra, de fil. presbyt., nimis. Item ad ipsum solum omissis mediis appellatur, 2. q. 6, omnis oppressus; et 2. q. 6, si quis vestrum; arg. 2. q. 7, metropolitanum. Et est arg. expressum quod appellatio omisso medio non tenet, infra, de appell., dilecti filii 3. Item subdiaconos facere potest diebus dominicis, supra, de temp. ord., subdiaconos; et supra, de temp. ord., de eo. Item primam vacantem dare non potest legatus, infra, de praeben., dilectus filius 1. Item non potest absolvere excommunicatos a delegato, supra, de offi. legat., studuisti; multo minus excommunicatos a Papa. Ista omnia quae sibi specialiter sedes Apostolica reservavit, in generali demandatione non transferuntur nisi specialiter de his contineatur ibidem, ut hic dicit. Ista enim sunt quasi meri imperii, ff. de iuris., imperium. Et ideo generali commissione non transferuntur, ff. de off. eius cui man. est iur., quaecumque. Et est simile quia licet paterfamilias liberam concedat filio administrationem, non potest tamen alienare, ff. quae in fraud. cred., si pater; ff. de pacti., contra iuris civilis § ulti. Item nec potest donare, ff. de donation., filiusfamilias; et in generali permissiones ea non veniunt quae specialiter quis non concederet, ff. de peculi., qui peculii. Item maiora non committuntur sine speciali mandato, ff. de procur., Pomponius; et ff. de procur., mandato. Sic eodem modo praetor missionem in possessionem ex secundo decreto sibi specialiter reservat, ff. de damn. infect., dies § 1; ff. de iuris., iubere cavere. Quae autem sibi specialiter non reservat, aliis indulgere videtur, infra, de sent. excom., nuper, arg. Sed numquid legatus talis missus a latere Papae potest iudicare de exemptis qui subsunt tantum domino Papae? Arg. quod non, 17. dist., huic. Arg. quod potest 16. q. 1, frater noster. Io. dicit quod non potest, et melius facit si abstineat; arg. inducit ff. de off. procon., nec quicquam. Ego credo quod potest cognoscere de causis quae contra ipsos moventur, non obstantibus privilegiis suis, quia per privilegia illa eximuntur solum a

iurisdictione episcoporum, in quorum territorio commorantur, sed a iurisdictione ipsius Papae vel legatorum non eximuntur. Et ita etiam videmus de facto servari. Et quia Papa eorum iudicia sibi specialiter non tantum reservavit, excommunicatos qui in canonem incidunt absolvere possunt legati ex officio legationis, ut hic, et infra, de sent. excom., ad eminentiam; et infra, de offi. legat., excommunicatis. Item solus princeps potest committere causam appellatione remota, ff. a quib. app. non lic., tractandum, in fi.; et supra, de offi. deleg., super quaestionum § nos autem.

X 1.30.05 *Licet*

Transtulerat
In hoc enim deliquit, quia translato negotio ad Papam, cognoscere quis non posset, ut 2. q. 1, nomen; et 3. q. 6, multum stupeo. Nam eo ipso quod iudex dicit se velle referre negotium ad superiorem, non potest ammodo cognoscere, C. de relat., si quis; et C. de appellat., ex illo. Et illico relationis exemplum litigatoribus edere tenetur, infra, de appell., intimasti; quod intelligitur si partes approbaverunt relationem. Sed si consentirent ut iterum cognoscere, ante factam relationem posset procedere, C. de relat., super delictis; et C. de relat., si quando.

Examinare
Videtur tamen quod posset examinare negotium non ut pronunciaret, sed ut causam magis instructam remitteret ad Papam, infra, de appell., constitutus; et 2. q. 1, nomen; et infra, de statu monach., ea quae, vers. haec eadem. Quod non credo, ex quo enim semel examinaverat, et examinationem direxerat ad superiorem, iam iudex esse desierat, ut infra sequitur. Et est simile supra, de postul. praelat., bonae 2; et quia de facto unius saepe quaerendum non est, ff. naut. caup. stab., licet, in fi.

A non suo iudice
C. si a non comp. iud., et in privatorum; et supra, de consuet., ad nostram; et infra, de iudic., at si clerici; et supra, de offi. deleg., cum super; et 11. q. 1, in clericorum.

X 1.30.06 *Dilectus filius*

Inconsulto
Sic infra, de iure patron., cum dilectus. Sed illud de laico intelligitur.

Plus iuris
Hoc ita intellige, plus iuris, id est, plenius est ius institutionis sive concessionis praelati quam ius praesentationis patroni. Unde ex sola praesentatione laici patroni non consequitur quis plenum ius, infra, de iure patron., pastoralis; et infra, de iure patron., cum autem. Quia potest patronus mutare voluntatem suam antequam episcopus confirmet praesentatum et alium praesentare, ut dicunt iura praedicta. Et ita non habet plenum ius, sed ex sola institutione seu concessione praelati quandoque plenum ius acquiritur instituto per praelatum, cessante praesentatione patroni, et infra quatuor menses tunc episcopus potest instituere, et ille habet plenum ius, infra, de iure patron., cum propter; et infra, de iure patron., quoniam. Econverso numquam per solam

praesentationem patroni laici ius plenum consequitur, nisi accedat confirmatio praelati. Laici patroni ideo dixi, quia si collegium vel ecclesiastica persona aliquem idoneum praesentat, ius ei acquiritur plenum, ut possit petere confirmationem tamquam sit esset electus, quia postea variare non possunt, infra, de iure patron., cum autem; et infra, de iure patron., pastoralis. Io. dixit et Laur. quod per praesentationem ius non acquiritur praesentato. Sed est falsum. Immo ius acquiritur praesentato in tantum, ut si praesentatur a collegio vel a persona ecclesiastica quod postea variare non possunt, ut dictum est. Et si a laico patrono praesentetur, ius acquiritur in tantum quod si non mutet voluntatem potest petere confirmationem ab episcopo, infra, de re iudic., cum Bertholdus. Et si episcopus non admittat, ille potest agere ad interesse contra episcopum, si postea alius praesentetur et admittatur ab episcopo, infra, de iure patron., pastoralis. Et ita semper ius acquiritur praesentato per factum patroni, quia potest petere confirmationem. Et sic est intelligendum quod dicit, plus iuris. Uterque habet ius, sed alter plus, quia plus confertur per praelatum quam per patronum.

In concessione

Sed certe haec ratio non videtur sufficiens, quia secundum hoc episcopus posset dare ecclesiam irrequisito patrono, quod esse non debet, 16. q. 7, decernimus. Ad hoc dixit Io. quod haec decretalis continet gratiam specialem, quia legatus non potest concedere praebendas vel ecclesias in praeiudicium aliorum, infra, de appell., dilecti filii 1; et infra, de praeben., dilectus filius 2; sicut illud continet gratiam quod legatus facit, infra, de concess. praeben., constitutus; quia solus princeps potest aliquem privare re sua, 9. q. 3, cuncta; et 9. q. 3, per principalem; et C. de quadrien. praescr., bene a Zenone. Hic conseuvit distingui, utrum ius patronatus pertinet alicui iure patrimonii sui, et tunc legatus non potest conferre ecclesiam eo invito, cum ei in hoc non subsit, quia tamquam laicus praesentat, infra, de iure patron., cum dilectus; arg. 16. q. 7, decernimus. Si vero pertinet patronatus ius alicui ratione ecclesiae, tunc legatus potest conferre ecclesiam etiam invito illo praelato sive patrono ad quem ratione ecclesiae pertinet ius patronatus, sive invito collegio ad quod pertinet illud, quia subsunt legato. Et ita loquitur quod dicit hic, quod archidiaconus iste ratione archidiaconatus praesentabat. Unde legatus iste poterat ei praeiudicare et eo inconsulto ecclesiam conferre, sicut potest conferre beneficium vacans in ecclesia invitis canonicis et irrequisitis. Et hoc intellige de legato misso a latere domini Papae. Alii vero legati, sicut Eboracensis et Cantuariensis et consimiles, quam hoc habent ex privilegio, hoc non possunt. Unde tenet appellatio si hoc facere vellent, infra, de appell., dilecti filii 1. Et quod dixit Io. non est verum simpliciter de quolibet legato.

Nec praeiudicetur praelato

Vel patrono clerico, scilicet tenere dispensationem, et verum est in sequenti vacatione.

X 1.30.07 *Novit ille*

Terminos

Ex hoc videtur quod si legatus exivit provinciam ad quam destinatus est, quod ammodo nec excommunicare, nec absolvere, nec causas delegare possit in alli provincia. Et idem de aliis iudicibus ordinariis videtur, ff. de off. praes., praeses provinciae in suae

provinciae; et ff. de iuris., extra territorium. Videtur tamen quod possit absolvere aliquos dum est extra provinciam, quia ea quae spectant ad voluntariam iurisdictionem exequitur extra provinciam, ff. de off. procon., omnes proconsules. Ad hoc dicas quod nullus iudex potest excommunicare vel absolvere extra suam provinciam, nam excommunicatio fit cum causae cognitione, 2. q. 1, nemo. Sed ea quae causae cognitionem desiderant debent fieri iudice sedente pro tribunali, 2. q. 3, si quem § si quis; 3. q. 3, induciae § a iudice. Sed in aliena diocesi non potest sedere pro tribunali, nec aliud disponere, 9. q. 2, episcopum. Item nec absolvere potest, quia si posset absolvere per consequens et excommunicare, 21. dist., denique; arg. ff. de re iud., qui pro tribunali. Et quod tantum in sua diocesi habeat iurisdictionem, est arg. 11. q. 1, si quisquam; et 92. dist., si quis episcopus; et infra, de offi. legat., excommunicatis; de rescript., pastoralis, in fi.; arg. ff. de reb. auct. iud. poss., cum unus § penulti. Dicunt quidam quod possit extra sua diocesim excommunicare, arg. 11. q. 3, si episcopus; forte sicut Paulus excommunicavit Cerinthum absentem, 9. q. 3 § sed aliud est. Hoc tamen concedo quod extra provinciam existens possit delegare causam necessariam absentiae, ff. de off. procon., aliquando. Talis enim delegatio fit sine causae cognitione, licet qui delegat, imperet, arg. supra, de offi. deleg., pastoralis. Sed si ille nollet eam recipere, non posset excommunicare, arg. infra, de offi. ord., pastoralis. Item extra diocesim potest conferre beneficia, infra, de concess. praeben., post electionem, in parte decisa, infra, de appell., qua fronte. Io. Item potest quaeri, si excommunicavit aliquem dum erat in provincia, utrum possit eum absolvere postquam egressus est provinciam? Dicendum est quod non, quia exeundo provinciam privatus est dignitate, ff. de off. praes., praeses provinciae in suae provinciae. Et statim expirat iurisdictio, infra, de offi. legat., nemini.

X 1.30.08 *Volentes*

De latere nostro

Cum legatus de latere domini Papae sit maior, eo praesente, non exerceat minor officium suum, sed deferat illa tamquam maiori, 21. dist., denique; et infra, de privileg., antiqua § dominicae; et ff. de off. procon., proconsul portam. Et maior potestas ad obediendum proponitur minori, 8. dist., quae contra mores, in fi; et 11. q. 3, qui resistit. Et interim suspensum est officium eius, eo vero recedente resumit illud; arg. contra 95. dist., ecce; et 11. q. 1, pervenit; et C. de donation., in hac sacratissima.

X 1.30.09 *Excommunicatis*

Mittuntur

Ergo a contrario sensu, si missus sit a latere domini Papae potest absolvere omnes, sive de sua legatione sive non, quod verum est et in eundo et redeundo secundum quosdam. Ex officio enim legationis licet legatis de latere domini Papae missis, excommunicatos pro violenta manuum iniectione in ecclesiasticas personas absolvere, supra, de offi. legat., quod translationem; et infra, de sent. excom., ad eminentiam. Tales enim legati postquam egrediuntur urbem, quousque in urbem revertantur, beneficium absolutionis impendunt, et ita observant de facto. Et hoc introductum est in favorem animarum, ut periculum morae vitetur, arg. infra, de sent. excom., sacro. Et sic proconsul ubique insignia proconsularia habet, licet potestatem suam egressus urbem non exerceat, nisi in ea

provincia, quae ei decreta est, ff. de off. procon., proconsul ubique; et habent iurisdictionem, licet non contentiosam, ff. de off. procon., omnes proconsules. Ber.

Commissam
Per hoc quod dicit hic, patet quod maior est potestas legatorum, qui de latere domini Papae mittuntur, quam aliorum. Isti enim de quibus permittit, non possunt absolvere excommunicatos propter sacrilegam manuum iniectionem in ecclesiasticas personas, vel aliunde venientes vel extra suam provinciam existentes, quia nulla potestas est eis concessa extra illam provinciam, arg. ff. de iuris., extra territorium; et ff. de off. praes., praeses provinciae in suae provinciae; nisi eis amplius concedatur, ut dicit in fine. Sed illos de sua provincia absolvere possunt dum sunt in provincia, arg. a contrario sensu. De duplici genere legatorum fit mentio, et primo de his quibus ad tempus committitur officium legationis ratione personae, et non dignitatis, ut supra, de offi. legat., volentes; et infra, de accusat., cum dilecti; et infra, de praesump., mandata. Secundo de his qui ratione dignitatis habent huiusmodi legationis officium in sua provincia, supra, de offi. legat., cum non ignoretis; et infra, de appell., dilecti filii 1. Isti non mittuntur de latere Papae, unde minor est potestas eorum. Et isti non possunt absolvere excommunicatos etiam subditos nisi specialiter eis concedatur, ut dicit hic in fine. Illi vero qui mittuntur de latere domini Papae, quia et ipsi pars corporis eius esse intelliguntur, ut 6. q. 1, si quis cum militibus; C. ad leg. Iul. maiest., quisquis. Ex officio legationis omnia possunt, nisi illa quae specialiter sibi sedes Apostolica reservavit, supra, de offi. legat., quod translationem. Sed quos dicemus de latere domini Papae missos? An cardinales tantum, an alios etiam existentes in curia, ut puta capellanos, archiepiscopos, episcopos, pro suis negotiis in curia existentes? Sed videtur quod proprie dicantur de latere Papae cardinales, quia ad latus eius semper assistunt. Sed idem videtur de capellanis et aliis curialibus, quia et ipsi assistunt ei, licet non in secretis consiliis. Satis posset dici quod illi dicuntur missi de latere Papae, quos invenit existentes in curia sua, etiam si non sint cardinales, et illos transmittit specialiter ad alienam provinciam concedendo eis generalem legationem. Item qui potest ex officio suo absolvere, potest committere vices suas alii, cum viderit expedire, infra, de offi. ord., his quibus. Proprie dicuntur missi de latere domini Papae cardinales tantum, arg. infra, de sent. excom., ad eminentiam, quia ipsi pars corporis domini Papae dicuntur, ut dictum est supra. Et ideo istorum potestas latior est quam aliorum, quia et de sua et aliena provincia absolvere possunt in eundo et redeundo. Alii vero absolvere non possunt aliunde venientes, nisi amplius illis sit concessum, ut dicit in fine. Ad hoc nota quod ecclesiae Romanae legati quantumcumque plenam habeant legationem, non possunt ex officio legationis conferre beneficia, nisi specialiter eis fuerit concessum, vel nisi sint legati cardinales, qui ampliori debent praerogativa gaudere. Hoc totum statuitur in decretali Inno. iiii infra, de offi. legat., extravag. officii nostri debitum. Ber.

X 1.30.10 *Nemini*

Statuta
Sic patet quod statuta quae faciunt legati in provincia sibi concessa perpetua sunt servanda. Et si lata sunt sub anathemate, qui contra faciunt sunt excommunicati, infra, de loc. et cond., ex rescripto. Nam episcopi qui sunt minoris auctoritatis statuta in sua

diocesi facere possunt, infra, de maior. et obed., si quis. Item de remissionibus quas faciunt locis religiosis sive pontibus, quid dices? Numquid et illae sunt perpetue? Videtur quod non, quia praeses provinciae non potest interdicere alicui ultra tempus suum, uti arte sua, ff. de poe., imperator; ff. de postulan., puto § ulti. Sed verum est quod valent perpetuo sicut statuta. Licet enim administratio sit temporalis, illud quod factum est per eum perpetuum est. Unde qui facit contra incidit in poenam, si aliqua poena apposita est. Et perfectus praetorio ad tempus et in perpetuum potest prohibere alicui ne utatur advocatione, ff. de off. praef. urb., omnia § ulti.

Expiret
Et ita patet quod recedendo a provincia sua expirat iurisdictio, sicut per mortem expirat, supra, de offi. deleg., licet; et supra, de offi. deleg., gratum; quia per mortuo quantum ad hoc reputatur. Multis modis dicitur iurisdictio expirare, ut notatur supra, de offi. deleg., in litteris.

Citatio non praecessit
Ergo si citatio praecessit, valebit commissio post recessum. Sic per citationem perpetuatur iurisdictio. Sic supra, de offi. deleg., gratum; et supra, de offi. deleg., licet; et infra, de for. compet., proposuisti; sic infra, de appell., ut debitus; et sic supra, de rescript., capitulum, in quibus dicitur quod sola citatione sive conventione pervenitur iurisdictio aliorum.

X 1.31 DE OFFICIO IUDICIS ORDINARII

X 1.31.01 *Perniciosam*

Inquirere
Tunc, scilicet cum frequens et clamosa fama est contra subditum, quae obtinet vicem accusatoris, infra, de accusat., qualiter et quando 2; et infra, de simon., licet Heli. Et tunc possunt testes introducere contra illos, 11. q. 3, praecipue; etiam lite non contestata, infra, ut lite non cont., quoniam § sunt et alii.

Iudicare
Undecumque illi sint. Praeses enim provinciae purgare debet provinciam suam malis hominibus, nec distinguitur undecumque sint, ff. de off. praes., praeses provinciae in suae provinciae; et 6. q. 3, placuit; et C. ubi de crim. agi oport., authen. qua in provincia.

Secundum quod canones censent
Dicunt quod canones episcopi causas synodales inquirere debent, et testes maturiores in parochia constituere, ut causam synodalem ad episcopum deferant, 35. q. 6, episcopus in synodo. Ad episcopos enim pertinet inquirere de huiusmodi criminibus ecclesiasticis, de adulteriis, de consanguinitate inter virum et uxorem, et 35. q. 6, episcopus in synodo; et 35. q. 6, ab isto die; et 35. q. 6, multorum; et 35. q. 6, ab isto die in antea istam. Item de haeresi, infra, de haeret., excommunicamus itaque § adiicimus. Item crimen usurarum, sacrilegii, simoniae, et similia proprie spectant ad ecclesiasticum iudicem. Et de his principalibus inquirere debent episcopi et punire, et etiam de quocumque mortali peccato,

infra, de iudic., novit. Item ex eo quod dicit hic, inquirere, ulcisci, et punire secundum quod canones censent, est arg. quod iudex debet iudicare secundum allegata, et secundum canones et leges, et non secundum conscientiam, ut expresse dicitur 11. q. 3, summopere; et 3. q. 7, iudicet; et 6. q. 2, si tantum; et 6. q. 2, placuit; et infra, de offi. ord., si sacerdos; et C. de iud., rem non novam; et in Auth. de iudicib. § quia vero, coll. 6; et in Auth. de defensor. civit. § iusiurandum, coll. 3; et ff. de off. praes., illicitas § 1. Arg. contra infra quod potest iudicare secundum quod putat, ff. quis a quo appel., appellari; et ff. de recepti., qualem; et 11. q. 3, tunc vera est; et arg. 8. dist., qui contempta veritate. In hoc casu quando iudex aliud habet in conscientia, et aliter constat per probationes legitimas, dicunt quidam quod debet alii causam delegare, ff. de iuris., praetor. Alii dicunt et melius, quod licet iudex aliud habeat in conscientia sua quam constet per allegat, debet iudicare secundum quod facta est fides sibi in iudicio per iura primo dicta. Et non debet sequi conscientiam, quia non scit illa tamquam iudex, sed tamquam Deus, infra, de offi. ord., si sacerdos; et 6. q. 2, si tantum; et 6. q. 2, placuit. Nec peccat, nec dicitur facere contra conscientiam, et ita nec in condemnando nec in absolvendo sequatur conscientiam. Et quod ita sit procedendum patet, nam dominus omnia sciebat, et tamen nullum voluit condemnare nisi probationibus convinceretur, 2. q. 1, Deus omnipotens. Adverte tamen quod qui contra conscientiam iudicat, punitur secundum tenorem constitutionis Inno. iiii infra, de re iudic., extravag. cum aeterni.

Publicum convocent auxilium
Scilicet, iudicium saeculare. Sic 23. q. 5, principes; et 96. dist., cum ad verum. Utraque potestas per alteram adiuvatur, ut ibi dicitur, et infra, de offi. ord., quoniam. Et posset compelli ad hoc infra, de maledic., statuimus.

Praeiudicandum
Quia per hoc non acquiritur ius in praeiudicium ecclesiae, ut sua auctoritate posset in posterum attentare, nisi de mandato ecclesiae. Immo tenetur auxilium praestare ecclesiae et posset compelli ad hoc, 23. q. 5, administratores; et infra, de maledic., statuimus. Et est. arg. quod protestatio necessaria est quando aliqui advocantur ad ea in quibus ius non habent, 7. q. 1, pontifices; et 24. dist., presbyteri.

X 1.31.02 *Si sacerdos*

Pro certo
Quia forte vidit eum delinquentem, vel quia ipse idem ei confessus fuit, 22. q. 5, hoc videtur.

Nominatim
Arg. est hic quod aliquid licet in genere, quod in specie non licet. Simile 8. q. 1, quid autem; ff. de quaest., in criminibus § ad quaestionem; arg. supra, de offi. deleg., quoniam abbas; ff. de poe., moris § sunt autem, ad fi. Arg. contra 24. dist., quando; ff. si quis caut., sed et si § quaesitum; et infra, de appell., inter caetera; et C. de iure dom. imp., dominii. Solutio: quod licitum est in genere, licet in specie, et econverso, nisi descensus ad specialia vel generalitas occasionem mali inducat, ut patet per exempla in prima rubrica; et C. quae res pign. oblig. poss., pupillus; et ff. de pignorib., obligatione. Sed

singula exempla tam de prima regula quam secunda suum casum obtinent, ut patet in quacumque concordantia.

Confessus
Licet enim confessus sit in poenitentia, numquam tamen excommunicabit eum ipsum exprimendo, quia sic proderet peccatorem, quod esse non debet, de poen. dist. 6, placuit; et infra, de poenit. et remiss., omnis.

Nominatim
Id est, proprio nomine expresso non debet eum arguere vel excommunicare, sed in genere sic dicendo. Quicumque fecit tale factum sit excommunicatus, et perinde habetur ac si proprio nomine expresso esset excommunicatus quantum ad Deum, sed quartum ad ecclesiam non, quia non vitabitur ab ecclesia. Et est simile 11. q. 3, excellentissimus; et Inst. de exhered. lib. § masculos; et Inst. de exhered. lib. § nominatim; et ff. de lib. et post., nominatim.

Removere a communione
Simile 6. q. 2, si tantum; et 6. q. 2, placuit. Sed quid si episcopus dicat: excommunico unum de illis qui tale factum fecerunt? Videtur quod nullus sit excommunicatus, quia cum ex pluribus servis eiusdem nominis unus liber esse iussus est, neuter liber erit, ff. de manum. test., cum ex pluribus; ff. de testam. tut., duo sunt Titii. Et nominatim quis est excommunicandus, 24. q. 2, sane. Arg. infra quod uterque sit excommunicatus, ff. de adimen. leg., si quis § si duobus; et ff. de reb. dub., qui duos. Solutio: sed verum est quod neuter est excommunicatus, quia sententia incerta est, et ideo rei iudicatae auctoritatem non continet, sicut sententia quae certam quantitatem non continet, nulla est, C. de sent. quae sine cert. quant., haec sententia omnem; et C. de sent. quae sine cert. quant., haec sententia quae.

Admonere
In secreto, ne ingerat se communioni suae. Simile infra, de sent. excom., cum non ab homine, 1. resp. Sed publice non debet eum removere, sicut nec Christus Iudam removit, immo ei Eucharistiam dedit, de conse. dist. 2, cum omne; et de conse. dist. 2, si illud; et cum aliis ad praedicandum missit, 1. q. 1, sicut Christus.

X 1.31.03 *Cum ab ecclesiarum*

Ecclesiastica sententia
Sic ergo praelati isti possunt excommunicare, 16. q. 1, alia causa est. Et sic sunt iudices ordinarii, arg. infra, de excess. praelat., ad haec; et habent curam animarum, supra, de elect., cum in cunctis § inferiora. Sic et abbas potest excommunicare, et habet iurisdictionem, infra, de simon., sicut tuis; supra, de offi. deleg., P et G; et infra, de for. compet., significasti. Et hoc omnes concedunt, nisi consuetudo faceret contra tales, sed anathematizare non possunt, ut dicunt quidam, 16. q. 2, visis; et 24. q. 3, corripiantur. Et tu dicas quod non possunt anathematizare sive excommunicare, cum illa etiam solemnitate de qua traditur, 11. q. 3, debent. Et de illa excommunicatione intelliguntur praedicata capitula, 16. q. 2, visis; et 24. q. 3, corripiantur. Et quod hoc facere possunt

isti inferiores praelati, habes infra, de eo qui furt. ord. recep., veniens. Et quia hoc non est ordinis sed potius iurisdictionis, supra, de elect., transmissam. Et illud generaliter traditur, quod quilibet praelatus collegiatae ecclesiae, licet subsit episcopo, est tamen iudex ordinarius in plebe sua. Et habet iurisdictionem cognoscendi et excommunicandi, ut hic dicit, et in Auth. de defensor. civit. § nulla existente, coll. 3; et 15. q. 4, nullus episcoporum; et infra, de iudic., decernimus; arg. C. de iuris., extra territorium. Et illum dico praelatum hoc facere posse, et talem iurisdictionem habere qui est electus a collegio sive universitate, supra, de elect., nullus; et 93. dist., legimus. Et idem intelligo si praeficiatur collegio vel universitati ab eo qui habet administrationem cum iurisdictione, puta episcopo.

Rationabiliter
Quod semper praesumitur donec probetur contrarium, arg. supra, de renunciat., in praesentia; et infra, de re iudic., sicut. Et servanda est a subditis, sive si iusta sive non, 11. q. 3, sententia pastoris.

Non relaxes
Sed pone quod episcopus relaxet talem sententiam plebano irrequisito, nec aliqua satisfactione praemissa, numquid tenet absolutio? Utique, cum sit superior et ordinarius suae diocesis, 11. q. 1, de persona. Sed male facit, immo et si subditus conqueratur episcopo, debet illum remittere ad suum excommunicatorem absolvendum, infra, de offi. ord., ad reprimendam; secundum tenorem illius decretalis, nisi periculum esset in mora, infra, de sent. excom., sacro; et tunc recepto primo iuramento secundum formam ecclesiae, ut traditur in decretali infra, de sent. excom., sacro.

X 1.31.04 *Cum vos*

Personae
Hoc ideo dicit, quia persona ecclesiastica facilius cogitur, puta per suspensionem vel subtractionem beneficii, 74. dist., consuluit; ut sic fiant concordes.

Minus idoneae
Sic patet quod patronus laicus licet praesentet indignum, non est privatus nec privandus potestate praesentandi, sed in collegio seu ecclesiastica persona aliud est, quia si collegium eligat vel praesentet indignum, est ipso iure privatus, supra, de elect., cum in cunctis. Idem credo de clerico patrono, quod non parcitur ei si praesentet indignum, immo privatus est eodem modo, vel saltem privandus est, sicut vides in alio articulo, clericus patronus variare non potest, laicus potest antequam praesentatus sit confirmatus, infra, de iure patron., cum autem. Et haec potest esse ratio quare laico patrono dantur tantum quatuor menses a tempore vacationis, infra, de iure patron., cum propter. Collegio vero sive clericis dantur sex menses per illam constitutionem infra, de concess. praeben., nulla; quia laicus non privatur potestate praesentandi, licet indignum praesentet, clerici vero sic. Unde hic fit quaedam compensatio hinc inde, quia laici gravantur in tempore et relevantur in alio, quia non puniuntur, et quia clerici puniuntur eligendo vel praesentando indignum, relevantur in maiori tempor, et quia clerici magis debent esse discreti et scire iura. Ideo puniuntur si peccent in electionibus seu praesentationibus, et

clerici patroni eodem iure utuntur in praesentando quantum ad poenam, si delinquant sicut clerici eligendo, arg. praedicto capitulo infra, de iure patron., cum autem. Quidam tamen dicunt quod ad superiorem devolvitur provisio ecclesiae, cum laicus patronus praesentat indignum, in Auth. de sanct. episc. § si quis oratorii domum, coll. 9. Tamen iure nostro non cavetur hoc expresse, et ideo standum est canoni et non legi. Ber.

Causa
Puta, scandalum magnum, arg. infra, de iure patron., perlatum; et infra, de iure patron., quaecumque. Sed pro modico scandalo non dimittit episcopus ecclesiam ordinare, infra, de iure patron., quoniam; vel quia de iure patronatus vertitur quaestio inter episcopos et praesentatores.

Oeconomos
Hic constituitur oeconomus ad conservandum non ad agendum, 75. dist., quoniam. Quandoque etiam ad agendum constituitur, C. de episc. et cler., omnis § nihilominus; et infra, de iuram. calumn., imperatorum; et infra, de capell. monach., dilectus; et infra, de relig. dom., constitutus. Et hoc intellige cum de iure patronatus quaestio est inter patronos et episcopum, vel quando patroni non concordant de praesentanda persona, vel malum praesentant. Tunc debet episcopos statim ponere oeconomum, qui conservet bona ecclesiae. Si quaestio est de iure patronatus inter patronos, usque ad quatuor menses expectabit episcopus, illis elapsis ordinabit ecclesiam, salvo iure in posterum illi qui obtinebit, infra, de iure patron., quoniam; et infra, de iure patron., cum propter. Et ex hac littera notare debes quod patronus se intromittere non debet de rebus ecclesiae, nisi quo ad defensionem, 16. q. 7, decernimus; et 16. q. 7, filiis. Sed episcopus vel alius praelatus ad quem pertinet institutio debet habere custodiam illius ecclesiae vacantis.

Futuris personis
Nota bona ecclesiae conservanda in tempore successoris, 12. q. 2, hoc huius placiti; et 12. q. 2, caritatem; et 75. dist., quoniam; et 10. q. 2, si quis episcopus; nisi sint talia quae servando servari non possunt, C. de admin. tut., lex quae tutores, in fi.; et ff. de pet. hered., divus, in fi., 1. resp.; et 10. q. 2, si quis episcopus.

X 1.31.05 *Ex parte*

Redire
Ex eo quod isti compelluntur redire ad curiam, patet quod non sunt absoluti, quia talis absolutio per surreptionem veritatis obtenta non prodest, infra, de sent. excom., cum pro causa; et infra, de sent. excom., officii, in fi.; et litterae super hoc impetratae non tenent. Quidam dicunt quod si pro pluribus criminibus una tantum sententia aliquis sit excommunicatus, dum tamen aliquod eorum expresserit in absolutione, absolutus est, si de aliis postea conteratur, arg. de conse. dist. 4, tunc valere. Quod non credo verum, nisi de illo quod expresserit. Sed illa absolutio non prodest, cum adhuc sit ligatus pro alio crimine, et etiam extra ecclesiam, infra, de sent. excom., cum pro causa. Sed tunc demum valebit absolutio, cum ab alia excommunicatione fuerit absolutus, sicut si quis de uno peccato poenitentiam agat et non de alio, talis poenitentia non prodest quo ad vitam aeternam, nisi cum alterius criminis poenitentiam egerit, de poen. dist. 4 § sed his

auctoritatibus, in fi. Sed si pluribus sententiis ligatus est, oportet ut a qualibet absolvatur, et ultima confirmabit omnes praecedentes, quia tunc incipient valere, arg. ff. ad Trebel., explicito § sed et quotiens; sicut dicitur de poen. dist. 3 § poenitentia ergo, in fi.; infra, de poenit. et remiss., quod quidam; et ff. de servitu. rust. praed., per fundum. Et tot sunt necessariae absolutiones, quot fuerunt excommunicationes. Sic ff. de novi operis nunc., de pupillo § si in pluribus; et 2. q. 3, si quem § si praevaricator, vers. si plura crimina. Et talis semper est vitandus, quousque sit absolutus ab omnibus; vel si esset excommunicatus a pluribus, et omnes excommunicatores committerent vices suas uni, et ille absolvatur ab omnibus, una sententia expressa cuilibet excommunicationis causa absolutus erit. Et idem erit ac si singulariter absolveretur a qualibet. Et est simile de acceptilatione, quae capit plures obligationes, ff. de accep., si pluribus. Sed Inno. iiii non videtur velle solvere hanc quaestionem, infra, de sent. excom., officii. Sed quaeritur quare absolutus pro falsa causa non habetur pro absoluto, sicut pro falsa causa excommunicatus habetur pro excommunicato, saltem quo ad ecclesiam, ut 11. q. 3, sententia pastoris; et 11. q. 3, si quis a proprio. Resp.: utrobique consulitur animae, quia excommunicatio etsi sit iniusta non est contemnenda, ne ex ipso contemptum ligetur, 11. q. 3, si is qui § cum ergo, in fi. Et excommunicatio est medicina animae, infra, de sent. excom., extravag. cum medicinalis; si non contemnatur, 24. q. 3, notandum. Et potius ei obest qui iniuste excommunicat, quam excommunicato si non contemnit, 11. q. 3, illud. Alia ratio potest assignari, quare non prosit absolutio ex falsa causa, quia excommunicatus fuit pro certa causa, et omnis res per quascumque causas nascitur per easdem debet dissolvi, infra, de reg. iur., omnis. Sed de illa causa nulla est facta mentio, et ita illa remanet, ergo et eius effectus. Et sic remanet excommunicatio prima. Praeterea durante priore causa ex alia causa ex qua excommunicatus non fuit, absolvi non potuit, quia ab illo quod nil fuit, absolvi non potuit, et sic talis absolutio nulla. Ab illa vero non intendebat illum absolvere, et ab alia non potuit absolvi, arg. supra, de translat., inter corporalia; et supra, de offi. deleg., cum super; et ff. de hered. instit., quotiens. Arg. contra quod absolutio ex falsa causa teneat, infra, de cons. et affin., quia circa.

Purgationem

Et ita quod episcopus habet suspectos, potest compellere ad purgationem praestandam, ut hic dicit, dummodo publica laborent infamia, infra, de purg. can., nos inter; etsi sint infamati apud bonos et graves, infra, de purg. can., cum in iuventute; et non sit orta ab inimicis, 11. q. 3, in cunctis.

X 1.31.06 *Significavit*

Notantur

Quia noluerunt parere sententiae divortii latae propter consanguinitatem vel affinitatem, sed sic excommunicati impetrarunt litteras super revocatione sententiae, quae non transit in rem iudicatam, infra, de re iudic., lator; et infra, de re iudic., consanguinei. Hoc secundum unum casum. Sed glossae intelliguntur ante sententiam cum fuit appellatum. Secundum alium casum fuerunt excommunicati ante sententiam.

Pro eorum receptione
Hoc intelligendum est quando testes ad iudicem venire non possunt, quia sunt valetudinarii vel alio impedimento detenti, vel etiam sunt in honore constituti, infra, de testib., si qui; qui alias compellendi sunt venire, C. de testi., si quando; dummodo non per longum iter, ff. de testi., testium § ulti.

Effectum
Unde postulasti quid sit faciendum.

Desidia iudicis delegati
Et ita iudex ordinarius supplet desidiam delegati, sicut delegatus supplet ordinarii, supra, de offi. deleg., prudentiam § sexta; et infra, de for. compet., licet ex suscepto; et infra, de for. compet., ex tenore. Sed quod dicitur hic, scilicet, quod recidunt in iurisdictionem ordinariam, ex eo contingit quod non prosequuntur appellationem suam, et ne propter hoc remaneant in incestuosa coniunctione.

Revocare
Post admonitionem ipsis delegatis factam ut procedant, et ipsis coniugatis ut causam suam prosequantur. Et si postea malitiose versantur ne procedant, tunc reducat illos ordinarius in pristinam excommunicationis sententiam, arg. supra, de offi. deleg., prudentiam § sexta. Sed quantum expectabit? Certe modicum tempus dabitur, infra quod possit componere sarcinulas, et se parare ad causam, ff. ex quib. cau. maio., ab hostibus § sed quod simpliciter. Vel hoc intellige ad arbitrium boni viri, id est, iudicis, ff. de ver. oblig., continuus § cum ita.

In receptione
Per procuratorem, scilicet, cum sint illi excommunicati, arg. infra, de iudic., intelleximus. Vel etiam per seipsos possunt causam incipere, quia quodam modo rei sunt, et reus bene potest stare in iudicio excommunicatus, infra, de except., significaverunt; et infra, de except., venerabilem. Et prosequi appellationem suam ibi, sed postquam incoeperunt habere delegati legitimum progressum, ut hic dicit, poterunt absolvi. Est simile infra, de verb. sign., ex parte in Christo, ubi non absolvitur nisi quis primo satisfaciat, sed non statim absolvitur propter maximam suspicionem. Alias regulare est quod quilibet primo absolvatur, infra, de sent. excom., per tuas.

X 1.31.07 *Quanto devotio*

In claustro
16. q. 1, si cupis. Et sine quo vivere non potest, 16. q. 1, placuit.

Principum
Et si ibi in aliqua administratione caparentur, indignum est eis ab ecclesia subveniri per quos constat scandalum in ecclesia generali, infra, ne cler. vel mon. saecul. neg., sacerdotibus.

Inveneris
Per inquisitionem, infra, de simon., de regularibus; vel evidentia rei, infra, de cohab. cler. et mul., quaesitum; et infra, de cohab. cler. et mul., vestra.

Proprium
Quod nisi in morte resignaverit, in signum perditionis in sterquilinio cum eo subterretur, infra, de statu monach., monachi; et infra, de statu monach., cum ad monasterium.

Abbatis
18. q. 2, abbates.

Si praelati
Sic patet quod coerctio et correctio monachi primo loco spectat ad abbatem, infra, de appell., reprehensibilis, in fi.; et 24. q. 3, corripiantur. Hug. dicit quod si agatur in figura iudici solus episcopus cognoscere debet de eius causa. Secus si agatur secundum regulam claustralem, 11. q. 1, de persona; C. de patr. potest., si filius; et C. de emend. prop., in corrigendis. Sed probabilius videtur dicendum quod praelatus ecclesiae collegiatae habet iurisdictionem, ut 16. q. 5, si quis episcoporum; ut dictum est supra, de offi. ord., cum ab ecclesiarum. Et quod abbas sive prior possit excommunicare monachos suos est expressum infra, de maior. et obed., cum in ecclesiis; et infra, de simon., sicut tuis. In omnibus his potissime considerandas est consuetudo cuiuscumque ecclesiae, quae dat iurisdictionem, 9. q. 3, conquestus; C. de emancip. lib., si lex; et C. de emancip. lib., cum inspeximus. Hodie revocatio talium pertinet primo loco praesidentibus capitulis abbatum et priorum, infra, de regular., ne religiosi. Et ibi adiicitur poena, scilicet, excommunicationis.

Officii
Sic supra, de aetat. et qualit., quaeris; et 74. dist., consuluit.

X 1.31.08 *Ad reprimendam*

Malitiam
Simile 4. dist., factae sunt. Nam per leges nemo bene facere cogitur, sed male agere prohibetur, 23. q. 5, ad fidem; ut boni inter malos vivant quiete, 23. q. 5, non frustra. Et hoc solum bene agitur, ut vita hominum corrigatur, 23. q. 5, prodest.

In canonibus
Variae poenae in canonibus constitutae. Quaedam inducunt degradationem et detrusionem in monasterium, ut 50. dist., si episcopus. Quaedam depositionem tantummodo, 50. dist., si quis viduam. Quaedam suspensionem solummodo, 2. q. 5, si mala fama; et 2. q. 5, presbyter si a plebe; et 32. dist., nullus; et 32. dist., presbyter. Quaedam excommunicationem, 17. q. 4, si quis suadente. Quaedam privationem officii et beneficii perpetuo, 81. dist., si quis ammodo. Quaedam officii ad tempus, 82. dist., presbyter; simile 21. q. 2, placuit. Quaedam privationem beneficii tantum, 7. q. 1, si quis de ordine; et supra, de elect., cum in cunctis. Quaedam privationem tantum

communionis, 35. dist., an omnia; 55. dist., nullus. Et alias poenas habes 58. dist., sicut; et 18. dist., placuit.

Ab aliis
2. q. 6, qui se scit.

Vos ipsi
11. q. 6, curae.

Suspendatur
Hoc ideo dicit, quia sententia illa secum trahit executionem, infra, de appell., pastoralis § 1. Hinc est quod post decem dies non transit in rem iudicatam, quia quandoque potest peti absolutio. Unde si taceat quis per decem dies, non intelligitur acquievisse sententiae. Unde concedo quod post decem dies, vel quandocumque possit appellari a sententia excommunicationis ad metropolitanum, quantum ad hoc quod metropolitanus potest ipsum absolvere, praestita cautione, quod parebit mandato, super eo pro quo fuit excommunicatus coram excommunicatore. Sed hoc non videtur, quia ex quo non appellavit infra decem dies, postea non potest appellare, unde per appellationem non transfert querelam ad metropolitanum, sed per simplicem querelam posset conqueri etiam post decem dies.

Conquestus
Sicut potest conqueri de iniusta excommunicatione. Sic potest appellare quod est iniuste excommunicatus, et prosequi appellationem et litteras impetrare super hoc, infra, de except., cum inter; et infra, de except., venerabilem. Sed propter hoc excommunicatio non suspenditur, sed causa ad superiorem transfertur, si infra decem dies appellet et conveniatur super alia re potest se defendere, ut dicit decretalis praedicta. Et nota quod dicit, conquestus, quia si quis appellat excommunicatus, non debet remitti ad excommunicatorem, nisi velit ei facere gratiam, infra, de sent. excom., per tuas. Sed contra videtur, quia ipso facto videture appellasse, eo quod ivit ad metropolitanum, infra, de appell., dilecti filii 2; et infra, de appell., ut nostrum. Solutio: iter arreptum non habetur pro appellatione post sententiam, immo viva voce est statim appellandum; postmodum vero in scriptis, 2. q. 6, post appellationem § forma, in fi.; de appellat., sed si apud. Sed ante sententiam videtur appellare, qui ad curiam super hoc proficiscitur, ut dicunt contraria. Sed illud non habent locum iudicio coepto, quia qui appellat, causam rationabilem coram iudice exprimere debet, et propter illam appellare, infra, de appell., dilecto filio, in fi.; et infra, de appell., ut debitus, in fi. Hodie quicumque appellat in iudicio vel extra ab interlocutoria vel gravamine scriptis appellet, et causam appellationis exprimat, infra, de appell., extravag. cordi.

Fuisse
Hoc ideo dicit, quia semper praesumitur pro sententia iudicis ordinarii, infra, de probat., post cessionem; infra, de re iudic., sicut; et supra, de renunciat., in praesentia. Sed si obiiciatur contra sententiam ratione processus, oportet quod probetur processus, ad hoc ut stetur sententiae, infra, de probat., quoniam. Et ita stabitur sententiae, et praesumitur pro ea nisi infringatur ratione processus. Hinc etiam patet quod non praecipitur aliquid

absolute, nisi primo constet an iuste vel iniuste fuerit excommunicatus, infra, de restit. spol., litteras, in fi.; et infra, de sent. excom., sacro. Et hoc constabit partium assertione. Et recipientur probationes ab utraque parte, supra, de offi. deleg., cum contingat. Absolutio fieri debet secundum distinctionem decretalis infra, de verb. sign., ex parte in Christo. Item per tales probationes constabit, an alter alteri teneatur ad interesse, secundum quod traditur infra, de sent. excom., sacro; prout notatur supra, de offi. deleg., cum contingat. Ber.

X 1.31.09 *Duo simul*

Canonibus
9. q. 3, conquestus; 18. q. 2, hoc tantum; et 18. q. 2, servitium.

Patriarchas
Diversitas est in nomine, dignitas est eadem, 99. dist. § de primatibus; et 99. dist., provinciae; et 99. dist., nulli archiepiscopi primates.

Consuetudo
Rationabilis et praescripta, alias consuetudo non prodest, supra, de consuet., cum tanto. Et est arg. temporis diuturnitatem, et solutionem et obligationem inducere in futurum, arg. 16. q. 2, statuendum; et infra, de censib., ex parte; et infra, de censib., olim; et C. de agric. et cens., litibus, lib. 11. Arg. contra infra, de excess. praelat., cum ad quorundam; et 10. q. 3, quia cognovimus; et infra, de censib., pervenit. Solutio: qui est in possessione alicuius rei, in ea defendi debet, ut lite penden., quasi per totum; arg. supra, de elect., querelam, in fi.; et infra, de caus. poss. et propr., cum ecclesia; et ff. de aqua quot. et aest., si de via. Et est defendendus, nisi liqueat eum vi vel clam vel precario possidere. Et sic intelliguntur contraria. De hoc dixi supra, de consuet., cum tanto.

Nicaenas
65. dist., mos antiquus; et 65. dist., quoniam.

Privilegia
Privilegia ecclesiarum perpetuo sunt servanda, 25. q. 2, privilegia ecclesiarum et sacerdotum; 25. q. 2, privilegia ecclesiarum et monasterium; et 25. q. 2, in Galliarum. Sed personalia privilegia cum personis extinguuntur, 7. q. 1, petisti; et ff. de censi., aetatem, in fi.; et infra, de praesump., mandata; et supra, de offi. legat., volentes.

Ecclesiam
Sic 9. q. 3, conquestus.

Speciali privilegio
Arg. quod dominus Papa potest detrahere uni ecclesiae et alii conferre, quod quidem nullus dubitat, 16. q. 1, frater noster; 9. q. 3, nunc vero; et 9. q. 3, per principalem.

Voluerint
Maxime, et si nollent, compelli debent ab archiepiscopo, nisi ipse consentiret, infra, de for. compet., significasti.

Patriarchae
Hierosolymitani. Ber.

Ad eius
A gravamine vel a sententia, infra, de appell., cum in ecclesia.

X 1.31.10 *Quod sedem*

Committere
Certum est enim quod archiepiscopus potest mandare vices suas, et ille tenetur recipere et potest illum compellere, infra, de offi. ord., pastoralis. Et iussu archiepiscopi suffraganei illum consecrare debent, supra, de temp. ord., si archiepiscopus. Alias sine sui praesentia, episcopus non debet consecrare, 65. dist., non debet; et 65. dist., episcopus non est. Et episcopus sic consecratus debet visitare archiepiscopum infra duos menses. Et si non possit impeditus iusta de causa, hoc ei significetur, 65. dist., si quis in metropolitana. Item et ordinandus recipere consecrationem ab eo cui mandaverit, licet in hoc gravetur quod iudex superior hoc facit iure suo. Suffraganei vero ad mandatum illius, sic supra, de offi. deleg., super quaestionum § si vero duo. Archiepiscopus potest committere ea quae sunt iurisdictionis etiam illis qui eam non habent, infra, de offi. ord., pastoralis. Sed ea quae sunt ordinis vel consecrationis committere non potest his qui eam non habent, puta illis qui non sunt episcopi vel archiepiscopi, vel maiores, infra, de consecr. eccl. vel alt., aqua. Nec etiam talia dicuntur committi, sed cum mandat archiepiscopus suffraganeis ut hoc faciant, sola auctoritas eis deest et nihil committit eis archiepiscopus, nisi quia dat auctoritatem propter praelationem quam habet super illis. Et hoc patet ex eo quod quandoque episcopi invitantur ad haec facienda ab illis qui ea facere non possunt, ut puta capituli quandoque invitat alium episcopum ad consecrandum ecclesiam vel altare vel ad clericos ordinandos, 7. q. 1, pontifices. Item satis potest dici secundum canones, quod ea quae sunt meri imperii possunt delegari, ut deposito, 24. q. 4, illud; et 2. q. 7, sicut; licet secundum leges non possunt, nisi cum delegans non potest adesse, ff. de off. eius cui man. est iur., quaecumque.

Gratiae
Id est, si non sit excommunicatus vel suspensus vel schismaticus. Talis non potest ordinare vel ordinari, ut supra, de elect., quia diligentia; supra, de aetat. et qualit., cum bonae; et infra, de schismat., quod a praedecessore; et supra, de ordin. ab ep. qui ren. epi., cum clericis; et haereticus non sit, 9. q. 1, nos consecrationem; et 9. q. 1, excommunicati illicite. Huiusmodi enim personae non conferunt executionem. Ber.

X 1.31.11 *Pastoralis*

Invitum

Nota quod pinguius ius habet archiepiscopus in episcopis quam in eorum subditis, ut hic patet, et supra, de offi. ord., quanto, arg. Sed numquid idem iuris est in episcopo circa subditos suorum subditorum? Certe non, quia episcopus eis praeponeretur si voluerit per se cognoscere de causis subditorum, cum sit iudex ordinarius omnium de sua diocesi, 11. q. 1, de persona; et arg. ad hoc ff. de iud., iudicium; et 11. q. 3, qui resistit; et 8. dist., quae contra mores, in fi.; et 2. q. 1, nomen. Sed archiepiscopus non est iudex ordinarius totius provinciae nisi episcoporum tantum, nisi in casibus inferius notatis, ut dicit in fine. Et ita non est simile hoc secundum Hug. et Tanc. et Vincen. Io. dixit quod si tales praelati subditi episcoporum, vel ex electione vel ex longa consuetudine habent ordinariam iurisdictionem, episcopus non potest cognoscere de causis subditorum talium praelatorum, nisi per appellationem deferantur ad eum, ut infra, de excess. praelat., ad haec; et infra, de for. compet., cum contingat; et infra, de offi. ord., irrefragabili § 1; arg. ad hoc 18. q. 2, cognovimus; et infra, de appell., dilecti filii 3. Gradatim enim debet procedere in causa, ut 2. q. 6, anteriorum § illo procul dubio; et infra, de statu monach., in singulis; nisi in principe, 2. q. 6, arguta; et 2. q. 6, ideo; et infra, de appell., si duobus. Verius credo quod dicit Io. quod episcopi non possunt cognoscere de causis subditorum praelatorum suorum eis invitis. Sic enim posset eos privare omnia sua iurisdictione, quod non est verum, quia nimis esset iniquum, infra, de excess. praelat., ad haec. Immo debet sententias servare subditorum suorum, supra, de offi. ord., cum ab ecclesiarum, ubi notatur de iurisdictione episcoporum. Nam si sua unicuique iurisdictio non servatur, ecclesiasticus ordo confunditur, 11. q. 1, pervenit. Et tamen episcopus nihilominus est iudex ordinarius diocesis suae, quo ad multa alia quae patent per se. Episcopus tamen posset bene compellere subditos subditorum suorum, suscipere delegationem sibi ab ipso factam; secus in archiepiscopo, ut hic.

Exceptis quibusdam articulis

Est tamen iudex ordinarius totius provinciae, quia eius gerit sollicitudinem, 9. q. 3, per singulas provincias oportet; et 9. q. 3, per singulas provincias episcopos. Nec ideo sequitur quod cuiuslibet de provincia. Vel potest dici quod habet iurisdictionem super quemlibet, sed impeditam et ligatam. Ex quo non habet nisi in quibusdam articulis, arg. supra, de rescript., pastoralis § ulti., in fi.; et supra, de cleri. peregri., tuae fraternitatis; et hoc secundum Laur. Tanc. dicit quod non est iudex ordinarius, nisi in casibus specialibus. Primo cum deviat in divinis officiis a consuetudine metropolitanae ecclesiae, 12. dist., de his. Item si deliquit in eius diocesi, ut 6. q. 3, placuit. In hoc casu efficitur aliquis de iurisdictione cuiuslibet alterius. Item si habet praedium in diocesi sua, ut infra, de for. compet., licet ratione. Et iste casus pertinet etiam ad quemcumque alium. Item si causa deferatur ad eum per appellationem, supra, de offi. legat., cum non ignoretis; et supra, de offi. ord., duo; et 11. q. 1, pervenit. Item cum absolutus ab archiepiscopo non vult patere episcopo, supra, de offi. ord., ad reprimendam. Item si criminalis est causa inter episcopum et clericum suum. Tunc illa causa debet deduci ad synodum, in qua praeest archiepiscoous, 6. q. 2, episcopus si clerico. Item si clericus habet civilem causam contra episcopum suum, 11. q. 1, si clericus; etsi episcopus contra clericum, coram arbitris terminetur, ut in capitulo clericus. Item in alio casu infra, de offi. ord., irrefragabili; sed ibi dicitur quod tamquam delegatus a Papa. Item quando episcopus negligens est in eo quod ipse facere debet, 9. q. 3, cum simus; et infra, de sent. excom.,

per tuas; et infra, de appell., qua fronte. Item mortuo episcopo et ecclesia idoneos clericos non habet, 12. q. 2, non liceat. Item cum evidens est sententiam episcopi esse iniustam, infra, de appell., sollicitudinem. Item cum visitat provinciam, infra, de praescrip., cum ex officii; et infra, de censib., sopitae; et infra, de censib., cum nuper.

Nullam habeat potestatem
Si nullam habet iurisdictionem vel potestatem in eum, ergo talis delegatio non videtur valere. Et sic sententia eius nulla, arg. C. qui pro sua iur. iud., in causarum? Resp.: licet in clericum illum cui committit causam non habet potestatem, tamen in causa quae ad eum per appellationem delata est, habet potestatem. Et ita causam ad suam iurisdictionem pertinentem delegat, et ille bene recipit iurisdictionem si vult illam recipere. Sed si non vult illam recipere, potest partes compellere ut consentiant in aliquem vel aliquos. Et potest mandare episcopo ut compellat illum recipere commissionem, quod facere potest licet sit appellatum ab eo, arg. infra, de for. compet., si quis contra; et supra, de offi. deleg., suspicionis § ulti.; et infra, de appell., cum speciali.

Alicui
Scilicet, ordinario.

Maior
Supra, de offi. deleg., sane quia.

Sine mandato
C. si adv. rem iudic., adversus; ff. de minor., minor magistratus; et 21. dist., inferior.

Praeterquam mortis articulo
Quo casu de quolibet genere excommunicationis et a quolibet etiam laico potest absolvi, arg. 17. q. 4, si quis suadente; et infra, de sent. excom., quod de his; arg. ad hoc de conse. dist. 4, sanctum est baptisma. Sed numquid in obsidione positum vel transfretare volentem, licet absolvere? Vincen. dixit quod sic, quia iam imminet periculum mortis. Sed hic videndum est an immineat naufragium, vel periculum mortis. Non enim intrando mare semper imminet naufragium. Quod si esset, nullus transfretaret. Sed cum sunt in naufragio in periculo mortis, tunc satis potest dici quod liceat, vel si intret bellum campestre contra Sarracenos, vel alias iniustum, et manifestum appareat periculum mortis, licet absolvere etiam laico; arg. praedicto capitulo de conse. dist. 4, sanctum est baptisma. Quidam dicunt contrarium, quod numquam licet laico absolvere a tali excommunicatione, quia potest ei succurri post mortem, cum constet per aliquem de confessione per evidentia signa, infra, de sent. excom., a nobis est. Sed hoc non posset ita locum habere in naufragio, si omnes submergerentur, quia tunc commune est periculum, omnium de nave. Vel dic quod laico potest quis confiteri in necessitate, sed laicus non potest ipsum absolvere vel ligare, quia non habet claves ecclesiae, supra, de summ. trin. et fid. cath., firmiter § una.

Succedat
Supra, de offi. deleg., quoniam abbas; et infra, de immun. eccl., adversus. Quia cum in locum et eius ius succedat partibus eius fungi debet, ff. de iud., mortuo; ff. de edend., quaedam § nil interest.

Pontificem
Vel per eius delegatum specialiter ad illam causam destinatum, infra, de eo qui mitt. in poss. caus., cum sicut.

Possessor
Ex hoc videtur quod quis sit verus possessor post annum, et non ante, ff. de acq. poss., possideri § ulti. Item videtur quod ad hoc ut aliquis dicatur verus possessor, non sit necessarium secundum decretum, infra, ut lite non cont., quoniam § in aliis. Arg. contra infra, de eo qui mitt. in poss. caus., constitutis; et ff. de acq. poss., possideri § ulti., in fi.; et ff. de damn. infect., si finita § si quis autem; et ff. de damn. infect., si finita § non autem statim; et ff. de damn. infect., si finita § Iulianus; quae concordantiae loquuntur in actione personali. Et hoc dicitur infra, de dolo et contu., contingit.

Publicis
C. de annal. except., ut perfectius; et 15. q. 3, placuit § is autem; et C. de episcopal. aud., sancimus; et infra, de appell., si iustus.

Annalem
Sed usque ad quod tempus poterit postea petere rem sibi restitui sive recipere possessionem? Dic quod usque ad quadraginta annos secundum iura canonica, vel secundum leges usque ad triginta annos, quia sola litis contestatio perpetuat actiones usque ad quadraginta annos, ut C. de praescri. trig. vel quad. ann., cum notissimi; et 16. q. 3, placuit ut § potest. Sed numquid secundum iura canonica poterit talis praescribere, ex quo habet iam, vel debet habere conscientiam rei alienae? Secundum iura civilia talis bene usucapit, licet sciat rem alienam, ff. de noxal. act., et generaliter. Credo tamen quod si aliter non habeat conscientiam laesam, nisi quod res fuit deducta in iudicium, cum habeat titulum, id est, auctoritatem iudicis, bene praescribit. Ex hoc enim quod res fuit deducta in iudicium per ipsum, eam petendo, praesumitur habere bonam fidem, et praecipue, quia quando fuit ei tradita possessio, debuit iurare de calumnia, quia aliter non datur possessio, etiam causa rei servandae, nisi negotio summatim examinato, infra, ut lite non cont., quoniam § quod si; et ita bene potest praescribere. De hac materia tractatur infra, de praescrip., quoniam. Et sicut interrumpitur annalis praescriptio in possessione, ut post annum recuperet possessionem, sic et in excommunicatione, ut si non potest invenire suum excommunicatorem infra annum, post annum non perdet causam, 11. q. 3, rursus.

Ac praestare
Ecce consilium iuris et utile. Simile consilium dat tibi lex, ff. de rei vend., is qui destinaverit. Sic et in stipulatione illa quanti ea res, commodius est certam summam adiicere in qua difficile est probare quanti ea res est, ff. de praet. stipul., in eiusmodi. Simile consilium, infra, de appell., si iustus. Et nota quod dicit offerre ac praestare, quia

oblatio sola non sufficit nisi factum sequatur, infra, de eo qui mitt. in poss. caus., si adversarius. Et hoc intellige si illi volunt recipere, alias non noceret, infra, de eo qui mitt. in poss. caus., cum sicut. Sicut non sufficit offerre pecuniam ad interrumpendum cursum usurarum, nisi deponatur in aede sacra, C. de usuri., acceptam.

X 1.31.12 *Licet in corrigendis*

Interclusum
Infra, de appell., ad nostram; et infra, de appell., reprehensibilis, in fi.; et infra, de appell., cum speciali, in fi. Nec obstat infra, de purg. can., nos inter. Quia non loquitur de correctione, sed de expurgatione. Et haec vera sunt, nisi corrigens modum excedat, 2. q. 6, ei qui § ab excutore, sub illo § sunt quorum; infra, de sent. excom., universitatis. Et hoc intellige de notoriis excessibus, in quibus non admittitur appellatio, infra, de appell., cum sit Romana, in fi. Ber.

Saeculares
Clerici ideo dicuntur saeculares, quia ad modum etiam laicorum, qui vere saeculares dicuntur, possunt proprium habere, et inde facere pro sua voluntate, secundum quod habes infra, de testamen., quasi per totum.

Nec esse debuit
Ne inde nascuntur iniuria unde iura nascuntur, C. und. vi, meminerint; et infra, de accusat., qualiter et quando 1; et supra, de consuet., cum olim; et infra, de censib., cum olim. Item per hoc non intendebat alii praeiudicare; simile supra, de auctor. et usu pal., ex tuarum; et infra, de maior. et obed., cum inferior. Et sic videtur quod semper sit recurrendum ad intentionem scribentis; sic infra, de praeben., cum olim; et infra, de praeben., cum causam; et supra, de offi. deleg., super eo; et ff. ne quid in loc. pub., praetor ait § si quis a principe; et C. de emancip. lib., nec avus.

Tamquam delegato
Si enim tamquam delegatus cognosceret vel inquireret, ad dominum Papam tantum deberet appellari, supra, de offi. deleg., super quaestionum § porro.

Appellare
Puta quia volebat inquirere super quo non praecesserat infamatio, infra, de accusat., cum oporteat. Vel quis admittit testes conspiratores, infra, de re iudic., cum I et A; et infra, de simon., licet Heli; et infra, de simon., per tuas 1. Vel si non citat illum contra quem inquiritur, infra, de accusat., qualiter et quando 2 § debet. Vel in aliquo excederet formam inquisitionis, infra, de offi. ord., irrefragabili, circa princ.; infra, de accusat., inquisitionis.

Mandati
Quo non delegatum constituit, sed ut ordinarium instruxit, quia per tale mandatum non posset procedere ut delegatus, cum ex eo non habeat delegatam iurisdictionem, infra, de offi. ord., grave, ubi simile est mandatum.

Appellari valeat
Et ita potest appellari in inquisitione sicut in correctione a gravamine, scilicet, cum modus exceditur, infra, de sent. excom., universitatis; infra, de appell., de priore; et infra, de offi. ord., irrefragabili, circa princ.

X 1.31.13 *Irrefragabili*

Ne sanguis eorum
Durum verbum est istud pro praelatis negligentibus subditos corrigere. Simile infra, de regular., ne religiosi; et infra, de statu monach., cum ad monasterium; et infra, de accusat., qualiter et quando 2 § penulti. Nec admittitur pastoris excusatio si lupus oves comedit et pastor nescit, infra, de re iudic., quamvis. Et eo ipso quod praelatus tacet, consentit, 43. dist., sit rector. Et ex eo permittitur securitas delinquendi, 83. dist., error. Et facilitas veniae incentivum tribuit delinquendi, 23. q. 4, est iniusta. Ne ergo subditorum sanguis de praelatorum manibus requiratur, sequantur Paulum dicentem: mundae sunt manus meae a sanguine omnium vestrum, 43. dist., Ephesiis.

Nulla consuetudo
Quia non praescribitur contra episcopum in talibus, infra, de praescrip., cum ex officii. Et contra obedientiam similiter non currit praescriptio, infra, de praescrip., cum non liceat. Tamen in praeiudicium archidiaconi iurisdictionem exercere non debet, infra, de excess. praelat., ad haec; nisi ille esset negligens, ut hic dicit de capitulo. Tunc enim posset.

Vel appellatio
Quia a correctione non appellatur, infra, de appell., reprehensibilis, in fi.; et infra, de appell., cum speciali, in fi.; et infra, de appell., ad nostram; nisi modum excedat, ut hic dicit. De hoc dictum est supra, de offi. ord., licet.

Per capitulum
Vel per decanum, vel per alium praelatum de capitulo si consuetudo est; arg. infra, de appell., dilectis filiis. De iure communi de causa criminali cognoscere debet episcopus qui solus ordinarius est, 11. q. 1, de persona. Et hoc quod dicit hic de consuetudine est, unde dicit, consueverunt. Sed numquid in illo casu quilibet de capitulo erit iudex canonici illius contra quem inquiritur? Non videtur, cum quilibet eorum sit par ei, vel forte minor illo. Dicas quod non, sed quilibet est iudex, sicut est in pluribus delegatis, supra, de offi. deleg., uno delegatorum. Sicut est in electionibus, supra, de elect., quia propter. Sed quomodo devolvitur potestas iudicandi de capitulo ad episcopum, cum episcopus sit de ipso capitulo tamquam caput, infra, de his quae fi. a prael., novit; et infra, de his quae fi. a prael., quanto; et infra, de verb. sign., cum clerici? Praeterea cum episcopus sit de capitulo tamquam caput, ut dictum est, si omnes negligentes sunt, ergo ad ipsum episcopum non devolvitur potestas, immo ad metropolitanum si non omnes sint negligentes. Ergo apud illos tantum remanebit illa potestas, sicut in paucis remanet ius eligendi propter vitium aliorum, supra, de elect., bonae 1; et supra, de elect., congregato. Praeterea si devolvitur potestas ad episcopum, ergo videtur quod ille solus possit cognoscere de causis criminalibus aliorum, quod est contra illud, 15. q. 7, episcopus

nullius; et 86. dist., si quid vero; et infra, de accusat., qualiter et quando 2. Eadem est quaestio qualiter devolvatur electio a capitulo ad episcopum. Io. dicebat quod ubicumque est episcopus de capitulo, et ipse cum aliis est negligens, devolvitur ius eligendi vel corrigendi ad metropolitanum quandoque non est de capitulo, et tunc devolvitur potestas de capitulo ad episcopum, infra, de concess. praeben., postulastis. Ego dico quod epsicopus semper est in capitulo tamquam caput, et alii tamquam membra. Et dico quod de iure communi ius eligendi simul pertinet ad capitulum et episcopum. De hoc dixi supra, de elect., cum ecclesia; nisi consuetudo in contrarium, videlicet, quod solus episcopus quandoque confert beneficia, quandoque capitulum in ecclesia sua, et secundum hoc transfertur ius eligendi de uno ad alium. Si vero ius commune in ecclesia servatur, tunc transfertur ius illorum ad archiepiscopum, et sic intelliguntur omnia iura quae faciunt mentionem de tali translatione. Nec videtur rationem habere quod dicit Io. quod episcopus quandoque de tali capitulo sit, quandoque non. Quandoque tamen episcopus interest electionibus non tamquam episcopus, sed tamquam canonicus. Et est specialis consuetudo in quibusdam ecclesiis in quibus episcopus retinet ius canoniae, et praeter redditus suos percipit aliquid de capitulo, et tunc est in electionibus tamquam canonicus. Et sic intelligitur illa decretalis infra, de concess. praeben., postulastis. Et tunc similiter transfertur potestas ad ipsum episcopum nisi malitiam adhibeat, ut dicit ibi. Hoc est verum circa collationem beneficiorum, sed cum episcopus est negligens in correctione subditorum, non devolvitur ius corrigendi vel puniendi ad capitulum, sed potius ad archiepiscopum, 9. q. 3, cum simus. Quia iurisdictio talis principaliter spectat ad episcopus, licet de consilio eorum et in eorum praesentia debeat hoc facere, 15. q. 7, episcopus nullius; et 86. dist., si quid vero. Sed cum ius corrigendi pertinet ad capitulum in ecclesia cathedrali de consuetudine, ut hic dicit. Cum ipsi de capitulo sunt negligentes, ius transfertur ad episcopum, ut hic habes expresse, et episcopus postea nihilominus de consilio eorundem debet corrigere. Quia licet perdiderint ius corrigendi, non perdiderunt ius commune, quo debent cum episcopo in talibus interesse; simile supra, de elect., ne pro defectu; quia licet perdant per negligentiam ius eligendi active, non tamen perdunt passive, supra, de elect., ne pro defectu. Et si omnes in causa correctionis, tunc non procederet episcopus cum eis. Ber.

Cessaverint a divinis

Videtur quod soli canonici possunt subiicere ecclesiam interdicto cum subest causa, cum etiam solus decanus hoc possit, infra, de appell., dilectis filiis. Et sic est contra, infra, de his quae fi. a maior. par. cap., quaesivit, ubi dicitur quod requiritur consensus episcopi et canonicorum. Item videtur quod capitulum non possit suspendere ecclesiam, quia sic seipsos supponerent interdicto, quod esse non potest, quod quis suspendat seipsum, quia in proprio facto iudices esse non possunt, nec possunt sibi dicere legem, nec sibi possunt imperare, 21. dist., nunc autem; et ff. de recepti., si de re; quod concedit Io. Sed contra credo, si capitulum de consuetudine hoc habet, bene potest ecclesiam supponere interdicto. Nec dicuntur seipsos suspendere vel interdicere. Sed ecclesiam interdicunt, ut divinum officium non fiat in ecclesia propter delictum alicuius seu aliquorum, et in alia ecclesia ipsi celebrent, quia seipsos non interdicunt, nec episcopus eadem ratione posset interdicere ecclesiam suam cathedralem, quia interdiceret seipsum. Sed potest sicut hoc saepe contingit de facto, saepe enim propter factum civium interdicit ecclesiam, et episcopus cessat ibi a divinis, sed in aliis ecclesiis non cessat.

Super hoc delegatus
Sic infra, de haeret., ad abolendam, in fi. Et dic delegatus datus, non enim posset dici illa iurisdictio delegata, cum non expirat morte delegantis re integra, nec etiam expirat tempore. Est ergo ordinaria vel quasi auctoritate huius canonis archiepiscopo concessa a sede Apostolica; simile supra, de translat., inter corporalia, vers. qui ut hoc possent ex canone, etc. Et est specialis casus in quo metropolitanus habet iurisdictionem in subditos suorum suffraganeorum. Sed quare episcopus non corrigit excessus istorum in casu isto sicut in aliis, ut supra dicitur? Ratio reddi potest, quia cum iste excessus sit in persona episcopi commissus, sive in odium suum, ei facta est iniuria, et nemo iniuriam propriam vindicare debet auctoritate propria, 23. q. 4, inter querelas; et 23. q. 5, de occidendis. Et iudex de facto suo esse non debet, 4. q. 4, nullus umquam. Io. assignavit aliam rationem, scilicet, quod episcopus solus non possit punire aliquos, sed cum canonicis ecclesiae, 15. q. 7, episcopus nullius; et 86. dist., si quid vero. Et sic sequeretur quod ipsi canonici essent rei et iudices. Haec non videtur ratio sufficiens, quia si canonici alias excederent omnes, episcopus bene potest per se corrigere et punire illos, et sibi imputent, quia per delictum suum privati sunt illo iure tunc; simile infra, de verb. sign., abbate, in fi. Si episcopus solus non posset corrigere illos cum omnes excedunt, iam viderentur habere privilegium delinquendi, et sic remanerent in delicto suo, quod absurdum esset. Sed quare non tractatur causa ista coram arbitris, cum canon dicat quod si episcopus habeat causam cum clerico suo, coram arbitris debet tractari, 11. q. 1, si clericus adversus. Sed illud capitulum loquitur de civilibus causis. Sed in casu illius capituli, si clericus nollet eligere communiter arbitros, quis compellet ipsum? Episcopus non, quia non est iudex in causa sua, archiepiscopus non, quia non habet iurisdictionem in eum, nisi in certis casibus, supra, de offi. ord., pastoralis. Et iste non est de illis, quid erit? Credo quod licet causa sit episcopi, ipse episcopus potest illum compellere ut arbitros eligere cum eo, infra, de appell., secundo § 1; et infra, de appell., cum speciali; et supra, de offi. deleg., suspicionis § 1. Sed in casu istius capituli ideo non eliguntur arbitri, quia sic placuit Papae, ut dicit Io. Immo ratio alia melior potest assignari, hic enim in iniuriam et contemptum episcopi suspenditur ecclesia. Et sic est causa criminalis, quia hic agit episcopus de iniuria sibi irrogata, et de causa criminali arbitri cognoscere non possunt, nec de liberali vel matrimoniali, infra, de in integ. restit., causa § ulti.; ff. de recepti., non distinguemus § Iulianus; et ff. de recepti., non distinguemus § de liberali.

Metu poenae
Sic enim ferro abscindenda sunt vulnera, quae fomentorum non sentiunt disciplinam, 82. dist., plurimos, in fi.; et 16. q. 1, in canonibus; et supra, de elect., cum in cunctis § ulti. Et ut alii etiam poenam similem pertimescant et terreantur, ff. de poe., capitalium § famosas; et 2. q. 7, quapropter; et infra, de statu monach., ea quae § 1. Iuxta illud Horatii in epistolis: oderunt peccare boni virtutis // oderunt peccare mali formidine poenae.

X 1.31.14 *Quoniam*

Provideant
Suis expensis, infra, de offi. ord., conquerente.

Monstrum
ff. de statu hom., non sunt liberi; simile C. de post. hered. inst., quod certatum, in fi.; et ff. de ver. sig., quaeret aliquis. Quia unus tantum debet esse imperator, et singuli episcopi per singulas diocesis, 7. q. 1, in apibus.

Necessitas
Dispensative dictum est hoc propter necessitatem, ut haec littera probat; et 7. q. 1, non autem; supra, de renunciat., ad supplicationem. Et iste pontifex subiectus est diocesano ratione officii quod exercet in eius diocesi tamquam vicarius, ut sequens littera dicit; secus in illa decretalis supra, de renunciat., ad supplicationem.

Vicarium
Et tamen habebit iste vicarius ordinariam iurisdictionem sive potestatem, supra, de offi. archidiac., ad haec; et 25. dist., perlectis, ubi archidiaconus est vicarius episcopi, et tamen iurisdictio sua ordinaria est perpetua. Sic videtur quod aliquis qui non est archiepiscopus potest habere suffraganeum. Sic etiam archiepiscopus quandoque est subditus episcopo, supra, de renunciat., ad supplicationem. Sed a quo consecrabitur iste episcopus? Resp.: a suo episcopo, non a metropolitano, cum ei non subsit, supra, de offi. ord., pastoralis; adiunctis sibi duobus vicinis episcopis, quia aliter consecrari non debet, 66. dist., porro; et supra, de temp. ord., si archiepiscopus; et supra, de temp. ord., ne episcopi. Et illi tenentur venire ad advocationem illius, quia sibi invicem consilium et auxilium exhibere tenentur, infra, de treug., treugas; et 11. q. 3, curae.

Cessare
Et ita est canon latae sententiae, sicut ille 17. q. 4, si quis suadente; sicut et ille supra, de elect., cum in cunctis; et supra, de elect., quisquis, ubi ipso iure sunt suspensi.

Brachio saeculari
Sic supra, de offi. ord., perniciosa; et 17. dist., nec licuit; et 23. q. 5, principes. Alias autem nisi clericus sit incorrigibilis, non est implorandum brachium saeculare. Et etiam depositum non potest laicus punire, nisi sit incorrigibilis, infra, de iudic., cum non ab homine; et 81. dist., dictum; nisi in crimine falsi, infra, de crim. falsi, ad falsariorum. Et ita ubicumque deficit ecclesiastica potestas, recurrendum est ad auxilium saeculare, 11. q. 1, petimus; et 23. q. 5, de liguribus. Et sic una potestas per aliam iuvatur, 96. dist., cum ad verum; et 96. dist., verum est; 1. q. 1, Bernardus.

X 1.31.15 *Inter caetera*

Per seipsos non sufficiunt
Et ideo cum aliis onera sua patiri debent, infra, de praesump., mandata; et supra, de offi. archipresb., ut singulae.

Praedicationis officium
Quod privilegium est, infra, de statu monach., quod Dei timorem. Nec tamen potest aliquis praedicare nisi mittatur auctoritate episcoporum vel Apostolicae sedis, infra, de haeret., excommunicamus itaque § quia vero.

Necessaria subministrent
Sicut legatus principis cum mittitur in provinciam, de rebus fisci vel imperatoris vivere debet, in Auth. ut nulli iudic. lic. hab. § nulli, coll. 9; et in Auth. de mandat. princip. § illud tamen, coll. 3; licet secus faciant legati domini Papae, infra, de praescrip., accedentes; et infra, de censib., cum instantia; et infra, de censib., procurationes.

X 1.31.16 *Conquerente*

Specificares
Per talem specificationem praecluditur via in posterum litigandi et lites diminuuntur, quod debet facere iudex, C. de iud., properandum; ff. si cert. pet., quidam; infra, de dolo et contu., finem; et infra, de dolo et contu., venerabilis; ut sciat quid debeat praestare reus et actor, ac recipere si obtineat, ne post sententiam alia contentio oriatur, arg. infra, de verb. sign., cum olim; et melius infra, de verb. sign., cum inter. Et iudex debet materiam discordiae amputare, in Auth. de mandat. princip. § demum, coll. 3; et in Auth. de mandat. princip. § si tibi quoque, coll. 3. Immo et iudex primo loco si potest partes ad concordiam revocabit, 90. dist., studendum; et 5. q. 2, si primates; et 23. q. 8, si quis membrorum; et infra, de transact., ex parte; et ff. de novi operis nunc., hoc edicto § cum potest. Sed videtur quod sufficeret dixisse: peto iura episcopalia in capellis, quia universalis petitio est illa, et in talibus non requiritur specificatio, sicut peto rationem administrationis, infra, de restit. spol., cum ad sedem; et infra, de dona., inter dilectos; et infra, de relig. dom., constitutus. Satis posset admitti talis libellus, cum proponatur pro universitate, nec compellitur quis specificare, nisi quis velit ad cautelam. Cum certum sit quae sunt iura episcopalia, sed valet etiam actori, ut sententia magis sit certa. Immo per hanc decretalem credo quod specificanda sunt iura episcopalia. Et si non specificentur in libello, intelligitur de his quae hic enumerantur per dominum Papam, et de his non poterit quaestio referri, cum sint expressa in iure. In aliis autem singularibus quaestio referri, cum sint expressa in iure. In aliis autem signularibus iudiciis specificatio fieri debet, infra, de libel. oblat., significantibus; et infra, de libel. oblat., dilecti, ubi de hoc.

Canonicam
Hic bene specificantur iura episcopalia, et est utile quod in sententia apponatur, ne aliqua postea dubitatio oriatur, arg. infra, de verb. sign., cum inter.

Iurisdictionem
Nam iudex ordinarius est episcopus in sua diocesi, tam monachorum quam aliorum, 11. q. 1, de persona.

Poenitentias
Publicas et aliorum criminum, infra, de excess. praelat., accedentibus.

Duos solidos
Duos solidos petere potest episcopus a qualibet ecclesia suae diocesis nomine cathedratici, praeterquam a monasteriis, 10. q. 3, inter caetera. Et appellatur cathedraticum quia pro honore cathedrae datur, 10. q. 3, placuit. Quandoque appellatur

synodaticum, quia in synodo datur, infra, de censib., olim. Et isti duo solidi dabuntur secundum aestimationem illius monetae, quae antiquitus et ab initio solvi consuevit, nisi circa solutionem minoris monetae quae modo est in usu sit praescriptum, ut in praedicta decretali infra, de censib., olim; sive sit maior moneta in usu, sive sit minor, infra, de censib., cum canonicis; et infra, de censib., olim.

Decimationum
Sed videtur quod perceptio decimarum de iure communi pertineat ad parochiales ecclesias tantum, infra, de decim., cum in tua; et supra, de offi. ord., inter caetera. Sed contra videtur infra, de decim., dudum, ubi episcopus petebat iure communi debitas sibi solvi, et obtinuit, et de hac quarta habes 10. q. 3, unio; et 12. q. 2, Vulteranae; et 12. q. 2, nobis; et 12. q. 2, concesso. Quid iuris sit de hoc dicetur infra, de decim., cum contingat. Hanc quartam de consuetudine episcopus percipiebat.

Mortuariorum
Quandoque tamen est tertia, quandoque quarta, quandoque medietas, infra, de sepult., certificari; et infra, de sepult., nos instituta; et infra, de sepult., relatum. Et dicitur mortuarium, quod quis relinquit pro anima sua in morte. De istis habes infra, de testamen., officii; et infra, de testamen., requisisti. Et hanc quartam percipiebat episcopus ex consuetudine. Et ideo super his duabus quartis necessaria fuit probatio, sed non super iuribus episcopalibus, quae ipso iure debebantur. Sed ista quarta mortuariorum potius pertinet ad ius episcopale, ut in praedicto capitulo infra, de testamen., officii; et infra, de testamen., requisisti.

Annuam
Sic semel tantum in anno potest episcopus visitare ecclesias, 10. q. 1, decrevimus; et 10. q. 1, episcopum; et 10. q. 1, placuit. Alibi dicitur quod bis in anno; infra, de censib., cum venerabilis; et infra, de haeret., excommunicamus itaque § adiicimus. Alibi etiam dicitur quod visitabit quotiens necessitas fuerit, 10. q. 1, regenda; 18. q. 2, non semel.

Visitandas
Hoc est ordinarium, ut semel tantum in anno visitet. Si tamen fuerit necessitas, potest pluries visitare, supra, de offi. archidiac., mandamus; quia necessitas legem non habet, de conse. dist. 1, sicut. Et sibi imputent clerici qui tales se reddunt ut totiens debeant visitari.

Facultatibus
Iuxta facultates faciendi sunt sumptus, infra, de censib., cum nuper; et infra, de censib., sopitae; ne longi temporis victum brevis hora consumat, infra, de censib., cum Apostolus; et ne ad exterminationem extremae virtutis ecclesiae perducantur, 10. q. 3, inter caetera; et 10. q. 3, illud.

Caeteris
Quia cum ipsi episcopo eodem communi iure cum aliis capellis subsint, eodem iure debent censeri, 12. q. 2, cognovimus; et infra, de decim., cum in tua. Et dignum est ut qui similem cum aliis suscipiunt vitam, similem sentiant in legibus disciplinam, infra, de

statu monach., recolentes. Quia nec debet aliis fieri remissio, aliis autem tribulatio, 25. q. 1, ideo § is ita, circa fi.

Lateranensis quarti concilii
Infra, de censib., cum Apostolus.

X 1.31.17 *Ut iuxta*

Saeculares
Quia etiam cohabitare et coniungi non possunt quibus studia sunt diversa, 16. q. 7, in nova; et oppido laici infesti sunt clericis; 2. q. 7, laicos; et sine strepitu iudicorum talia fieri debent, infra, de accusat., olim. Ad clericos saeculares tantum refertur quod dicit, saeculares, quia de laicis non est dubium, quia in talibus interesse non debent, vel de facto ducebant laicos.

Ecclesiae
Cum quibus hoc facere debet, 86. dist., si quid vero; 15. q. 7, episcopus nullius; infra, de accusat., qualiter et quando 2.

Habitu
Infra, de vit. et honest. cler., clerici officia; 21. q. 4, per totum.

Adiunctis
Qui sunt in huiusmodi officiis exercitati, infra, de statu monach., in singulis. Ber.

X 1.31.18 *Dilectus*

Ab antiquo
Dicebat abbas quod orta ecclesiastica quaestione inter homines ipsarum parochiarum, citatio pertinebant ad ipsum. Sed examinatio et decisio quaestionis ad episcopum Venetensem. Et ad ipsum communiter pertinebant, sed episcopus super his inquietabat abbatem et super emendis. Unde de communi consensu partium litterae fuerunt impetratae ad istos iudices.

De lege iurisdictionis
Nota hic differentiam inter legem iurisdictionis et legem diocesanam, in quibus legibus constitit totum ius et potestas episcoporum. Ad legem enim iurisdictionis pertinent ista de quibus hic contendebatur. Datio curae animarum, delictorum coerctio, ordinatio ecclesiarum, sive consecratio altarium et virginum, confectio chrismatis, et generaliter omnium sacramentorum et ordinum collatio, quae consistunt in dando et alia plura et similia quae enumerantur supra, de offi. ord., cum ab ecclesiarum; et supra, de offi. ord., conquerente. Et incipiunt ibi, habeas canonicam obedientiam, etc., usque ad verbum, synodum. In quo verbo incipit enumerare quaedam quae pertinent ad legem diocesanam. Ad legem vero diocesanam spectat vocatio ad synodum, et ad sepulturas mortuorum, cathedraticum, tertia vel quarta decimarum. De istis duabus quartis dic ut notatur supra, de offi. ord., conquerente, in notula quandoque hospitium, et consimilia quae consistunt

in recipiendo, quandoque tamen lex diocesana comprehendit legem iurisdictionis, infra, de praescrip., auditis; et supra, de offi. ord., conquerente. Dicas ergo quod omnia monasteria ipso iure in favorem religionis exempta sunt a lege diocesana, 10. q. 1, si ex laicis; et 10. q. 3, inter caetera; et 16. q. 1, cum pro utilitate; et 18. q. 2, quam sit; et 18. q. 2, servitium; et 16. q. 1, placuit. Ab huiusmodi superius enumeratis capitulis proximis ad legem diocesanam spectantibus libera sunt omnia monasteria, nec ad talia facienda cogi possunt, 18. q. 2, quam sit. A lege vero iurisdictionis non sunt exempta, nisi speciali privilegio sint munita, sed omnia monasteria sua in diocesi constituta, subsunt episcopo quo ad legem iurisdictionis, 18. q. 2, haec tantum monasteria; et 18. q. 2, cognovimus; 16. q. 1, interdicimus. Saeculares vero ecclesiae subsunt episcopo quantum ad utramque legem, 10. q. 1, de his; et 10. q. 1, antiquos. Praestant tamen monasteria episcopo servitium ex prima constitutione, 18. q. 2, Eleutherius. Et etiam ratione visitationis, infra, de praescrip., cum ex officii. Vel quod debetur ex consuetudine, 18. q. 2, servitium; et 1. q. 3, quaesitum, in fi. Capellae vero monasteriorum seu regularium subsunt episcopo quantum ad utramque legem, supra, de offi. ord., conquerente; 16. q. 2, sane; et infra, de privileg., cum et plantare § in ecclesiis; nisi pleno iure subsint monasteriis, infra, de privileg., quoniam. Capellae vero monasteriorum exemptorum subsunt episcopo, sicut et aliorum capellae, nisi exempta sint monasteria cum capellis suis, infra, de privileg., ex ore, in fi. Unde ratione capellarum ad synodum venire tenentur, ut ibi. Nam et abbas ad synodum venire tenetur, infra, de maior. et obed., quod super; et 18. q. 2, abbates. Et hoc intelligas de his qui populum habent, et sic non contradicit illa palea, 18. dist., episcopus non debet; et 18. q. 2 § canonica. Quare non contradicunt? Quia illa intelliguntur de his qui populum non habent. Sic ergo ex hac littera patet, quod sententia lata super his quae spectant ad legem diocesanam, non tangit ea quae pertinent ad legem iurisdictionis, et sic sententia lata pro uno, non obstat in alio, cum sint penitus diversa.

X 1.31.19 *Grave gerimus*

Litterarum

Arg. habes hic, per generale mandatum, posterius concessum, priori speciali, scilicet, privilegio exemptionis non derogatur, quia de illo in generali mentio non habetur. Item arg. quod commune ius non tollit privilegium. Item ecclesiae sunt exemptae a iurisdictione episcopi, et litterae super correctione clericorum secundum ius commune obtentae non derogant privilegio exemptionis; simile supra, de rescript., cum ordinem. Item arg. quod Papa per litteras suas iuri aliorum praeiudicare non intendit, supra, de offi. deleg., super eo; et supra, de auctor. et usu pal., ex tuarum. Simile habes supra, de offi. ord., licet. Et per has litteras debebat procedere tamquam ordinarius, non tamquam delegatus. Simile habes supra, de offi. ord., licet. Ber.

Corrigere sit paratus

Maxime, quoniam si ille non corrigeret illos propter negligentiam abbatis vel praelati, non transfertur potestas corrigendi ad episcopum, cum non sit ordinarius illorum, nec in eos aliquam habet iurisdictionem, arg. supra, de supp. neg. prael., sicut. Sed habet locum istud cum abbas subest episcopo, quia tunc si abbas negligens esset, tunc demum episcopus potest illos corrigere, supra, de offi. ord., quanto; et supra, de offi. ord.,

irrefragabili; et 9. q. 3, cum simus; et infra, de concess. praeben., nulla; et infra, de appell., dilecti filii 3.

Si est ita
Per hanc clausulam: si est ita, huic cognitio non demandatur, quia de facto suo certus esse debebat, supra, de rescript., ab excommunicato.

Per teipsum
Sic ergo debet aliquis emendare quod perperam gessit, et palliare quod fecit, supra, de auctor. et usu pal., nisi; et infra, de accusat., qualiter et quando 1; et 25. q. 2, quod quis commisit. Et idem dicit imperator, non enim erubescimus corrigere quae prius diximus, nec ab aliis corrigi expectare volumus, ut in Auth. de nupt., in fine primi col., coll. 4. Arg. contra infra, de cleri. coniug., diversis.

Relaxes
Et sic videtur quod sententiae latae tenuerunt, sed contradicit littera superior, ubi dicit: nullam habeas iurisdictionem ordinariam vel delegatam. Et sic videtur quod sententia nulla fuerit, et sic debuit dicere, denuncies non tenere, ut supra, de offi. deleg., cum contingat. Unde dicas quod ista sententia absolutionis potius ad factum refertur; simile infra, de testib., dilecto. Quia forte illi abstinuerunt timore talis sententiae, sed propter observationem talis sententiae nullum ius acquiritur episcopo, infra, de restit. spol., olim inter. Et expone, relaxes, id est, relaxatas esse ostendas. Sic infra, ut lite non cont., accedens 1. Si ecclesiae illae ei non subsunt, sententia non tenet, infra, de relig. dom., cum dilectus. Vel posset dici quod si ecclesiae illae non sunt exemptae, tamen episcopus non habet primo loco correctionem, sed abbas, cui subsunt nullo medio ad quem pertinet correctio principaliter illorum clericorum. Nec episcopus potest ei auferre iurisdictionem illam, nisi cum abbas fuerit negligens, arg. supra, de offi. ord., irrefragabili; et supra, de offi. ord., quanto; prout notatur supra, de offi. ord., pastoralis. Et secundum hoc ponitur proprie hoc verbum, relaxes, quia non debuit episcopus illos corrigere quamdiu abbas, illos corrigere sit paratus. Et ideo dicit minus provide attentasti, sed potius de facto relaxantur, ut dictum est.

X 1.31.20 *His quibus*

Ex officio
Scilicet, ordinario.

Casibus
Primo ex officio legationis, supra, de offi. legat., quod translationem; et supra, de offi. legat., excommunicatis; et supra, de offi. legat., nemini. Item si cui committatur hoc ex privilegio, ut archidiacono Bononiensi, qui ex privilegio absolvit excommunicatos in studio Bononiensi commorantes, vel delinquentes ibidem. Sed contra hoc est manifestum argumentum quod committere non possit, supra, de offi. deleg., quoniam Apostolica § ulti.; cum ei non competat hoc ex officio, sed ex privilegio. Et sic certum ministerium sibi committitur in hac parte, et huic forte standum est quod potest, quia non dicitur illud certum ministerium, cum illud sibi competat ratione dignitatis, cui concessum fuit

privilegium perpetuum. Item episcopi in certis casibus possunt tales absolvere, infra, de sent. excom., mulieres; et infra, de sent. excom., de monialibus; et infra, de sent. excom., quod de his; et infra, de sent. excom., pueris. Item abbas absolvit tales, infra, de sent. excom., cum illorum. Item in articulo mortis possunt episcopi et sacerdotes tales absolvere, 17. q. 4, si quis suadente; et infra, de sepult., parochiano. Et in omnibus istis casibus personae superius nominatae, cum viderint expedire, possunt super his iure ordinario committere vices suas auctoritate huius canonis. Item intelligo in omnibus aliis excommunicationibus, quod illi qui ordinario iure vel delegato a principe possunt absolvere, possunt committere vices suas cum viderint expedire, dummodo delegatus habeat iurisdictionem, et sic non contradicit supra, de offi. deleg., quoniam Apostolica, in fi. Ber.

X 1.32 DE OFFICIO IUDICIS

X 1.32.01 *Ex litteris*

Monasterii
Scilicet, Fossae Novae.

Implorando
Et sic patet quod ad officium iudicis pertinet providere partibus de advocatus, si alias habere non possint, ff. de off. procon., nec quicquam § advocatos; et ff. de postulan., hunc titulum § ait praetor. Debet etiam attendere iudex, ut aequa distributio advocatorum fiat, C. de postulan., providendum; et 3. q. 7, infames, vers. si vero in uno. Hoc olim obtinuit quando salaria de publico debantur. Hodie vero quilibet debet sibi providere, secundum quod melius potest, C. de iud., properandum § illo proculdubio. Pauperibus tamen et huiusmodi personis debilibus, qui sibi providere non possunt debet praetor de advocatis consulere et providere, ff. de postulan., hunc titulum § ait praetor.

Obstante
Ex hoc patet quod haec exceptio non est admittenda: habeo te suspectum quia advocatus alterius partis est clericus tuus vel commensalis vel familiaris. Arg. contra infra, de appell., ex insinuatione. Sed non est contra, quia ibi non dicitur, propter hoc iudex recusari potest ut suspectus quod advocatus sit commensalis iudicis, sed dicitur, quod iudex videbatur fovere latenter partem sui clerici commensalis, qui est advocatus, unde ex eo sumitur arg. contrarium.

X 1.32.02 *Iudicis officium*

Iudicis officium
Iudicis officium latissime patet, ff. de iuris., ius dicentis. Quaedam ergo sunt in quibus officium iudicis imploratur. Potest enim iudex supplere de iure, quae advocatis desunt, ut C. ut quae des. advoc., non dubitandum. De hoc dixi supra, de postul. praelat., bonae 1. Item interrogare debet quotiens aequitas movet iudicem, ff. de interrog. act., ubicumque; et 30. q. 5, iudicantem. Etiam postquam est in causa conclusum, infra, de fide instrum., cum Ioannes. Item locum habet officium iudicis in omnibus quae contingunt post litis

contestationem circa rem petitam, ut in fructibus perceptis post litis contestationem sive damnum detur in causa. Ea enim quae post litis contestationem accidunt valde pertinent ad officium iudicis, ff. de rei vend., non solum; et ff. de rei vend., item § 1; C. de rei vend., certum; et ff. de aedil. edict., aediles § item sciendum. Omnia talia quae contingunt post litis contestationem petuntur officio iudicis, et non iure actionis. Illa quae contingunt ante litis contestationem specialiter debent peti in libello. Et nisi fuerint petita, iudex de illis non pronunciabat, ut in praedicta ff. de aedil. edict., aediles § item sciendum. Item de dolo, culpa et negligentia post litem contestatam admissam, ff. de rei vend., qui petitorio § 1. Et in multis aliis locis habet iudicis officium. Sed hoc officium competit maiori et minori. Et multa possent poni exempla in his et aliis incidentibus ante litis contestationem et post in quibus proceditur sine litis contestatione, ut supra, de offi. iud., ex litteris.

Pro actione proponitur

Hoc ideo dicit, quia iudicis officium nemini datur, nisi tunc demum cum alia actio non superest, nam si communi auxilio quis munitus est, non debet ei tribui extraordinarium, ff. de minor., Papinianus § ulti. Et istud officium iudicis non perpetuatur per litis contestationem, ut ibi dicitur. Immo infra certum tempus debet terminari, puta si ecclesia esset laesa in aliquo contractu celebrato solemniter, tunc debet petere directe restitutionem contra illum contractum. Idem est de minore si directe petit restitui. Sed contra videtur quod possit expediri causa restitutionis lite non contestata. Dicit enim lex quod causa cognita et praesentibus adversariis, vel si per contumaciam desunt, causae in integrum restitutionis perpendendae sunt, ff. de minor., in causae § causa cognita. Et sic videtur quod si altera pars sit contumax, quod possit causa expediri. Quid ergo fiet si est contumax? Istud de facto vidi, et vario modo dicebant sapientes. Quidam dicebant quod danda est restitutio alii, quod non satis videtur expediri per hanc decretalem. Dicas ergo quod altera parte absente per contumaciam, lite non contestata non est facienda restitutio, nec sententia super hoc proferenda est, sed debet actor in possessionem mitti causa rei servandae de illa re super qua petitur restitutio; simile supra, de offi. deleg., consultationibus. Si vero lis esset contestata, tunc daretur restitutio laesione probata. Sed per Auth. videtur quod altera parte absente possit restitutio indulgeri citra litis contestationem, in Auth. ut spons. larg. § hoc autem, coll. 9; et C. si min. ab hered. se abst., si vos; et C. si min. ab hered. se abst., authen. si omnes, intelligitur in casu suo speciali tantum, scilicet, cum minor vult abstinere se ab hereditate. Et tunc vocandi sunt creditores quorum interest praesentes esse cum minor se abstinet, ut videant bona hereditaria mobilia et immobilia, ubi debent custodiri. Et si infra tres menses non venerint, licitum est minori absque periculo abstinere auctoritate iudicis coram quo illa petitur restitutio. Et est ratio quare procedatur in casu illo lite non contestata, quia minor non petit restitui contra aliquem, sed contra factum suum, ut ei liceat abstinere ab hereditate quam adivit, quia aliter ei consuli non potest, nisi se abstineat. Et si creditores essent praesentes, non fieret contestatio cum eis, quia contra eos non petitur restitutio. Sed cum petitur contra aliquem et ipse est contumax, lite non contestata proceditur per missionem in possessionem, ut dixi. Et lex illa ff. de minor., in causae § causa cognita, intelligitur lite contestata, cum minor petit restitui contra factum suum, et non contra aliquem. Et quod sic intelligatur satis videtur per legem quae dicit quod litis contestatio in huiusmodi restitutionibus est facienda, per quam etiam litis contestationem non

perpetuatur iudicis officium, ff. de minor., Papinianus § ulti. Item est hic arg. quod actio secundum canones sit proponenda. Arg. contra infra, de iudic., dilecti, ubi de hoc. Unde expone pro actione, id est, loco iuris communis. Et quia ei qui nullo iure communi iuvatur, datur restitutio in integrum per officium iudicis, et hoc officium quod loco actionis proponitur, competit ordinario principaliter et incidenter, sed incidenter delegato, vel principaliter si hoc ei principaliter committatur, arg. infra, de in integ. restit., causa, ubi de hoc. Et idem intelligitur cum maior restituitur principaliter, quando alia actio non superest, verbi gratia, aliquis absens fuit causa reipublicae. Prescriptum est contra ipsum propter eius absentiam debet restitui officio iudicis, C. ex quib. caus. infam., infamiae; et C. ex quib. caus. infam., neque; ff. de his qui not. infam., per totum. Et officium istud datur favore rei sive personae, et non propter ipsam rem. Unde potest computari inter personales actiones, et non inter reales, cum imploratur a minore vel ecclesia, et etiam cum postulatur a maiore.

Alias ante
Id est, si petatur restitutio non principaliter, sed incidenter quandoque post litis contestationem super principali quaestiones, puta apertis attestationibus, aut etiam postquam fit in causa conclusum, allegat pars altera, ecclesia, vel minor, quod omissam officio iudicis, infra, de in integ. restit., auditis. Et hoc fieri potest citra litis contestationem. Et ante ingressum litis, ut si omisit aliquam exceptionem quam non proposuit infra tempus sibi statutum, infra, de except., pastoralis. Aut si omisit super exceptione ipsa probanda probationem necessariam. Item officio iudicis admittitur, quia interest eius litibus et sumptibus non vexari, ff. de minor., minor viginti quinque annis; et si omisit allegationem, ff. de minor., minor viginti quinque annis. Item est arg. hic, quod super exceptionibus quae proponuntur ante ingressum litis, vel etiam lite contestata non sit necessaria litis contestatio. Arg. contra supra, de offi. deleg., prudentiam § sexta, vers. de hoc; infra, de appell., interposita § ulti.; in quibus proceditur iure ordinario. Et hoc officium competit etiam maiori ante litis contestationem et post. Item arg. contra infra, de appell., significante, ubi solvitur.

X 1.33 DE MAIORITATE ET OBEDIENTIA

X 1.33.01 *Cum certum*

Maior
Nisi posterior ordinatus fuerit a maiore, infra, de maior. et obed., per tuas; et ff. de alb. scrib., decuriones; et ff. de alb. scrib., in albo; et 93. dist., praecipimus.

Fuerit
Arg. qui prior est tempore, potior est iure, 75. dist., ordinationes presbyterorum; et 7. q. 1, factus est; et 27. q. 2, duobus; 17. dist., concilia § hinc etiam; et 17. dist., episcopos; et C. qui pot. in pign. hab., diversis; et C. qui pot. in pign. hab., si in fundum. Arg. contra 74. dist., episcoporum; et ff. qui pot. in pign. hab., interdum; et ff. si cert. pet., creditor. Arg. contra infra, de iure patron., illud; ff. de rel. et sump. fun., impensa; 8. q. 1, licet; ff. qui et a quib. man. lib., si quis habens. Quae etiam facit pro contraria parte. Solutio: 1. resp. est vera, contraria sunt specialia et casualia, ut patet per singula contraria.

Actione
Id est, tractatu. Sic 16. q. 7, in non actione, id est, tractatu nono die habito, et 16. q. 3, prima actione. Vel dic de concordi actione, id est, concordi consensu, vel saltem maioris partis, 65. dist., sane; et 65. dist., non debet; et 65. dist., episcopus.

X 1.33.02 *Si quis venerit*

Decretum
Iustum, scilicet. Et sic habes quod episcopus potest facere decretum sive constitutionem in sua diocesi, de conse. dist. 3, pronunciandum. Episcopi enim possint condere canones episcopales, quia quilbet populus et quaelibet ecclesia sibi potest constituere aliquod ius, 1. dist., ius civile; et 8. dist., quae contra; et 11. dist., catholica; et 12. dist., illa. Sed de maioribus negotiis non possunt aliquid statuere.

Abiiciatur
11. q. 3, si autem vobis; et 11. q. 3, quicumque contristaverit.

Principi
Id est Papae, de conse. dist. 1, corpora. Sicut econverso imperator vocatur pontifex, 10. dist., de capitulis. Sed numquid laici debent obedire Papae? Potest dici quod sic quo ad spiritualia, infra, de maior. et obed., omnes; et infra, de iudic., novit. Sic econverso principi saeculari, id est, imperatori omnes subditi obediant, et clerici qui ab eo recipiunt temporalia, infra, de maior. et obed., solitae.

Morte
Sed numquid ecclesia punit taliter? Non, sed ostendit quid iudex saecularis facere debeat. Vel morte, scilicet, aeterna, quia peribit propter delictum contumaciae, nisi poenituerit. Vel dic qui non obedierit iusto praecepto, 11. q. 3, si dominus. Si est iniustum, et hoc est manifestum, non obediat, ut ibi; et 11. q. 3, Iulianus. Si dubium esset praeceptum principis, propter bonum obedientiae, quod sibi praecipit, faciat, 23. q. 1, quid culpatur, in fi.

X 1.33.03 *Legabatur*

Iniuriae
Simile infra, de simon., ex diligenti; et infra, de reg. iur., indignum. Sufficiebat facere obedientiam, infra, de maior. et obed., his quae. Arg. contra 23. dist., quamquam; et infra, de iureiur., nullus. Et pro et contra sol. qui dicunt contraria, intelligitur de illis quibus animarum cutra committitur. Quod hic dicit et in similibus, debet intelligi de clericis inferioribus, qui non sunt compellendi ad iuramentum vel scripturam faciendam, sed solum sufficit si obedientiam simpliciter repromittant suis praelatis, ut dicit in fine, et decretali praedicta infra, de iureiur., nullus.

Adventus officio
Simile est de poen. dist. 1, quem poenitet, ubi dicitur quod mundati sunt leprosi, dum irent coram sacerdotibus se ostendere. Et est hic arg. pro superfluis resecandis, infra, de excess. praelat., cum ad quorundam; 10. q. 3, quia cognovimus; et ff. de aqua quot. et aest., ait praetor § Trebatius; ff. ut leg. seu fid. serv., haec stipulatio.

X 1.33.04 *Omnes principes*

Omnes principes
Ergo principes subsunt episcopis, quod verum est, ut hic, et infra, de maior. et obed., solitae; et 96. dist., duo sunt. Quid si rex habet multos episcopos in regno suo coram quo tractabit spirituales causas suas, vel cui dabit decimas? Causas spirituales tractabit coram illo episcopo in cuius territorio habet larem principalem, C. ubi sen. vel clar., senatores. Decimas praediales dabit illi episcopo in cuius territorio sita sunt praedia, infra, de paroch., significavit. Alias decimas dabit ubi audit divinum officium, proportionabiliter dividendo si audit in pluribus, ff. ad municip., assumptio. Arg. contra infra, de testamen., relatum est 2, in fi. Ber.

X 1.33.05 *Illud Dominus*

Dignora
Quo ad quid, quoniam spiritualia sine temporalibus non proficiunt, sicut nec anima sine corpore, 1. q. 3, si quis obiecerit.

Victima
81. dist., si qui sunt presbyteri; 32. dist., praeter § verum; et 8. q. 1, sciendum.

Auscultare
Id est, attendere et audire mandatum cum effectu.

Commodo
Occasione sive praetextu pietatis non est facienda impietas, ut 1. q. 1, non est putanda; 14. q. 5, forte, arg.; et 30. q. 1, nosse.

X 1.33.06 *Solitae benignitatis*

Nisi fuimus increpare
Sed hoc non fecit animo increpandi, sed animo admonendi ex affectu dilectionis, 5. q. 5, non omnis; et 5. q. 5, non osculatur; et C. de sent. et interloc. om. iud., ex stipulatione; simile 23. q. 5, non putes.

Subditi
Infra, de censib., omnis; et 11. q. 1, quam magnum.

Verum
Hic Papa respondet auctoritati Petri inductae ab imperatore.

Si personam
Consideranda est persona loquentis, et cui quis loquitur, 26. dist., deinde opponitur; et infra, de cons. et affin., de infidelibus. Et aliquid probatur ratione personarum colloquentium, arg. 1. q. 7, didici.

Suscipiunt
Numquid ergo appellabitur ab episcopo ad imperatorem? Videtur quod sic, infra, de for. compet., verum. Tunc enim cognoscit quasi civilis iudex, arg. infra, de appell., si duobus. Dico quod sic, nisi consuetudo sit contraria; arg. ad hoc 18. dist., si episcopus. Videtur tamen quod illa temporalia penitus essent a iurisdictione imperatoris separata, 10. q. 1, noverint. Io. Dicas quod appellandum est ad archiepiscopum, nisi de consuetudine vel privilegio, vel alio iure ad alium sit appellandum, infra, de appell., extravag. Romana § debet.

In spiritualibus
10. dist., suscipitis; 96. dist., cum ad verum.

Praefertur
12. q. 1, praecipimus; et 24. q. 3, si habes; et 38. dist., sedulo.

Propter Deum
Per quod videtur esse consilium perfectionis, in quo liberum est arbitrium, 14. q. 1, quisquis.

Tamquam
Quod quandoque similitudinem potius quam veritatem notat, ut illud Evangelii: tamquam ad latronem etc. Nihil enim est simile sibi, ut sit similitudinarium, non expressivum veritatis; simile ff. de peculi., licet § si filiusfamilias. Et est hic arg. quod nulla dictio debet vacare in rescripto, alioquin frustra membranas occupat, 19. dist., si Romanorum. Arg. ad hoc 28. q. 1, sic enim; et ff. de usuri., si stipulatus; arg. contra C. de fideiussor., non recte.

Constitui te
Hic loquitur Dominus Hieremiae prophetae, dans ei potestatem super gentes et regna.

Evellas
Vitia, scilicet.

Plantes
Virtutes.

Maius
96. dist., duo sunt.

Inter solem et lunam
Igitur cum terra sit septies maior luna, sol autem octies maior terra. Restat ergo ut pontificalis dignitas quadragesies septies sit maior regali dignitate.

Assurgant
Et inclinent eis, ut 63. dist., Valentinianus.

Venerabilem
Ex sede cum venerabili praesumitur, ut supra, de consuet., cum olim.

Non distinguens
Nec nos ergo distinguere debemus, 2. q. 5, consuluisti; 31. q. 1, quod si dormierit; et 33. q. 2, quos Deus; et supra, de translat., inter corporalia; arg. 22. q. 5, hoc videtur. Arg. contra ff. de testi., quaesitum.

Omittamus
Dicit se ommissurum quod statim inducit. Et est quidam color rhetoricus qui dicitur praeoccupatio, 8. q. 1, Moyses, in fi.

Quodcumque
Qui dicit omnia, nihil excipit, 19. dist., si Romanorum; ff. de off. praes., praeses provinciae in suae provinciae. Ber.

X 1.33.07 *Per tuas*

Subdiaconatus
Eis enim qui in maiori ordine sunt constitui non praeferuntur, ff. de alb. scrib., decuriones; et 16. dist., placuit § Isidorus. Et merito est illis deferendum. Caeteris enim non concurrentibus ratio privilegii habenda est, ff. quod cum eo qui in alien. pot., sed an hic. Et est hic arg. pro exemptis episcopis, ut in synodo sedeant in meliori loco, quia lex divina quod primo scribenda sunt nomina eorum, qui dignitates iudicio principis sunt consecuti, ff. de alb. scrib., in albo. Et si isti eligantur ad praelationem, ad onus intelliguntur eligi privilegio suo non obstante, quia recipiendo honorem et onus recepisse intelliguntur, infra, de praeben., significatum; C. de testi., nullum; supra, de renunciat., ad supplicationem; C. de postulan., quisquis. Sed numquid potest episcopus talem subdiaconum deponere propter crimen? Arg. est hic quod sic, ex eo quod dicit, ab obedientia etiam minime absolvuntur. Sed non credo, tamen causam instructam debet remittere ad Papam, arg. 3. q. 6, quamvis; C. ubi sen. vel clar., quotiens § 2; et infra, de statu monach., ea quae; oppositum arg. Iste etiam non convincitur nisi septem testibus, 2. q. 4, praesul. Quidam tamen dicunt quod episcopus eos deponere debet.

Absolvuntur
Simile est C. de iuris., periniquum. Et quamvis absoluti non sint ab obedientia quam alias debent praelatis suis, tamen ad superiores etiam ordines sine licentia Papae promoveri non possunt, supra, de temp. ord., cum in distribuendis. Et hoc fit propter reverentiam maioris, qui manus eis imposuit, de conse. dist. 2, in altari.

X 1.33.08 *Inter quatuor*

Caperetur
A Venetis.

Iuris namque
Prima ratio.

Praeiudicium
Nulli enim auferenda est possessio ante causae cognitionem, ut 12. q. 5, nulli, in fi.; arg. 16. q. 6, placuit; 1. q. 3, volumus; et infra, ut lite penden., per totum; C. und. vi, si quis in tantam; C. si per vi. vel al. mod., nec imperiale.

Citati
Unde sententia non tenet cum citatio non pervenit ad eum, nec fuit publice proposita, ff. quae sent. sine appel., illud § item ex eo edicto. Et nota quod ille qui est in possessione obedientiae conveniendus est, et non subditus qui praestat obedientiam. Et agit pro ecclesiis et defendit eas sibi subiectas, infra, de relig. dom., constitutus; et infra, de relig. dom., cum venerabilis. Item nota quod omnes quos negotium tangit vocandi sunt, ut hic patet. Quod si non fiat, non praeiudicatur absenti, nisi forte sciverit causam suam agi et taceat, infra, de re iudic., quamvis, ubi de hoc.

Se absentent
Simile 3. q. 9, caveant, et per totum; et supra, de rescript., ex parte Conventrensis; et supra, de consti., ecclesia. Nec tenet rescriptum quod praecipit aliquid fieri absente altera parte, et non per contumaciam, C. und. vi, meminerint; et C. si per vi. vel al. mod., nec imperiale.

Cum et ipsi
Prima ratio.

Inobediens
Videtur quod hoc licite potuisset petere, arg. supra, de elect., quia diligentia; et ff. de bon. libert., etiam § si deportatus.

Et in eorum absentia
Secunda ratio. Ber.

X 1.33.09 *Quod super*

Diocesana
Sed quare vocantur abbates ad synodum contra illud quod legit 18. dist., episcopus non debet; et 18. q. 2 § canonica? Respondeo: abbates habentes populum tenentur venire ad synodum, de quibus loquitur 18. q. 2, abbates. Sed non habentes populum non tenentur venire nisi causa rationabilis subsit, ut dicitur in illa palea, 18. dist., episcopus non debet.

Unde Cistercienses, etiam si non essent exempti, cum non habent populum, non tenentur venire. Exempti enim qui populum non habent non tenentur venire, 18. q. 2, quam sit necessarium, in fi. De hoc dictum est supra, de offi. ord., dilectus.

Obedientiam
Quia iudex sive praelatus iurisdictionem suam defendere potest poenali iudicio, ff. si quis ius dic. non obtem., omnibus.

X 1.33.10 *Cum in ecclesiis*

Iuramentum
Nota quod regularis suspectus de inobedientia, cogi potest iurare obedientiam, arg. ff. de iud., in omnibus. Arg. contra supra, de maior. et obed., legebatur.

Excommunicationis
Et ita prior propter inobedientiam potest excommunicare subditum suum, sic et electus in abbatem, infra, de simon., sicut tuis.

Authenticas
Videtur quod per scripturas probetur crimen alicuius, et ita per chartam potest probari periurium alicuius, arg. 5. q. 6, Epiphanium, quod non est verum. Item est arg. hic quod litteris praelatorum creditur in praeiudicium aliorum, cum vivae voci non credatur, infra, de probat., quoniam. Item habes hic quod litterae praelatorum scripturae dicuntur authenticae, sic infra, de fide instrum., scripta; et infra, de fide instrum., cum dilectus; infra, de probat., post cessionem.

Iuramento
Nota quod a periurio et suspecto recipitur de novo cautio iuratoria quod est illud, 22. q. 5, parvuli; et contra illud infra, de praesump., litteras; et infra, de cohab. cler. et mul., clericos. Sed illud fit in maiorem confusionem ipsorum, et maius opprobrium, et quia aliam cautionem praestare non possunt, cum nil habeant, ut 12. q. 1, non dicatis.

Excludatis
Ecce poena inobedientium, et nihilominus excommunicandi sunt, et ab omnibus evitandi usque ad satisfactionem, infra, de regular., ne religiosi, in fi. Ber.

X 1.33.11 *His quae*

Obedientiam
Hic enim patet qualiter subditi obedientiam facere debeant suo praelato sine scriptura, supra, de maior. et obed., legebatur; et sine iuramento, infra, de iureiur., nullus. Sic infra, de restit. spol., olim inter; et quandoque per iuramentum, ut infra, de iureiur., nullus.

Pro scrutinio
Sic infra, de capell. monach., dilectus, ubi de hoc in glossula quae incipit: sic supra.

Pro bono pacis
Ergo videtur quod de iure communi vacante ecclesia praelato transferatur potestas ad capitulum. Sed pro bono pacis Papa hoc sibi reservat, cum omnia alia libere capitulo reservaverit. Et ita vacante ecclesia capitulum potest iudicare, absolvere, et excommunicare, infra, de haeret., ad abolendam, 1. resp.; et infra, de maior. et obed., cum olim; arg. 65. dist., si forte; et 7. q. 1, pontifices; et 23. dist., in nomine Domini. Ea vero quae ministerium consecrationis desiderant, facere non possunt. Immo vocabunt vicinos episcopos cum cautelae studio, ut in dicto capitulo 7. q. 1, pontifices. Praebendas tamen vel dignitates vel curam animarum, quae pertinent tantum ad praelatum capitulum vacante ecclesia conferre non potest, quia numquam invenitur quod vacante sede, potestas conferendi beneficia transferatur ad capitulum, infra, ne sede vac. nih. inn., illa. Arg. contra illud quod dictum est quod capitulum possit absolvere, 11. q. 3, si quis episcopus damnatur. Illud verum est, quod si excommunicatus a praedecessore non sit absolutus, quod successor illum absolvere potest, cum ei succedat in onere ac in honore, supra, de offi. ord., pastoralis. Sed non negatur quin capitulum possit illum absolvere necessitate exigente. Et ita propter periculum animarum hoc permittitur. Et satis potest concedi, arg. huius capituli quod capitulum vacante ecclesia, cum causa rationabilis subest, potest excommunicare subditos si fuerint contumaces et inobedientes. Ber.

X 1.33.12 *Dilecta in Christo filia*

Iurisdictioni
Sic ergo mulier habet iurisdictionem, infra, de arbitr., dilecti. Sed contra videtur quod mulier iudicare non potest, 33. q. 5, mulierem. Nec civilibus fungitur officiis, C. de procur., alienam; ff. de regul. iur., feminae. Dicas quod abbatissa habet iurisdictionem talem qualem, non ita plenam sicut vir habet. Dicas ergo quod potest suspendere ab officio et beneficio monachas suas, et clericos suae iurisdictioni subiectos, secundum quod hic satis innuitur, si inobedientes fuerint. Habet enim administrationem temporalium et spiritualium, arg. infra, de confirm. util. vel inutil., cum dilecta; infra, de his quae fi. a prael., continebatur. Item ratione suae administrationis post suam confirmationem potest conferre ecclesias et beneficia, et instituere clericos in ecclesiis sui monasterii, sicut faciunt confirmati, supra, de elect., nosti.; et sicut abbates, infra, de his quae fi. a prael., ea noscitur. Sicut abbas enim de consensu capituli repraesentat, ut dicit illa decretalis infra, de his quae fi. a prael., ea noscitur; eodem modo abbatissa. Excommunicare autem non potest vel absolvere, infra, de sent. excom., de monialibus. Et potest dici quod nec ab officio potest suspendere, nec interdicere, quia et hoc pertinet ad claves, infra, de excess. praelat., tanta. Et non dicit hic Papa quod possit, quia non sexui femineo, sed virili traditae sunt claves regni caelorum. Licet enim beatissima virgo Maria excellentior sit Apostolus universis, non tamen illi, sed illis tradidit claves regni caelorum, de poenit. et remiss., nova. Nec potest velare moniales, 20. q. 2, statuimus. Praeterea mulier non debet habere talem potestatem, quia non est facta ad imaginem Dei, sed vir, qui est imago et gloria Dei, et mulier debet subesse viro, et quasi famula viri esse, cum vir caput sit mulieris, non econverso, 33. q. 5, haec imago; et 33. q. 5, cum caput. Et ideo quia excommunicare non potest, praecipit Papa quod clerici et moniales qui contemnunt suspensionem ipsius compellantur per censuram ecclesiasticam ad servandam eius suspensionem et salubria mandata eius.

Salubria
Si certum est quod sint salubria, vel etiam si sit dubium, 11. q. 3, quid ergo; et 23. q. 1, quid culpatur, in fi. Si certum est quod essent mala, non est obediendum, 11. q. 3, non semper; 11. q. 3, si Dominus; et 11. q. 3, Iulianus.

X 1.33.13 *Dilecti filii*

Appellarunt
Quia eorum intererat. Per tale enim iuramentum praeiudicabatur ecclesiae, saltem de facto, quare admissa fuit appellatio, 2. q. 6, non solent; et supra, de elect., cum inter R. Et sic episcopus per iuramentum suum non poterat ecclesiam obligare, cum non tenuerit quo ad illa, quae praeter formam canonicam continebantur in eo; simile infra, de relig. dom., cum dilectus, nam delictum personae etc., 16. q. 6, si episcopum. Nec conditionem ecclesiae in hoc potuit facere deteriorem, infra, de dona., fraternitatem; simile infra, de instit., cum venissent, ubi dicitur quod iuramentum a praelato in praeiudicium suae dignitatis praestitum non praeiudicat ecclesiae; et invito praelato et contradicente ecclesia posset pro defensione ecclesiae contradicere, et repetere quod praestitum esset occasione talis iuramenti, 12. q. 2, non liceat Papae; et infra, de iureiur., sicut nostris.

Nolles
Sic 1. dist. § humanum genus.

Forma
Quam habes infra, de iureiur., ego. Qua forma Papa contentus est, ut ibi dicit. Ergo multo fortius et alii debent esse illa contenti; simile 22. q. 5, de forma. In qua forma debet specialiter inseri iuramentum de fidelitate et obedientia, infra, de privileg., antiqua.

Consuetudinis
Sic patet quod consuetudo non habet locum in hoc casu, cum talis consuetudo sit contra generales ecclesiae consuetudines, 100. dist., contra morem. Servare enim debet morem aliorum etiam metropolitanorum, ut ibi dicit, et quia per usurpationem hoc faciebat, non prodest consuetudo, 10. q. 3, quia cognovimus; et 93. dist., illud; 24. q. 1, schisma; et 1. q. 1, nullus episcopus. Item est arg. ex eo quod dicit, nil amplius exigas, quod sua auctoritate potest denegare quod contra generalem consuetudinem aliorum metropolitanorum praestitit, 10. q. 3, quia cognovimus; licet illud diu praestiterit, C. de agric. et cens., litibus, lib. 11; et infra, de censib., pervenit. Arg. tempus enim non inducit obligationem sicut nec tollit, ff. de act. et oblig., obligationum § placet.

Iuramenti
Nota quod iuramentum non extenditur ad ea quae de iure praestanda non sunt, licet super his iuretur. Iuramentum enim non fuit inventum ut esset iniquitatis vinculum, infra, de iureiur., quanto; et 22. q. 4, inter caetera. Immo ipso iure non tenet iuramentum quo ad alios articulos, qui in forma iuramenti non continentur, ut dicitur hic in fi. Et iuramenta contra statuta canonum praestita non tenent, infra, de for. compet., si diligenti, in fi. Et quia iuramentum illud praestitum fuit in damnum ecclesiae, unde non tenuit, infra, de

iureiur., sicut nostris. Item habes hic quod iuramentum tenet pro parte, et pro parte non tenet; sic 22. q. 4, inter caetera. Item arg. quod utile non vitiatur per inutile.

X 1.33.14 *Cum olim*

Privati
Quia elegerunt indignum, supra, de elect., cum in cunctis; et supra, de elect., cum Wintoniensis; et supra, de elect., congregato. Et sic de gratia tantum restituitur eis electio, vel quia non elegerunt infra tempus, supra, de elect., ne pro defectu.

Capitulo
Sic patet hic manifeste quod vacante ecclesia potestas sive iurisdictio episcopi devolvitur ad capitulum, sic infra, de haeret., ad abolendam, in princ.; et supra, de maior. et obed., his quae. Argumenta contra multa habes quod potestas episcopi non devolvitur ad capitulum vacante ecclesia, infra, ne sede vac. nih. inn., illa; et 24. dist., presbyteri, secundum Io. ut ibi notatur; 71. dist., fraternitatem, ubi dicitur quod vacante ecclesia collatio beneficiorum non devolvitur ad capitulum, et quod capitulum non potest dare licentiam alicui transeundi ad aliam ecclesiam, si illic eligatur. Et hic dicitur quod capitulum potest confirmare electum in abbatem vacante ecclesia. Quae est ratio diversitatis hinc inde? Ratio illa potest esse, capitulum ideo non potest alicui dare licentiam transeundi ad aliam ecclesiam, quia ibi est quaedam alienatio personae, sed capitulum sine consensu praelati alienare non potest sede vacante, 12. q. 2, si qua de rebus. Sed maior est alienatio personae quam rerum, 12. q. 1, praecipimus. Et ideo non potest dare licentiam transeundi, sed per confirmationem, de qua fit hic mentio, nulla fit alienatio nec praeiudicatur episcopo futuro, et sic loquuntur capitula praedicta, quae signantur pro contrariis. Ad illam decretalem infra, ne sede vac. nih. inn., illa, dicas quod capitulum non potest conferre beneficia quae pertinent ad episcopum vacante ecclesia, quia omnes fructus et iura episcopatus debent fideliter custodiri et reservari successori, 12. q. 2, haec huius placiti; et 12. q. 2, non liceat; et supra, de offi. ord., cum vos. Sed collatio beneficiorum inter bona episcopalia et fructus computantur, et magnum fieret praeiudicium episcopo successori per talem collationem. Et ideo non potest conferre nec distrahere tales fructus sicut nec alios; et de hoc dictum est supra, de maior. et obed., his quae. Et quod ibi minus dicitur, supple hic. Et coram capitulo poterit obiici electo quicquid posset coram episcopo. Et ita capitulum cognoscet tamquam episcopus de his quae obiicientur contra electum, et cassabit electionem si cassanda fuerit. Alias non assumet capitulum iurisdictionem episcopi. De hoc dixi supra, de offi. ord., irrefragabili. Ber.

X 1.33.15 *Statuimus*

Primum locum
Quia secundum dignitatem cuiuscumque quilibet honorandus est in sede, supra, de consuet., cum olim. Et qui prior est in eodem ordine vel dignitate ordinatus, in loco et in subscriptionibus praemitti debet, 17. dist., episcopos; et ff. de alb. scrib., decuriones; et 74. dist., episcoporum; sic supra, de maior. et obed., cum certum; et 75. dist., ordinationes presyterorum et diaconorum. Minores enim maioribus obsequium praestare debent, 93.

dist., a subdiacono; C. de off. rect. prov., potest. Arg. contra 23. q. 4, sicut excellentiam, ubi dicitur: non gradus excellentior vel elegantior, sed vitae, etc.; et 49. dist., non loca vel ordines. Sed ibi loquitur quo ad virtutes, sive de merito vitae, 40. dist., multi.

Potiorem

Sic videtur quod in perceptione beneficiorum habenda sit ratio personatuum sive dignitatum, ut plus percipiant qui in potioribus sunt ordinibus constituti, et meliora stipendia conferantur secundum dignitatem cuiuscumque, ut 12. q. 2, nobis; 12. q. 2, Vulteranae; et 12. q. 2, concesso; et 1. dist., ius militare; et 1. q. 2, clerici; et 74. dist., consuluit; et 61. dist., miramur, in fi. Et is grados caeteros antecedat quem labor prolixior et stipendia meliora fecerint anteire, C. de off. magist. offic., nemo. Et ratio stipendiorum habenda est, ff. de re milit., non omnes, in princ.; et in Auth. de defensor. civit., in princ., coll. 3, ubi nobilitatis ratio habetur; et de poen. dist. 4, in domo; et infra, de praeben., de multa § ulti.; et 41. dist., non cogantur. Sed contra videtur quod omnes qui in una ecclesia famulantur aequaliter percipere debent, supra, de consti., cum omnes; et supra, de consti., cum M; nec uni dandum est unde alii scrupuloso corde moveantur, 16. q. 7, decimas quas in usum; et dicit Apostolus: non enim volumus ut aliis sit remissio, vobis autem tribulatio, 25. q. 1 § his ita, ad fi.; ff. pro soc., verum § si cum tres, ubi dicitur quod ex eadem societate non debet unus plus percipere quam alter, nec nobilis praeponitur ignobili, arg. infra, de appell., constitutus. Nec refert undecumque sint, infra, de instit., ad decorem. Et dum quis laudabiliter officium suum exequitur, ex abundanti requiritur suae notio nationis, infra, de iudic., cum deputati. Quid ergo est dicendum? Dico quod ab initio consideranda est nobilitas sive scientia, vel etiam maioribus et pluribus beneficiis honorentur ab illis qui eos promovent, infra, de praeben., de multa. Et circa eos qui simul sunt in ecclesia, honestum esset ut qui maiores sunt plus percipiant et digniores, secundum quod dicunt iura priora. Sed circa hoc plus consideratur uniuscuiusque ecclesiae consuetudo, supra, de consti., cum omnes; et supra, de consti., cum M. Sed si nulla sit consuetudo, puta quia ecclesia fundatur de novo, tunc videtur quod secundum locum et meritum cuiuscumque sint danda stipendia. Sed videtur quod recurrendum sit tunc ad consuetudinem vicinarum ecclesiarum sive provinciae, infra, de censib., super eo. Iure communi non plus credo dandum maioribus quam minoribus, nisi consuetudo contrarium inducat. Et secundum hoc potest exponi, potiorem, id est, priorem, ut primo percipiant qui in maiori ordine sunt constituti. Et hoc servari potest in ecclesiis ubi non sunt distinctae praebendae. Ubi vero distinctae sunt, quilibet percipit per se suos redditus. Et hic non credo praebendas esse distinctas, sed fructibus collectis, quotidie forte percipiunt quilibet portionem suam.

Consueta

Nota quod minores servitia facere debent maioribus. Hoc intelligo circa servitia exhibenda in obsequiis diversorum, ut secundum quod quilibet minor est in ordine, maiora servitia faciat secundum suum ordinem debita, prout dicitur 23. dist., subdiaconus; et 23. dist., acolythus, in quibus ostenditur quid pertineat ad officium cuiuslibet. Alia vero servitia extra divinorum celebrationem facere non tenentur, si quae non pertinent ad obsequia ecclesiae. Reverentiam tamen minores maioribus exhibere tenentur, ut minor assurgat maiori, et cedat ei primum locum in sedendo et in eundo, 93. dist., a subdiacono; nisi minori in ordine maior administratio sit concessa. Unde

archipresbyter archidiacono debet reverentiam ratione administrationis et officii sibi commissi, 25. dist., perlectis; supra, de offi. archidiac., ad haec. In mandato sive iudicio nemo tenetur alteri nisi ei qui habet administrationem vel iurisdictionem super eum, cui obedire tenetur in his quae spectant ad officium suum, et eius honesta et salubria mandata observent, supra, de maior. et obed., dilecta; et supra, de offi. archidiac., ad haec; supra, de offi. archipresb., ut archipresbyter; supra, de offi. archipresb., ministerium; et supra, de offi. archipresb., officium; et infra, de maior. et obed., cum inferior. Ber.

X 1.33.16 *Cum inferior*

Ligare
21. dist., inferior sedes. Nota ex hoc loco quod inferior superiorem non potest ligare vel solvere. Item qui potest ligare, potest et absolvere. Et econverso qui potest absolvere potest ligare, sic ff. de re iud., qui damnare. Primum recipit exceptionem, cum maior subiicit se etiam minori, 2. q. 7, nos si incompetenter; et ff. de iuris., est receptum. Secundum recipit exceptionem, supra, de offi. deleg., quaerenti, ubi aliquis potest ligare, sed post annum non potest absolvere. Tertium similiter habet exceptionem, de conse. dist. 4, sanctum est, ubi penitus quis potest absolvere tempore periculi, qui tamen non potest ligare. Item est hic arg. quod si Papa mandat alicui ut excommunicet aliquem, quod potest absolvere illum, quia excommunicatio et absolutio pari conditione censet, ut cui unum committit, et reliquum, de poen. dist. 1, verbum. Sed hoc non credo si hoc sibi tantum quasi executori committatur, cum ad certum articulum datus sit executor, arg. supra, de offi. deleg., super quaestionum § 1; et supra, de offi. deleg., quoniam Apostolica § ulti.

Parentem
Immo econverso filius debet esse in patris potestate, infra, de conver. infid., ex litteris; et Inst. de patr. potest. § ius autem. Arg. contra supra, de renunciat., ad supplicationem. Ubi minor praeest maiori et iurisdictionem habet in ipsum, immo pater debet regere prolem suam, 24. q. 4, duo ista nomina; et C. de emend. prop., in corrigendis; infra, de sent. excom., cum voluntate § ulti. Et filius etiam dum est in potestate patris agere pro rebus suis non potest, C. de annal. except., super annali, in fi.

Cathedralem
De licentia domini Papae 16. q. 1, praecipimus; et 22. dist., omnes; et infra, de excess. praelat., sicut; et infra, ne sede vac. nih. inn., novit. Alias auctoritate propria non potuisset, quia huiusmodi in mutationes, translationes et consimilia debent fieri de auctoritate Papae, 7. q. 1, mutationes. Arg. contra supra, de offi. ord., quoniam § prohibemus. Et hoc factum fuit propter longam et latam provinciam, vel propter diversitatem linguarum, supra, de offi. ord., quoniam; et supra, de offi. ord., inter caetera; quod licet ex auctoritate illius canonis supra, de offi. ord., quoniam; et supra, de translat., inter corporalia.

Exemptum
Nam solus Papa eximit episcopos, 16. q. 1, frater noster. Sed per hanc exceptionem quae fit ab archidiacono non intelligitur exemptus a iurisdictione episcopi. Et sic videtur quod

nisi fuisset exemptus a iurisdictione archidiaconi, iurisdictionem haberet in eum. Sed quia hoc erat inhonestum, ut maior subesset minori, et contra iura, 21. dist., inferior; et 93. dist., a subdiacono; ideo exemptus fuit omnino a iurisdictione ipsius.

Praeiudicio
Et sic Papa non intendit alii per suas litteras praeiudicium irrogare, sic supra, de consuet., cum olim, in fi.; et supra, de offi. ord., licet, cum concordantiis; et supra, de auctor. et usu pal., ex tuarum; ff. ne quid in loc. pub., praetor ait § merito; et ff. ne quid in loc. pub., praetor ait § si quis a principe; et supra, de offi. deleg., super eo; et 9. q. 3, nunc vero.

X 1.33.17 *Humilis doctrina*

Humilis doctrina
Bene dicit, humilis, nam magister dent esse humilis et benignus auditoribus et humiliter docere, non cum austeritate et potentia, ut 46. dist., hoc habet. Austeritatis autem nimiae increpatio, nec correptionem recipit nec salutem, 45. dist., cum beatus. Et nimia saevitia praeceptoris culpae comparatur, ff. ad leg. Aquil., praeceptoris. Modica tamen et levis coerctio conceditur magistro, ita ut excommunicationem non incurrat, infra, de sent. excom., cum voluntate; et infra, de sent. excom., ex tenore; et 23. q. 5, circumcelliones, ad fi. Nec saeviendi audacia debet concedi, nec paterna diligentia omitti, ut ibi dicitur, et 23. q. 5, circumcelliones, in fi. Quia dum nimium servatur humilitas, regendi frangitur auctoritas, 86. dist., quando necessitas.

Praelatorum
Sed quare requiritur consensus istorum praelatorum? Videtur quod consensus capituli Burdegalensis sufficiat in tali provisione, sicut ex alia parte sufficit consensus capituli Bituricensis, quia praelatus de consensu capituli sui litigare potest, infra, de procurat., alia. Potest etiam donare, infra, de dona., pastoralis, in fi.; et infra, de his quae fi. a prael., cum nos. Potest etiam compositionem facere, infra, de transact., contingit; et infra, de decim., ex multiplici. Dicas quod ideo requiritur consensus praelatorum et capitulorum cathedralium ecclesiarum Burdegalensis provinciae, quia per illam provisionem reservabatur ius Bituricensi archiepiscopo in Burdegalensi provincia, ut possit visitare. Unde hoc respiciebat praelatos et capitula, quia tunc eum procurare tenerentur cum accedit ad eorum ecclesias, infra, de praescrip., cum ex officii; infra, de censib., sopitae. Et ita eorum interat consentire vel contradicere, quia quod omnes tangit ab omnibus est approbandum, supra, de offi. archidiac., ad haec, in fi.; et supra, de temp. ord., si archiepiscopus; et 66. dist., archiepiscopus; et 53. dist., legem. Et in concedendo haustum aquae omnes vocandi sunt qui ius habent, ff. de aqua pluv. arc., in concedendo. Et ideo requiruntur ut consentiant vel dissentiant. Ex alia parte sufficit consensus capituli Bituricensis, quia per illam provisionem consulebatur Bituricensi archiepiscopo nec intererat aliquid praelatorum Bituricensis provinciae de illa provisione.

Praesentium
Arg. quod praesentes tantum requirendi sunt ad componendum, et eodem modo ad litigandum, sicut in alienationibus faciendis, 10. q. 2, hoc ius, vers. si autem; arg. 7. q. 1, factus. Sed quid esset si modica pars praelatorum esset praesens, et longe maior esset

absens, et eodem modo de capitulis, numquid sufficit consensus illorum paucorum ad consentiendum huic provisioni, vel ad movendam litem? Videtur quod sic, arg. huius capituli 10. q. 2, hoc ius. Sed quos dicemus praesentes, an illos tantum qui sunt in ecclesiis suis, an etiam illos qui sunt in provincia, quod videtur C. de prascri. long. temp., cum in longi? Unde credo quod requirendi sunt, dummodo sint in provincia, quia pro praesente ibi habentur. Idem credo si minor pars capituli sit praesens, quod debeat vocare alios qui sunt in provincia, si commode vocari possunt, quousque saltem sit ibi maior pars capituli. Si autem sint extra provinciam, aut ita remoti quod commode vocari non possunt, praesentes disponant de rebus ecclesiae, quia tota potestas et ius universitatis remanet penes illos quotcumque sint, ff. quod cui. univ. nom., sicut municipum.

Capituli
Per hanc decretalem probatur quod praelatus sine consensu capituli non potest agere nec componere, secundum quod notatur supra, de rescript., edoceri; et infra, de procurat., alia; ad hoc supra, de maior. et obed., dilecti filii. Ber.

Noluerint
Nota quod ille cuius interest impedit provisionem Papae, sicut aliquis retardet executionem sententiae, infra, de testib., veniens 2; et infra, de re iudic., cum super, arg. quod non intendit Papa alicui praeiudicare per suas litteras.

Personaliter
Cum enim quis citatur ut personaliter veniat ad causam, non sufficit tunc mittere procuratorem, ut hic videtur. Si vero simpliciter citetur, tunc potest mittere procuratorem, C. de procur., in pecuniariis, in princ.; vel ipse debet ire, infra, de dolo et contu., cum dilecti; et C. de procur., in pecuniariis. Sed cum personaliter quis citatur, et ipse ire non potest, vel etiam in alio casu cum simpliciter citatur, si causa sua ardua sit, non compellitur mittere procuratorem, C. de procur., in pecuniariis. Sed debet in utroque casu nuncium destinare ad allegandas causas quare venire non possit, infra, de procurat., querelam; et ibi dicitur de hoc. Et illud scire debes quod delegatus a sede Apostolica non potest iubere alterutram partem coram se personaliter comparere, si de hoc non habeat speciale mandatum, nisi causa sit criminalis, vel pro veritate dicenda, vel pro iuramento calumniae faciendo, vel alias iuris necessitas hoc exigat, in decretali Inno. iiii infra, de iudic., extravag. iuris esse ambiguum. Sed Papa hoc facere potest, quia non adstringitur legibus vel canonibus, ut hic patet. Ber.

Si alii
Ut capitula, quae non nisi per procuratorem venire possunt.

In expensis
Sic videtur per litteram istam quod victus victori est semper in expensis, arg. infra, de poeni., calumniam. De hac materia tractatur plene infra, de dolo et contu., finem. Sed hoc ideo quia iam quasi intentio actoris fundata erat per compositionem. Et ideo si succumbant quasi calumniose videntur hoc fecisse, quia tunc demum consuevit dici quod victus in prima causa victori sit condemnandus, et quasi ad terrorem hoc dixit Papa, ut si

dubitarent, de iure suo non litigarent. Et est arg. optimum quod victus victori semper sit condemnandus in expensis. Ber.

X 1.34 DE TREUGA ET PACE

X 1.34.01 *Treugas*

Treugas
Treuga est securitas praestita rebus et personis, discordia nondum finita.

Frangere
Nota quod haec treuga canonica est, et non conventionalis. Si enim conventionalis, semper servaretur, nam fides hosti servanda est, 23. q. 1, noli aestimare. Sed qualiter intelligitur quod dicitur de ista treuga? Si intelligitur de iusto bello, a tali nullo die cessandum est etiam Dominico die, 23. q. 8, si nulla; infra, de reg. iur., quod non est. Si vero de bello iniusto, hoc nullo tempore faciendum est. Solutio: potest intelligi de iusto bello, et licet numquam sit cessandum a tali, minus tamen vacandum est ei in hoc tempore quam in alio. Unde capitulum illud, 23. q. 8, si nulla, intelligitur quando inevitabilis urget necessitas. Vel potest intelligi de iniustis bellis, vel Papa respexit ipsum factum, ut non semper darent operam bellis, et ideo ob reverentiam dierum tunc cessarent, et nullo tempore debent fieri, et multo minus isto tempore. Sed quod dicit hic, hodie non tenet. Et episcopi qui non servant hanc constitutionem non dicuntur transgressores, quia non fuit moribus utentium approbata huiusmodi treuga, 4. dist., in istis § leges.

Vicinis
11. q. 3, curae.

Confirmet
Id est, observet. Et ita ipso facto confirmat eam. Alias infirmare potest, cum non habeat imperium par in parem, 21. dist., inferior; et 21. dist., melius; supra, de elect., innotuit; et ff. de recepti., nam magistratus.

Periculo
Id est, excommunicationi subiiciatur, 24. q. 3, illi qui, ubi hoc idem dicitur.

Funiculus
Primus est excommunicatio proprii episcopi. Secundus est, vicinorum episcoporum observatio seu confirmatio. Tertius consilium et auxilium eorundem. Et ideo quanto fortior est, difficilius rumpitur, C. commun. de success., authen. itaque; ff. de liberat. leg., in fi.

Consilium
Nota quod praelati tenentur sibi mutuum praestare consilium et auxilium, 93. dist., praecipimus; et 93. dist., perlatum.

X 1.34.02 *Innovamus*

Innovamus
Quia iam statutum erat, 24. q. 3, si quis Romipetas; et 24. q. 3, paternarum.

Existentes
Ergo dum vocant agriculturae tantum habent privilegium, sicut militi non currunt tempora dum est in militia, C. quib. non ob. long. temp. praescrip., sancimus. Sed animalia semper habent, unde pignori dari non possunt, C. quae res pign. oblig. poss., pignorum.

X 1.35 DE PACTIS

X 1.35.01 *Antigonus episcopus*

Pacta custodiantur
Reformata per pacta inita inter episcopos qui contendebant adinvicem de iure parochiali. Et ita est arg. quod pacta legitima custodiantur, 20. q. 1, puellae, in fi.; et 22. q. 4, innocens; et 18. q. 2, Eleutherius. Pacta enim legitima, quae neque dolo malo neque adversus leges neque quibus fraus alicui fiat, facta sunt, servabo ait praetor, ff. de pacti., iurisgentium § ait praetor. Pactum vero quod dolo initum est, non valet, infra, de rerum perm., cum universorum; C. de exception., adversus. Item si alteri sit captiosum, ff. de rescind. vend., si id quod pure, in fi. Item si sit contra bonos mores, C. de inutil. stipul., ex eo. Item quod observatum vergit ad dispendium salutis aeternae, non tenet, infra, de pact., pactiones, ubi de hoc. Item habes hic arg. quod ex nudo pacto oritur actio, 12. q. 2, quicumque suffragio; et 12. q. 5, quia Ioannes; licet sit contra secundum leges, ff. de pacti., iurisgentium § quinimmo. Igitur nuda pactio obligationem non parit, sed parit exceptionem, quia mortaliter peccat recedendo a pacto, arg. 22. q. 1, praedicandum. Quia inter simplicem loquelam et iuramentum non facit Deus differentiam, 22. q. 5, iuramenti. De hoc dic ut habes, 12. q. 2, quicumque suffragio.

X 1.35.02 *Quotiens*

Ratihabitio
Et ita si pactum ab initio etiam non teneat, per ratihabitionem superioris fit validum, infra, de transact., sicut. Argumentum est ergo quod ratihabitio retrotrahitur et mandato comparatur, arg. infra, de clan. despon., si quis. Sed contra videtur, ff. de his qui not. infam., quid ergo. Sed distingue utrum tale sit quod ab initio mandare vel concedere potuit qui ratum habet, et tunc mandato comparatur, alias non, ut potes colligere ex fine legis illius ff. de off. procon., observare; et ff. de servitu. rust. praed., per fundum; et infra, de regular., significatum; et infra, de regular., cum virum. Sed quasi regulare videtur ut ratihabitio retrotrahatur, et confirmet praecedentia, ff. de pignorib., si fundus § si nesciente; infra, de his quae fi. a prael., cum nos. Ratihabitio tamen habet exceptiones in filia, quae nubit tempore luctus, postea patre ratum habente, ff. de his qui not. infam., quid ergo. Fallit in pupillo ubi non valet ratihabitio tutoris nisi praesens sit in ipso negotio, Inst. de auct. tut. § tutor; et ff. de auct. tut., obligari § pupillus. Fallit in servo, ff. de acq. hered., si quis mihi § iussum, ubi debet praecedere iussus domini.

Solidare
Id est, confirmare. Et intellige cum causae cognitione, infra, de confirm. util. vel inutil., si quis; et infra, de confirm. util. vel inutil., de confirmationibus. Alias parum valeret confirmatio in forma communi. Ber.

X 1.35.03 *Qualiter*

Compleantur
Simile 23. dist., psalmista; et illud: et quae procedunt de labiis meis, non faciam irrita. Et est arg. quod verba cum effectu sunt intelligenda, infra, de cleri. non residen., relatum. Item nec sufficit voluntas nisi sequatur effectus, infra, de eo qui mitt. in poss. caus., constitutis; simile infra, de re iudic., cum aliquibus. Arg. contra supra, de bigam., a nobis.

X 1.35.04 *Cum pridem*

Dicebat
Iste enim cum esset coniuncta persona, etiam sine mandato audiretur agens pro fratre, ff. de procur., sed hae personae; et de procur., Pomponius § ulti.; et C. de procur., exigendi; et supra, de rescript., nonnulli. Tamen cavere debet de rato, alias non obesset, C. quib. res iud. non noc., si neque.

Liti cederet
Haec renunciatio fratri non noceret, licet esset procurator eius et generalem administrationem haberet, ff. de procur., mandato generali; et C. de procur., si procurator; et C. de transaction., transactionis.

Non duximus
Infra, de transact., statuimus. Contra solutionem ibi, compositio super decimis facta licita est, ut infra, de decim., ex multiplici; et infra, de decim., nuper. Hic vero simonia expresse committebatur, recipiendo pecuniam pro re spirituli quam renunciavit. Item arg. contra infra, de praeben., nisi. Ibi nulla compositio vel pacto turpis inter partes intervenit, sed iudices pro bono pacis in quos compromissum fuit, statuerunt ut ad tempus certa pecunia solveretur. Et ideo Papa illam constitutionem ex causa praedicta toleravit. Sed hic pactio turpis inter partes intervenit.

Illicitae pactionis speciem
Quia ius spirituale pro pecunia remissum fuit. Quidam dicunt quod pactum valuisset, si auctoritas Papae intervenisset, arg. ff. de his qui not. infam., furti § qui iussu. Tanc. dixit quod propter auctoritatem superioris simonia non purgatur, ex quo aliquis est simoniacus. Si vero cum ius habeo, dedero tibi pecuniam redimendo vexationem meam, non pecco, arg. 1. q. 3, quaesitum; et infra, de simon., dilectus 1; iuxta illud Apostoli: redimentes tempus, quoniam dies mali sunt. Arg. tamen est contra infra, de simon., Matthaeus. Sed ibi data fuit pecuniam his qui ius habebant in electione. Sed videtur quod si compositio esset confirmata per Papam, quod excusati fuissent isti fratres, quia Papa habet

plenitudinem potestatis, et potest supra ius dispensare, infra, de concess. praeben., proposuit. Et de eo quod non est ius, facit ius, 3. q. 6, hoc quippe. Item ipse naturam rei immutare potest, C. de rei uxor. act., rem, in princ. Potest dici quod in his quae in sui natura simoniaca sunt in veteri testamento, ut vendere sacramenta et huiusmodi spiritualia, ibi non excusat auctoritas Papae, et secundum hoc intellige quod dixit Tanc. In his vero quae per constitutionem ecclesiae simoniam inducunt, excusaret auctoritas Papae, quia potest dispensare in talibus.

Resignavit
Ad cautelam et ex superfluo, quoniam facta renunciatione ipso iure irrita sunt instrumenta, C. de condi. ex leg., dissolute; et infra, de transact., sicut. Et adversarius potest illa petere, C. ad exhib., si ex quocumque.

Restitui faciatis
Arg. contra 7. q. 1, quam periculosum, ubi habes quod Esau recipere postea non potuit quod semel cessit. Potest dici quod non tenuit renunciatio, cum essent eo tempore spoliati, arg. infra, de restit. spol., sollicite. Dicas melius quod isti imploraverunt beneficium principis et de gratia restituuntur, et illa renunciatio tacitam habebat conditionem annexam, scilicet, si monachi adimplerent quod mandavit Papa, sic supra, de renunciat., sane. De hoc dictum fuit supra, de elect., cum inter R. Sed pone quod monachi iam contulissent ecclesias aliis, quid fieret? Arg. quod non removeantur instituti, 6. q. 1, eos. Immo removendi sunt, et monachi tenentur providere illis, 7. q. 1, praesentium; infra, de praeben., inter caetera.

X 1.35.05 *Accepimus*

Nominatim
Hoc etiam improbatur a iure civili, quia non possumus pacisci de hereditate alterius, nisi eius voluntate, C. de pacti., de quaestione.

Canonibus
Qui prohibent successiones in ecclesia Dei fieri, 8. q. 1, Apostolica, supra, de fil. presbyt., ad extirpandas; infra, de fil. presbyt., praesentium; et supra, de fil. presbyt., ex transmissa; et quasi per totum.

X 1.35.06 *Cum clerici*

Paciscantur
Pactum istud non valet, quia est contra canones, infra, de censib., prohibemus; infra, de praeben., avaritiae. Et pactum turpe non valet, infra, de pact., pactiones. Et iuramentum super hoc praestitum non tenet, infra, de censib., gravis; infra, de iureiur., tua nos 1, arg.

Pensiones
Sed pone quod facultates ecclesiae sint augmentatae, numquid pensio debet augmentari? Arg. est hic quod non, infra, de censib., prohibemus. Sed contra arg. infra, de censib., quanto; et supra, de consti., cum M. Potest dici quod si diligentia clericorum bona sunt

augmentata, non debet augeri pensio, ne diligentia sua sit illis damnosa, C. de alluv., ea quae. Si vero aliunde bona ecclesiae augmentatae fuerint, tunc potest et debet augeri pensio, quia iusta causa subest ut augmentetur, arg. infra, de censib., quanto. De hoc dic ut infra, de censib., prohibemus.

Ecclesiastica
Quae erit depositio, cum simoniaci sint, 1. q. 1, reperiuntur; et 1. q. 1, simoniacos.

X 1.35.07 *Plerique*

Reprobamus
Pactum enim tale non nocet ecclesiae quin a quolibet possessore possit petere decimam, ff. de pacti., inter debitorem; ff. de institut. act., si cum villico. Et arg. ad hoc 16. q. 1, si quis laicus. Et hoc patet ex eo quod dicit in fine, ecclesiae parochiali reddatur. Arg. contra ff. de pacti., epistola § pactum, ubi dicitur quod tale pactum iustum est. Solutio: tale pactum iustum est, ut creditor qui possidet pignus tributum solvat, ut dicit ff. de pacti., epistola § pactum. Quia et sine tali pacto possessor conveniendus est. Si vero in contrarium fieret pactum, quantum ad ipsos paciscentes valet pactum, sed non quantum ad dominum tributorum, quia pactum privatorum formam iuris fiscalis non tollit, ut dicit lex praedicta ff. de pacti., inter debitorem; et infra, de for. compet., si diligenti.

Reddatur
Et ita ecclesia potest agere contra regulares vel saeculares clericos, ut ei reddant quod perceperunt occasione talis pacti. Posset etiam agere contra possessores si vellet, arg. 12. q. 2, Apostolicos; et C. si tut. vel curat. interven., etiam in his.

X 1.35.08 *Pactiones*

Cessare
In spiritualibus enim omnis pactio illicita seu conventio cessare debet, ut 1. q. 1, quam pio; et infra, de simon., tua; et infra, de transact., praeterea quando; et infra, de transact., super eo; et infra, ut eccl. ben., ut nostrum; quia huiusmodi pactiones simoniam inducunt, ut supra, de pact., cum pridem; tacite etiam vel expresse, 16. q. 7, per laicos; item si huiusmodi pactum sive promissio, aut etiam iuramentum vergat in animae detrimentum, ut hic dicit. Si solus hominem spoliare non possit, inveniat socium cum quo paciscatur, ut simul id faciant, et dividant spolia, 22. q. 4, si ad peccatum; et 22. q. 4, mulier. Non enim fert opem qui adiuvat ad peccandum, 14. q. 6, si res. De iuramento habes multa exempla, 22. q. 4, si aliquid; et 22. q. 4, non est observandum, et in pluribus aliis capitulis ibidem.

Legitimas
Secundum leges turpe pactum non tenet, ff. de ver. oblig., generaliter. Turpe pactum dicitur sive turpis rei, puta si quis promittat se facturum homicidium vel sacrilegium, ff. de ver. oblig., veluti; et Inst. de inutil. stipul. § quod turpi. Item pactum quod continet turpem causam non tenet, puta si paciscar ne furti agam vel iniuriam, ff. de pacti., si unus § pacta. Secundum canones etiam turpes promissiones non tenent, 22. q. 4, unusquisque;

et 22. q. 4, in malis promissis; et 22. q. 4, non semper promissa; et 22. q. 4, diffinitio; et 22. q. 4, si ad peccatum; et 22. q. 4, mulier; et hoc est pactum turpis rei. Pactum turpe dici potest quod fit de turpe rei, ut 22. q. 4, si ad peccatum. Et pactum dicitur turpe quod fit etiam de re sacra sive spirituali, ut hic, et in omnibus quae in sua natura bona et licita sunt, sed per pactum fiunt illicita. Item pactum de re cuius commercium per rerum naturam haberi non potest, nullius est momenti; ff. de regul. iur., impossibilium; et ff. de ver. oblig., si stipuler; et Inst. de inutil. stipul., circa princ. Et generaliter pactum quod contra leges et constitutiones vel contra bonos mores fit, nullius est momenti, C. de pacti., pacta quae; ff. solut. matrim., alia § 1; vel contra senatusconsultum, plebiscita, decreta, edicta principum, ff. de pacti., iurisgentium § praetor. Sic et impossibile praeceptum nullum est sive sententia, ff. quae sent. sine appel., Paulus.

Rei turpis
Rei turpis nulla est obligatio, ff. mand. vel cont., si remunerandi § rei turpis. Ber.

X 1.36 DE TRANSACTIONIBUS

X 1.36.01 *Sicut grave*

Sit vacuum
Ergo licet postea reperiantur instrumenta, non tamen lis restaurabitur, C. de transaction., sub praetextu; et infra, de re iudic., inter monasterium; et infra, de re iudic., suborta. Arg. contra C. de iud., licet; et Inst. de inutil. stipul., circa princ. Super hoc ita notabis est petitio specialis, generalis et definita. Hic transactio specialis non obest in aliis specialibus, C. de transaction., age cum Geminiano. Hic transactio generalis restringitur ad hoc de quo specialiter actum est, ff. de transaction., qui cum tutoribus § 1; C. de transaction., si de re certa. Hic generalis transactio non rescinditur, C. de transaction., sub praetextu. Hic specialis transactio in uno capitulo non impedit processum aliorum, C. de transaction., si ex falsis. Hic generalis transactio de rigore iuris tenet, sed replicatione doli rescinditur, ff. de pacti., tres fratres; ff. de admin. tut., Lucius § tutor. Hic indefinita ut specialis transactio in aliis non obest, quae in iudicium deducta non sunt, C. de iud., licet.

Habitorum
Arg. novissima pacta dumtaxat valere, C. de pacti., pacta; et ff. de pacti., si unus § pactus; et supra, de rescript., caeterum, in fi.

Obtineat
Nisi dolo transactio talis sit exorta, quia tunc non valeret, C. de transaction., sub praetextu; ff. de pacti., emptor § Lucius.

Notionis
Factae cum causae cognitione, ut dicitur supra, de pact., quotiens; et supra, de pact., qualiter.

Auctoritate
Nota quod si transactio vel pactum ab initio invalidum sit, per confirmationem Papae sumit vigorem, ut hic, arg. supra, de pact., quotiens. Sic et sententia quae non tenet, per confirmationem Papae efficitur valida, 3. q. 6, haec quippe. Et omnia nostra facimus dicit imperator, quibus auctoritatem nostram impertimur, C. de vet. iure enucl., Deo auctore § sed neque. Sic testamentum omnium testamentorum solemnitatem superare videtur, quod conscientiam principis tenet, C. de testament., omnium.

X 1.36.02 *Statuimus*

Ut si super decimis
Hic est arg. quod in spiritualibus potest intervenire transactio, 54. dist., generalis; et 54. dist., ex antiquis; et 10. q. 2, casellas, in fi.; et 23. q. 4, si illic; et infra, de rerum perm., ad quaestiones. Sed contra 1. q. 2, quam pio; et supra, de pact., cum pridem; et supra, de pact., pactiones; et infra, de transact., constitutus; et infra, de rerum perm., ad quaestiones; et infra, de rerum. perm., exhibita; et 16. q. 7, decimas quas; et 13. q. 2, in ecclesiastico; et 1. q. 1, placuit; et infra, de transact., super eo. Solutio: in spiritualibus transactio proprie sumpto vocabulo intervenire non potest, ut aliquod temporale detur pro spirituali, quia simoniacum esset, et sic intelliguntur contraria hic signata. Quod dicunt duae primae concordantiae de servo ordinato, quod ibi potest intervenire transactio, non est verum quia ibi non datur temporale pro spirituali, quia licet detur ne revocetur in servitutem, nihil datur pro ordine, nec aliquod spirituale emitur, sed emitur libertas et servitium corporale redimitur, ut libere possit ministrare, quod licet, 36. q. 1, de raptoribus. Sicut cum emitur terra ut ibi aedificetur ecclesia, quod licet, quia non dicitur propterea emi ecclesia vel simonia committi. Capitulum 10. q. 2, casellas, non obstat nec dicit hoc, sed dicit quod res ecclesiae alienari non debent, excepta causa captivorum ut ibi dicitur. Sed non dicitur transactio, sed proprie captivorum redemptio. Et datur pecunia recepta de rebus et vasis ecclesiae, et redimuntur captivi. Et amicabilis compositio potest intervenire in spiritualibus, ut hic dicit, et infra, de decim., ex multiplici; et infra, de decim., nuper; et infra, de decim., dilecti; et infra, de transact., de caetero; et infra, de transact., super eo, in fi.; et infra, de transact., veniens.

Personam ecclesiasticam
Quasi dicat, cum laicis non possent taliter componere, ut ex illo spirituali quod ecclesiis debent, aliquid retinere possent, cum laicis spiritualia possidere sine periculo animarum non liceat, infra, de decim., prohibemus; et 16. q. 7, decimas quas in usum; et infra, de praescrip., causam quae. Et sic videtur quod cum laicis non possit fieri compositio ut minus solvant, nisi Papa auctoritatem praestaret, infra, de confirm. util. vel inutil., sua nobis. Tamen propter utilitatem ecclesiarum videtur licere saltem de auctoritate episcopi, quia sic multum consulitur ecclesiae, arg. infra, de his quae fi. a prael., cum Apostolica. Ber.

X 1.36.03 *Contingit*

X 1.36.04 Constitutus (rev. 9/23)

Litteras

Nota quod abbas simpliciter ad agendum constitutus sine licentia capituli transigere non potest, C. de transaction., transactionis. Unde procurator transigere non potest, etiam si haberet generale mandatum ad agendum, ff. de procur., mandato. Vincen. dicit quod licet abbas vel alius praelatus non possit transigere sine speciali mandato, ad hoc tamen potest exercere actionem, ff. quod cui. univ. nom., constitui. Arg. contra expressum ff. de iure delib., ait praetor, ubi dicitur quod ille qui non potest alienare, non potest rem in iudicium deducere. De hoc dicitur infra, de procurat., alia. Si tamen abbas praeter mandatum procuratorium habeat litteras de rato a capitulo suo, continentes simpliciter quod quicquid super tali negotio fecerit ratum habebit, potest transigere, ut sic notentur differentiae inter litteras procuratorias et litteras de rato, infra, de relig. dom., cum dilectus, ubi de hoc, et hic idem videtur. Quod dicit litteras de rato, expone ut ibi dixi, id est, mandatum procuratorium continens quod etiam abbas transigere posset super quaestione de qua coram delegato agebatur, cum illa clausula, et quicquid super his per abbatem factum fuerit, capitulum ratum habere promisit. Alias non valeret talis transactio, ut dictum est. Vel abbas habuit simplex mandatum transigendi tantum coram delegato, et ita capitulum non poterat revocare transactionem ex eo quod non consenserat. Vel dic quod in notula sequentis.

Aliquot annis

Hoc ideo dicit, quia si transactio fiat secundum formam iuris, post quadriennium rescindi non potest. Ante vero potest si ecclesia probaret se laesam, infra, de in integ. restit., requisivit. Alias non potest venire contra transactionem etiam statim, C. de transaction., quamvis. Et secundum hoc supple maxime, quia idem esset si non fuisset servata. Et hoc innuit littera quae dicit: capitulum ac si non consenserit in eam, non potest revocare, quasi diceret non poterit eam revocare tamquam non consenserit, quia consensit concedendo litteras de rato, vel potius consensit eam observando. Si enim abbas non habebat mandatum de transigendo, statim debebant contradicere monachi, et ideo eum impugnare non possunt quasi non consenserint. Et quod dicit, aliquot annis, supple maxime, quia idem est ac si semel consenserint, infra, de arbitr., per tuas. Unde de iure communi non potest revocari, sed per in integrum restitutionem si non fuit aliquot annis, id est, quatuor servata. Et haec expositio probatur C. de temp. in int. rest., supervacuam, ubi habes quod omnis restitutio, tam maioris quam minoris, infra quadriennium debet fieri. Et hoc est contra opinionem illorum qui dicunt quod restitutio semper est danda, et ante quadriennium et post, et quandocumque; arg. illius adverbii, semper, et infra, de in integ. restit., requisivit. Ber.

Ac si

Idem tamquam si non consenserint, quia re vera consensit dando litteras de rato.

X 1.36.04 *Constitutus*

Fide praestita

Id est, iuramento, quod non fuit obligatorium, quia super re illicita et contra leges et canones, C. de legi. et const., non dubium; et 22. q. 4, inter caetera; et infra, de iureiur., tua nos 1; et supra, de pact., pactiones; et ff. de pacti., iurisgentium § sed et si quis, vers.

et generaliter quotiens pactum a iure communi, etc. Vel proprie intelligitur, quia aeque punitur transgressor fidei, ut iuramenti, ut infra, de fideiuss., pervenit; et infra, de his quae vi met. caus. fi., ad aures. Item arg. quod si non tenet principale nec accessorium; simile infra, de for. compet., si diligenti; et infra, de fide instrum., inter dilectos. Arg. contra quod accessorium tenet, sed non principale, infra, de iureiur., debitores.

Audiatis
Sed cum sit transactio simoniaca, quare non deponitur, immo contra iuramentum sive fidem suam auditur? Dicas quod de gratia tantum auditur ad pristinam causam, quia de iure deponi debuit, cum ipse confiteretur peccatum suum et turpitudinem suam, immo audiri non debuit contra factum suum et turpitudinem suam, infra, de concess. praeben., cum super; et infra, de dona., inter dilectos. Sed videtur obstare huic exceptio doli, cum uterque in culpa fuerit, volendo servare transactionem, ff. de dol. except., apud Celsum § Marcellus. Praeterea in pari causa turpitudinis potior est conditio possidentis, ff. de condi. ob turp. caus., si ob turpem § porro. Solutio: uterque de iure communi puniri debet, sed de iure poli auditur, ut quod pravum est corrigatur, infra, de re iudic., lator; et infra, de re iudic., consanguinei; infra, de collus., scripta. Et causam praestitit dispensationi, ne alter de dolo suo commodum, alter vero damnum sentiret, et ideo non admitteretur haec exceptio doli, quia alius remaneret in dolo et simonia. Et propter hanc rationem contra exceptionem doli non datur replicatio, ut in ff. de dol. except., apud Celsum § Marcellus.

X 1.36.05 *De caetero*

Extraordinariam
Id est, delegatum. Sic 3. q. 3, induciae § spatium, vers. ei autem.

Contraria
Quia si esset contraria iuri, non toleraretur, supra, de elect., sacrosancta; et supra, de offi. deleg., si quando; arg. supra, de pact., accepimus; et supra, de pact., cum clerici; et infra, de collus., audivimus; et supra, de maior. et obed., dilecti filii. Si autem consona sit iuri, tenet supra, de transact., statuimus; et infra, de transact., super eo, in fi. Et potest intelligi quod dicitur hic, quando de provisione ipsius iudicis ex officio suo sine aliqua pactione partium statutum fuit factum et iusta causa interveniente, alias simoniaca esset, infra, de praeben., nisi. Et talis compositio personalis erit, nec transit ad successorem illius qui solvit, infra, de transact., veniens; et infra, de praeben., nisi; quia censualem ecclesiam constituere non potuit, infra, de censib., prohibemus, nisi facta fuerit de auctoritate episcopi, ut dicit in fine. Vel dic quod hoc capitulum locum habet cum una ecclesia agit contra aliam de subiectione, vel pro aliquibus iuribus coram delegato, et compositio inde fiet coram delegato, quod dixit infra, cui praeest, scilicet imperator. Ber.

X 1.36.06 *Ex litteris*

Patrocinabatur
Per hoc iuri suo tacite renunciare videbatur. Qui enim scienter patrocinatur petenti rem suam sibi praeiudicat, ut hic, et ff. de inoffic. testam., si exheredatus; secus si ignoranter,

ff. de rei vend., inter officium; et C. de rei vend., re tua; et C. de prascri. long. temp., nec petentem.

Testis inscriptus
In instrumento transactionis, et non in causa in qua patrocinabatur, quia et testis et advocatus in eadem causa esse non debet, 2. q. 6, statuendum. Sed quaeritur an ob hoc solum quod testis inscriptus fuit, possit a petitione repelli? Videtur quod non, quia non ob hoc iuri suo renunciare intelligitur, ff. de pigner. act., Caius. Sed ibi ignorabat quod continebatur in testamento, quod signavit Caius cum annulo suo, secus si auctoritatem praestitit, ff. de pignorib., fideiussor § pater Seii, et hic.

Transactio
Id est, amicabilis compositio, supra, de transact., de caetero, in fi.; et supra, de transact., statuimus; et infra, de transact., super eo, in fi. Alias transactio proprie de re spirituali fieri non potest, supra, de transact., constitutus; et infra, de transact., super eo; quia quod simoniacum esset.

Impetravit
Contra ipsum R., contra quem fuerat advocatus.

Non inficiaretur
Et ita ex confessione convincitur, quia confessus in iure pro convicto habetur, infra, de confess., cum monasterium; et infra, de confess., ex parte; et C. de confes., confessos. Ex duobus enim debet iste succumbere, quia praestando auctoritatem transactioni iuri suo renunciavit, et quia mendacium dixit impetrando veritatem occultando, merito ergo silentium ei imponitur.

Tonsuratum
Ergo licet postmodum tonsuram acceperit, non profuisset ei; arg. supra, de rescript., cum adeo. Principium enim in talibus considerandum est, supra, de elect., dudum ad audientiam, ubi de hoc; et 1. q. 1, principatus.

X 1.36.07 *Super eo*

Super re sacra
Hic evidenter patet quod de re sacra sive spirituali transactio intervenire non potest, supra, de transact., constitutus; et infra, de transact., praeterea quando; et infra, de transact., ex parte; neque pactio, supra, de pact., pactiones; et supra, de pact., cum pridem; et supra, de pact., accepimus; et supra, de pact., cum clerici; ut dictum est et supra, de transact., statuimus; ut detur temporale pro spiritualibus, infra, de rerum perm., exhibita. Sed si spirituale detur pro spirituali, bene tenet, et valet talis permutatio seu transactio, infra, de rerum perm., ad quaestiones. Et sic tantum detur spirituale vel remittatur pro alio spirituali. Sed distingue utrum agatur de re etiam spirituali quae petatur tamquam beneficium, an tamquam proprietas si agatur super beneficio ut aliquis recipiatur ad beneficium ecclesiae, vel quantum ad praelationem, tunc nulla potest intervenire transactio proprie. Et hoc notavit dum dixit ecclesiastico beneficio in litigium

deducto, quia simoniacum esset et quia talis titulus non habetur ex transactione, sed per canonicam institutionem, infra, de instit., ex frequentibus; et supra, de renunciat., admonet; et 16. q. 7, nullus omnino; arg. ff. de decur., Herennius. Si vero res sacra sive spiritualis in litigium deducatur tamquam proprietas, tunc bene potest intervenire transactio, puta duae ecclesiae sive duo episcopi litigant super aliqua ecclesia vel aliquibus, quia alter dicit illas sibi subiectas, alter negat qui possidet, ibi potest intervenire transactio, quia et permutatio, infra, de rerum perm., ad quaestiones; ut si unus haberet unam ecclesiam, et alter aliam per transactionem, vel quia unus episcopus aliqua spiritualia in ecclesia perciperet, et alius alia, hoc totum potest fieri per transactionem. Sic etiam potest intelligi supra, de transact., statuimus. Potuit fieri divisio decimarum inter partes, quaedam tamen sunt in quibus non admittitur transactio seu compositio, ut infra, de transact., ex parte, ubi de hoc. Ber.

Dato
Transactio non procedit vel non fit, nisi in aliquo loco vel retento vel promisso, ut hic dicit, et C. de transaction., transactio. Qui enim transigit quasi de re dubia, et lite incerta neque finita transigit, ff. de transaction., qui transigit. Et ideo dixi, dubia, et etiam lite incerta, quia credit se habere bonam causam. Alioquin si evidens esset calumnia, non tenet transactio, ff. de condi. indeb., in summa, 1. resp. Neque finita, ideo dixi, quia si finita esset causa per sententiam a qua non esset appellatum, postea non teneret transactio, ff. de condi. indeb., eleganter § si post rem iudicata.

Simoniae
Supra, de transact., constitutus; et infra, de transact., praeterea quando; et infra, de transact., praeterea quarto.

Amicabiliter
Supra, de transact., statuimus; et supra, de transact., de caetero; et infra, de transact., veniens; et infra, de decim., ex multiplici; et infra, de decim., nuper.

Canonibus
Qui prohibent illicitas pactiones in spiritualibus, ut 1. q. 2, quam pio; et 1. q. 1, eos; et 1. q. 3, si quis praebendas, cum suis concordantiis; et supra, de pact., pactiones.

X 1.36.08 *Veniens*

Necessaria
Quaedam sacramenta sunt necessaria, quaedam voluntaria. Haec distinctio ponitur 1. q. 1 § sed notandum. Sacramenta necessitas sunt ista: baptisma, confirmatio, poenitentia, ultima unctio, corpus Christi. Et ideo dicuntur sacramenta necessaria vel necessitatis, quia sine istis homo salvari non potest. Si ex contemptu omittuntur et haberi possunt, sacramentum vero baptismi in necessitate a quocumque potest recipi, dummodo in forma ecclesiae conferatur, supra, de summ. trin. et fid. cath., firmiter, in fi.; et de conse. dist. 4, a quodam. Et etiam poenitentia, nam confiteri possunt cuicumque in necessitate iuxta illud confitemini alterutrum peccata vestra. Sacramenta vero voluntaria sunt illa quae omittere non est peccatum, quae dignitatis sacramenta dicuntur, ut in 1. q. 1 § sed

notandum, ut sunt ordines qui a dignioribus conferuntur, id est, episcopis, vel quia non nisi digni ad ordines assumendi sunt. Item matrimonium. Sine huiusmodi sacramentis bene possunt salvari, 22. q. 4 § illicitum, ad fi.

Transactionem
Id est, compositionem, infra, de transact., statuimus; et infra, de decim., ex multiplici, ubi similis est compositio vel proprie tenetur.

Confirmatam
Sed numquid confirmatio Papae transactionem personalem facit realem, ut sic immutet eius substantiam? Videtur quod sic, quia auctoritas principis facit quandoque ex nudo pacto actionem dari, et auctoritas legis hoc facit, arg. ff. de pacti., legitima. Et quod confirmata, datur ff. de ver. sig., lege obvenire. Et princeps unit duas res in unam naturam, C. commun. de legat., omne. Arg. contra 12. dist., praeceptis; et infra, de confirm. util. vel inutil., cum dilecta; et infra, de confirm. util. vel inutil., sua nobis. Dic quod haec transactio ab initio, quantum ad intentionem transigentium fuit realis, sed sacerdos ille hoc facere non poterat sua auctoritate, nec successorem poterat obligare sine auctoritate superioris, arg. supra, de transact., de caetero; et supra, de caetero, contingit. Sic habes infra, de confirm. util. vel inutil., venerabilis. Et ita confirmatio Papae facit realem transactionem, quae quantum ad ipsas personas personalis erat, si ex certa scientia hoc facit, quia potest facere quod illa quae nulla est sit aliqua, arg. 16. q. 1, quoniam quicquid; et infra, de his quae fi. a prael., cum Apostolica. Et plus est de nihilo aliquid facere, quam de aliquo aliud, arg. de conse. dist. 2, re vera; arg. C. de rei uxor. act., rem, circa princ.

Inter alios
Sic ff. de pacti., si unus § item ne experiar, in fi. Et ita pactum praedecessoris non obligat successorem, arg. infra, de precar., de precariis. Sic et confessio inter alias personas non nocet alii, 2. q. 5, interrogatum; infra, de adult., significasti. Sed numquid ille sacerdos posset revocare talem transactionem antequam confirmetur a Papa, cum sit personalis? Arg. quod sic, 35. q. 9, quod quis; et 35. q. 9, quisquis; et infra, de rebus ecc. non alien., si quis. Credo quod licet sit personalis transactio, ipse tamen quamdiu vixerit non poterit revocare, sicut nec monasterium eam posset revocare, infra, de decim., ex multiplici; nisi per in integrum restitutionem si ecclesia esset laesa, infra, de in integ. restit., requisivit.

Ipsos
Scilicet, monachos de parte sua, infra, de decim., tua 2; et colonus de sua, ut ibi.

X 1.36.09 *Praeterea*

Transigitur
Propria auctoritate.

Nullam
Immo etiam auctoritate superioris non posset modo constitui censualis ista ecclesia, nec vetus census augeri, infra, de censib., prohibemus; et infra, de censib., scientes.

Simoniaca
Cum non liceat transigere de re spirituali interventu pecuniae, ut dictum est supra, de transact., statuimus. Simile supra, de pact., cum clerici; infra, de transact., praeterea quarto.

X 1.36.10 *Praeterea*

Eximi
Contendendo in iure, quod non debeat subesse non privilegium allegando. Laur.

Confitentes
Similem confessionem habes infra, de except., cum venerabilis. Sed illa eis non obfuit, quia excipiendo hoc fecerunt. Per hanc confessionem fundata fuit intentio alterius partis. Poterant sic respondere, olim fuit quaestio de subiectione, sed illa fuit transactione, id est, amicabili compositione terminata.

Censum
Qui, scilicet, census, licet esset recognitio debitae subiectionis, ut infra, de censib., omnis; arg. 18. q. 2, Eleutherius. Non tamen debuit sic transigi. Immo videtur quod non possit eximi, sicut nec episcopus pleno iure eximit etiam ecclesiam, infra, de dona., pastoralis. Sed si gratis vellet quis ecclesiam sibi subiectam non per transactionem eximere, bene posset remittere quicquid iuris habeat in ea, retinendo etiam pensionem annuatim solvendam maiori ecclesiae, nec esset simonia, infra, de relig. dom., constitutus. Ita tamen quod illi de cella deberent obedientiam et reverentiam matrici domui, infra, de censib., cum venerabilis. Quia sine capite esse non debet, quia in hoc non posset maior ecclesia illos eximere, 93. dist., nulla ratione.

Subiectione
Non poterat hic allegari praescriptio, quia contra subiectionem non currit praescriptio, infra, de praescrip., cum non liceat. Et quia malam fidem praesumebantur habere propter confessionem propriam.

Confessione
In iure factam, et coram iudice suo, infra, de iudic., at si clerici; et ff. de interrog. act., voluit. Et ita confessio contra se praeiudicat, infra, de confess., cum super; et infra, de confess., ex parte, ubi de hoc. Et intellige quod per syndicum confessi sunt, quamvis dicat hic, fratrum confessione, nec revocaverunt confessionem.

Simoniacam
Supra, de transact., praeterea quando; et supra, de transact., constitutus; et supra, de pact., cum pridem; et supra, de pact., pactiones.

X 1.36.11 *Ex parte tua*

Ad componendum
Sic enim iudex prius debet concordare parte quam ad iudicium venire si potest, 5. q. 2, si primates; et 90. dist., studendum; 23. q. 8, si quis membrorum; et 23. q. 4, si illic; et infra, de simon., querelam.

Severitati
Quandoque enim detrahendum est severitati, ut maioribus malis sanandis caritas syncera subveniat, 50. dist., ut constitueretur. Et ubi saluti nil detrahebatur, humilitati posteriores doctores aliquid addiderunt, ut ibidem dicitur.

Multitudine
Quia quod peccatur a pluribus transire solet inultum, 1. q. 7, quotiens a pluribus; et 23. q. 4, non potest; supra, de temp. ord., sane. Et cum multitudine peccantium magis docendo quam iubendo agendum est. Severitas autem exercenda est in peccata paucorum, 44. dist., comessationes; infra, de cleri. excom., latores.

Sacramentum
Sic patet quod in matrimonio non habet transactio seu compositio locum, ut contra matrimonium aliquid statuatur, cum sit statutum ab ipso Domino in paradiso, quia quod Deus coniunxit, homo non separet, ut 26. dist., deinde opponitur; et supra, de translat., inter corporalia; et 33. q. 2, an quod; et 33. q. 2, quos Deus. Et causa matrimonialis per arbitros tractari non potest, infra, de in integ. restit., causa, in fi. Sed per iudices discretos qui potestatem habeant iudicandi, infra, de cons. et affin., ex litteris, in fi. Nec dispensatio locum habet, ut dicit hic. Sed contra videtur quia circa matrimonium dispensatur, 35. q. 3, quidam lex; et 35. q. 3, quod scripsi; et 35. q. 8, de gradibus. Dicas in matrimonio circa gradus constitutione canonica interdictos, dispensatio adhibetur ex iusta causa, ut simul remaneant, in quo casu loquuntur contraria. Circa gradus lege divina prohibitos, vel ut matrimonia legitime contracta separentur, nulla dispensatio adhibetur ab ecclesia. Et de tali dispensatione hic intelligitur, nam ut patet in integra, quidam uxores legitimas dimittebant et alias ducebant, cum talibus nulla dispensatio adhibetur, ut sic remaneant cum secundis. De gradibus divina lege prohibitis habes infra, de restit. spol., litteras. Hodie vero de facili non dispensaret ecclesia circa consanguinitatem, cum usque ad quartum gradum restricta sit copula coniugalis, infra, de cons. et affin., non debet.

Et infideles
26. dist., deinde opponitur; et 28. q. 1, per totum. Sed apud infideles non est ratum, quin possit separari altero veniente ad fidem catholicam in infidelitate reliquo remanente, infra, de divort., quanto; et infra, de divort., gaudemus.

Aequitate
Quam iudex prae oculis semper debet habere, ff. de eo quod cert. loc. dar. op., quod si Ephesi, in fi. Et ita videtur ex eo quod dicit, in quibus ius non invenitur expressum, procedas aequitate, etc., quod ius semper sit praeferendum aequitati; arg. contra C. de iud., placuit. Sed potest intelligere illud de aequitate scripta, quae debet praeferri rigori iuris, hic de aequitate non scripta, quae tunc solum servanda est cum ius deficit. Hoc

verbum sumptum fuit de lege illa, ff. de aqua pluv. arc. § item Varus, in fi. Sic dicitur de consuetudine quae servatur cum deficit lex, 1. dist., consuetudo. Et ubi ius scriptum non est, de similibus ad similia est procedendum, ff. de legib., non possunt; et infra, de re iudic., in causis; et infra, de statu monach., super quodam, in fi.; et infra, de statu monach., recolentes; et supra, de rescript., inter caeteras; et supra, de translat., inter corporalia.

In humaniorem

Quia semper debemus promptiores esse ad absolvendum quam ad condemnandum, ff. de act. et oblig., Arrianus; et ff. de poe., respiciendum; et infra, de probat., ex litteris; et 26. q. 7, tempora poenitudinis. Et promptiores ad misericordiam quam ad rigorem, quia melius est praestare causas pro misericordia quam praetendere inclementiam, 86. dist., non satis, ad fi. post medium columnae. Et melius est pro veritate pati supplicium quam pro adulatione beneficium, 11. q. 3, nemo peritorum. Et sententia quae misericordiam vetat, fugienda est, 50. dist., ponderet; et 26. q. 7, alligat, ubi dicit quod si Dominus est largus dispensator, eius famulus non debet esse tenax; et 9. dist., sana; et 1. q. 7, exigunt.

Causas

In omnibus poenis inferendis considerantur ista quatuor principaliter. Persona primo consideranda est quae sit, quia aliter proceditur cum maioribus quam cum minoribus, supra, de offi. deleg., sane quia; et supra, de offi. deleg., pastoralis; et 35. dist., cum beatus; et 24. q. 1, qui contra ecclesiae pacem; et infra, de simon., per tuas 1. Causa etiam consideranda est, infra, de voto et vot. redem., magnae, in fi.; et infra, de accusat., cum dilectus; et 23. q. 8, occidit; et ff. de fur., verum; et 16. q. 6, consuetudo, in fi. Et oppositum arg. 6. dist., testamentum. Et locus consideratur in iudiciis, arg. supra, de rescript., nonnulli; quia consuetudo loci attendi debet, 4. dist., erit autem; et 31. dist., ante triennium; et 31. dist., aliter; et infra, de cleri. coniug., cum olim. Et tempus etiam consideratur, quia est tempus tacendi et tempus loquendi, 36. dist., qui ecclesiasticis § ecce. In quo statu sit princeps loci, ut hic dicit, prout status imperii, etc., quia in turbatione regni rigor iuris servari non potest. Et propter novitatem gentis tempus consideratur, ut 35. q. 3, quod scripsi; et infra, de poenit. et remiss., Deus. Propter novitatem fidei multa ibi attenduntur, et hoc totum habes 29. dist., sciendum; infra, de homic., sicut dignum, 1. resp., ubi ista quatuor considerantur, et quaedam alia.

X 1.37 DE POSTULANDO

X 1.37.01 *Clerici*

Stipendiis

Videtur ergo a sensu contrario si stipendia non habeant quod possint advocare, quod verum credo de minoribus in causis civilibus, quia in criminalibus causis vel ubi de poena sanguinis agitur interesse non debent, infra, ne cler. vel mon. saecul. neg., sententiam; et 23. q. 8, his a quibus. De his qui sunt in maioribus ordinibus, aliud est dicendum, quia illi coram saeculari iudice advocare non debent. Et si sine titulo sunt promoti, episcopus eis debet providere, infra, de praeben., non liceat; et infra, de praeben., episcopus; et infra, de praeben., cum secundum Apostolum. De regularibus planum est quod advocare non

debent, infra, de postuland., ex parte. Quia et negotiis saecularibus se immiscere non debent, infra, ne cler. vel mon. saecul. neg., non magnopere; et 16. q. 1, alia est causa; et 16. q. 1, placuit; et 16. q. 1, monachi. De sacerdote habes infra, de postuland., cum sacerdotis.

Saecularibus
Immo opprobrium est clericis si se peritos forensium disceptationum ostendere voluerint, C. de episc. et cler., repetita; et C. de testament., consulta. Pro miserabilibus tamen personis possunt postulare, infra, de postuland., cum sacerdotis.

X 1.37.02 *Ex parte*

Ecclesiastici
Ut 16. q. 1, monachi; et 16. q. 1, de praesentium; et infra, ne cler. vel mon. saecul. neg., non magnopere. Opprobrium est talibus si velint videri petiti forensium disceptationum, C. de testament., consulta; et C. de episc. et cler., repetita.

Imperante
16. q. 1, monachi 2. Non sufficit utilitas monasterii, nisi hoc faciat de mandato abbatis propter bonum obedientiae, arg. ff. de re milit., desertorem § in bello. Nec auditur eo praetextu quod est coniuncta persona, nisi habeat speciale mandatum. Leges enim de hoc loquentes intelliguntur de factis privatorum, ff. de procur., sed et hae personae; et ff. de procur., Pomponius, in fi.

Idem iudicium
Similis habetur extensio per interpretationem, 28. q. 1, idololatria. Sic nomen venditionis ad alias alienationes extenditur, ff. quib. mod. pig. vel hyp. sol., sicut § venditionis. Et verbum, alienationis, ad alios contractus extenditur, per quos etiam dominium non transfertur, infra, de rebus ecc. non alien., nulli. Sic et id quod dicitur de simoniacis extenditur ad alios, 16. q. 7, et hoc scripsimus, vers. et arbitror convenire verbum, etc. Sic et prohibitio de legibus audiendis de monachis et regularibus, extenditur ad praelatos saeculares, infra, ne cler. vel mon. saecul. neg., super specula. Et regulares canonici aequiparantur monachis, nisi quia regulae inserviunt laxiori, infra, de statu monach., quod Dei timorem. Ber.

X 1.37.03 *Cum sacerdotis sit*

Nulli nocere
Ista verba sumpta fuerunt ex illo canone 14. q. 5, denique. Ad hoc autem tenetur quilibet Christianus. Sed magis sacerdos, qui debet velle prodesse omnibus, ut ibi dicitur, et hoc quia quisque prohibetur alii inferre quod sibi nolit fieri, 1. dist., in princ.; et supra, de maior. et obed., dilecti filii. Et est arg. quod nulli consulendum est cum alterius iniuria, 22. q. 2, primum; ff. de condi. indeb., nam natura; et 11. q. 3, si quis vero non obediat; 99. dist., nullus. Et non debet alteri per alterum iniqua conditio afferri, ff. de regul. iur., non debet. Et cavendum est ne praetextu nocentis innocentes puniantur, C. de his qui latron. occult., si qui. Et sanctius est nocentem impunitum relinqui quam innocentem

damnare, ff. de poe., absentem. Et poena debet suos auctores tenere, infra, de his quae fi. a maior. par. cap., quaesivit; et C. de poe., sancimus. Et sic patet quod sacerdos advocare non debet, nec se negotiis saecularibus immiscere, nisi pro cura miserabilium personarum, 88. dist., decrevit; et per totam distinctionis.

Pro seipso

Sic quaedam sunt personae quae pro se tantum et pro quibusdam personis possunt postulare, 3. q. 7 § sunt autem, ubi habes quae personae possunt postulare et quae non, et pro quibus sic. Et sacerdos pro se et pro quibusdam aliis personis hic enumeratis postulare potest, pro ecclesia sua et pro personis coniunctis. Sed non indistincte, nisi necessitate instante, puta quia sunt minus potentes, vel quia non possunt habere ita bonum advocatum. Et sic restringitur quodam modo ad necessitatem quantum ad coniunctas personas. Quae sunt coniunctae personae dicitur ff. de procur., sed et hae personae; et 3. q. 7, infames § sunt autem, vers. alii enim. Inter quas personas satis credo intelligendos confratres suos eiusdem ecclesiae. Et pro coniunctis personis posset etiam litteras impetrare sine mandato, supra, de rescript., nonnulli; et agere etiam, ff. de procur., Pomponius, in fi. Dum tamen non appareat contraria voluntas, ut ibi dicit; et pro personis miserabilibus, de quibus habes 87. dist., per totum; 88. dist., decrevit; et 88. dist., episcopus gubernationem, et in pluribus aliis capitulis ibidem.

Postulare

Postulare est desiderium suum vel amici sui in iure, apud eum qui iurisdictioni praeest, exponere, vel alterius desiderio contradicere, 3. q. 7, infames § sunt autem; et ff. de postulan., hunc titulum § postulare.

Contra ecclesiam

Clericus ergo qui contra ecclesiam a qua beneficium habet, advocat, vel est procurator, tamquam ingratus beneficium ipsius perdere debet, arg. bonum 1. q. 7, si qui presbyteri; et 96. dist., si imperator; 3. q. 1, nulli; sicut vasallus tenetur domino, 22. q. 5, de forma. Alias perdit feudum, ut in libro feudorum quemadmodum feudum amittitur. Et milites rempublicam de qua aluntur, ab omni necessitate bellorum defendant, C. locat. et conduct., milites. Sed si habet clericus beneficia in pluribus ecclesiis, numquid potest praestare patrocinium uni contra aliam? Non videtur in eo casu neutram iuvet vel offendat, arg. huius capituli, et 14. q. 5, denique. Sed si esset praelatus in una ecclesia, et in alia habuisset simplex beneficium, videtur quod ratione praelationis posset contra aliam stare, arg. ff. in ius voc., quaesitum; et 3. q. 7 § item si contra patrem. Sic et libertus ecclesiae si contra ipsam agat vel testificatur, tamquam ingratus in servitutem redigatur, supra, de serv. non ordin., de famulis; et 12. q. 2, octava discussio. Sic et donatio propter ingratitudinem revocatur, infra, de dona., propter; C. de revoc. donat., etsi perfectis; et C. de revoc. et donat., generaliter; et in Auth. de nupt. § si mater, coll. 4; et in Auth. ut libert. de caet. non eg. aur. anul. § illud, coll. 6. Et iustum est ut ecclesia in sinu suo non retineat fraudatorem quem suscepit extraneum, 12. q. 4, sacerdotes. Et ecclesia sua mater eius est, 2. q. 6, ad Romanam; quae ipsum domino sociavit, infra, de poeni., presbyteri. Sic propter ingratitudinem pater potest filium exheredare in totum, 19. q. 3, non liceat; et in Auth. ut cum de appellation. cog. § causas, coll. 8. Sed si contra aliquem de ecclesia in propria causa, quae non tangit ecclesiam, postulaverit vel procurator fuerit,

non puniretur, 12. q. 2, qui manumittitur. Sed si ecclesia esset ei ingrata, tunc contra ipsam advocare posset, nec succederet ei ab intestato, etiam si non haberet propinquos, C. de inoffic. testam., liceri, ubi mater excluditur a filii successione propter ingratitudinem commissam erga filium.

X 1.38 DE PROCURATORIBUS

X 1.38.01 *Alia quidem*

Portitoribus

Quia constabat istos non habere mandatum ad agendum, non fuerunt admissi. Unde circa procuratorem actoris distingue utrum certum sit procuratorem habere mandatum, ut quia reus hoc confitetur, vel ipse ostendit mandatum sufficiens vel si neget, probet hoc procurator per testes vel instrumentum. Et secundum hoc procurator non tenetur satisdare dominum ratum habiturum, sicut nec debet satisdare procurator praesentis et confirmantis vel apud acta procurator factus, C. de satisda., non est iuris. An cerum sit eum non habere mandatum, aut dubitatur utrum habeat vel non habeat mandatum. Si certum est eum non habere mandatum, repellitur, ut hic. Et si velit satisdare non est audiendus nisi sit coniuncta persona, quae admittitur cum satisdatione, nisi appareat de contraria voluntate domini, ff. de procur., Pomponius § ulti.; et ff. de procur., sed et hae personae. In casibus tamen admittitur contra voluntatem pro libertate, ff. de liber. caus., si quando; ff. de liber. caus., quoniam; et ff. de liber. caus., amplius. Et pro defensione condemnati, ff. de appellat., non tantum. Ubi autem dubitatur de mandato, dicebat P. semper esse in electione rei, an velit exigere probationem mandati an satisdationem. B. dicebat distinguendo utrum reus diceret procuratori, non habes mandatum, et tunc procurator tenebatur probare mandatum; an diceret, dubito an habeas mandatum, et tunc est in optione procuratoris quod facere velit. Azo dicebat quod in arbitrio procuratoris est, an velit probare mandatum an cavere de rato, quia cum quis tenetur ad alterum duorum, scilicet, probare vel cavere, quod voluerit praestando liberatur, ff. de iure dot., plerumque § ulti.; et C. de condi. indeb., si quis servum. Haec satisdatio danda est quando de mandato dubitatur, C. de procur., cautio; et ff. ut in poss. legat., si is a quo § 1. Idem in actore universitatis, ff. quod cui. univ. nom., item eorum § actor. Item clerici inter coniunctas personas numerantur, arg. 12. q. 2, non liceat. Item nota quod licet procurator actoris non caveat de rato quando constat de mandato, cavere debet de defendendo, C. de satisda., non est iuris. Alias denegatur ei actio, ff. de procur., mutus et surdus § poena. Et de omnibus etiam quae contra ipsam moventur, defendere debet, ff. de procur., omnium; et ff. de procur., non tamen; ff. de procur., non solum.

Praemonuit

Arg. ad cautelam futurorum habendam, 23. dist., in nomine Domini. Et exempla praesentia nos cavere praemonent in futurum, 82. dist., plurimos, in fi.; et arg. ff. locat. et conduct., si quis domum § 1; et 1. q. 7, convenientibus. Hic praesumitur ex praeteritis circa futura. Sic infra, de praesump., mandata; et infra, de praesump., scribam.

X 1.38.01 Alia quidem (rev. 9/23)

Mandato

Tria debet continere mandatum, scilicet, nomen eius qui procuratorem eum constituit, et causam ad quam constituitur, et quod ratum habebit quod cum eo factum fuerit, ut ff. de procur., si procuratorem. Sed pone quod de mandato dubitetur, quia sigillum incognitum est, quid erit? De eo fieri debet fides, arg. ff. quod cui. univ. nom., item eorum § actor; et ff. de admin. tut., vulgo; et C. de fid. instrum., quidam; et arg. ff. de publican., quicumque.

Legaliter

Littera sequens exponit hoc verbum, legaliter. Ex eo quod hic dicitur et legitur, infra, de iudic., causam quae vertitur, colligitur evidenter quod nec praelatus sine consensu capituli, nec capitulum sine consensu praelati potest iudicium exercere nec conveniri, quia nec alienare potest alter sine reliquo, 12. q. 2, sine exceptione. Nec commutare nec donare, ut ibi dicitur, et infra, de dona., pastoralis; et infra, de his quae fi. a prael., per totum; et eodem modo nec capitulum sine consensu praelati, cum omnes unum corpus intelligantur, infra, de his quae fi. a prael., novit. Et praeterea dicit lex quod qui non potest alienare, non potest rem in iudicium deducere, ff. de iure delib., ait praetor. Et per iudicium quaedam alienatio fit. In iudicio enim contrahitur, sic in stipulatione, ff. de peculi., licet § sed si filius, in fi. Praeterea si praelatus sine consensu capituli posset agere vel conveniri, et praeiudicaret ecclesiae factum praelati, fraus posset fieri ecclesiae et praeiudicium, quia permitterent, immo procurarent quandoque praelati se conveniri, et facerent collusionem. Sed contra videtur, quod solus praelatus convenire et conveniri possit, ff. quod cui. univ. nom., constitui, ubi dicit utilis actio administratori civitatis debetur; et ff. de condi. et demon., municipibus; et ff. ad municip., municipes; et C. de iureiuran., cum et iudices § hoc etiam, in fi.; et 12. q. 2, non liceat; et infra, de rebus ecc. non alien., si quis; et supra, de rescript., edoceri, ubi de hoc. Dicunt quidam quod praelatus potest convenire et conveniri sine consensu capituli per iura praedicta. Ego dico contra, quod nec praelatus sine consensu capituli nec capitulum sine consensu praelati agere vel conveniri potest per priora iura. Tamen concedo quod si praelatus vel collegium agat sine consensu alterutrius, et vellet cavere de rato, debet audiri cum sit administrator, et teneatur negotia ecclesiae procurare, ut supra, de rescript., edoceri. Si vero conveniatur, non debet audiri sine consensu capituli nisi caveat de iudicato solvendo, cum quilibet alter se possit offerre defensioni, si velit cavere de iudicato solvendo, et periculo suo litem suscipere. Et illa capitula, infra, de rebus ecc. non alien., si quis; et 12. q. 2, non liceat, in speciali casu loquuntur, scilicet, cum agitur de revocatione rei alienatae indebite et male, quia per hoc consulitur ecclesiae, nec potest laedi. Quod contingere posset in aliis casibus, ubi non agitur specialiter de revocatione rei alienatae indebite, non obstantibus legibus pro contrariis signatis, quia intelligi possunt, scilicet, ut competat actio administranti non quantum ad hoc, ut agere possit solus, nisi caveat de rato, vel nisi habeat speciale mandatum ad hoc. Nec in rebus ecclesiasticis stamus legibus illis sed canonibus. Et quo iure non potest componere seu transigere sine consensu capituli, supra, de maior. et obed., humilis; supra, de transact., contingit; eodem iure non potest agere vel respondere sine consensu capituli, arg. ad hoc supra, de maior. et obed., humilis.

Indicto
Id est, instituto. Ber.

X 1.38.02 *Querelam*

Querelam
Et ita non per appellationem, ut notatur in fine.

Expensarum
Quas fecerat adversarius veniendo ad terminum coram Wigoriensi delegato a Papa ad petitionem Salubriensis episcopi super ecclesia ipsius.

Rationabili causa
Si enim non fuisset infirmitate detentus vel alia iusta causa rationabilis fuisset, quare processit contra eum, scilicet, contumacia, bene tenuisset statim condemnatio expensarum, infra, de dolo et contu., cum dilecti; et C. de iud., sancimus; et infra, de appell., reprehensibilis. Sed numquid reus si non venerit in prima citatione, condemnari debet in expensis? Hic videtur quod sic, quia propter infirmitatem tantum excusatur, et nisi constiterit hoc, non revocabitur sententia. Et ita potest quis condemnari in expensis pro prima contumacia, arg. ff. si quis in ius voc. non ierit, ex quacumque § 1. Et actor condemnaretur si non veniret, ff. de iud., eum quem temere. Et in concilio Lugdunensi idem dicitur infra, de dolo et contu., extravag. actor. Et actoris et rei est aequa conditio, ff. de regul. iur., non debet. Dicunt quidam quod si reus non veniat in prima citatione vel in secunda, etiam non debet condemnari, quia non dicitur adhuc contumax nisi post peremptorium terminum. Dico quod etiam pro prima et pro secunda citatione puniri debet in expensis, si ad trinam citationem veniat. Si vero non veniat ad citationem peremptoriam, tunc alias punitur, quia mittitur actor in possessionem rei petitae, vel excommunicatur si missio fieri non potest, infra, ut lite non cont., tuae. Et si postmodum revertitur infra annum, restituit omnes expensas factas ab eo tempore quo fuit contumax. Et si non venit ad aliquam citationem, ad omnes expensas condemnabitur, quas fecit adversarius veniendo ad primam citationem et ad secundam et tertiam. Et sic punitur prima contumacia. Et eodem modo dico quod debet puniri pro prima contumacia, licet veniret ad secundam; alias deberes dicere quod quando nullo modo venit, non debet condemnari in expensis nisi factis ad terminum peremptorium.

Detentus
Iusta fuit causa non veniendi, unde probata causa debet revocari quicquid fuit factum contra absentem, ff. de iud., si praetor; et infra, de re iudic., cum Bertholdus; et ff. de re iud., quaesitum § 1. Quartana tamen non excusat, ut ibi dicit, et arg. 5. q. 3, si aegrotans; 18. dist., placuit; et 93. dist., iuxta. Dicunt tamen quidam quod tenetur mittere procuratorem ex quo venire non potest, si ita fuerit citatus ut veniat vel responsalem transmittat, infra, de dolo et contu., cum dilecti. Sed hoc non credo quod propter citationem iudicis teneatur mittere procuratorem si venire non potest, maxime si in gravibus causis quis cogi ad hoc non possit, ut hic dicit. Et iudex hoc ei auferre non potuit, quia beneficium iuris nemini est auferendum, 28. dist., de his; et in Auth. de nupt. § sed hoc quidem, coll. 4; et ff. de re iud., si se non § si quis condemnatus. Iudex

delegans non potest iubere alterutram partem comparere coram se personaliter, nisi in delegatione hoc contineatur, nisi in certis casibus in concilio Lugduno infra, de iudic., extravag. iuris esse ambiguum; et illa decretalis infra, de dolo et contu., cum dilecti. Non contradicit, quia Papa hoc fecit ex plenitudine potestatis. Et alia ratio est quia ille non allegavit nec ostendebat nec probavit iustam excusationem, unde vel debuit ire vel sufficientem mittere. Quia neutrum fecit de contumacia fuit condemnatus. Et illud scire debes quod qui ad iudicium vocatur, potest indistincte in pecuniariis causis constituere procuratorem, licet in citatione hoc non dicatur, nisi in duobus casibus, puta si dominus iustior est quam procurator, et si causa sit vehementior, C. de procur., in pecuniariis. Et ideo non compellitur constituere procuratorem, quia nec reciperetur si veniret, puta si ageretur de administratione sua vel tutela, vel etiam si alias esset ardua. Nec ita confidit de alio. Ad hoc enim ostendum debet mittere excusatorem, ne procedatur contra eum, quae sententia non revocabitur nisi causa probata et cum maiori difficultate. Sed videtur quod quis compellatur constituere procuratorem etiam infirmitate detentus, ff. de diver. temp. praescr., quia tractatus; et ff. de minor., Papinianus, ubi compellitur quis agere indirecte, ne currat ei praescriptio. Sed a iudice non compellitur, sed ille qui non potest agere ad hoc ut non currat ei praescriptio constituet procuratorem ad agendum, ut litem contestetur. Sed reus non compellitur dare procuratorem, et ita non contradicunt leges illae. Item signatur aliud contrarium, supra, de elect., bonae 1; et infra, de appell., constitutus, ubi dicitur sicut misit nuncium, ita potuit mittere procuratorem. Sed ibi non suberat iusta causa, quia semper tenetur quis ire vel mittere, nisi sit iuste impeditus. Et tunc debet mittere excusatorem ad allegandum impedimentum, ut hic contingit.

In gravibus
Qualis erat ista, quia super ecclesia ipsius.

Absolvere
Videtur quod non fuerit absolvendus, quia qui non appellat a sententia iudicantis acquievisse videtur, et sententia etiam interlocutoria a qua non appellatur, transit in rem iudicatam, infra, de testib., significaverunt; et infra, de re iudic., quod ad consultationem. Sibi ergo imputandum videbatur, quia non appellavit. Potest dici quod iste fuit auditus beneficio restitutionis, quia iustam causam habuit absentiae. Qua probata, absolvitur, quia et diffinitiva sententia revocatur, iusta causa absentiae probata, infra, de re iudic., cum Bertholdus. Immo videtur quod sententia non teneat, ff. de re iud., quaesitum. Et interlocutoria, licet transeat in rem iudicatam a qua non appellatur quantum ad litigantes, non tamen quo ad iudicem, quando possit eam revocare, cum viderit eam iniustam, ff. de re iud., quod iussit; prout notatur infra, de appell., cum cessante. Et ideo auditur iste. Ber.

X 1.38.03 *Ex insinuatione*

Inhibitum
Unde eo ipso procuratoris litteras revocavit, infra, de procurat., in nostra; quod indistincte potuit cum lis non fuerit contestata, et res sit integra, ff. de procur., ante litem; arg. supra, de elect., in causis. Nam et depositum quandocumque potest repeti, ff. deposi., depositum § penulti.; et sciente adversario hoc fecit. De hoc dicetur infra, de procurat.,

mandato. Et ita sententia nulla fuit lata cum falso procuratore, infra, de procurat., in nostra.

Susciperet
Id est, ne ad suscipiendum iudicium in iure suis litteris uteretur, prout in antiqua decretali continetur.

Clerici
Arg. quod dicto unius testis sit credendum, arg. infra, de testib., in omni; simile 8. q. 3, talia; et 28. dist., de Syracusanae; et arg. optimum quod uni iurato testi creditur, ff. de dot. praeleg., Theopompus; et ff. quemad. test. ap., omnibus § ulti.; arg. ff. de iureiuran., si duo patroni, 1. resp. Arg. contra 4. q. 3, si testes § item unus vero, et vers. item ubi numerus; et infra, de testib., licet universis; et infra, de testib., veniens 1. Item arg. quod dictum archidiaconi istius pro teste uno recipiatur, et sic erunt duo testes, infra, de testib., in omni. Sed dictum illius non debet sibi prodesse, quia nullus idoneus testis in re sua intelligitur, 4. q. 3, si testes, vers. nullus in re. Potest dici quod hic erat praesumptio pro archidiacono, et erat reus. Unde favorabilior, ideo delatum ei fuit iuramentum quod fieri potest et debet, C. de reb. credit., in bonae fidei; et ff. de iureiuran., admonendi. Et quia per hoc modicum praeiudicatur actori, cum salva sit ei actio sua et in talibus non requiritur ita plena probatio, arg. infra, de re iudic., cum Bertholdus, vers. licet autem; et infra, de in integ. restit., ex litteris. Et iniquum esset ut per talem fraudem puniretur. Unde merito debuit ei deferre sacramentum cum uno teste, quia inspectis circumstantiis personarum et causae iudex quandoque debet deferre sacramentum actori, quandoque reo, infra, de iureiur., iuramentum, in fi. Et hic talis causa est, et talis persona, et optime facit ad hoc ff. de legit. tutor., legitimos.

Sententia
Cum sit lata cum falso procuratore, et ideo nulla, C. de procur., licet; et infra, de procurat., in nostra, in fi.; et supra, de rescript., ex parte decani.

Aliud canonicum
Puta excommunicatio, vel pactum de non petendo restitutionem post sententiam, vel res iudicata, vel si ratam habuit sententiam latam cum falso procuratore.

Probare potuerit
Sed quare iste compellitur probare titulum suae possessionis contra illud, 2. q. 5 § deficientibus. Et actore non probante reus debet absolvi, 6. q. 5, accusator; infra, ut eccl. ben., ut nostrum; et infra, de caus. poss. et propr., cum ecclesia; ff. de probation., ei incumbit; et C. de edend., qui accusatore; et C. de rei vend., res alienas? Dicunt quidam quod iste archidiaconus confidens de iure suo sibi onus probandi assumpsit, sic infra, de restit. spol., licet; et 29. q. 2, cuius rei gratia. Et ita mos probare volenti gerendus est, ff. de probation., circa eum § ulti. Hanc non credo veram solutionem, propterea dicas quod ideo iste tenetur probare canonicam institutionem, quia cum esset archidiaconus in ecclesia, de iure communi illam praebendam cum archidiaconatu habere non poterat, nisi probaret secum dispensatum fuisse, arg. optimum 100. dist., contra morem; arg. optimum infra, de decim., dudum. Et per eum qui potuit dispensare, infra, de schismat.,

fraternitati; et infra, de praeben., praeterea; et infra, de praeben., cum non ignores; et infra, de concess. praeben., litteras; et infra, de concess. praeben., cum nostris. Et quia in pluribus ecclesiis intitulatus esse non potest, supra, de elect., dudum ecclesia; 70. dist., sanctorum. Unde propter huiusmodi praesumptionem debet ostendere suam canonicam institutionem, praesumptio enim transfert onus probandi ad reum quandoque, C. de probation., sive possidetis; et infra, ut eccl. ben., ut nostrum. Sola enim possessio non sufficit in beneficiis ecclesiasticis, nisi adsit canonica institutio, infra, de instit., ex frequentibus. Unde debet habere litteras suae institutionis, 2. q. 1, legum. Sicut nec sola possessio facit aliquem decurionem, sed iusta habeat malam fidem, ex quo non fuit legitime institutus quia bona fides exigitur, infra, de praescrip., si diligentia; et infra, de praescrip., quoniam. Sed hoc non prodesset adversario, nisi ius haberet, supra, de rescript., olim. Alii dicunt, scilicet, Inno. iiii, quod ex quo est in possessione non compellitur probare suae possessionis, C. de pet. hered., cogi. Sed littera ista contradicit. Sed posset suppleri, maxime secundum hoc, vel sic, eo ipso quod adversarius non probat contra archidiaconum satis intelligitur archidiaconus probare suam canonicam institutionem, C. qui milit. poss., super servis, lib. 12. Littera tamen contradicit. Quod prius dixi, verius credo.

X 1.38.04 *In nostra*

Praesentia
Per inquisitionem quam iste decanus prosequebatur, vel denunciationem eiusdem decani vel exceptionem. Alias procurator intervenire non posset in criminali, 5. q. 3, in criminali; et infra, de accusat., veniens.

Procuratores
Simul, et tunc occupantis melior est conditio, infra, de procurat., non iniuste, ubi de hoc.

Titubasset
Titubare dicitur is qui suspicionem habet super eo de quo contenditur, arg. C. de acq. poss., nemo, in fi.; et C. de condi. indeb., pro dubietate. Et potest suspectus removeri indistincte ante litis contestationem, sive sit suspectus sive non, arg. supra, de procurat., ex insinuatione; ff. de procur., ante litis contestationem. De hoc dixi supra, de rescript., ex parte decani. Nisi sit procurator constitutus in rem suam, et nisi velit uti aliqua retentione, et hoc post litis contestationem, quia tunc de facili non transferetur ab eo causa, ff. de procur., quae omnia, ad fi., vers. plane.

Revocavit
Et ideo non valuit quod cum eo factum fuit. Arg. contra C. satisda., non est iuris; et ff. de procur., si procuratorem, ubi dicit quod licet procurator revocetur, iudicium tamen quod cum eo factum est, ratum esse debet. Illae leges intelliguntur cum vetitus est procurator agere ignorante adversario vel iudice. Quo casu nihilominus valet quod idem quasi procurator postea fecit, infra, de procurat., mandato, ubi de hoc; et supra, de rescript., ex parte decani. Si vero adversario sciente revocatum est mandatum, non valet iudicium post revocationem, in quo casu intellige quod hic dicit, et supra, de procurat., ex insinuatione.

Falsi procuratores
Simile infra, de in integ. restit., ex litteris; supra, de offi. deleg., cum olim abbas.

Inutilem
Cum in litteris commissionis contineretur ipsos fuisse procuratores, patet quod procuratio fuit praesentata domino Papae, et quod revocatio non pervenit ad ipsum quae ad ipsum vel ad adversarium pervenire debet, infra, de procurat., mandato; potius quam littera de rato quae semper iudici vel adversario exhibenda est, ff. rem rat. hab., ne satisdatio; et ff. de procur., si procuratorem. Quare videbatur iudicibus, quod calumniose proponeret huiusmodi exceptionem, sed per hanc rationem repellit, quia ipse probare volebat quod essent falsi procuratores, quia poterat esse quod revocatio pervenit ad adversarium, et hoc voluit probare, quod sufficit, infra, de procurat., mandato. Unde appellatio eius tenuit. Sed videtur quod litterae istae deberent valere, saltem quo ad hoc ut procederent secundum veritatem negotii, quia hoc fuit tale falsum, quod si fuisset dictum, nihilominus obtinuisset litteras decanus, supra, de rescript., super litteris. Sed isti falsi procuratores, revocato mandato iudicium sunt ingressi cum adversario, et de consecutivis litteras cum adversario impetraverunt. Et ideo nil valuit quod fecerunt, quia si non valuit ingressus iudicii, nec commissio super futuro processu; e quia in fraudem hoc fecerunt, et unus alterius odio non debet praegravari, C. de inoffic. testam., si quis in suo. Simile infra, de simon., nobis. Et dignus est misericordia qui alieno vitio laboravit, C. de nat. lib. et mat., legem Anastasii; sic 16. q. 1, frater noster, in princ.

Fidem
Simile supra, de renunciat., in praesentia; et supra, de renunciat., super hoc, arg.; et infra, de praeben., nisi, arg.

Mentionem
Hoc faciebat praesumptionem pro eis, cum nil dixerunt. Et hanc praesumptionem elidit probatio in contrarium. Et est notabile quod iudices in sua relatione debent facere mentionem de exceptionibus propositis et aliis quae rationabiliter proponuntur, arg. infra, de re iudic., inter monasterium.

Religiosos
Immo per seipsum et unum testem posset hoc probare, supra, de procurat., ex insinuatione; et infra, de iureiur., iuramentum, in fi.; et C. de reb. credit., in bonae fidei.

Obliti
De nemine praesumendum est quod sit immemor suae salutis, 1. q. 7, sancimus. Quia quilibet praesumitur bonus, nisi probetur malus, supra, de scrutin., ex parte; et infra, de praesump., dudum.

Exceptio
Quando dicatur falsus procurator dixi supra, de rescript., ex parte decani. Et illa est exceptio falsi procuratoris. Est et alia exceptio procuratoria, scilicet, cum quis non potest esse procurator, veluti miles. Et non potest opponi litem contestatam cum sit dilatoria, ff.

de procur., filiusfamilias § veterani; et C. de procur., ita demum. Et hanc potest omittere fideiussor, ff. mand. vel cont., si fideiussor § quaedam. Est et alia exceptio procuratoria, scilicet, non habere mandatum, de qua hic dicitur. Quia plus est mandatum fuisse revocatum quam non habuisse mandatum, supra, de rescript., ex parte decani, in fi. Et haec exceptio post litem contestatam potest opponi. Et hanc exceptionem non debet omittere fideiussor, ff. mand. vel cont., inter causas § mandato. Et talis exceptio non potest opponi post sententiam, ut hic, et C. de procur., licet.

Nullum
Ex eo tamen iudicio quod nullum est, solutum non repititur, ff. de iud., de qua re § 2.

Momenti
Non est hoc speciale in hoc casu, sed idem est in omni exceptione, per quam probatur retro nihil actum esse, ut puta a non suo iudice, 11. q. 1, nemo; et 11. q. 1, in clericorum; C. si a non comp. iud., et in privatorum; simile infra, de re iudic., ad probandum; infra, de except., exceptionem. Et si quid donetur ab eo qui non potest dare, non valet, infra, de iure patron., quod autem. Et si donetur ei qui capax non est, infra, de cleri. excom., postulasti; et supra, de aetat. et qualit., cum bonae; C. de inoffic. testam., fratres.

Irritandum
Irritat hic Papa factum iudicis altera parte absente, ut videtur. Quia non apparet quod altera pars fuerit praesens et lite non contestata. Et hoc potest facere iudex appellationis, infra, de appell., saepe. Sed ibi peremptorii loco est terminus statutus, et ad prosequendum appellationem, C. de temp. appel., cum anterioribus § illud. Et illud obtinet cum iam est lata diffinitiva sententia, et 2. q. 6, ei qui; et optimum arg. supra, de renunciat., veniens. Sic ubi agitur de subreptione, infra, de re iudic., cum olim. Sed credo quod altera pars fuerit praesens, quia numquam proceditur contra absentem nisi citetur tacite vel expresse, et praesumitur ex hoc quod iudices retulerunt negotium ad Papam. Et sic pars altera fuit praesens in aliis quae acta sunt coram Papa, vel contumaciter absens, quae forte procuravit relationem fieri domino Papae. Et quod dixit, duximus irritandum, id est, irritum esse ostendimus, infra, ut lite non cont., accedens 1. Ad hoc probat littera ista, qua probata, etc.

X 1.38.05 *Tuae fraternitatis*

Legitimam
Per leges veteres puniebatur mulier convicta de adulterio ad poenam sanguinis, C. de adulter., castitati; et etiam secundum legem Mosaycam lapidatur, 33. q. 5, haec imago. Hodie vero detruditur in monasterium, C. de adulter., authen. sed hodie; et infra, de conver. coniug., gaudemus. Et potest vir uxorem convictam de adulterio et condemnatam retinere si vult, et uxor virum, ut dicitur in praedicta authentica.

Ad poenam talionis
Olim infra sexaginta dies utiles a tempore divortii vir accusare poterat uxorem iure mariti sine metu calumniae, C. de adulter., quamvis adulterii; et C. de adulter., iure mariti; et ff. de adulter., is cuius § ulti.; et ff. de adulter., mariti § praeterea. Hodie vero constante

matrimonio potest eam accusare, et tenetur inscribere ad poenam talionis obligando se, in Auth. ut liceat mat. et avi. § causas, coll. 8; et in Auth. ut liceat mat. et avi. § quia vero plurimas, coll. 8; et hic.

Si forsan
Hic non notat dubitationem, sed expressivum veritatis, sic 33. q. 2, admonere, circa medium; et de poen. dist. 1, quamobrem; et ff. de rei vend., item si § 1.

Nomen
Adulterii.

Locum
In quo commissum fuit adulterium.

Tempus
Scilicet, annum et mensem admissi criminis.

In lege civili
Quam habes 2. q. 8, libellorum; et ff. de accusation., libellorum. Quid contineri debeat in libello accusationis, notatur his versibus: consule mense die coram praetore professus // te deferre reum crimen loca pone sodalem // et licet hora dies non mensis praetereatur.

Effectum
Quod esset si separentur. Potest tamen teneri ad aliam poenam, ut perpetuo ei adhaereat, qua carere voluit, 33. q. 5, haec imago; vel ad poenam extraordinariam se obligabit, infra, de accusat., super his. Item habes hic quod si quid prohibetur una via, altera via non debet admitti, C. si manc. ita ven. ne prost., eam; et ff. de tutor. et curat., scire; ff. de condi. insti., quae sub conditione § si quis; et ff. de bon. libert., quaeritur. Arg. contra 4. q. 3, si testes § servi neque.

Mixta
Sicut solet dici de querela inofficiosi testamenti, quae est mixta inter civilem et criminalem. Civilis est quia qui eam proponit, proponit hereditatis petitionem, ff. de inoffic. testam., qui de inofficioso. Et in eo accedit ad criminalem, quia si non venit die statuta, postea non auditur, ff. de inoffic. testam., Papinianus § 1; arg. C. qui accus. non poss., si ea; et infra, de accusat., licet.

X 1.38.06 *Cum pro causa*

De mandato
Immo et si non intervenisset mandatum, posset tamen ea peter quae utiliter expendit in negotiis ecclesiae, 12. q. 4, quicumque; ff. de negot. gest., Pomponius; et infra, fideiuss., quod quibusdam; et infra, de deposit., gravis.

Propter hoc
Simile supra, de elect., ut praeteritae, quia si alias fuisset iturus ad curiam, non posset petere expensas factas, nisi quatenus plus expendisset propter longiorem moram, ff. fam. ercis., ex parte, in princ.; et ff. de negot. gest., si communes. Distinguitur tamen, quia si egit de mandato sive succubuit sive non, potest petere expensas, ut C. mand. vel cont., etiam. Sed si egit sine mandato et succubuit, non petet expensas, ff. iudi. solv., iam tamen § in hac. Istae autem expensae non excedent probabilem modum, ff. de damn. infect., inter quos § ulti.; et ff. de damn. infect., ex damni infecti, in princ.; sic infra, de eo qui mitt. in poss. caus., cum venissent, in fi.; et infra, de sequestra., dilectus, in fi.

X 1.38.07 *Quia in causis*

De iure communi
Nota quod universitas potest constituere procuratorem, non obstante quod dicitur. Procurator est qui mandato domini negotia administrat, ff. de procur., procurator est qui. Sed universitas loco domini habetur. Secundum leges procurator constituitur tantum a vero domino, ff. de procur., procurator est qui. Secundum canones non est differentia in vocabulis, dummodo constet quod habet potestatem agendi et defendendi, infra, de procurat., petitio. Et quilibet administrator, procurator dicitur, 1. q. 3, salvator. Sed illa fuit dubitatio, quia scholares non videntur constituere universitatem, cum ius universitatis non sint a principe consecuti, ff. quod cui. univ. nom., neque societas; ff. de colleg., mandatis. Item quia si esset universitas, syndicum vel actorem deberet constituere auctoritate episcopi, C. de episc. et cler., omnes § nihilominus. Sed Papa respondet quod de iure communi hoc licet. Et est verum quod universitas constituit procuratorem, et per ipsum procuratorem iurat, infra, de iuram. calumn., cum causam. Sed procurator a vero domino constitutus, non iurat de calumnia, sed dominus, C. de iureiuran., cum et iudices § sin autem. Et scholares possunt habere rectores sive consules suos, C. de iuris., periniquum.

X 1.38.08 *Auditis et intellectis*

Processus
Qualiter processerunt non habemus hic. Sed potest poni diversitas processuum per illam decretalem supra, de rescript., cum dilecta; supra, de offi. deleg., venerabili.

Ob eos
Et ita cassato principali, cassatur et accessorium, C. de legi. et const., non dubium; infra, de fide instrum., inter dilectos; et supra, de elect., qualiter; et 16. q. 7, et hoc diximus; et infra, de schismat., quod a praedecessore.

Ad illum
Scilicet, procuratorem vel adversarium vel iudicem, infra, de procurat., mandato. Et sic revocatio ista pervenit ad iudicem. Et cum iam esset super processibus conclusum, non obstante tali revocatione potuit super his sententia ferri, cum procurator nihil poterat facere postea. Unde talis revocatio non impedit sententiam ferri super his in quibus est conclusum. Et ita quodammodo fertur sententia contra absentem, sed pro praesente

reputatur, quia et si praesens esset nihil posset obiicere. Et si tempestive revocatio fuisset facta non ostensa iudici vel adversario, nihilominus valuisset quicquid fecisset usque ad ostensionem revocationis, infra, de procurat., mandato; et C. de satisda., non est iuris; et ff. de procur., si procurator, in fi. Sic in iudice tenet quod facit, donec intelligit revocatam iurisdictionem, infra, de appell., si duobus, arg. Et quamdiu servus habetur pro libero, valet sententia illius, 3. q. 7, infamis § verumtamen; et arg. 9. q. 1, ordinationes; et ff. de off. praes., si forte; et ff. mand. vel cont., si mandassem; arg. ff. si cert. pet., eius qui in provincia. Si vero revocatio tempestive fuisset ostensa adversario vel iudici. Quicquid fieret postea, non valeret. Et sic possunt intelligi supra, de procurat., ex insinuatione; et supra, de procurat., in nostra, ut ibi dicitur.

Nostro contemptu
Sic supra, de postul. praelat., bonae 2; et supra, de offi. legat., licet; et infra, de appell., intimasti; et C. de relat., si quis. Quia sic illuderetur superiori, et arg. ff. de succ. edict., successorium § decretalis.

Pervenerunt
Quia tunc quasi contumax fuit. Et tunc expectare incoepit. Simile infra, de sequestra., ad hoc; infra, de dolo et contu., cum dilecti, in fi. Et hoc in culpa illius episcopi, qui negotium ad curiam procuravit destinari; simile infra, de appell., Nicolao; et infra, de appell., interposita; et infra, de appell., reprehensibilis.

Facies etiam
Et sic sententia condemnationis profertur antequam constet de futuris expensis. Unde signatur contra ff. de usuri., cum iudicio § 1, ubi dicitur quod tractus futuri temporis non spectat ad iudicem, hic iam constabat quod facturus esset expensas. Sed videtur quod sententia quantum ad futuras expensas non teneat, quia non continet certam quantitatem, et incerta sententia nulla est, C. de sent. quae sine cert. quant., haec sententia omnem. Sed illud habet locum ubi certa quantitas petita est iure actionis vel species, quia si ibi sententia incerta est, non parit actionem rei iudicatae. Sed istae expensae petuntur officio iudicis pro interesse propter contumaciam alterius partis, et ideo potest condemnari etiam ad expensas factas et faciendas, quas declarabit postea suo sacramento, et fit hic condemnatio expensarum nulla taxatione praemissa, quod est contra id, 3. q. 3, induciae § quod fieri. Sic et infra, de procurat., constitutis; et infra, de his quae vi met. caus. fi., super eo. Sed illa taxatio potest fieri postea quando iurabitur super expensis, ut dicit 3. q. 3, induciae § quod fieri.

X 1.38.09 *Petitio vestra*

Generales
Licet fuerint generales procuratores, non tamen poterant transigere, ff. de procur., mandato generali. Nec possunt alienare, nisi fructus aut alia quae de facili corrumpi possunt, ff. de procur., procurator totorum. Sed numquid alter istorum possit agere vel administrare sine reliquo? Videtur quod sic, quia in tutoribus et actoribus id servatur, ut alter sine altero administrare possit, ff. de negot. gest., cum alicui; et ff. de admin. tut., decreto, vers. 1; et ff. de admin. tut., Lucius § 1; et ff. de admin. tut., si plures § quamvis;

ff. mand. vel cont., creditor § duobus. Credo quod si insolidum constituti sunt, unus potest agere sine altero, et alia facere prout negotia occupaverint; alias non potest unus agere sine alio, licet in tutoribus aliud sit benigne receptum, ut dicunt illae leges ff. de admin. tut., decreto; et ff. de admin. tut., Lucius; et lex illa ff. mand. vel cont., creditor § duobus. Intelligitur in eo casu cum insolidum utrique mandavit. De hoc notatur infra, de procurat., non iniuste, in notula, sic ergo.

Actores

Secundum canones non videbatur ista dubitatio, quia canon omnes administratores nomine procuratoris intelligit, 1. q. 3, salvator. Est enim nomen generale, ut supra, de procurat., quia in causis, ubi universitas de iure communi constituit procuratores.

Intentio

Sic patet quod quando verba generalia sive dubia ponuntur in huiusmodi instrumentis procurationis, recurrendum est ad intentionem constituentis. Sic etiam de privilegiis, infra, de decim., ex multiplici; supra, de offi. ord., licet; et in rescriptis, infra, de arbitr., exposita; et infra, de restit. spol., audita; supra, de offi. deleg., super eo. Et in beneficiis conferendis, infra, de praeben., super inordinata; et infra, de praeben., cum olim. Et illa est causa quia verba debent deservire intentioni, non intentio verbis. Per verba enim exprimitur intentio, 22. q. 5, humanae aures; et 38. dist., sedulo; et 1. q. 1, Marcion; et infra, de verb. sign., intelligentia; et infra, de verb. sign., propterea; et de conse. dist. 4, retulerunt. Et facit ad hoc ff. de iud., si quis intentione ambigua. Arg. contra ff. de pacti., veteribus; et ff. de contrah. empt., Labeo; et ff. de contrah. empt., cum in lege. Sed illa locum habet in contractibus, ubi venditor debet aperte omnia exprimere. Alias fit interpretatio contra ipsum. Et ita manifestum est quod non est semper consideranda verborum forma in huiusmodi constitutionibus, sed quid est eis commissum et in quo officio, quia hoc nomen, procurator, est generale nomen ad quamlibet administrationem. Et per sequentia quae ponuntur in constitutione, restringitur ad id de quo agitur, ut patet hic. Unde si diceretur: ego do Titio potestatem agendi et defendendi in causa vel in causis quam vel quas habeo cum tali, sufficiens est mandatum, non obstante subtilitate legali quae in hoc casu solummodo videtur legem imponere verbis, et non rebus, cum sit potius contrarium faciendum, C. commun. de legat., omne, in fi.

X 1.38.10 *Accedens ad apostolicam*

Libera

Qui enim agit libertatem debet habere, ut libere confiteatur, et possit esse in iudicio, quia confessio per metum sive timorem extorta non praeiudicat, 31. q. 2, Lotharius; et 15. q. 6, si quandoque; et 22. q. 4, inter caetera, in fi. Et praecipue in matrimonio, in quo libertas omnimodo restituenda est, et locus providendus est, in quo nulla possit esse formido, 33. q. 2, sive de coniugii. Et plena debet gaudere securitate cuius est animus indagandus, ne per timorem dicat sibi placere quod odit, infra, de spons., cum locum; et quod quis non diligit, facile contemnit, 20. q. 3, praesens clericus; et coactiones difficiles consueverunt exitus habere, infra, de spons., requisivit. Sed qualiter agit pro filio, cum mater filium in potestate non habeat, infra, de conver. infid., ex litteris? Hic agebatur de facto illius mulieris, quia contraxerat cum illo nobili sponsalia nomine filii sui, cum arrhis promissis

hinc inde, si staret per alterum quo minus matrimonium perficeretur, quod licet, C. de sponsal., mulier. Sed poena apponi non potest, et si apponatur, peti non potest, ut praedicta lex C. de sponsal., mulier, in fi.; et infra, de spons., Gemma; et ff. de ver. oblig., Titia, 1. resp.

Respondendum
Sic ergo debet constitui procurator ad agendum datus, ut possit etiam defendere et respondere adversario, si eum reconveniat. Alias si non defenderet, denegabitur ei actio, ff. de ver. oblig., Mutius § poena. Et in expensis alteri parti tamquam contumax condemnatur, infra, de procurat., constitutis, arg. In qua constitutione debet satisdationem exponere, per quam ipse fideiussor sui procuratoris existat, iudicatum solvi sub hypotheca rerum suarum, Inst. de satisdation. § si vero. Et quod tempore sententiae erit in iudicio, alias omnia dabit quae in condemnatione veniunt, ut ibidem dicitur. Et ita plenam habet potestatem. Et est notabile, quia procurator quandoque non posset cavere iudicatum solvi, quia forsan non habet ibi amicos, qui pro eo velint fideiubere, et ita contumax reputaretur, ex quo sic citatus est, ut hic dicitur. Sed si hoc fiat, sufficiens erit procurator. Et hoc habet locum in procuratore rei, qui debet cavere semper iudicatum solvi, quod est dicere, solvere id in quo condemnatur, et quod defendat reum, et quod non commitat dolum, ff. iudi. solv., iudicatum. Et in procuratore actoris idem est servandum si reconveniatur. Sed numquid possunt isti parentes litigare de matrimonio filiorum, ut fieret praeiudicium ei contra quem sententiaretur pro matrimonio? Dico quod sic, dummodo filii consentiant ad hoc, et rata habeant facta parentum, quia perinde habetur ac si ipsi hoc facerent per alios, et praecipue per parentes contrahitur matrimonium, 32. q. 2, honorantur; et infra, de conver. coniug., ex parte tua. Si vero filii non consentirent factis parentum, tunc non noceret sententia contra aliquem lata ibi enim non potest pater vel mater litigare filio invito, cum ibi solus consensus illorum de quorum coniunctione agitur sit necessarius, 27. q. 2, sufficiat. Et invitis etiam parentibus contrahere possint, quia quantum ad hoc non dicuntur in potestate parentum esse, infra, de despon. impub., ubi non est.

X 1.38.11 *Dilectus filius magister*

Citato
Ad ecclesiam suam per suum procuratorem, ibi enim debet citari, infra, de dolo et contu., causam quae; et infra, de dolo et contu., venerabilis. Nam ipse fuit Bononiae, ut infra, de eo qui mitt. in poss. caus., si adversarius.

Generalis
Potest ergo quis constituere generalem procuratorem ad omnia, tam ad iudicia quam ad negotia, ut hic dicit, et supra, de procurat., petitio. Tamen talis procurator transigere non potest, nec alienare. De hoc dixi supra, de procurat., petitio. Immo quilibet tenetur dimittere procuratorem, alias procederetur contra absentem, si non defenderetur, ff. ex quib. cau. maio., item ait; et ff. ex quib. cau. maio., ergo. De hoc dixi supra, de offi. deleg., consultationibus.

Cedere
Ad hoc enim dantur induciae deliberatoriae, ut intra illas deliberet an cedat vel contendat, 3. q. 3, induciae § offeratur. Sed iste procurator per se deliberare non poterat, utrum deberet cedere vel contendere super facto alterius, unde debebat consulere dominum principalem. Ergo induciae tales esse debebant quod posset illum requirere. Unde cum hoc non facerent, iusta fuit appellatio. Terminus enim semper constituendus est secundum distantiam locorum et negotii et personarum qualitatem, infra, de appell., cum sit Romana; et ff. de iud., nonnumquam. Et ex hoc patet quod huiusmodi induciae deliberatoriae arbitrariae sunt, quia debent moderari secundum locorum distantiam et personarum et negotii qualitatem, licet dicatur viginti dierum gaudeat induciis, immo plus vel minus, secundum quod visum fuerit iudici expedire, infra, ut lite non cont., quoniam § si vero. Aliae vero induciae, puta quae dantur ad appellandum, non sunt arbitrariae, nam ibi iudex nihil habet officii, infra, de re iudic., quod ad consultationem; et 2. q. 6, biduum; quae sunt decem dierum, ut 2. q. 6, anteriorum. Et induciae quae dantur condemnatis in causa pecuniaria non sunt arbitrariae, ff. de re iud., si se non § si quis; nisi causa cognita, et iusta de causa, ff. de re iud., qui pro tribunali. Tamen quidam illas dant ad arbitrium secundum consuetudinem loci.

X 1.38.12 *Constitutis in praesentia*

Suae uxoris nomine
Forte nomine uxoris suae recepit iste obligationem a priore, mutando ei pecuniam uxoris nomine illius, aut pro contractu pro qua etiam sine mandato agere posset in rebus ipsius praestita cautione de rato, C. de procur., maritus. Sed si maritus habeat mandatum, non potest agere nisi quatenus in mandato continetur, ut ibi dicitur in fine legis praeallegatae. Sic etiam nomine alterius quis recipit institutionem sive investituram, infra, de praeben., accedens; et nomine alterius quis recipit usuras, quod esse non debet, 46. dist., sicut non suo. Sic et nomine uxoris sibi potuit obligare priorem per stipulationem, sed uxori simpliciter non potuit, dicendo: promittis uxori meae solvere tantam pecuniam? Quia alteri per alterum stipulari vel pacifici nemo potest, Inst. de inutil. stipul. § alteri; ff. de ver. oblig., stipulatio ista § alteri. Nec factum alterius potest quis promittere, Inst. de inutil. stipul. § si quis alium, et in praedicta lege ff. de ver. oblig., stipulatio ista, in princ. Sed si uxor agere velit pro tali obligatione, numquid est praeferenda illa viro, et an vir posset agere invita uxore? Non, quia utilis actio acquisita uxori, praefertur directae acquisitae marito, nec potest agere ea invita, ff. de procur., si procurator, ubi dicitur quod si procurator meus stipulatus fuerit satisdationem, iudicatum solvi, utilis actio mihi datur, nec potest agere procurator me invito.

Illicentiatus
11. q. 3, certum. Ideo contumax reputatur, quia nullum responsalem sufficientem dimisit.

Ad agendum
Ideo non valuit mandatum, quia cum prior esset reus, debuit dimittere procuratorem ad defendendum et non ad agendum, nisi vellet reconveniri actorem, et ideo contumax reputatur, quia non dimisit idoneum. Qualiter autem debet dimittere quis procuratorem idoneum et sufficientem dictum est supra, de procurat., accedens. Et iste procurator

noluit eum defendere, quod si fecisset, non fuisset condemnatus prior in expensis, sicut credo.

Taxatione
Quae semper debet praemitti ante condemnationem, 3. q. 3 § offeratur; et etiam iuramento praemisso, 2. q. 1, in primis; et infra, de his quae vi met. caus. fi., super eo; quod debuit hic praemitti. Et sic nota quod sententia super expensis pro contumacia potest ferri in absentem, et hoc est quod dixi supra, de procurat., querelam. De expensis scilicet, quia non venit, vel si venit et recedit sine licentia, condemnatur in expensis.

Fine litibus
Infra, de dolo et contu., finem; et infra, de dolo et contu., venerabilis. Ber.

X 1.38.13 *Mandato procuratoris*

Mandato procuratoris
De mandato procuratoris actoris dictum est supra, de procurat., alia. In mandato enim procuratorio debet contineri praecipue nomen eius qui constituit procuratorem, et nomen procuratoris, et in qua causa, et quod ratum habebit quod cum eo actum erit, sicut in litteris de rato, et coram quibus iudicibus, maxime si sunt delegati. Coram ordinario enim non est necesse multum quod fiat de eo mentio, ff. de procur., si procuratorem. Et istae litterae mitti debent adversario, ut certus sit, quibus relevatur procurator a satisdatione de rato cum de mandato dubitatur, ut ibi dicitur. De mandato procuratoris rei omnino constare debet, et si non ostendatur mandatum, repellitur, nec admittatur tamquam procurator etiam si dubitaretur, nisi vellet se offerre defensioni. Et sive quis habeat mandatum sive non, et quantumcumque sit idoneus procurator rei, debet praestare aliquam aliam cautionem, scilicet, iudicatum solvi, C. de satisda., non est iuris; et ff. de procur., qui proprio § qui alium; et ff. de procur., minor, in fi.; et Inst. de satisdation. § si vero. Quae clausula, scilicet, iudicatum solvi, tria continet: scilicet, quod defendat reum in causa, et quod dolum non committat, et quod solvat iudicatum. Et hoc ipsum quod verbum sonat, ff. iudi. solv., iudicatum solvi. Et haec satisdatio debet interponi ab ipso domino quando praesens constituit procuratorem dum convenitur. Et si absens extra iudicium constituitur, cautionem interponat pro suo procuratore, per quam fideiussor existat sub hypotheca rerum suarum, Inst. de satisdation. § si vero; alias ipsemet procurator exponere debet praedictam cautionem, quantumcumque locuples sit et idoneus, ut dictum est. Cautionem vero de rato non praestat procurator rei, scilicet, rem ratam dominum habiturum, cum et si ille, scilicet, dominus, ratum non habeat, ipse solvat de bursa sua, quia revocare non potest dominus. Porro ubi revocare posset vel retractare quod actum est, debet procurator praestare cautionem rem ratam dominum habiturum, ut cum quasi defensor convenitur rei vendicatione, vel communi dividundo, vel familiae erciscundae, vel finium regundorum, et ecclesia vel minor, et restitutionem in integrum postulando, et causa status cum servus clamat in libertatem contra procuratorem domini, duplicem cautionem praestat procurator rei, iudicatum solvi et rem ratam dominum habiturum, ff. de procur., Pomponius § sed et is; et ff. de procur., si defunctus § ulti. Quia in hoc iudicio utraque persona sustinet vicem duarum personarum, infra, de probat., ex litteris; et ff. de procur., non solum § si status; et ff. de procur., non solum § est et

casus. Et cum tutor postulatur suspectus, et ipse per procuratorem defenditur, ff. de procur., non solum § ulti. Et huiusmodi cautiones ante litis contestata peti debent, ff. de procur., Pomponius § ratihabitionis. Procurator universitatis sive collegii cautionem de iudicato solvendo non praestat, quia sustinet vicem universitatis, et iurat de calumnia in animam propriam, infra, de iuram. calumn., in pertractandis; et infra, de iuram. calumn., imperatorum; et C. de iureiuran., cum et iudices § sin autem; quia quasi dominus intelligitur sicut et tutor, ff. pro empt., qui fundum § si tutor; arg. ff. rem rat. hab., actor; nec tutor cavet de iudicato solvendo, C. de admin. tut., sancimus § defensionem; sicut nec verus dominus illam praestaret, Inst. de satisdation. § sed hodie. Et ideo de necessitate est istud officium, supra, de procurat., quia in causis. Sed officium procuratoris est voluntarium, quia nemo compellitur constituere procuratorem, supra, de procurat., querelam. Alias non esset differentia inter procuratorem privatae personae et syndicum universitatis.

A domino revocato

Circa huiusmodi revocationem notabis: cum aliquis revocat mandatum factum procuratori ad agendum vel defendendum constituto, aut revocatio pervenit ad procuratorem tantum, aut etiam ad adversarium vel iudicem. Si tantum ad procuratorem non praeiudicat adversario, quia iudicium quod idem quasi procurator postmodum est expertus, ratum esse debet, ut hic, et supra, de rescript., ex parte decani; et ff. de procur., si procuratorem, in fi.; et C. de satisda., non est iuris; etiam ante iudicium coeptum, ff. iudi. solv., si ante; ad idem ff. de solut., qui hominem § si Titium; et ff. de solut., si quis servo; et ff. de solut., cum quis § 1. Et si pater iusserit filio credi, postmodum ignorante creditore mutaverit voluntatem, cessat senatusconsultum, quoniam initium spectandum est, ff. de Maced., si tamen. Et si dicam: qui voluerit cum servo meo contrahere, periculo meo contrahat, possum mutuare voluntatem, si certificavero creditorem, ff. quod iuss., merito, 1. resp., in fi. Si vero revocatio perveniat ad iudicem vel ad adversarium, quicquid fit cum eo tamquam cum falso procuratore non valet, ut hic a contrario sensu, supra, de rescript., ex parte decani. Postea non procedat iudex cum illo procuratore, supra, de procurat., auditis. Et sic intelligitur quod dicitur supra, de procurat., ex insinuatione; et supra, de procurat., in nostra. Qui enim vult revocare procuratorem certificare debet adversarium vel iudicem, ut hic dicit. Sicut litterae de rato mittuntur iudici et adversario, ff. de procur., si procuratorem; ff. rem rat. hab., ne satisdatio; sic multo fortius litterae revocatoriae. Sed quare dicit, post litis contestationem? Innuitur a contrario sensu quod ante litis contestationem posset revocatio fieri, etiam ignorante iudice vel adversario, et quod necesse non sit significare iudici vel adversario, sic videtur loqui decretalis supra, de procurat., ex insinuatione; et supra, de procurat., in nostra. Ex littera illarum numquam colligitur, quod revocatio pervenerit ad iudicem vel adversarium, et tamen revocatur quod factum fuit per illos procuratores. Sed ibi suppletur quod revocatio pervenerit ad adversarium. Sic ergo supple hic maxime, quia idem est ante litem contestatam et post litem. Sic enim multi possent decipi, si sola revocatio procuratoris sufficeret, si non denunciatur adversario vel iudici, quandocumque fiat revocatio, certificandus est adversarius, alias imputet sibi quod hoc tacuit. Arg. contra ff. mand. vel cont., si mandassem. Illud in negotiis ubi non decipitur venditor, hic decipitur adversarius, et ideo secus. Sed si revocatio sit missa procuratori ante litem contestatam et ipse occultat hoc, videtur quod procuratori sit imputandum quod eam non ostendit, et

sententia quantum ad eum valeat, sed non quantum ad dominum, quia se liti obtulit alienae, ff. rem rat. hab., cum minor § falsus; et ff. de iud., de qua re § 2; et ff. de rei vend., is qui se obtulit; et lex praedicta ff. de solut., si quis servo, in fi. Sed hoc forsitan posset habere locum cum procurator est solvendo, alias non arg. praedictarum decretalium supra, de procurat., ex insinuatione; et supra, de procurat., in nostra. Vel dic quod tenet sententia, et imputet sibi dominus qui hoc non insinuavit iudici vel adversario, ut probat hic littera. Item ex hac littera videtur quod etiam post litem contestatam indifferenter revocari possit absque causae cognitione, et ideo contra; ff. de procur., post litem autem contestatam. Non est contra, quia hoc non habet locum quando procurator consentit. Si vero procurator nollet, debet hoc fieri causa cognita, tamen non procederetur in causa post revocationem, nisi post causam cognitam. Et tamen non debet audiri procurator qui sibi assumpsit procurationem vel se asserit procuratorem, quia hoc ipso suspectus est, et ita semper removeretur, ff. de procur., quae omnia. Sed hoc dicit procurator, ut sine nota suspicionis removeatur, ut lex praedicta, ff. de procur., quae omnia.

Vel
Pro, et alias sequeretur a contrario, quod si revocatio ad alterum pervenisset, valeret quod cum eo factum esset, quod non est verum.

X 1.38.14 *Non iniuste iudex*

Filiusfamilias
Filiusfamilias etiam sine mandato pro patre admittitur ad agendum et defendendum, praestita satisdatione. Immo et si esset minor, quia iustius est talem admittere quam absentem inde sensum condemnare, C. de procur., exigendi. Item potest constitui procurator ad agendum et defendendum, ut hic dicitur, et ff. de procur., filiusfamilias § ipse quoque. Unde iudex iuste fecit qui illum admisit, nisi esset minor, quem non debuit admittere, quia si decipiatur potest restitui ipse et fideiussores eius, ff. de procur., minor; nisi forte pro parte ad defendendum ex benignitate, et non de rigore, ut in C. de procur., exigendi.

Ad futuras
Ad praesentes et futuras lites bene datur procurator in diem et sub conditione, et in perpetuum, et ad tempus, ff. de procur., item et ad; et ff. de procur., et in perpetuum; et ad unam causam, et ad plures, et ad omnes, ut ff. de procur., procurator est qui; et ff. de procur., mandato; et supra, de procurat., dilectus. Et praesens et absens dari potest, ff. de procur., procurator est qui, in fi.; nec datur invitus, C. de procur., invitus. Et debet expresse consentire, alias invitus videtur datus, ff. de procur., filiusfamilias § invitus. Et quilibet qui non prohibetur, dari potest, quia prohibitorium est hoc edictum, ff. de procur., invitus § 1; et certus debet esse procurator, ff. de procur., dummodo.

Cum aliis
Sic ergo patet quod plures procuratores simul dari possunt, 2. q. 6, post appellationem § forma, in fi.; et infra, de testib., insuper; et ff. de procur., pluribus; et ff. de admin. tut., decreto § 1. Sed numquid ambo, vel etiam si sunt plures simul agere debent, vel unus

sine altero? Videtur quod unus sine altero agere non possit, arg. supra, de offi. deleg., causam matrimonii; et ff. de re iud., duo. Dicas, si plures dati sunt simul insolidum, potior est conditio occupantis, ut hic. Unde supple hic, insolidum; simile ff. de procur., pluribus; et ff. de leg. 1, si pluribus, in fi.; et infra, de appell., ut debitus; et supra, de rescript., capitulum; sic ff. de admin. tut., decreto, in fi.; et ff. de ver. oblig., si Titius; arg. ff. de duob. reis, ex duobus. Quandoque tamen ille dicitur occupare qui primo ad sententiam venit, ff. de peculi., si vero; et ff. de noxal. act., si quis. Sed si simul occurrerent ad litem contestandam, iudex tunc potest eligere magis idoneum, ne repugnantia inde contingat, et si unus negaret, et alter concederet, ff. de accusation., si plures; et ff. de admin. tut., decreto, in fi. Si vero non sint dati insolidum, sed simpliciter, tunc neuter agere potest vel defendere sine reliquo, et sunt simul admittendi, sicut iudices qui dantur sine clausula illa: quod si non omnes, etc. Sed idem videtur dicendum sive addatur insolidum, sive non, cum ratio illius legis ff. de accusation., si plures § quamvis; et ff. de admin. tut., decreto, nihilominus remaneat. Et ideo forte non ponitur hic in textu, insolidum, quia adversarius ab initio providerat sibi, ut iudex magis idoneum admitteret. Ber.

Temporibus

Ponit tenorem illius legis ff. de procur., si quis cum procuratore § ulti.; in quo casu non est melior occupantis conditio, quia dando secundum, priorem revocare videtur, ut hic dicit, et lex praedicta ff. de procur., si quis cum procuratore § ulti.; nisi dando secundum exprimat quod priorem vult durare in procuratorem; ff. de leg. 1, si pluribus; sicut est in iudicibus, quia secundum rescriptum derogat primo, supra, de offi. deleg., coram. Ad unam litem, plurium personarum et unus et plures procuratores dari possunt, ff. de procur., si quis cum § unus. Quandoque tamen plures personae non possunt agere vel experiri, nisi per unum defensorem, seu defendere, ut ubi plures fideiussores sunt, et volunt defendere eum pro quo fideiusserunt iudicatum solvi, ff. iudi. solv., iam tamen § si tamen. Et plures heredes necesse habent dare procuratorem, ne actor incommodo afficiatur, si defensor in plures personas dividatur, ut in lege praedicta ff. iudi. solv., iam tamen § si tamen; et ff. de exerc. act., ne in plures. Idem est in redhibitoria, ff. de aedil. edict., quod si nolit § si plures. Idem est ubi ille qui agebat iudicio familiae erciscundae communi dividundo finium regundorum decessit pluribus heredibus relictis, quia ad omnia omnes unum procuratorem dare debent, ff. fam. ercis., si familiae erciscundae; et ff. de procur., licet, in fi.

Contra ipsum

Bene dicit, contra ipsum, quia in persona procuratoris semper formanda est sententia, alias non tenet, C. de sent. et interloc. om. iud., non videtur; sive ab initio, sive post litem contestatam procurator intervenit, C. de procur., nihil. De hoc dixi supra, de elect., querelam. Et nota quod iste § ponit tenorem illius legis, C. de procur., invitus.

Appellare

Procurator ergo appellare tenetur, sed prosequi non cogitur, C. de procur., invitus. Quod si non fecerit, imputatur ei, ff. de negot. gest., liberto § ulti., in fi. Vel saltem denunciare tenetur domino sententiam latam contra ipsum, ut dominus appellet si voluerit, quia culpa ipsius amisit causam, et ipse non poterat divinare, unde imputatur sibi; simile ff. mand.

vel cont., si fideiussor § si cum debitor. Et hoc est verum cum dominus nescivit. Si vero scivisset, certiorari non debuit, ff. de act. emp. et vend., si res vendita, in fi.; et supra, de rescript., ab excommunicato. Unde tunc sibi imputet dominus quod non appellavit. Vel potest dici quod appellare tenetur procurator, vel domino denunciare, quia hic non distinguitur utrum dominus hoc sciat vel ignoret contra se iudicatum, alias mandati tenebitur, nisi alterum faciat, nisi iusta causa eum excuset, ut dicit littera sequens, puta iustus metus, tunc denunciet domino, infra, de appell., si iustus; vel inopia, sicut dicitur de fideiussore condemnato ultra verum debitum. Qui non potest propter inopiam appellare debet hoc denunciare principali personae, ff. mand. vel cont., si procuratorem § si ignorantes. Ber.

X 1.38.15 *Consulti sumus*

Iurati

Per hoc videbatur quod procuratio non valebat, quia maior et iurati per quos communitas regebatur, erant excommunicati. Ipsi quasi caput universitatis censentur, et ipsi iurant pro causis universitatis, C. de iureiuran., cum et iudices § hoc etiam, in fi.; ff. de condi. et demon., municipibus; ff. ad municip., municipes. Huiusmodi maioribus cura totius reipublicae commissa est, ut dicit lex illa ff. ad municip., municipes. Unde videtur quod institutio procuratoris non valeat, et sic ille procurator debet repelli, cum auctores illius non reciperentur, infra, de testib., licet ex quadam. Sed quid dices, imperator est excommunicatus, impetravit litteras pro non excommunicatis etiam credentibus illum non esse excommunicatum, vel etiam credentibus. Numquid valent litterae, ut per eas procedatur? Videtur quod sic, quia non refert per quemcumque preces oblatae sint, C. de precib. imper. offer., universis. Et mulier etiam admittitur ad impetrandum, quae alias ad iudicium pro alio non admittitur, ff. de regul. iur., feminae; C. de procur., alienam. Super hoc dicas quod tales litterae bene valent et tenent, licet imperator qui eas impetravit, repulsus fuisset ab impetrando. Si vicecancellarius illum excommunicatum scivisset, cum etiam si principalis dominus eas impetrasset, valerent eo absoluto, infra, de except., extravag. pia. De hoc teneas secundum quod ibi notatur in glossa, sed mirum. Sed videtur quod litterae impetratae ab excommunicato non valeant, per hoc quod dicit, si maior et iurati excommunicati essent expressi in litteris procurationis, procurator eorum deberet ab impetrando repelli, et ipsi iidem repellerentur. Ergo multo fortius litterae impetratae ab excommunicato non valent, quia si excommunicatus repellitur ab impetrando, et litterae impetratae ab ipso repellendae sunt. Hoc ita intelligendum est, cum vicecancellarius et alius qui litteras concedit, scit illos, scilicet, maiorem et iuratos excommunicatos, tunc debet procurator eorum repelli ab impetrando, quia et ipsi repellerentur, et ita non licet eis per alium quod per seipsis non liceret, infra, de testib., licet ex quadam. Excommunicati publice nec per se nec per alium ad agendum vel impetrandum, ut agant, admitti debent, infra, de except., exceptionem, in fi. Si vero vicecancellarius ignorat impetrantem excommunicatum, nec contra ipsum excipiatur et litteras obtinuerit, valebunt, et poterit agere per eas cum fuerit absolutus, infra, de except., extravag. pia. Ber.

Expressi

Expressio ergo nocet hic, quia per hoc apparet quod eorum mandato fuit constitutio facta tamquam maiorum. Unde non valet, quia si maior de universitate, puta administrator, consules, praelatus excommunicati sint, universitas agere non potest, quia quasi mortua tunc habetur; 11. q. 3, nemo episcoporum. Et ita quasi vacare intelligitur, unde agere non potest, infra, ne sede vac. nih. inn., novit; infra, ne sede vac. nih. inn., illa; et infra, ne sede vac. nih. inn., constitutis. Idem est si in procuratione non sint expressi, dum tamen constet quod eorum auctoritate constitutio sit facta, ut hic dicit. Sed cum expressi sunt, tunc constat, et sic expressa nocent, non expressa non nocent, ff. de regul. iur., expressa. Et quia eorum auctoritate factum est, proprium factum censetur, quia omnia nostra facimus quibus auctoritatem impertimur, C. de vet. iure enucl., Deo auctore § sed neque, in fi.

Procuratoris

Puta quia dicebatur in procuratione: talis communitas fecit Titium suum procuratorem ad impetrandum, et maior et iurati interposuerunt suam auctoritatem.

Tales

Et ideo imputatur, quia non debebat illos ad hoc associare; simile supra, de elect., scriptum, in fi. Et est arg. quod utile vitiatur hic per inutile, arg. ad hoc 9. dist., si ad sacras; et supra, de offi. deleg., super quaestionum § si vero; et 3. q. 9, pura; et ff. de aedil. edict., cum eiusdem. Sic et una ovis morbida totum gregem inficit, 24. q. 3, resecandae; et infra, de statu monach., ea quae, 1. resp., in fi.; et supra, de offi. deleg., cum super. Arg. contra quod non noceat factum illorum, supra, de elect., illa; et infra, de cleri. excom., si celebrat; et supra, de elect., cum Wintoniensis; et C. de transaction., si ex falsis; et infra, de re iudic., cum I et A. Sed dato quod valeat constitutio et impetratio litterarum, quia non sunt expressi in constitutione, vel alii ignorabant illos esse tales, sed communi voluntate omnium hoc factum est, numquid poterit agere universitas vel collegium per syndicum auctoritate illarum litterarum constitutum ab illis et ab aliis communiter, si obiicitur quod maior, scilicet, administrator, praelatus et aliqui de maioribus sint excommunicati, et paratus sit hoc probare excipiens? Et videtur quod sic poterit agere, quia sicut valet constitutio ad impetrandum, ita debet valere constitutio syndici ad agendum, dummodo constitutio syndici similis sit constitutioni procuratoris. Sed videtur quod hoc esse non possit, quia in syndicatu debent exprimi maiores personae, et alii etiam, et praecipue praelatus administrator, ut appareat an sint duae partes vel maior pars universitatis, ff. quod cui. univ. nom., plane. Et collegium sine praelato non convenit, nec convenitur infra, de iudic., causam quae vertitur. Sed hoc non potest constare nisi exprimantur nomina in ipsa constitutione. Vel satis potest dici quod litterae valeant praedicto modo impetratae. Constitutio tamen syndicatus non valeat nisi illi absolvantur, nec est hoc inconveniens, quia unus solus vel pauci de capitulo possent impetrare litteras pro ecclesia vel constituere procuratorem ad hoc, cum sint coniunctae personae, ut arg. supra, de rescript., nonnulli; et 12. q. 2, non liceat. Ber.

X 1.39 DE SYNDICO

X 1.39.01 *Sicut studii*

Generaliter debeas negotia commendare
Nota quod hoc nomen, syndicus, nomen graecum est, latine defensor appellatur, et ad certam causam agendam vel defendendam eligitur, ff. de muner. et honor., munerum § defensores; et generaliter ad omnes causas praesentes et futuras, ut hic, et infra, de iuram. calumn., imperatorum. Constituitur ab universitate seu collegio vel corpore, ff. quod cui. univ. nom., neque societas; et ff. quod cui. univ. nom., item eorum § si decuriones. Et syndicus iste si dubitatur de mandato, debet cavere de rato si agat, et partibus procuratoris fungitur, et ex eisdem causis mutari potest ex quibus procurator, ut lex praedicta ff. quod cui. univ. nom., item eorum § quid si actor; et ff. quod cui. univ. nom., item eorum § actor universitatis. Sed non cavet de iudicato solvendo cum defendit, ut dictum est supra, de procurat., mandato; quia talis syndicus personam sustinet universitatis sive collegii. Sic et tutor non cavet de iudicato solvendo, sed de iudicio fisci, C. de admin. tut., sancimus § defensionem. Et iurat de claumnia iste syndicus in animam propriam, infra, de iuram. calumn., in pertractandis; et infra, de iuram. calumn., imperatorum. Et tutor et curator iurant de calumnia, ut C. de iureiuran., cum et iudices. Item posset esse laicus, ut videtur hic in fine, quia servos Dei litigare non oportet, 2. q. 7, sicut sacerdotes; et 11. q. 1, te quidem; et 11. q. 1, clericum § ex his omnibus, vers. saecularia iudicia si habueritis, contemptibiles, etc.; et in Auth. de sanct. episc. § alium autem, coll. 9; et infra, de iuram. calumn., inhaerentes, in fi. Quod dictum est, satis esset honestum, quia quaelibet persona ecclesiastica debet habere procuratorem bonae famae, pro quolibet ecclesiastico negotio, 5. q. 3, quia episcopi. Tamen contrarium fit quotidie, quia clerici et monachi possunt esse syndici, et tractare utilitates ecclesiarum, 16. q. 1, qui vere; et 16. q. 1, monachi. Et iura praedicta loquuntur solummodo de honestate. Sic videmus servari de facto, et debet constitui quandoque ab episcopo, quandoque a capitulo, prout notatur supra, de rescript., edoceri.

Incommodo
Id est, potius deberent modicum incommodum sive damnum sustinere in eo quod dabunt syndico, et cessare a litibus et per alios litigia exercere. Ber.

X 1.40 DE HIS QUAE VI METUSVE CAUSA FIUNT

X 1.40.01 *Perlatum*

Proposuit
Hic ergo valet protestatio, ut 31. q. 2, Lotharius; 28. dist., diaconi; et 7. q. 1, pontifices; et supra, de elect., Cumana. Contra supra, de consti., cum M, in quibus de hoc. Sed quid si non audet protestari? Non obest C. de reb. credit., generaliter § ipse; arg. 34. q. 2, non satis, in princ.; quod intelligitur si constet in iudicio.

Velum
Scilicet, conversionis, quoniam velum consecrationis quod tantum virginibus datur, imponere non debet, 20. q. 1, de votis; et infra, de regular., vidua.

Simulavit

Nota quod utilis simulatio permittitur, 22. q. 2, utilem; ff. de novat., doli exceptio, in fi.; et 23. q. 3, dominus; ff. de donation., donationes complures § non fuit; et 43. dist., in mandatis; Inst. de action. § aliae; et 23. q. 8, ut pridem. Arg. contra 27. dist., quod interrogasti; ff. de iust. et iure, iuri operam § 1; et 12. q. 1, certe; ff. de off. praes., congruit § ulti.; C. de iure dot., in rebus, in fi.; et 22. q. 5, cavete; et C. de incest. nupt., ab incestis, in fi. Solutio: dolus, fraus, et simulatio sunt nomina reatus, qui numquam permittitur a canone, quia qui peccat, non peccat legis auctoritate, 23. q. 4, qui peccat. Aliquando vulgari consuetudine denominat actus legitimos, et tunc permittuntur, ut in primis concordantiis, 36. q. 2, nullus § his auctoritatibus. Et sic simulatio boni quandoque bona est ut hic, et permittitur. Et quandoque mala, ut hypocrisis, ut 27. dist., quod interrogasti; et 12. q. 1, certe; et 22. q. 5, cavete. Simulatio mali quandoque bona est, ut fuit simulatio David qui simulabat furorem, ut in dictis capitulis 22. q. 2, utilem; et 23. q. 3, dominus; et de conse. dist. 2, accesserunt, ubi dicitur, ferebatur David manibus suis, sed manibus suis nemo portatur. Christus enim manibus ferebatur, de conse. dist. 2, accesserunt.

Quod vestro

Sic infra, de sent. excom., ex tenore. Sed communis forma est quod iuret qui absolvitur stare mandatis ecclesiae, infra, de appell., ad haec praeterea; et infra, de sent. excom., cum desideres. Sed non refert quocumque istorum modorum iuret, quia licet iure stare mandato iudicis, per illam formam non intelligitur aliud quam per aliam. Nec magis adstringitur, quia mandatum suum debet esse secundum ius, nec ad aliud extenditur, quia nec de alio intendunt.

Non timore mortis

Sed qualiter potest hoc probari, cum sit negativa, et ista negativa includit in se affirmativam hanc, scilicet, sponte religionem intravit; simile supra, de renunciat., super hoc. De hac negativa dictum est supra, de elect., bonae 1. Et hanc negativam debent probare moniales, quae mulierem illam repetebant. Sed videtur quod potius mulier illa debuit probare quod timore mortis intrasset, quia moniales fuerunt in quasi possessione illius, sive monasterium, et quasi fundata erat intentio monacharum per talem possessionem et cohabitationem et veli susceptionem. Et mulier allegare videtur metum mortis. Sed qui hoc allegat, illud debet probare, ff. quod metus cau., non est. Respondetur quod verum est hoc, sed quia constabat de protestatione voluntatis ab initio facta, adhuc praesumitur nolle, 21. q. 2, Lotharius; ff. de leg. 3, si quis, in princ. Et qui voluntatem immutatam allegat, hoc probare debet, ut hic, et ff. de probation., eum qui; C. de testament., sancimus; et C. de appellat., praecipimus, in fi.; et ff. de leg. 3, fideicommissa § si rem; et ff. de leg. 1, si mihi § interdum. Sed hoc non habetur ex hac littera, quod constaret de protestatione, nisi per narrationem praemissam. Ideo aliter dicitur eo ipso quod mulier haec non probat, intelliguntur moniales probasse suam intentionem praesumptive, cum de facto constaret, licet non de forma facti, C. qui milit. poss., super servis, lib. 12. Vel moniales sponte onus probandi subire volebant, unde mos eis gerendus fuit, infra, de restit. spol., licet, in fi.; ff. de probation., circa eum. Et talis metus bene excusat, sive timor et metus stupri, et timor servitutis, et metus verberum, ff. quod metus cau., isti quidem; et C. de transaction., interpositas; et infra, de his quae vi

met. caus. fi., abbas. Et quae fiunt iusto timore revocantur, C. de reb. credit., generaliter. Vel dic quod utraque pars debet docere de iure suo; simile supra, de renunciat., super hoc.

Postmodum

Quasi dicat si constaret de metu ab intitio, et postea sponte ratum habuit, votum suum tenuit; simile infra, de regular., significatum; et infra, de regular., cum virum, ubi habes quod istud quod ab initio non tenebat, per ratihabitionem roboratur; sic et in matrimonio carnali, infra, de spons., ad id quod; et infra, de despon. impub., de illis 2, in fi. Nota et aliud quod colligitur hic manifeste quod aliquis uxoratus, vel uxor alicuius etiam iuvenis, si vivente altero sciente et consentiente intret religionem profitendo de timore aliquo etiam iusto ut hic erat, et postea ratum habeat sponte, vel interim etiam mortuo marito, quod in tantum teneat votum quod non possit ulterius ad saeculum redire. Et si redierit, compelli debet reverti ad monasterium, et tamen vivente marito non tenebat votum usquequaque quantum ad maritum, quin posset etiam eam revocare, arg. ad idem infra, de conver. coniug., ex parte abbatis; infra, de conver. coniug., consuluit. Contra infra, de conver. coniug., placet; et infra, de conver. coniug., quidam, ubi de hoc. Et dic postmodum, id est, post mortem viri, et ita planum est, quia vivente viro metus mortis durare intelligitur. Quod ex eo colligitur quia ante mortem mariti non fuit ausa exire. Vel dic quod mulier ista habuit viri assensum, quod patet in antiqua decretali, quia maritus duxit episcopos ad monasterium, ut illi mulieri velum imponerent, sive misit illos, ut hic dicitur supra, vers. episcopi vero. Et ita consensit. Sed castitatem non promisit, et ita solemnizavit votum suum si sponte hoc fecit. Si veri timore mortis hoc fecit, et postmodum tractu temporis ratum habuit, tenuit votum ratihabitione sequenti, cum utroque casu habuerit viri assensum. Sed standum videtur illis iuribus infra, de conver. coniug., cum sis; et infra, de conver. coniug., ad Apostolicam. Sed intellige illas secundum quod notatur infra, de conver. coniug., uxoratus, in notula, sed pone. Ber.

X 1.40.02 *Abbas*

Coactus

Nota quod si quis per metum amissionis rerum suarum aliquid faciat vel iuret se facturum, et illud adimplet iuramentum, potest repetere quod tali modo fecit vel abiuravit, arg. 50. dist., presbyteros. Et intellige de talibus rebus sine quibus vita corporis amittitur vel patitur gravem iacturam, 22. q. 4, innocens, vers. quisquis ergo. Arg. contra 32. q. 7, omnes causationes. Sed non tangit hoc. Nota ergo circa hanc materiam quod ea quae per timorem vel metum fiunt, qui possit cadere in constantem virum, tenet, et obligatur quis per hoc licet coactus. Et iuramentum super hoc factum tenet, dum tamen tale fit factum super quo iuratur vel quod promittitur, sive etiam traditur quod servari possit sine interitu salutis aeternae; alias non tenet iuramentum, 22. q. 4, si aliquid; arg. supra, de pact., pactiones. Quia pro nullo metu debet quis peccatum operari mortale, infra, de his quae vi met. caus. fi., sacris. Et potius quaelibet mala pati quam malo consentire, 32. q. 5, ita ne. Et ita tenent ea quae per metum fiunt et iuramentum, infra, de his quae vi met. caus. fi., ad audientiam. Et hoc ideo, quia coacta voluntas est voluntas, 15. q. 1, merito quaeritur. Sed contra hoc datur actio quod metus causa. Et probato me tu restituitur per officium iudicis quod dedit vel tradidit, aut absolvetur si promisit, ff. quod metus cau., metum § sed quod praetor. Nec refert in hoc casu quis metum facit, an is qui possidet an alius,

dummodo probet se per metum rem perdidisse, quia metus iustam in se habet ignorantiae causam, ff. quod metus cau., si cum exceptione § in hoc. Et potest agere tam contra possidentem, quam contra illum qui metum intulit, ff. quod metus cau., Pedius, 1. resp. Sed si ab uno consequitur ius suum, contra alium agere non potest, ut in praedicta lege ff. quod metus cau., Pedius § ulti., in fi.; ff. de dolo mal., si plures; et ff. de eo per quem fac. erit, aequissimum § si plures; C. de condi. furt., praeses. Arg. contra ff. ad leg. Aquil., item Mela § sed si plures. Sed illud est poena hoc interesse, et poena unius non liberat alium, ut in lege ff. ad leg. Aquil., item Mela § sed si plures. Et est verum quod subvenitur metum passo, nisi culpa sua inciderit in metum, ff. quod metus cau., si mulier; et 22. q. 4, inter caetera. Arg. contra infra, de spons., veniens 2. Et ibi culpa sua incidit in metum, et tamen non tenet matrimonium contractum per metum. Solve hoc contrarium per distinctionem talem. Tenent ergo quae per metum fiunt, et subvenitur metum passis, nisi culpa sua incidant in metum. Ab ista doctrina sive generalitate excipiuntur casus in quibus fallit, etiam si culpa sua incidisset in metum. Et primo in causa matrimonii qualiscumque metus interveniat culpa sua vel sine culpa, matrimonium contractum per metum non tenet, nec obligatur qui hoc fecit etiam si iurat, quia matrimonia libera debent esse, quia invitae nuptiae difficiles exitus consueverunt habere, infra, de spons., requisivit; et infra, de spons., Gemma; et C. de sponsal., mulier, in fi. Et ubi metus vel coactio intercedit, consensus liber dici non potest, infra, de spons., cum locum; et matrimonium solo consensu contrahitur, 27. q. 2, sufficiat. Sed capitulum praedictum, 22. q. 4, inter caetera, videtur dicere contrarium. Sed non contradicit, quia ibi non intervenit iustus metus qui possit cadere in constantem virum, qui solus excusat, ff. quod metus cau., metum. Vel dicas, prout consuevit exponi, matrimonium sit firmum et stabile, quia illud verbum sit, non ponitur praeceptive, sed consultive. Et sic capitulum illud 22. q. 4, inter caetera, loquitur de consilio tantum, vel metus non fuit probatus. Item et dos promissa per metum vel soluta non tenet, quia est accessoria ad matrimonium, ff. quod metus cau., si mulier § si duo, ubi dicitur quod si dos per metum promittatur, non nascitur obligatio. Item in rebus ecclesiae est speciale, quod non tenet traditio vel promissio vel iuramentum factum per metum de rebus ecclesiae, 15. q. 6, si quandoque; infra, de iureiur., pervenit 1. Quia etiam si sponte praelatus res ecclesiae traderet, non tenet traditio sine solemnitate de qua cavetur, 12. q. 2, sine exceptione. Multo fortius non tenet traditio de rebus ecclesiae facta per metum, nec iuramentum super hoc factum. Quia si non tenet principale, nec accessorium, C. de legi. et const., non dubium; et infra, de for. compet., si diligenti. Item et in voto, quia votum per metum factum non tenet, supra, de his quae vi met. caus. fi., perlatum. Quia votum res est consilii et non praecepti, et liberum est arbitrium in vovendo; alias non est votum, 32. q. 1, integritas; et infra, de voto et vot. redem., licet. Et voluntarium militem sibi eligit Christus, coactum autem sibi auctionatur diabolus, 15. q. 1, non est. Item non tenet iurisdictio per metum extorta, ff. de iud., consensisse, 1. resp. Item auctoritas tutoris per metum extorta nulla est, ff. de auct. tut., quamquam § ulti. In omnibus aliis casibus tenet quae per metum fiunt, ut dictum est, dum tamen talia sint quae sine interitu salutis aeternae servari possint. Alii dicunt contra, quia ea quae per metum fiunt non tenent ipso iure, arg. ff. quod metus cau., ait praetor, ubi dicitur quod metu factum est ratum non habeo, dicit praetor. Sed illud non est verum, immo potius contra innuitur ex verbis illis, quia quod non est, ratum haberi non potest. Ber.

X 1.40.03 *Ad aures*

Laicorum
Talis renunciatio non tenet etiam si sponte fieret, quia non est facta in manu praelati, ut supra, de renunciat., admonet; et supra, de renunciat., super hoc; et supra, de renunciat., quod in dubiis, ubi de hoc; et infra, de his quae vi met. caus. fi., ad audientiam; ubi de hoc; arg. 17. q. 2, Gonsaldus. Tamen si sponte renunciasset, quo ad se bene teneret, sed quo ad superiorem non, ut notatur in illa decretali infra, de renunciat., quod in dubiis; et arg. supra, de renunciat., super hoc.

Nisi forte iuramento
Ergo si iuramentum intervenisset, vel fides interposita fuisset quod ulterius non repeteret, non potest eam repetere iuramento vel fide obstante, quod potest servari sine interitu salutis aeternae, infra, de his quae vi met. caus. fi., cum dilectus; infra, de iureiur., si vero; et 22. q. 4, si aliquid; sic infra, de restit. spol., accepta. Arg. contra infra, de restit. spol., sollicite; et supra, de renunciat., cum inter; et supra, de his quae vi met. caus. fi., abbas. Solutio: quidam dicunt quod hoc quod hic dicitur in contrariis dispensatio est, sed ex littera non colligitur dispensatio. Illa decretalis infra, de restit. spol., sollicite, non contradicit, quia in alio casu loquitur, quia aliud est repetere quod per metum tradidit vel renunciavit, ut hic, et infra, de his quae vi met. caus. fi., ad audientiam. Aliud est petere restitutionem eius quo fuit spoliatus, ut dictum est supra, de renunciat., super hoc. Et illa decretalis supra, de renunciat., cum inter, non contradicit, quia ibi non agit ex prima sua institutione. Illa decretalis supra, de his quae vi met. caus. fi., abbas, non contradicit, quia ibi iuravit solummodo abrenunciare, et renunciavit. Sed non iuravit quod non repeteret. Sed hic dicit Papa, si iuramentum intervenisset in renunciatione, scilicet, quod non reciperet illam praelationem, tunc non posset praefici illi ecclesiae propter iuramentum, quod potest servari sine interitu salutis aeternae. Sed non negatur quin praefici possit probato metu, superioris officio implorato, secundum quod fecit in illa decretali supra, de his quae vi met. caus. fi., abbas, et in similibus. Et sic non contradicunt contraria signata. Excusat enim metus stupri sive status, verberis, atque necis, ff. quod metus cau., ego puto; et ff. quod metus cau., nec timorem; et ff. quod metus cau., isti quidem § 1; ff. quod metus cau., isti quidem § 2; et ff. quod metus cau., isti quidem § 3. Item metus substantiae suae, supra, de his quae vi met. caus. fi., abbas.

X 1.40.04 *Ad audientiam*

Ad quos pertinebat
Alias non tenet resignatio, supra, de renunciat., admonet; et supra, de renunciat., quod in dubiis; et supra, de his quae vi met. caus. fi., ad aures; arg. 6. q. 3, denique.

Causa
Olim ita dicebatur quod vi metusve causa gestum est, ratum non habeo. Vis enim fiebat mentio, propter necessitatem contrariam spontaneae voluntati. Sed hodie detracta est vis mentio, ideo scilicet, quia quod fit vi atroci, id metu quoque fieri videtur, quia vis includit in se metum, et est superius ad metum, ff. quod metus cau., ait praetor; et ff. quod metus cau., vis autem. Et dicitur vis impetus maioris rei cui resisti non potest, ff. quod metus

cau., ait praetor; et ff. quod metus cau., vis autem. Vi dico compulsiva, quia inducit actionem quod metus causa, ut legibus praedictis, et non expulsiva, quia illa inducit interdictum unde vi, de rebus immobilibus tantum, et de his quae immobilibus cohaerent. Nec ablativa, quae inducit actionem vi bonorum raptorum circa mobilia tantum, ff. de vi et de vi arm., praetor ait § si fundus; et ff. de vi et de vi arm., praetor ait § 2; et Inst. vi bon. rapt. § sed nedum. Nec etiam turbativa, quae inducit interdictum uti possidetis in rebus immobilibus, et in rebus mobilibus interdictum uti possidetis in rebus immobilibus, et in rebus mobilibus interdictum utrobi, cum duo se possidere contendunt. Nec inquietativa, quae inducit interdictum quod vi aut clam, ut cum quis non sinit alium uti re sua quiete vel curare vel alia facere, vel quando alter eo invito vult aliquid aedificare in suo, vel iam forte aedificavit. Nec distinguitur in hoc interdicto iuste vel iniuste fecerit, ff. quod vi aut cla., praetor ait. Metus autem est instantis vel futuri periculi causa mentis trepidatio, ff. quod metus cau., ait praetor. Et nota quod licet non sit necessarium periculum praesens esse, tamen exigitur metum esse praesentem saltem pro futuro periculo. Non enim sufficit suspicari eum inferendum, ff. quod metus cau., metum, 1. resp. Et dicitur metus, quia mentem tenet.

Debent
Qualiter hoc intelligatur, quia mentem tenet.

Ad resignationem
Nota quod licet metus intervenisset in praestatione iuramenti vel alicuius promissionis, si postmodum in resignatione vel solutione non intercessit metus, quia sponte postea renunciavit vel solvit, non potest repetere. Proxima enim violentiae turpitudinis causa sublata est, C. quod metus cau., cum te; ff. de condi. ob turp. caus., si ob turpem; et supra, de his quae vi met. caus. fi., perlatum, in fi.

Repetendum
Supra, de his quae vi met. caus. fi., ad aures, arg. contra ubi obstat iuramentum. Non est contra, quia ibi iuravit quod non repeteret, ut ibi dictum est. Hic iuravit tantum renunciare, sed non iuravit quod non repeteret.

Resignandum
Sed quid si iurasset non repetere? Respondeo tunc non repeteret, C. si adv. vend., si minor; et infra, de iureiur., si vero; et supra, de his quae vi met. caus. fi., abbas. Papa vero ex officio suo mandabat illum restitui ob denunciationem sibi factam, infra, de iureiur., ad nostram 2. Et ille idem non obstante iuramento posset hoc denunciare Papae, infra, de iureiur., quemadmodum. Posset etiam impetrare absolutionem iuramenti, sicut fit in usuris, infra, de iureiur., ex administrationis. Et in hoc dolum facere non videtur, qui fraudem et dolum excludit, ff. de leg. 2, cum pater § Titio, in fi. Ber.

X 1.40.05 *Sacris est*

Per coactionem
Absolutam, 45. dist., si Iudaeis; et 50. dist., presbyteros; 1. q. 1, constat. Cum magis pati quam agere videatur; 6. dist., testamentum. Sicut nec valeat testamentum ubi testes inviti

detinentur, ff. qui testam. fac. pot., qui testamento § ulti. Et tutor si per vim detentus sit, non valet quod agitur. Immo dormienti comparatur, ff. de auct. tut., quamquam, in fi.

Attenuet
Hic metus attenuat peccatum, 2. q. 1, in primis. Quandoque nullo modo excusat, de conse. dist. 4, eos; et 11. q. 3, quisquis metu.

Excludit
Minor tamen causa excludit eam, arg. 11. q. 3, quod praedecessor; et 11. q. 3, antecessor. Sed illud est indultum a iure, eis possumus participare in his quae ad salutem animarum illorum pertinent. Nec incurrit quis excommunicationem, licet alia incidenter proponantur, ut magis proficiant, infra, de sent. excom., cum voluntate.

Incurrere
Simile 32. q. 5, itane. Ber.

X 1.40.06 *Cum dilectus filius*

Ecclesiae
Non tamen potuerunt ecclesiam suam subiicere ordini Cisterciensi, vel etiam alii inconsulto diocesano episcopo, infra, de excess. praelat., sicut. Sed est verum quod quantum ad episcopum hoc non potuerunt, et nullum praeiudicium fit episcopo. Sed quantum ad se bene tenuit talis translatio, infra, de dona., inter dilectos. Et episcopus habebit iura episcopalia sua sicut consuevit, infra, de relig. dom., quia monasterium. Sed non videtur quod ipsi subiecerint ecclesiam ordini Cisterciensi. Sed seipsos personaliter obligaverunt servare regulam illorum, et bene potuerunt promittere non impedire translationem ecclesiae suae ad ordinem Cisterciensem faciendam, per illos ad quos pertinet. Sed ipsi per se hoc facere non possunt, sed per episcopum de consensu capituli.

Salutis aeternae
Et ideo bene servari debet, infra, de iureiur., si vero; et 22. q. 4, si aliquid. Idem si salutis corporalis, 12. q. 4, presbyter, vers. quisquis ergo; et infra, de iureiur., verum.

Aperire
Ut C. de indict. vid., legatum, in fi.; C. si adv. vend., si post decretum; et infra, de iureiur., si vero.

Violentia
Quae fuerit illa violentia, ignoramus, et forte aliqua verba incusserant eis timorem, quae non semper sufficiunt ad iustum timorem, ff. quod metus cau., metum; et infra, qui cler. vel vov. matr. contr. poss., insinuante. Vel forte etiam minabantur eis excommunicationem, sed ille timor non excusat cum excommunicatio sit medicinalis, 2. q. 1, multi.

Metum mortis

Non solum in duobus istis, sed etiam in pluribus aliis casibus excusat metus. Quandoque metus verborum, arg. 7. dist., fuerunt; et 23. q. 8, convenior; et ff. de acq. hered., qui in aliena § ulti. Quandoque metus rerum, 50. dist., presbyeros; et supra, de his quae vi met. caus. fi., abbas. Et propter metum libertatis, exigere non possum quae onerandae libertatis causa stipulatus sum, ff. quar. rer. act., iusiurandum § quae onerandae. Quandoque metus iudicis, 2. q. 1, in primis. Vel alicuius potentis, C. quod metus cau., si per impressionem; et C. quod metus cau., venditiones. Quandoque metus status vel honoris, vel sui ipsius vel filiorum, et metus stupri, ff. quod metus cau., isti quidem. Item quandoque non tantum metus, sed suspicio metus excusat, ff. locat. et conduct., habitatores § ulti.; et ff. ad leg. Aquil., item si quis fumo § ulti. Quandoque metus mortis aut cruciatus corporis tantum excusare videtur, ut hic, et C. de transaction., interpositas. Unde videtur relinquendum arbitrio iudicis, an verba vel minae vel potentia hominis sit iusta causa metus, ut ff. ex quib. cau. maio., metus; et arg. ff. quod metus cau., non est § ulti. Vel per constitutionem principium, C. quod metus cau., si per impressionem; et C. quod metus cau., venditiones; et ff. de off. praes., illicitas. Vel per responsa prudentum sive interpretationem prudentum, ff. de var. et extraord. cog., si medicus. Iudex vero alicui non dicitur inferre metum, ff. quod metus cau., vis autem. Sed iniuriam facere potest, ut ibi, ff. ad leg. Aquil., quemadmodum § magistratus; et infra, de empt. et vend., si venditori, ubi de hoc. Et nota quod secundum canones, sive vi, sive metu, sive dolo aliquis renunciat rei suae, subvenitur ei contra omnem possessorem, 3. q. 1, redintegranda; et 3. q. 2, cum ecclesiae; et ff. de inoffic. testam., eum qui, 1. resp. Et per episcopum suum potest quis implorare hanc restitutionem.

Ad fatuitatem

Sic patet quod licet dolus interveniat in huiusmodi spiritualibus, non tamen subvenitur dolum passo, licet dolus det causam contractui; simile 20. q. 3, constituit. Idem in matrimonio, infra, de conver. coniug., ex parte tua; et infra, de conver. coniug., veniens, in fi.; et infra, de conver. coniug., dudum. Quod est contra id ff. de dolo mal., et eleganter, in princ. Item habes hic quod dolus non praeponderat culpae, quod est contra id ff. ad leg. Aquil., item Mela, in princ. Item nota quod in spiritualibus non habet locum in integrum restitutio, quia non videntur decepti qui meliorem vitam elegerunt. Arg. contra infra, de in integ. restit., ex litteris. Ber.

X 1.40.07 *Super eo*

Per testes

Sufficit enim probare per testes in iudicio violentiam sibi illatam, et super rebus amissis stabitur iuramento ipsius, sicut hoc totum habes C. und. vi, si quando. Totum tenorem illius legis hic habes. Et sic interesse quod surgit ex maleficio, probatur per iusiurandum; sic 2. q. 1, in primis. Secus est si surgit ex contractu, quia tunc per testes probandum est, Inst. de ver. oblig. § non solum; ff. de minor., si in emptionem; et ff. de edend., argentarius § ulti. Et quod hic dicit non pertinet proprie ad actionem quod metus causa, sed ad interdictum unde vi, sive vi bonorum raptorum. Unde lex illa unde hoc sumptum est ponitur C. und. vi, si quando. Etiam facit ad illam partem tituli, ubi dicit, de his quae vi praecedentes decretales pertinent ad illam partem, quae dicit, metusve causa. Et sic in

actione quod metus causa sufficit probare metum fuisse sibi illatum, quamvis non ab eo qui convenitur, metus illatus sit, ff. quod metus cau., si cum exceptione § in hac. Sed quae fuit causa quare statur in casu isto iuramento illius qui vim passus est, cum iuramentum non sit deferendum nisi adsit bona praesumptio, puta quia habet unum testem, etc., ut supra, de procurat., ex insinuatione; et infra, de iureiur., iuramentum; et C. de reb. credit., in bonae? Ratio illa prima est, propter difficultatem probandi singula utensilia, et huiusmodi minuta, quae de facili probari non possent, et ideo indultum est in favorem spoliati et in odium violenti. Et hoc idem dicitur 2. q. 1, in primis. Et praeterea ideo statur iuramento actoris, quia habet optimam praesumptionem, scilicet, violentiam illatam sibi ab illo qui convenitur, quam debet per testes probare, ut hic dicit, et in lege praedicta C. und. vi, si quando. Et sic iuramento statur in expensis restituendis, quia et ibi similiter difficile esset hoc probare, C. de iud., sancimus.

Amissis
Tempore violentiae, vel damno dato, ut in praedicta lege C. und. vi, si quando; et in 2. q. 1, in primis.

Taxatione
Ultra quam, scilicet, taxationem non iurabit, ut praedicta lex C. und. vi, si quando. Sic supra, de procurat., constitutis; et 3. q. 3, induciae § quod fieri non debet; et 3. q. 3, induciae § habes; C. de dilation., authen. quod fieri; et in Auth. de exhib. et intro. § quoniam mox, coll. 5. Et secundum quod iuratum est, debet condemnare, ut lex C. und. vi, si quando; et non minus in Auth. de iudicib. § oportet, coll. 6.

Pro personatum
Persona ergo respicienda est an honesta fuerit, utrum sit pauper vel dives, arg. optimum ff. de legit. tutor., legitimos; arg. supra, de offi. deleg., sane quia; et supra, de offi. deleg., pastoralis, 1. resp.; et 2. q. 8, quisquis. Qualitas etiam negotii consideranda est, simile infra, de appell., cum sit Romana; et ff. de iud., nonnumquam; et infra, de iureiur., iuramentum, in fi.; et C. und. vi, si quando. Ber.

X 1.41 DE IN INTEGRUM RESTITUTIONE

X 1.41.01 *Requisivit*

Sub modico sensu
Id est, pro modica pecunia distracta. Et sic non contradicit littera sequens ubi dicit, ad ius et proprietatem convenit redire, etc. Et quod dicit in fine, coloni, id est, emptores colentes ipsas possessiones. Vel potest intelligi quod verba proprie ponantur, ut de utroque contractu intelligatur, ut si ecclesia laedatur in contractu locationis, puta quia ad longum tempus locavit rem aliquam pro certa pensione, in qua laesa est ecclesia, sive in contractu venditionis.

Detrimentum
Magnum scilicet, nam pro modica causa non datur restitutio, ff. de minor., si ex causa iudicati, 1. resp., in fi.; et ff. de in int. rest., scio; infra, de rebus ecc. non alien., ad nostram.

Non liceat
Infra, de dona., fraternitatem. Melius est enim iura ecclesiae intacta servari, quam post vulneratam causam remedium quaerere, C. in quib. caus. in int. rest., sancimus.

Iure minoris
Sic est infra, de in integ. restit., auditis, ubi de hoc. Et fungitur iure rei publicae, 23. q. 4, quid ergo. Et dic iure minoris factae maioris, et comparatur minori in hoc, quia sicut minor postquam excessit viginti quinque annos petit restitui usque ad quadriennium, de his in quibus laesus fuit infra viginti quinque annos, sic et ecclesia tantum usque ad quadriennium petit restitui ubicumque laeditur a tempore laesionis computandum. Et quod dicit, semper debet illaesa servari illud, semper, non notat tempus circa eundem contractum vel circa eandem laesionem, ut de eodem contractu vel de eadem laesione semper in perpetuum possit ecclesia restitui. Absurdum istud videtur, et est contra id quod legitur C. de temp. in int. rest., supervacuam, ubi dicitur quod omnis restitutio infra quadriennium debet terminari. Sed sic debet intelligi illud, semper, id est, quotiescumque laeditur illa ecclesia, debet petere restitutionem super illa laesione usque ad quadriennium, et ita si millies laederetur, millies potest restitui, et ita semper est minor, quia semper restituitur, et restituitur quamdiu durabit in his in quibus laedetur. Et sic re vera fungitur iure minoris, et haec est communis opinio. Alii dixerunt, ut Ala. et Naso cum eo, quod in infinitum possit ecclesia restitui super eo contractu in quo laesa est, nec currit ei illud quadriennium, arg. infra, de in integ. restit., tum ex litteris. Et inhaerent superficiei istius verbi, semper, et male. Et dic semper, id est, in omni contractu sive quandocumque laeditur, ut dictum est.

Constiterit
In iudicio praesentibus partibus, infra, de in integ. restit., tum ex litteris. Vel per contumaciam absentibus, ff. de minor., in causae § causa; et ff. de minor., etiam § ulti.; et infra, de rebus ecc. non alien., ad nostram; et C. si adv. dot., quoniam; et ff. de adopt., nam ita; et in Auth. ut spons. larg. § ad hoc, coll. 9. De hoc dictum est supra, de offi. iud., iudicis.

Redire
Et sic patet quod contractus fuit alienationis, non locationis, ut dixi in princ., et alienatio tenuit. Unde auxilium restitutionis necessarium fuit, quia tunc demum datur, cum alia actio non superest, ff. de minor., in causae, in princ.; et supra, de offi. iud., iudicis. Unde nota quod si alienatio rei ecclesiasticae facta est in casu licito sicut debet, et traditur 10. q. 2, hoc ius; et 12. q. 2, sine exceptione. Bene tenet contractus, et si laesa sit in contractu illo, non subvenitur ei nisi per beneficium restitutionis, nisi esset decepta ultra dimidium iusti pretii, quia tunc iure communi iuvatur, infra, de empt. et vend., cum dilecti; et infra, de empt. et vend., cum causa; et C. de rescind. vend., rem maioris. Si vero alienatio non sit facta praedicto modo, scilicet, cum consensu capituli, et meliorationibus inspectis,

nullus est contractus ipso iure, 12. q. 2, sine exceptione; et 12. q. 2, Apostolicos; et 12. q. 2, alienationes; et praedicta decretalis infra, de empt. et vend., cum dilecti. Et agitur tunc iure communi contra possessorem, arg. C. de sacro. eccl., iubemus; et C. si adv. donat., si in te.

Defraudari
Sicut enim ecclesia in damno morari non debet, ita nec in lucro. Ex utraque parte fieri debet restitutio, C. de reput. quae fiu. in iud., qui restituitur; ff. de minor., quod si minor § restitutio; et ff. de minor., intra utile, in fi.

X 1.41.02 *Cum venissent*

Possessione
Vel quasi possessione, quia incorporalia non possidentur, sed quasi possidentur, ff. de usucap., sequitur § si viam.

Subiectionis
Et possessione iuris eligendi abbatem.

Fuerat
Per monachos, et ita spoliaverunt episcopum possessione eligendi.

Duo eorum
Tertio eis committente vices suas, vel se excusante; alias nihil fecissent, supra, de offi. deleg., prudentiam, 1. resp.; et supra, de offi. deleg., cum causa; et supra, de offi. deleg., causam matrimonii. In antiqua tamen contrarium allegabatur.

Renunciavit
Ante confirmationem sufficit renunciatio facta eis qui elegerunt.

Procuratorem
Er sic videtur quod collegium possit constituere procuratorem sine consensu praelati, etiam vacante ecclesia pro causis monasterii, contra id quod est infra, de iudic., causam quae vertitur; et infra, ne sede vac. nih. inn., per totum. Sic intellige quod dicit hic, eligunt procuratorem vel syndicum vacante ecclesia, ut de facto sine electione ipsa praelati agatur, de qua erat contentio inter episcopum et conventum, quae aliter tractari non poterat. Et ad hanc causam tantum constituit, non ad alias quae tractari non possent vacante ecclesia per iura praedicta.

Inhibentes
Non videtur quod ipsi potuerint inhibere, cum monachi essent in quasi possessione eligendi, alium eligendo qui renunciavit, et sic usque ad sententiam tuendi erant in possessione, 16. q. 4, volumus; et 12. q. 5, nulli; et infra, ut lite penden., per totum. Unde Papa hic in fine non cassat electionem factam post inhibitionem illam, arg. ad hoc 11. q. 1, quia res; et C. de probation., possessiones. Arg. contra ff. de pet. hered., divus, ubi

prohibetur possessori aliquid detrahere de bonis hereditatis, nisi praestita satisdatione de restitutione. Sed hoc solvitur in fine notulae quae incipit: sed nonne.

Praesumpserunt
Ex hoc verbo videtur quod non debuerant eligere post prohibitionem. Sed licet non debuerant, facta tamen electio non cassabitur, quousque cognoscatur de iure eligendi, ut dicit in fine.

Spoliarant
Et ius eligendi abbatem ad episcopum de caetero pertinere, quia ad ipsum pertinebat ius eligendi.

Inspectis privilegiis
Huiusmodi inspectio iure debuit suspendere confirmationem sententiae latae pro episcopo, arg. infra, de testib., veniens 2; et infra, de re iudic., cum super.

Protestatus
Et sic protestatio prodest, supra, de elect., Cumana; et supra, de offi. ord., pastoralis, in fi.; et supra, de his quae vi met. caus. fi., perlatum; et 7. q. 1, pontifices. Arg. contra supra, de consti., cum M. De hoc dictum est supra, de elect., Cumana. Et sine ista protestatione admissi fuissent monachi per beneficium restitutionis, unde supple maxime.

Negligentia
De qua negligentia tenetur monasterio, si proprium habet, arg. ff. mand. vel cont., diligenter. Cum omiserit exceptionem monasterio competentem, ff. mand. vel cont., si fideiussor, 1. resp.

In damnum
Cum ad defensionem vocari debuerimus, infra, de confirm. util. vel inutil., cum dilecta. Et dominus semper in iudicio nominandus est, infra, ut lite non cont., quoniam § penulti.; et C. ubi in rem act., si quis.

Restituimus
Haec restitutio, ut quidam dicunt, datur quando procurator non est solvendo, ut tunc fiat restituito contra ecclesiam, ut ff. mand. vel cont., si procuratorem, in princ.; et ff. de dolo mal., et eleganter § si dolo. Hic procurator non est solvendo, etiam si alias sit locuples, quia libertas et status monasterii aestimari non posset, ff. de re iud., sacra § ulti. Ex hac enim causa quilibet erit restituendus, quia ex quacumque causa iusta dicit praetor in integrum restituam, ff. ex quib. cau. maio., huius edicti. Alias numquam rescinderetur sententia propter dolum, vel propter negligentiam procuratoris. Sed dominus agat contra procuratorem si dolum commisit, C. de procur., si procurator, in fi. Et ipse de omni dolo et culpa tenetur domino, C. mand. vel cont., a procuratore. Quia nec procurator omittere debet exceptionem competentem ex persona rei, ff. mand. vel cont., denique; et ff. mand. vel. cont., fideiussor, 1. resp. Et ita hic videtur loqui non tantum de restitutione minoris, sed etiam de restitutione maioris ex clausula generali: si qua iusta, etc., ut dictum est. Et est differentia inter restitutionem quae fit iure minoris, quia illa datur officio iudicis

deficiente actione, ff. de minor., quod si minor § ulti.; et supra, de offi. iud., iudicis; et illam quae fit iure maioris, quia tunc habet actionem suo iure, scilicet, utilem, accedente iudicis officio, ff. quod metus cau., metum § ex hoc dicto; et ff. quod metus cau., metum § prece; et arg. C. quod metus cau., si vi. Sed certe lex illa ff. de dolo mal., et eleganter § ulti.; et illa ff. mand. vel cont., si procuratorem, non restituit actionem cum per negligentiam procurator succuberit, sed cum per dolum. Unde si negligens fuit procurator, imputet sibi qui tali negotium suum commissit, ff. de minor., cum mandato; arg. ad hoc supra, de offi. deleg., cum olim abbas; ff. de trib. act., procuratoris. Verumtamen si procurator est solvendo, satis videtur quod favore ecclesiae in optione habet, an velit convenire procuratorem vel velit restitui ad rem, C. si tut. vel curat. interven., etiam tutoribus.

Electionem

Sed nonne fuit facta hic electio post inhibitionem iudicis? Ergo cassanda erat, infra, de matr. contrac. con. int., litterae; et infra, de matr. contrac. con. int., de muliere; et ff. ne quid in loc. pub., sicut; infra, de nov. oper. nunc., cum ex iniuncto; et infra, de despon. impub., ad dissolvendum, in fi. Sed certe ex eo quod isti erant in possessione alium eligendi, lite pendente privari non debent, 8. q. 4, nonne; et 16. q. 4, volumus. Sed haec solutio non videtur posse stare, nam mota controversia patronus praesentare non debet, arg. infra, de iure patron., ex litteris. Ergo eodem modo mota controversia eligere non debet, ex hoc etiam sequeretur inconveniens, quia si postea probaretur illos non habuisse ius eligendi, cassanda esset electio quia omnes fructus percepti restituendi sunt, C. de rei vend., certum. Et sic sequeretur quod electio facta ab eo qui credebat habere ius esset cassanda, quod esse non debet, supra, de elect., querelam; infra, de iure patron., consultationibus. Ad hoc dicit Io. quod licite potest eligere qui est in quieta possessione, licet fiat ei controversia, ff. de aqua quot. et aest., cui per fundum; et uti omni iure suo usque ad finem causae, 8. q. 4, nonne. Contra tamen videtur in hoc casu quod dicitur supra, de iure patron., ex litteris. Tu tene prout ibi notatur, scilicet, quod non debet eligere. Sed si eligat, iudex tamen sive superior ad quem pertinet institutio non confirmabit electionem, nec cassabit pendente controversia ex qua pendet, prout dicit decretalis in fine. Sed Io. dicit quod si de hoc fiat et controversia an possideat tale ius, tunc non debet eligere, arg. supra, de consti., cum M, in fi. Et ita videtur hic episcopus enim petebat restitui ad possessionem iuris eligendi, et sic non possidebant monachi quiete, et ideo caute dixit Papa electionem nec confirmari, etc., id est, donec cognoscatur ad quod pertinet ius eligendi, et praecipue quantum ad possessionem, ut sicut prima electio non esset cassanda nisi prius constitisset an episcopus possideret ius eligendi tempore electionis, ita nec alia quae facta fuit post istam, sic infra, de caus. poss. et propr., cum ecclesia, ubi agebatur possessorio et petitorio, etiam et hic similiter. Quia de iure eligendi, ut patet ex littera supra, vers. princ., et ideo quamdiu pendet quaestio iuris seu possessionis, electio confirmari vel infirmari non debet.

X 1.41.03 *Auditis et intellectis*

Libertati donatus

Arg. quod reges possunt dare privilegia libertatis, 63. dist., in synodo.

Continetur
In privilegiis Celestini continebatur quod ipse exemerat a iurisdictione episcopi locum illum, quem praedicti reges libertati donaverant, et de valle de Evescam in privilegio mentio non fiebat, et ita per privilegium Celestini non probatur quod ecclesiae de Evescam sint exemptae a iurisdictione episcopi, et sic recurrendum est ad privilegium illorum regum. Et si ibi contineatur quod illi reges vallem de Evescam donaverunt libertati, tunc erit probata exemptio, et sic dubia probatio non prodest. Reges enim donaverunt locum illum libertati quo ad temporalem iurisdictionem. Papa vero quo ad spiritualem.

Subducto
Deducendum est ergo tempus vacationis in praescriptione, infra, de praescrip., placuit; et infra, de praescrip., de quarta; et infra, de praescrip., auditis; et infra, de praescrip., cum vobis. Et illud tempus deducendum est, quo solet succurri cuilibet qui laeditur, primum sit, medium ultimumve, C. de rest. milit., quod tempore; et C. quib. non ob. long. temp. praescrip., praescriptione; ff. ex quib. cau. maio., necnon § si quis.

Iure minoris
Ecclesia enim fungitur iure minoris, ut hic, et supra, de in integ. restit., requisivit. Item fungitur iure reipublicae, 23. q. 4, quid ergo; et 1. dist., ius publicum; et C. de sacro. eccl., ut inter divinum. Hinc est quod praelati ecclesiarum comparantur tutoribus et curatoribus, in Auth. de eccl. titul. § orphanotrophi, coll. 9; arg. ad hoc 3. q. 2, quia ea. Item fungitur iure imperii, in Auth. de non alien. aut perm. ecc. § sancimus, coll. 2. Immo maior est imperio, 96. dist., duo sunt; et supra, de maior. et obed., solitae. Sed non fungitur iure pupilli, quia contra pupillarem aetatem non currit praescriptio, C. de praescri. trig. vel quad. ann., sicut in rem. Sed in quibus casibus comparatur ecclesia minori dubitari posset. Dicunt quidam quod in omnibus ecclesia comparatur minori, quoniam ecclesia potest restitui contra praescriptionem sicut minor, C. si adv. usuc., contra eos; et ff. de minor., etiam; et C. si tut. vel curat. interven., minoribus; et C. de in int. restit. min. vig. qui. ann., minoribus; et in Auth. de hered. et Falc. § pupillus, coll. 1. Quod bene videtur expressa ratione, ubicumque enim ecclesia laeditur, debet restitui, sed ante completam praescriptionem non est laesa, immo iure communi agere potest, sed tunc demum finita praescriptione dicitur laesa, quia iure commune si agat, repellitur praescriptione probata, sed a tempore laesionis, id est, tempore praescriptionis finito usque ad quadriennium potest petere restitutionem, ut dicit lex illa, C. de temp. in int. rest., supervacuam. Et ita potest peti restitutio contra praescriptionem usque ad quadriennium. Quidam dicunt quod contra praescriptionem non datur restitutio, quia canones volunt praeiudicare ecclesiis per praescriptionem, 16. q. 3, placuit ut; et 16. q. 4, volumus. Immo secundum illos qui dicunt quod contra praescriptionem datur restitutio, sequeretur quod numquam praescriptio curreret contra ecclesiam. Sed huic facile est respondere, quia beneficium currit praescriptio ecclesiae, sed si petit restitui contra bene auditur, sicut minori currit, sed restituitur. Non video quod aliud sit in ecclesia quam in minori, nisi quia non inveni scriptum in iure canonico, quod ecclesia restituatur contra praescriptionem, sed eadem ratione qua minores restituuntur favore imperfectae aetatis, sic favore ecclesiae introductum fuit quod uteretur ecclesia iure minoris. Sed ubi eadem est ratio, ibi debet esse idem ius, supra, de consti., nam concupiscentiam; et supra, de

consti., translato; et supra, de translat., inter corporalia. Sed verius videtur quod dicitur quod contra praescriptionem non datur restitutio, ne frustra iura loquentia de praescriptione sint statuta, et potest etiam dici quod post quadriennium audiretur si probaret se illo quadriennio iusta de causa impeditum fuisse, arg. 4. q. 5, quisquis; et infra, de appell., ex ratione; ff. de minor., ait praetor; et ff. de minor., si sine § ulti.; et C. de temp. appel., cum anterioribus § illud. Quidam ponunt ecclesiam in primo anno minoris, restituentes eam usque ad vicesimum nonum annum, sicut minor. Alii restituunt eam usque ad quintum decimum, ponentes eam in quarto decimo anno. Sed hoc nil est, nec debet poni in aliquo anno, sed ad similitudinem minoris facti maioris restituitur ecclesia usque ad quadriennium sicut minor, ut dictum est supra, de in integ. restit., requisivit.

Restituimus

In his enim praescriptionibus, quae spectant ad statum iudiciorum, ubicumque laeditur ecclesia, restituitur, ut si contumax condemnata est, ff. de minor., minorem; simile arg. supra, de in integ. restit., cum venissent. Vel si non appellavit, vel etiam si dum agit vel convenitur, in aliquo capta est ut minor, ff. de minor., ait praetor § sed in iudiciis; et ff. de minor., et si sine § item si non provocavit; et infra, de in integ. restit., beneficio. Vel si omisit allegationem, vel ea quae faciunt ad instructionem causae, ut hic, et ff. de minor., minor viginti quinque annis; et infra, de in integ. restit., coram. Item quicquid omisit non solum in damno, sed etiam in lucro, ff. de minor., ait praetor § ulti.; et ff. de minor., non omnia. Item in confessione, ff. de confes., certum § penulti. Et propter novas defensiones tunc apparentes vel noviter contingentes, arg. C. si saep. in int. rest., in una; et infra, de in integ. restit., beneficio. Sed in contractibus certum est quod ecclesiae subvenitur, supra, de in integ. restit., requisivit, ubi de hoc.

Contra reliquam

Sicut minor contra minorem, nisi cum pecuniam amisit, ff. de minor., verum § ulti.; ff. ex quib. cau. maio., qui rei publicae. Et nota quod restituere in integrum est reducere in eum statum in quo erat ante laesionem, supra, de in integ. restit., requisivit; et C. de reput. quae fiu. in iud., qui restituitur; C. de in int. res. post., postulata; et ff. de minor., quod si minor § restitutio. Et generaliter restituitur non solum cum de bonis diminuitur, sed etiam cum interest ecclesiae litibus et sumptibus non vexari, ff. de minor., minoribus.

X 1.41.04 *Ex litteris*

Vices suas

Alias non tenuisset sententia, supra, de offi. deleg., causam matrimonii; supra, de offi. deleg., cum causa.

Confirmavit

Hoc est speciale privilegium in causa appellationis, quod iudex altera parte absente procedere possit etiam lite non contestata, C. de temp. appel., cum anterioribus § illud; et 2. q. 6, ei qui § appellatore; et infra, de appell., per tuas; et infra, de appell., interposita.

Ad eum
Si iste fuisset solvendo, contra ipsum dumtaxat daretur actio mulieri. Sed quia in casu isto solvendo esse non poterat, ideo favore matrimonii restituitur mulier, ff. de eo per quem fac. erit, ex hoc edicto; et ff. de dolo mal., et eleganter § si dolo. Et si de hac falsitate constitisset, iure communi audiretur, arg. ff. si mens. fals., si duobus § 1.

Supplicavit
Supplicare potest quilibet quantumcumque remota sit appellatio, arg. 2. q. 6, anteriorum § illud; C. de precib. imper. offer., si quis adversus. Nam et servus supplicare potest pro domino, si dominus nolit appellare, ff. de appellat., servi. Sed in hoc differt appellatio a supplicatione, quia appellatione interposita nil est innovandum, sed pendente supplicatione mandatur sententia executioni, praestita cautione quod omnia restituat si sententia fuerit retractata, C. de precib. imper. offer., authen. quae supplicatio. Sic in restitutione in integrum quando suspectus est qui petit restitui, mandatur sententia executioni sub consimili cautione, infra, de in integ. restit., suscitata. Item in hoc differt appellatio a supplicatione, quia appellatur usque ad decem dies; supplicari autem potest usque ad biennium. Quod verum est cum supplicatio porrigitur superiori, C. de sent. praef. praet., litigantibus. Si vero supplicatio porrigitur iudici, tunc usque ad decem dies, ut in C. de precib. imper. offer., authen. quae supplicatio.

Ad plenum
Hoc ideo dicit, quia si plene probasset hanc fraudem, et causam absentiae, iure communi fierit restitutio, infra, de re iudic., cum Bertholdus, ubi minus sufficiens probatio sufficit, ne praeiudicaret opinio veritati, ut supra, de procurat., ex insinuatione; et supra, de procurat., in nostra. Et hoc ideo, quia absens legitime citatus, praesumitur contumax si non venerit, 3. q. 9, decernimus; 65. dist., si forte; ff. de re iud., contumacia. Sed talis praesumptio potest elidi per aliam praesumptionem, ff. de in int. rest., divus. Et inde est quod per praesumptivam probationem, et minus plenam eliditur praesumptio contumaciae. Unde per sacramentum unius potest probare se non contumacem. Nam violenta praesumptio eliditur per iuramentum, 35. q. 3, extraordinaria; et optimum arg. infra, qui matrim. acc. poss., cum in tua. Et sic potest intelligi 4. q. 5, quisquis, in fi. Tamen hoc iuramentum non facit plenam probationem, sed favore matrimonii admissa fuit mulier ad agendum, nec auditur mulier praetextu appellationis suae, quia contumax praesumitur, sed per fraudem semiplene probatam, et in favorem matrimonii restituitur.

Restituimus
Arg. quod nullo tractu temporis transit sententia contra matrimonium in rem iudicatam, infra, de re iudic., lator; et infra, de re iudic., consanguinei. Sed ex hoc sumunt quidam contrarium argumentum et male.

Confirmetis vel infirmetis
Hoc tantum habet facere iudex appellationis, 2. q. 6, in fine. Et hoc habet locum quando in causa appellationis nil novi proponitur, et unicus tantum est articulus, ut hic erat; alias iudex appellationis pro parte potest confirmare sententiam et pro parte infirmare, ut infra, de testamen., Raynutius; et infra, de testamen., Raynaldus. Item ex eo quod dicit,

confirmetus vel infirmetis, videtur quod executio non spectet ad ipsos. De hoc dictum est supra, de offi. deleg., pastoralis § praeterea.

X 1.41.05 *Tum ex litteris*

Ipsius
Scilicet, Anastasii.

Sententia
Per hoc videtur quod Celestinus restituerit ecclesiam Ilerdensem, sed cum multa tempora sint elapsa a tempore Eugenii, qui tulit sententiam ipsam, usque ad tempus Celestini, scilicet, quadraginta quinque anni, quomodo auditur ecclesia Ilerdensis super restitutione? Et Innocentius similiter videtur eam admittere ad restitutionem petendam infra, ubi dicit: an data vel danda. Sed est contra alia iura. Nam ultra quadriennium dari non debet, C. de temp. in int. rest., supervacuam. Nec etiam perpetuatur per contestationem litis, ff. de minor., Papinianus, in fi. Potest dici quod restitutio data fuit tempore Anastasii, qui commisit negotium Celestino in minori officio constituto, quia Anastasius fuit proximus successor Eugenii. Et quod causa terminata non fuit, stetit per iudices unde non est imputandum actori, 2. q. 6, anteriorum; C. de in int. restit. min. vig. qui. ann., petendae, sicut satis patet per multas commissiones. Unde etiam dicit infra: an data sit vel danda. Si vero data, postea dari non debet, C. si saep. in int. rest., in una; vel si esset denegata, infra, de in integ. restit., beneficio; nisi ex causa, ut ibi dicitur. Sed obiicitur: Eugenius tulit sententiam primo mense sui apostolatus, ut infra dicitur, et vixit octo annis et mensibus quatuor et viginti unus diebus. Sed Anastasius successit Eugenio, qui causam super hoc commisit Celestino tunc in minori officio constituto, et ita videtur quod restitutio semper sit danda, ut dictum est supra, de in integ. restit., requisivit, quia haec videtur dari post quadriennium. Sed tu potes respondere quod ex eo quod dicit hic, non constat quod Anastasius dederit restitutionem, sed commissit causam super restitutione an esset danda vel non. Sed obstat fortius factum Celestini, qui mandavit non obstante sententia Eugenii, diffinitivam sententiam proferri super ecclesiis praedictis. Sed hoc fecit Celestinus potius de gratia quam de iure, quod patet quia restitutio danda est causa cognita praesentibus partibus, ut dicit infra, et ff. de minor., in causis § in causa. Unde Papa noluit inniti facto ipsius, sed deliberavit decernere praesentibus partibus utrum sit data vel danda, et ideo non plene probatur per hanc decretalem quod dari debeat restitutio post quadriennium, quia nec Papa hic determinat hoc.

Extitit
Post recessum praedicti cardinalis.

Testes
Qui producti fuerunt ad probandum, quod dari debeat restitutio, et quod potius per iudicem, et non per ecclesiam Ilerdensem steterat, quod non fuerat processum, ut hic dicit.

Magister
Habens ad hoc speciale mandatum, ut ff. de minor., illud § si talis; et infra, de in integ. restit., coram.

Officium nostrum
Hoc ideo dicit, quia tantum iudicis officio, et non iure actionis petitur restitutio, ff. de minor., quod si minor § ulti.; et supra, de offi. iud., iudicis.

Restitui
Ergo non fuit restituta per Celestinum.

Committendum
Eo enim ipso quod commisit negotium principale, videtur concesisse beneficium restitutionis, sicut committendo causam videtur commisisse appellationem, supra, de offi. deleg., pastoralis § praeterea. Sed hic ignoratur quae causa commissa fuisset, an causa restitutionis an causa illa, scilicet, an danda esset an non, ut patet per sequentia. Sed videtur quod danda esset restitutio, ut dicitur in praedicta notula. Et hoc probatur per hoc quod ecclesia Ilerdensis petebat restitui coram Innocentio Papa.

Sententia
Romanae sedis. Ponit tenorem 35. q. 9, sententiam; et 35. q. 9, veniam.

Permiserunt
Sed illud perraro fit, ff. de minor., minor autem magistratus; et C. si saep. in int. rest., si post sententiam; et C. si saep. in int. rest., quamquam.

Instructus
Arg. quod in modico tempore non potest quis multum addiscere, arg. 48. dist. § prohibentur; quia nemo repente fit summus, de poen. dist. 2 § haec quae de caritate. Arg. contra, quandoque enim ingenium supplet tempus in beneficium studentibus, sicut industria supplet tempus, 77. dist., monachus. Nec sufficit diu in scholis fuisse, sed laudabiliter vixisse inquirendum est, 12. q. 2, gloria episcopi, in fi.; et arg. C. de his qui ven. aet. impetr., omnes.

Ex parte vestra
Per hanc ltteram videtur quod pars Oscensis ecclesiae privilegium suum falsaverat, addendo aliquid vel diminuendo, ut magis faceret pro se. Propter quod Eugenius tulit sententiam contra Ilerdensem ecclesiam. Sed eo ipso quod quis falsat litteras iudicium, debet amittere causam, sicut dicit illa decretalis supra, de rescript., olim. Quod hic non fecit Eugenius, credens privilegium verum, cum non esset, ut dicit littera ista ibi: illa nitens praecipue, etc. Et hic patet quod falsaverat privilegium quod postea repertum est integrum et incorruptum in registro. Similis falsitas habetur infra, de except., cum venerabilis. Et ideo tale delictum non debet obesse Ilerdensi ecclesiae, quo minus saltem restituatur in isto beneficio. Vel forte pars Ilerdensis ecclesiae falsaverat privilegium Oscensis ecclesiae, et hoc constitit in iudicio. Unde Papa sententiavit contra Ilerdensem ecclesiam, et ideo dicit: illa nitens, etc., et hoc videtur verius secundum hanc litteram. In

antiqua compilatione dicebatur ab altera parte productam, et secundum illam litteram planior est sensus. Et secundum hoc pars Ilerdensis ecclesiae falsavit privilegium suum. Et ideo contra ipsam fuit sententiatum, quod melius videtur secundum illam regulam, delictum personae etc. Et ita concordat cum illa decretalem infra, de except., cum venerabilis. Unde non debet obesse Ilerdensi ecclesiae delictum illius qui privilegium falsavit, quin saltem restituatur isto beneficio, cum ecclesia Ilerdensis non fuerit in culpa.

An danda
Ideo iubet inquiri, quia non constabat an fuisset admissa ecclesia Ilerdensis ad restitutionem, et praesentibus partibus hoc est faciendum, vel per contumaciam absentibus, ff. de minor., in causae § 1; et in Auth. ut spons. larg. § ad haec, coll. 9; et C. si min. ab hered. se abst., authen. si omnes. De hoc dictum est supra, de in integ. restit., requisivit; et supra, de offi. iud., iudicis, melius. Et per hanc litteram non constat quod restitutio data fuerit, sed modo apparebit an fuerit data an danda, licet Papa Celestinus non obstante sententia Eugenii negotium commiserit.

Assertione
C. si per vi. vel al. mod., nec imperiale; arg. supra, de maior. et obed., inter quatuor.

Ostensuri
Sed quare compellitur isti hoc probare, cum ille qui petit restitui non admittatur nisi doceat se laesum, ut ff. de iureiuran., nam postea § si minor. Item est contra id quod actore non probante reus debet absolvi, 6. q. 5, accusator; et infra, ut eccl. ben., ut nostrum. Forte praesumptio erat contra eos, et ideo Papa voluit hoc, ut dicit praedicta decretalis infra, ut eccl. ben., ut nostrum. Sed non compelluntur hoc probare quod sit retractanda, ipsi probent contrarium si potuerint. Et haec facienda sunt utraque parte praesente.

Locorum distantiam
Propter locorum distantiam, et ut parcatur laboribus et expensis, prima vice potest poni peremptorium, 24. q. 3, de illicita; et ff. de iud., nonnumquam; necessitate ingruente, infra, de dilat., dilecti. Arg. contra ff. de iud., ad peremptorium; multa enim propter distantiam permittuntur quae alias prohiberentur. Unde versus: non facit ergo parum distantia longa viarum // prorogat inducias aufert onus impedimentum // cogit adire forum conservat ius dominorum. Pone exemplum: prorogat inducias appellatori, infra, de appell., cum sit Romana. Aufert onus electo et electoribus, 63. dist., cum longe. Impedimentum aufert domino volenti repetere servum suum factum monachum, 17. q. 2, si quis incognitus. Cogit adire forum, quia sine licentia patris absentis filius causam agere potest, ff. de iud., si longius. Conservat ius dominorum in possessione turbata domino absente, C. si per vi. vel al. mod., iudices, ubi admittitur ad possessionem turbatam recuperandam servus vel amicus, qui alias non admitterentur.

Quantum de iure
Sed qualiter procederetur in hoc casu restitutionis. Dato quod pars citata non veniat, numquid potest procedi ad testium receptionem, vel diffinitivam sententiam super ipsa restitutione? Videtur quod non, quia litis contestatio in hoc casu facienda est, supra, de

offi. iud., iudicis; ff. de minor., Papinianus § ulti. Sed lite non contestata testes non sunt recipiendi, infra, ut lite non cont., per totum. Et hoc innuitur hic ex eo quod dicitur: quantum de iure, etc., cum alias lite contestata citari debeat, ut si non venerit, ad sententiam procedatur. Qualiter hoc fieri debeat dictum est supra, de offi. iud., iudicis. Sed contra videtur quod ad sententiam procedi non possit, ff. de minor., in causae § 1; et C. si min. ab hered. se abst., authen. si omnes. Solutio: haec contrarietas habetur supra, de offi. iud., iudicis.

X 1.41.06 *Suscitata*

Monasterium Oviensem
Hic fertur sententia contra monasterium. Simile infra, de censib., sopitae. Alibi in personam procuratoris sive syndici, supra, de elect., querelam, ubi de hoc; et infra, de capell. monach., dilectus. Sed ecclesia non multum curat de illa solemnitate, sicut nec facit differentiam inter procuratorem et syndicum, ex quo constat de potestate tradita, supra, de procurat., petitio. Vel dic condemnari monasterium in persona procuratoris.

Decimis
Super quibus iam conclusum erat in causa; simile supra, de in integ. restit., auditis.

Per transactionem
Id est, amicabilem compositionem, supra, de transact., statuimus; et infra, de decim., ex multiplici.

Postulavit
Iste fuit procurator constitutus ad causam, et sententia lata contra monasterium postulavit in integrum restitui et obtinuit. Sed contra videtur dicere lex, quia sine speciali mandato ad hoc procurator non admittitur, ff. de minor., illud § si talis; et infra, de in integ. restit., coram. Potest dici quod lex illa locum habet cum restitutio principaliter postulatur, ut supra, de in integ. restit., tum ex litteris. Non tamen per illum contra quem lata fuit sententia, ut tunc exigatur speciale mandatum ad hoc. Sed quando incidenter postulatur restitutio, sicut hic, licet post sententiam super quibusdam, quia incontinenti post sententiam ante factam executionem, et per eum qui factus erat dominus litis per contestationem, intelligitur incidenter factum, et super quibusdam quae petebantur ante sententiam, unde procurator ad causam constitutus bene potest petere restitutionem super articulo incidenti, supra, de in integ. restit., auditis. Quia omnia quae ad causam instruendam faciunt, sibi concessa intelliguntur, arg. ff. de procur., ad rem mobilem; et ff. de procur., ad legatum; et arg. ad hoc ff. de procur., qui proprio § item quaeritur; arg. ad hoc supra, de procurat., auditis; et simile C. de procur., ita demum; et ff. an per al. caus. app., si procurator. Arg. contra C. de appellat., si actor. Et quia hic locum non habebat appellatio, necesse habuit recurrere ad beneficium restitutionis. Si potuisset appellare, iure communi poterat praescriptionem probare, sive aliam exceptionem peremptoriam, infra, de fide instrum., cum Ioannes; et C. sent. rescind. non pos., peremptorias.

Sententiae
Hoc regulare est ut sententia mandetur executioni, non obstante aliqua exceptione, ut 2. q. 1, sicut; nisi incontinenti probetur exceptio, infra, de testib., veniens 2; et infra, de restit. spol., litteras, in fi.; et in quibusdam casibus qui notantur 11. q. 3, cum apud. Item licet incontinenti velit quis probare exceptionem suam, si tamen est praesumptio malitiose excipiat, primo mandabitur sententia executioni, ut hic. Deinde si quid velit proponere non in modum exceptionis sed in modum actionis, audietur, infra, de appell., constitutus, in fi.; et infra, de accusat., accedens. Sed et hoc ibi non dicitur. Immo defecerat in quibusdam exceptionibus, nec dicebat quod alias vellet proponere, ut C. ad leg. Corn. de fals., satis aperte; et C. de edict. div. Had. toll., quamvis.

Detrimentum
Quia delictum personae etc., 16. q. 6, si episcopum.

Pensata
Hic praefertur aequitas iuri, C. de iud., placuit. Sed hoc contingit propter praesumptionem, cum alias de iure communi postulata restitutione in integrum omnia in statu suo esse debeant, donec restitutio finita sit, C. de in int. res. post., postulata; sicut appellatione interposita nil est innovandum, ff. nihil inn. appel., appellatione; et 2. q. 6, ei qui § appellatione interposita. Sed contra supra, de transact., ex parte, ubi dicitur quod ius servandum est. Ubi vero ius deficit, aequitas servanda est. Sed praesumptio solvit contrarium.

Cautionem
Hoc generale est ubicumque in dubio aliquis admittitur, quod semper ille qui admittitur praestabit cautionem, C. de legat., si in fraudem; C. de pet. hered., cum hereditatis, 1. resp.; ff. de rei vend., is a quo; et ff. de rei vend., a quo servus; ff. ut leg. seu fid. serv., postquam § 1; ff. de damn. infect., praetor, in princ.; arg. infra, ut lite penden., ecclesia 1. Item argumentum est hic quod cautio sit praestanda ab eo qui mittitur in possessionem causa rei servandae de fructibus restituendis, si suspectus est, infra, de sequestra., dilectus.

X 1.41.07 *Coram*

Super primatia
Primatia et patriarchatus una tantum dignitas est, licet nomina sunt diversa, 99. dist., provinciae; et 99. dist., nulli.

Procuratores vestri
Et ita ad unam causam plures procuratores dari possunt. De hoc dictum est supra, de procurat., non iniuste; et infra, de tesib., insuper.

Munimenta
Munimenta dicuntur quibus causa munitur et instruitur, ut testes, instrumenta, confessiones, et quicquid aliud quod adiuvet causam.

Petita
Denegando ipsam eis, ut infra patet.

Mandatum
In hoc casu non videtur generale sufficere mandatum procuratoris simpliciter constituti ad causam, ff. de minor., illud § si talis. Et quidam alii casus sunt in quibus non sufficit generale mandatum, ut in causa suspecti tutoris, ff. de procur., non solum § ulti. Alius quando aliquis reliquit duos procuratores omnium rerum suarum, tunc alter ab altero non potest exigere sine speciali mandato, ff. de procur., qui duos. Alius est in interdicto de liberis exhibendis, ff. de liber. exhib., deinde ait; ff. de procur., Pomponius, in princ. Quintus est in transactione, ff. de procur., mandato. Et in alio casu procurator non potest deferre iuramentum sine speciali mandato vel recipere, ff. de iureiuran., iusiurandum quod § procurator; et in acceptilatione, ff. de accep., per procuratorem. De hoc dixi supra, de in integ. restit., suscitata. Qualiter locum habeat in alio casu, exigitur speciale mandatum, supra, de rescript., nonnulli.

Duximus
Et ita aliquid conceditur hic una via, quod alia via denegatur, contra supra, de procurat., tuae, cum suis concordantiis ibi positis. Sed illa intelliguntur de iure communi, ut si in iure communi aliquis una via prohibetur, et alia via eodem iure debet prohiberi. Hic vero secus.

X 1.41.08 *Constitutus*

Fratre suo
Et merito, cum sit coniuncta persona, supra, de rescript., nonnulli. Et etiam ad agendum admittitur dum tamen contraria voluntas non appareat, ff. de procur., sed et hae personae; et ff. de procur., Pomponius § ulti. Et in causa restitutionis non admitteretur ad agendum, nisi constaret de voluntate ipsius, ff. de minor., patri, 1. resp.

Successores
Quia filius succedit etiam matri ab intestato sive ex testamento, C. de bon. mat., res. Pater vero habet usumfructum in cuius potestate est, qui omnem diligentiam tuendae rei debet habere. Alienare tamen rem filii vel donare non potest, C. de bon. mat., res; et C. de bon. mat., quicquid.

Utrique
Scilicet, patri et matri, quas possessiones de communi pecunia emerunt; simile infra, de don. int. vir. et uxor., significavit. Sed contra videtur, quia quicquid habet uxor totum praesumitur esse de bonis mariti, C. de donat. inter vir. et uxor., si uxoris; et ff. de donat. inter vir. et uxor., Quintus Mucius. Illud verum est quando non constat unde res illae processerunt. Sed hic constat, quia ut dixi de pecunia communi emptae vel utrique communiter legatae fuerint, et hoc certum erat.

Eosdem
Hoc ideo dicit quia dum filius est in potestate patris, alienare vel alias disponere de rebus suis non potest, nec agere pro his, nec ei tunc temporis currit praescriptio, ut C. de bon. mat., res; et C. de annal. except., super annali § ulti. Ideoque emancipavit eos, ut consentirent, et ratam haberent venditionem eandem quo ad patrem maternam in qua debebant succedere matri.

Venditionem
Quatenus contingebat eos de bonis maternis, alia parte quo ad partem patris petebant restitui ad ius offerendi pretium, et si venditio de bonis maternis teneret, petebant restitui similiter contra eam.

Nullam
Quasi factam a minore viginti quinque annis, si iuris solemnitas non fuit servata.

Vel cum
Supple si iuris solemnitas fuit servata in venditione.

Tempus
Scilicet, quatuor annorum, C. de temp. in int. rest., supervacuam. Est et hic arg. quod ultra quadriennium non detur restitutio. Ber.

Consuetudinem
Consuetudo erat approbata illius loci, quod si quis rem communem cum alio, vel rem suam venderet extraneo, vel alicui magis remoto, qui proximior est illi alienati a tempore contractus usque ad annum et diem et post, potest offerre pretium emptori et restituere rem. Et isti fratres omiserant offerre pretium infra annum et diem pro re patris alienata, cum ipsi essent proximiores, et ad hoc offerendum petebant restitui, ut rem patris rehaberent.

Debita
Quia si habebant curatorem et eius auctoritas non intervenit, ipso iure nulla fuit venditio, C. de in int. restit. min. vig. qui. ann., si curatorem. Et si decretum non intervenit sive auctoritas praetoris, non tenet venditio seu consensus subsequens, quia tutor et curator alienare rem minoris sine auctoritate praetoria non potest, C. de praed. vel al. reb. min., venditio; et C. de praed. vel al. reb. min., non est vobis; et C. de praed. vel al. reb. min., minorum; et C. de praed. vel al. reb. min., si quidem; et in pluribus legibus ibidem. Si vero isti nullum habebant curatorem, et contraxerunt vel consenserunt auctoritate praetoris venditioni factae a patre, obligantur. Sed si laesi sunt, restituuntur, ut lex praedicta C. de in int. restit. min. vig. qui. ann., si curatorem, in fi. Et ita si solemnitas iuris est omissa, nulla fuit venditio, et sic etiam nulla pronunciabitur. Si solemnitas servata fuit et probaverint se laesos, restituentur tam contra venditionem contingentem ipsos ex successione materna, quam etiam ad ius offerendi in venditione paterna.

Constiterit
Probabunt ergo isti se minores et laesos, alias non audirentur, ff. de iureiuran., nam postea § si minor. Quo probato, restituentur tam contra venditionem quam ad ius offerendi.

X 1.41.09 *Causa restitutionis*

Habentibus
Sicut est episcopus, potestas et huiusmodi. Et alii etiam minores ordinarii contentiosam iurisdictionem habentes, qui praesunt alicui universitati qui habent administrationem cum iurisdictione, ff. de postulan., hunc titulum § ulti.; et C. ubi et apud quem cog. rest. agit. sit, cum scimus; 11. q. 1, de persona; ff. quod cui. univ. nom., constitui. Et alii etiam minores ordinarii contentiosam iurisdictionem habentes.

Delegatis
Et sic delegati ab ordinariis hoc edicto possunt cognoscere de causa restitutionis, sive principaliter mandetur eis sive incidenter eis contingat quaestio restitutionis, et multo fortius delegatus a principe sicut hoc totum traditur, C. ubi et apud quem cog. rest. agit. sit, cum scimus, quae ponit totum tenorem huius decretalis. Sed videtur quod esse non possit, scilicet, quod ordinarius possit alii demandare cognitionem istam, quoniam in integrum restitutio causae cognitionem desiderat, ff. de in int. rest., omnes; et supra, de in integ. restit., tum ex litteris; et ff. de minor., in causae § causa. Sed quae officio iudicis causa cognita expediuntur, alteri demandari non possunt, ff. de off. procon., nec quicquam § ubi decretum. Solutio: restitutio in integrum competit iure magistratus, et transit cognitio restitutionis sive specialiter sive generaliter committatur, C. ubi et apud quem cog. rest. agit. sit, cum scimus. Sed ea quae competunt iure magistratus delegantur, ff. de off. eius cui man. est iur., quaecumque, 1. resp. Sed contradicit lex quia ea quae magis sunt imperii quam iurisdictionis, magistratus facere non potest. Sed restituere est magis imperii quam iurisdictionis, ergo non permittitur magistratibus, ff. ad municip., ea quae. Ergo multo minus possunt delegare. Potest sic responderi: omnia quae competunt iure magistratus delegari possunt, sed non omnia quae delegantur specialiter, competunt iure magistratus, ut in hoc exemplo, et in mero imperio cuius cognitio specialiter demandatur, si contingit praesidem abesse, ut in lege praedicta ff. de off. eius cui man. est iur., quaecumque. Vel dici potest delegari non cuilibet, sed magistratui municipali. Verius est quod hodie huiusmodi cognitio possit delegari, ut C. ubi et apud quem cog. rest. agit. sit, cum scimus; et hic, et lex ff. ad municip., ea quae, corrigitur.

Non habent
Ut ill qui dantur a principe ad aliqua officia exercenda, puta ut cognoscant de appellationibus vel de sententiis, vel etiam de aliis quaestionibus, si qui volunt se subiicere eorum iurisdictioni, possunt cognoscere de in integrum restitutione, et de aliis causis, sed neminem compellere possunt coram se litigare. Et de talibus potest intelligi ff. de iud., si se subiiciant, vers. vel aliam iurisdictionem, etc.; C. de iud., rem non novam. Vel ut possint dare tutores et curatores vel emancipare, isti dicuntur ordinarii sine administratione a talibus delegati. Et arbitri de restitutione cognoscere non possunt principaliter si directe agatur de restitutione, quia nec talis iudex sine administratione

etiam si esset ad hoc electus a partibus, posset committere causam restitutionis, sed maiores tantum.

Incidenter
Principaliter enim isti cognoscere non possunt de restitutione, cum causa ista requirat maiores iudices, qui hoc ex officio suo faciant. Si autem inciderit quaestio restitutionis in negotio de quo compromissum est, vel quod est aliis delegatis commissum possunt tunc de restitutione cognoscere; sic C. de iud., quotiens; et C. de ordi. iudic., adite. Ibi enim iudex cognoscit de causa status incidenter, qui alias cognoscere non valet. Nec dicitur arbiter tunc facere extra compromissum, quia huiusmodi restitutio non est alia causa sive negotium ab eo de quo compromissum est, sed oritur ex illo et ei cohaeret de quo compromissum est. Ut puta si omisit probationem, arbiter potest de hoc cognoscere, vel de similibus quae incidunt in causa.

In matrimoniali
Causae enim matrimoniales per iudices discretos debent tractari, qui potestatem habeant iudicandi, infra, de cons. et affin., ex litteris. Et est expressum supra, de transact., ex parte, ubi de hoc. Item causa liberalis et criminalis maiores iudices requirunt, ff. de recepti., non distinguemus § Iulianus; et ff. de recepti., non distinguemus § de liberali, unde sumptum est hoc. Arg. contra ff. de his qui not. infam., quid ergo § ex compromisso, ubi dicitur quod sententia arbitri non infamat, unde videtur quod possit compromitti de crimine, quod dicit lex illa ff. de his qui not. infam., quid ergo § ex compromisso. Non intelligitur de famoso delicto, sed de tali quod nullo modo infamat, et quia non per omnia sententia est, ut ibi dicitur. Hic vero et in lege ff. de recepti., non distinguemus, intelligitur de famoso delicto de quo arbiter assuumi non potest. Item arg. contra infra, de praesump., litteras. Sed ibi non fuit simpliciter arbiter, quia retinuit sibi delegatam potestatem.

X 1.41.10 *Beneficio*

Denegato
Si aliquis petat restitutionem in integrum, et contra ipsum lata fuit sententia denegando restitutionem, si iterum petat restitutionem, denegari debet. Tamen potest restitui ad appellandum contra sententiam a qua non appellavit, quia denegata fuit restitutio, ut hic dicitur, et C. si saep. in int. rest., si post sententiam.

Novis
Tunc enim propter novas defensiones iterum auditur, C. si saep. in int. rest., si post sententiam; C. si saep. in int. rest., quamquam; et C. si saep. in int. rest., in una. Ex illis tribus legibus sumptum est quod hic dicitur. Sed qualiter intelligas quod dicit, novis defensionibus? Novae dicuntur defensiones sive tunc erant, sed allegatae non fuerunt, quia occultae erant, sive quae postea emerserunt. Sed quidam intelligunt de omissis primis tantum quasi non possent de novo aliae supervenire, quod credo verius. Et ita propter novas defensiones quae tunc erant, admittitur ad beneficium restitutionis, non obstante quod in alio iudicio fuit denegatum. Sed contra videtur, quia ex nova causa recusatur iudex post litem contestatam, supra, de offi. deleg., insinuante. Simile infra, de

except., pastoralis; et 4. q. 3, si testes § si quis testibus. Et quae de novo emergunt, auxilio indigent, ff. de interrog. act., de aetate § ex causa. Princeps vero etiam contra res bis iudicatas restitutionem in suo auditorio admittit, ff. de minor., minor autem magistratus; arg. supra, de in integ. restit., tum ex litteris. Item videtur quod pluries possint dari, ff. de minor., et si sine § restitutus, ubi saepius restitutus fuit minor. Solutio: potest dici quod illud speciale est in hereditate, vel etiam ibi non fuit denegata sed saepe concessa, puta, petii restituti in integrum contra sententiam, concessa fuit mihi. Iterum lata fuit sententia contra me in principali, iterum dabitur mihi in integrum restitutio non contra primam sententiam, sed contra secundam, quod potest fieri nisi in casu C. de bon. quae liber., cum non solum § ubi autem. Hic vero fuit denegata, unde ammodo non auditur nisi novae defensiones, etc. Et est speciale quod dicitur in C. de bon. quae liber., cum non solum § ubi autem, propter paternam verecundiam, et ne leges ludibrio fiant. Ber.

X 1.42 DE ALIENATIONE IUDICII MUTANDI CAUSA FACTA

X 1.42.01 *Ex quorundam*

Volentes
Quia malitiis hominum est obviandum, simile supra, de rescript., sedes, cum suis concordantiis; et ff. de rei vend., in fundo.

Taliter appellaverint
Tali appellationi nullatenus est deferendum, cum non nisi a manifesto gravamine sit appellandum, infra, de appell., ut debitus.

Vertitur
Id est, verti speratur. Alias pertinet ad titulum de litigiosis.

Commutationem fecerint
In transferendo seu alienando rem in aliam personam causa mutandi iudicii. Et ex hoc edicto datur actio tam contra alienatam quam contra emptorem, ut quem volueris possis convenire, C. de alien. iud. mut. caus., cum in rem. Contra alienatam datur actio in factum ad interesse, ff. de alien. iud. mut. caus., omnibus; et ff. de alien. iud. mut. caus., quia etiam si § opus, vers. ex quibus. Contra emptorem datur rei vendicatio, ut hic in fine; et C. de alien. iud. mut. caus., cum in rem. Item non solum ad translationem dominii pertinet hoc edictum, sed etiam possessionis, ff. de alien. iud. mut. caus., non solum. Item nota quod tria necessaria sunt ad hoc ut ex hoc edicto actio competat, quod sit alienatio facta causa mutandi iudicii futuri, et non eius quod iam sit, ff. de alien. iud. mut. caus., ex hoc edicto § ait praetor. Futuri iudicii ideo dicitur, quia si fiat alienatio rei litigiosae, incidit in edictum de litigiosis, C. de litig., censemus. Et hoc debet fieri libello principi dato, et per eum reo insinuato C. de litig., authen. litigiosa. Tunc res alienari non potest sine poena litigiosa, ut C. de litig., censemus; infra, ut lite penden., ecclesia 1. Item quod dolo fiat alienatio ratione loci et personae, quia potentioribus pares esse non possumus, etc., ut duriorem adversarium constituat etiam alterius provinciae, et quod mea intersit, ff. de alien. iud. mut. caus., omnibus; ff. de alien. iud. mut. caus., aut alium; et ff.

de alien. iud. mut. caus., quia etiam si, in princ.; et ff. de alien. iud. mut. caus., item si § haec actio. Et datur ad interesse, ut dixi de officio iudicis quanti interest actori; et si quas forte fecerit expensas vel aliam incommoditatem passus sit, ff. de alien. iud. mut. caus., quia etiam si § opus, in fi.; et ff. de alien. iud. mut. caus., item si, in fi. Item qui ex necessitate alienat, hoc edicto non tenetur, ff. de alien. iud. mut. caus., item si § si quis. Item si paratus sit subire iudicium ac si possideret, ff. de alien. iud. mut. caus., quia etiam si, in fi. Item notandum quod hic fit prorogatio iurisdictionis delegatae de persona ad personam, etiam invita altera parte. Et est contra id quod habes supra, de offi. deleg., P et G, ubi dicitur quod delegata iurisdictio non potest prorogari ad personas alias quam in rescripto contineatur. Sed hoc est speciale in odium illorum, quia eis invitis hoc fit, cum alias prorogatio fiat de consensu partium, supra, de offi. deleg., de causis; et ff. de iud., consensisse § si iudex. De hoc dictum est supra, de offi. deleg., P et G. Et est prorogatio iuris beneficio huius decretalis, cum alias rescripta non possunt prorogari ad personas quae ibi non continentur, ut in supra, de offi. deleg., P et G.

Absentandos
Qualiter contra tales sit procedendum dicitur supra, de offi. deleg., consultationibus; et infra, ut lite non cont., quoniam § in aliis. Ber.

X 1.42.02 *Ex parte*

Ecclesiasticum forum
In hoc facit ad titulum, quia per hoc mutatur iudicium. Per ea enim quae sequuntur spectaret ad titulum, ne liceat potentioribus, et ad titulum mandati. Et sic materiae legum diversorum titulorum hic comprehenduntur. Item est huic arg. quod clerici alias possunt laicos convenire in foro ecclesiastico. Item arg. ex hac decretali quod clerici maiores reputantur quam laici, et est de consuetudine illius loci quod clerici trahere possunt ad ecclesiasticum forum laicos, alias de iure non.

Sanctiones
C. mand. vel cont., per diversas; et C. mand. vel cont., Anastasio. Et nota quod huiusmodi cessiones quandoque tenent, quandoque non tenent. Si cessio actionis fit in ultima voluntate, tenet cessio, ff. de leg. 3, nomen; et in casibus C. mand. vel cont., per diversas; et C. mand. vel cont., Anastasio; nisi res vel actio legata sit litigiosa, C. de litig., quicumque; et C. de litig., authen. nunc si heres. Sed legatarius potest adesse liti ne colludatur, ut ibi dicitur. Si vero ex pacto, sive inter vivos fiat cessio vel donatio potentiori, nulla est. Nec agere potest ille ex ea cessione, immo iactura causae afficiuntur qui hoc faciunt, ut hic dicit, et C. ne lic. pot. patroc., divine; et C. ne lic. pot. patroc., si cuiuscumque. Si vero fiat cessio non potentiori si actio sit dubitata, id est, in iudicium deducta, non tenet cessio. Non tamen admittitur actio, si agit ille qui cessit in casibus, non tenet, C. de litig., lite; et C. de litig., censemus. Si vero actio sit indubitata, id est, nondum in iudicium deducta, tenet, C. de hered. vel act. ven., per totum. Item distingue utrum etiam sit simulata, quia tunc nulla est, C. plus val. quod agit., per totum. Et dicitur simulata si id actum est inter cedentem, et illum cui sit cessio. Si vero dubium sit an sit simulata vel vera, praesumitur quod sit simulata ex eo quod actio pro parte donata, pro parte vendita videtur, C. mand. vel cont., Anastasio. Et in tali casu non agit is cui ceditur,

ut ibi dicitur C. mand. vel cont., Anastasio § si quis. Item praesumitur si modicum pretium datur, et hic non agitur nisi ad id quod dedit, et ex quantitate pretii simulata praesumitur. Item si dubitatur an sit vera vel simulata, praesumitur simulata, in quo casu loquitur C. mand. vel cont., per diversas; exceptis quibusdam casibus ibi positis.

Afficiant

C. ne lic. pot. patroc., divine; et C. ne lic. pot. patroc., si cuiuscumque. Et dicas afficiant per sententiam, non ipso iure, ut patet per legem praedictam C. ne lic. pot. patroc., divine, ubi dicit: iactura causae mulctentur, id est, afficiantur per sententiam, intelligendum est, huiusmodi cessiones odiosae sunt, quia de vitio cupiditatis procedunt, ut hic, et C. ne lic. pot. patroc., si cuiuscumque. Et nota quod titulus iste, de alienatione iudicii mutandi causa facta, intelligitur de potentioribus qui non sunt in aliqua dignitate sive administratione, sed titulus ille, C. ne lic. pot. patroc., intelligitur de potentioribus qui sunt in dignitate sive administratione constituti, et eodem modo intelligitur lex illa C. quod metus cau., si per impressionem. Et tamen sub isto titulo interserit breviter naturam huius tituli C. ne lic. pot. patroc., et de materia illius tituli C. mand. vel cont., ut dicitur in prima notula.

A praesumptione

Sic patet quod clerici non debent recipere huiusmodi cessionem, quia si simulata sit cessio non valet, C. mand. vel cont., per diversas. Et si esset vera cessio vel datio, praesumitur nihilominus in fraudem facta et avaritiae causa. Clerici enim ab illicita negotiatione prohibentur, 14. q. 4, clerici; et 14. q. 4, canonum; quia sic negotiari iam facto clerico non licet, 88. dist., fornicari.

X 1.43 DE ARBITRIIS

X 1.43.01 *Sane*

Unus eligatur aut tres

Unus vero aut tres sunt eligendi, et non duo, quia res fere sine exitu futura est propter naturalem hominum facilitatem ad dissentiendum, ff. de recepti., item si unus § principaliter. Tamen si compromittatur in duos, tenet arbitrium. Et si non concordaverint, cogendi sunt, ut vel concordent vel tertiam persona assumant, ut ibidem dicitur, et supra, de offi. deleg., suspicionis § ulti.

Aut duorum

Sufficit duorum sententia praesente tertio, licet ille dissentiat. Eo vero absente non valet, ff. de recepti., si in tres; nisi in compromisso expressum sit, ut duo sine tertio procedant, ff. de recepti., non distinguemus § cum in plures. Sic obtinet in iudicibus, supra, de offi. deleg., prudentiam. Et de utriusque hic cavetur, supra, de offi. deleg., uno delegatorum

X 1.43.02 *Non sine multa*

Ordinavit
Id est, institutionem praedictam confirmavit ad cautelam, supple et illum fecit postea praedicta ecclesia spoliari.

Dolum
Dantem causam contractui, unde non tenuit, ff. de dolo mal., et eleganter. Secus esset si incidit in contractum, ff. de act. emp. et vend., Iulianus § si venditor; et simile supra, de renunciat., sane, ubi dolose ille inductus fuit, ut eorum misericordiae se subiicerit.

Sacramentum
Quod intervenire in arbitrio sive in compromisso prohibetur, C. de recepti., authen. decernimus. Ex quo tamen intervenit servandum est, dummodo arbitrium sit licitum vel aequum, ut hic in fine, et infra, de arbitr., cum tempore.

Faventes
Et ita per gratiam arbitrati sunt, unde competebat huic exceptio doli, si ageret ex illo arbitrio, C. de recepti., arbitrorum, non obstante ipsorum iuramento, quia iuramentum ad hoc non extenditur, nisi ad ea quae legitime arbitrarentur; alias illicitum esset et non servandum, infra, de iureiur., quanto; et infra, de iureiur., Quintavallis.

Quinque marchias
Et sic continebat simoniacam pravitatem, supra, de pact., cum pridem; et supra, de transact., praeterea quando; et supra, de transact., praeterea quarto; et supra, de transact., constitutus. Et ideo arbitrium non valuit, nec etiam poena si esset apposita committeretur, si non staretur tali iniquo arbitrio, ff. de recepti., non distinguemus § cum quidam.

Cognoverint
Id est, confessi fuerint coram archiepiscopo. Et ita creditur istis in iure in eo quod male fecerunt, arg. supra, de elect., cum dilectus. Arg. tamen contra infra, de testib., sicut. Sed hoc videtur admitti propter inopiam probationum, quoniam forte per alios constare non potest, ut in decretali supra, de elect., cum dilectus. Et arg. ad hoc C. de haeretic., quoniam.

Absolvas
Supple et ipsum absolutum restituas. Et potest exponi, absolvas, id est, absolutum ostendas, quia iuramentum non extenditur ad istum casum, ut dictum est. Et ita retractatur arbitrium superioris auctoritate, ut infra, de arbitr., pervenit. Sed non fuerunt isti veri arbitri, sed mali compositores et arbitratores. Et ideo dictum eorum boni viri arbitrio potest corrigi, ff. pro soc., societatem. Alias iniquae sententiae arbitri statur, ff. de recepti., diem § stari. Sed in hoc casu non valeret sententia tali propter simoniam.

X 1.43.03 *Pervenit*

Decimas
Id est, fructus decimarum.

Existere
In hoc arbitrium posset esse in posterum damnosum ecclesiae, quia occasione illius arbitrii iste G. vellet decimas illas post decessum illius clerici retinere. Et ita ecclesiae praeiudicaret, quia et si non de iure, de facto tamen damnum sustineret. Et compelleretur litigare cum illo et expensas facere, quia interest ecclesiae ne sumptibus vexetur, ff. de minor., minor viginti quinque annis.

Aliquid ulterius vendicare praesumat
Occasione huiusmodi arbitrii nil potest vendicare ab ecclesia vel decimas illas retinere, quia non licuit illi clerico conditionem ecclesiae facere deteriorem, infra, de dona., fraternitatem. Nec alienare potuit rem ecclesiae in damnum ipsius ecclesiae, 12. q. 2, sine exceptione. Et ita ipso iure non tenuit arbitrium. Sic ergo ad factum tantum respicit revocatio huius arbitrii.

X 1.43.04 *Dilecti filii*

Usurario
Id est, usu. Quid sit usus, habes Inst. de usu et habit., in princ.

Reginam
Arg. quod de rebus ecclesiasticis possit compromitti in laicum, arg. infra, de arbitr., per tuas. Arg. contra infra, de arbitr., contingit, ubi dicitur de hac materia.

Sint remotae
Verum est quod feminae a civilibus officiis sunt remotae, 3. q. 7, infamis § tria; et 33. q. 5, mulierem; et ff. de re iud., qui pro tribunali; nisi princeps scienter eis delegaverit causam, 2. q. 5, Mennam; et 23. q. 4, si quis; 12. q. 2, cum devotissimam; et arg. ff. de re iud., quidam. Tamen in veteri lege populum iudicabant, 15. q. 3, tertio. Item tutelam gerere potest si renunciat Velleiano, et secundis nuptiis, in Auth. de hered. ab intest. § ex his, coll. 9. Item constituitur procuratorix a domino Papa, infra, de confirm. util. vel inutil., cum dilecta.

Nulla poena
Simile C. de recepti., sancimus.

Consuetudinem
Et ita est arg. quod consuetudo dat iurisdictionem et derogat iuri scripto, arg. supra, de consuet., ex litteris; C. de emancip. lib., si lex; et C. de emancip. lib., iubemus; et C. quae sit long. consuet., consuetudinis; et 11. dist., in his.

Per poenam
Sic ergo religiosi viri possunt petere poenam conventionalem, 25. q. 2, quaecumque; et 12. q. 2, episcopus qui mancipium; et 23. dist., quamquam; et 21. q. 5, si quis cuiuslibet. Arg. contra infra, de dolo et contu., ad haec; et infra, de dolo et contu., ex litteris; et infra, de poeni., suam; et 12. q. 2, fraternitas. Dic quod poenam a iure permissam petere

possunt, ut 16. q. 1, statuimus; et 1. q. 7, quotiens; et 1. q. 7, sancimus, in fi.; 10. q. 5, illud magnitudinem. Et satis videtur quod possunt petere poenam per iura priora, nisi avaritiae causa extorqueant, ut infra, de simon., nemo, arg. Vel melius dicas quod si poena apponitur loco interesse, secundum hoc potest petere poenam quanti sua interest, ff. de act. emp. et vend., praedia. Sed si poena apponitur loco contumaciae, tunc potest peti poena et res, ff. de collat., hic titulus § si cum duobus; et ff. de tab. exhib., locum § condemnatio. Si autem apponitur in fraudem usurarum, peti non potest, infra, de empt. et vend., ad nostram; et ff. de act. emp. et vend., Iulianus § idem Papinianus. Et ita isti per poenam compellendi sunt stare arbitrio, vel etiam per res depositas, ut eas darent victori, ff. de recepti., litigatores § quid ergo. Sive ergo poena promissa fuit a parte parti, sive promissa ipsi arbitro, quia tunc compellitur mihi cedere actionem, quia quod causa mei fit, meum est, ff. de edend., praetor ait § 1. Et si contemplatione alicuius aliquid fit, eius est periculum, ff. de praescr. ver., si gratuitam § ulti. Sed numquid poena recepta potest peti ut stetur sententiae? Arg. quod non, ff. de recepti., ex compromisso; et C. de recepti., ex sententia; et C. de recepti., si contra compromissum; quia contrarias actiones intendit, et ideo non auditur, arg. supra, de elect., cum inter R; et C. de furti. et serv. cor., si pecunia; et infra, de appell., sollicitudinem; et in Auth. de iudicib. § quia vero, coll. 6, ubi de hoc dicitur expresse. Et hoc est verum nisi in compromisso dictum sit, ut poena soluta stetur arbitrio, ff. de transaction., qui fidem; et C. de transaction., cum proponas; et 25. q. 2, quaecumque, ubi de hoc; et praedicto capitulo 12. q. 2, episcopus qui mancipium.

X 1.43.05 *Cum tempore*

Magdeburgensis archiepiscopi
Ex hoc videtur quod ordinarius possit esse arbiter, arg. supra, de elect., causam quae; et in Auth. ut differ. iudic. audi. § si vero contingit, coll. 9. Item et delegatus, infra, de praesump., litteras; et infra, de praeben., nisi; et infra, de arbitr., cum olim. Lex tamen videtur contradicere, ff. de recepti., sed si in servum § 2; et 3. q. 7, infamis § tria, vers. si quis vero. Sed hic solum prohibet quod ordinarius non potest iubere ut partes in se compromittant, ff. de tutor. et curat., praetor § praetor.

Fide hinc inde data
Sic infra, de arbitr., ex parte; et C. de recepti., ne in arbitris. Sed iurare arbiter non debet, C. de recepti., authen. decernimus; secundum quosdam. Sed verius est quod nec etiam partes.

Observandum
Metu poenae si apposita fuit, supra, de arbitr., dilecti; vel metu iuramenti, 22. q. 1, omne quod; et 6. q. 4, quod bene semel. Idem esset si neutrum praedictorum intervenisset, si partes arbitrio consensissent vel verbis infra decem dies non contradixissent, C. de recepti., cum antea.

Capituli exceptis
Nota quod arbitrium pro parte tenet et pro parte non tenet; sic infra, de praeben., dilectus filius 1; et infra, de praeben., nisi; et 2. q. 6, post appellationem § si quis ex pluribus. Licet videatur quod arbitri sententia non debeat pro parte valere, pro parte non, ff. de

recepti., quid tamen, in princ. Sed illud obtinet ubi simul de pluribus debuit ferre sententiam, et non tulit de omnibus. Sed in uno capitulo non potest tenere pro parte, ff. fam. ercis., in hoc iudicio. Sic et sententia pro parte tenet et pro parte non, immo corrigitur infra, de testamen., Raynutius; et infra, de testamen., Raynaldus.

Nequiveris
Arg. ff. de liber. caus., si usumfructum; et ff. de liber. caus., si quando; et ff. de liber. caus., quoniam.

Libertatis
Nec etiam poterat arbiter in hoc intervenire, quia in causa liberali arbiter intervenire non potest, ff. de recepti., non distinguemus § de liberali; et supra, de in integ. restit., causa, in fi. Sed contra infra, de praescrip., cum olim. Sed quantum ad se potuit renunciare, et non quantum ad Papam privilegiis libertatis, ut infra, de re iudic., suborta; et infra, de dona., inter dilectos. Aliis autem privilegiis bene posset renunciare, infra, de privileg., si de terra; et infra, de privileg., accedentibus.

X 1.43.06 *Cum dilectus*

Non potest
Cessat reconventio coram arbitro, ut hic dicit. Item in criminibus non habet locum reconventio, 3. q. 11, neganda est accusatis licentia; quia non relatione criminum, sed innocentia reus purgatur, ff. de public. iud., is qui. Item in causa spoliationis, infra, de restit. spol., ex conquestione; et melius infra, de ord. cognit., super spoliatione; nisi de alia spoliatione, ubi est hoc expressum. Item in omni momentanea possessione, C. qui legit. pers. in iud., momentariae. Item in spoliatione facta ecclesiis et ecclesiasticis viris, arg. infra, de iure patron., relatum § ad hoc; et est expressum ff. de iud., consensisse § item si agatur.

Nisi de his
Vel eis cohaerentibus sine quibus causa commode expediri non potest. Unde potest statuere diem solutioni faciendae, ff. de recepti., si cum dies § ulti.; et ff. de recepti., quid tamen § solutioni; et ff. de recepti., Celsus. Item potest cognoscere de causa in integrum restitutionis, quae incidit in negotio de quo compromissum est, supra, de in integ. restit., causa. Sed numquid potest cognoscere super petitione dupli, ut ff. ad leg. Aquil., inde Neratius § penulti.? Videtur quod sic, quia sequitur ex delicto in arbitrio commisso. Sed contra arg. est quod non cognoscit super poena contumacis, ff. de recepti., quid tamen § ulti. Arbitria tamen redacta sunt ad similitudinem iudiciorum, ff. de recepti., compromissum. Circa istam materiam nota quod arbitria stricta via incedunt. Nil enim extra compromissum facere potest arbiter, ff. de recepti., non distinguemus § ulti. Nam solum id venit in arbitrium de quo dictum est ut veniat, ff. de recepti., cum dies § plenum; salvo eo quod dicitur in principio notulae. Sed in iudicio veniunt omnia quae expresse non prohibentur, infra, de caus. poss. et propr., cum ecclesia; et ff. de recepti., quid tamen § 1; nisi in casu quem habes supra, de offi. deleg., suspicionis. Et hoc est verum quod non potest punire contumaciam nisi in compromisso hoc actum sit, ff. de iud., consensisse § ulti.; et ff. de recepti., non ex omnibus; quae intelligitur secundum illam ff.

de iud., consensisse § ulti.; quia arbiter nullam habet iurisdictionem, ff. de re iud., praetor. Item arbiter non potest pronunciare nisi in utraque parte praesente, nisi hoc inter litigatores convenerit, ff. de recepti., diem § si quis litigatorum. Item non potest citare partes nisi ad locum in quo compromissum factum est, ff. de recepti., si cum dies § si arbiter. Item arbiter non potest delegare arbitrium, ff. de recepti., in compromissis; et ff. de recepti., non distinguemus § quaesitum. Item satisdatio non praestatur coram arbitro, quia sufficit poenae compromissio, in Auth. de litigios. § ad excludendas, in fi., coll. 8. Item in arbitrio non potest mora purgari ubi dies praefixus est ab homine, ff. de recepti., Celsus; secus in iudiciis, C. de fid. instrum., sancimus; et ff. si quis caut., et si post tres. Item sententia arbitri non infamat, ff. de his qui not. infam., quid ergo § ex compromisso. Et hoc ideo quia non potest cognoscere de crimine quod infamet, ff. de recepti., non distinguemus § Iulianus; et supra, de in integ. restit., causa, in fi. In his omnibus discrepant arbitria a iudiciis. Item et in alio si partes renunciant appellationi, et pactum faciunt de non recedendo ab arbitrio. Nihilominus recedere possunt, C. de recepti., cum antea; secus circa iudicia, C. de temp. appel., cum anterioribus, in fi. In quibusdam conveniunt quia per utrumque interrumpitur praescriptio, C. de recepti., sancimus, in fi. Et quantum ad iuramentum calumniae, C. de iureiuran., in omnibus; et C. de iureiuran., cum et iudices § sed quia.

X 1.43.07 *Cum olim*

Compromittens
Sic supra, de arbitr., cum tempore, ubi de hoc.

Sive discordet
Per interpretationem huiusmodi arbitrii, possumus illud decretum interpretari, 63. dist., obeuntibus. Plerumque enim tenetur quis quaerere consilium, sed non tenetur sequi illud, infra, de regular., licet; C. de iure emphyt., cum dubitabatur; ff. de admin. tut., quidam decedens § Papinianus; ff. ubi pupil. educ., solet. Item et secundum hanc interpretationem videtur intelligenda illa decretalis supra, de elect., cum in veteri, ubi de hoc. Sed videtur quod superfluum sit petere consilium, quod quis sequi non tenetur, arg. C. de probation., ad probationem. Sed certe potest esse quod tale consilium sit utile, quia potest movere priorem ad aliquid faciendum, quod forsitan per se non fecisset, arg. 31. dist., Nicaena; et ff. de recepti., item si unus § ulti. Alias est lex, et incipit ff. de recepti., si in tres. Et quod a pluribus quaeritur, facilius invenitur, 20. dist., de quibus; et C. de fideicomm., ex facto, ad fi.; et arg. ad hoc 64. dist., extra conscientiam. Et diligens inquisitio facienda est in electionibus, supra, de elect., cum terra. Et habito consilio deliberet an expediat ei sequi consilium, ff. mand. vel cont., mandatum, in fi. Et praeterea sufficit quod ita scriptum est, ff. qui et a quib. man. lib., prospexit; et 6. q. 3, scriptum est; et infra, de praescrip., ad audientiam. Et quia istud arbitrium approbatum fuit a partibus, ideo servandum est.

X 1.43.08 *Contingit*

Spiritualibus
Sic enim patet quod de rebus spiritualibus in laicum compromitti non potest etiam incidenter, quia laicus de talibus cognoscere non potest, infra, qui fil. sint legit., lator. Et ecclesiastica negotia tractare non debent laici, infra, de iudic., decernimus. Et de universa ecclesia male iudicat qui quaerit iudicium laicorum, 11. q. 1, placuit. Sed contra 2. q. 7, nos si incompetenter; et 16. q. 1, plures; et 32. dist., praeter § verum; et 2. q. 5, Mennam. Nam et in infamem compromittitur, 3. q. 7, infamis § tria, in fi. Dicas quod de rebus mere civilibus quibus nullum spirituale est annexum, bene potest compromitti in laicum. Arg. huius capituli cum enim tantum prohibeat de spiritualibus; de temporalibus permittit, 25. dist., qualis; infra, de arbitr., exposita. Si vero compromittatur in laicum de rebus etiam spiritualibus, non tenet arbitrium, ut hic. Sed si compromittatur in clericum et laicum, auctoritate tamen superioris videtur quod valeat, tum quia non simpliciter in laicum, tum quia auctoritate superioris, infra, de arbitr., per tuas. Alias auctoritate propria hoc facere non possent, et magis dignum trahit ad se minus dignum, ut sic potius res valeat quam pereat, infra, de consecr. eccl. vel alt., quod in dubiis; et infra, de verb. sign., abbate. Sed in laicum tantum compromitti etiam auctoritate episcopi non potest, sicut credo, nisi auctoritate Papae, ut 32. dist., praeter § verum; 2. q. 5, Mennam; et 2. q. 7, nos si incompetenter. Quia episcopus etiam causam spiritualem laico committere non posset, cum ius spirituale non cadat in laicum, 96. dist., bene quidem; et arg. supra, de elect., sacrosancta; et supra, de elect., Massana. Unde dico quod laicus de rebus spiritualibus nullo modo iudicare potest nec principaliter nec incidenter. Et quod ecclesiasticis personis tantum causa spiritualis sit committenda est arg. supra, de offi. deleg., cum te; et supra, de offi. deleg., super quaestionum § ulti., vers. quod si.

X 1.43.09 *Per tuas*

Generale mandatum
Bene allegabat, quia licet haberet generale mandatum transigere tamen non poterat seu componere, ff. de procur., mandato; et C. de transaction., transactionis. Sed si clausula de rato fuit apposita, tunc videtur quod transigere possit. Aliter non, quia adiecto illius clausulae aliquid operatur, arg. ff. de usuri., si stipulatus; et infra, de relig. dom., cum dilectus. Et videtur expressum supra, de transact., contingit, in glossula quae incipit: notat, in fine.

Canonicorum
Unde non valuit quod per eum factum fuit si consensum canonicorum non habuit, supra, de procurat., alia. Et capitulum sine consensu praelati agere non potest, infra, de iudic., causam quae vertitur. De hac materia dictum est supra, de recript., edoceri; et supra, de procurat., alia.

Fines mandati
Unde non valuit quod ultra fecit, supra, de offi. deleg., cum olim abbas; et C. de procur., si procurator; et ff. mand. vel cont., si diligenter; et supra, de rescript., cum dilecta.

Ratum haberi debet
Licet procurator non habuisset mandatum ad hoc, ex quo tamen clerici ratum habuerunt arbitrium, est observandum et valet, ff. de procur., cum mandato; et supra, de transact., contingit. Idem esset si egressus fuisset fines mandati, ex quo ratum habuit dominus factum procuratoris, supra, de offi. deleg., cum olim abbas. Idem esset et si nullum mandatum habuisset, postquam ratum habuerunt quod eorum nomine fecit, ff. de iud., licet verum. Ideoque debet arbitrium executioni mandari, ut hic dicit. Et quod dicitur hic, colligitur de tribus legibus. Si enim arbitrium a partibus approbatur, vel etiam silentio decem dierum, ex eo datur actio et exceptio, C. de recepti., cum antea. Si vero arbitrium non fuit receptum, et poena fuit apposita, tunc agitur ad poenam, C. de recepti., ex sententia. Et ita per poenam ad servandum arbitrium quis compellitur, supra, de arbitr., dilecti. Si nulla fuit poena statuta, sed simpliciter compromiserant stare arbitrio, agi potest ad interesse ex stipulatu. Et hoc ultimum colligitur, ff. de recepti., diem § ulti.; ff. si quis in ius voc. non ierit, cum quis. Unde iste procurator tenetur secundum istam distinctionem ad poenam, vel ad interesse, cum ipse seipsum etiam suo iuramento personaliter obligavit, si non habebat ad hoc mandatum. Sed qualiter agit contra procuratorem, cum ipse non intenderit se obligare, nec adversarii intendebant eum sibi obligare? Sed ideo convenitur quia se obtulit defensioni alienae, cum non haberet mandatum sufficiens ad hoc, ff. de procur., Plaucius. Et licet pars adversa non intenderat eum sibi obligare. Tamen obligatur ut dicit lex, quia saepe extra id quod agitur, nascitur obligatio, ff. commodat., si is, in fi.

Auctoritate
Et ita auctoritate superioris potest compromitti in laicum et clericum simul de rebus spiritualibus. De hoc dictum est supra, de arbitr., contingit. Item videtur hic quod delegatus mandavit sententiam arbitri executioni, et si ipse nollet procedere, quod delegatus possit arbitrium compellere, et non ordinarius, arg. C. de iud., cum specialis. Arg. contra infra, de for. compet., si quis contra. Sed hoc verum est quando delegatus datur vel ad exequendam arbitrium, vel ad compellendum arbitrum. Alias ordinarius debet compellere arbitrium ut procedat, ff. de recepti., Labeo ait si compromisso § ait praetor. Ber.

X 1.43.10 *Ex parte*

Diviserunt
Quod non est novum nec reprehensibile, 8. q. 1, non est novum; et 63. dist., si forte.

Fide praestita
De qua habes supra, de arbitr., cum tempore. Secundum leges non debent iurare, sed poenam possunt partes apponere, in Auth. de iudicib. § quia vero, coll. 6; et C. de recepti., authen. decernimus.

Curasti
Et bene, quia pendente electione illius superstitis non est alia electio celebranda, supra, de elect., consideravimus. Et ista electio primo debuit reprobari quam fieret transitus ad

secundam, infra, de concess. praeben., post electionem, ad fi.; et supra, de elect., auditis, ubi de hoc.

Allegavit
Et male, ut declarant sequentia, quia primo constare debuit de hac electione, ut dictum est in prima notula. Sed movit eum forte quia dicit lex quod mortuo altero ex litigatoribus qui dederat fideiussorem iudicio sistendi causa, praetor non debet eum iubere ammodo exhibere, ff. qui satisda. cog., si decesserit. Et sententia lata post mortem litigatoris non valet, ff. de re iud., in summa § ulti.; et ff. de re iud., quaesitum est. Sed hoc non est verum generaliter, immo sententia debet ferri post mortem, saltem propter accessoria, ff. de rei vend., utique. Et mortuo eo qui appellavit, necesse est heredibus causam finiri, C. si pend. appel., etiam, et quasi per totum. Ita et hic necessaria est sententia quantum ad canonicos, qui quasi heredes sunt quo ad ius eligendi, si alterius electio cassetur, et quantum ad alium electum, ut sciatur an sua electio sit canonica, per mortem alterius non perdit iste ius suum nec acquirit si ius non habebat. Ideoque debuit iudex causam finire antequam sic tertius eligeretur ut de omnibus constaret. Sed illa videbatur melior allegatio, quod ulterius non procederet, quia cum ipse cognosceret tamquam arbiter ex compromisso, et compromissum finiatur morte litigatoris, ut hic dicit; et ff. de recepti., diem § 1; et ff. de recepti., sed interpellatur; ulterius cognoscere non debebat. Sed licet sit finitum compromissum per mortem alterius, tamen procedere potest, cum sit iudex ordinarius suo iure, propter rationem quae redditur supra et in ipsa littera inferius; nec ut verus arbiter cognoscebat, arg. infra, de praeben., nisi. Quia de matrimonio carnali in arbitrum compromitti non potest, supra, de transact., ex parte; et supra, de in integ. restit., causa, in fi. Et hic de matrimonio spirituali agitur; alias arbiter post mortem alterius litigatorum non procederet, nisi iterum compromittatur in ipsum a successoribus per leges praedictas proxime.

Arbitrium
Id est, compromissum, ff. de recepti., diem § 1.

Cognoscere
Ut ordinarius, ut dixi. Alias si ordinarius non fuisset, non posset cognoscere, ut dictum est. Et sic habes quod in ordinarium potest compromitti, supra, de arbitr., cum tempore, ubi de hoc.

X 1.43.11 *Exposita*

Exortae
Ex hoc patet quod compromissum non fuit factum super his quae in sententia continebatur, sed super discordiis quae postea ortae sunt.

Cum parte altera compromisit
Supple in ducem qui contra sententiam veniens iniquum arbitrum promulgavit. Et sic potest compromitti in laicum de rebus civilibus, ut hic dicitur, sed non de spiritualibus, ut supra, de arbitr., contingit, ubi de hoc. Sed qualiter potuit compromitti in ducem de his super quibus sententia lata erat? Nam transactio sive compositio fieri debet de re dubia et

lite incerta, ff. de transaction., qui transigit. Sed cum res hic certae erant per sententiam a qua non fuit appellatum nec supplicatum. Ideo transigi sive compromitti non potuit.

Intentionis
Semper recurrendum est ad intentionem scribentis, ut hic dicit, et supra, de procurat., petitio; et supra, de offi. ord., licet; et supra, de auctor. et usu pal., ex tuarum; et infra, de praeben., cum causam; et infra, de praeben., cum olim. Quia eius est interpretari cuius est condere, infra, de sent. excom., inter alia; et 11. q. 1, sicut § ex his; et C. de legi. et const., si imperialis.

Revocetis
Sed videtur quod arbitrium tale non sit revocandum, sive sit aequum sive iniquum, ff. de recepti., diem § stari. Dicas ergo quod sive quis fuerit arbitrator sive amicabilis compositor, non est standum iniquo arbitrio, sed reducendum est ad arbitrium boni viri, ff. pro soc., societatem § arbitrorum. Immo et si iurasset, debet revocari, infra, de iureiur., Quintavallis; et ff. de ritu nupt., quamquam; ff. de oper. lib., si libertus; sive etiam arbiter fuerit. Et eodem modo non est standum iniquo arbitrio, supra, de arbitr., sane; et supra, de arbitr., non sine. Et praeterea ideo revocatur, quia iam latum erat contra sententiam directe, sed super hoc non fuerat compromissum, ut sententia revocaretur per arbitrium secundum quod in littera dicitur. Et arbitrium non extenditur nisi ad ea tantum de quibus cogitatum est et expressum in compromisso, supra, de arbitr., cum dilectus, ubi de hoc. Ber.

Obsidum
Sic infra, de iureiur., ex rescripto; et 23. q. 8, ut pridem; et ff. qui testam. fac. pot., obsides. Sed contradicunt leges, quia liberi homines obligari non possunt, C. quae res pign. oblig. poss., qui filios; et infra, de pignor., lator. Solutio: obsides bene dari possunt, ut dicunt iura primo inducta, nec dicuntur obligari loco pignoris, sed tenentur obsides, ut fiat quod inter partes convenit. Et ita cum solutum sit arbitrium et revocatum debent obsides restitui, quia sublato principali et accessorium, infra, de fide instrum., inter dilectos; infra, de for. compet., si diligenti.

X 1.43.12 *Innotuit*

Potestate
Sic etiam compromittitur in iudice retenta delegata potestate, infra, de praeben., nisi; et infra, de praesump., litteras. Et tunc iudex potest uti delegata iurisdictione si expedierit et arbitraria potestate, ut in decretali infra, de praeben., nisi. Sed hic non poterant retinere huiusmodi arbitrii executionem, nisi per prorogationem iurisdictionis de consensu partium quae hic intervenit. Sed hic non valuit prorogatio, quia non valuit compromissum de incerta persona assumenda. Et sic non poterat fieri executio, licet intenderent prorogare iurisdictionem delegatam de uno negotio ad aliud. Ber.

Legali
Ut ff. de recepti., item si unus § si in duos, quia compromissum de incerta persona non valet, ut ibi dicit, quia in assumenda illa tertia persona isti iudices poterant dissentire, et

sic res sine exitu futura est. Arg. contra infra, de arbitr., cum a nobis; sed ibi solvitur. Et sic iudex certus esse debet, alias non valet commissio, supra, de rescript., ad haec. Et sic procurator certus esse debet, ff. de procur., dummodo. Sic et tutor incertus dari non potest, ff. de testam. tut., tutor incertus; et ff. de testam. tut., duo sunt Titii; et Inst. de legat. § tutor. Et ideo cum a principio non tenuerit compromissum, licet fuerint postmodum concordes in assumenda tertia persona, non tamen tenuit arbitrium, et sic nec sententia etiam excommunicationis propter hoc lata. Et sic est arg. quod si principale non tenet, nec accessorium, infra, de for. compet., si diligenti; et infra, de fide instrum., inter dilectos; et C. de legi. et const., non dubium. Item est arg. quod ab initio non tenet, postea non convalescit, ff. de regul. iur., quod in initio; et 16. q. 3, placuit ut § potest, vers. quod si privatus. Item est arg. hic quod licet res ad eum casum perveniat a quo potest habere initium, tamen non valet. Hic non valuit compromissum, quia tertius arbiter incertus erat. Sed manifeste contradicit infra, de appell., cum speciali, ubi dicitur quod duo arbitri sunt eligendi, et si concordare non possunt, assumant tertium. Et si tertius arbiter incertus est, qualiter respondebis? Potest dici quod illud est speciale in causa recusationis, quia illi arbitri non dicuntur veri arbitri, immo quasi naturam iudicum sapiunt, quia iurisdictionem videntur habere, arg. supra, de offi. deleg., suspicionis. Vel dicas quod non est contra. Ibi enim statuit ius, quod duo arbitri eligantur a partibus, qui de suspicionis causa cognoscant. Et si illi non concordant, ipsi arbitri eligant tertium, supra, de offi. deleg., suspicionis. Sed partes non eligant illos, ut si discordes fuerint, eligant tertium, sed simpliciter eligant duos, nulla mentione habita de tertio. Et ius ostendit ibi quid facere debeant partes, et quid postea ipsi arbitri, cum in fine non potuerunt concordare. Et etiam quod dicit hic, respicit ipsum factum, ut si tertius eligatur incertus, non teneat compromissum, ut hic factum fuit. Si dictum fuisset hic quod certam personam eligerent, si discordassent, tunc valeret, ff. de recepti., item si unus § si in duos.

X 1.43.13 *Cum a nobis*

Concorditer compromisso
Et sic de re spirituali potest in ecclesiasticam personam compromitti, quod verum est, supra, de arbitr., contingit, ubi de hoc.

Sub certa poena
Supra, de arbitr., dilecti. Cui tantum metu poenae stabitur, ut ibi, et C. de recepti., ex sententia. Et sic religiosi possunt exigere poenam. Qualiter et quando hoc liceat, dicitur supra, de arbitr., dilecti.

Mediatorum
Sic videtur quod arbiter incertus possit assumi, quia hic non fuit expressum de mediatoribus istis. Unde signatur contra supra, de arbitr., innotuit; ff. de recepti., item si unus § si in duos. Sed dicas quod cardinalis non fuit assumptus ut verus arbiter nec illi mediatores, sed potius fuerunt amicabiles compositores, qui de plano et sine ordine iudicario et sine aliqua cognitione partes concordaverunt. Et hoc patet ex verbis illi: arbitrio seu ordinationi; et ex eo quod dicit inferius: ordinando et diffiniendo. Unde quod factum fuit per legatum, sive per illos quos ad hoc mediatores elegit, tenet. Vel si fuerunt arbitri, adhuc cessant contraria, quia hic non fuit compromissum factum de incerta

persona, sed partes dederunt potestatem legato ut ipse eligeret arbitros seu mediatores. Et ipse elegit certos, et hoc non est contra iura superius signata. Et ideo Papa confirmat ordinationem illorum, quia nec cardinalis poterat discordare, sed in superiori decretali potuerunt discordare, et ita non contradicit. Ber.

X 1.43.14 *Compromissum*

Heredes

Hoc sumptum est de legibus illis, ff. de recepti., diem § 1; et ff. de recepti., sed et interpellatur § si ab altera parte. Secus est in iudiciis. Iudicium enim transfertur ad heredes, quamvis de heredibus mentio non fiat, C. de iureiuran., authen. principales. Et hoc ideo quia arbitria stricti iuris sunt. Compromissum vero non extenditur nisi ad ea tantum, de quibus expresse in compromisso cavetur, supra, de arbitr., cum dilectus; et ff. de recepti., non distinguemus § de officio; nec ad alias personas, ut in legibus praedictis. Sic pactum personale non extenditur ad heredes quandoque, ff. de pacti., idem in duobus § personale; et ff. de pacti., iurisgentium § pactorum. Si alterius partis tantum heredis mentio etiam fiat, morte nihilominus solvitur compromissum. Unde ex utraque parte debet fieri mentio heredum, alias non transit ad heredes, ut dicit lex praedicta ff. de recepti., sed et interpellatur § si ab altera parte. Unde melius diceretur in compromittentium heredes, et ita solvitur compromissum per mortem alterius compromittentus, supra, de arbitr., ex parte. Et per mortem alterius arbitrorum, supra, de offi. deleg., uno delegatorum. Ber.

BOOK II

X 2.01 DE IUDICIIS

X 2.01.01 *De Quodvultdeo*

De Quodvultdeo
Proprium nomen est.

Quem
Id est, qui, et ponitur casus pro casu. Sic 75. dist., ordinationes; et 18. q. 2, quidam, ubi eos ponitur pro hi.

Interrogatus
Ex superabundanti interrogatur, quoniam alias ex necessitate tenebatur sub eis respondere, quia iudicium redditur in invitum, ff. de ver. oblig., inter stipulantem § 1. Quia omnes causae tunc in synodo tractabantur. Vel forsitan ne posset postea iudicem recusare, 3. q. 3 § offeratur; supra, de offi. deleg., super quaestionum § nos; et supra, de offi. deleg., super quaestionum § verum. Nisi aliquid postea de novo emergat, supra, de offi. deleg., insinuante; et ff. de interrog. act., de aetate § ex causa; et ff. de procur., si post datum; et de poen. dist. 6, placuit. Sed illa non fuit causa, quia synodum totam non potuit recusare.

Experiri
Experiri ponitur hic pro defendere. Aliquando tamen ponitur pro agere, infra, de caus. poss. et propr., pastoralis. Et nota infra, de re iudic., quamvis.

Non placere
Sed nonne fuit locus poenitentiae? Videtur quod sic, ff. de iuris., si convenerit. Respondeo: locus est poenitentiae, infra, de iure patron., cum laici. Sed non hic, quia non potest poenitere in alterius praeiudicium, ff. de regul. iur., nemo. Et quia contumaciter recessit, fuit excommunicatus, 11. q. 3, certum. Immo invitus compellitur respondere, ut dictum est.

Donec
Loquitur secundum antiqua tempora, quando causa excommunicati tractabatur antequam absolveretur, 11. q. 3, si episcopus forte. Intellige secundum antiquam litteram quae olim in antiqua compilatione talis erat hic. Nullus eidem communicet, donec causa eius qualem potuerit terminum sumat. Et secundum istam litteram bene loquitur secundum hodierna iura, quia cum pro contumacia fuerit excommunicatus, nullus debet ei communicare donec satisfactione praemissa, id est, satisfactione praestita de iudicio sisti fuerit absolutus, infra, de verb. sign., ex parte in Christo; et 23. q. 8, pessimam; et infra, de sent. excom., extravag. solet.

Nam adimi
Respondet tacitae quaestioni.

Episcopatum
Immo debet expectare per annum antequam adimatur, 11. q. 3, rursus; et 11. q. 3, quicumque intra, maxime cum lis non fuit contestata. De hac materia tractatur 3. q. 9, in summa; et 2. q. 9, decernimus; et 11. q. 3, rursus; et infra, de dolo et contu., veritatis, ubi de hoc. Ber.

X 2.01.02 *Decernimus*

Laici
Laici enim de ecclesiasticis negotiis intromittere se non debent, infra, de rebus ecc. non alien., cum laicis; supra, de arbitr., contingit; et supra, de consti., ecclesia; et 96. dist., bene quidem.

Non praesumant
Auctoritate sua. Delegari tamen possunt saltem causae pecuniariae sive huiusmodi mere civiles, ut hic colligitur, et in laicos etiam de talibus potest compromitti, supra, de arbitr., exposita. Papa vero civiles, criminales et spirituales causas potest laico delegare, arg. 32. dist., propter § verum; et 2. q. 5, Mennam; et 63. dist., in synodo; et 63. dist., Hadrianus; et 10. q. 3, illud. Videtur etiam quod eas teneatur delegare, 11. q. 1, te quidem; et 11. q. 1, clericum § ex his omnibus 2. Et de hoc dictum est supra, de arbitr., contingit.

Ecclesiarum praelati
Arg. omnes ecclesiarum praelatos esse iudices ordinarios, arg. supra, de offi. ord., cum ab ecclesiarum; 25. dist., perlectis; 2. q. 1, nemo; 11. q. 1, experientiae; et 11. q. 1, si qui ex fratribus; et infra, de appell., reprehensibilis; et infra, de eo qui furt. ord. recep., veniens.

X 2.01.03 *Quanto*

Connexa
Ius vero patronatus non dicitur proprie spirituale sed spirituali annexum, infra, de iure patron., de iure. Et ideo dicit hic Hug. quod eius causa annexa est spiritualibus causis. Unde spirituale censetur propter connexitatem, quia quae religiosis adhaerent, religiosa sunt, ff. de rei vend., quae religiosis. Et ex tali cohaerentia sumit suam naturam. Sic infra, de paroch., super eo. Et ideo talis causa per iudicem ecclesiasticum tantum tractari debet, ut hic, et arg. supra, de iudic., de Quodvultdeo. Unde vendi non potest, infra, de iure patron., de iure. Et laicus tale ius potest possidere, cum non sit mere spirituale sed ei annexum. Sed alia iura mere spiritualia possidere non potest, ut infra, de praescrip., causam quae; et 16. q. 7, decimas quas in usum; et supra, de elect., sacrosancta; et supra, de elect., Massana. Et ius funerandi potest laicus possidere, ff. de mort. infer., praetor ait. Et tamen dominium sepulturae non habet, Inst. de rerum div. § nullius. Ber.

X 2.01.04 *At si clerici*

Condemnandi
Nisi ex hoc gravata sit multum eorum opinio, arg. optimum infra, de testib., testimonium; et infra, de sent. excom., cum desideres § 1. In eo casu propter infamiam debet se purgare, ut dicit illa decretalis infra, de sent. excom., cum desideres. Alias si se purgare non potest, debet puniri quasi convictus interpretative, infra, de purg. can., cum P; et infra, de simon., insinuatum. De hoc arg. contra 2. q. 1, multi. Sed ibi exponitur circa principium.

Non tenet
Ut 2. q. 1, in primis, vers. de persona; et supra, de consuet., ad nostram; C. si a non comp. iud., et in privatorum. Ex eo enim quod isti ex tali confessione non puniuntur, seu sententia contra eos lata non tenet, colligitur quod isti inviti tracti fuerunt ad iudicium saeculare. Nam si voluntarii hoc fecissent, etiam si pro eis esset lata sententia, locum suum amitterent in criminali, et in civili perderent causam, 11. q. 1, inolita; et 11. q. 1, placuit; et infra, de for. compet., si diligenti. Unde non praeiudicat eis. Sed si clericus conveniat laicum coram iudice laico, et ille laicus reconveniat clericum civiliter de crimine, si feratur sententia contra clericum bene tenet, quia suus iudex est per reconventionem, infra, de mut. petit., ex litteris; et infra, de mut. petit., prudentiam; et 3. q. 8, accusatores § cuius in agendo; et C. de sent. et interloc. om. iud., cum Papinianus; et C. de sent. et interloc. om. iud., authen. et consequenter. Criminaliter vero ipsum convenire non posset coram iudice saeculari, 11. q. 1, nemo; et 11. q. 1, nullus iudicum. Nec reconvenire, quia in crimine non admittitur reconventio, 3. q. 11, neganda, quia non relatione criminum sed innocentia reus purgatur, ff. de public. iud., is qui. Sed pone clericum condemnatum civiliter de furto vel de alio crimine quod infamet, a iudice saeculari per reconventionem, numquid episcopus suus pro tali sententia ex qua infamis videtur seu confessione, condemnabit illum quod talis sit infamis? Dicit lex quod non potest facere praeses provinciae, quin condemnatum de furto sequatur infamia, ff. de fur., non potest. Respondeo: ex tali sententia non deponitur, quia cum civiliter actum sit, non debet dici infamis. Si vero ex tali sententia vel confessione gravata est eius opinio, ab officio debet suspendi usque ad debitam purgationem, arg. 2. q. 5, presbyter si a plebe; et infra, de simon., accusatum; et infra, de simon., quotiens; arg. ff. de susp. tut., tutor § praeterea; et C. de testi., nullum. Arg. quod deponi vel beneficio privari non debet, donec aliud contra ipsum probaretur, arg. supra, de iudic., de Quodvultdeo; et 15. q. 8, sciscitantibus, in fi. Et praeterea non debet puniri, quia nondum fuit actum ad hoc, et ideo poena ordinaria sibi imponi non debet, infra, de ord. cognit., cum dilectus; et infra, de except., denique. Et iuxta iudicii formam sententia debet formari, infra, de simon., licet Heli. Quando confessio praeiudicet vel quando non, dicetur infra, de confess., ex parte.

In iure confessi sunt
Confessus in iure pro convicto habetur, C. de confes., confessos; et infra, de confess., cum super; et infra, de confess., ex parte; ff. de confes., certum.

Legitima probatione
Puta per legitimos testes et omni exceptione maiores, ut 2. q. 1, in primis, in fi. In criminalibus enim apertae debent esse probationes et luce clariores, C. de probation.,

sciant; 2. q. 8, sciant; et 5. q. 6, Epiphanium. Et in absentia iudicis testes tales non sunt recipiendi, sed tantum in praesentia iudicis, ut si res exegerit, tormentis subiiciantur, C. de fid. instrum., authen. apud eloquentissimum; et 5. q. 5, illi qui. Et ita demum sunt puniendi secundum qualitatem et quantitatem criminis, infra, de homic., sicut dignum. Ut iuxta iudicii formam sententia dictetur, infra, de simon., licet Heli; et infra, de ord. cognit., cum dilectus, in fi.

De adulteriis vero et aliis criminibus quae sunt minora

Arg. contra 32. q. 7, quid in omnibus. Solutio: illud interrogatio non implicat quod adulterium sit gravius aliis criminibus, sed quasi raritatem denotat, et est simile de poen. dist. 1, si sacerdos. Vel dic gravius, id est, communius. Et illud dictum fuit in detestationem criminis, ut magis vitaretur, quia multa alia peccata graviora sunt adulterio, ut puta incestus, 32. q. 7, adulterii malum. Ex verbis istis colligunt quidam quod episcopus de adulterio tantum et inferioribus criminibus potest dispensare, et non in maioribus quasi a contrario sensu, cum dicat de adulterio et aliis quae sunt minora, ergo non de maioribus quia hoc quod de quibusdam concedit, de aliis negare videtur, arg. 25. dist., qualis; et C. de procur., maritus; et infra, de praesump., nonne; et arg. infra, de his quae fi. a prael., cum Apostolica, ad fi. Et dicunt quod tantum dispensare possunt in casibus expressis a iure arg. huius capituli, ubi de quibusdam conceditur. Unde aliis videtur prohibitum per iura praedicta, et est ad hoc arg. supra, de temp. ord., dilectus, ex eo quod ibi dicitur, cum illi huiusmodi dispensatio a canone minime sit permissa. Et sic argumentatur ex eo quod intelligitur prohibita esse. Et sic quaelibet dispensatio prohibita episcopis intelligitur, nisi eis sit expresse concessa, quia numquam intelligitur esse prohibitum quod non est expresse concessum, supra, de translat., inter corporalia. Alia est magis communis opinio, quod episcopus ubicumque potest dispensare, ubi non invenitur prohibitum, et vacat hoc arg. a contrario sensu, quia in multis gravioribus criminibus quam de adulterio, dispensatio est permissa episcopis, puta in haeresi, 50. dist., presbyteros. Item cum sacrilego, 50. dist., si quis presbyter. Et in criminibus occultis, 50. dist., de his vero. Item cum simoniaco quandoque in beneficio, quandoque in ordine, 1. q. 5, quicumque; et 1. q. 5, praesentium; et supra, de elect., si alicuius. Item cum schismatico, 50. dist., ut constitueretur. Et generaliter ubicumque non prohibetur dispensatio, intelligitur esse permissa, arg. infra, de sent. excom., nuper; et infra, de sent. excom., a nobis est. Et lex hoc optime probatur ff. ex quib. cau. maio., necnon § 1. Edictum de dispensatione prohibitorium est secundum hanc opinionem. Et in hac opinione fuit Hug., ut invenies 50. dist., si quis presbyter, et Io., qui notavit de hac materia 50. dist., miror; et 1. q. 7 § nisi. Et Laur. Vincen. et Tanc. hoc idem dicunt. Quandoque invenies quod prohibetur dispensatio, ut in casibus quos distinxit Io. in capitulo 50. dist., miror. Quandoque invenies quod permittitur, ut in casibus notatis in praedicto 1. q. 7 § nisi. Immo episcopus et quilibet sacerdos potest dispensare et mitigare canones poenitentiales, qui satisfactionem iniungunt pro peccato confesso in poenitentia, arg. de poen. dist. 1, mensuram; et 50. dist., de his clericis; et 50. dist., hi qui post; et 26. q. 7, tempora poenitudinis. Sed canones illos qui inducunt poenam depositionis vel suspensionis in enormibus criminibus mitigare vel dispensare non possunt, 50. dist., miror; et 12. q. 2, de viro; et infra, de accusat., inquisitionis, 1. resp.

Poenitentiam
Hoc ideo dicit, quia venia non conceditur nisi poenitenti, 24. q. 2, legatur, et quomodo gaudebis etc.; 23. q. 7, quemadmodum. Et nemo potest bene agere poenitentiam, nisi speraverit indulgentiam, de poen. dist. 1, nemo potest. Vel saltem partem poenitentiae egerit, 82. dist., presbyter, in fi.

Functus officio
Sic supra, de offi. deleg., in litteris; et supra, de offi. deleg., venerabili; ff. de re iud., iudex.

Duplici
81. dist., presbyter aut diaconus; et de poen. dist. 3, sceleratior § his auctoritatibus; et de poen. dist. 3, sunt plures § auctoritas. Non debet duplici poena conteri, ita quod utraque per se sufficiat. Alias bene posset inferre duas poenas, 21. q. 5, si quis cuiuslibet; et 17. q. 4, attendendum; et 17. q. 4, si quis deinceps; et infra, de rapt., in archiepiscopatu; et 5. q. 6, quia iuxta; et infra, de calumniat., cum fortius; et infra, ut lite non cont., quoniam § ulti. Et crescente contumacia, crescere debet et poena, ff. de poe., relegati.

Iudici tradere saeculari
Nisi post depositionem fuerit incorrigibilis. Tunc potest excommunicari, et postmodum crescente contumacia tradi curiae saeculari, infra, de iudic., cum non ab homine. Et sic intelligitur 3. q. 4, clericus; 11. q. 1, si quis sacerdotum. Qualiter deceat tradi curiae saeculari habes infra, de verb. sign., novimus. Ber.

X 2.01.05 *Caeterum*

Quamdiu parati fuerint
Quamdiu ergo dominus feudi est paratus facere iustitiam inter vasallos, et ipsi etiam parati sunt respondere sub eo, nullus alius debet se intromittere de illa iurisdictione. Alias si negligens esset dominus, transferretur iurisdictio ad alium. Arg. simile infra, de for. compet., licet ex suscepto; et infra, de for. compet., ex tenore. Et si alter de vasallis nollet respondere sub domino, potest illum punire. Et ipsi tenentur litigare de feudo sub domino feudi, infra, de for. compet., ex transmissa; et infra, de for. compet., verum. Sed in iudicio possessorio potest agere vasallus coram ordinario, infra, de for. compet., ex parte, quia exceptio talis locum habet in petitorio, ut ibi dicitur. Et nota super hoc quod si quaestio feudi vertitur inter dominum et vasallum, utrum vasallus debeat ipsum habere vel non, tunc per alios vasallos causa illa debet tractari. Si vero inter duos vasallos tractatur causa, scilicet quis illorum sit potior in feudo, tunc dominus feudi debet cognoscere, ut hic, et in constitutione Friderici, hac edictali § praeterea; et infra, de iudic., novit. Si vero inter vasallos et alios qui non sunt vasalli agatur de illa rei vendicatione, tunc dominus non cognoscet, quia esset iudex in causa sua, quod esse non debet, C. ne quis in sua caus. iud., generali. Sed ordinarius tunc cognoscet vel delegatus, infra, de for. compet., cum sit; et 11. q. 1, experientiae. Ber.

X 2.01.06 *Dilecti filii*

Subtiliter
Nota subtilitates in causis ecclesiasticis reprobandas. Simile de iuram. calumn., litteras; et infra, de dolo et contu., ad haec; et infra, de restit. spol., saepe. Quia huiusmodi subtilitates ad perniciem revertuntur, C. ad Trebel., sancimus. Et stricta ratio quandoque omitti solet, ff. de rel. et sump. fun., sunt personae; et ff. ad leg. Aquil., ita vulneratus § ulti.; ff. quib. mod. pig. vel hyp. sol., sicut te § si debitori. Cum enim de bona fide agitur, de apicibus iuris non est disputandum, ff. mand. vel cont., si fideiussor § quaedam.

Actio intentetur
Sic patet quod non tenemur actionem proponere secundum canones. Arg. contra infra, de mut. petit., ex litteris; et 12. q. 2, octava discussio; et 11. q. 1, experientiae; et 11. q. 1, si quisquam; et infra, de iudic., examinata; et C. si per vi. vel al. mod., iudices; et infra, de deposit., gravis. Solutio: dicas quod nullus compellitur ut proponat actionem, nec tenetur si non vult proponere in iudicio ecclesiastico. Si autem quis vult proponere in iudicio ecclesiastico et proponat, admittitur. Si autem ineptam proponat, succumbit. Sed potest proponere aptam et congruentem postea et admittitur, infra, de iudic., examinata. Laur. tamen dixit quod tenetur quandoque aliquis proponere actionem, quia cum ex una causa plures actiones oriunt, non sufficit proponere causam simpliciter, ff. de iureiuran., duobus § colonus; et ff. de institut. act., habebat; et ff. arb. furt. caes., si furtim; et ff. arb. furt. caes., si colonus; et ff. de leg. 2, cum filius § variis. Quia aliter fit condemnatio in una quam in alia, et tunc satis videtur quod eligere debeat ex qua via procedere debeat. Causa vero petendi semper exprimenda est, alias non audietur, infra, de libel. oblat., dilecti; et infra, de censib., pervenit; et C. de edict. div. Had. toll., edicto. Et causa petendi semper praecedere debet, ff. quan. dies leg. vel fid. ced., huiusmodi legatum, et hoc in personali. In reali secus ubi non tenetur quis specificare nisi velit, ut notatur infra, de libel. oblat., significantibus. Et illa iura canonica quae videntur dicere de actione, expone actio, id est, petitio. Secundum leges vero actio proponenda est, quia nemo sine actione experitur, ff. de negot. gest., si pupilli § ulti.; et ff. de edend., qua quisque; ff. de admin. tut., quotiens § item si; Inst. de action., in princ. Actio enim est ius prosequendi in iudicio quod sibi debetur. Sed secundum canones exponimus actionem, id est, causam.

Simpliciter
Sic infra, de iudic., pastoralis.

X 2.01.07 *Intelleximus*

Conveniri potest
Excommunicati enim conveniri possunt sed non convenire, infra, de haeret., excommunicamus itaque § credentes; infra, de sent. excom., si vere, ne ex suo dolo commodum habeant, ut ibi dicitur. Et per procuratorem, ut hic dicit, debent in iudicio respondere. Sed quid si noluerit constituere procuratorem, cum nemo ad hoc sit compellendus, supra, de procurat., querelam. Et praeterea principalis persona de calumnia debet iurare. Quomodo ergo per procuratorem hoc facere debet? Solutio: si non vult constituere procuratorem, non credo illum compellendum, quia forsitan non invenit qui ita fideliter tractet causam suam, et participantes ei in eadem causa non sunt excommunicati, infra, de sent. excom., si vere. Cum talis participatio sit tantum ad

damnum illorum. Sed numquid potest reconvenire? Non, infra, de except., cum inter. Excipere vero potest et appellare, et alia omnia quae ad sui defensionem pertinent, infra, de except., cum inter; et infra, de except., cum venerabilis; et infra, de except., per totum. Quia cui principale permittitur et accessorium conceditur, arg. supra, de offi. deleg., praeterea; et supra, de offi. deleg., prudentiam § sexta; et supra, de offi. deleg., suspicionis; et ff. de iuris., cui iurisdictio.

X 2.01.08 *Clerici*

Non dedignantur
Infra, de iuram. calumn., inhaerentes; et infra, de nov. oper. nunc., intelleximus; et in Auth. ut cler. apud prop. episc. § penulti., coll. 6. Ber.

Crimine
11. q. 1, nemo; et 11. q. 1, nullus iudicum; et in pluribus canonibus sequentibus.

Consuetudine
Arg. quod consuetudo iuri scripto non praeiudicat, arg. 11. dist., consuetudinis. Arg. contra 11. dist., in his. Sed verum est ubi consuetudo non est rationabilis nec praescripta, supra, de consuet., cum tanto, ubi de hoc. Et ita in casu isto non potest habere locum consuetudo quantumcumque tempore obtenta esset, quia esset contra ecclesiasticam libertatem et statutum ecclesiae. Sic supra, de consuet., ad nostram; et supra, de consuet., cum inter; et supra, de elect., cum causam; et melius supra, de elect., cum terra. Ber.

X 2.01.09 *Causam quae*

Assensu episcopi
Quia sine assensu praelati collegium nec convenit nec convenitur, C. de episc. et cler., omnes § nihilominus. Et arg. 12. q. 2, si qua de rebus. Sic et praelatus sine assensu capituli convenire vel conveniri non potest, supra, de procurat., alia; ff. de iure delib., ait praetor. De hac materia dicitur supra, de rescript., edoceri; et supra, de procurat., alia.

X 2.01.10 *Cum non ab homine*

Deprehensus legitime
Ita quod aliqui clerici intersint deprehensioni et detentioni per spatium viginti horarum, arg. ff. de adulter., capite. Sed etiam per laicos potest comprehendi clericus in ipso facinore, ut ita notorium fiat crimen, et detinere sine nota excommunicationis, dum tamen hoc faciant de praelatorum suorum auctoritate, infra, de sent. excom., ut famae.

Deponendus
Supra, de iudic., at si clerici; et supra, de iudic., clerici; C. de sport., omnibus; C. ubi sen. vel clar., quotiens.

Excommunicari
Id est, suspendi, ut differat a sequenti, qui dicit anathematis. Alias verbo excommunicationis maior excommunicatio intelligitur, infra, de sent. excom., si quem.

Postmodum
Nota qualiter in criminibus sit procedendum, ut primo deponatur, postea excommunicetur. Simile 81. dist., dictum; et 3. q. 4, clericus; et 11. q. 1, si quis sacerdotum; et supra, de iudic., at si clerici. Arg. contra 23. q. 4, forte; et 34. dist., quorundam; 74. dist., honoratus. Solutio: quandoque proceditur contra aliquem pro crimine, quandoque pro contumacia. Ubi pro crimine primo loco proceditur contra aliquem, si crimen tale est quod inducat suspensionem, primo debet suspendi. Vel si inducat depositionem, debet deponi. Et si corrigibilis apparuerit, non proceditur amplius contra ipsum. Sic intelligitur supra, de iudic., at si clerici. Si vero incorrigibilis fuerit, servatur quod hic dicitur, ut tunc demum tradatur curiae saeculari, cum ecclesia non habeat ultra quid faciat, et sic intelliguntur illa capitula 3. q. 4, clericus; et 11. q. 1, si quis sacerdotum. Licet quidam intelligant illa specialiter in causa episcoporum propter enormitatem delicti et excellentiam personarum. Et sic etiam illa capitula intelliguntur de incorrigibilibus, 17. dist., nec licuit; 11. q. 1, petimus; 23. q. 5, de Liguribus. Sic ergo procedendum est quando poena incipit a crimine, excepto falsario litterarum Apostolicae sedis. Ille in exaggeratione et odio criminis ipso iure excommunicatus est, et depositus omni privilegio clericali et incontinenti traditur curiae saeculari, infra, de crim. falsi, ad falsariorum; et in crimine haeresis, infra, de haeret., excommunicamus et anathematizamus; et infra, de haeret., ad abolendam § 1. Qui vero falsat litteras aliorum puniri debet, ut traditur infra, de crim. falsi, ad audientiam. Ubi vero poena incipit a contumacia, primo debet suspendi, postmodum crescente contumacia excommunicari, deinde deponi, ut dicit capitulum 23. q. 4, forte, et alia capitula contraria. Ultimo debet tradi curiae saeculari.

X 2.01.11 *Quia V.*

Sicut inter eundem P. et praefatum V.
Sic ergo videtur quod singularis successor possit conveniri per rescriptum impetratum contra antecessorem, etiam re integra, arg. infra, de concess. praeben., proposuit. Et videtur expressum quod quicumque succedit, possit conveniri, supra, de alienat. mut. iud., ex quorundam. Et decretalis epistola vim constitutionis habet, 19. dist., in memoriam; et 19. dist., si Romanorum. Ergo ad similia omnia illa trahere possumus, arg. ff. de legib., non possunt. Ergo tam singularis quam universalis successor conveniri potest. Et decretum factum in persona antecessoris iam defuncti in personam heredis transfertur, ff. de fideicommi. liber., cum quasi. Sed contra videtur quod non sit conveniendus successor, quia rescripta ad alias personas vel res non extenduntur, nisi quae continentur ibidem, ut supra, de offi. deleg., P et G, in fi.; et supra, de offi. deleg., cum olim abbas, ad fi. Et est expressum etiam de successore universali, supra, de rescript., significavit. Et iudicis datio non transit ad heredem illius qui non erat in rebus humanis contra quem datus fuit iudex, ff. quae sent. sine appel., eum qui. Verum est quod rescriptum re integra non transit ad successorem, nec successor illius contra quem impetratur, potest conveniri, ut supra, de rescript., significavit, ubi de hoc. Quod hic

dicitur, intelligitur de illo successore qui scienter occupavit rem alterius, quam sciebat ad se pertinere. Unde quasi in vitium successit, sicut ille qui sciente recipit rem a deiectore, infra, de restit. spol., saepe. Et sicut ille qui recipit rem ab alio causa mutandi iudicii, supra, de alienat. mut. iud., ex quorundam. Isti enim quasi similes sunt in vitio. Unde possunt conveniri coram eisdem iudicibus, et per eadsem litteras sicut antecessor, ut hic dicitur et in illo titulo supra, de alienat. mut. iud., ex quorundam. Et eo ipso quod R. occupavit rem qua iste P. spoliatus fuit per illum V., videtur habere ratum factum illius. Simile infra, de immun. eccl., adversus. Alias quare apposita fuisset haec decretalis in hoc titulo? Alii dicunt quod iudices illi procedunt tantum ex vi istarum litterarum, nec alias poterant procedere per primas, quod non credo. Ber.

X 2.01.12 *Cum venissent*

Iudicari

Et hoc ideo, quia eius est interpretari cuius est condere, ut infra, de sent. excom., inter alia; et 11. q. 1, sicut § ex his; et C. de legi. et const., si imperialis; et ff. de praet. stipul., in praetoriis. Sed numquid incidenter potest alius cognoscere quam Papa? Videtur quod sic, C. de iud., quotiens; et supra, de in integ. restit., causa, in fi. Inspiciendo privilegium, et si verba sunt manifesta, iudex potest dicere non obstat privilegium, arg. infra, de fide instrum., accepimus. Arg. contra ff. de postulan., quos prohibet; et infra, de except., exceptionem, in fi.; infra, qui fil. sint legit., lator. Dicas quod hoc habet locum cum verba obscura sunt et ambigua, quia tunc eius est interpretari cuius est condere. Ubi vero aperta sunt et clara, potest iudex dicere obstat privilegium vel non obstat, arg. praedictae decretalis infra, de fide instrum., accepimus. Sed qualiter potest Papa esse iudex in causa sua, cum alius debeat esse iudex quam actor, ut 4. q. 4, nullus umquam; et 4. q. 4, nullus introducatur; C. ne quis in sua caus. iud., generali. Papa enim in tali casu litigat per procuratorem, infra, de confirm. util. vel inutil., cum dilecta. Item quia lites sine omni suspicione procedere debent, 3. q. 5, quod suspecti. Item quia res ecclesiae Romanae proprie sunt Papae, sicut res fisci sunt imperatoris quasi patrimonium, ff. ne quid in loc. pub., praetor ait § hoc interdictum. Item de causa fiscali cognoscere debet procurator Caesaris, ff. de off. procon., nec quicquam. Sed dic quod Papa potest esse iudex in sua causa, sicut imperator in causa fiscali, ff. de his quae in testam. del., proxime; et 21. dist., nunc autem. Et praelatus potest esse testis in causa ecclesiae suae, 14. q. 2, super prudentiam. Sic episcopus iudex est in causa ecclesiae suae, 23. q. 4, Guilisarius; et 7. q. 1, sicut. Consultius tamen et honestius faciet si alii hoc commiserit, arg. 2. q. 7, nos si incompetenter; et ff. de off. procon., nec quicquam. Et intelligitur de privilegiis quae Papa concedit aliis ecclesiis, et non de illis privilegiis quae a Domino collata sunt Romanae ecclesiae, supra, de translat., cum ex illo; et 21. dist., in novo; et 21. dist., quamvis. De aliis privilegiis bene iudicat per alios. Vel potest exponi, nolumus iudicari per alios nisi per delegatos a nobis. Et sic est planum, quia ex quo Papa dat privilegium vel indulgentiam vel etiam confirmationem, nullus de illis cognoscit, ammodo sine eius mandato, infra, de confirm. util. vel inutil., si quis; et infra, de confirm. util. vel inutil., de confirmationibus. Ber.

X 2.01.13 *Novit*

Iurisdictionem nostram
Per hoc quod dicitur hic, patet quod ecclesia vel Papa non habet utrumque gladium, 96. dist., cum ad verum; et infra, de appell., si duobus; et infra, qui fil. sint legit., causam quae 2. Imperium enim et sacerdotium ab eodem principio processerunt, in Auth. quom. oport. episc., in princ., coll. 1. Non ergo de temporali iurisdictione debet intromittere se Papa, nisi in subsidium, scilicet cum iudex saecularis negligens est, vel cum vacat imperium, infra, de for. compet., licet ex suscepto; infra, de for. compet., ex tenore. Sed videtur quod Papa maior sit imperatore, 96. dist., duo sunt; et supra, de maior. et obed., solitae. Nam iura caelestis imperii et terreni Petro commissa a Deo sunt, 22. dist., omnes. Ipse enim utrumque gladium habuit, ut dicit Evangelista: ecce duo gladii sunt hic. Quam potestatem suis successoribus transmisit, 40. dist., non nos. Verum executionem gladii temporalis imperatoribus et regibus commisit ecclesia, et tamen iurisdictionem causarum civilium aliquando per sacerdotes exercuit, 11. q. 1, relatum. Quaedam enim possumus aliis committere, quae nobis non possumus retinere, arg. infra, de instit., cum ad nostram. Nec debet episcopus sibi retinere quod debet aliis dare, 12. q. 2, quatuor; et melius 11. q. 1, te quidem. De hac materia habes infra, qui fil. sint legit., causam quae 2.

Ethnicus
45. dist., sed illud; 24. q. 1, omnibus; infra, de iureiur., quemadmodum.

Peccat in ipsum
Id est, offendit vel laedit eum. Aliter accipitur peccare in aliquem in auctoritate illa: si peccaverit etc.

Processit
Illum admonendo ut servaret foedera pacis. Alias denuncians non auditur, nisi admonitione praemissa, infra, de accusat., cum dilectus, cum suis concordantiis.

Non enim intendimus
Responsio tacitae quaestionis.

Iudicare de feudo
Directe scilicet, sed tantum ratione peccati et inducendo ad poenitentiam, 6. q. 1, illi qui; et 22. q. 1, praedicandum; et 23. q. 4, ecce. Et sic per consequentiam cogit restituere feudum, arg. 14. q. 6, si res aliena. Qualiter quaestio feudi tractari debeat, dicitur supra, de iudic., caeterum.

Ad ipsum
Scilicet quando quaestio est de feudo inter vasallos, tunc iudicium pertinet ad dominum feudi. De hac materia notatur supra, de iudic., caeterum.

Consuetudinem
Nota quod consuetudo parificatur privilegio, 9. q. 3, conquestus; et 63. dist., quia sancta; et 64. dist., quia per ambitiones. Item patet hic quod consuetudo dat iurisdictionem, supra, de arbitr., dilecti; et C. de emancip. lib., si lex; et C. de emancip. lib., in

emancipationibus; et 63. dist., quia sancta. Et quod consuetudo iuri communi praeiudicet, habes hic.

Quicumque
Sed cum haec lex sit abrogata, poenam sustinet recitator et auditor, C. de vet. iure enucl., tanta § haec omnia. Igitur ut quid membranam occupat, 19. dist., si Romanorum. Respondeo: licet sit etiam sublata, notitia tamen ipsius necessaria est, ut 7. dist., fuerunt, ut ostendat quantam dilectionem habuit promulgator legis erga sacerdotium. Et ratio eius durat, licet ius civile destruatur, ff. de capit. minut., eas. Item est arg. quod ecclesia potest inducere legem cum pro ipsa facit. Sed eam contra se recipere non tenetur, 10. dist., lege. Legem istam habes 11. q. 1, quicumque.

Cum sermone
Supra, de in integ. restit., tum ex litteris.

Ex Deo
Similiter imperium a solo Deo est, 23. q. 4, quaesitum; et 43. dist., rector.

Corripere
Saltem indirecte, 2. q. 1, multi, vers. si quis frater etc. Arg. contra ff. de pet. hered., hereditas, in fi. Quandoque tamen aliquis malum facit, non tamen punitur, immo remuneratur, ut ille quia colligit olivam immaturam animo non dandi damnum, et non tenetur Aquilia, ff. ad leg. Aquil., si servus servum.

Cum regibus
Supra, de offi. deleg., sane quia; et supra, de offi. deleg., pastoralis; et 12. q. 2, si qua de rebus; et 18. dist., si episcopus; et 24. q. 1, contra pacem.

Ita magnum
Ut 3. q. 9, necesse.

Pacem
Ad ecclesiam enim spectat pacem servare et observari facere, supra, de treug., treugas; et 24. q. 3, si quis romipetas; et 24. q. 3, paternarum.

Non est dubium
22. q. 1, omne quod; et 22. q. 1, praedicandum; arg. 93. dist., diaconi.

De plano
Non in forma iudicii sed in modum denunciationis. Sic 2. q. 3, si quem § abolitio. Vel de plano, id est, sine strepitu iudiciorum, infra, de accusat., olim; et infra, de accusat., sicut.

Eius exceptio
Sic ergo contra denunciationem admittitur exceptio, infra, de despon. impub., ad dissolvendum. Quod verum est si obiiciatur quod sit criminosus, et hoc sive prosequatur

iniuriam suam sive non. Cum in modum denunciationis agitur, repellitur praetextu criminis, quia tunc agit quasi quilibet extraneus. Qualiter enim moveretur bono zelo ad correctionem alterius, qui nondum est correctus, 3. q. 7, qui sine; et 3. q. 7, infames § porro, in fi.; et 3. q. 7, iudicet; et 1. q. 1, multi; et 25. dist., primum; et 35. q. 6, episcopus in synodo; et infra, de testibus cog., praeterea; et infra, de spons., cum in tua. De hac materia dicitur 2. q. 1, si peccaverit.

X 2.01.14 *Pastoralis*

Factum proponant
Et per seipsos respondeant et non per alios, ff. de interrog. act., qui servum § ulti.; et C. de iureiuran., authen. principales. Nisi ubi tenentur ratione officii, ff. de procur., non solum. Item universitas per alium respondet, 12. q. 2, qui manumittitur; et ff. quod cui. univ. nom., neque societas § quibus; et ff. quod cui. univ. nom., item eorum § actor. Item excommunicatus per alium debet respondere, supra, de iudic., intelleximus. Item et episcopus, 5. q. 3, quia episcopi. Item illustres, C. de procur., quicumque. Et indiscretae personae, ut hic, et minores, supra, de aetat. et qualit., ex ratione; C. de aucto. praestan., clarum. Item furiosi, prodigi et mulier luxuriosa, ff. de curat. fur., et mulieri. Ber.

X 2.01.15 *Examinata*

Sequestram
Sequester appellatur ille apud quem res in litigium deducta communiter a litigatoribus deponitur. Et huiusmodi depositio non potest fieri nisi a pluribus, quamvis alias et unus et plures deponere possint, ff. deposi., licet.

Possidebas
Si ita intelligitur littera ista, quod iste dicebat se possedisse antequam deponeretur apud sequestrum, et cum sequestrata fuit, tunc planum est quod hic dicit, quia tunc habetur pro possessore, nisi ea mente deposuisset ecclesiam apud sequestrum, ut ipsum sequestrum constitueret possessorem potius quam custodem, ff. de acq. poss., interesse puto; ff. deposi., licet § 1. Unde non poterat intentare rei vendicationem contra illos milites nec interdictum possessorium, cum ipse possideret. Possessori enim non datur rei vendicatio, Inst. de action. § 1; et C. de alien. iud. mut. caus., cum in rem. Si vero dicebat se possidere postquam deposuerat rem apud sequestrum, sed ipsum posuit custodem, tunc adhuc dicitur possessor, alias non, ut ff. deposi., licet § 1. Et ideo nullo modo agere poterat rei vendicatione nec interdicto possessorio contra milites, sed contra sequestrum poterat agere depositi, ff. deposi., ei apud § 1; arg. ff. de peculi., depositi, 1. resp.; et ff. de reb. auct. iud. poss., si ventri § 2, in fi.; et C. de usuri., acceptam, in fi. Quandoque tamen rei vendicatio datur possidenti. Nam a depositario vel a commodatario possum rem vendicare, licet ego rem illam possideam. Et hoc dicitur fieri ratione detentionis, ff. de rei vend., officium, ad fi. Et confessoria similiter datur possidenti, ne inquietetur, ff. si serv. vend., si forte § 1; et ff. si serv. vend., sicut § sed si quaeritur. Et hoc cum est in quasi possessione servitutis, ne vicinus altius tollat domum suam, si ille vult altius aedificare, tunc per confessoriam ille potest prohibere vicinum aedificare, ut dicitur in lege ff. si serv. vend., si forte; et ff. si serv. vend., sicut § sed si quaeritur. Et confessoria

datur etiam ei qui non possidet, et contendit sibi servitutem deberi, ff. si serv. vend., de servitutibus. Negatoria datur domino qui negat alium habere servitutem, ut in lege praedicta. Isto modo debuit agere miles iste negando milites illos habere ius in ecclesia, petendo ne inquietarent eum super iure patronatus. Et de istis duabus habes infra, de caus. poss. et propr., cum ecclesia.

Non tenere
Cum enim inepta proponitur actio, iudex non debet statim illam corrigere si est dubia, quia licet debeat supplere de iure, de facto tamen supplere non debet. Sed debet absolvere reum, cum postea perpenderit eam ineptam ex probationibus, ut hic, et ff. si mens. fals., adversus § 1; et infra, de dona., inter dilectos; et infra, de restit. spol., cum ad sedem. Si vero manifeste cognoscit quod sit inepta, statim eam reiiciat iudex vel assesor, supra, de iudic., causam quae vertitur; ff. de off. asses., omne; et infra, de despon. impub., ad dissolvendum; supra, de elect., constitutis. Item ex hoc loco videtur quod actio secundum canones sit proponenda, arg. infra, de mut. petit., ex litteris. Contra supra, de iudic., dilecti, ubi de hoc. Dicunt tamen quidam quod in spiritualibus causis actor non tenetur proponere actionem, ut sic intelligantur iura quae dicunt actionem non esse proponendam. In civilibus vero tenetur. Io. dixit quod secundum canones non tenetur quis proponere actionem, quae magnam requirat subtilitatem sed levem, sicut est rei vendicatio, locati, depositi. Utrum huiusmodi leves teneatur nominare, dicas ut dictum est supra, de iudic., dilecti.

X 2.01.16 *Cum deputati*

Laudabiliter exequantur
Et sic propter industriam et probitatem luebant poenam, C. deposi., supervacuam.

Nationis
Forte ideo quaerebant isti de natione istorum, ut sciretur de fama ipsorum. Nam infames consueverunt fugere loca nationis suae, 19. q. 2, duae sunt. Arg. ad hoc supra, de cleri. peregri., tuae fraternitatis. Et infamis non potest esse procurator vel iudex, 3. q. 7, infamis; et 3. q. 7, infames § sunt autem. Vel ideo quaerebatur ut sciretur an essent servi, quia servus in iudicio stare non potest, C. de iud., servus. Nisi in casibus ff. de iud., vix certis. Sed spretis his praesumit ius quemlibet esse dignum, nisi probetur contrarium, supra, de scrutin., ex parte; et infra, de praesump., dudum. Et praesumitur quilibet liber, ex quo apparet in possessione libertatis, 3. q. 7, infamis § tria, vers. verumtamen si servus, in fi.; et ff. de off. praet., Barbarius. Simile infra, de instit., ad decorem. Vel dic quod eo ipso quod deputaverunt se obsequio Iesu Christi, omnis tollitur irregularitas si qua fuit, arg. 19. q. 3, non licet; in Auth. de monach., in princ., coll. 1. Ideoque non sunt repellendi, quia legitimae personae praesumuntur, 11. q. 3, eorum; ff. de probation., verius; et ff. de probation., quotiens quaereretur.

X 2.01.17 *Qualiter et quando*

Appellationibus
Quae ipso iure non tenent, infra, de appell., pastoralis, 1. resp.; et infra, de appell., ut debitus.

Prohibemus
Immo et si velint, non possunt laicum suum iudicem constituere, infra, de for. compet., si diligenti; et infra, de for. compet., significasti; 11. q. 1, inolita; et 11. q. 1, placuit. Et videtur quod etiam de consensu episcopi non possit, et puto illud verum, infra, de for. compet., significasti. Licet iura antiqua contrarium innuere videantur, ut dicitur ibi. Sed econverso laici trahuntur ad forum ecclesiasticum propter desidiam iudicis saecularis, infra, de for. compet., licet ex suscepto; et infra, de for. compet., ex tenore; et infra, de for. compet., ex transmissa.

X 2.01.18 *Causam quae inter*

Similis pene causa
Et ita videtur quod iudex qui habet consimilem causam causae sibi commissae, possit recusari, ex eo quod dicit nimis favorabilis etc. Quod est mirabile, ut ex eo nascatur suspicio. Unde si aliquis ageret de iure exemptionis coram aliquo iudice qui in simili causa laborat, iudex ille de facili sententiaret pro illo. Simile est in teste qui habet consimilem causam, quia ille non debet admitti in testem propter huiusmodi suspicionem, ne de facili testificaretur pro illo, infra, de testib., personas. Et qui consimili morbo laborant non sunt admittendi in testimonium, ut 4. q. 3, si testes § liberi; et 4. q. 3, testes. Simile infra, de except., cum ecclesiasticae. Non tamen extendas hanc similitudinem ad omnes causas. Nam si iudex habeat causam decimarum et alia causa, puta iuris patronatus vel electionis ei committatur, illud ei non nocet. Vel etiam ut dicit Io. bene possum petere ecclesiam vel aliud coram iudice qui habet consimilem causam. Vel haec causa non videtur sufficiens ad recusandum iudicem, licet sit sufficiens ad subrogandum, nec dicitur quod causa ista sufficiat ad recusandum, licet sit sufficiens ad subrogandum. Cum enim plures iudices dati sunt ad petitionem alterius partis sine qualibet tali suspicione, vel consimili removetur aliquis illorum, et alter subrogatur, ut causa sine suspicione procedat. Frequenter hoc contingit. Vel dic quod prius dictum est.

Subrogantes
Sic propter suspicionem dominationis alius subrogatur, supra, de offi. deleg., causam quae. Item si necessarius sit iudex in testem, removetur et alter subrogatur, infra, de testib., dilecto.

X 2.01.19 *Exhibita nobis*

Evocandi
Omnes enim illi evocandi sunt, quos negotium tangit, supra, de temp. ord., si archiepiscopus; et 66. dist., archiepiscopus; et 8. q. 1, licet ergo; et ff. de adopt., nam divus; et ff. de minor., in causae § causa; C. de aucto. praestan., veterem.

Negotium contingentibus
Contingentia ipsam electionem, puta meritis electi et studiis eligentium et de zelo, et an aliquid simoniacae pravitatis intercesserit, supra, de elect., scriptum; et supra, de elect., super eo; et infra, de except., denique, in fi.

Inquirerent
Ex hoc verbo visum fuit iudicibus, quod in modum inquisitionis deberent procedere et non in forma iudicii. Et ita lites non contestatae poterant procedere propter contumaciam alterius partis, infra, ut lite non cont., quoniam § sunt et alii; et infra, de accusat., qualiter et quando 2 § debet. Sed erraverunt, cum forma illa non fuisset in modum inquisitionis commissa, sed in modum iudicii mera inquisitio non committitur in tali casu, quia inquisitio fit super excessibus, et inquisitor debet accedere ad locum, 2. q. 1, Deus omnipotens; et infra, de simon., licet Heli.

Conspirationem
Quod si verum fuisset, repellendi erant nec audiendi contra electum, quia quasi inimici et ex odio hoc facere praesumuntur. Unde ab agendo sunt repellendi, sicut a denunciatione seu inquisitione, infra, de accusat., cum oporteat; et supra, de iudic., novit, in fi. Nec tales ad testimonium sunt admittendi, infra, de simon., licet Heli; et infra, de simon., per tuas 1. Conspiratio enim gravissimum crimen est, ita ut accusatum a proprio gradu repellat, 11. q. 1, coniurationum; et 11. q. 1, conspirationum.

Excommunicationem
Exceptio excommunicationis repellit ab agendo. Et quia isti agebant contra electum, talis exceptio admittenda fuit, quia excommunicati audiendi non sunt, infra, de sent. excom., per tuas; et infra, de sent. excom., si vero alicuius; infra, de haeret., excommunicamus itaque § credentes. Sed cum electus petit confirmationem agendo contra ipsos qui se sibi opponunt, si opponant aliquid electo in modum exceptionis ad defensionem ecclesiae suae contra illos, non admittitur replicatio excommunicationis, quia etsi constet illos esse excommunicatos, non repellerentur a defensione, infra, de except., dilecti filii, quia a defensione nullus excommunicatus repellitur, infra, de except., exceptionem; infra, de except., adversario; infra, de except., venerabilem.

Pervertendo
Unde non valuit quod fecerunt, quia fines mandati servandi sunt, supra, de rescript., cum dilecta; et supra, de offi. deleg., venerabili. Immo etsi verba rescripti viderentur esse contra ordinem iuris, tamen non debet recedi a iure, supra, de rescript., causam quae.

Lite nondum super eodem negotio contestata
Quod fieri non debet, infra, ut lite non cont., per totum. Nisi electus esse contumax, tunc enim ne patiatur ecclesia detrimentum ex mora, possunt recipi testes lite non contestata, infra, ut lite non cont., quoniam § porro.

Dictis gravaminibus
Scilicet quia simul super exceptione et principali negotio procedebant et lite non contestata. Et colligitur ex hac littera quod si plura gravamina assignentur in

appellatione, sufficit alterum probare, dummodo quodlibet per se sit sufficiens. Simile infra, de appell., significavit; et infra, de praeben., cum iamdudum; et supra, de rescript., ex parte S, ubi de hoc. Si autem plura proponuntur quae habent diversos effectus, non sufficit alterum probari quo ad utrumque effectum. Sed sufficit quo ad alterum. Exemplum habes supra, de rescript., olim. Sed omnia quae hic dicta fuerunt, habent eundem effectum, scilicet ut appellatio legitima fuerit. Ergo sufficit quodcumque probetur, quia utrumque per se sufficit.

X 2.01.20 *Venerabilis*

Non obstante

Sic ergo patet quod hodie non habet locum lex illa C. de iud., properandum § ulti., 1. resp.; et C. de iud., properandum § plerumque, ubi dicitur quod instantia iudicii perit, nisi causa finita sit infra triennium a tempore litis contestatae connumerandum, ut iterum incipiat de novo procedere, ac si numquam fuisset processum. Si enim isto respondere nolebant, quia instantia iudicii perierat, non erant audiendi, quia licet secundum legem praedictam, instantia iudicii perierat decursu triennii, litterae sive iurisdictio iudicis non perierat, quia iurisdictio iudicis est perpetua, et rescripta perpetua sunt, C. de divers. rescr., falso; et arg. C. de constit. pecun., recepticia; et C. de praescri. trig. vel quad. ann., saepe. Poterant tamen dicere, non tenemur respondere nisi novus libellus detur de novo, et omnia iterum procedant ab initio per legem praedictam C. de iud., properandum. Quae modo non habent locum quantum ad hunc articulum per decretalem istam. Et sic obviandum est malitiis eorum, qui causas malitiose volunt prorogare. Sed ex hac decretali non videtur quod lex illa C. de iud., properandum, corrigatur, quia non colligitur hic quod lis fuit contestata, sed per subterfugia et cavillationes causa sit prorogata. Et hoc potuit esse totum ante litem contestatam. Immo lis contestata fuit, quia decisio etiam causae prorogata fuit, ut dicit, et sic fuit lis contestata. Et ita habetur expressum in antiqua, quod lis erat contestata. Et ex eo quod dicit, instantiam iudicii perisse, apparet quod processum erat in principali negotio, quod dicitur fieri per litis contestationem, quae est principium causae.

X 2.01.21 *Significaverunt*

Promulgavit

Et hoc bene fieri potuit, cum causa non esset spiritualis, sed super iurisdictione temporali, et abbas et conventus fuerint actores, unde debuerunt sequi forum rei, infra, de for. compet., cum sit; et 11. q. 1, experientiae; et 11. q. 1, si quisquam; et C. de iuris., iuris ordinem. Et a sententia lata super possessione diffinitiva appellatur, infra, ut lite non cont., accedens 1, et hic.

Super proprietate

Sed videtur quod isti monachi tenebantur respondere adversae parti super proprietate coram iudice qui cognovit de possessione, quia iudex ille qui cognovit de possessione cognoscere debet de proprietate, infra, de caus. poss. et propr., susceptis. Et est illi audientia deneganda, qui continentiam causae nititur dividere, ut coram uno agat de possessione, et in alio iudicio de proprietate, C. de iud., nulli. Praeterea causae

conventionis et reconventionis coram eodem iudice fieri debent, C. de sent. et interloc. om. iud., cum Papinianus; et 3. q. 8, accusatores, ubi dicitur, cuius in agendo quis observat iudicium, ipsum in eodem negotio habere contra se iudicem non dedignetur, ut in lege C. de sent. et interloc. om. iud., cum Papinianus; et 3. q. 8, accusatores § cuius in agendo. Et illud quasi videtur idem negotium, infra, de mut. petit., ex litteris. Solutio: verum est quod continentia causae dividi non debet, et ille qui cognovit de possessione, debet cognoscere de proprietate, sive sit ordinarius sive delegatus cui causa simpliciter quo ad utrumque fuit commissa, infra, de sequestra., ad hoc. Et hoc locum habet cum actor et reus sunt eiusdem fori. Sed in casu praesenti non sunt eiusdem fori. Unde monachi qui primo egerunt de possessione debebant sequi forum rei, quod fecerunt et obtinuerunt. Et si adversarii volebant postea convenire monachos super proprietate, debebant sequi forum monachorum. Et causa possessionis et proprietatis bene possunt tractari coram diversis, maxime ubi causa talis subest, quia nihil commune habet causa possessionis cum causa proprietatis, ff. de acq. poss., naturaliter § nihil. Et si aliquis postulaverit alium iudicem super proprietate et alium super possessionem, non est audiendus. Et sic loquitur infra, de caus. poss. et propr., susceptis; et C. de iud., nulli. Et ita non contradicunt huic decretali, quia hoc isti monachi non fecerunt. Alia iura 3. q. 8, accusatores § cuius in agendo etc., non tangunt causam istam, quia illa loquuntur in reconventione quae debet fieri simul cum conventione, infra, de mut. petit., ex litteris; et infra, de ord. cognit., cum dilectus. Et tunc etiam si vellent reconvenire de alia re, non poterant, cum quaestio spoliationis de qua agebant monachi privilegiata sit, infra, de ord. cognit., super spoliatione. Nec de proprietate simul tunc cum possessione poterat agi, C. de rei vend., ordinarii.

Propter vindemias

Tempore enim vindemiarum et tempore messium non compellitur quis in iudicio respondere, ita quod sententia lata contra absentem non tenet. Tamen si consentiunt partes, bene valet iudicium, ff. de feri., ne quis messium; et ff. de feri., si feriatis. Et de istis feriis habes C. de feri., omnes dies, in princ. Sed illis feriis quae inductae sunt ob reverentiam Dei et aliorum Sanctorum, nullus potest renunciare etiam si parte vellent. Aliis vero inductis in favorem hominum bene renunciatur. Hoc est expressum infra, de fer., conquestus; et de conse. dist. 3, pronunciandum. Et est arg. ad hoc ff. de recepti., si feriatis; 15. q. 4, nullus episcoporum; et 15. q. 4, placita. Potest tamen tali dies, ut videtur, libellus offerri, ff. de adulter., miles § sexaginta; et ff. de adulter., miles § illius. Sed ex causa tali tempore aliquis compellitur litigare, ut hic dicit in fine, ne tempus illius electi ad regimen illius loci elabatur. Et idem credo si finiretur iurisdictio iudicis tempore illo, quod tunc posset procedi, ne iudicialis instantia evanescat, arg. supra, de offi. deleg., consuluit.

X 2.02 DE FORO COMPETENTI

X 2.02.01 *Si quis clericus*

Non deserat

Quod si fecerit, puniri debet prout dicitur 11. q. 1, inolita; et 11. q. 1, placuit; et infra, de for. compet., si diligenti.

Actio
Id est, petitio, quia secundum canones actionem proponere non tenetur, supra, de iudic., dilecti, ubi de hoc; et supra, de iudic., examinata.

Consilio eiusdem
Aliter enim nullo modo possunt eligere in praeiudicium aliorum, immo de licentia episcopi iudicium saeculare non possunt eligere, sed ecclesiasticam personam bene de licentia episcopi, infra, de for. compet., significasti. Alias nec volentes nec inviti possunt deserere episcopum etiam si iuramentum interveniret, infra, de for. compet., si diligenti.

Alios
Id est, ecclesiasticos, infra, de for. compet., significasti. Vel episcopus committat alicui.

Utraque pars
Honestum et iustum est istud, ut ambae partes si praesentes sint, eligant iudicem communiter, ut hic, et 2. q. 6, placuit. Arg. contra supra, de offi. deleg., cum R. Sed illam intelligo quando altera pars est absens vel cum non vult concordare reus, ut ibi dicitur. Alias iniquum esset illud quod daret ad voluntatem alterius altero praesente. Et sic observatur in curia Romana. Contra 11. q. 1, iudices; et 15. q. 7, si autem. Sed illa intelliguntur in criminali et non tenet hodie.

X 2.02.02 *Nullus iudicum*

Iudicum
Scilicet saecularium.

Minores
Quos appellat hic minores? Potest dici quod scholares sive servientes ecclesiae deputatos ad eius obsequium, quia illi eodem privilegio censentur, 12. q. 2, ecclesiarum servos.

Sine permissu pontificis
Hic vacat arg. a contrario sensu, ut probatur infra, de for. compet., significasti, ubi de hoc.

Aut condemnare
Nisi forte in causa reconventionis, quia bene respondere tenentur de civili sed non de spirituali, ut dictum est supra, de for. compet., si quis clericus; et supra, de iudic., at si clerici; supra, de iudic., significaverunt. Arg. infra, de mut. petit., ex litteris; et infra, de mut. petit., prudentiam; et 3. q. 8, accusatores § cuius in agendo; C. de sent. et interloc. om. iud., cum Papinianus; C. de sent. et interloc. om. iud., authen. et consequenter. Sed in criminali non habet locum reconventio coram iudice saeculari, nec etiam coram quocumque, ut dictum est supra, de iudic., at si clerici.

Cui iniuriam
Qui iniuriam facit ecclesiae debet privari communione ipsius, 17. q. 4, sicut antiquitus. Nec ad supplicandum debet admitti ubi sacrilegium committere non dubitavit, 17. q. 4, frater et coepiscopus; 12. q. 2, de viro nefando, ut sic puniatur in quo peccavit. Sic infra, de iure patron., pastoralis, in fi.; et supra, de offi. deleg., cum olim magister; et supra, de translat., quanto; et supra, de temp. ord., litteras; et infra, de Iudae. et Sarrac., ad liberandam; et infra, de immun. eccl., immunitatem.

Sequestratus
Per sententiam. Simile 30. dist., quasi per totum. Ber.

X 2.02.03 *Sane si episcopi*

Primas
Et hoc intellige cum ipse non potest sive non vult per se ipsum cognoscere.

Provincia
Sic patet quod sub illo iudice agere debet actor in cuius provincia res est litigiosa, ut ex ipsa re sortiatur forum, ff. de censi., forma § si vero; et infra, de for. compet., licet ratione; et 11. q. 1, experientiae; et C. ubi in rem act., actor; et C. de praed. vel al. reb. min., si praedium; et C. de praescri. long. temp. dec., cum in longi.

X 2.02.04 *Si quis contra*

Ut suspectus
Quid tenendum sit, cum iudex ordinarius recusatur ut suspectus, plene dicitur infra, de appell., cum speciali, quae videtur hanc decretalem interpretari, et illi standum est.

Executor
Id est, delegatus, quia ordinarius cum fuerit recusatus debet causam committere personae neutri parti suspectae, ut dicit constitutio illa infra, de appell., cum speciali; et 2. q. 6, placuit ut presbyteri; et 11. q. 1, pervenit. Sed si appelletur a tali delegato, ad quem appellabitur? Potest dici quod ad Papam, cum ad ordinarium recusatum non videatur appellandum, nec ad metropolitanum omisso medio, quia talis appellatio non tenet, infra, de appell., dilecti filii 3. Sed satis posset appellari ad episcopum non obstante tali recusatione, non quod ipse cognoscat, sed ut alii personae non suspectae committat. Arg. contra capitulo praedicto 2. q. 6, placuit ut presbyteri.

Actor
Supra dixit quod reus potest recusare ordinarium et actor similiter, ut hic dicit. Et tunc episcopus committit alicui, quod compellat partes eligere iudices super causa illa quibus episcopus committet causam. Hoc ipsemet facere posset. Sed causa vitandae suspicionis hoc dictum est. Et idem iuris credo esse sive reus sive actor recusaverit ordinarium. Et est similie huic 11. q. 1, pervenit. Vel sic potest intelligi quod dicit, si hoc actor etc., id est, si actor recusaverit istum executorem ab episcopo datum. Tunc episcopus debet aliquem eligere, qui compellat partes ut in aliquem conveniant, ne postea ipsum valeant

recusare, supra, de offi. deleg., super quaestionum § 1. Idem esset si reus recusaret istum executorem.

Ipsius sollicitudine
Hoc ideo dicit, quia delegatus ab ordinario non potest suam sententiam executioni demandare, sed ille ordinarius illam debet exequi, ff. de re iud., a divo Pio, 1. resp. Nec potest possessionem dare, ff. de iuris., iubere. Sed non credo illam subtilitatem servandam, quin possit exequi suam sententiam, quia ex quo causa sibi committitur, intelliguntur sibi omnia esse commissa, quae ad causam ipsam spectare noscuntur, et sine quibus causa expediti non potest, supra, de offi. deleg., praeterea; et supra, de offi. deleg., suspicionis. Et lex illa ff. de re iud., a divo Pio, et hae decretales non prohibent hoc, licet dicatur in eis quod ordinarius hanc sententiam exequatur. Et hoc etiam notavit Io., 2. q. 6, quisquis. Sed si velles hoc servare, posset dici quod hoc habet locum cum ordinarius est praesens. Sed eo absente delegatus vel officialis eius exequatur sententias suas, alias perniciosum esset hanc subtilitatem servare. Ber.

Servata lege
Quae loquitur de tempore executionis sententiae, quae facienda est in personali actione post quatuor menses, C. de usuris rei iud., sancimus; et ff. de re iud., qui pro tribunali; et ff. de re iud., si se non § si quis. Ber.

X 2.02.05 *Si clericus laicum*

Actor forum rei etc.
Haec regula generalis est, infra, de for. compet., cum sit; et 11. q. 1, experientiae; et 11. q. 1, si quisquam; et 3. q. 6, si quis episcoporum; et 3. q. 6, neminem; et C. de iuris., in criminali; et C. ubi in rem act., actor; et ff. de alien. iud. mut. caus., quia etiam, in princ.; et in Auth. ut cler. apud prop. episc., coll. 6. Fallit haec regula in casibus notatis infra, de for. compet., cum sit; et infra, de for. compet., licet ex suscepto; et infra, de for. compet., ex tenore.

De consuetudine
Talis consuetudo contra omnia iura praedicta est, sed introducta est propter negligentiam laicorum in exhibenda clericis iustitia, infra, de for. compet., cum sit; et infra, de for. compet., licet ex suscepto; et infra, de for. compet., ex tenore. Sed Papa sive sint negligentes sive non quotidie litteras clericis contra laicos super quacumque quaestione. Et ita assumit sibi iurisdictionem aliorum contra id quod dicit supra, de iudic., novit, in princ.

X 2.02.06 *Ex transmissa*

R.
Forte clericus erat iste R., quia alias Papa non dedisset ei litteras. Quia licet concedat clerico contra laicum, non tamen concedit laico contra laicum, dum tamen habeant alium superiorem, cum consuetudo curiae sic se habeat, nisi de consuetudine, et sponte se

subiiciant iurisdictioni ecclesiae. Sic potest intelligi supra, de arbitr., innotuit, et consimilia, et supra, de for. compet., si clericus, in fi.

Dominus
Quo ad feudum illud. Alias videtur quod erant milites ecclesiae, ut supra dicitur in littera.

Ne in iudicio ecclesiastico responderent
Quod quidem facere potuit, cum Papa talem prohibitionem admittat. Qualiter causa feudi debeat tractari dicitur supra, de iudic., caeterum.

Distulerit
Et sic per negligentiam iudicis saecularis iurisdictio, quae prius erat inefficax apud delegatum, modo est efficax. Sic infra, de for. compet., licet ex suscepto; et infra, de for. compet., ex tenore. Sic etiam delegatus per negligentiam perdit iurisdictionem, et transfertur ad ordinarium, supra, de offi. ord., significavit; supra, de offi. deleg., prudentiam § sexta, in fi. Ber.

X 2.02.07 *Verum quoniam*

Quaestio mota fuit
Vacante ecclesia, unde non erat qui de illa quaestione posset cognoscere, nec tunc aliquid fieri potest in praeiudicium vacantis ecclesiae, infra, ne sede vac. nih. inn., per totum. Unde praepositus non tenebatur nec debebat respondere de feudo ecclesiae coram alio iudice, supra, de for. compet., ex transmissa; et supra, de iudic., caeterum. Et ideo Papa mandat quod differatur quaestio illa quousque ecclesia praelatum habuerit.

Consecratus
Idem esset si electus esset et confirmatus, quia tunc habet plenam administrationem, quantum ad ea quae pertinent ad iurisdictionem, supra, de elect., transmissam; arg. ad idem supra, de translat., inter corporalia.

De feudis
Supple cognitio de feudis.

Cognitionem
Quia forte dicebatur ab adversariis, quod non erat feudum ecclesiae sed potius imperatoris. Unde dicit hic sub conditione, et si episcopus esset negligens in quaestione feudi procedere, saecularis iudex postea procederet, sicut econverso, supra, de for. compet., ex transmissa. Non enim cognitio feudi ecclesiastici semper ad iudicium ecclesiae spectat, ut notatur supra, de iudic., caeterum. Sed contra videtur potius quod saecularis iudex non possit supplere negligentiam episcopi, sed per Papam tunc supplenda est illa negligentia, quia non ad iudicem saecularem de hac causa pertinet, etiam si laici sint, arg. supra, de iudic., caeterum.

Alioquin
Id est, si ad ecclesiam non pertineat.

X 2.02.08 *Cum sit generale*

Forum rei
Supra, de for. compet., si clericus, et in concordantiis ibi positis; et C. de iuris., iuris ordinem.

Remissi
In quo casu possunt per excommunicationem compelli iustitiam exercere, 23. q. 5, administratores. Immo iudex qui negligit facere iustitiam, litem facit suam, 23. q. 2, dominus noster; et 3. q. 7, qui sine; arg. in Auth. ut differ. iudic. audi. § hoc autem, coll. 9; et C. de appellat., si appellationem. Et si per dolum vel gratiam vel inimicitiam iudicaverit, in veram litis aestimationem condemnari debet, ff. de iud., si filiusfamilias. Ber.

Malefactores
Id est, raptores rerum ecclesiasticarum et invasores, 12. q. 2, ne de viro. Et isti qui sic bona ecclesiarum arripiunt, tamquam sacrilegi iudicantur, et possunt excommunicari usque ad condignam satisfactionem, 12. q. 2, nulli liceat ignorare; et 12. q. 2, quicumque; et 12. q. 2, praedia. Et est expressum infra, de for. compet., conquestus. Et quasi homicidae reputantur, 12. q. 2, qui abstulerit. Et quia isti sacrilegium committunt, ut dicunt iura praedicta, coram ecclesiastico iudice sunt trahendi, cum istud crimen sit ecclesiasticum, ut hic dicitur. Et hoc sacrilegium quandoque per iudicem saecularem punitur, C. de episc. et cler., si quis in genus. Item crimen usurarum, infra, de usur., cum tu, haeresis, simoniae, periurii et adulterii, haec pertinent ad ecclesiam et consimilia. Et de quocumque peccato, supra, de iudic., novit. Et hoc quod hic dicit, introductum est in favorem ecclesiae. Et quia hoc dicit specialiter de malefactoribus quod possint conveniri sub quo iudice velint. Secus videtur intelligendum de aliis, quod coram suo iudice sint trahendi, dummodo ibi possint suam iustitiam consequi, ut dicitur supra, de for. compet., ex transmissa. Quia quod de uno conceditur, de alio prohiberi videtur, 25. dist., qualis, cum suis concordantiis, nisi consuetudo contrarium inducat, ut dicitur supra, de for. compet., si clericus, in fi.

X 2.02.09 *Quod clericis*

Aliquos
Etiam laicos. Et est speciale Parisius, ubi episcopus habet temporalem iurisdictionem et gerit vicem comitis. Unde et praeco banum ibi nunciat nomine episcopi et regis. Alias laici debent in causis pecuniariis coram suo iudice conveniri, nec tractaretur ibi causa iure canonico sed civili vel iure municipali, et sic causae tractantur inter clericos et laicos quos conveniunt, vel si conveniantur iure canonico non obstante consuetudine.

X 2.02.10 *Licet ex suscepto*

Iustitiae complementum
Ergo quousque ad sententiam pervenit, semper est in pendenti an valeat rescriptum, infra, de for. compet., ex tenore; et supra, de for. compet., ex transmissa. Quandoque enim rescriptum est in pendenti, supra, de rescript., si autem.

Vacante imperio
Iste est ergo unus casus in quo iudex ecclesiasticus potest se immiscere saeculari iurisdictioni, scilicet cum superior non invenitur. Alius est cum iudex saecularis negligit facere iustitiam, ut hic, vers. dummodo etc., et infra, de for. compet., ex tenore; et supra, de for. compet., nullus; arg. 23. q. 5, administratores. Tertius est cum aliquid ambiguum fuerit et difficile, et inter iudices variatur, infra, qui fil. sint legit., per venerabilem, circa medium. Quartus est in omni crimine ecclesiastico, puta usura, sacrilegio et similibus, ut 6. q. 2, episcopus; et 12. q. 2, nulli liceat; et infra, de usur., quoniam. Quintus est cum per denunciationem criminis causa defertur ad iudicem ecclesiasticum, supra, de iudic., novit. Item ratione connexitatis, ut in dote, infra, de don. int. vir. et uxor., de prudentia.

Ad te vel ad nos
Contra infra, de appell., cum speciali; et supra, de for. compet., si quis contra, ubi ordinarius recusatus committit causam. Solutio: illa continet ius commune, et quod hic dicit, locale est. De recusatione iudicis ordinarii et delegati, et de illis habes infra, de appell., secundo; et infra, de appell., cum speciali.

X 2.02.11 *Ex tenore*

Exhiberi
Et quia iudices nihilominus procedebant in causa, comes significavit hoc domino Papae.

In iustitia
Simile infra, de don. int. vir. et uxor., nuper. Per hoc patet quod causa viduarum non pertinet principaliter ad ecclesiasticum iudicem, licet pertineat ad ecclesiam quantum ad protectionem, ut 87. dist., licet; et 87. dist., defensionis. Immo ad iudicium saeculare spectant primo causae viduarum, pupillorum et orphanorum, 23. q. 5, regum; et 23. q. 3, ab imperatoribus; et C. quan. imp. int. pup. vel vid., si contra. Secundario quantum ad defensionem ad ecclesiam spectant, 23. q. 5, administratores; et infra, de censib., licet. Et causa viduarum et aliarum miserabilium personarum spectat ad ecclesiam ubi agitur de iniuria, sive de violentia eis illata, 24. q. 3, si quis de potentibus. Et sic intellige infra, de for. compet., ex parte, ubi Papa committit causam viduae super violentia irrogata. Et sic potest intelligi infra, de verb. sign., super quibusdam § ulti. Et praecipue circa dotes, ut in praedicta decretali infra, de don. int. vir. et uxor., nuper. Causa poenitentium ad ecclesiam pertinet, 11. q. 1, aliud; heresis, simoniae, adulterii cum agitur ad separationem matrimonii, infra, ut lite non cont., ad hoc; et supra, de procurat., tuae. Et aliae de quibus dicetur in sequenti notula. Et indirecte ratione peccati omnes causae pertinent ad ecclesiam, ut supra, de iudic., novit.

Ecclesiasticum iudicem
Sicut sunt causae matrimoniales, supra, de offi. deleg., causam matrimonii; et infra, de cons. et affin., ex litteris. Item causa nativitatis alicuius, infra, qui fil. sint legit., lator; et infra, qui fil. sint legit., causam quae 2. Item ius patronatus, supra, de iudic., quanto. Item decimarum, infra, de decim., per totum. Item causa usurarum, infra, de usur., quoniam; et infra, de usur., per totum. Et alia plura, ut dictum est supra, de for. compet., cum sit; et supra, de for. compet., licet ex suscepto.

Terminetis
Per litteras prius impetratas, ut incipiant valere ex nunc quo ad effectum, supra, de offi. deleg., si pro debilitate § 1; ff. de leg. 3, si incertus § 1; C. de donat. inter vir. et uxor., donationes; et supra, de rescript., eam te. Interim enim iurisdictio dormit. Sic supra, de rescript., pastoralis, in fi. Videtur enim committi causa sub conditione, si iustitia coram saeculari haberi non possit, arg. infra, de iureiur., quemadmodum. Sicut cognitio principalis causae sub conditione committitur in causa appellationis, infra, de appell., ut debitus. Sic supra, de offi. deleg., insinuante; et ff. de iure dot., stipulationem. Quod autem litterae quae ab initio non valent, postea convalescant, est arg. supra, de rescript., si autem; infra, de conver. coniug., placet; ff. de iniust. rup. testam., cum in secundo; ff. de lib. et post., si quis posthumos, in princ.; et ff. de pigner. act., si in rem § ulti.; et supra, de elect., quod sicut. Arg. contra supra, de elect., dudum ecclesia, ubi de hoc; et infra, de probat., post cessionem. Item hic habes quod iurisdictio perditur per negligentiam. Sic supra, de offi. deleg., prudentiam, in fi.; et supra, de offi. ord., significavit; et supra, de offi. ord., licet. Et sic litterae istae sunt in pendenti quousque appareat de negligentia iudicis saecularis, supra, de for. compet., licet ex suscepto. Sicut in pendenti est, an in senatusconsulto Macedoniano commissum sit, ff. de Maced., verba § si pendeat.

X 2.02.12 *Si diligenti*

Pacto privatorum
Sic ergo patet quod privatorum pacto iuri publico non derogatur, ff. de pacti., ius publicum; et ff. de pacti., inter debitorem; supra, de arbitr., cum tempore; et infra, de sent. excom., contingit 1. Nemo enim ius publicum remittere potest aliquibus pactionibus, nec mutare formam antiquitus constitutam, ff. de admin. tut., quidam decedens; et infra, de testamen., requisisti. Et nemo potest facere quod leges in testamento suo loco non habebant, ff. de leg. 1, nemo; et ff. ad leg. Falc., quod de bonis § 1; et C. de condi. insert., cum patrem; et C. de iureiuran., cum et iudices § sed quia; et 10. q. 1, sic quidam; ff. de postulan., quod prohibet; infra, de except., exceptionem. Arg. contra ff. de pacti., pacisci; et ff. de pacti., pactum inter heredes; ff. a quib. app. non lic., tractandum, in fi.; et ff. a quib. app. non lic., tractandum § 1; et C. de temp. appel., cum anterioribus, in fi.; et ff. de servit., servitutes personarum; et ff. de minor., si iudex; et infra, de regular., ad Apostolicam; et infra, de privileg., si de terra; et infra, de privileg., accedentibus; et C. de pacti., si quis in conscribendo, ubi videtur expressum; et infra, de for. compet., dilecti. Super hac contrarietate dicas quod illi iuri quod est tantum introductum in favorem aliquorum, bene potest quis renunciare. Sed si aliquod ius introductum est in favorem quorundam pro publica utilitate ipsorum et odio aliorum, nullus potest tali iuri renunciare. Tales est hoc de quo hic agitur, quod introductum est non tam in favorem clericorum

quam in odium laicorum. Ipsi enim clericis oppido sunt infesti, ut 2. q. 7, laicos; et 2. q. 7, laici. Et tales est illud 17. q. 4, si quis suadente. Quia ei renunciare non potest, infra, de sent. excom., contingit 1. Sicut potes videre in simili: mulier potest renunciare Velleiano, quia in favorem ipsius tantum introductum est, ff. ad Velleia., si mulier hereditatem § penulti.; et C. ad Velleia., iubemus; propter infirmitatem sexus, C. ad Velleia., si sine; et ff. ad Velleia., et primo § verba. Sed Macedoniano non potest renunciari, quia illud in favorem quorundam introductum est, et in odium creditorum, ff. de Maced., sed et si pater, in fi. Similiter beneficio restitutionis non potest renunciari, quia tam in favorem quam in odium introductum est, licet sit arg. contra ff. de minor., si iudex. Item et alia ratio consuevit assignari, quare non possit clericus in alium iudicem consentire, quia praeiudicatur episcopo suo, sine cuius consensu iurare non potest, nec alium iudicem habere, 11. q. 1, clericum; et 3. q. 6, non liceat; infra, de iuram. calumn., inhaerentes, in fi. Item ab alio non potest recipere ordinem nisi ab episcopo suo, ergo nec iudicium quod est maius. Sic argumentatur canon 9. q. 2, nullus primas; et infra, de paroch., nullus. Item non potest ab alio praelato petere iudicium personae, infra, de poenit. et remiss., omnis; et de poen. dist. 6, placuit. Sic posset contingere quod omnes subditi episcopi alium sibi iudicem eligerent. Laicus vero bene potest alium iudicem sibi eligere in civili negotio, ff. de iud., si se subiiciant; et ff. de iud., consensisse. Sed in criminali non, 11. q. 1, si quis cum clerico; et C. de iuris., in criminali. Clerici tamen arbitros bene possunt eligere praeter consensum episcopi, supra, de arbitr., sane; et supra, de arbitr., non sine; et supra, de arbitr., dilecti; et supra, de arbitr., per totum. Item dixi quod illi privilegio 17. q. 4, si quis suadente, renunciare non potest, tamen clericus verberatus a laico vel ab alio potest ei remittere iniuriam quantum ad se, sed non quantum ad ecclesiam, 23. q. 4, si is qui; 63. dist., Salonitanae.

Conciliis

Quae concilia tu habes 11. q. 1, inolita; et 11. q. 1, placuit, quorum verba hic ponuntur.

Ne clerici

Hic ponit tenorem illius capituli 11. q. 1, inolita.

Pertrahant

Et sic trahuntur inviti, et ideo punitur ille qui eos trahit, et sic loquitur 11. q. 1, inolita, in actore.

Causam perdant

Sed numquid per sententiam, an ipso iure? Hug. dicebat quod ipso iure perdit causam. Sed videtur potius quod per sententiam, arg. praedicti capituli 11. q. 1, inolita, ubi dicit: actor actione causae mulctetur, reus pro condemnato habeatur. Et arg. praedicti capituli 11. q. 1, placuit, ubi dixit: locum suum amittat. Quod verius videtur opinio ad hoc arg. infra, de excess. praelat., gravem. Hoc dicit Io., Hug. contra. Sed numquid intelligimus hanc poenam imponendam statim, vel post conventionem vel post litis contestationem, vel tantum si perseverat usque ad finem causae? Et videtur certe quod postquam vocatus est ad iudicium, 11. q. 1, inolita, ubi dicit: ad iudicia publica non pertrahant. Si contra fecerint, causam perdant, et 11. q. 1, placuit, ubi dicit: qui de saeculari iudice possit auxilium etc., et C. de iuris., in criminali, ubi dicit: qui invocaverit in vetito examine.

Sed videtur quod ante litis contestationem possit poenitere, nec incidit in poenam, ff. rem rat. hab., amplius; et ff. de in ius voc., quamvis; et ff. de iuris., si convenerit. Et arg. illius capituli 11. q. 1, placuit, ubi dicit: si crimen fuit intentatum vel civilis causa commota. Per quae verba innuitur, quod lis fuit contestata. Immo etiam videtur quod quandoque ante sententiam licitum sit poenitere, arg. ff. de inoffic. testam., Papinianus § meminisse; et C. de his quib. ut indign., alia causa; et ff. quod metus cau., si cum exceptione § haec actio; et ff. quod metus cau., si cum exceptione § satis. Hug. dicebat quod hic non est locus poenitentiae. Benignius tamen est et tutius dicere, quod ante litis contestationem sine poena desistere potest, arg. illius capituli 11. q. 1, placuit. Quia promptiores esse debemus ad misericordiam quam ad rigorem, ff. de act. et oblig., Arrianus. Post litem vero contestatam non potest vitare poenam, arg. praedictarum legum ff. rem rat. hab., amplius; et ff. de in ius voc., quamvis; et ff. de iuris., si convenerit. Sed in causa spirituali sola depositio querimoniae sufficit, ut ab ecclesia tamquam membrum putridum abscindatur, et beneficia aliis conferantur, infra, de excess. praelat., gravem. Sed potest dici quod illud est propter excessum nimium, eo quod in suum episcopum tantum facinus attentare praesumpsit, ut merito augeri debeat poena, ff. de re milit., omne delictum § 1. Sed de rigore debent puniri, qui in vetitum examen alios trahunt.

A communione
Sacramentorum, quia in poenam removebuntur a sacramentis ad tempus, arg. 2. q. 6, catholicus. Vel potius a communione, id est, officio et beneficio si clericus est privetur, ut dicit Hug. Sed nimis rigida esset haec poena, nec etiam talis expositio consonat litterae. Et ita dicit quod non perdit locum suum, si perdere vult quod evicit. Et hucusque loquitur in actore, sequentia verba, et tam episcopi etc., in reo.

Tam episcopi
Hic ponit tenorem illius capituli 11. q. 1, placuit.

A communione
Et sic loquitur in reo capitulum 11. q. 1, placuit. Et ideo quia sponte elegit vetitum iudicium, punitur. Et expone purgare, id est, examinare causam suam. Et dic quod voluerint cum effectu, id est, fecerint quod examinaretur ibi causa. Nam si inviti traherentur, non punirentur. Arg. contra supra, de iudic., at si clerici; et 11. q. 1, si qui clericorum.

Pro eis sit lata
Sed quid si contra eos lata sit? Videtur quod non teneat, quia sententia a non suo iudice lata non tenet, supra, de iudic., at si clerici; 11. q. 1, si qui clericorum. Satis patet quod dicendum sit, nam si obtinerit, sententia non valeret. Sed si contra eos lata est, de iure tenere non deberet. Tamen quantum ad se et in odium illorum servabitur talis sententia, et compelletur ad hoc propter culpam suam, immo multo fortius pro condemnato debet haberi, arg. supra, de renunciat., quod in dubiis.

Perdant quod
Id est, rem quae ab eis petebatur, de qua fuerunt absoluti et habebuntur pro condemnatis. Et res illa dabitur actori cui facta est iniuria, quia reus aliter se conveniri non patiebatur,

quia forte potens erat, et actor ipsum timebat, unde non audebat illum convenire coram suo iudice, et sic actor invitus et coactus convenit illum. Sic in praesenti casu actor perdit quod evicit, et datur reo qui invitus tractus fuit ad iudicem alienum. Sed si uterque fuerit in culpa, tunc debet dari illi ecclesiae cui facta est iniuria, et iurisdictio eius spreta. Et quod dicit, perdant quod evicerint, intellige cum causa est propria clerici, secus si negotium sit ecclesiae, quia delictum personae etc., 16. q. 6, si episcopum.

Si locum suum

Ecce reus habet electionem, ut vel perdat causam vel amittat locum. Si potius vult perdere locum, numquid habebit quod evicit? Sic si actor fuit in culpa, alias non, quia factum istius non debet obesse actori innocenti. Et sic est casus in quo sententia a non suo iudice lata.

Manifeste patet

Hic ergo patet arg. ex praecedentibus conciliis, quod nec inviti, et hoc ex concilio Milevita, 11. q. 1, inolita. Nec volentes, et hoc ex concilio Chartaginensi, 11. q. 1, placuit. Pacisci possunt ut iudicia saecularia subeant. Sed numquid tacite possunt renunciare suo foro, respondendo coram laico? Arg. quod sic, 3. q. 6, pulsatus. Nam et Papa renunciat suo foro, 2. q. 7, nos si incompetenter; et 2. q. 5, mandatis. Multa enim possumus tacite, ad quae non possumus nos pacto adstringere, ff. de procur., filiusfamilias § veterani; et C. de pacti., de quaestione; et C. de iureiuran., cum et iudices, in fi. Dicas quod neque tacite neque expresse potest clericus alium iudicem constituere, immo in ecclesiasticam personam sine licentia speciali episcopi sui consentire non potest, nec illum in iudicem eligere, ut 3. q. 6, non liceat; infra, de for. compet., significasti, ubi determinatur ista dubitatio, ut ibi dicit.

Iuramentum

Sic ergo patet quod si contractus non tenet sive pactum, iuramentum de observando ipsum contractum vel pactum, non tenet neque obligat, C. de legi. et const., non dubium. Et quia iuramentum contra bonos mores et vim legum et auctoritatem iuris nullius est momenti, ff. de leg. 1, si quis inquilinos § si quis. Et quia iuramentum non debet esse vinculum iniquitatis, 22. q. 4, inter caetera; et infra, de iureiur., quanto. Item arg. quod si principale non tenet, nec accessorium, ut C. de usuri., eos; et C. deposi., si deposita pecunia; et lege praedicta C. de legi. et const., non dubium; et infra, de fide instrum., inter dilectos. Et quia idem iuris est in princpali et accessorio, supra, de offi. deleg., prudentiam, in fi. Arg. contra infra, de iureiur., debitores; et infra, de iureiur., cum contingat. Similiter quod iuris est in accessorio et in princpali, arg. 23. q. 1, paratus, vers. fi., vers. nam si Christiana, in fi., alias est capitulum. Arg. contra quod aliud est in accessorio quam in princpali ff. de pacti., postquam. Arg. contra quod sublato accessorio, tollitur princpale, ff. de pacti., Labeo. Arg. contra C. de remiss. pign., creditricem. Item signatur contra infra, de iureiur., cum contingat, ubi iuramentum super contractu contra legem facto praestitum servatur, et ibi de hoc. Ber.

X 2.02.13 *Cum contingat*

Maxime
Id est, tantum. Sic 11. q. 3, si quis episcopus damnatus. Nam tantum ab illo puniendus est ubi deliquit, 6. q. 3, placuit; infra, de rapt., de illis, ubi de hoc. Vel dic quod licet alibi possit excommunicari, non tamen ab alio potest deponi quam a suo diocesano, secus si civiliter ageretur de beneficio, infra, de for. compet., postulasti. Quando reus sit remittendus ad suum iudicem dicitur 3. q. 6, ibi semper; et infra, de rapt., de illis.

Vel consuetudine
Nota quod consuetudo dat iurisdictionem, 9. q. 3, conquestus; supra, de arbitr., dilecti; C. de emancip. lib., si lex; et C. de emancip. lib., cum inspeximus; et supra, de offi. ord., irrefragabili. Sed qualiter potest in hoc casu privilegium vel consuetudo dare iurisdictionem, cum nemo sibi vel suis ius dicere possit, ff. de iuris., qui iurisdictioni praeest; et C. ne quis in sua caus. iud., generali? Sed dic quod dominus familiae potest habere ordinariam iurisdictionem super familiam suam, sicut magister super discipulos suos, ut in constitutione Friderici C. ne fil. pro pat., authen. habita. Sicut episcopus in suos canonicos, et sicut pater super filium suum, ut 3. q. 7, infamis § tria, circa fi.; et 23. q. 4, suo ista nomina. Et si suspectus fuerit dominus, petat actor ei aliquem associari, 3. q. 3, induciae § offeratur. Vel eligat arbitros, supra, de for. compet., si quis contra; et 11. q. 1, pervenit; infra, de appell., cum speciali.

X 2.02.14 *Postulasti*

Deliquit
Et ita delictum dat iurisdictionem, infra, de for. compet., licet ratione; et 6. q. 3, placuit. Et episcopus iste in cuius diocesi deliquit debet ferre sententiam contra ipsum super crimine et non super ecclesia. Et haec sententia lata sub uno, facit fidem in alio iudicio. Simile 24. q. 1, subdiaconus; et 11. q. 1, statuimus; ff. de iureiuran., si duo patroni; C. de liber. caus., iubemus.

Executio facienda
Ille enim iudex in cuius diocesi est res in qua fieri debet executio, debet sententiam mandare executioni. Et sic ille episcopus cui subest illa ecclesia istius clerici, privabit illum per sententiam ab alio episcopo latam, arg. ff. de re iud., a divo Pio § in criminibus. Si crimen magnum est, ille iudex exequatur sententiam, ubi delictum est perpetratum, infra, de rapt., de illis; et ff. de re milit., desertorem, in princ.; et in Auth. ut nulli iudic. lic. hab. § si vero quis comprehensorum, coll. 9.

X 2.02.15 *Ex parte*

Dotalitii
Id est, donationis propter nuptias. Mulier enim dicitur dotem dare viro, vir autem dicitur dare uxori donationem propter nuptias, infra, de don. int. vir. et uxor., nuper, in fi.

Complices
Nota quod tenetur quis hoc interdicto sive quis fecit, sive complices eius ipsius mandato, sive etiam ratum habuerit, infra, de restit. spol., cum ad sedem; et ff. de vi et de vi arm.,

cum a te; et ff. de vi et de vi arm., quod est § cum procurator. Quia facientes et consentientes pari poena puniuntur, supra, de offi. deleg., quia quaesitum; et 2. q. 1, notum, in fi. Et tenentur etiam alia ratione, si rem illam scienter recepit a deiectore, infra, de restit. spol., saepe; et supra, de iudic., quia V.

Andegavensi

Potest enim quis habere domicilium in diversis locis, ff. ad municip., assumptio § iuris prudentibus; et ff. ad municip., filii § senatores; et ff. de senat., senatores. Verumtamen sola possessio domus quae comparatur in alia civitate, non facit domicilium, ff. ad municip., libertus § sola domus. Nisi eam inhabitaverit, unde dicit infra in qua interdum consueverat habitare. Sed desinit esse municeps adeptus senatoriam dignitatem, ff. ad municip., municeps. Sed hoc verum est quantum ad munera, non quantum ad dignitatem, ut ibi dicit.

In eadem est diocesi

Id est, Andegavensi. Hoc enim sufficeret solum si coram ordinario Andegavensi. Quomodo ista mota fuisset, quia ratione rei de qua quis convenitur, sortitur quis forum, supra, de for. compet., sane; et infra, de for. compet., licet ratione; et C. ubi in rem act., actor. Etiam si res sit mobilis, ff. de iud., quod legatur. Et de hoc dicitur infra, de for. compet., licet ratione.

Exceptionibus aliis

Scilicet quod castrum illud assignatum non fuit ipsi in donationem propter nuptias a viro. Item et alia quod dominus feudi non fuit requisitus antequam litteras impetraret. Istae exceptiones locum non habent in possessorio, sed in petitorio locum habent, ut hic dicit. Et sic videtur quod litterae impetratae contra laicum non valeant, nisi primo iudex saecularis fuerit requisitus et negligens, sive fuerit dominus feudi sive alius iudex, nisi de hoc in litteris fiat mentio, cum haec exceptio in petitorio locum videatur habere. Unde signatur contrarium supra, de for. compet., ex tenore; et supra, de for. compet., licet ex suscepto; et supra, de for. compet., ex transmissa; et supra, de iudic., caeterum, ubi expresse videtur quod non sit necesse de hoc facere mentionem. Sed sufficit quod supersedeat litteris, dummodo dominus feudi vel alius saecularis velit et paratus sit iustitiam exhibere. Et postquam constiterit de negligentia, procedant alii. Sic ergo intellige quod hic dicit, quae potius in petitorio locum habere videntur, ut scilicet non procedat delegatus per litteras impetratas super proprietatis iudicio, si dominus feudi vel etiam alius saecularis paratus sit iustitiam exhibere. Et ita litterae ab initio suspensae manent. Postquam vero apparuerit de negligentia iudicis saecularis sive domini feudi, ex tunc incipiunt habere effectum, sed ex toto non eliduntur secundum quod hic iste nobilis intendebat. De hoc dictum est supra, de offi. deleg., significantibus. Item est arg. ex hac decretali quod causa viduarum pertinet ad ecclesiam, quia hic dominus Papa audit viduam istam non obstantibus exceptionibus praedictis. Dic de hoc ut dixi supra, de for. compet., ex tenore. Item haec exceptio, quod castum non fuerit in donationem propter nuptias assignatum. Merito debuit reprobari, quia erat quaestio principalis, si regina ageret de proprietate, unde non debebat proponi in modum exceptionis. Hoc enim debebat probare regina, si principaliter ageret petitorio iudicio. Et illud scias quod venit in principali quaestione, non debet proponi in exceptione dilatoria, quia talis exceptio non

impedit litis contestationem, ut hoc traditur in quadam decretali Inno. iiii in concilio Lugdunensi infra, de litis contest., extravag. exceptionis peremptoriae, nisi in casibus ibidem contentis, quia exceptio est actionis exclusio, ut peremptoria, ff. de exception., exceptio dicta, sive iudicis sive actoris repulsio, sicut sunt dilatoriae, infra, de except., pastoralis; et infra, de appell., secundo. Sed quare appellatur mulier ista in principio, et hic regina, cum rex qui fuit maritus ipsius mortuus sit? Potest et debet sic appellari, quousque nupta fuerit viro inferioris dignitatis, ff. de senat., feminae; et C. de nupt., cum te; et ff. ad municip., filii § vidua.

X 2.02.16 *Conquestus est*

Pleno iure
Id est, quo ad spiritualem et temporalem iurisdictionem.

Quasi possessione
Hoc ideo dicit, quia iurisdictio et omnia iura incorporalia et servitutes non possidentur, sed quasi possidentur. Sic infra, de caus. poss. et propr., cum ecclesia. Et habes hoc ff. de usucap., sequitur § si viam. Quia incorporalia corporaliter apprehendi non possunt. Possessio vero corporalis dicta est quasi pedum positio, ff. de acq. poss., possessio appellata. Ber.

Invasores ipsarum rerum
Sic patet quod invasores rerum ecclesiasticarum tamquam sacrilegi sunt usque ad satisfactionem excommunicandi. Quicquid enim datum est ecclesiae pro remedio peccatorum, ad humanos usus non debet amplius applicari, ut hic dicit, et infra, de rerum perm., iniustum. Sic 12. q. 2, nulli liceat; 12. q. 2, quicumque; 12. q. 2, praedia; et 12. q. 2, qui abstulerit; et 12. q. 2, qui Christi. De illis capituli hic fit mentio, et de hoc quod dictum est supra, de for. compet., cum sit. Istos invasores potest ecclesia sub quo maluerit iudice convenire, ut supra, de for. compet., cum sit. Et isti non sunt excommunicati ipso iure, sed sunt excommunicandi quousque satisfecerint tam de iniuriis quam de damnis, ut hic patet. Immo iniuriam ecclesiae factum praelatus remittere non potest, 23. q. 4, si is qui; et 63. dist., Salonitanae.

X 2.02.17 *Dilecti filii*

Contra
Licet proprium nomen antecessoris sit expressum, ad successorem tamen extenditur rescriptum. Et hoc ideo quia nomine ecclesiae et pro ipsius ecclesiae utilitate mutuum contractum hic fuit. Et ideo successor convenitur per rescriptum impetratum contra antecessorem, nec obstat expressio nominis, quia una persona intelligitur. De hoc nota supra, de rescript., significavit.

Qui se certo loco
Qui certo loco solvere promittit et non solvit, tenetur adversario ad interesse pro eo quod non solvit loco promisso, si sua interest quod ibi non fuit satisfactum, ff. de eo quod cert. loc. dar. op., arbitraria. De hoc dictum est supra, de offi. deleg., P et G. Per hoc enim

quod certo loco solvere promisit, renunciasse intelligitur indulgentiae concessae Anglicis. Quod facere potuit, cum tantum in favorem cuiuslibet et singulariter concessa fuerit, cum non sit tale privilegium, quod sit publicum utilitate et auctoritate. Unde quilibet ei iuri quatenus tangit personam suam, potest renunicare, C. de pacti., si quis in conscribendo; infra, de regular., ad Apostolicam. De hac materia dictum est satis supra, de for. compet., si diligenti.

Ubi domicilium

Et sic duobus locis poterat conveniri, scilicet ubi promisit et ubi habet domicilium, infra, de for. compet., licet ratione; et supra, de for. compet., ex parte. Sic est in electione creditoris, ubi malit ipsum convenire. Simile supra, de for. compet., cum sit.

Cum iustis et moderatis expensis

Expensae istae moderatae debent esse, infra, de sequestra., ad hoc; infra, de dolo et contu., finem; et infra, de dolo et contu., cum dilecti; et infra, ut lite non cont., quoniam § in aliis. Et non superfluae sive delictae, ff. de pigner. act., si servos, in fi.; et ff. de damn. infect., inter quos § ulti.; et ff. de damn. infect., ex damni infecti. De hac materia dicitur infra, de dolo et contu., finem; et infra, de dolo et contu., cum dilecti. Et damna quae sustinuit, reficere debet, infra, de fideiuss., pervenit. Sed qualiter probabuntur expensae et damna illata propter hoc? Expensae probabuntur per iuramentum illius qui eas fecit praemissa taxatione a iudice, sicut hic bene probatur, C. de iud., sancimus; et supra, de procurat., constitutis; et supra, de his quae vi met. caus. fi., super eo; et C. und. vi, si quando; et 2. q. 1, in primis, ubi statur iuramento praemissa taxatione, licet illa loquatur in alio casu. De damnis sive interesse dic quod debent probari per testes, Inst. de ver. oblig. § non solum. Et ideo utile esset certam summam adiicere, quia difficile est probare interesse, ff. de praet. stipul., in eiusmodi § non solum. Et iudex hoc interesse inquirere debet per suam subtilitatem, C. de sent. quae pro eo quod int., cum pro eo. Et ita hoc est notatu dignum, quod expensae et damnum datum per dolum sive per violentiam vel rapinam, postquam constiterit de violentia per testes probatur per iuramentum, ut dicunt iura praedicta supra, de his quae vi met. caus. fi., super eo; et C. und. vi, si quando; et 2. q. 1, in primis; et C. de iud., sancimus. Interesse vero aliunde veniens per testes probandum est.

X 2.02.18 *Significasti*

Privatorum consensus

Ut C. de iuris., privatorum; et C. de iuris., non quidem. Dum tamen ex certa scientia et non per errorem, ff. de iud., si se subiiciant; et ff. de iud., non videtur; ff. de iuris., si per errorem.

Clerici tamen in iudicem non suum

Hic expresse patet quod clericus in non suum iudicem etiam ecclesiasticum sine consensu expresso sui episcopi consentire non potest. Sic 3. q. 6, non liceat; et 9. q. 2, nullus alterius; et 9. q. 2, placuit. Quod si fecerit, sententia non tenet, ut in proximis capitulis 9. q. 2, nullus alterius; et 9. q. 2, placuit; et 6. q. 3, denique. Sed numquid clerici qui consentiunt in iudicem ecclesiasticum non suum cadunt propterea a iure suo, sicut cum

trahunt vel trahuntur ad saeculare iudicium, supra, de for. compet., si diligenti; et 11. q. 1, inolita; et 11. q. 1, placuit? Non credo quod in casu isto debet perdere causam, licet sententia lata sit pro ipso vel contra ipsum. Quia non tantum deliquit quantum cum iudicem laicum sibi constituit, nisi velis dicere quod in odium ipsius, episcopus habeat eam ratam qui eum dimisit sine cuius licentia hoc facere non potuit. Et hanc ignominiam vel contumeliam irrogavit, ff. de recepti., litigatores; C. de iureiuran., si quis. Alias punietur prout dicitur 3. q. 6, non liceat. Clericus enim non potest venire contra sententiam, quia videtur habere tacitum pactum in se ne ulterius petat, sicut acceptilatio inutilis, ff. de pacti., si unus § penulti.; ff. de accep., si acceptolatum. Episcopus vero si vult, potest talem sententiam ratam habere, arg. supra, de renunciat., quod in dubiis. Sed contra hoc quod hic dicit, videtur contra 3. q. 6, pulsatus, ubi videtur dari optio clerico pulsato coram non suo iudice an velit ibi respondere vel non. Ibi dicit: pulsatus si voluerit taceat. Sed ibi non habet locum. Arg. a contrario sensu cum alia iura contradicant, 3. q. 6, non liceat, et hic. Et ita tollitur hoc arg. a contrario sensu. Vel intellige illud capitulum 3. q. 6, pulsatus, cum iste habet consensum episcopi, quia et tunc adhuc habet optionem nec potest compelli. Sed numquid potest clericus consentire in laicum iudicem de consensu episcopi? Videtur quod sic, 11. q. 1, clericum nullus. Ibi dicit: nullus praesumat clericum apud saecularem iudicem episcopo non permittente pulsare, ergo de consensu episcopi videtur quod possit. Sed non credo, quia nec consensus episcopi sufficit. Hic supple in capitulo 11. q. 1, clericum nullus, maxime, quia nec de consensu episcopi potest. Sicut enim clericus huic privilegio quod introductum est in favorem totius ordinis clericalis, renunciare non potest. Ita nec episcopus potest huic privilegio renunciare vel consentire, ut clerici hoc possint, nec potest eos compellere ad hoc, cum eadem ratio sit hinc inde, quia episcopus privilegium clericorum minuere non potest, sicut nec posset facere quod aliquis clericus verberaretur sine sententia excommunicationis. Arg. infra, de sent. excom., contingit 1. De hac materia dictum est satis supra, de for. compet., si diligenti. Ber.

X 2.02.19 *Proposuisti*

Citatus

Sic ff. de iud., si quis postea, unde haec sumpta est; et ff. de iud., ubi coeptum est; ff. de iuris., cum quaedam. Sic ergo patet quod per solam citationem perpetuatur iurisdictio tam ordinarii quam delegati, ut hic et in praedictis iuribus, ut supra, de offi. deleg., gratum; et supra, de offi. deleg., licet; et supra, de offi. legat., nemini. Et per solam citationem seu conventionem praevenitur iurisdictio, infra, de appell., ut debitus; et supra, de rescript., capitulum, in quibus habes quod qui primo litteras praesentavit facta citatione, obtinere debet iudices suos, non obstante quod alter prius litteras impetravit, qui litteras suas non praesentavit. Qui ergo convenitur coram aliquo iudice competenti, necesse habet usque ad finem persistere, etiam si mutaverit forum, quia praeventus est per hanc conventionem, ut hic dicit, et patet hoc per iura praedicta.

X 2.02.20 *Licet ratione*

X 2.02.20 Licet ratione (rev. 9/23)

Ratione delicti

Nota quod ratione delicti efficitur quis de iurisdictione alterius. Sic infra, de rapt., de illis; et 3. q. 6, ibi semper; et 2. q. 1, si peccaverit; et 6. q. 3, placuit; et C. ubi de crim. agi oport., authen. qua in provincia; et C. ubi sen. vel clar., quicumque; et supra, de for. compet., postulasti; et ff. de accusation., alterius; et ff. de accusation., si cui § idem imperator. Et ita delictum dat iurisdictionem ei qui alias eam non habet. Item delictum tollit privilegium, ut in praedicta authentica C. ubi de crim. agi oport., authen. qua in provincia; et 11. q. 3, privilegium. Quid iuris sit de privilegiatis dicitur infra, de privileg., tuarum. Et pro delicto convenitur quis ubi domicilium habet vel ubi invenitur, C. ubi de crim. agi oport., quaestiones. Et si crimen grave sit, remittitur puniendus ad iudicem ubi deliquit, in Auth. ut nulli iudic. lic. hab. § si quis vero comprehensorum, coll. 9; et ff. de re milit., desertorem; et ff. de cust. reo., solent.

Seu contractus

Hoc nomen contractus largissime sumitur, sive sit verus contractus vel quasi contractus vel aliud unde obligatio oritur, ff. de iud., heres absens § 1; et ff. de iud., omnem obligationem; et ff. de iud., interdum § ulti. Et hoc intellige sive inveniatur sive non. Debet enim illuc remitti sicut in criminibus dicitur, cum in hoc parificentur, in Auth. ut omn. obed. iud. § haec considerantes, coll. 5, in 2. colum. In delictis enim hoc servatur, in Auth. ut nulli iudic. lic. hab. § si vero quis comprehensorum, coll. 9; et in Auth. ut nulli iudic. lic. hab. § et hoc vero iubemus, coll. 9. Quidam tamen dicunt illum esse conveniendum, si ibi inveniatur ubi contraxit per legem ff. de iud., heres absens, in princ. Item ubi quis solvere promisit, potest conveniri, supra, de offi. deleg., P et G; et supra, de for. compet., dilecti. Quod dicit littera ista ratione contractus, intellige secundum quod traditur expresse in quadam decretali Inno. iiii infra, de for. compet., extravag. Romana § contrahentes.

Aut domicilii

Ratione domicilii sortitur quis forum, et ibi potest conveniri, supra, de for. compet., dilecti; et ff. de iud., heres absens § proinde. Et potest quis habere domicilium in pluribus locis, supra, de for. compet., ex parte; et ff. ad municip., assumptio § iuris prudentibus. De hoc dictum est supra, de rescript., dilectus filius 2.

Contra possessorem

Ratione possessionis de qua quis convenitus, sortitur quis forum et coram illo iudice conveniri debet in cuius iurisdictione res est, supra, de for. compet., sane. Et etiam ubi habet domicilium, et C. ubi in rem act., actor; et supra, de for. compet., ex parte. Etiam si res sit mobilis. Arg. C. ubi in rem act., actor; et ff. de iud., quod legatur § sin autem. Quidam tamen dicunt hoc habere locum tantum in rebus immobilibus.

Compelli potuit

Cum dominus Papa sit iudex ordinarius singulorum, nullum fori privilegium poterat allegare, 9. q. 3, cuncta. Et Roma communis patria est omnium, ff. ad municip., Roma. Ergo nullus declinare potest forum eius, unde ille compellitur ibi suis adversariis respondere. Nec ius revocandi domum haberet, nisi pro alia iusta causa et necessaria venisset, ut dicit littera ista, puta si fuisset vocatus a principe pro publica utilitate, in

Auth. de sanct. episc. § si vero episcopi, coll. 9. Item clerici legati non tenentur respondere, nisi tunc ibi contraxissent vel si in delegatione deliquissent vel rem aliquam emissent. Nam tunc respondere tenebuntur. Alias daretur eis occasio res alienas deferendi domum, ff. de iud., non alias, 1. resp.; et ff. de iud., si legationis. Item qui causa dicendi testimonium ibidem vocatus est, vel qui iudicandi causa ibi accersiti sunt, vel qui causa exercendae appellationis illuc venerunt, vel causa reddendae tutelae istae personae habent ius revocandi domum, si non ibi contraxerunt ubi conveniuntur. Et hoc totum dicitur ff. de iud., consensisse § legatis; et ff. de iud., consensisse § omnes. Sed legati non tenentur respondere nisi de his tantum quae tempore legationis suae contraxerunt, ut ibi dicitur. Item si legati agant, tunc tenentur se defendere si reconveniantur, nisi agant pro iniuria sibi illata, ut eadem lege ff. de iud., consensisse § sed si agant. Si quis allegaverit talem causam, non compellitur respondere, ut hic patet, et hoc expressum infra, de dilat., exposuit, ubi qui vocatur a principe pro utilitate Romanae ecclesiae, habet ius revocandi domum.

X 2.03 DE LIBELLI OBLATIONE

X 2.03.01 *Ignarus*

Libellum reclamationis

Nota quod duplex est libellus. Est autem libellus conventionalis seu postulationis, qui datur in civilibus quaestionibus, infra, de libel. oblat., dilecti, de quo hic intelligitur. Et est libellus accusationis qui datur in criminalibus actionibus, ut 2. q. 8, descripta § libellorum; et infra, de accusat., per totum; et 2. q. 1, legum. Est ergo libellus scriptura in qua continetur res quae petitur, et causa petendi, et nomen actoris et rei, et coram quo iudice, ut infra, de libel. oblat., per totum. Et sic patet quod semper offerendus est libellus iudici et per ipsum reo, ut ipse reus possit deliberare, ut 3. q. 3, induciae § offeratur. Et in scriptis debet dari, ut hic patet, et C. de lit. contest., authen. offeratur; et infra, de probat., quoniam. Et in principio litis per praedictam authenticam C. de lit. contest., authen. offeratur. Nota tamen arg. contra 11. q. 1, si quis cum clerico. Sed illud obtinet in modicis et vilibus causis, ubi scriptura non requiritur. Item contra infra, de dolo et contu., prout. Et illud intelligo quod libellus antea datus fuerat. Et per talem libellum sic oblatum iudici et postea reo, actio annalis perpetuatur, C. quan. lib. princ. dat., temporales. Et rem litigiosam facit subsecuta per executorem conventione, ut C. de litig., authen. litiogiosa. Et interrumpit praescriptionem, C. de praescri. trig. vel quad. ann., sicut. Sed numquid libelli oblatio est de substantia ordinis iudiciarii? Videtur quod sic, quia concilium istos fratres noluit audire nisi primo libellum scriberent, et optimum arg. infra, de probat., quoniam. Et per libellum apparet de modo agendi secundum quem semper debet formari sententia, infra, de simon., licet Heli; infra, de accusat., qualiter et quando 1; et per authenticam praedictam C. de lit. contest., authen. offeratur. Optime videtur probari, ubi dicit: litis autem contestatio contra hoc indultum habita pro nihilo est. Et sic videtur quod sit de substantia, sicut et litis contestatio, infra, de litis contest., olim; et supra, de elect., dudum ecclesia. Dicunt tamen quidam quod non est de substantia iudiciarii ordinis oblatio libelli. Et sic potest omitti tacite, sicut consuevit dici de iuramento calumniae. Alii contra quod non valet quicquid factum est, et hoc per iura praedicta, nisi sit vilis causa, ut dictum est, quod melius videtur iure canonico. Ista enim

principalia sunt, libellus qui est principium et fundamentum causae, litis contestatio et quod sententia feratur in scriptis.

X 2.03.02 *Significantibus*

Significantibus

Nota ad intelligentiam istius capituli et sequentis et eorum quae circa hanc materiam dicuntur. Aut enim convenitur quis actione reali, puta rei vendicatione, ut hic. Et tunc exprimenda est res quae petitur, ut utrum petatur tota aut pars, ut peto talem fundum, ff. de rei vend., si in rem. Alias enim reus deliberare non posset, ut hic dicit. Nec iudex sententiam ferre debet super incerto, arg. Inst. de action. § curare; et 33. dist., habuisse; et 11. q. 3, grave. Item duos proximos vicinos illius fundi ad minus designare debet, ff. de censi., forma censualis. Quia generalitas parit obscuritatem, ff. de iure fisc., ita fidei. Arg. contra ff. de rei vend., quae de tota § incerta; et ff. comm. divid., et si non omnes § si incertum. Sed contraria ista specialia sunt circa defalcationem legatorum. Et licet in casu isto debeat quis specificare rem et ipsam designare, ut est dictum. Causam tamen exprimere non debetur in libello. Causa enim expressa est eo ipso quod proponit rei vendicationem. Causa enim non est alia nisi ipsum dominium, cum dicit rem ad se pertinere iure dominii vel quasi, ff. de excepti. rei iud., si mater § eandem; et ff. de excepti. rei iud., si mater § 1; et ff. de excepti. rei iud., si mater § 2; et melius in lege ff. de excepti. rei iud., et an eadem § actiones. Item et hoc nota, cum agitur rei vendicatione quod si aliquis subiiciat unam causam in libello et succumbat, potest adhuc eandem rem petere ex alia causa, non obstante exceptione rei iudicatae, ff. de excepti. rei iud., si mater § 1; et ff. de excepti. rei iud., si mater § 2; et ff. de excepti. rei iud., et an eadem; et C. de pet. hered., hereditas; ff. ad exhib., de eo § saepius; et supra, de iudic., examinata. Idem est in possessorio, infra, de dona., inter dilectos. Et hoc tutius est actori. Arg. contra ff. de iureiuran., duobus § colonus, ubi dicitur quod qui proponit unam actionem, non potest aliam proponere pro eadem re. Sed illud est, quia illae actiones surgunt ex eadem causa. Si vero nullam causam expressit, tunc totum ius suum in iudicium deduxisse videtur, unde obstabit ei exceptio rei iudicatae, si absolvitur reus, quia actor non probavit, ff. de excepti. rei iud., et an eadem § actiones; et infra, de caus. poss. et propr., cum ecclesia. Item si fuit absolutus reus, quia ipse non possidebat, si postea incipiat possidere, non obstat exceptio iterum petenti, ff. de excepti. rei iud., si a te, 1. resp.; et ff. de excepti. rei iud., si rem meam; et infra, de except., venerabilem. Si autem agatur personali actione, ut si petas decem dari tibi, causa petendi exprimenda est in libello, aliter enim non tenetur respondere, infra, de libel. oblat., dilecti; et C. de edict. div. Had. toll., edicto; et infra, de censib., pervenit. Quia causa semper praecedere debet ex qua aliquid debetur, ff. quan. dies leg. vel fid. ced., huiusmodi legatum. Et si absolvitur reus, non obstat exceptio si idem postea petatur ex alia causa, ff. de excepti. rei iud., et an eadem § actiones; et infra, de caus. poss. et propr., in causa. Et idem est quantum ad hoc, quod in rei vendicatione assignata enim una causa petendi in libello, sive actio sit personalis sive realis, non obstat rei iudicatae exceptio. Si agat ex alia causa, ut dicunt iura praedicta, in universalibus iudiciis non est necesse exprimere sive designare singulas res, sed sufficit dicere: peto talem hereditatem, quia sum heres, ff. de pet. hered., si hereditatem; et ff. de pet. hered., si quo tempore; ff. si pars haer. pet., post actionem § ulti. Et sic potest sententia proferri, condemno te ut restituas hereditatem quae fuit talis. Item peto ecclesiam cum pertinentiis

suis, infra, de restit. spol., cum ad sedem; et infra, de probat., licet; et infra, de dona., inter dilectos. In generalibus vero iudiciis, scilicet tutelis, negotiis gestis pro socio et consimilibus, sufficit exprimere causam vel factum sic: peto rationem de administratione quam gessisti. Nec exigitur expressio aliquarum rerum, C. de iud., licet. Item nota quod libellus potest mutari et emendari et corrigi sicut placet usque ad litis contestationem, 2. q. 8, libellorum; et C. de edend., edita. Et post litis contestationem non potest mutari nec aliquid addere vel minuere, ff. de iud., non potest; et ff. de excepti. rei iud., egi; et ff. de excepti. rei iud., cum quaeritur. Et sic nova interpellatione opus est, ut dicit lex illa ff. de iud., non potest. Et sic mutaverit actionem vel addiderit, habere debet novas inducias ad deliberandum, nisi ex primo libello potuit esse instructus, et hoc licet sine praeiudicio adversarii, ut scilicet ei teneatur ad interesse totiens variando, ff. de interrog. act., de aetate § ulti. Arg. ff. de edend., ubi § is autem; et ff. de iud., eum quem temere. Propter levem et minimam additionem non debet habere novas inducias, infra, de dilat., litterae. Illud praeterea scias, quod si reus sit iam conventus edita sibi actione per iudicem vel executorem reo postulante necesse habet perficere litem actor, C. quom. et quan. iud. sent. prof., authen. qui semel. Si vero non sit reus praedicto modo conventus, licitum est ei desistere, quia nemo invitus agere compellitur, C. ut nemo invit. age. vel acc. cog., invitus. Quod autem dictum est quod actio potest mutari, hoc locum habet in his in quibus una non tollitur per electionem alterius. Sed si una tollitur per electionem alterius, tunc non potest mutari, quod obtinet in casibus, scilicet in sequentibus concordantiis, C. de furti. et serv. cor., si pecunia; et C. si serv. se em. mand., si extero; et C. de codicil., si quis; et ff. de trib. act., quod in herede § eligere; et C. de pac. inter emp. et ven., commissoriae; ff. de leg. 2, cum filius § variis. Et quod dixi quod actio potest mutari, non intelligas quod ab ea in totum recedit possit, sed necesse habet accusator eam cum nova actione usque ad finem perducere, C. quom. et quan. iud. sent. prof., authen. qui semel. Sic intelligunt doctores legum illam authenticam.

X 2.03.03 *Dilecti filii*

Conventionali
Quid sit libellus conventionalis, dictum est supra, de libel. oblat., ignarus.

Quare sibi
Hic manifeste patet, quod in personali actione tenetur quis exprimere causam petitionis. De hoc dictum est supra, de libel. oblat., significantibus.

X 2.04 DE MUTUIS PETITIONIBUS

X 2.04.01 *Ex litteris*

Respondere
Nota qualiter debeat fieri reconventio coram iudice delegato prout hic satis colligitur. Proposita enim petitione actoris reus actorem si vult reconvenire ante litis contestationem suam porrigat ei petitionem, et ita deliberatione super utraque petitione hinc inde habita debet fieri contestatione litis super petitione actoris primo, et incontinenti super petitione rei respondere debet actor, et postmodum iudex vicissim audiat utramque causam, et una

sententia terminare debet causas, ut hoc totum patet hic, et infra, de ord. cognit., cum dilectus. Et si actor nollet reo respondere, iudex debet ei iustitiam denegare nec audire ipsum super causa sua, ut infra, de iuram. calumn., imperatorum; et infra, de iuram. calumn., cum in causa § poena; et ff. de procur., mutus § poena; et C. de compensat., neque scriptura; et ff. de var. et extraord. cog., praeses § ulti., in fi. Et si iudex hoc negligeret et procederet in proposita quaestione, non tenet factum eius, vel est potius appellandum ab ipso, ff. quae sent. sine appel., illud § ulti., in fi. Si vero reus differat suam petitionem porrigere post litis contestationem, non videtur quod sit audiendus, C. de sent. et interloc. om. iud., authen. et consequenter, ubi dicitur: et consequenter pulsatus ab aliquo, si vicissim ipsum lite pulsare velim, statim quidem hoc non licet nisi apud eundem iudicem. Et sic videtur quod statim debeat ipsum reconvenire. Et idem videtur expressum in authenticorum corpore, in Auth. de executor. et qui conven. § sancimus, coll. 7, ubi dicitur si reus vult reconvenire actorem, mox ab initio apud eundem iudicem reconveniat ipsum, sed non apud alium nisi lite finita poterit illum convenire. Et quidam domini legum intelligunt istud statim usque ad sententiam, quidam tamen usque ad aperturam testium. Hodie ista diversitas determinatur per decretalem Inno. iiii in concilio Lugdunensi supra, de rescript., extravag. dispendia § reus quoque, ubi dicitur expresse quod reus potest actorem suum reconvenire coram eodem iudice durante iudicio. Et si tunc coram alio ipsum traheret, processus nullus esset, et in expensis condemnabitur. Et quod dicit, durante iudicio, intelligo quousque renunciatum est et conclusum in causa, quia tunc tantum dicitur iudicium, dum negotium discutitur, infra, de verb. sign., forus, arg. ad hoc, C. de compensat., compensationes. Item est arg. ex hoc loco quod frustra petit debitum qui quod debet non impendit, 3. q. 8, cuius in agendo; et 32. q. 6, nil iniquius; 95. dist., esto subiectus; et infra, de iureiur., pervenit 2; et infra, de usur., quia frustra. Et eadem lege convenitur quis qua ius sibi tribui postulat, C. de rei vend., ratas; et in Auth. de sanct. episc. § reverendissimi, coll. 9; et infra, de appell., an sit. Arg. contra 23. q. 5, non vos; et 16. q. 7, si quis deinceps; et 23. dist., in nomine Domini, circa fi.; et infra, de haeret., excommunicamus itaque § credentes; et C. de compensat., compensationes. Sed istud ultimum est speciale in deposito.

Actione
Id est, petitione, quia secundum canones nemo tenetur proponere actionem. De hoc dictum est supra, de iudic., dilecti.

Responsione facta
Hic patet qualiter litis contestatio fiat, de qua dicetur infra, de litis contest., olim. Ber.

Incontinenti
Istud incontinenti intelligendum est nullo actu medio interposito. Et est simile illi mox, quod habes supra, de elect., quia propter, ubi habes multas interpretationes de huiusmodi dictionibus. Istud incontinenti intellige durante iudicio, ut dicitur in prima notula, in fi.

Super suis quaestionibus
Idem est si actor ageret possessorio, et reus vellet renconvenire actorem super alia spolitatione. Secus si actor ageret possessorio, et reus vellet convenire eum petitorio, quia quaestio spoliationis privilegiata est, ut primo expediatur, infra, de ord. cognit.,

super spoliatione. Sed si prima sit petitoria, reus super spoliatione bene potest revonvenire actorem in modum actionis, infra, de ord. cognit., cum dilectus. Sic nota quod per reconventionem fit iudex, qui alias iurisdictionem non habet in reconventionem quantum ad illam causam reconventionis, sive sit ordinarius sive delegatus, cum causa reconventionis delegato non est commissa, ut hic habes, et supra, de offi. deleg., prudentiam, in fi. Et iudex laicus ordinarius habet iurisdictionem per reconventionem, puta cum clericus convenit laicum coram laico iudice. Tunc clericus tenetur respondere laico coram eodem iudice, nisi sit causa quae coram iudice ecclesiastico sit tractanda, de quibus dictum est supra, de for. compet., ex tenore; et supra, de for. compet., licet ex suscepto. Neque in criminibus locum habet reconventio. De hoc dixi supra, de iudic., at si clerici.

Concordia

Est hic arg. quod iudex primo si potest debet partes reducere ad concordiam. Arg. ad idem 5. q. 2, si primates, ubi de hoc; et 23. q. 8, si quis membrorum. Et est simile ff. de usufru., aequissimum; et infra, de simon., querelam; et supra, de transact., ex parte, ubi de hoc. Ber.

X 2.04.02 *Prudentiam*

Eadem sit conditio

Quia in iudiciis non debet esse personarum acceptio, supra, de iudic., novit; et 4. q. 4, placuit. Et non debet actori licere quod reo non permittitur, ff. de regul. iur., non debet. Et ita si remota est appellatio quo ad agentem et eodem modo quo ad reconvenientem, quia eodem iure quod quis in alterum statuit, ipso debet uti, ff. quod quisque iur., hoc edictum; ff. quod quisque iur., hoc edicto; et ff. quod quisque iur., si quis; et supra, de consti., cum omnes. Et hodie non videtur habere locum quod dicitur de appellatione, quia ipso iure remota est appellatio in qualibet quaestione, infra, de appell., ut debitus; et infra, de appell., pastoralis, in principio.

Eodem modo

Id est, secundum eandem formam qua procedit iudex in principali et in reconventione. Et parem potestatem habet iudex quo ad omnia in utraque quaestione. Et sic est arg. quod iudex eandem habet auctoritatem in prorogata iurisdictione sicut et in delegata. De hoc dictum est supra, de offi. deleg., P et G. Remotio enim appellationis repetita intelligitur in reconventione. Simile 32. q. 7, apostolus. Sicut cum aliquid relinquitur ab herede intelligitur repetitum et a substituto, C. ad Trebel., non iustam; et ff. de leg. 2, debitor § 1; et ff. de ver. oblig., Titia § 1. Sed pone quod actor super una re tantum litteras impetravit, numquid reus potest illum convenire super pluribus? Videtur quod non, arg. ff. de iuris., si idem § quid et si, et arg. huius litterae. Sed contra credo, arg. supra, de mut. petit., ex litteris, ibi: suis quaestionibus. Item retenta hac eadem positione reus reconvenit actorem super pluribus vel super uno tantum, et sic actor efficitur. Numquid actor quasi reus reconveniens potest agere contra reum super alia re, quae in litteris expressa non fuit, arg. ff. de exception., exceptio dicta § illud? Non credo quod hoc possit, quia reconventio non intelligitur nisi quantum ad illum qui primo convenitur. Item arg. contra C. de legi. et const., quod favore. Non est contra, quia illud intelligitur cum princeps suo motu in

favorem aliquod ius concedit, puta minoribus vel ecclesiis. Quod dicit hic intelligitur quando aliquis impetravit illud ius. Et Papa ad instantiam petentis illud concessit, unde ipse debet uti eodem, ff. quod quisque iur., hoc edictum; et supra, de consti., cum omnes. Sed hodie ut dixit, ius commune est quantum ad omnes, infra, de appell., ut debitus.

X 2.05 DE LITIS CONTESTATIONE

X 2.05.01 *Olim*

Responsiones

Sic supra, de elect., dudum ecclesia. Sed videtur quod istud sufficeret, quia positiones super ipso facto fiunt, unde satis intelligitur litis contestatio fieri per positiones et responsiones. Sed non est verum, quia litis contestatio est exordium litis, sive principium causae appellatur, supra, de offi. deleg., super quaestionum § 1; et supra, de offi. deleg., super quaestionum § 2. Et res deducta in iudicium non videtur per simplicem petitionem vel per editionem actionis, C. de lit. contest., res. Et ubi principium deest, nihil superaedificari potest, 1. q. 1, cum Paulus; et infra, de presb. non bapt., veniens. Et cuiusque rei principium potissima pars est, ff. de orig. iuris, facturus. Et licet contestatio litis sit principium, tamen necesse est libellum praecedere vel porrigere super quo litis contestatio fiat, ut dictum est supra, de libel. oblat., ignarus. Est autem litis contestatio negotii principalis hinc inde apud iudicem facta narratio et subsecuta responsio, ut hic, sive negando sive confitendo. De hoc notatur supra, de elect., dudum ecclesia, quod est ita intelligendum, ut fiat animo procedendi in causa et ea intentione directe ex proposito. Unde si aliquis proponat factum coram iudice non ea mente ut litem contestetur, vel respondeat salvo iure suo et sine praeiudicio, non erit propterea litis contestatio facta. Cum hoc fiat non ad iudicis interrogationem, sed motu proprio. Litis contestatio fieri debet interrogante iudice, actore proponente suam actionem, et reo respondente ad interrogationem iudicis, ut mos est fieri, arg. C. de lit. contest., res, in fi.; infra, de dolo et contu., prout. Sic patet quod non erat facta litis contestatio, cum factum proponitur cum protestatione et sine praeiudicio, arg. optimum ff. quib. mod. pig. vel hyp. sol., si debitor § si in venditione. Et arg. supra, de elect., Cumana, ubi dicitur de protestatione. Ubi ergo litis contestatio non procedit, nil valet quod agitur, ut hic, et infra, ut lite non cont., per totum. Et potest ratio assignari quare per positiones et responsiones ad eas non fit litis contestatio. Qui enim ponit aliquod dictum vel factum, nihil petit ab adversario. Nec etiam ostendit se per hoc velle agere. Et ita non posset per hoc fieri sententia condemnationis vel absolutionis, cum nil petitum sit per positionem, sed ostenditur aliquid esse factum vel dictum seu promissum. Et sententia semper ferenda est secundum modum agendi, infra, de accusat., qualiter et quando 1, ad fi.; et infra, de simon., licet Heli. Et condemnatio non est facienda nisi ad hoc sit actum, infra, de ord. cognit., cum dilectus, ad fi. Et hoc etiam probatur, quia interrogationes et responsiones aliquando fiunt ante litis contestationem, ff. de interrog. act., quasi per totum. De quibus quidem notatur infra, de iuram. calumn., cum causam, in glossa quae incipit: omnia quae. Et per illas interrogationes et responsiones nulla fieret condemnatio vel absolutio, nisi fieret postea litis contestatio super petitione actoris. Et ita patet quod ubi fiunt tantum positiones et responsiones nulla petitione praemissa, vel nulla litis contestatione facta, nullus est processus, ut supra, de elect., dudum ecclesia, et hic. Sed quid si petitio oblata

fuit et in actis redacta, sed contestatio litis non fuit facta, sed positiones et responsiones factae fuerunt? Idem credo, scilicet quod processus non valeat, quia litis contestatio non est facta. Ber.

X 2.06 UT LITE NON CONTESTATA NON PROCEDATUR AD TESTIUM RECEPTIONEM VEL AD SENTENTIAM DIFFINITIVAM

X 2.06.01 *Ad hoc Deus*

Reciperet

Et etiam donationem propter nuptias. Nam sicut propter adulterium uxoris vir lucratur dotem, ita mulier propter adulterium viri lucratur donationem propter nuptias, C. de repud., consensu § si vero. Quia vir et mulier non ad imparia iudicantur, 32. q. 1, si quis uxorem. Si tamen filii extent ex eorum matrimonio, tunc dos sive donatio spectat ad filios, in Auth. ut liceat mat. et avi. § si de adulterio, coll. 8.

Noluit respondere

Licet agatur hic de crimine, quia tamen non agitur criminaliter, potest intervenire procurator et respondere et agere, supra, de procurat., tuae.

Advocatus

Si aliquis vocatur ad iudicium et dicit se non habere advocatum, dandae sunt sibi induciae ad quaerendum advocatum, ff. ex quib. cau. maio., ab hostibus § sed quod simpliciter; et ff. ex quib. cau. maio., ait praetor § ulti. Et arg. ad idem C. de iud., properandum § penulti.; et ff. de postulan., hunc titulum § ait praetor. Et ex causa etiam medio tempore dandae sunt induciae propter absentiam advocati, si iusta de causa esset impeditus. Cum nimis esset difficile et grave alium quaerere advocatum, qui merita causa non novit. Et sic eodem modo pro alio inducias obtineret ut instrueretur. Sed si malitiose petantur, non sunt dandae, arg. infra, de dolo et contu., prout. Post sententiam non habet locum si diceret: non habui advocatum tempore sententiae, C. de postulan., velamento. Et ideo propter hoc non retractabitur sententia. Est tamen speciale in causa fisci ut non valeat sententia lata contra fiscum advocato eius absente, ff. de iure fisc., si fiscus; C. de advoc. fisc., rationales.

Suspectum

Hic est unus casus ubi spoliato viro uxor non restituitur, scilicet cum timetur de saevitia viri, infra, de restit. spol., ex transmissa; et infra, de restit. spol., litteras, in fi.; et 32. q. 1, de Benedicto. Item si incontinenti probetur impedimentum saltem in gradu indispensabili, in quo casu non debet fieri restitutio, infra, de restit. spol., litteras. Item si publice fornicatur, infra, de divort., significasti. Item si virgo fuerit te timeatur corrumpi, infra, de spons., cum locum; et arg. infra, de restit. spol., ex transmissa; et infra, de restit. spol., ex parte. Item et si non vult habitare cum viro sine contumelia creatoris, denegatur ei restitutio, quamvis iniuste fuerit spoliata, infra, de divort., gaudemus § qui autem. Alias viro facienda est restitutio ante principalis causae ingressum, infra, de restit. spol., ex conquestione. Praestita primo sufficienti et idonea cautione de impunitate personae, infra, de restit. spol., ex transmissa; et infra, de restit. spol., litteras; et 32. q. 1, de

X 2.06.01 Ad hoc Deus (rev. 9/23)

Benedicto. Nisi tanta esset viri austeritas, quod non auderet se viro committere, quia tunc nullo modo debet restitui, ut in capitulo infra, de restit. spol., litteras, in fi.

Servetur

Nota quod plura sunt specialia in causis matrimonialibus, quia ubi agitur de foedere matrimoniali, potest agi contra contumacem lite non contestata ad diffinitivam sententia, infra, ut lite non cont., quoniam § porro. Item quia minor potest esse in causa etiam per procuratorem, supra, de restit. spol., ex parte. Item confessio contra matrimonium non praeiudicat, infra, de eo qui cog. consang., super eo. Item quia pater et mater possunt testificari tam in coniungendo quam in distinguendo matrimonio, infra, qui matrim. acc. poss., videtur. Item quia sententia lata contra matrimonium ad separationem eorum qui iam coniuncti erant, non transit in rem iudicatam, infra, de re iudic., lator; et infra, de re iudic., consanguinei. Item nec transactio sive compositio potest in matrimonio intervenire, supra, de transact., ex parte. Item nec arbitrium, supra, de in integ. restit., causa, in fi. Item nec poena locum habet, ff. de ver. oblig., Titia; et C. de sponsal., mulier; et infra, de spons., gemma.

Ad separationem coniugii

Verbum istud coniugii improprie ponitur, quia propter adulterium ipsum coniugium non dissolvitur, immo manent coniuges etiam separati, 32. q. 7, interveniente; et 32. q. 7, licite. Et ideo expone coniugii, id est, coniugum qui propter adulterium separantur ad invicem quo ad mutuam servitutem tantum, vinculo matrimonii nihilominus perdurante. Et hoc patet quia licet sic absolvatur, ille qui non peccavit a servitute alterius qui adulterium commisit, contrahere tamen non potest, 33. q. 1, dixit dominus. Et si contraheret, compelleretur redire ad primam, infra, de divort., ex litteris.

Ad diffinitivam sententiam

Hic patet quod in civilibus causis numquam est ferenda sententia lite non contestata, arg. infra, de dolo et contu., prout; et C. quom. et quan. iud. sent. prof., consentaneum, in fi.; et infra, ut lite non cont., per totum; et in Auth. de exhib. et intro. § si vero, coll. 5, sive in criminali civiliter mota, ut hic. Hug. contradicit quod testes possunt recipi et sententia ferri in criminali, dummodo de causa liqueat vel liquere possit, sive causa sit criminalis sive civilis. De hac tamen materia traditur 3. q. 9, in summa; et infra, de dolo et contu., veritatis. Et nota quod dominus Papa per totum titulum istum fuit in opinione Io., qui dixit quod lite non contestata non sunt recipiendi testes. Marc. contra cum Hug. Et dominus Papa quandoque sequitur opinionem Marc. infra, de testamen., Raynutius; et infra, de testamen., Raynaldus, ubi tractatur de duabus quartis deducendis.

Servetur

Ex hoc loco evidenter apparet quando dominus puniendus sit. Est ergo dominus puniendus quando ipse contumax fuit. Item propter contumaciam sui procuratoris eo sciente et eam non purgante, quia tunc intelligitur ratam habere contumaciam sui procuratoris, unde potest excommunicari aut alias puniri, quia alienam culpam fecit propriam per consensum. Et ita punitur dominus propter factum procuratoris sive eius contumaciam, arg. infra, de appell., saepe; et 2. q. 6 § biduum, vers. si adversus. Nam factum procuratoris nocet domino, supra, de in integ. restit., cum venissent. Et confessio

procuratoris nocet domino, infra, de re iudic., suborta, etiam ignoranti ut ibi. Et dolus procuratoris nocet domino, ff. de trib. act., procuratoris; et C. de excoct. et trans. mil., in excoctione, lib. 12. Et quod factum procuratoris domino praeiudicet, habes infra, de caus. poss. et propr., cum olim. Et generaliter factum procuratoris domino praeiudicat, nisi excedat fines mandati, supra, de offi. deleg., cum olim abbas; et C. de procur., si procurator. Et sibi imputet qui malum procuratorem eligit, ff. de minor., cum mandato. Nam cum prosit domino factum procuratoris etiam si iniuste obtinuit, ff. de procur., qui proprio § in caeteris, sic et ei debet nocere. Sed contra videtur quod contumacia procuratoris non debet nocere domino, ff. si quis ius dic. non obtem., omnibus § si procurator. Et expresse traditur quod tantum procurator conveniendus est, non dominus, ff. mand. vel cont., si mandato, nisi expressisset in principio. Item ignorantis domini conditio per procuratorem deterior fieri non debet, ff. de procur., ignorantis. Nec tamen scientia eius domino ignoranti nocet, ff. de liber. caus., in servo. Nec delictum eius, in Auth. de eccl. titul. § si quis in sua domo, coll. 9. Nec alienus dolus alteri nocere debet, ff. de dol. except., si procurator. Solutio: dicas quod procuratoris contumacia ipsi domino praeiudicat in eo casu in quo loquitur hic, puta quia scit eius contumaciam et ratam habet eam, eo ipso quod non purgat ipsam. Unde in eo casu potest dominus excommunicari. Si vero dominus ignorat eius contumaciam, nec eam ratam habet, ipse procurator punitur de dolo suo et non dominus. Et sic loquitur ff. si quis ius dic. non obtem., omnibus § si procurator. Et alia iura ad hoc inducta, quia iniquum est aliquem alterius ordo praegravari, C. de inoffic. testam., si quis in suo, vers. fi. Et peccata suos debent tenere auctores, infra, de his quae fi. a maior. par. cap., quaesivit; et C. de poe., sancimus. Alias ergo dominus non est excommunicandus ignorans culpam et dolum sui procuratoris vel cum eam scit statim eam purgat. Et est hoc notabile circa ea quae facit in iudicio secundum formam mandati, bene fit praeiudicium domino per confessionem procuratoris seu per factum illius, ut dicunt iura primo inducta, dummodo non egrediatur formam mandati. Alias non obesset domino si cum primum scit, contradicit, supra, de offi. deleg., cum olim abbas. Sed quid si propter contumaciam procuratoris tantum dominus excommunicetur a iudice, domino ignorante contumaciam procuratoris, nec eam ratam habente, numquid erit excommunicatus? Hoc saepe contingit. Videtur quod non teneat, quia hic dicit potuit excommunicari propter suam contumaciam vel procuratoris, et illud dicitur posse fieri quod de iure fit, 22. q. 2, faciat homo. Sed videtur quod excommunicatio teneat, cum sit lata a suo iudice sive iuste sive iniuste, 11. q. 3, sententia pastoris. Et in culpa quodam modo videtur, qui talem procuratorem constituit, qui non obtemperat iuri. Et aliquis pro facto alterius etiam sine culpa punitur, infra, de spons., non est. Credo quod tutius sit dicere quod sit excommunicatus, licet non debuerit excommunicari, et debet absolvi sine aliqua satisfactione et absque gravamine, et credo quod iudex tenetur ei ad interesse, infra, de sent. excom., sacro, quia illum excommunicavit iniuste et non citatum.

X 2.06.02 *Accedens*

Appellavit

Hic nullam causam appellandi seu gravaminis expressit. Unde non valet secundum hodierna iura appellatio, infra, de appell., ut debitus. Quia causa semper debet exprimi coram iudice et propter illam appellari, infra, de appell., dilecto filio. Alias admitti non

debet, quare talis appellatio non valet hodie. Hic enim appellavit propter suspicionem et appellare non debet hoc modo. Debuit enim causam suspicionis coram iudicibus allegare probabilem, et si non admisissent legitimam suspicionem, tunc debuit demum appellare, infra, de appell., cum speciali. Tamen infra videtur quod legitima fuerit appellatio, vers. ex his plebanum legitime etc. Et ita secundum antiqua iura sufficiebat appellare, licet causam non exprimeret, ut hic videtur, quia Papa talem appellationem videtur admittere, quia illi iudices fuerunt suffraganei archiepiscopi. Sed hodie non teneret. Vel dic quod causa suspicionis fuit allegata nec admissa. Unde tenuit appellatio, et ita nullum contrarium. Vel quia suspicionis causa notoria erat, valuit appellatio plebani, quamvis causam non expresserit, ut infra sequitur in ipsa littera. Secus cum causa suspicionis, aut etiam appellationis latens est, quia tunc debet exprimi secundum quod traditur, infra, de appell., ut debitus; et infra, de appell., cum speciali; et infra, de appell., interposita.

Testes receperunt
Lite non contestata, et male, supra, ut lite non cont., ad hoc; et infra, ut lite non cont., per totum.

Protulerunt
Et male, quia nemo compellitur obiicere in personas testium.

Possessionem iuris
Non autem possessionem causa rei servandae, quod forte facere potuerunt, immo sine forte si contumax fuisset, infra, ut lite non cont., tuae; et infra, ut lite non cont., quoniam § in aliis. Sed appellatio praemissa videtur defendere ipsum plebanum a contumacia. Unde non tenuit sententia excommunicationis ut inferius sequitur. Quidam intelligunt hanc decretalem loqui in causa restitutionis in integrum iure minoris.

Perturbare
Arg. quod iudex debet defendere inductum in possessionem, infra, de simon., querelam.

Subesse
Haec est iusta causa recusationis quod iudex sit suffraganeus adversarii, sicut et illa quod iudex sit dominus adversarii, supra, de offi. deleg., causam quae, ubi plures casus notantur de recusatione. Idem videtur si esset affinis, 3. q. 9, absens; et ff. de iureiuran., lex Cornelia, in princ.; et 4. q. 3 § item lege Iulia. Item si est comes, ff. de off. praes., senatusconsulto; et supra, de offi. deleg., cum R. Propter dominum tota familia potest recusari, C. si quacum. praed. pot., si quis. Et licet ex istis causis repellatur iudex a iudicando, non tamen repellitur testis a testificando. Et haec est causa quia facilius posset habere multos iudices quam unum testem. Unde repellitur iudex a iudicio propter defectum testis, ut sic ferat testimonium in causa, infra, de testib., dilecto.

Ac ex his
Quare dicit ex his? Quia non appellavit ex pluribus causis, sed tantum quia erant suffraganei post appellationem. Unica videbatur causa appellationis eo tempore quo appellavit, licet tamen non expresserit, scilicet quia iudices duo erant suffraganei. Sed post appellationem alia causa gravaminis supervenit, scilicet quia receperunt testes lite

non contestata, et propter hoc dicit ex his, quia ex supervenienti gravamine fiunt, intelligitur fortius valere, sed ab initio unica videtur. Et sic legitimam vocat appellationem, et tamen nulla causa fuit expressa, ut dictum est, et ita ex post facto apparet legitima, infra, de frig. et malef., fraternitatis. Vel dic quod duo iudices recusari fuerant, et quia non admiserunt recusationem, appellatum fuit. Et sic est planum quod dicitur, ut supra dictum est. Ber.

Contumaciam
Si appellatio non fuisset legitima, propter contumaciam debuit et potuit excommunicari, vel adversarium in quasi possessionem iuris mittere causa rei servandae, ut infra, ut lite non cont., tuae. Sed diffinitivam numquam potuit proferre sententiam super possessione quae erat quaestio spoliationis, cum lis non esset contestata, infra, ut lite non cont., per totum. Et quod dicit, forte, non notat dubitationem sed potius affirmationem.

Cassavimus
Id est, cassam denunciavimus. Hoc ideo ita exponit, quia proprie dicitur cassari sententia ubi tenet. Sed cum sententia nulla est, ut hic, sententia non debet cassari. Quia quod non est, cassari non debet. Sed debet denunciari nulla, sicut fit in sententia excommunicationis, infra, de sent. excom., per tuas; et supra, de offi. deleg., cum contingat. Et hic duae fuerunt sententiae, scilicet excommunicationis in plebanum, et alia super restitutione possessionis iuris parochialis.

Universa
Quia si principale non tenuit, nec illud quod ex eo noscitur esse secutum, infra, de fide instrum., inter dilectos § cum igitur, in fi.; et C. de legi. et const., non dubium, cum suis concordantiis. Omnia ergo restituenda sunt, quae occasione ipsius sententiae habuit, sicut cum restituitur minor adversus sententiam, pignora praestita debent restitui, ff. de minor., si ex causa iudicati § 1. Et cum retractatur sententia, omnia debent restitui in pristinum statum, ut hic, et ex utraque parte fieri debet restitutio, C. de repud., consensu; ff. de minor., quod si minor § restitutio; et supra, de in integ. restit., requisivit.

X 2.06.03 *Tuae fraternitatis*

Contumaciter
Pluribus modis dicitur quis contumax, infra, ut lite non cont., quoniam § 1; et 11. q. 3, certum; et ff. de re iud., contumacia § 1.

Possessionem
Vel quasi possessionem, infra, de caus. poss. et propr., cum ecclesia.

Inducendus
Non tamen iudex multum debet festinare ad decernendam huiusmodi missionem in possessionem, alias fieret restitutio contra eam, arg. ff. de damn. infect., si finita § si forte. Quia etiam sententia diffinitiva revocatur iusta de causa, infra, de re iudic., cum Bertholdus. Et debet summatim negotium perscrutari ante missionem, arg. C. ubi in rem act., si quis; et infra, ut lite non cont., quoniam § penulti. An iste sic missus sit custos

tamen vel verus possessor, dicitur infra, de dolo et contu., contingit. Nota tamen quod quinque auxilia prodita sunt contra illos qui non admittunt actorem in possessionem secundum mandatum iudicis. Primum quia puniuntur in expensis, infra, ut lite non cont., quoniam § in aliis; et infra, de sequestra., ad hoc. Secundum est quia eo non obstante, quod non possidet, verus efficitur possessor anno elapso, infra, de dolo et contu., contingit; ff. de reb. auct. iud. poss., quamvis. Tertium est quia potest excommunicari, ut hic, et infra, ut lite non cont., quoniam § ulti. Quartum quia potest convenire adversarium quanti sua interest possessionem non habuisse, ff. uti poss., si duo § ulti.; et ff. ne vis fiat ei qui in poss., ait praetor, in princ. Quintum quia manu militari eiici potest, ff. ne vis fiat ei qui in poss., si qui missus; ff. de rei vend., qui restituere. Unde versus: anno verus eris possessor si prohiberis // expensas reddent quem militis arma repellent // utilitatis opem reddet feret ac anathema.

In possessionem nequeat
Puta si causa esset criminalis. Sive civiliter sive criminaliter agatur, vel matrimonialiter, scilicet quando agitur ad separationem matrimonii, contumax est excommunicandus, supra, ut lite non cont., ad hoc, in fi.; et 11. q. 3, rursus; et 11. q. 3, quicumque, et hic. Ber.

X 2.06.04 *Accedens*

Linea consanguinitatis
Quae est sufficiens causa recusationis, infra, de appell., postremo. Idem esset si esset affinis, 3. q. 9, absens. De hoc dixi supra, ut lite non cont., accedens 1; et supra, de offi. deleg., causam quae.

Eius
Scilicet comitis Britanniae, ideoque erat suspectus illi, supra, de offi. deleg., insinuante.

Qui
Scilicet comes.

Oriundus
Unde quis oriundus fuit, ibi domicilium retinere dicitur, ff. de senat., senatores. Et est ista admirabilis suspicio, quam sufficere non credo. Sed quae non prosunt singula, multa iuvant, ut notatur infra, de probat., cum causam. Vel dic oriundus de terra sua, id est, de terra quae pertinebat ad iurisdictionem illius comitis et ad proprietatem ipsius dominae, et ita est sufficiens causa recusationis, quod isti iudices erant de districtu ipsius comitis Britanniae. Vel dic, si vis intelligere de terra uxoris, de terra quae pertinet ad iurisdictionem uxoris, et tunc valet recusatio, ut supra, ut lite non cont., accedens 1.

Nimis favens
Sed numquid tenetur quilibet diligere proximum suum, de poen. dist. 1, omnis qui non diligit? Respondeo: non omnis amicitia repellit iudicem, sed maxima, ff. de ver. sig., late § amicos. Sicut nec omnes inimicitiae repellunt testem, nisi maximae, infra, de simon., licet Heli; et infra, de simon., per tuas 1. Et causa cognita illud disquiri debet, ff. de

quaest., in criminibus § per quaestionem. Nam propter leves inimicitias non extinguitur legatum, ff. de adimen. leg., si quis, in fi. Sed videtur quod modica causa iudicem repellit, ut dictum est supra, ut lite non cont., accedens 1; et supra, de offi. deleg., causam quae. Quia lites sine suspicione procedere debent, 3. q. 5, quia suspecti; et C. de iud., apertissimi. Sed quod dicit nimis favens, solvit quod dictum est.

Sub districtu
Haec exceptio omnes tangit.

Inimicorum
Haec fuit sufficiens causa appellandi, 3. q. 9, hortamur; et infra, de appell., ex parte 1; ff. de iud., si longius; ff. de recepti., si cum dies § si arbiter.

Inimicis
Simile infra, de sent. excom., de caetero; et infra, de sent. excom., quamvis. Nec in hoc casu sufficiens potuit cautio praestari, arg. infra, de restit. spol., litteras, in fi. Et hoc propter fragilitatem cautionis, ff. ad Trebel., qui ita § 1.

Ex praemissis causis
Scilicet quia episcopus erat consanguineus comitis, et archidiaconus commensalis eiusdem, et alter oriundus de terra uxoris et locum assignabant per terram inimicorum, quia huiusmodi exceptiones non admittebant legitima fuit appellatio, et quaelibet etiam per se sufficeret ad appellandum, praeter illam quod oriundus fuit alter iudicum de terra uxoris. Illam solam non putarem sufficientem ad recusandum iudicem vel iudices, sed praestat adminiculum aliis, ut dixi supra. Quae non prosunt singula, multa iuvant. Sic ff. ex quib. cau. maio., necnon § si quis saepius. Nisi velis dicere de terra quae pertinet ad iurisdictionem uxoris, tunc bona est exceptio, quia omnes erant de districtu ipsius comitis, arg. infra, de praesump., tertio. Et ita sive testes recepti fuerunt ante litem contestatam sive post appellationem praemissam, ex praemissis causis non valet receptio testium super consanguinitate, nisi ille fuisset contumax. Tunc enim in causa matrimoniali ante litem contestatam recipiuntur testes, non obstante absentia illius, infra, ut lite non cont., quoniam § 1. Et hoc est quod sequitur absque culpa contumaciae.

Terrae
Scilicet dotalis. Eius enim cognitio pertinet ad Papam ratione connexitatis, quia est accessoria ipsi matrimonio, infra, de don. int. vir. et uxor., mulieres; infra, de don. int. vir. et uxor., significavit; et infra, de don. int. vir. et uxor., de prudentia. Et sic non est contra infra, qui fil. sint legit., causam quae 2.

X 2.06.05 *Quoniam frequenter*

Regulariter verum esse
Haec regula fallit in casibus hic positis, scilicet ubi timetur de morte vel absentia testium, et ubi agitur de electione vel matrimonio, et in causa inquisitionis et publicationis. Item in causa denunciationis, supra, de iudic., novit. Item in actoris absentia praesente reo recipiuntur testes lite non contestata, C. quom. et quan. iud. sent. prof., authen. qui semel;

X 2.06.05 Quoniam frequenter (rev. 9/23)

infra, de dolo et contu., causam quae. Item ubi actor non potest agere propter iuramentum quo iuravit non repetere usuras, infra, de iureiur., ad nostram 1. Item cum minor ab hereditate officio iudicis se abstinet, ut in Auth. ut spons. larg. § ad haec, coll. 9. Item ubi aliquid iudicis officio expeditur, C. si min. ab hered. se abst., authen. si omnes. Item cum in integrum restitutio incidenter postulatur officio iudicis, supra, de offi. iud., iudicis. Item cum agitur de iniquitate iudicis in casu quem habes infra, de appell., interposita § ulti. Item in petitione legati vel fideicommissi, arg. C. de usufruct. et habit., verbis. Sed ibi dicit post litem non contestatam, in fi. Unde casus iste non debet excipi de regula. Item cum agitur finium regundorum iudicio, ut C. fin. regund., si quis. Item in Trebellianica restitutione, C. ad Trebel., sancimus § cum autem. Item in causa heresis post mortem, 24. q. 2, sane 2. Item ubi offenditur publicum commodum, C. de poe., ne diu; et 3. q. 3, quia ea. Item cum persona est incerta, 5. q. 1, quidam; et 5. q. 2, praesenti. Et secundum quosdam in causa libertatis, C. de ing. manum., diffamari. Arg. contra infra, de testib., cum olim. Item ubi agitur de beneficio obtinendo ecclesiastico, ut in concilio Lugdunensi Inno. iiii infra, de eo qui mitt. in poss. caus., extravag. eum qui.

Procedendum

Super principali. Sed super incidenti interdum vel emergenti bene recipiuntur testes, ut probetur quod citatio pervenit ad aliquem, vel quod contumax fuerit in casu quem habes infra, de appell., interposita § ulti.

Civiliter

Hoc ideo dicit quia in criminalibus numquam recipiuntur testes lite non contestata. Et ibi probationes strictissime requiruntur, 5. q. 6, Epiphanium; C. de probation., sciant. Qualiter in criminali causa procedatur, dicitur 3. q. 9, in summa; et infra, de dolo et contu., veritatis.

Ne veritas

14. q. 2, quamquam.

Subtrahatur

Tunc enim curare debet iudex et magistratus ut salva sit rerum probatio, ff. de testi., curent; et in Auth de testi. § penulti., coll. 7, in ultima columna; et in Auth de testi. § hic vero, coll. 7; et infra, de testib., si qui; et ff. ad leg. Aquil., lex Aquilia. Vel etiam si timetur quod testes propter moram varient fidem suam aut moriantur, ff. de Carb., Carbonianum § duae; arg. infra eodem capitulo § sunt et alii; infra, de testib., significavit.

Timetur

Tunc illi soli recipiuntur de quibus timetur et non alii, nisi in causa publicationis, infra, de testib., significavit; et infra eodem capitulo § sunt et alii. Licet in his casibus recipiantur testes lite non contestata veritate tamen inspecta. Et quo ad effectum non intelliguntur recepti lite non contestata, quia non publicantur nisi lite contestata. Et cum aliis, si alii lite contestata inducti fuerunt, nec ad sententiam procedat iudex per tales testes. Sed in sequenti § recipiuntur lite non contestata et fertur sententia. Et sic est differentia in primo responso et secundo.

BOOK II **X 2.06 UT LITE NON CONTESTATA NON PROCEDATUR AD TESTIUM RECEPTIONEM VEL AD SENTENTIAM DIFFINITIVAM**

X 2.06.05 Quoniam frequenter (rev. 9/23)

Conventa

Idem est si nondum sit conventa sed convenienda.

Adversarium

Cum fuerit absens et non contumaciter.

Infra annum

Ecce praescriptio annalis. Sic supra, de rescript., plerumque; et supra, de offi. ord., pastoralis; C. de haeretic., authen. idem est de Nestorianis; et infra eodem capitulo § in aliis; et infra, de haeret., excommunicamus itaque § 1; et 11. q. 3, rursus; et 11. q. 3, quicumque. Et iste annus utilis est ab initio, quia non currit nisi ab eo tempore quo potuit experiri, ut in decretali supra, de rescript., plerumque; et 2. q. 6, biduum.

Non valeant

Illi qui testes produxit. Sed adversario bene valebunt qui dolum non adhibuit, 14. q. 5, non sane, quia pro utraque testificantur.

In fraudem

Non enim arctanda est alicui probandi facultas, ff. de incen. rui. nauf., ne quid § de his; et 3. q. 7 § tria, vers. si quis ex litigatoribus; et infra, de testib., significavit; et infra, de testib., dilecto. Item est hic praesumptio iuris et de iure contra quam non admittitur probatio, 54. dist., fraternitatem; infra, de iudic., significaverunt; et infra, de spons., ad id quod; et infra, de spons., is qui, ubi de hoc. Secus si esset etiam de iure, ff. quod metus cau., non est versimile; 27. q. 1, nec aliqua. Ber.

Ad repellendum testes

Testibus humanis rebus exemptis per quos recepti reprobarentur sive eorum dicta, infra, de testib., ex tenore; et infra, de testib., praesentium; et C. de contrah. et comm. stip., optimam, vers. et si inter praesentes partes. Vel quia se absentarent vel efficerentur inimici actoris, ff. de Carb., Carbonianum § duae; et ff. de fur., quidam; et arg. ff. ad leg. Aquil., in lege Aquilia. Dicta vero illorum posset quandoque reprobare ex ipsis depositionibus, et per testes etiam post mortem ipsorum testium et personas, dummodo testes haberet per quod posset hoc probare, C. de testi., cum apud compromissarios; 24. q. 2, sane 2; arg. C. si pend. appel., quamvis. Sed quia poterat contingere quod illi interim morerentur, vel alias ut dictum est impedirentur, ideo infra annum debet denunciari ipsi reo receptionem talem factam esse contra eum. Quod nisi fecerit, non valebit talis receptio testium.

Vel aliae

Exceptiones elidentes principale negotium, ut puta praescriptio quam tunc poterat probare vel pactum de non petendo vel consimiles. Quia potest esse quod tunc temporis probationes super his haberi non possent, arg. ff. ad leg. Aquil., in lege Aquilia; et ff. de fur., quidam.

Alicuius

Electi, non confirmati, et qui nondum consensit.

Electione
Puta quod non sit canonice celebrata, vel quod electus sit criminosus. Et licet videatur loqui capitulum in praelato potest idem dici in electione cuiuslibet clerici, quia ibi laeditur ecclesia ex longa mora, vel etiam si vocatur ut consentiat et non veniat, supra, de elect., extravag. statuimus, in concilio Lugdunensi.

Prohibitus
Infra, de restit. spol., litteras; et 30. q. 3, pitacium.

In huiusmodi casibus
Superfluunt isti ablativi, quia hoc adverbium tunc quod praecessit, sufficeret.

Occultat
Simile 5. q. 1, quidam; supra, de alienat. mut. iud., ex quorundam; et supra, de offi. deleg., consultationibus.

Impedit
Talis habetur pro citato denunciatione facta publice ad domum suam, infra, de cleri. non residen., ex tuae; et infra, de dolo et contu., venerabilis; ff. de evict., si dictum § si praesente; et ff. de evict., si ideo § praesenti. Et ita sufficit quod publice edictum proponatur ad domum suam vel ecclesiam, ut dicunt iura praedicta. Et citari potest litteris vel edictis, ff. de fideicommi. liber., cum vero § penulti. Et sunt tres modi contumaciae, et quocumque illorum aliquis contumax sit, habetur pro contumace. Primum modum habes hic. Et alios duos modos contumaciae habes 11. q. 3, certum est.

Aliter
Id est, non per contumaciam, supra, de offi. deleg., consultationibus. Ber.

Maxime
Proprie. Sic supra, de elect., cum inter canonicos, vers. ut per mutuum etc. Alii exponunt maxime, id est, tantum.

Canonibus
De hac absentia varie loquuntur canones. Quidam dicunt de duobus mensibus, 7. q. 1, praesentium. Quidam de tribus septimanis, ut 7. q. 1, si quis in clero. Et quidam de quinque annis, infra, de cleri. non residen., ex gestis. Quidam de tribus, quidam de quinque mensibus, 100. dist., quoniam; et 75. dist., quoniam. Quidam de una hora, 91. dist., clericus; 92. dist., si quis presbyter. Super hac expectatione dicendum est quod si aliquis est absens in eo loco unde possit citari, vel in studio vel in aliquo loco ubi apparet manifeste, quia non latitat, praelatus illius ipsum legitime monere debet, ut ad suam ecclesiam revertatur infra tempus conveniens secundum locorum distantiam et temporis qualitatem ab ipso praelato praefigendum. Quod si non venerit, poterit postmodum suo beneficio spoliari, nisi rationabilem causam ostendat quare venire non possit, infra, de cleri. non residen., inter quatuor; et infra, de cleri. non residen., clericos; infra, de appell., pervenit 2. Vel si alias de licentia praelati sui se absentat usque ad certum tempus sibi

X 2.06.05 Quoniam frequenter (rev. 9/23)

statutum, infra quod revertatur, tunc si non revertatur ad terminum, episcopus potest illum privare beneficio et officio, nisi iusta causa impediatur. Et sic loquitur illud capitulum 7. q. 1, praesentium. Dico tamen quod sive clericus sit absens de licentia episcopi ad certum tempus, sive praeter licentiam, episcopus semper ipsum primo monere debet ut redeat per iura praedicta infra, de cleri. non residen., inter quatuor; et infra, de cleri. non residen., clericos; et infra, de appell., pervenit 2. Alias non teneret sententia lata contra absentem non vocatum neque citatum. Et iura antiqua quae hic signantur sic intelliguntur. Verum est quod clerici ab ecclesiis suis abesse non debent. Tamen si hoc contingat, taliter sunt vocandi antequam spolientur, et ita servandum est circa eos qui comparent et citari possunt. Si vero nescitur ubi sint, nec citari possunt personaliter, trinae citationis edictum apud eorum ecclesias publice proponatur, ut revertantur. Et si ultra sex menses venire distulerint, suis beneficiis postea spolientur, infra, de cleri. non residen., ex tuae. Et sic qualitercumque sit aliquis absens, semper debet citari praedicto modo. Item videtur quod melior sit conditio illorum qui malitiose se absentant, quam conditio illorum qui comparent, et citari possunt personaliter, quia illi habent sex menses, isti citantur ad arbitrium praelati vel ad mensem, vel duos vel plures vel minus, secundum quod requirit et exigit distantia locorum. Sed illud contingit quia nescitur ubi sunt, quia potest esse quod sunt multum remoti vel impediti, nec in brevi possunt per consanguineos revocari vel amicos. Et ideo maius tempus et certum datur eis ultra quod ecclesia vacare non debet, infra, de concess. praeben., nulla. Et hoc locum habet in his clericis et praelatis qui iam confirmati sunt, et possessionem diutius habuerunt, vel etiam non senserunt. De his vero qui solummodo electi sunt, nec confirmationem vel possessionem habuerunt, teneas quod hic dicitur, quia expectantur per sex menses plus vel minus secundum quod visum fuerit superiori, cum per contumaciam non est absens. Si vero ille qui accusat electionem aut excipit contra electum, non comparet anno elapso, electus potest confirmari, ff. de muner. et honor., reus. Sed non credo quod tantum sit expectandus, immo superior praefigit ei certum terminum infra quem compareat prosecuturus intentionem suam, aliquando confirmabit eum, infra, de accusat., licet; et infra, de clan. despon., cum inhibitio; et infra, qui matrim. acc. poss., cum in tua. Et hoc totum expeditum est supra, de elect., extravag. statuimus. Sed in episcopatu dantur accusatori tres menses, in Auth. de sanct. episc. § si quid autem, coll. 9. Sed potius ista in arbitrio superioris consistunt, infra, de dolo et contu., cum olim, contra, sed ibi solvitur. Si vero contra praelatum absentem agatur criminaliter vel etiam civiliter per denunciationem alicuius, tunc citetur ut veniat ad defendendum se. Si non veniat, excommunicetur propter contumaciam, et expectabitur per annum, et post annum procedatur contra ipsum super bonis, non super crimine, secundum quod traditur 11. q. 3, rursus; et 11. q. 3, quicumque; et infra, de dolo et contu., veritatis, ubi de hoc.

Expectandus

Postmodum proceditur contra eum, et recipientur testes et diffinitive procedetur vel alius eligatur, si non vult consentire et nil ei opponitur.

Sit agendum

Cum non sit absens per contumaciam.

BOOK II **X 2.06 UT LITE NON CONTESTATA NON PROCEDATUR AD TESTIUM RECEPTIONEM VEL AD SENTENTIAM DIFFINITIVAM**

X 2.06.05 Quoniam frequenter (rev. 9/23)

Praesumatur

Per famam, quia senex erat, vel etiam quia in acie fuit nec rediit, praesumitur quod his casibus sit mortuus. Et si contrahat credens ita, excusatur ab adulterio, etiam si vivat propter ignorantiam, 34. q. 2, cum per bellicam. Quia non committitur adulterium sine dolo, ff. de adulter., si ex lege. Vel si receperat litteras illorum cum quibus militavit, C. de repud., authen. hodie. Dic tamen quod non debet contrahere, nisi primo sit certa de morte ipsius, infra, de secund. nupt., dominus; infra, de spons., in praesentia. Sed satis certum est illi per solas huiusmodi violentas praesumptiones postquam aliquanto tempore duxerit expectandum, forte per annum vel etiam quinque annis, ut in praedicta authentica C. de repud., authen. hodie.

Malitiosa

4. q. 3 § item his qui non detrectandi causa.

Citari non possit

Si non potest citari, contra ipsum procedi non potest. Et sic est arg. quod non tenet sententia cum peremptorium non pervenit in notitiam absentis, 3. q. 9, cavent; ff. quae sent. sine appel., illud § item ex eo edicto; C. quom. et quan. iud. sent. prof., ea quae; et ff. locat. et conduct., item quaeritur § exercitu. Sed verius est quod sufficiat si diligens sit inquisitio facta, licet non sit inventus, infra, de dolo et contu., causam quae; et infra, de dolo et contu., venerabilis; et infra, de cleri. non residen., ex tuae; et 7. q. 1, praesentium; et C. de iud., properandum § si quidem; ff. de evict., si ideo § praesenti; et ff. de evict., si dictum § si praesente. Et hoc verum est quando malitiose est absens, alias non proceditur contra eum quantum ad casum praesentis litterae.

Non debet

Arg. contra infra, qui fil. sint legit., perlatum. Sed ibi agebatur tantum de prole, an esset legitima vel non, et non contra absentem. Vel ille fuit requisitus, ut ibi innuitur. Contra infra, qui matrim. acc. poss., relatum, illa corrigitur per istam. Praeterea ille fuit absens culpa sua propter maleficium quod commiserat, unde non praeiudicat mulieri. Et sic differt casus ille ab isto, et ibi solvitur.

Opponi

Respondet tacitae quaestioni. Diceret aliquis, si mulier tantum compellitur expectare, incideret forte in fornicationem, et Papa respondet ad hoc.

Multi casus

Ut si alter de fidelibus labatur in haeresim, infra, de divort., quanto. Vel si alter coniugum incidatur vel si mulier impotens casu reddatur ad reddendum debitum, 32. q. 7, illi qui sani. Vel si alter furiosus factus sit, 32. q. 7, neque furiosus; et 32. q. 7, hi qui. Vel si in captivitate alter teneretur, infra, de spons., in praesentia. Vel si vir incidat in casum leprae, infra, de coniug. lepr., pervenit.

Et alii

Alium casum habes quando agitur de bono ecclesiastico obtinendo in decretali nova infra, de eo qui mitt. in poss. caus., extravag. eum qui.

Inquisitio
Et hoc est cum absens est per contumaciam ille contra quem fit inquisitio, infra, de accusat., qualiter et quando 2 § debet; et infra, de simon., licet Heli.

Publicatio imminet
Hoc tunc fit quando aliquis timet quod sibi in posterum super aliquo contractu controversia moveatur. Tunc potest petere a iudice ut testes qui interfuerunt negotio publicentur, id est, eorum dicta redigantur in publicam formam ad aeternam rei memoriam, infra, de testib., significavit; in Auth de testi. § penulti., coll. 7. Et in hoc casu omnes testes recipiuntur, sive senes sive debiles sive iuvenes, et statim publicantur. Et in hoc est differentia inter hanc receptionem et illam de qua praemisit in principio capituli, quia ibi recipiuntur tantum senes et infirmi, vel de quorum absentia timetur, et illi non statim publicantur, ut dixi.

Actione
Duo sunt genera actionum, aut sunt in rem aut in personam. Qualiter hoc sit intelligendum, traditur bene Inst. de action., in princ. Ber.

Affectus
Taedium erit in hoc casu, quia actor missus in possessionem expellet reum de possessione, et erit possessor, et percipiet fructus et conservabit eos, infra, de sequestra., dilectus; et infra, de sequestra., ab eo. Et si reus venerit infra annum praestita cautione iudicio sisti, recuperabit rem cum fructibus deductis expensis, ut infra sequitur. Sed in personali actione taedium erit, quia cum cultura spectet ad contumacem, ille admissus erit cum eo in agro ut custodiat fructus, ne ille consumat illos, ff. ut in poss. legat., is cui § qui legatorum; et ff. de damn. infect., si finita § si quis autem. De hoc dicetur plenius infra, de dolo et contu., contingit.

Cautione
Ex eo quod dicit simplici cautione, ut sufficere nuda cautio, C. de ver. sig., sancimus. Sed non est verum, immo sufficientem cautionem praestare debet, infra, de sequestra., ad hoc, in fi. Et ita pignora vel fideiussores, ff. mand. vel cont., si mandato § ulti.; et ff. de fideicommi. liber., ergo § adiici. Ber.

Expensarum
Primo ergo debet satisfacere in expensis antequam audiatur vel absolvatur. Sic C. de bon. auct. iud. poss., authen. qui iurat; C. de iud., sancimus; C. quom. et quan. iud. sent. prof., authen. qui semel.

Possessionem recuperet
Ergo videtur quod eam amiserit, et sic alter erat verus possessor, quod est contra nos, ff. de acq. poss., possideri. Sed expone possessionem, id est, detentionem possessionis recipiat quam ille habebat, et talis possessio est facti et non iuris, et imaginaria. Vel dic recuperet, id est, retineat veram possessionem quam non amisit. Simile 3. q. 5, quia suspecti; 27. q. 3, priusquam, in fi.

Neglexerit
Nec sufficit offerre, nisi eam praestet, infra, de eo qui mitt. in poss. caus., constitutis. Arg. supra, de offi. ord., pastoralis, in fi. Quod si eam non potest praestare iudici, praestet episcopo vel aliis publicis personis, ut eodem capitulo supra, de offi. ord., pastoralis. Arg. contra infra, de eo qui mitt. in poss. caus., cum sicut. Sed ubi iudex voluerit recipere eam, in capitulo supra, de offi. ord., pastoralis, nullus fuit iudex cui posset vel deberet offerri.

Verus
Id est, vere et incommutabiliter. Nam et ante, secundum quosdam est verus possessor, sed non incommutabiliter, quia infra annum tenetur restituere possessionem, et ita statim est verus possessor, arg. C. de praescri. trig. vel quad. ann., si quis emptionis § penulti. Nos tamen contrarium dicimus secundum iura canonica, arg. supra, de offi. ord., pastoralis; et infra, de dolo et contu., contingit.

Constituetur
Et ita est arg. ex eo quod dicit, constituetur, quod ante annum non sit verus possessor, ut dictum est in proxima notula. Sed qualiter constituitur? Forte ab ipso iudice si petatur, et sine forte, infra, de eo qui mitt. in poss. caus., constitutis; et ff. de damn. infect., si finita § sed si quis; et ff. de damn. infect., si finita § si quis autem; et arg. supra, de offi. ord., pastoralis, in fi. Verius est quod in realibus actionibus non habet locum secundum decretum, nisi aliquis ad cautelam illud impetret, quia solus transcursus anni constituit aliquem possessorem verum, ut supra, de offi. ord., pastoralis; et infra, de dolo et contu., contingit. In personalibus vero secundum decretum locum habet, sed non uniformiter. De hoc plenius dicitur in praedicta decretali infra, de dolo et contu., contingit.

Immobilibus
Secus enim videtur in rebus mobilibus, ubi non videtur prodesse nominare dominum in iudicio, cum habeat facultatem restituendi rem, ff. de rei vend., officium, in fi. Idem iuris est etiam in rebus mobilibus, quia potest et debet dominum nominare in iudicio, C. ubi de crim. agi oport., authen. qua in provincia. Sed in rebus immobilibus, quas aliquis possidet nomine alieno, ubi nullum ius habet, si conveniatur, statim debet in iudicio dominum nominare, ut hic, et C. ubi in rem act., si quis. Si enim ius habet in re, non prodest dominum nominare, quia ipse posset agere pro iure suo. Ergo tenetur se defendere, arg. optimum infra, de fide instrum., G perpetuus. Possessor enim semper conveniendus est, 12. q. 2, quicumque; et 16. q. 1, in canonibus; arg. infra, de appell., ad audientiam; et supra, de alienat. mut. iud., ex quorundam; et ff. quod metus cau., si cum exceptione § aliquando; ff. de noxal. act., de illo; ff. de admin. rer., imperatores § 1. Arg. contra 12. q. 2, de rebus; et ff. de serv. corr., in hoc; et ff. de contrah. empt., Titius § Lucius; et ff. quae in fraud. cred., is qui. Arg. infra, de praescrip., auditis; et 16. q. 3, inter memoratos.

Statim
Id est, ante libelli oblationem vel etiam post antequam respondeat. Tenor istius § ponitur quasi de verbo ad verbum C. ubi in rem act., si quis.

BOOK II **X 2.06 UT LITE NON CONTESTATA NON PROCEDATUR AD TESTIUM RECEPTIONEM VEL AD SENTENTIAM DIFFINITIVAM**

X 2.06.05 Quoniam frequenter (rev. 9/23)

Perducendo

Per illum qui in iudicio dominum nominavit.

Excipiat

Id est, suscipiat. Sic 33. q. 5, non est nostrum; et infra, de iuram. calumn., imperatorum; et infra, de plus petit., consilium.

Contestata

Scilicet ne currat praescriptio possessori, quoniam praescriptio possessoris interrupta est per hanc denunciationem, licet videatur quasi contestata, non tamen actor audiretur volens producere testes super proprietate, ac si lis esset contestata, quia illud locum habet quando lis est vere contestata, per narrationem et responsionem. Sed hic non est vere contestata, sed quasi quo ad interrumpendam praescriptionem, ut hic dicit.

Edictis

Id est, citationibus ad domum eius missis, infra, de dolo et contu., causam quae; et infra, de dolo et contu., venerabilis.

Summatim

Sic C. ubi in rem act., si quis; et ff. ut in poss. legat., si is a quo; et ff. de Carb., Carbonianum § causae; et C. de bon. auct. iud. poss., authen. et qui iurat. Et dic summatim, id est, semiplene. Non enim statim iudex propter contumaciam alterius partis constituet praesentem possessorem vel etiam mittet eum in possessionem causa rei servandae, nisi aliquam videat primo praesumptionem pro eo, quia posset esse quod sic aliquis calumniose peteret, unde iudex primo recipiet ab actore iuramentum de calumnia, ff. de Carb., Carbonianum § causae, et sic observatur. Et istud iuramentum sufficiet, ita quod aliud ulterius non praestabit si reus infra annum rediret, volens in causa procedere, arg. ff. ad exhib., thesaurus. Unde petet ab actore iudex, ut super hoc, scilicet quod non calumniae causa petat, hoc exhibeat calumniae iuramentum, ff. ad exhib., thesaurus; et infra, de restit. spol., litteras; et supra, de elect., cum dilectus. Non enim debet iudex festinare ad missionem faciendam, quia si reus probabit iustam absentiae causam, restituetur, ff. de damn. infect., si finita § item si forte; et infra, de re iudic., cum Bertholdus. Et sic observatur hodie de facto. Et istud iuramentum sufficiet, ita quod aliud actor ulterius non praestabit si reus infra annum redierit volens procedere in causa, ut in § 1. Sed in casu huius § iterum iurabit actor tamquam reus quando convenitur, quia primo iurabit ut actor, postea ut reus, et idem est si post annum agere velit qui primo conveniebatur, secundum quod est in casu huius §.

Reservata

Sed quamdiu reservabitur quaestio proprietatis? Secundum canones videtur quod perpetuo, cum res sit facta litigiosa, et debebat per hoc dubitare de iure suo. Dic quod in casu isto bene potest praescribere, quia bonam fidem videtur habere, quia credit rem ad se pertinere. Cum etiam iuraverit quod non malitiose seu per calumniam petit rem illam, et ideo praescribere potest. Et iuste possidet qui auctore praetore possidet, ff. de acq. poss., iuste. Quidam dicunt quod in casu isto sicut in priori servatur quaestio super possessione

usque ad annum absenti. Sed prius dictum verius credo, et absolute dicitur hoc. Nam sicut reservatur ius salvum possessionis usque ad annum in § proximi. Sicut ibi expresse hoc dicitur, ita hic diceretur si hoc esset verum. Sed quae est ratio quare ibi auditur usque ad annum super possessione, hic vero statim est verus possessor, nec auditur usque ad annum super possessione? Ratio illa consuevit assignari, quia maior contumacia praesumitur in casu isto quam in priori, quia per plures citationes vocatus est et plus contempsit. Primo enim vocavit colonum et colonus denunciavit domino. Post quam denunciationem citatur dominus edictis legitimis, et ideo plus punitur, et sufficit legislatorem ita voluisse. Sic enim est in lege, ff. qui et a quib. man. lib., prospexit legislator; et 6. q. 3, scriptum est. Ergo ita tenedum est.

Vel immobilium
Hoc ordine iudices sententiam exequentur. Ultimo ad actiones decurritur, ff. de re iud., a divo pio.

Declarati
In libello suo, C. de bon. auct. iud. poss., authen. et qui iurat.

Magis timeri
Illa enim potius est infligenda, quia hoc solum bene agitur, et 23. q. 5, prodest. Arg. contra supra, de offi. deleg., sane quia; et supra, de offi. deleg., pastoralis, 1. resp. Sed ibi solvitur.

Ad alteram
Quia crescente contumacia, crescere debet poena, ff. de poe., relegati. Sic ergo duae poenae ab initio non sunt infligendae, supra, de iudic., at si clerici. Arg. contra 16. q. 1, statuimus.

Distinctionem
Sed non videtur quod distinctio facta in reali actione locum possit in personali habere, licet littera hoc innuat, quia debitor potest recuperare pignora sua quandocumque venerit, dummodo non sint distracta, C. de distract. pign., si prius. Creditor enim nullos tempore praescribit rem sibi obligatam pignori, ff. de usucap., non solum § qui pignori; et ff. de usucap., pignori. Quia creditor quantum ad hunc casum non possidet pignus, ff. qui satisda. cog., sciendum § creditor. Et ad hoc dixit Io. et bene, quia creditor post annum non efficitur possessor quantum ad usucapionem, sed tantum post annum habet commodum possessionis in hoc, quod cum prius teneretur probare pecuniam quam petebat esse debitam. Post annum etiam transfertur probatio ad reum, ut tunc adversarius teneatur probare illam indebitam. Sic efficitur petitor de possessore, arg. bonum ad hoc infra, de solution., is qui. Laur. dixit quod huic servatur quaestio possessionis et proprietatis quousque praescriptum est iuri offerrendi, arg. C. de praescri. trig. vel quad. ann., cum notissimi § sed cum illud, vers. eodem iure. Nisi ex secundo decreto res sint etiam pro debito assignatae vel distractae. Alias usque ad triginta annos recuperet res suas oblato debito. Dicas quod debitor semper auditur quousque praescriptum sit, volens recuperare rem suam restitutis expensis et praestita cautione iudicio sisti, nisi pignora distracta sint vel in solidum data auctoritate iudicis. Vel secundum legem conventionis

directa, ut dixit lex praedicta C. de distract. pign., si prius. Et ita infra annum veniens restitutis expensis praestita cautione quod iuri parebit, recuperabit res suas, sive confiteatur debitum sive neget, C. de bon. auct. iud. poss., authen. et qui iurat. Et quod dixit, iuxta distinctionem in alio etc., sic intellige iuxta distinctionem, id est, secundum primum membrum distinctionis in quo tantum similitudo notatur, et non iuxta secundum. Quasi dicat, sicut ibi veniens infra annum in reali actione auditur praestita cautione, et restitutis expensis recuperat possessionem. Ita in personali actione, sive infra annum sive post annum veniat, recuperat res suas, dum tamen caveat iudicio sisti et restituat expensas, ut sic notetur. Similitudo tantum in hoc casu, et in illo cum ante annum contumax invenitur, ita quod similitudo non transeat ad alium casum post annum. Et ita plane est littera. Ber.

X 2.07 DE IURAMENTO CALUMNIAE

X 2.07.01 *Inhaerentes*

Graviores quaestiones
Quae dicantur maiores causae, dictum est supra, de offi. legat., quod translationem.

Legibus
C. de episc. et cler., cum clericis, vers. quod si lis.

Principales
C. de iureiuran., authen. principales.

Calumniae iuramentum
In iuramento calumniae quinque capitula continentur, scilicet quod credat se bonam causam habere. Interrogatus non negabit quod verum esse credit, nec utetur scienter falsa probatione, et quod dilationem non petat in fraudem, nec dedit nec dabit nec promisit nec promittet aliquid pro hac causa, nisi illis personis quibus leges dare permittunt, C. de iureiuran., cum et iudices, circa princ.; et C. de iureiuran., authen. principales; et in Auth. ut litig. iur., in princ., coll. 9. Unde versus: illud iuretur quod lis sibi iusta videtur // Et si quaeretur verum non inficietur. // Nil promittetur nec falsa probatio detur // Ut lis tardetur nulla dilatio petetur.

Verba
Ab illo loco, legibus itaque, usque ad illum locum, verum cum etc., exceptis praedictis, scilicet secundum etiam usque ibi, corroboramus.

Divi Marci
C. de episc. et cler., cum clericis, vers. quod si lis.

Ecclesiarum
Arg. quod uni conceditur ad consequentiam trahi potest a caeteris, et quod uni conceditur, nulli est denegandum, 16. q. 1, praedicator; et 5. dist., ad eius vero, in fi.; de conse. dist. 4, proprie; 50. dist., et purgabit; C. de fideicomm., quidam. Arg. contra 16. q. 1, hinc

etiam; et 7. q. 1, petisti. Solutio: quod uni iure communi conceditur, trahi potest ab aliis in exemplum, et nulli debet denegari, 5. dist., ad eius vero. Quod vero per privilegium alicui conceditur, non extenditur ad alios, et sic intelligitur 16. q. 1, hinc etiam; et 26. q. 2, non exemplo; et ff. de constit. princ., quod principi.

Vim
in Auth. de eccl. titul., in princ., coll. 9; et in Auth. ut cler. apud prop. episc. § illud, coll. 6.

Canonibus
22. q. 1, in novo; et infra, de iureiur., et si Christus; et 2. q. 5, si quis presbyter; 22. q. 5, nullus episcopus.

Principis
Scilicet Henrici.

Nos
Scilicet Henricus.

Criminali
Hic colligitur quod in criminali causa iuramentum de calumnia sit praestandum, arg. C. de iureiuran., in omnibus, ubi dicitur quod in omnibus causis ubi probatio requiritur, est iurandum de calumnia, ut C. de fid. instrum., cum quidam, vers. sancimus. Arg. contra Inst. de public. iudic., in princ.; et ff. de bon. eor. qui an. sent., in capitalibus. Sed contraria ista non obstant, quia magna differentia et diversitas eorum est in instituendis et exercendis huiusmodi casis. Nam secundum hoc nec lis contestaretur nec libellus daretur in causa criminali, sed omnino aliter quam civiliter deberet tractari. Item non valeret causa quam quidam assignant, quod in criminali transigere liceat, et ideo iuramentum de calumnia non exigitur. Nam sacramentum de calumnia transactionem non excludit, nec ab ea excluditur, quia quamvis licitum sit reo transigere, non tamen sequitur quod liceat ei falsa instantia uti, nam idem diceres secundum hoc in pecunaria causa. Similiter solvitur illud, ff. de bon. eor. qui an. sent., in capitalibus, ubi dicitur quod in causa sanguinis licitum est cuilibet adversarium suum corrumpere, et ita licitum est ei mentiri. Dominus Azo est in hac sententia, quod in causa criminali de calumnia sit iurandum, et inducebat hanc decretalem pro se. Sed qualiter clericus potest hoc iuramentum aliis delegare in causa civili sive criminali, contra illa iura quae dicunt quod principales personae debent hoc iuramentum praestare, et contra illa quae dicunt quod in causa criminali non intervenit procurator? Dicas quod forte quandoque obtinuit quod hic dicit, ut clerici etiam in causa propria hoc iuramentum possent alii delegari. Et hoc in favorem ipsorum concessum est. Sed hodie hoc non observatur, immo quilibet in causa propria personaliter iurare debet, ut infra, de iuram. calumn., caeterum; et C. de iureiuran., authen. principales. Et sic obtinet de iure et de consuetudine. Et sic non tenet quod hic dicit quantum ad proprias causas clericorum quaecumque sit causa. Et restringitur tantum quod dicit hic ad causas ecclesiarum. Et hoc satis patet per litteram illam quae sequitur, ubi dicitur: si ecclesiae suae noverint expedire, et sic non habet locum quod obiicitur. Et etiam clericus et praelatus ecclesiae si in propria persona voluerit litigare, in

causa ecclesiae praestat hoc iuramentum, infra, de iuram. calumn., cum in causa. Tamen si in causa ecclesiae voluerit deferre alii hoc iuramentum, non compellitur subire hoc iuramentum, ut hic dicit, et infra, de iuram. calumn., imperatorum.

Defensoribus
Id est, syndicis vel actoribus aut procuratoribus, licet nomina sint diversa, officium tamen est idem. Unde sufficit sive dicatur, constituimus talem syndicum, procuratorem, sive actorem ad causam talem, supra, de procurat., petitio. Et istae personae in causis universitatis sive collegii de calumnia iurant, infra, de iuram. calumn., in pertractandis; et infra, de iuram. calumn., imperatorum; et infra, de iuram. calumn., cum in causa, ut hic patet.

Inconsulto
Istud difficile videtur, ut episcopus propter hoc debeat requirere Romanum Pontificem. Sed hoc non servatur. Unde si episcopus litigat in propria persona, ipsemet praestet iuramentum de calumnia, nec est necesse requirere Papam, infra, de iuram. calumn., cum in causa. Clericus facilius potest requirere episcopum, unde tenetur primo requirere ipsum. Contrarium tamen saepe contingit, sed iudicium propterea non vitiatur. Et est arg. hic ex eo quod clericus iurare non potest sine licentia sui episcopi, quod non potest in iudicem non suum consentire. De hoc traditur supra, de for. compet., si diligenti; et supra, de for. compet., significasti; et 11. q. 1, inolita; et 11. q. 1, placuit.

X 2.07.02 *Litteras*

Rebus spiritualibus
Quaedam causae dicuntur spirituales, ut hic patet. Vel spiritualibus annexae, ut causa iuris patronatus, ut supra, de iudic., quanto. Et in istis non iuratur de calumnia, ut hic patet, sed de veritate dicenda, supra, de elect., dudum ecclesia; et infra, de iureiur., ex litteris. Quia aliter iudex veritatem inquirere de facili non posset quam tenetur inquirere, 30. q. 5, iudicantem; 23. q. 8, occidit; C. de edend., is apud quem; et C. de procur., in pecuniariis. Sed certe fortius videretur iurandum de calumnia in huiusmodi spiritualibus causis quam in civilibus, quia gravius est periculum si calumniose in spiritualibus quis litiget, et ideo debet iurare quod calumniose nihil faciet, quia circa maiora maius periculum vertitur, et ideo cautius est agendum, 7. q. 2, nuper; et 42. dist., quiescamus; et ff. de Carb., si cui controversia § 2. Licet servetur quod dicitur hic, honestius esset ut de calumnia iuraretur ratione praemissa. Quidam vero causae sunt mere civiles, ut puta cum agitur rei vendicatione vel pecuniaria causa, supra, de libel. oblat., significantibus; et supra, de libel. oblat., dilecti. Alia est criminalis, ubi agitur directe de crimine et debet se obligare ad talionem, infra, de accusat., veniens; et infra, de accusat., super his. Et in istis iuratur de calumnia, supra, de iuram. calumn., inhaerentes. Multo fortius iurare deberet in spiritualibus quam in criminalibus. Aliae sunt mixtae, ut cum agitur de crimine civiliter, supra, de procurat., tuae. Haec probantur 14. q. 2, super prudentia; 11. q. 3, placuit; et 16. q. 1, frater noster. Et nota quod licet in causis spiritualibus de calumnia non iuretur, tamen si agatur possessorio pro re spirituali, iuratur de calumnia, supra, de elect., cum dilectus; et infra, de testib., praesentium; et infra, de except., pastoralis. Arg. ad hoc infra, de accusat., cum dilectus

Districtione
Supra, de iudic., dilecti; et infra, de dolo et contu., ad haec; 27. q. 2, sunt qui dicunt.

X 2.07.03 *In pertractandis*

Non passim
Quia non in spiritualibus, de iuram. calumn., litteras.

Principales
Supra, de iuram. calumn., inhaerentes; et infra, de iuram. calumn., caeterum. Ber.

Oeconomos
Supra, de iuram. calumn., inhaerentes.

Non nesciant
Aliter enim anceps subiret periurium, quod facere non debet, ff. de in litem iuran., videamus; et ff. de act. rerum amot., Marcellus § qui rerum.

Iurantis
Et ita syndicus collegii sive universitatis iurat in propriam animam. Sic tutores et curatores, cum habeant legitimam administrationem, C. de iureiuran., cum et iudices § sin autem vel dignitas. Secus est in procuratore qui non iurat, sed dominus principalis, C. de iureiuran., cum et iudices § sin autem affuerit alterutra pars; et in authentica ibi posita C. de iureiuran., authen. principales.

X 2.07.04 *Imperatorum*

Cogere non debemus
Sed videtur quod abbas potius esset compellendus, vel etiam alii quibus cura monasterii commissa est, ff. ad municip., municeps. Quia huiusmodi personae intelliguntur scire veritatem, ut ibi dicitur, ff. de condi. et demon., municipibus; C. de iureiuran., cum et iudices § hoc etiam, in fi. Et ideo tales instituendi sunt qui veritatem sciant, supra, de iuram. calumn., in pertractandis. Sic etiam contingit in procuratoribus, de procur., in pecuniariis. Sed aliud est in collegiis illis saecularibus, vel est speciale privilegium clericorum.

Decidant
Qui enim de calumnia iurare non vult, si est actor, cadit a causa. Et reus habetur pro confesso, ut hic, et infra, de iuram. calumn., cum in causa § poena; et C. de iureiuran., cum et iudices § quod si actor; et C. de iureiuran., cum et iudices § sin autem reus.

Oeconomum statuant
Oeconomus est cui res ecclesiastica gubernanda mandatur, 89. dist., quia in quibusdam; et 89. dist., volumus. Et idem est oeconomus quod syndicus sive procurator vel actor in causa universitatis sive collegii, de quo habes 9. q. 3, cum simus; et 5. q. 3, quia

episcopus; et supra, de synd., sicut. Et iste oeconomus auctoritate episcopi ordinari debet, C. de episc. et cler., omnes § nihilominus, et hic in fine. Et iste iurabit de calumnia sive sit reus sive actor. Si monachi hoc non faciant, tunc episcopus hoc facere debet, ut hic dicit. Et si episcopus in rebus sui episcopatus hoc neglexerit, tunc archiepiscopus sibi oeconomum constituet, 9. q. 3, cum simus.

Idoneum
Ideoneus est, dummodo causam omnino non ignoret, supra, de iuram. calumn., in pertractandis, et si sint bonae famae. Alias infamis et suspectus esse non debet, 5. q. 3, quia episcopus; et 3. q. 7, infamis; et 3. q. 7, infames. Contrarium tamen dicit lex, quod procurator propter infamiam non repellitur, Inst. de exception. § ulti. Hic habes quod de auctoritate episcopi syndicus constitui debet in ecclesiis sibi subditis. Et dic statuas, id est, auctoritatem praestes. Ber.

X 2.07.05 *Caeterum*

Caeterum
Haec est pars illius infra, de fideiuss., pervenit.

Novis morbis
Nam experimenta morborum cogunt nos invenire multas medicinas, 50. dist., ut constitueretur. Et quod medicamenta morbis exhibent, hoc iura negotiis, in Auth. haec constit. quae innov. const., in princ., coll. 8. Et quae de novo emergunt, novo auxilio indigent, ff. de interrog. act., de aetate § ex causa; et ff. ut in poss. legat., plane. Et novis rebus novum remedium est exhibendum, ff. de ven. inspic., temporibus, in princ.

Ad veritatem
Haec est praecipua causa quae iuramentum illud praestatur, ut veritas eliciatur, infra, de iureiur., ex litteris. Secunda ut timore iuramenti contentiosa litigantium instantia compescatur, C. de iureiuran., in omnibus.

Ab utraque parte
Utraque pars principalis dominus, scilicet istud iuramentum praestare debet, supra, de iuram. calumn., in pertractandis. Sed pone quod aliquis litigat per procuratorem, et dominus qui constituit procuratorem est longe remotus, puta ultra mare vel in alia peregrinatione. Quid erit in hoc casu, cum iste procurator de calumnia iurare non possit? In casu illo debet dari curator bonis, et ille iurabit de calumnia, ff. de curat. bon. dan., si quis; et ff. de curat. bon. dan., de curatore. Contra videtur supra, de iuram. calumn., inhaerentes, ubi dicitur quod clerici hoc iuramentum debent aliis delegare, et hic dicitur quod iurent. Non est contra, quia ibi loquitur de causis collegii sive universitatis, hic de causa propria singularis clerici.

Quae legi contraria est
Nota quod consuetudo quae contra legem est, non est servanda. Et haec consuetudo est contra legem quam habes C. de iureiuran., in omnibus; et C. de iureiuran., cum et iudices.

Et contra canones qui iuramentum admittunt, 2. q. 5, sacramentum; et 2. q. 5, nos sanctorum, et contraria decretalibus huius tituli.

X 2.07.06 *Cum causam*

Per procuratorem
Hic patet quod collegium sive universitas potest constituere procuratorem, et est expressum supra, de procurat., quia in causis; et supra, de procurat., petitio. Et canon etiam omnes administratores generali verbo procuratores appellat, 1. q. 3, Salvator. Et lex dicit quod monasterium se defendere debet per procuratorem, in Auth. de sanct. episc. § si vero episcopi, in fi., coll. 9. Et ita tam iure canonico quam civili collegium sive universitas constituit procuratorem. De hoc dixi supra, de procurat., petitio. Et talis procurator de calumnia iurabit, ut hic dicitur, et supra, de iuram. calumn., in pertractandis; et supra, de iuram. calumn., imperatorum. Sed cum iuramentum de calumnia sit de credulitate, ut secundum quod credit et existimat debeat respondere, C. de iureiuran., cum et iudices § 1. Numquid potest petere tempus ad deliberandum super eo de quo interrogatur? Et videtur quod non, quia aut credit aut non credit illud super quo interrogatur. Et ista statim potest et debet respondere: credo vel non credo. Nec potest dicere dubito, sed in sacramento de veritate dicenda potest dubitare. Unde habebit inducias ad deliberandum, si dicat se dubitare, ff. de interrog. act., qui interrogatur; C. de iure delib., si curatoris; et ff. de iureiuran., iusiurandum, 1. resp. Et etiam ubi de calumnia iuratur, datur tempus ad deliberandum. Sed si excommunicatus conveniatur, numquid praestabit hoc iuramentum? Videtur quod non, quia non est ei licitum ingredi sacra, ergo nec tangere ea, 5. dist., ad eius vero. Et quibus reliqua sacramenta negantur, quomodo unum genus sacramenti eis conceditur, ut 95. dist., illud. Dico quod bene debet praestare iuramentum non obstante excommunicatione, arg. infra, de sent. excom., a nobis est; et infra, de sent. excom., cum desideres, 1. resp., ubi iuramentum excommunicati non admittitur antequam absolvatur. Praeterea cum possit et debeat in iudicio respondere, omnia licent ei sine quibus causa expediri non potest, arg. supra, de offi. deleg., praeterea; et ff. de iuris., cui iurisdictio. Et est expressum arg. infra, de except., cum inter. Alioquin in potestate sua esset etiam respondere vel non respondere. Et sic reportaret commodum de sua malitia, quod esse non debet, infra, de sent. excom., si vere.

Alteram
Per hoc facta est litis contestatio, supra, de elect., dudum ecclesia; et supra, de litis contest., olim.

Interrogationibus et responsionibus
Omnia quae in iudicio fiunt sunt redigenda in scriptis, infra, de probat., quoniam. Quaedam vero interrogationes faciendae sunt ante litis contestationem, quae non debent omitti ante litis contestationem, reus debet interrogari an possideat rem quae petitur ab eo et pro qua parte, vel si desiit dolo possidere, ff. de interrog. act., qui servum § in iure; ff. de rei vend., qui petitorio. Et si quis respondeat se non possidere cum ipse possideat, si actor hoc probaverit, res auferenda est illi et debet dari actori, quamvis non probet rem suam esse, ff. de rei vend., in rem actionem, alias est penulti. Haec interrogatio omitti

non debet, ne iudicium delusorium sit, infra, ut lite penden., ecclesia 2. Et aliae interrogationes plures faciendae sunt, puta an sit heres, vel quota ex parte sit heres, et an in potestate servum habeat cuius nomine noxali iudicio agitur. Item an quadrupes quae damnum dedit, sit eius. Item an ex testamento sit heres. Item an aedes sit sua ex qua damnum timetur, quae colliguntur ff. de interrog. act., qui interrogatur; et ff. de interrog. act., si quis in iure; et ff. de interrog. act., si quis interrogatus; et ff. de interrog. act., si defensor § illud quaeritur; et ff. de interrog. act., non alienum. Item quod respondeat cuius aetatis sit reus, si de ea dubitetur, ff. de interrog. act., de aetate. Item quandoque et ante litis contestationem et post litis contestationem ubicumque aequitas movet iudicem, debet interrogare, ff. de interrog. act., ubicumque; et 30. q. 5, iudicantem. Pars ad interrogationem adversarii respondere non cogitur. Tamen si responderit, tenet responsio, ff. de interrog. act., si sine; et infra, de dolo et contu., prout. Et certum debet respondere, ff. de interrog. act., de aetate § nihil. Ber.

X 2.07.07 *Cum in causa*

Per illum
Istud regulare est, supra, de iuram. calumn., cum causam; et supra, de iuram. calumn., in pertractandis; et supra, de iuram. calumn., imperatorum; et supra, de iuram. calumn., inhaerentes.

Per teipsum
Ex quo assumpsit officium in se, debet iurare de calumnia, cum sit accessorium sine quo non potest causa expediri, arg. supra, de offi. deleg., praeterea; et supra, de offi. deleg., prudentiam. Et in hoc ei defertur, quia non tangit sacra, sicut et in testimonio, 11. q. 1, imperator; et C. de episc. et cler., authen. si iudex; et in Auth. de sanct. episc. § nulli vero, coll. 9; et 2. q. 5, qua de causa. Quandoque tamen tangit sacra, 1. q. 7, quotiens; et C. de episc. et cler., authen. si iudex. Sed contra supra, de iuram. calumn., inhaerentes, ubi dicitur quod episcopus iurare non debet, sed aliis hoc officium delegare, non est contra, quia non dicitur ibi quod non debeat iurare, sed dicitur quod non debeat compelli, ut ibi dicitur.

Poena
Sic supra, de iuram. calumn., imperatorum; et C. de iureiuran., cum et iudices; in Auth. ut litig. iur. § si autem, in fi., coll. 9, unde sumptus est § iste. Sic actor qui non vult iurare, cadit a causa. Sed numquid ipso iure an per sententiam? Dicas quod per sententiam iudicis, quia iudex procedit contra illum ac si nihil probasset reum absolvendo, et eodem modo de reo, C. de iureiuran., principales, in fi. Ber.

X 2.08 DE DILATIONIBUS

X 2.08.01 *Dilecti filii*

Nimis brevem
Sed quem terminum dicis nimis brevem, cum hic non exprimatur quot dierum terminum iudices statuerunt? Hoc relinquo arbitrio iudicis inspecta qualitate negotii, et locorum distantia, infra, de appell., cum sit Romana.

Peremptorium
Quod esse non debet, immo tribus edictis vel uno peremptorio quod continere debet tantum tempus quantum tria edicta, 24. q. 3, de illicita, circa medium, vers. quicumque; et in Auth. de litigios. § si vero casu, coll. 8; et ff. de re iud., contumacia; et ff. de iud., ad peremptorium; et ff. de iud., nonnumquam. Unde quia nimis brevem terminum statuerunt, iusta fuit causa appellandi, ex causa tamen peremptorium istud potest moderari sicut iudex viderit expedire, ff. de iud., nonnumquam; et supra, de offi. deleg., consuluit, circa fi., et hic, vers. nisi forte. Sicut tempus quod datur condemnatis arbitrarium est, infra, de re iudic., quod ad consultationem; et ff. de re iud., qui pro tribunali. Sic et tempus appellationis potest moderare iudex, infra, de appell., cum sit Romana; et infra, de appell., cum speciali. Et qui ex causa nimis brevem terminum peremptorium statuerit, exprimere debet causam in citatione, ut pars illa causam non habeat appellandi, supra, de in integ. restit., tum ex litteris, in fi.

X 2.08.02 *Praeterea adiecisti*

Deliberare valeat
Simile 3. q. 3, offeratur; et in Auth. de litigios. § omnem, coll. 8. Ber.

Plene potuit
Quia in litteris continetur quid velit petere et causa petendi et qualiter agere velit. Et res a parte specificantur, quod facere debet qui aliquid petit, supra, de libel. oblat., significantibus; et supra, de libel. oblat., dilecti, ubi de hoc; et ff. de rei vend., si in rem. Sed raro contingit quod per litteras Papae omnia sic specificentur. Sic et in criminali debet apponi in litteris citatoriis quicquid reo obiicitur, ut paratus veniat, 5. q. 2, si primates. Quidam vero ad cautelam in fine citationis apponunt libellum actoris, ut sic plene deliberare possit. Et si tunc per litteras vel libellum plene instrui potuit, non debet alias inducias deliberatorias habere, quia potuit plene esse instructus, nisi forte ad quaerendum advocatum et consimilia amicorum, 3. q. 3, de induciis; et ff. ex quib. cau. maio., ab hostibus § sed quod simpliciter. Sed in hoc casu cum ad libellum debeat respondere de ipso facto, non dabuntur induciae ad quaerendum advocatum, arg. supra, de iudic., pastoralis. Quia per factum ipsum de quo agitur debet scire utrum verum sit quod ab eo petitur vel non. Alias enim dilatio semper danda est ei qui vocatur ad iudicium, 3. q. 3, offeratur. Sed actori dilatio ab initio dari non debet, quia instructus venire potuit, 3. q. 3, spatium, vers. ei autem. Item dantur dilationes gratia testium vel instrumentorum quandoque secundum distinctionem illius legis C. de dilation., quoniam; et 3. q. 3 § spatium. Dilationes istae hodie videntur arbitrariae, ut iudex considerata locorum distantia, et temporis qualitate inducias concedat, arg. infra, de appell., cum sit Romana; et infra, de appell., cum speciali, ultra medium; et infra, de re iudic., quod ad consultationem. Nisi forte illis de quibus dicitur 3. q. 3 § spatium; et C. de dilation., quoniam. In illis induciis non debet iudex maiorem dilationem dare, sed illas bene potest

abbreviare, ut ex illa littera patet. In pecuniariis causis tantum una dilatio debet dari, et illa sine causae cognitione. Secunda vel tertia danda non est, nisi causa cognita, ff. de feri., in pecuniariis; et ff. de feri., oratione. In criminali dantur duae actori, tres reo, ff. de feri., in pecuniariis. Et dilatio dari debet iudice sedente pro tribunali, et utraque parte praesente, et causa cognita de plano vel semiplene, 3. q. 3 § spatium, vers. a iudice. Et data dilatione iudicis officium conquiescit donec tempus dilationis effluxerit, C. de dilation., sive pars; et infra, de appell., significante. Item iudex debet dare dilationem quandoque ad malitiam rei convincendam, infra, de dolo et contu., prout; et infra, de dolo et contu., cum olim, vers. volentes. Item potest facere gratiam etiam post peremptorium, supra, de offi. deleg., consuluit, ultra medium.

X 2.08.03 *Litterae tuae*

Tribus annis et ultra

Si quis non solvit pensionem rei ecclesiasticae in emphyteusim datae per biennium, cadit a iure suo, 10. q. 2 § hoc ius porrectum, vers. qui rem huiusmodi; et infra, de loc. et cond., propter; et infra, de loc. et cond., potuit. Hodie vero potest emphyteuta purgare moram, si celeri restitutione sibi prospexit, ut in dictis decretalibus. In re privati requiritur triennium, C. de iure emphyt., in emphyteuticariis. Idem est si colonus cessaverit in solutione pensionis per biennium in re sibi locata, ff. locat. et conduct., quaero § inter locatorem. Et hoc cum ad longum tempus fuit locatio facta. Pro re autem fisci similiter cadit a iure suo, ff. de publican., vectigalia § nondum solutis. Tamen sine auctoritate principis agri publici revocari a curatore fisci non possunt qui perpetuo locati sunt, ff. de publican., cotem ferro § agri. Haec autem adiectio, et ultra, nisi aliter exprimeretur, ad modicum tempus refertur, ff. de ver. sig., haec adiectio. Et licet per hanc adiectionem, et ultra, non constet de certa quantitate temporis, nil nocet quantum ad iudicem et reum, quia certi sunt super hoc quod dixit post triennium, quod tempus sufficit ad condemnationem, quod patet per iura praedicta. Unde superflue additum fuit et ultra, et pro nihilo petebatur determinatio illius quantum ad rei restitutionem. Unde non debuit eis dare tempus ulterius ad deliberandum, quia plene potuit instrui per libellum primum sine ulla adiectione, supra, de dilat., praeterea. Si vero pensio tantum subtracta peteretur, quae diceretur non soluta tribus annis et ultra, tunc bene peteretur, ut determinaretur illud ultra, quia quantum ad illud tempus.

X 2.09 DE FERIIS

X 2.09.01 *Omnes dies*

Omnes dies Dominicos

Sic infra, de fer., conquestus; et C. de feri., omnes dies. Quod dicit de vespera sabbati, non servatur quantum ad causas. Immo potest iudex procedere usque ad illam horam, qua possit perficere quod incumbit ante noctis tenebras, supra, de offi. deleg., consuluit. Sed quantum ad celebrationem officiorum hoc dicitur infra, de fer., quoniam.

Ad mortem
Maxime quia nec aliqua causa tunc tractari debet, nisi pietas hoc suadeat, infra, de fer., conquestus.

Nisi pro pace
Pro pace quidem omni die iurari potest, cum sit opus pietatus, 22. q. 1, omne quod; arg. infra, de fer., conquestus.

Necessitate
Puta pro fide, pro obedientia, pro fama, supra, de elect., significasti, ubi de hoc.

X 2.09.02 *Quoniam in parte*

Scriptum sit
Ergo ita servandum est, 6. q. 3, scriptum est; ff. qui et a quib. man. lib., prospexit.

Prius incipere
Dies incipit et terminatur diversis horis diverso respectu, incipit in vesperis quantum ad officii celebrationem, ut hic, et canonicam computationem fictione iuris, 75. dist., quod a patribus. Quo ad iudicium incipit in mane et terminatur in fine diei ante noctis tenebras, supra, de offi. deleg., consuluit; et in Auth. de iudicib. § sedebunt, coll. 6. Quo ad contractus media nocte terminatur et incipit, ut in decretali supra, de offi. deleg., consuluit; et ff. de feri., more. Quo ad esum carnium post coenam, de conse. dist. 3, de esu. Quantum ad observationem treugae in ortu solis, supra, de treug., treugas. Et secundum consuetudinem locorum consideratur hoc, 76. dist., utinam.

Praecipuis
Quae enumerantur de conse. dist. 3, pronunciandum; et infra, de fer., conquestus.

In secreto
Arg. contra 30. dist., si quis presbyter; et 76. dist., scire. Sed illa contraria intelliguntur cum determinatione istius.

Consuetudines
Simile 12. dist., illud; et 12. dist., illa; et 76. dist., utinam; et infra, de sepult., certificari. Et sic consuetudo cuiuslibet loci servabitur.

In octavis
Arg. contra infra, de fer., capellanus, ubi dicitur quod Pentecostes caret octavus.

Ecclesia siquidem Romana
Et sic est arg. quod consuetudo Romanae ecclesiae non est ab aliis observanda, arg. 11. dist., quis nesciat. Arg. contra 12. dist., novit; et 12. dist., non decet. Ber.

X 2.09.03 *Licet tam veteris*

Septimum diem
Vetus testamentum ad litteram praecipiebat sabbatum custodiri. Novum vero spiritualiter illud servat, primam diem pro septimana celebrando. Sicut enim carnalia sacramenta ad litteram servare non possumus, ita nec sabbatum ad litteram licet servare, de conse. dist. 3, pervenit ad me.

Maiestati
Infra, de fer., conquestus; et C. de feri., omnes dies.

Martyrum
Infra, de fer., conquestus; et de conse. dist. 3, pronunciandum.

Maioribus
Ut puta nativitatis Domini, diei Epiphaniarum, Paschatis, Ascensionis Domini et Pentecostes.

Alecia
Genus piscis est et raro et certis diebus apparet. Ideoque propter necessitatem facilius indulgetur dominicis diebus, ut captioni intendant. Sic enim propter necessitatem vel pietatem posset eodem die iudicium exerceri, infra, de fer., conquestus; et ff. de feri., solet; et ff. de feri., divus.

Ecclesiis circumpositis
Quibus propter eandem necessitatem congruam faciant portionem, et praecipue illis in quarum territorio captio facta est, quia quasi decimae praediales esse censentur, unde saltem pro decima parte eis solvant, infra, de decim., ad Apostolicae.

X 2.09.04 *Capellanus tuus*

Statuta canonica
33. q. 4, non oportet 2.

Continuandas
Ipsi festo beati Ioannes.

Alii vero
In his vero quae ad solemnitatem spectant, diversa tenere non est peccatum, quia unaquaeque provincia abundat in suo sensu, 76. dist., utinam; et 12. dist., illud; et 12. dist., illa; et infra, de sepult., certificari; 12. dist., novit.

Quocumque tempore
Et ita quolibet tempore potest matrimonium contrahi. Sed nuptiarum solemnitas tantum his diebus, ne carnaliter coniungantur, prohibentur. Simile infra, de matr. contrac. con. int., litterae. Et secundum hoc intelligitur 33. q. 4, non oportet 1; et 33. q. 4, non oportet 2; et 33. q. 4, nec uxorem.

Consensu legitimo
Scilicet mutuo, quia solus consensus facit matrimonium, 27. q. 2, sufficiat; et infra, de spons., si inter.

Subtiliori
Subtilitas hic commendatur, sed alibi non excusat errantes in fide, 24. q. 1, schisma. Alibi etiam subtilitas perniciosa est, C. ad Trebel., sancimus; et supra, de iudic., dilecti; et supra, de iudic., examinata. Nec de apicibus iuris est disputandum, ff. mand. vel cont., si fideiussor § quaedam .

X 2.09.05 *Conquestus*

Non prorogari
Infra, de dolo et contu., finem; et infra, de dolo et contu., venerabilis; et C. de iud., properandum, circa princ. Et boni praetoris est lites diminuere, ff. si cert. pet., quidam; et infra, de re iudic., iurgantium. Nec permittere debet praetor partes ad arma vel rixam venire, quas potest sua iurisdictione compescere, de usufru., si cuius § aequissimum.

Quibus utique solemnibus feriis
Nota quod feriae dierum praecedentium introductae sunt ob reverentiam Dei, ut hic dicit in princ., et C. de feri., omnes dies; et C. de feri., dies festos. Et solemnes feriae appellantur. Aliae etiam feriae dicuntur solemnes ob reverentiam principis et honorem, ut dies nativitatis suae, vel dies principii de imperio, C. de feri., omnes dies. Item et aliae feriae dicuntur solemnes, ut tempus messium et tempus vindemiarum de quibus hic inferius sequitur, et ff. de feri., ne quis messium. Et iste feriae inducuntur ad requiem laboris, ut quiescant tunc homines a causis. Et istae feriae inducuntur variis temporibus secundum diversitatem locorum, quia quidam tardius colligunt messes sive vendemiam, quidam citius, ff. de feri., praesides. Feriis introductis ob reverentiam Dei partes renunciare non possunt, ut hic dicit expresse. Aliis autem feriis introductis ob favorem hominum, bene possunt partes renunciare, ut hic in fi. Compelli tamen non possunt nisi in casibus supra, de iudic., significaverunt; et ff. de feri., ne quis messium § ulti.; et ff. de feri., eadem oratione. Alias non valet sententia, ut ff. de feri., ne quis messium. Et istae feriae omnes continuae sunt, et computantur in anno vel biennio appellationis prosequendae. Et quolibet die feriato potest quis appellare, sed non prosequi appellationem, C. de feri., quoniam. Tempore messium vel vindemiarum quandoque compelluntur aliqui ad iudicium venire, supra, de iudic., significaverunt, saltem ut litem contestatur, puta si actio vel res sit tempore peritura, puta actio furti, iniuriae damni et aliae, ut supra, de iudic., significaverunt; et ff. de feri., ne quis messium § sed excipiuntur; et ff. de feri., eadem oratione; et ff. de feri., solet. Ea vero quae pertinent ad pacem vel concordiam quolibet die feriato possunt expediri, C. de feri., dies festos, puta transactiones, pacta, ut ibi.

Necessitas
Puta si esset res tempore peritura. Exempla plura habes ff. de feri., ne quis messium; ff. de feri., eadem oratione; et ff. de feri., solet. Et ubi res celeritatem desiderat, ff. de damn. infect., cum res.

Pietas
Puta causa debilium vel miserabilium personarum, quia in operibus misericordiae dierum distinctio non est habenda, arg. 76. dist., utinam; et de conse. dist. 5, numquam. Et summa est ratio quae pro religione facit, ff. de rel. et sump. fun., sunt personae. Ber.

X 2.10 DE ORDINE COGNITIONUM

X 2.10.01 *Intelleximus*

Cognoscendum
Ex hac decretali colligitur manifeste quod cum reus in modum exceptionis aliquam exceptionem obiicit actori, de illa incidenti tantum cognosci debeat fundata intentione actoris primo, C. de probation., exceptionem; et C. de exception., si quidem. Et non sententiare super ea, sed tantum super principali pronunciandum sit. Super hoc fuit diversitas inter doctores. Bulg. dicebat quod super incidenti quaestione sive exceptione pronunciari non debet, sed tantum cognosci de ipsa, sed super principali solummodo, quia eo ipso quod pronunciatur super principali quaestione, satis intelligitur esse pronunciatum super incidenti per quandam consequentiam. Et hoc dicebat per leges illas C. de ordi. iudic., adite; et C. de ordi. iudic., si quaestio. Et quia ibi dicitur, ad officium iudicis pertinet universam incidentem quaestionem examinare, quoniam non de ea pronunciat sed de hereditate, C. de ordi. iudic., si quaestio, 2. resp.; et C. de adulter., quoniam Alexandrum; et C. de lege Fab. de plag., praeses provinciae. Mart. et Placen. dicebant quod super hac semper debet pronunciari, ff. de iud., de qua re; et infra, de caus. poss. et propr., cum super; et ff. de minor., intra utile; et ff. de praevaric., praevaricationis; et ff. de liber. caus., liberis § ulti. Nisi impediatur propter conditionem suae personae, quia est pedaneus iudex, ut C. de iud., quotiens. Vel conditionem rei, vel quia pupillus est cui movetur quaestio status incidenter, tunc non pronunciatur super causa status sed super hereditate, C. de ordi. iudic., adite. Dominus Bazian. et Azo cum eo distinguit et bene inter quaestiones sive exceptiones incidentes et emergentes. Incidens quaestio dicitur quae competit reo etiam ante litis contestationem, puta pactum de non petendo, res iudicata, delatio iuramenti, consanguinitas quae obstat matrimonio, vel aliud quodque impedimentum perpetuum et consimilia. In his enim obtinet sententia Bulg., quia non pronunciatur in his sed super principali, ut hic expresse apparet. Et in his non pronunciatur nisi quando civilis incidit in criminali vel econtra, 3. q. 11 § aliquando, vers. qui confitetur; et C. de adulter., quoniam Alexandrum; C. de lege Fab. de plag., praeses provinciae. Et econtra, cum civilis civili praeiudicat, infra, de ord. cognit., tuam; et 3. q. 11 § si de hereditate; infra, qui fil. sint legit., lator. Emergentes dicuntur illae quae competunt et emergunt in lite, puta an dilatio sit danda an non, an talis testis sit recipiendus vel non, an talis positio vel interrogatio facienda sit vel non, vel utrum aliquis sit in possessione libertatis vel non. Et non in istis emergentibus obtinet sententia Mart. et Placen. Et sic intelligitur lex illa ff. de liber. caus., liberis § ulti. Et in istis pronunciari debet, alias non posset procedere iudex in principali, nisi in his pronunciaretur, et sic intelligitur lex ff. de iud., de qua re; et decretalis infra, de caus. poss. et propr., cum super. Vel dic de qua re cognovit, verum est principaliter. Ad illam legem ff. de minor., intra utile, respondetur quod ibi non fuit pronunciatum super incidenti sed super aetate, et est

speciale. Vel ut restitueretur in integrum ratione aetatis fuit pronunciatum, et ita per consequentiam super aetate pronunciatur. Ad legem illam ff. de praevaric., praevaricationis, dicunt quod speciale est ibi. Vel dicas quod necessarium est ut ibi pronuncietur de praevaricatione antequam admittatur ad accusationem. Et in modum replicationis illud obiicitur, et quia illud competit ante litem contestatam tantum, ideo pronunciatum est, et in hoc est simile exceptioni dilatoriae, quia in hoc ante litem contestatam debet opponi. Et ideo debet pronunciari super illa sicut in dilatoriis ante litem contestatam pronunciatur, et postea est peremptoria. Arg. contra infra, de fide instrum., cum Ioannes, ibi pronuniciat Papa super exceptione incidenter proposita in causa appellationis. Ratio ibi potest assignari, quia cum non pronuncietur in causa appellationis directe super principali quaestione, sed tantum confirmatur vel infirmatur sententia, pronunciari debet super incidenti quaestione opposita in causa appellationis. Vel si pronunciatur super talibus, non est contra substantiam ordinis iudiciorum, et super incidenti sive peremptoria exceptione pronunciatur, supra, de elect., cum dilectus, ad fi. Illa exceptio videtur potius incidens quam emergens. Et idem etiam potest dici in lege ff. de minor., intra utile, quod pronunciatum fuit super incidenti quaestione, scilicet super aetate, nec propterea ius offenditur, nec est contra ordinem iuris quod ibi pronuncietur super aetate, quae fuit incidens quaestio, nec dicitur in iure quod talis sententia non teneat.

X 2.10.02 *Cum dilectus*

Armata
Illa vis quae fit cum armis publica est. Quae vero sine armis privata dicitur, Inst. de public. iudic. § item lex Iulia de vi publica; et ff. ad leg. Iul. de vi public., lege Iulia 1. Unde isti plus peccaverunt. Unde versus: vis privata reum deponit ab ordine rerum // sed deportatur si vis armata probatur.

Exceptionis
Ergo qui excipit, non contestatur litem. Et sic patet quod qui negat, non excipit. Ergo qui excipit, non confitetur, ff. de exception., non utique; et infra, de except., cum venerabilis.

Ipsius dolum
Sed quare debuit nocere ecclesiae dolus abbatis sive violentia, cum delictum personae etc., 16. q. 6, si episcopum? Sed hic totus conventus consenserat abbati vel ab initio vel ex post facto, arg. infra, de restit. spol., cum ad sedem, in fi. Sed ratihabitio in maleficio retrotrahitur, et mandato comparatur, ff. de vi et de vi arm., praetor ait § sed et si cum quis.

Incontinenti
Hoc multum faciebat ad hoc ut restituerentur, infra, de restit. spol., litteras; et infra, de testib., veniens 2.

Retentionis
16. q. 3, placuit, vers. quod si mala; et C. de praescri. trig. vel quad. ann., si quis emptionis § quod si quis.

Contra spoliatorem
Vel contra eum qui mandavit vel ratam habuit spoliationem. Sic infra, de restit. spol., cum ad sedem, in fi.; et ff. de vi et de vi arm., cum a te. Nisi scienter rem recipiat a deiectore, cum per hoc ei succedat in vitium, infra, de restit. spol., saepe; et supra, de iudic., quia V, et hic, quia per dolum abbatis spoliati sunt. Et latius patet restitutorium iudicium secundum canones quam secundum leges, etiam ubi quis dolo vel metu perdit rem, 3. q. 1, redintegranda sunt omnia. Secus est in actione quod metus causa, quae datur contra illum qui metum non adhibuit, ff. quod metus cau., si cum exceptione § in hac.

Iuxta regulam iuris
ff. de iud., qui prior. Ber.

Eadem sententia terminandae
Nam si isti nobiles proposuissent spoliationem suam in modum actionis directae, essent duae principales quaestiones, conventio scilicet et reconventio, et tunc simul sunt tractandae, ut supra, de mut. petit., ex litteris. Et non valet sententia super una, nisi et super alia in eadem instantia feratur, ff. quae sent. sine appel., illud § ulti.; et C. de compensat., neque scriptura. Vel saltem appellandum est, et ibi dicitur in lege primo inducta. Et unam vocat hic sententiam pro tanto, quia continue una post aliam fertur, sed re vera duae etiam sententiae sunt, infra, de caus. poss. et propr., cum ecclesia; et infra, de caus. poss. et propr., cum super. Nam quot sunt articuli tot sunt sententiae, ff. de minor., etiam § ex causa.

In modum exceptionis
Hic patet quod quaestio spoliationis non praeiudicat civili quaestioni, nisi proponatur in modum exceptionis, sed criminali semper praeiudicat, sive in modum exceptionis sive in modum actionis proponatur, et sic loquuntur iura 3. q. 1, per totum; et 3. q. 2, per totum; et 2. q. 2, per totum. Quidam intelligunt hanc decretalem cum ambae quaestiones sunt posessorie. Sed hoc non est verum, quia abbas non agebat hic possessorio iudicio, immo hic petebat sibi iustitiam fieri super damnis sibi datis in praedis animalium et in aliis, ut patet in antiqua decretali. De hoc dicitur infra, de ord. cognit., super spoliatione. Illud potest hic quaeri, utrum exceptio spoliationis interrumpat praescriptionem. Et est dicendum quod non, quia praescriptio in odium non petentium inducta est, infra, de praescrip., vigilanti; et 16. q. 3 § potest. Sed qui excipit, non petit, sed petentem repellit, ut hic, et ff. de exception., exceptio dicta, ergo non interrumpit. Licet sit arg. contra ff. quod metus cau., metum § sed quod praetor, in fi., ubi dicitur quod excipiendo videtur experiri; et ff. rem rat. hab., quo enim tutiore, in fi.; et ff. de exception., agere; et ff. de probation., in exceptionibus. Item quaeritur utrum exceptio spoliationis possit opponi in qualibet causa? Et potest dici quod non, quia non opponitur actioni depositi, quia ibi non admittitur compensatio, C. de compensat., compensationes; et C. deposi., si quis vel pecunias; et infra, de deposit., bona fides § sane. Alii dicunt quod petenti depositum bene obstat exceptio spoliationis, quoniam obiicitur petenti restitutionem, saltem in modum reconventionis et etiam exceptionis, et quaestio spoliationis est privilegiata, infra, de ord. cognit., super spoliatione. Et ideo satis videtur quod opponi possit actioni depositi, quia favorabilior videtur spoliatio quam actio depositi, licet illa sit bonae fidei. Sed quid si in

modum exceptionis probavi spoliationem, numquid eaedem probationes valebunt, si volo directe petere possessionem? Dico quod non, nisi adversarius consentiret, infra, de testib., veniens 2. Sed pone quod succubui in exceptione, numquid possum postea directe agere possessorio? Videtur quod non, quia eandem quaestionem volo refricare, licet alio genere iudicii, quod non licet, ff. de excepti. rei iud., si quis cum totum § et generaliter. Sed tamen dico quod possum, nec impedit si succubui, quia possessorium directe etiam potest intentari ex dissimilibus causis, infra, de dona., inter dilectos. Et si primo agatur criminaliter et non obtinuit, postea agi potest civiliter, C. quan. civ. act. crim., a plerisque.

Non cogerentur

Quia nec nudi contendere nec inimicis inermes debemus nos opponere, 3. q. 2, oportet. Sed si conveniatur ab alio quam a spoliatore, non obstat ei exceptio spoliationis. Sed si criminaliter accusetur, potest excipere quod spoliatus est ab alio quam a suo accusatore, si tota sua substantia vel maiori parte sit spoliatus, ut in quadam constitutione Inno. iiii infra, de restit. spol., extravag. frequens. Et sic intelliguntur canones isti 2. q. 2, per totum; et 3. q. 2, per totum.

Restitutio facienda

Quia ad hoc non agebatur. Semper enim videndum est ad quid agatur, quia secundum modum agendi formatur sententia, infra, de simon., licet Heli; et infra, de accusat., super his; et melius infra, de accusat., qualiter et quando 1. Nec enim potestas iudicandi ultra id extenditur quam in libello est deductum, ff. comm. divid., ut fundus. Arg. contra infra, de concess. praeben., ex parte; et 24. q. 3, ecce; et infra, de confess., cum super; et supra, de elect., per inquisitionem; et ff. de adulter., ex lege § si publico, ubi accusator convictus in modum exceptionis punitur, sed testis non punitur, licet crimen ei in modum exceptionis probetur, ut dicitur infra, de except., denique. Nec infamis reputatur, ut hic, licet eius testimonium reprobetur, ff. de his qui not. infam., Lucius. Item quid dices si probetur excommunicatio in modum exceptionis contra aliquem, ut repellatur a testimonio vel ab electione, numquid debet vitari? Potest dicit quod si ex tali facto publica fama laborat, non est ei communicandum, infra, de sent. excom., cum desideres § secundae; arg. 2. q. 1, multi, vers. si quis frater nominatur etc. Idem dico si in modum exceptionis crimen probetur testi, quod impedit promovendum, arg. supra, de elect., super eo, ut si gravata sit eius opinio, infra, de testib., testimonium. Nec sufficit quod ex tali facto non irrogetur infamia, sed quod eius opinio in nullo vacillet, 33. dist., laici. Sicut dicit lex de eo qui fustibus caesus est, licet non sit infamis, tamen ad honores non debet admitti, ff. de decur., eos. Sic C. de adulter., et si libidine; 81. dist., tantis; infra, de accusat., omnipotens; et C. de procur., reum. Et sic propter talem infamiam facti potest indici purgatio, arg. infra, de sent. excom., cum desideres § secundae; 2. q. 1, multi, vers. si quis frater nominatur. Ad contraria signata superius dicas, quod illud capitulum 24. q. 3, ecce, intelligitur cum de crimine constat, sive accusando sive denunciando aut inquirendo, et quocumque tali modo constet, punitur. Et ideo dicit, ecce crimina undecumque claruerint etc. Ad illam decretalem infra, de confess., cum super, sic respondeas, quia ibi testis in iure confessus est, et crimen illud continebat causam de qua agebatur, unde punitus fuit, infra, de except., denique, in fi. Et ei obiectum fuit quod esset particeps simoniae, unde interrogatus et confessus punitur. In illa per inquisitionem agebatur, ibi: tam in capite quam in membris. Ad legem illam ff. de adulter., ex lege § si

publica. Potest dici quod iudex qui cognoscit de adulterio ex officio suo punit maritum de lenocinio sine accusatore, quia cum exceptio lenocinii non prosit uxori, obesse debet marito, alias maritus non puniretur de crimine, quod esse non debet, quia publicae utilitatis est, ne crimina remaneant impunita, infra, de sent. excom., ut famae; et ff. ad leg. Aquil., ita vulneratus, vers. fi.

Reprobatur
Arg. contra infra, de testib., cum tu, ubi dicitur: ne periurii reatu notentur. Sed illud intelligitur quo ad factum et opinionem. Et quod hic dicit, referas ad ius, quia de iure non censetur infamis. Sed infamiam facti forsitan non evitat, ut ibi dicitur. Et hoc dicitur expresse, ff. de obseq. praest., honori. Ber.

X 2.10.03 *Tuam non credimus*

Ad forum ecclesiasticum
Et ita causa natalium ad ecclesiam pertinet. Quae sint illae causae quae spectant ad ecclesiasticum forum, dictum fuit supra, de for. compet., cum sit; et supra, de for. compet., licet ex suscepto; et supra, de for. compet., ex tenore.

Dependentem ex illa
Ex hoc loco satis patet quod si quaestio praeiudicialis incidat in causa, de ea sola primo est cognoscnedum antequam de principali, quia ea probata principalis quaestio est perempta, ut hic dicitur. Et nota quod si duae sint principales quaestiones, et sunt ambae civiles, quae primo proponitur primo tractatur, et una sententia terminatur, supra, de ord. cognit., cum dilectus; et ff. de iud., qui prior. Sed quandoque quaestio civilis incidit et praeiudicat civili, et tunc de incidenti est antea cognoscendum et pronunciandum, ut si quis agit de hereditate directe, et alter incidenter proponat quod non sit legitime natus, de hac est ante pronunciandum, ut hic, et infra, qui fil. sint legit., lator. Vel si proponatur quaestio servitutis, et haec primo expedienda est, 3. q. 11 § si de hereditate; et C. de ordi. cog., si de hereditate. Quandoque quaestio civilis praeiudicat criminali, et est primo tractanda, ut si aliquis qui credat se liberum accusetur de crimine, et postea moveatur ei quaestio status, primo tractabitur incidens quaestio de statu, 3. q. 11 § si crimen; et C. de ordi. cog., si crimen; et C. de adulter., quoniam Alexandrum; et C. de lege Fab. de plag., praeses provinciae. Quandoque criminalis praeiudicat civili, ut 3. q. 11 § aliquando, vers. civili. Quandoque criminalis praeiudicat criminali, 3. q. 11, dicto § aliquando; 3. q. 11, prius est, ubi de hac materia habes satis. Et sic quandoque una quaestio dependet ab altera. Et tunc non sunt simul tractandae, quia sic esset diversos intricare processus et sine utilitate. Simile supra, de iudic., exhibita, ubi simul de principali et exceptionibus cognoscere voluerunt iudices, quod esse non debet, supra, de offi. deleg., prudentiam § sexta; et supra, de for. compet., ex parte; et supra, de for. compet., ex tenore.

Successionis
Super comitatu campaniae, in quo dicebat regina ista se debere succedere.

Patienter expectes
Et ita patet quod iudex civilis etiam incidenter, et per reconventionem de causa spirituali cognoscere non potest, infra, qui fil. sint legit., causam quae 1; et infra, qui fil. sint legit., lator, et hic. De hac materia dictum est supra, de iudic., at si clerici. Sed contra videtur quod saltem incidenter de tali quaestione cognoscere possit, C. de iud., quotiens; C. de ordi. iudic., aditae; ff. de iuris., si idem; et ff. de iud., qui non cogitur. Sed est verum quod prius dicitur, licet secus sit in contrariis causis civilibus.

X 2.10.04 *Super spoliatione*

Restitutionem petentem
Qui enim petit restitui, ab adversario reconveniri non potest petitorio, sed super alia spoliatione bene potest, ut hic dicitur. Nec potest ei inferri quaestio proprietatis ab eo, super eo de quo convenitur, ff. de iud., si de vi et possessione; et C. de rei vend., ordinarii; et infra, de restit. spol., in litteris; et infra, de restit. spol., item cum quis; et infra, de restit. spol., ex conquestione, nisi primo fuerit restitutus, ut hic, et infra, de restit. spol., sollicite. Unde nota quod ubi duae quaestiones possessoriae proponuntur a diversis, illae possunt simul tractari, ut hic secundum illam regulam: qui prior appellat, prior agat, ff. de iud., qui prior. Et tunc una sententia debent terminari, supra, de ord. cognit., cum dilectus, quia utraque spoliatio privilegiata est. Si vero unus agit petitorio et aliter possessorio, distingue qualiter reus obiiciat spoliationem. Si enim petat directe restitui, duae sunt petitiones, quia in modum actionis fit reconventio de spoliatione, et tunc simul tractandae sunt, ut supra, de ord. cognit., cum dilectus. Si in modum exceptionis proponatur spoliatio, tunc primo tractatur exceptio spoliationis, secundum quod dicitur in illa decretali supra, de ord. cognit., cum dilectus. Si vero quis agat de spoliatione contra suum spoliatorem vel etiam de re alia, tunc spoliator potest opponere exceptionem de sua spoliatione et in modum actionis et in modum exceptionis, ut hic dicit. Sit ergo cautus quid sibi magis expediat, utrum agere directe vel excipere. Si magis expediat reo possidere rem adversarii quam suam recuperare, excipiat, quia probata exceptione sua non compellitur respondere, nisi primo fuerit restitutus, ut in capitulo supra, de ord. cognit., cum dilectus. Si magis expediat recuperare rem qua est spoliatus, proponat spoliationem suam directe, et ea probata restitueretur, ut colligitur hic, et supra, de ord. cognit., cum dilectus. Et idem si petitorio agatur, quia reus dupliciter potest proponere suam spoliationem, ut supra, de ord. cognit., cum dilectus. Et hoc cum super diversis rebus fit conventio et oppositio spoliationis. Secus videtur quando super eadem re fit conventio et reconventio, quia tunc utilius est proponere spoliationem in modum actionis, infra, de restit. spol., ex conquestione. Quia restituetur in eo casu ante ingressum principalis causae. Si vero in modum exceptionis, non restituetur sed repellit agentem. Et sic utroque casu praeiudicat quaestio spoliationis in hoc casu. Item recompensatio non potest opponi petenti restitutionem, quia sic indirecte admitteretur reconventio, C. de compensat., compensatione; arg. infra, de except., cum inter, in fi. Item in momentanea possessione cessat reconventio, C. qui legit. pers. in iud., momentariae. Sed si ago contra te possessorio, et tu reconvenis me possessorio, et ego excipio contra te in modum exceptionis, de spoliatione eadem de qua convenio te, numquid debeo admitti? Dico quod sic, quia ad aliud proponitur ut actio, ad aliud ut exceptio, arg. ff. de inoffic. testam., contra veterani, alias est ff. de inoffic. testam.,

Papinianus § sed neque impuberis; et infra, de testib., veniens 2; et infra, de testib., cum in tua. Sed quid si ille excipiat de sua spoliatione? Dico quod potest et elidit actionem meam, et ita remanet conventio et reconventio inefficax. Si autem expediret ei magis agere quam excipere, proponat de sua spoliatione in modum replicationis, et sic per replicationem elidit exceptionem meam, et sic remanet conventio et reconventio efficax.

X 2.11 DE PLUS PETITIONIBUS

X 2.11.01 *Consilium*

In iudicio persistendum
Et ita si volunt desistere a petitione, licitum est nec puniuntur. Et hoc possunt facere usque ad litem contestatam. Postea vero non possunt desistere sine poena, C. de plus pet., odiosas. Sic licitum est ei poenitere ante litem contestatam, ff. rem rat. hab., amplius non. Sed videtur quod licitum sit poenitere quandocumque ante sententiam, ut ff. de inoffic. testam., contra veterani, alias est ff. de inoffic. testam., Papinianus § meminisse; et C. de his quib. ut indign., alia; et C. ad leg. Corn. de fals., qui falsas; et C. locat. et conduct., conductores, in quibus potest poenitere ante sententiam. Sed prius dictum verius est, quod ante litem contestatam poenitere debent, alias puniuntur in expensis, C. de plus pet., odiosas, et hic. Et hoc etiam cum re aut causa plus petitur. Sed lex illa loquitur cum aliquis per dolum super maiori quantitate exigit cautionem, et ille si persistat a toto debito punitur, exceptis duobus casibus, scilicet transactionis et secundae confessionis, qui excipiunt in lege illa. Et ita de aliis plus petitionibus loquitur hic.

Plus loco
Qui petit alio loco quam ubi convenit, ad interesse per officium iudicis potest conveniri, in eo in quo damnificatur quod in alio loco convenitur, ff. de eo quod cert. loc. dar. op., arbitraria § ulti. De hoc interesse dictum est supra, de offi. deleg., P et G.

Amplius tempore
In istis quatuor modis plus petendi olim puniebatur in tota causa, Inst. de action. § si quis agens; et Inst. de exception. § appellantur. Sed hodie non ita puniuntur. Quando enim quis ante tempus petit, induciae duplicantur, et nihilominus in expensis punitur, Inst. de exception. § hodie autem, et hic. Si autem re, causa, loco plus petat, et reus aliquod damnum sustinuit circa sportulas, actor triplicem poenam patitur, Inst. de action. § tripli; et Inst. de action. § sed hoc quidem antea. Et in aliis expensis condemnabitur, ut dictum est in littera.

Causa plus petitur
Hic exemplificat praedictos quatuor modos plus petendi, quia causa plus petitur, ut puta promisi tibi decem vel Stichum, in optione mea est solvere quem volo, C. de condi. indeb., si quis servum; ff. de iure dot., plerumque § ulti. Vel promisi hominem in genere, non istum vel illum. Si tu petis a me praecise decem vel Stichum, auferre vis mihi electionem, quod esse non debet. Unde puniri debes in damnis quae sustinui, ut dictum est, ut Inst. de action. § huic autem; et Inst. de action. § praeterea. Loco et re patet in ipsa littera. Tempore, ut si promisi tibi decem solvere usque ad annum, et tu antea petas, vel

promisi tibi si imperator intraret Italiam, et tu petis ante conditionem extantem. Exemplum de his habes Inst. de action. § plus autem quatuor modis.

X 2.12 DE CAUSA POSSESSIONIS ET PROPRIETATIS

X 2.12.01 *Susceptis*

Momenti
Id est, possessionis. Et dicitur possessio momentum, non quia durat per momentum, sed quia parum duratura est apud possessorem, cum actor docuerit de proprietate, et a sententia momentaneae possessionis secundum legem non appellatur, C. si de mom. poss., cum de possessione. Secus secundum canones, supra, de iudic., significaverunt.

Sub uno
Sed quare dicit, cum alia sit causa possessionis et alia proprietatis, nec habeant aliquid commune, ff. de excepti. rei iud., et an eadem § ulti.; et ff. de acq. poss., naturaliter § nil commune; et ff. de acq. poss., permisceri. Hoc ideo dicit, quia continentia causae dividi non debet, infra, de sequestra., ad hoc § Papa; et C. de iud., nulli. Hoc est dicere, iudex qui cognovit de possessione debet cognoscere de proprietate. Et ita expone in uno eodemque iudicio, id est, coram eodem iudice, ut dicunt iura praedicta, quia facilius cognoscit de proprietate qui cognovit de possessione. Arg. contra supra, de iudic., significaverunt. Sed ibi erant diversi fori, hic eiusdem, et sic non contradicunt.

Diffinire
Nota quod dicit diffinire, quasi diceret diffinitivam sententiam contra absentem non possumus proferre ante litem contestatam, supra, ut lite non cont., per totum. Vel dic non possumus diffinire, etiam lite contestata contra inauditam partem, quia non liquet de causa. Et ideo praecise diffinire non possumus, quin salva sit ad minus quaestio proprietatis absenti, infra, de dolo et contu., prout; et supra, ut lite non cont., quoniam § penulti.; et C. quom. et quan. iud. sent. prof., consentaneum. Et ita duobus modis potest intelligi particula ista, ut lite non contestata, ut sic non fiat diffinitio, sed propter contumaciam in possessione missio, vel lite etiam contestata quando non liquet de causa. Vel tertio modo, quia contra absentes non citatos, non convictos, non confessos, nihil possumus diffinire, supra, de maior. et obed., inter quatuor. Et sic plana est littera. Ber.

X 2.12.02 *Ad ultimum*

Deputati ut de possessione et proprietate
Quia causa est eis utraque commissa, et idem est si simpliciter causa indiffinite committitur, quia utraque causa intelligitur esse commissa, infra, de sequestra., ad hoc. Quia dividi non debet continentia causarum, supra, de caus. poss. et propr., susceptis; C. de iud., nulli. Sic et causa proprietatis et ususfructus apud eundem iudicem sunt tractandae, ff. de liber. caus., si pariter. Sic et in aliis, ff. de quib. reb. ad eun. iud., si inter. Ber.

X 2.12.03 Cum ecclesia (rev. 9/23)

Pronuncient

Scilicet super possessione.

Expressum

Scilicet quod prius audiant attestationes de possessione et pronuncient super illa. Illud est expressum in iure civili, C. de rei vend., ordinarii; C. de interdic., incerti; ff. de acq. poss., exitus controversiae; ff. de iud., si de vi et possessione. Tamen secundum iura canonica simul potest procedi super utraque quaestione, et una debent sententia terminari, infra, de caus. poss. et propr., cum ecclesia; et infra, de caus. poss. et propr., cum dilectus. Ita quod primo pronuncietur super possessione et incontinenti super proprietate, ut ibi dicitur, et infra, de caus. poss. et propr., cum super. Et ita causa possessionis et proprietatis ab eadem persona intentari potest simul et uno iudicio tractari et terminari, quia non sunt ista contraria. De hoc dicetur infra, de caus. poss. et propr., pastoralis; et infra, de caus. poss. et propr., cum dilectus. In hoc opinio fuit dominus Mart. et eius sequaces. Dominus Bazian. et eius sequaces volunt stare legibus praedictis. Sed illa diversitas determinabitur infra, de caus. poss. et propr., pastoralis; et infra, de caus. poss. et propr., cum dilectus. Et quod dicit hic quod primo pronuncient super possessione, nihilominus de proprietate pronunciare debent incontinenti, ex quo simul est actum, et publicatio simul facta et de utraque liquet, alias differtur quaestio proprietatis, infra, de testib., significaverunt. Alias si volunt differre iudices iudicium proprietatis, nec testes publicare cum aliis, etiam possunt procedere super possessione tantum. Et sic intellige quod hic dicit, ut concordet iuri civili. Tamen secundum canones, si aliquis vult agere simul utroque iudicio, iudex simul expedire debet utrumque, infra, de caus. poss. et propr., cum super; et infra, de caus. poss. et propr., cum dilectus, alias contradicerent. Hic iudices ex officio suo hoc fecerunt, ut commixtum audirent, sed prius volebant procedere super possessione, quod licitum est secundum iura civilia, nec canonica contradicunt.

X 2.12.03 *Cum ecclesia*

In unum

Quia spiritus sanctus non venit nisi super congregatos in unum, 24. q. 1, audivimus § sin autem. Et ubicumque duo vel tres congregati fuerint in nomine meo, ibi sum in medio eorum, 1. q. 1, cum scriptura; et 24. q. 1, alienus; et 20. dist., de quibus, in fi.

Spectaret

Sed qualiter fuerunt admissi canonici ad aliquam probationem, cum pars adversa diceret se spoliatam, cum nil obiici possit spoliato ante restitutionem, nec super eo quaestio proprietatis referri, infra, de restit. spol., in litteris; et infra, de restit. spol., item cum quis; et infra, de restit. spol., ex conquestione; supra, de ord. cognit., super spoliatione? Sed dicas quod isti clerici conventualium ecclesiarum, non tantum possessorium intentarunt, sed petitorium simul cum possessorio. Unde licitum fuit alteri parti de iure suo docere. Et in hoc minus caute fecerunt isti clerici, quia quamdiu potest aliquis intentare aliquid possessorium, non debet agere de proprietate, ff. de rei vend., is qui destinavit.

Ultimo
Bene dicit ultimo, quia licet quandoque fuissent in eligendi possessione, hoc non prodesset ad hoc, ut possent petere restitutionem, licet secus sit in dominio, C. de probation., sive. Item bene sequitur et immediate, quia si non continuassent tempora, non praescripsissent, ff. de diver. temp. praescr., in usucapione § 1. Et de ultimo tempore caute dixit, quia in praescriptione ultima tempora spectanda sunt, C. ne de stat. def., si mater; et C. de apoch. public., quicumque, lib. 10; arg. 35. dist., ab exordio; et 28. dist., quia sunt.

Vocemque habuisse
Caute etiam dicit vocemque habuisse, quia posset esse quod interfuissent causa consilii dandi, et tamen non elegissent, nec scrutatores voluntatum dedissent aut vota sua inquisita non fuissent, supra, de elect., Cumana; et 63. dist., obeuntibus. Vel forte essent invitati, 63. dist., cum Hadrianus. Sed per talem invitationem ius non acquiritur, 9. q. 3, nunc vero; et 9. q. 3, per principalem. Et arg. ad hoc supra, de postul. praelat., bonae 2. Hoc enim non sufficit quod aliquis possideat, sed quod intendat ius sibi acquirere, ff. de itin. act. priv., si per fundum; ff. quemad. serv. amit., servitute usus. Immo in dubio praesumendum est istos potius non habere ius, arg. 24. dist., presbyteri; et 7. q. 1, pontifices, quia non versimile est quod quis iactet res suas, ff. de probation., cum de indebito, vers. qui enim solvit; et supra, de elect., quia diligentia. Nec enim sequitur quod si fuerint electi, quod ideo possederint, ff. de acq. poss., si quis antea; infra, de restit. spol., olim causam; et ff. de vi et de vi arm., praetor ait § vim vi.

Vacillasse
Hoc solum sufficeret ad repellendos testes, et quod dixit, varios exitisse, ut 3. q. 9, pura; et 4. q. 3, si testes § item qui falso; et infra, de poeni., super his; et infra, ut eccl. ben., ut nostrum § omnibus ergo; et 35. q. 6, de parentela 2, in fi.; et ff. de quaest., de minore § tormenta, in fi.; et ff. de quaest., ex libero § 1, in fi. Tamen quandoque verbis et non re aliqui dissentiunt, infra, de verb. sign., nihil obstat; et infra, de testib., cum tu; et ff. de re iud., actorum; 8. q. 1, in scripturis § quies, in glossa opere; de poen. dist. 1, periculosae.

Negativam
Forte dicentes quod illi conventuales clerici numquam interfuerunt electioni vel vocem habuerunt, arg. supra, de elect., cum dilectus. Quod tamen fieri non potest, supra, de elect., bonae 1; et supra, de renunciat., super hoc; et 6. q. 5, accusator.

In trium episcoporum
Ex hoc videtur quod si aliquis ter utitur aliquo iure, per hoc est in quasi possessione illius, arg. C. de fideicomm., si probaveris; et ff. de usuri., cum de in rem verso; ff. de servit., quotiens 2. Sed quid si semel eligit in quadraginta annis, quia episcopus ille tanto tempore vixit? Dico quod per hoc est in quasi possessione illius iuris, arg. supra, de consti., cum accessissent; et infra, de praeben., pro illorum, a contrario sensu. Nam aqua dicitur quotidiana, quae tantum semel in anno ducitur, ff. de aqua quot. et aest., ait praetor § 2; et ff. de aqua quot. et aest., ait praetor § 3. Et si immisi tignum in parietem tuum, statim possideo servitutem, ff. de servitu. urb. praed., servitutes quae in superficie, in princ. Unde tuendus sum in illa quasi possessione, infra, ut lite penden., a memoria; et

infra, ut lite penden., laudabilem; et 16. q. 4, volumus. Nisi constet quod vi vel clam vel precario possederim, arg. infra, de excess. praelat., cum ad quorundam. Et tunc qui dedit auctoritate sua poterit revocare, ut ibi, et 10. q. 3, quia cognovimus. Nec obstat quod dicitur de triginta diebus, quibus ad minus uti debet in anno ad hoc ut habeat interdictum de itinere actuque privato, ff. de itin. act. priv., inde § hoc interdictum a superior. Quia hoc intelligitur de eo interdicto quod habet mixtam causam, quia duo debet probare. Et hoc anno se fuisse usum, et servitutem sibi competere et constitutam fuisse, ut ibi dicitur.

Quasi possessionem

Hoc ideo dicit, quia incorporalia non possidentur sed quasi possidentur, ff. de usucap., sequitur § si viam; ff. de servitu. urb. praed., si aedes § libertas. Arg. contra 3. q. 1, redintegranda.

Reducentes

Verbo tantum et non re, cum iam constet de proprietate, ut sequitur in littera, et infra, de caus. poss. et propr., cum super.

Quicquid iuris

Sic ff. de excepti. rei iud., et an eadem § actiones; et C. de annal. except., si ex multis. Sed quid deduxit in iudicium pars canonicorum, cum ipsi essent rei et possiderent? Non videtur quod aliquid deducerent in iudicium. Immo de iure communi ad eos spectat electio, et possidenti non est prodita actio, Inst. de action. § istae quoque; et supra, de iudic., examinata. Et ita nec petitorium nec possessorium deduxerunt in iudicium. Solutio: haec oppositio habet locum in actionibus in rem, quae competunt pro rebus corporalibus, ut in Inst. de action. § istae quoque. Sed in actionibus in rem, quae competunt pro rebus incorporalibus, ut in servitutibus, datur actio possessori pro tuendo iure suo. Et haec dicitur negatoria, quae competit domino qui negat alium servitutem habere in re sua. Et hanc negatoriam deduxerunt canonici in iudicium, dum negabant clericos habere ius in electione, quia aliud non poterant in iudicium deducere. Confessoria vero datur ei qui sibi debere servitutem contendit, secundum quod isti clerici faciebant, qui dicebant se habere ius in electione, et hoc deduxerunt in iudicium loco proprietatis et possessorii. Haec probantur ff. si serv. vend., de servitutibus, 1. resp.; et ff. si serv. vend., si forte § 1; ff. si serv. vend., sicut § sed si quaeritur; et Inst. de action. § aeque si quis. Et sic intelligitur quod hic dicit, utraque pars deduxerit in iudicium quicquid iuris habebat in electione.

In iudicium

Hoc sumptum est ex illa lege ff. de iud., solemus. Illa enim veniunt quae includi possunt in actione proposita, ut loquatur in speciali iudicio, ut in rei vendicatione, ut fructus et expensae et usurae quae accessoria sunt, et ad eandem rem spectantia, ff. de aqua pluv. arc., Atteius, in fi.; et ff. de aedil. edict., aediles § item sciendum. Non autem veniunt omnia alia. Nec est contra C. de annal. except., si ex multis. Ibi sponte receptus fuit libellus generalis, unde fatuus fuit. Sed regula ista melius intelligitur de generalibus iudiciis, ut de negotiis gestis, tutelis, petitione hereditatis, actione pro socio, communi dividundo, finium regundorum, familiae erciscundae, ubi omnia veniunt in iudicium, nisi fiat specificatio in libello vel in prosecutione causae. Tunc enim non obstat exceptio in

non specificatis, C. de iud., licet; ff. de excepti. rei iud., si ex testamento; et ff. de institut. act., habebat; et ff. comm. divid., in iudicium; ff. fam. ercis., heredes § penulti.; et ff. de pet. hered., si hereditatem; et ff. de pet. hered., si quo tempore. Et haec vera sunt in bonae fidei iudiciis. Secus in iudiciis stricti iuris, quia ibi non veniunt nisi illa tantum de quibus nominatim actum est, ut venirent, ut ff. de dolo mal., et eleganter § non solum; ff. de ver. oblig., quicquid, in princ. Simile est etiam in personali actione, ut si unam causam sum prosecutus et succumbo, non obstat si peto idem ex alia causa. Et hoc dictum est supra, de libel. oblat., significantibus. Sic etiam in arbitrio, ubi tantum veniunt ea de quibus dictum est in compromisso, ut supra, de arbitr., cum dilectus, ubi de hoc. Arg. ex hoc loco illud tantum venire in condemnatione, quod in libello continetur super quo litis contestatione facta fuit, arg. ff. de iud., non potest; et ff. de iud., de qua re. Arg. contra infra, de appell., si iustus, ad fi.; et Inst. de action. § si minus; ff. de pet. hered., si hereditatem; ff. de rei vend., sin autem § possidere. In istis omnibus leges dicitur quod plus venit in condemnatione quam in petitione. Solutio istarum legum in principio glossae an sint extranea, aut coniuncta et accessoria. Sic aliquando minus venit in condemnatione quam in petitione, ff. de condi. furt., si servus furtivus; ff. de rei vend., sin autem a Titio § possidere; et ff. de pet. hered., si quo tempore § ex diverso.

Non solum
Argumentatur Papa ex hac lege per locum a minori. Si id de quo minus videtur inesse, inest, et id de quo magis sive econtrario.

Ne veniret
Arg. omnia esse concessa quae non sunt prohibita.

Cathedralium
63. dist., nullus; 63. dist., Hadrianus; et 63. dist., sacrorum § ex constitutionibus; et 63. dist. § nunc ergo; et supra, de elect., cum terra.

De consuetudine
Introducta de voluntate eius cui praeiudicat, ff. comm. praed., venditor § 1. Et ita necesse est quod sit praescripta, ut hic innuitur; et supra, de consuet., cum dilectus; et supra, de consuet., cum tanto, ubi de hoc; et infra, de verb. sign., abbate.

Tertio
Non ergo tres vices inducunt consuetudinem, nisi in criminibus, 25. q. 2, ita nos, in princ., et in glossa usum; et C. de episcopal. aud., nemo, in fi., et in glossa fi.; de poen. dist. 2, si servo § econtrario. Si enim consuetudo esset, ex tribus vicibus iuvaretur, ut hic. Sed non prodest nisi legitime sit praescripta, ut dicit hic, licet tueatur aliquem in possessione quousque constet an sit debitum, 18. q. 2, servitium; et infra, ut lite penden., a memoria; et infra, ut lite penden., laudabilem.

Brevitatem temporis
Et ita patet quod si brevitas temporis non obstaret, isti clerici praescripsissent ius eligendi, etiam si semel elegissent, arg. C. de servit., cum talis. Licet videatur contra, quia servitutes quae non habent continuam causam, duplicatum tempus requirunt, ff.

quemad. serv. amit., si sit constituta. Sed secus est secundum canones, arg. infra, de praescrip., de quarta, et hic. Sed contrarium videtur huic loco, quod dici consuevit quod in praescriptione ecclesiastica requiritur bona fides et iustus titulus, alias non praescribitur, infra, de praescrip., si diligenti; et infra, de decim., dudum. Sic et in consuetudine causa allegari debet, arg. infra, de censib., pervenit. Et ita dici consuevit, quod in consuetudine allegari debet causa et in praescriptione titulus. De hac materia invenies supra, de consuet., cum tanto. Sed hic nulla causa sive titulus fuit allegatus, et tamen praescripsissent, si pervenissent ad legitimam tempus, ut hic patet. Ad hoc potest dici quod in huiusmodi incorporalibus sola patientia habetur pro titulo. Nam patientia loco traditionis habetur in servitutibus, ff. de public. in rem act., si ego § 1; et ff. de servit., quotiens 2. Vel dicas quod speciale est circa ista incorporalia iura, quod non est necesse allegare ibi titulum. Sed hoc solum sufficit, quod nec vi nec clam nec precario possiderent. Arg. contra infra, de praescrip., si diligenti. Solutio: qui enim facit gratiam, illud debet protestari, 7. q. 1, pontifices; et supra, de elect., Cumana. Et hoc forsitan voluerunt probare isti canonici, quod illi clerici non fuerant in electione iure proprio. Sed de gratia quasi negative.

Praescriptionem
Videtur quod hoc ius quia quasi servitus est, praescribi non possit, quia nec in bonis alicuius nec extra bona est, ff. de usufruct. legat., nec usus.

Actore non probante
C. de edend., qui accusare; 6. q. 5, accusator; C. de probation., actor; et infra, ut eccl. ben., ut nostrum § cum enim. Ber.

X 2.12.04 *Cum super electione*

Confirmatus
Ex hoc principio et ex fine capituli colligitur quod confirmatio nil iuris confert, ubi electio canonica non fuit, supra, de elect., cum inter canonicos; et supra, de elect., cum dilectus. Tamen si possessionem fuerit adeptus, et postmodum spolietur, debet restitui, quamvis non fuerit electio canonica, ut hic patet.

Restituendum
Solo verbo restituit eum, quia in eadem sententia destituit eum. Sic supra, de caus. poss. et propr., cum ecclesia. Quid ergo prodest talis restitutio? Quantum ad hunc casum nil prodest, nisi quia satisfit iuri et petitioni actoris, ff. de iud., de qua re. Et hoc posset quandoque prodesse quo ad fructus restituendos, ut spoliator restituat fructus perceptos, et qui percipi potuerunt a tempore deiectionis usque ad tempus litis contestatae super proprietate. Et ita licet obtineat in proprietate, tamen propterea quia ius sibi dixit, quantum ad possessionem restituere debet fructus perceptos. Sed numquid ille qui est in possessione utetur fructibus? Videtur quod sic, quia alimentorum causa veritati non praeiudicat, ff. de his qui sui vel alien. iur. sunt, si iudex. Et pupillus propter inopiam quandoque percipit alimenta a scripto herede qui appellaverat usque ad finem litis, ff. de inoffic. testam., si instituta § de inofficioso. Sed contrarium verum est, quia cum canonicum non habuit ingressum, debet restituere fructus quos inde percipit. Et est

expressum arg. infra, de praeben., dilecto; et melius infra, de iure patron., cum dilectus, in fi. Quia quasi intrusus est, unde nil debet inde commodi habere, ne de improbitate sua commodum consequatur. Et est arg. ad hoc quasi expressum infra, de restit. spol., gravis. Et fructus illi restituendi sunt ecclesiae unde illos percepit.

Tam possessorium quam petitorium

Et sic duae petitiones eodem iudicio expediuntur, arg. C. de off. rect. prov., potest, et in eodem libello. Et sic uno processu duplex commodum quis consequitur, arg. ff. pro soc., si fratres § si plures; et ff. fam. ercis., heredes § si de pluribus; ff. de act. emp. et vend., non est novum; et ff. quod legat., hoc interdictum § quia autem; et infra, de caus. poss. et propr., cum dilectus; et supra, de caus. poss. et propr., ad ultimum; et infra, de capell. monach., dilectus. Sed qualiter possessorium et petitorium deductum fuit in iudicium ab utraque parte? De hoc dixi supra, de caus. poss. et propr., cum ecclesia. Quidam dicunt quod neuter possidebat, alias non potuit intentari. Sed ab utraque parte hoc non posset fieri, nisi uterque fuerit spoliatus, sed alter tantum fuit spoliatus. Unde potest dici quod in rebus incorporalibus datur actio possessori pro tuendo iure suo, ut in proximo capitulo supra, de caus. poss. et propr., cum ecclesia, dictum est. Vel verius dicas quod hic alter tantum fuit spoliatus, qui intentavit simul petitorium et possessorium. Reus vero qui possidebat, defendebat si super utroque, et sic quodam modo utraque pars deducit utrumque in iudicium, infra, de caus. poss. et propr., cum dilectus. Quia non debet actori licere quod reo non licet, ff. de regul. iur., non debet. Sed verius est quod alter tantum petitorium intentavit, qui dicebat se canonice electum, quia et hic non dicitur quod utraque pars deduxit in iudicium utrumque possessorium et petitorium.

De qua re

ff. de iud., de qua re. Haec regula fallit in causa criminali episcopi, 3. q. 6, quamvis; et 3. q. 6, dudum. Fallit in sententia lata a superiori, infra, de re iudic., de caetero. Fallit ubi sola cognitio demandata est, infra, de testib., cum olim § verum; et supra, de offi. ord., dilectus. Item fallit in incidentibus quaestionibus, ut dictum est supra, de ord. cognit., intelleximus; C. de ordi. iudic., aditae. Unde ita intelligitur de qua re cognoverint principaliter, scilicet de ea pronunciare debet, ut hic, quia petitorio et possessorio principaliter agebatur ab altera parte.

X 2.12.05 *Pastoralis*

Auspicia

Id est, exordia litis, C. de exception., si quis; et C. de codicil., si quis, 1. resp.

Requisitus

A iudice scilicet, et hoc cum utraque causa commissa est iudici, ut supra, de caus. poss. et propr., susceptis. Idem videtur si causa proprietatis est ei commissa, arg. C. de rei vend., ordinarii. Idem est etiam ubi causa est simpliciter commissa, infra, de sequestra., ad hoc. Licet sit contra arg. C. si a non comp. iud., si de proprietate, quia continentia causae dividi non debet, C. de iud., nulli; et supra, de caus. poss. et propr., susceptis.

Experiri

Id est, agere. Alibi ponitur pro defendere, supra, de iudic., de Quodvultdeo. Nemo enim sine actione experitur, supra, de iudic., examinata; ff. de admin. tut., quotiens § item si temporali; ff. de negot. gest., si pupilli § ulti. Item est hic arg. quod cum plures actiones nomine eiusdem rei competunt, ut ff. de trib. act., quod in herede; ff. de regul. iur., nemo 2 § quotiens.

Quod de recuperanda

Ad intelligentiam huiusmodi, nota quod triplex est iudicium possessorium vel pro adipiscenda possessione vel recuperanda vel retinenda. Pro adipiscenda possessione proponitur interdictum quorum bonorum, et interdictum quorum legatorum, et Salvianum interdictum, ff. quor. bon., ait praetor; et ff. quod legat., hoc interdictum; et ff. de Salv. interdic., si colonus. Interdictum pro adipiscenda possessione datur bonorum possessori et heredibus hereditariis, Inst. de interdic. § restitutoria, in glossa bonorum. Et dicitur ideo adipiscendae possessionis, quia licet heres hoc ipso quod est institutus et hereditatem adiit, efficiatur dominus rerum hereditariarum, tamen possessionem earum non adipiscitur, nisi apprehendat possessionem, ff. de acq. poss., cum heredes, in princ. Et si ab alio possideantur, potest adipisci earum possessionem per istud interdictum. Pro recuperanda possessione datur interdictum unde vi, et quod vi aut clam. Pro retinenda possessione datur interdictum uti possidetis, pro re immobili, vel utrobi pro re mobili. Hoc habes Inst. de interdic. § adipiscendae; et Inst. de interdic. § retinendae; et infra, de probat., licet. Si ergo aliquis coepit agere rei vendicatione, potest redire ad iudicium possessorium, quod proponitur pro recuperenda possessione, vel adipiscenda pendente iudicio proprietatis, ut hic dicitur, et infra, de testib., significaverunt, in princ.; et ff. de vi et de vi arm., cum fundum § ulti. Et econverso de possessorio potest redire ad iudicium proprietatis, sed ad interdictum de retinenda possessione non potest redire pendente iudicio proprietatis primitus instituto, scilicet uti possidetis vel utrobi quae proponuntur pro retinenda possessione. Nec econverso potest redire ad iudicium proprietatis, postquam coepit agere uti possidetis, quia sibimet esset contrarius, qui enim proponit rei vendicationem, dicit alium possidere, ut supra, de iudic., examinata, quia possidenti non datur actio, Inst. de action. § iste quoque. Et qui agit uti possidetis, dicit se possidere, unde pendente iudicio proprietatis non potest redire ad aliud. Nec obstat quod legitur ff. de acq. poss., naturaliter § nihil, in fi., ubi dicitur quod non negatur ei interdictum uti possidetis, qui coepit rem vendicare, quia illud intelligitur de eo qui ignorabat se possidere. Vel potest dici quod ibi renunciavit primae actioni antequam inchoaret secundam. Et de his interdictis, scilicet uti possidetis et utrobi, potest intelligi quod sequitur in littera: aliis possessoriis iudiciis in suo robore duraturis etc., quia in his interdictis prius oportet scire quis sit possessor, quam quis sit petitor, ut Inst. de interdic. § retinendae. Et ideo dicit hic quod iudicium possessionis de sui natura praecedit vendicationem dominii. Io. Alii volunt intelligere quod dicitur: aliis possessoriis iudiciis in suo robore etc., de illis interdictis quae mixtam habent causam, in quibus debet quis probare dominium servitutis et possessionem suam, scilicet se ivisse triginta diebus illos anno, sicut est interdictum de itinere actuque privato, quod datur volenti reficere iter, ff. de itin. act. priv., inde § hoc autem interdicto; et ff. de itin. act. priv., praetor ait; et ff. de itin. act. priv., nec enim. Sic infra, de restit. spol., ex transmissa. Et idem in interdicto quod datur de aqua ex castello ducenda, ff. de aqua quot. et aest., ait praetor § ait praetor.

In talibus enim interdictis non redit quis ad causam possessionis omissa causa dominii. Sed certe de istis non videtur quod possit intelligi, quia illa interdicta de sui natura non praecedunt quaestionem dominii, quia ibi simul agitur de possessione et de iure dominii, ut dicitur ff. de itin. act. priv., inde § hoc autem interdicto. Vel intellige illud de aliis interdictis quae sunt quasi praeparatoria ad rei vendicationem, ut sunt interdicta de liberis exhibendis et de tabulis exhibendis, ut prius appareat quis possideat, et tunc detur alteri rei vendicatio, arg. C. de rei vend., ordinarii. Vel potest intelligi quia cum agitur de possessione et violentia, prius agi debet de possessione, ut appareat quis possideat, ut postea qui possidebat, de violentia sibi illata experiatur, et sic numquam econverso, C. de appellat., prius. Et illa verba, quae vendicationem etc., non faciunt implicationem sed demonstrationem notant, quasi dicat: possessoria interdicta volunt prius tractari quam rei vendicatione, ff. de rei vend., is qui destinaverit. Licet quandoque secus fiat, prior tamen intellectus verior est.

Conclusum
Hoc sumptum est ab authentico, in Auth de testi. § quia vero multi, coll. 7. Sic infra, de fide instrum., cum dilectus. Et si mandatum revocetur post conclusionem, nihilominus fertur sententia non obstante tali revocatione, supra, de procurat., auditis, in glossa ad illum.

Agi potest
Novo tamen iudicio et renunciato priori, et sic salvabis opinionem Bazian., quae hic reprobari videtur, et infra, de caus. poss. et propr., cum dilectus, qui dixit quod numquam simul agendum est possessorio et petitorio, etiam ab eodem, C. de rei vend., ordinarii; et C. quor. bon., constat; et C. de interdic., incerti. Sic intelligitur illa lex ff. de acq. poss., naturaliter § nihil, quia ibi renunciavit primae, qui inchoavit secundam.

Pendente
Id est, renunciato secundum Bazian. Sed haec expositio multum est extranea, et contraria huic litterae, nec probatur aliquo iure. Secundum canonicam aequitatem plane stat verbum in sua significatione, ut infra, de testib., significaverunt. Vel pendente quousque constet de possessorio, ut si succumbat in possessorio, revertatur ad petitorium. Sed si obtineat in possessorio, quid erit de priori iudicio? Fiat quod dicitur in praedicta decretali infra, de testib., significaverunt.

Interdictum
Interdictum dicitur, quia inter duos redditur non ab interdicendo, Inst. de interdic. § sunt tamen. Interdictum olim erat quaedam formata et solemnis conceptio verborum, quibus praetor aliquid fieri iubebat vel prohibebat, Inst. de interdic., in princ. Hodie non servatur solemnitas interdictorum, sed loco cuiuslibet interdicti datur utilis actio in factum, Inst. de interdic. § ulti. Ber.

Intentare
Sed numquid si probaverit violentiam, debet ei adiudicari proprietas? Videtur quod sic, 16. q. 6, placuit; C. und. vi, si quis in tantam. Sed hoc non est verum, quia quis amittat dominium rei, ideo quia commisit violentiam. Et hoc non est ex natura interdicti, sed ex

poena illius constitutionis C. und. vi, si quis in tantam. Unde si vult sibi rem adiudicari, proponat conditionem ex illa lege C. und. vi, si quis in tantam, quia per interdictum unde vi non consequitur hoc, sed possessionem cum fructibus.

Causa non decisa

Ergo si aliquis succubuit in iudicio proprietatis, adhuc post sententiam potest redire ad possessorium, sicut econverso, arg. supra, de elect., querelam; et infra, de caus. poss. et propr., in causa. Quia alius est modus agendi et aliud petitur quam prius, ff. de excepti. rei iud., cum quaeritur; et ff. de excepti. rei iud., quantitas. Arg. contra infra, de caus. poss. et propr., cum dilectus, ubi ille qui obtinet in proprietate, obtinet in possessorio. Possessio enim videtur esse pars proprietatis, sicut ususfructus pars dominii, ff. de usufru., usus fructus in multis. Unde obstat exceptio rei iudicatae, ff. de excepti. rei iud., si quis cum totum, in fi. Ad hoc dicas quod si nuda proprietatis deducta est in iudicium, post sententiam potest agi de possessione, quia nil habet commune proprietas cum possessione, ff. de acq. poss., naturaliter § nihil. Secus si utrumque deductum est in iudicium, supra, de caus. poss. et propr., susceptis; et supra, de caus. poss. et propr., cum ecclesia; et supra, de caus. poss. et propr., cum super; et infra, de caus. poss. et propr., cum dilectus. Iudex tamen qui condemnat de proprietate, per consequens condemnabit de possessione, nisi reus excipiat de possessione, scilicet pactum vel usucapionem, et hoc faciat ante sententiam, ff. de rei vend., officium, vers. ubi enim. Io. Si enim aliquis probavit de possessione et non de proprietate, et indeterminate de utraque actum est, succumbit in utroque, supra, de caus. poss. et propr., susceptis; et supra, de caus. poss. et propr., ad ultimum; et infra, de caus. poss. et propr., cum dilectus. Verum est ergo quod qui succumbit in proprietate et in possessorio, adeo enim praevalet proprietas possessioni, quod qui obtinet in proprietate erit potior in possessione, cum de utraque simul actum est, licet solo verbo perdiderit commodum possessionis, arg. 16. q. 3, placuit § quod si mala fide. Et possessio semper sequitur proprietatem, ff. de rei vend., officium, in fi.; arg. ff. deposi., bona fides. Verumtamen iudex qui de proprietate tantum datus est, non potest cognoscere de possessione, C. si a non comp. iud., si de proprietate.

Facultatem

Si non potuit propter dominium, ut hic dicit, quid valet redire ad possessorium, cum videatur condemnandus, quia sententia super proprietate trahit ad se sententiam super possessione, infra, de caus. poss. et propr., cum dilectus? Respondeo: potest valere quo ad fructus, quos recuperat a tempore deiectionis. Item quia ex quo habuit possessionem, habebit commodum retentionis, nisi adversarius proprietatem probaverit, C. de rei vend., res alienas. Et quia si spoliator rem petat, potest ei obiici quod amisit ius, si quod habebat per conditionem ex lege praedicta C. und. vi, si quis in tantam.

Aequitatem

Quam iudex semper debet habere prae oculis, ff. de eo quod cert. loc. dar. op., quod si Ephesi, in fi. Et ubi proditum non est ius, procedere debet iudex aequitate pensata, supra, de transact., ex parte. Ber.

X 2.12.06 *Cum dilectus*

Possessorio et petitorio

Quidam intelligunt quod hic dicit, quando unus agebat iudicio uti possidetis, et adversarius agebat contra eum rei vendicatione. Et sic intelligunt supra, de caus. poss. et propr., ad ultimum. Et ita planus est casus. Sed contra est quod legitur, ff. uti poss., ait praetor § inter litigatores. Quia uti possidetis dicitur dari inter duos qui dicunt se possidere, ut ibi. Unde verius est quod idem homo proponebat simul de recuperanda possessione et proprietate contra adversarium suum. Et secundum hoc signatur contraria, C. de rei vend., ordinarii; et ff. de iud., si de vi; C. de interdic., incerti; C. quor. bon., constat. Per leges istas dicebat Bazian. quod numquam poterat simul agi iudicio possessionis et proprietatis. Arg. contra ff. quod legat., hoc interdictum § quia autem. Sed illud est quod reus non certificabat legatorum. Mart. in contraria fuit opinione, quod possit agi simul de illis, et nos summus in eadem opinione, scilicet quod simul possit agi de possessione recuperanda et de proprietate ab eadem persona. Nec est istud contra ordinem iuris, nec contrarietas vel repugnantia hic invenitur, quia non sunt contraria, ut hic patet, et supra, de caus. poss. et propr., cum ecclesia; et supra, de caus. poss. et propr., cum super; et infra, de capell. monach., dilectus. Et leges praedictae C. de rei vend., ordinarii; C. de interdic., incerti; et C. quor. bon., constat, non intelliguntur de tali possessorio pro recuperanda possessione sed interdicto uti possidetis. Ibi enim ordinarium est quod possessorium primo tractetur, quia propter evidentem contrarietatem simul agi non potest de proprietate et uti possidetis ab eadem parte, ut dictum est supra, de caus. poss. et propr., pastoralis. Si vero unus vult agere possessorio et alter petitorio, illud nullo modo est admittendum, infra, de restit. spol., sollicite; infra, de restit. spol., in litteris; infra, de restit. spol., item cum quis; et infra, de restit. spol., ex conquestione. Quia quaestio spoliationis privilegiata est, supra, de ord. cognit., super spoliatione; et 3. q. 1, per totum; et 3. q. 2, per totum. Et cum actor agit utroque iudicio, reus potest se defendere super utroque, supra, de caus. poss. et propr., cum ecclesia; et supra, de caus. poss. et propr., cum super; et C. de off. rect. prov., potest. Ber.

Praevalere

Semper enim proprietas tamquam dignior trahit ad se possessionem, ut sequatur dominium, quia iustior est petitio proprietatis, ff. deposi., bona fides, vers. et hanc probo. Et ibi per glossam arg. ff. de pigner. act., si rem alienam; arg. 16. q. 3, placuit § quod si mala; arg. infra, de sequestra., ad hoc. Arg. contra infra, de re iudic., suborta. Et quod dicit praevalere, intellige quod simul est actum, ut hic dicit. Ber.

X 2.12.07 *Cum olim*

Duobus

Sed qualiter potuit iste archidiaconus ex bino actu episcopi consequi ius, cum nec trinus tribuat, supra, de caus. poss. et propr., cum ecclesia. Sed quadruplex actus necessarius videtur, C. de servit., cum talis § aliis autem. Sed hoc ideo contingit, quia qui est in quieta possessione eligendi vel praesentandi, potest eligere et praesentare. Et ille consequitur ius ex hoc, supra, de elect., querelam; infra, de iure patron., consultationibus. Qui enim est in quieta possessione, debet uti iure suo quousque evincatur ab eo, infra, ut lite penden., a memoria; et infra, ut lite penden., laudabilem; et 16. q. 4, volumus. Et sic consequitur aliquis dominium ab eo qui non est dominus, et sufficit hoc electo vel

praesentato tantum in possessorio obtinere, id est, quod elector sit in quasi possessione eligendi, ad hoc ut confirmetur electio vel praesentatio per iura praedicta.

Iudices recusare

Sic patet ex hoc loco quod si procurator tuus impetravit tibi iudicem, quod non potes eum postea recusare, ac si tu ipse cum impetrasses, supra, de offi. deleg., super quaestionum § verum. Sed mirum videtur quod factum procuratoris in hoc casu praeiudicet domino, quia in casu isto procurator est non solvendo. Unde non debet nocere domino, ff. de dolo mal., et eleganter § penulti.; et ff. de eo per quem fac. erit, ex hoc edicto, in princ. Sed illa iura intelliguntur cum procurator dolum cuommisit. Secus esset si negligenter versatus esset, et sibi imputet qui minus diligentem procuratorem constituit, ff. de minor., cum mandato, in fi. Potest tamen pars laesa propter negligentiam procuratoris nomine ecclesiae petere in integrum restitutionem, supra, de in integ. restit., cum venissent. In casu isto dico quod si dominus dedit certam formam de certis personis pro iudicibus obtinendis, et ipse egressus est illam formam petendo alios iudices, tunc non fit praeiudicium domino, quin possit illos recusare si voluerit, arg. supra, de offi. deleg., cum olim abbas; et C. de procur., si procurator. Et hoc est expressum infra, de appell., significante, circa medium, ibi: contra inhibitionem, et per glossam ibi. Sed si simpliciter fuit constitutus procurator ad impetrandum iudices non dando certum mandatum de certis personis, tunc non potest iudicem recusare, arg. legis praedictae C. de procur., si procurator. Quando praeiudicet factum procuratoris domino et quando non dicitur supra, ut lite non cont., ad hoc. Sed qualiter fuerunt hic recepti testes lite non contestata post recusationem, si non consentiebant in iudices, licet de consensu procuratoris eorum fuerunt obtenti? Ideo recepti sunt non obstante recusatione, quia in praesentia Papae lis fuerat per illos procuratores contestata, ut patet in antiqua decretali. Alias non fuissent recepti si non consensissent, vel non valuisset receptio testium lite non contestata, supra, ut lite non cont., per totum. Vel dic quod bene valuissent attestationes etiam lite non contestata, cum isti canonici fuissent actores si fuerunt contumaces, ut infra, de dolo et contu., causam quae, ubi de hoc notatur; et supra, ut lite non cont., quoniam, in princ. Vel si erant rei, quod verius videtur per ipsam litteram. Et si contumaces fuerunt, bene possunt testes recipi lite non contestata, supra, ut lite non cont., quoniam, quia agebatur de electione, sed verum est quod lis erat contestata.

Assensu

Et ab eis esset rescriptum impetratum, nec induciae deliberatoriae dandae sunt impetranti, 3. q. 3, induciae § ei autem. Nec dilationis inducias petere debent, cum apud sedem Apostolicam per procuratores utriusque partis lis erat contestata. Et haec littera probat quod canonici erat actores quando impetraverunt rescriptum.

Imponentes

Et haec littera probat quod canonici erant actores, quia reo non imponitur silentium, sed absolvitur actore non probante. Ber.

Reservata tamen etc.

Sic supra, de elect., querelam. Sed numquid episcopus potest repellere istos per exceptionem rei iudicatae. Nam cum ille obtinuit, qui habuit causam ab episcopo, illud

debet episcopo prodesse. Sicut pactum factum a debitoribus hereditariis, ne ab ipsis petatur, cum emptore hereditatis nocet venditori ipsius hereditatis, ff. de pacti., si cum emptore? Sed non est verum, quia exceptio rei iudicatae transit ab actore suo ad alium, scilicet emptorem, sed non revertitur ad actorem suum, ff. de excepti. rei iud., si a te § ulti.; sic supra, de elect., querelam. Est etiam alia ratio, quia haec sententia lata est ratione possessionis inter capitulum et archidiaconum. Sed si capitulum postea voluerit agere contra episcopum, illa erit quaestio proprietatis. Et sic erit omnino alia causa, quia sententia lata super possessione non obstat agere volenti de proprietate. Sed hic res inter alios acta fuit, ut infra dicit. Unde non obstat super proprietate etiam inter easdem personas. Ista decretalis competentius deberet poni in titulo de electione, sicut decretalis supra, de elect., querelam, quia titulus iste loquitur quando inter easdem personas vertitur quaestio possessionis et proprietatis, ut patet supra, de caus. poss. et propr., per totum, quod hic non fit. Nec dicitur hic propriae quaestio possessionis, quia non est actum possessorio iudicio, in quo casu loquitur iste titulus. Sed archidiaconus obtinuit, quia episcopus erat in possessione vel quasi iuris eligendi. Vel dic quod ista decretalis respicit tantum secundam partem rubricae. Ber.

Res inter alios acta

Infra, de re iudic., quamvis; infra, de praeben., dilecto, in fi.; et infra, de dona., inter dilectos, in fi.; et supra, de offi. deleg., super eo; et infra, de fide instrum., inter dilectos.

X 2.12.08 *In causa quae*

Ad subiectionis indicium

Petebat patriarcha subiectionem in monasterio sancti Georgii, et quinquaginta solidos ad indicium subiectionis ab isto abbate, ut probaret per hoc, quod et subesset, et infra, de censib., omnis; 10. q. 3, illud; et C. de episc. et cler., nulli. Et in his actum fuit a patriarcha possessorio et petitorio, in possessorio obtinuit, in petitorio succubuit. Et sic facit ad titulum, alias non videtur facere ad titulum. Et sic patet quod male fuit decisa, et melius fuisset posita in titulo de sententia et re iudicata, sive de exceptionibus. Quandoque vero census talis est signum exceptionis, quandoque solummodo signum protectionis, infra, de privileg., recepimus. Et tunc non eximitur a iurisdictione diocesani, ut dicto capitulo infra, de privileg., recepimus, in fi., in glossa fi. Sed hic petebatur in signum subiectionis, sicut etiam infra, de censib., cum venerabilis. Sed quia monasterium liberum erat, et exemptum per privilegium Romani Pontificis succubuit in illos casu et in aliis, quia non percepit ille tanto tempore quod renunciatum vel praescriptum fuerit privilegium libertatis, ut patet in integra.

Iure

Sic patet quod qui rem petit, et praecipue in personali actione ex una causa, si succumbat quod non obstat ei exceptio rei iudicatae, si postea petat eandem rem ex alia causa, ff. de excepti. rei iud., cum quaeritur; et ff. de excepti. rei iud., et an eadem § actiones. Idem est in rei vendicatione si exprimatur tantum una causa, ff. de excepti. rei iud., si mater § eandem. Idem est etiam in possessorio, infra, de dona., inter dilectos; et ff. de acq. poss., possideri § ex pluribus. Arg. de hoc dictum est supra, de libel. oblat., significantibus, ubi de hoc.

X 2.13 DE RESTITUTIONE SPOLIATORUM

X 2.13.01 *Licet multum*

Contentionem

Si hoc petivisset, infra, de restit. spol., sollicite; et infra, de restit. spol., in litteris; et infra, de restit. spol., item cum quis; et 3. q. 1, per totum; et 3. q. 2, per totum. Et sibi imputet iste caecus qui renunciavit iudicio possessorio, 29. q. 2, cuius rei causa, in glossa probare. Sed videtur quod non est restituendus si adversarius incontinenti vellet probare dominium, ff. ad exhib., in hac actione § ibidem; et ff. ad Trebel., ille a quo § 1; et melius ff. ut in poss. legat., si is a quo, 1. resp.; et infra, de restit. spol., litteras, ad fi. Sed non obstant leges illae, quia non loquuntur in interdicto unde vi. Immo in interdicto de adipiscenda possessione. Et quod dicit decretalis infra, de restit. spol., litteras, speciale est propter periculum animae in casibus ubi ecclesia dispensare non potest, ut ibi patet.

Restitui

Cum fructibus perceptis. Et qui percipi poterunt a tempore deiectionis, infra, de restit. spol., sollicite; et infra, de restit. spol., gravis. Sed quid si sumptus aliquos fecit ille diaconus in rem illam? Respondeo: nec petitionem habet invasor nec retentionem, quia donare videtur tamquam malae fidei possessor, Inst. de rerum div. § ex diverso. Et quicquid plantatur, seritur vel aedificatur, omne solo cedit si radices prius egit, Inst. de rerum div. § si Titius. Immo tenetur etiam de eo quod casu periit, ff. de leg. 1, cum res, in fi. Tamen sumptus necessarios sine quibus res facta esset deterior, non debet restituere, C. de rei vend., domum; et ff. de pet. hered., si a domino § ulti.

X 2.13.02 *Sollicite*

Eum spoliatum

Ergo a contrario sensu si non esset spoliatus, bene reciperentur testes contra eum, infra, de restit. spol., accepta. Ex eo enim quod spoliatus renunciavit, praesumitur quod invitus et coactus renunciavit. Unde contra talem praesumptionem non admittuntur testes, ut hic innuitur, nisi facta restitutione. Sed quare mandat Papa inquiri quo tempore renunciavit, cum spoliatus ante causae ingressum debeat inquiritur, quia si renunciasset eo tempore quo possidebat, et ipse postea peteret ecclesiam dicens se spoliatum, tunc reciperentur testes contra eum, quod sponte renunciavit ut sic defenderet se iste reus contra istum petentem restitutionem, ut sequitur in glossa, ad fi.; et supra, de renunciat., super hoc, quae consuevit signari contraria huic. Sed non contradicit, quia in alio casu loquitur, ut ibi dictum est. Sed si aliquis spoliatus petit restitutionem beneficii sui, et obiiciatur ei quod non fuerit canonice institutus, vel quod sponte renunciavit vel abiuravit, non est audiendus, quia ei non potest referri quaestio proprietatis, nisi postquam fuerit restitutus, quod esset si audiretur obiiciens in iure minus canonicam institutionem vel abiurationem spontaneam, ut infra, de restit. spol., in litteris; et infra, de restit. spol., item cum quis; et infra, de restit. spol., ex conquestione. Quia quaestio spoliationis privilegiata est, supra, de ord. cognit., super spoliatione. Hic ergo tantum agitur possessorio, unde adversarius non est audiendus movens ei quaestionem proprietatis, quia nihil habet commune

quaestio proprietatis cum possessione, ff. de acq. poss., naturaliter § nihil. Quare non obstat iuramentum restitutionem petenti, cum in ea non agatur de iure proprietatis. Sed iuramentum et renunciatio spontanea tangunt ius proprietatis, cui abiurando renunciavit spoliatus, sed possessioni non renunciavit vel abiuravit, quia iam amiserat eam per spoliationem, et ei quod non possidebat renunciare non poterat, quare petit restitutionem. Si vero constaret quod non spoliatus renunciasset, bene reciperentur testes adversarii, quod sponte renunciaverit, dum quiete possidebat, ut in capitulo infra, de restit. spol., accepta. Et sic est arg. quod lata sententia super proprietate non obstat agere volenti de possessione, ut notatur supra, de caus. poss. et propr., pastoralis. Et etiam arg. contra colligitur ibi, quod obstet in glossa ergo si aliquis etc.

Quia non est versimile

Contra hanc praesumptionem non admittuntur testes, ex quo constat quod spoliatus sic renunciavit. Et hoc tantum ex vi praesumptionis, sed potius ex natura et privilegio spoliationis, quia eam intentans non est reconveniendus, nisi de alia spoliatione conveniretur, vel ei in modum exceptionis alia spoliatio obiiceretur, supra, de ord. cognit., super spoliatione. Sed manifeste videtur contraria decretalis sequens infra, de restit. spol., accepta, ubi obiiciens spontaneam abiurationem agenti possessorio, auditur. Quidam sic solvunt contrarietatem, quod hic metu renunciavit, et non coram suo iudice. Et in capitulo sequenti infra, de restit. spol., accepta, renunciavit sponte et coram suo iudice. Verior est solutio, quia hic agebatur possessorio tantum, in sequenti possessorio et petitorio, ut patet in integra. Vel dic quod hic constabat eum spoliatum fuisse cum renunciavit, quia hoc primo quaesitum fuit, ut dicit in principio. Sed in sequenti non constabat eum fuisse spoliatum. Immo dicebatur quod nulla spoliatione facta, sponte dum possidebat renunciavit, et sic admittitur ad probandum quod non spoliavit indirecte. Sic infra, de restit. spol., cum ad sedem; et infra, de testib., significaverunt; et infra, de restit. spol., olim causam. Arg. quod sicut admittitur actor ad probandum quod fuerit spoliatus, sic reus potest et debet admitti ad probandum contrarium, quod erit dum probaverit quod sponte renunciaverit, cum possidebat et coram suo iudice. Et si hoc probaverit, patet quod ipsum non spoliavit. Et sic nulla contrarietas, et ibi praecessit renunciatio spoliationem, sed econverso hic et ideo secus, et ita non fuit spoliatus.

Spoliatus

Quid si spoliatus stetit per annum quod non petiit restitui, numquid postea auditor? Videtur quod non, quia interdictum actio est praetoria, quae anno expirat, Inst. de perp. et temp. act., in princ. Respondeo: praetoria actiones temporales sunt quo ad poenam, perpetuae quo ad prosecutionem ipsius rei, ff. de act. et oblig., in honorariis; ff. de vi et de vi arm., praetor ait, in princ. Immo secundum canones videtur quod etiam ad damnum sive ad poenam perpetuo agi possit, quia nulla conditio temporis opponi potest, ut 3. q. 1, redintegranda.

X 2.13.03 *Accepta conquestione*

Abiuraverit

Contra supra, de restit. spol., sollicite, ubi non admittuntur testes, ibi solvitur. Item arg. contra infra, de instit., cum venissent. Sed ibi possessorio actum fuit, et ibi etiam

abiuratio vel renunciatio personalis fuit, sed concessio fuit realis. Item arg. aliud contra infra, de concess. praeben., post electionem, ibi non fuit abiuratio probata, unde ibi restituitur. Et post restitutionem potest opponi abiuratio, ut ibi dicitur in fi. Quidam dicunt quod illa decretalis supra, de restit. spol., sollicite, continet dispensationem ex eo quod ibi auditur contra iuramentum. Haec vero ius continet ex eo quod hic non auditur contra iuramentum, arg. infra, de iureiur., si vero. Ber.

X 2.13.04 *Audita querela*

Alterius ecclesiae personatum haberet
Sed etiam quodcumque istorum probaretur, sufficiebat, infra, de praeben., referente; et infra, de praeben., de multa; et supra, de elect., dudum ecclesia; et supra, de restit. spol., accepta; et supra, de his quae vi met. caus. fi., ad audientiam; et infra, de iureiur., si vero; et 22. q. 4, si aliquid.

Molestaret
Et sic patet quod T. possidebat et H. illum impediebat, et molestabat eum super ipsa ecclesia. Unde agebat T. uti possidetis, scilicet ne inquietaretur. Unde secundum formam petitionis formatur hic sententia, infra, de simon., licet Heli § nam iuxta iudicii etc.

Non intelleximus
Nota quod non vult Papa per suum rescriptum bene statuta rescindi, supra, de aetat. et qualit., eam te. Nec vult derogare iuri alicuius, 99. dist., nullus; et 99. dist., ecce, ibi subtrahitur, et in glossa subtrahitur; et supra, de offi. ord., licet § quia tamen; et infra, de auctor. et usu pal., ex tuarum; et C. de emancip. lib., nec avus. Et ea quae causa cognita statuuntur, rescriptis revocari non possunt, ut C. commin. epist. program., ea quae. Ad hoc facit C. sent. rescind. non pos., impetrata; et C. de testament., si testamentum

Receptionem
Nota tempus receptionis litterarum considerandum et non datae. Sic infra, de praeben., dilectus filius 2, ubi de hoc in glossa receperunt.

Occasione ipsarum
Nota quod hic fit in secundis litteris mentio de primis etiam expressa, non tamen revocantur primae. Unde signatur contra supra, de rescript., caeterum; et supra, de rescript., ex parte S. Sed hoc ideo est, quia sententia iam erat lata per primas, quae validae fuerunt. Alias secundae revocant illas, ut hic patet, a qua sententia non fuit appellatum, ut C. ut lit. pend. vel post prov., licet; et C. ut lit. pend. vel post prov., supplicare; et C. de transaction., causas; et C. sent. rescind. non pos., impetrata.

Non obstante
Hoc ideo quia iurisdictio per primas litteras attributa revocata est, unde nulla fuit sententia lata post receptionem secundarum. Sic supra, de offi. deleg., ex litteris. Ber.

X 2.13.05 *In litteris*

De violenta eiectione
Cum enim agitur de violentia et possessione, prius agendum est de possessione quis possideat, scilicet ut per hoc appareat quis fecerit violentiam, C. de appellat., prius. Si vero agatur de possessione et proprietate, de possessione prius agi debet, ut hic. Et expone de violentia eiectione, id est, de possessione violenter ablata, ut ff. de iud., si de vi; et ff. ad leg. Iul. de vi public., qui coetu § si de vi. Cum quaestio spoliationis sit privilegiata, supra, de ord. cognit., super spoliatione. Et hoc cum unum intentatur ab una parte et alterum ab altera. Secus si utrumque ab eodem, quia tunc potest utrumque simul proponi, supra, de caus. poss. et propr., cum ecclesia; et supra, de caus. poss. et propr., cum super; et supra, de caus. poss. et propr., cum dilectus. Et interdicto uti possidetis naturaliter prius de possessione agitur, C. de interdic., incerti, cum suis concordantiis. Quia et civilis et naturalis ratio suadet, ut alter possideat et alter a possidente petat, Inst. de interdic. § retinendae.

Canonica institutione
Et sic patet quod spoliato non possit referri quaestio dominii, nisi primo fuerit restitutus, supra, de restit. spol., sollicite, ubi de hoc.

Praedo
ff. de vi et de vi arm., praetor ait § qui a me. Arg. contra, quia dolo facit qui petit quod statim restituere debet, ff. de dol. except., dolo. Sed illud potest intelligi in petitorio iudicio. Et hoc verum est, nisi sit talis praedo cuius vitae nullus parcere debet, C. quan. lic. sin iud. uni. vind., liberam.

Rigorem
Nisi dominus rem petat eodem tempore cum fure, ff. deposi., bona fides § exempli loco. Tamen aequitas quandoque praefertur rigori, C. de iud., placuit.

X 2.13.06 *Item cum quis*

Clam possessionem intrasse
In hoc casu non eget restitutione, quia possessionem non amisit nisi in duobus casibus, puta si veniens non fuerit admissus, item cum non accedit, quia suspiciatur se posse repelli, ff. de acq. poss., clam possidere § qui ad nundinas; et ff. de acq. poss., si id § ulti. Consequitur tamen, ut quod iam aedificatum est tollatur, et conservetur indemnis, prout iuratum fuit in litis taxatione a iudice facta, ff. quod vi aut cla., semper § in hoc interdicto; et ff. quod vi aut cla., praetor ait § denique, ubi dicitur quod nulla iusta exceptione se tueri potest quis adversus factum quod vi aut clam fecit, seu contra interdicto isto agentem.

Crimen obiicit
Et male, quia separata est causa criminis a causa possessionis, C. de donat. inter vir. et uxor., si maritus, in fi.

Principalis
Scilicet causa restitutionis, quia principalis est et primo expedienda, supra, de restit. spol., licet.

Criminaliter
Ut 3. q. 1, per totum; et 3. q. 2, per totum; et infra, de restit. spol., extravag. frequens

X 2.13.07 *Conquerente nobis*

Rationabili
56. dist., satis perversam; et 16. q. 7, inventum.

Paterna
16. q. 1, praedicator; et 8. q. 1, clemens; et infra, de praeben., non liceat; et infra, de praeben., cum secundum Apostolum; et infra, de censib., cum Apostolus.

Si est ita
Sed quare dicit si est ita? Numquid debet ipse cognoscere de facto suo? Respondeo: non quia cum de facto suo debeat esse certus. Super hoc nullam cognitionem, sed ille cui causa committitur. Sed in hoc, ut quod iniuste fecit emendet, defertur eidem, supra, de rescript., ab excommunicato.

Perceptis
Et qui percipi potuerunt, infra, de restit. spol., gravis.

Volueris
Ex quo enim adversarium se sibi constituit, non debet esse iudex in facto suo, C. ne quis in sua caus. iud., generali; et 4. q. 4, nullus umquam.

Experiri
Et sic videtur quod ecclesiam sibi retinuerit, et non alii dederit. Alias etiam ille cui dedisset, deberet expediri. Et iudex de his quae coram eo acta essent, si interrogaretur, scriberet delegato, 18. dist., de conciliis. Et si archiepiscopus eum non restituerit ut mandatur, tunc delegatus cognoscet an taliter fuerit spoliatus, quia hoc illi mandatur ex eo quod dicit: si est ita. Ut dictum est, semper enim praesumitur pro sententia iudicis quousque probetur contrarium, supra, de renunciat., in praesentia; et infra, de re iudic., sicut; et supra, de elect., bonae 1; et infra, de probat., post cessionem; ff. de iust. et iure, ius pluribus § praetor.

X 2.13.08 *Ex transmissa*

Legitime
Id est, per legitimum consensum de praesenti utriusque per verba idonea expressum, infra, de spons., si inter; et infra, de spons., tuae fraternitati, et in facie ecclesiae. Et ideo non obstaret restitutioni, licet obiiceretur consanguinitas, infra, de restit. spol., ex conquestione, nisi obiiceretur gradus indispensabilis vel etiam quodcumque aliud

impedimentum perpetuum, et probationes essent incontinenti paratae, infra, de restit. spol., litteras. Secus si ageretur petitorio, supra, de ord. cognit., intelleximus.

Et ab eo cognita
Et ita per hoc habuit possessionem. Et sic patet quod duo debet probare qui petit restitutionem, videlicet legitimam dispensationem vere vel praesumptive et carnalem copulam. Et est simile in servitutibus, ubi quis debet probare duas res, scilicet servitutem constitutam fuisse, et se usum fuisse, ff. de itin. act. priv., inde § hoc autem interdicto. Et hic servitus est hinc inde, nec est simile hoc possessorium, aliis possessoriis de recuperanda possessione, quia ibi non est necesse probare de iure, supra, de offi. deleg., consultationibus. Hic non sufficit sola possessio, quia possessio hic haberi non potest sine iure, ut infra, de restit. spol., ex parte. Quare non sufficit sola possessio? Quia liber homo possideri non potest. Hic est talis possessio, quod qui possidet, possidetur, infra, de restit. spol., litteras, in fi; et infra, de restit. spol., ex parte; et infra, de rapt., cum causam.

Sufficienti cautione
Infra, de restit. spol., litteras, in fi. Sufficiens cautio dicitur si pignora vel fideiussores dentur, ff. mand. vel cont., si mandato Titii § ulti.; ff. de fideicommi. liber., ergo § adiici. Sed nomine cautionis simpliciter posito, cautio nuda intelligitur, C. de ver. sig., sancimus. Et iudex recipiat cautionem per quam magis possit mulier esse secura, supra, ut lite non cont., quoniam § ulti. Et hoc solum bene agitur etc., 23. q. 5, prodest; sic 32. q. 1, de Benedicto. Si vero non posset secure caveri, non est restitutio facienda, infra, de restit. spol., litteras; et supra, ut lite non cont., accedens 2. Et hoc propter fragilitatem cautionis, ff. ad Trebel., qui ita § 1. Et hic idem dicitur.

Violentiam
Ad extorquendam forte aliquam confessionem, 31. q. 2, Lotharius § praeterea, et vers. et econtra, ad fin. Vel aliud iniquum in ipsam committat. Ber.

X 2.13.09 *Cum venisset*

Tenebat
Sic colligitur ex hoc quod beneficium non vacans fuit illis concessum, unde eo ipso debent perdere illud, infra, de concess. praeben., qui in vivorum; et infra, de concess. praeben., post electionem. Licet donator aliud donare illis teneatur, infra, de praeben., inter caetera; et 7. q. 1, praesentium. Sed hoc non habet locum in hoc casu, quia quod collegio datur, nemini datur, arg. 12. q. 2, episcopus § qui manumittitur. Et nullus suo nomine inde capit emolumentum, 2. q. 6 § biduum, vers. palam. Et sic nullus desiderat mortem viventis, de concess. praeben., nulla. Et talis donatio licite fieri potest de consensu episcopi, etiam a patrono sine praeiudicio possidentis, infra, de dona., consultationibus, quae ponit istum casum, et infra, de iure patron., quod autem.

Annuam
Per hoc intelliguntur canonici accepisse possessionem, et archiepiscopus sic eam amisit, et receptio pensionis fuit signum traditae possessionis, arg. supra, de consuet., ex litteris.

Sicut et donando vel vendendo rem aliquam, si usumfructum sibi retinuerit, eam tradidisse videtur, C. de donation., quisquis rem; et C. de donation., si quis argentum § sed si quidem; ff. de rei vend., quaedam mulier. Et est arg. ad hoc ff. de acq. poss., quod meo § si venditorem; ff. de acq. poss., qui bona; et ff. de acq. poss., si aliquam. Nec mortuo clerico statim canonici amiserunt possessionem quam prius habebant, sed tunc demum si neglexissent, ff. de acq. poss., si de eo § 1. Ber.

Cuius nomine possidetur
Infra, de praescrip., si diligenti; et supra, ut lite non cont., quoniam § quod si super; Inst. de interdic. § possidere; ff. de acq. poss., quod meo; et ff. de acq. poss., generaliter. Supple, ut intelligas quare faciat ad titulum quod mortuo clerico illo canonici statim intraverunt possessionem sine requisitione archiepiscopi. Unde ipse spoliavit eos praedicta ecclesia et omnia bona ecclesiae fecit asportari. Unde petebant canonici restitui, ut patet in integra. Et sic per responsionem patet quod sunt restituendi, quia possidebant et iniuste spoliavit eos.

X 2.13.10 *Ex conquestione*

Sine iudicio ecclesiae
Et ideo male, etiam si consanguinitas notoria esset, infra, de divort., porro, quia talis separatio poena est, quae non debet imponi nisi per iudicem, 33. q. 2, saeculares; et 33. q. 2, saeculares § in hoc.

Per procuratorem
Quod bene dicit, etiam si esset minor viginti quinque annis, infra, de restit. spol., ex parte. Etiam si ageretur ad tori separationem tantum, supra, de procurat., tuae. Sed si criminaliter ageretur non, ut in capitulo supra, de procurat., tuae; infra, de accusat., veniens. In crimine enim non intervenit procurator, 5. q. 3, in criminalibus.

Ante ipsius causae ingressum et post
Per hoc videtur quod quaestio spoliationis in modum actionis proposita praeiudicet principali et ante litem et post litem contestatam, arg. supra, de caus. poss. et propr., pastoralis. Sed videtur quod non sit audienda mulier ista petens restitutionem lite contestata super principali, sicut in mutuis petitionibus quae ante ingressum principalis proponendae sunt, supra, de mut. petit., ex litteris; et C. de sent. et interloc. om. iud., authen. et consequenter. Et quia dilatoria est qualitercumque proponatur, et dilatoriae quaestiones omnes sive exceptiones ante litem contestatam debent proponi, postea vero non, infra, de re iudic., inter monasterium. Satis videtur dicendum quod si aliquis contestetur litem, cum actore intentante quaestionem proprietatis, sicut faciebat vir iste qui agebat de consanguinitate, si nihil reus dicat de spoliatione ante litem contestatam, non sit postea audiendus, sive in modum actionis vel exceptionis velit obiicere spoliationem super eadem re. Et sibi imputet qui hoc omisit, sed super diversis bene posset peti restitutio in modum actionis reconveniendo lite contestata durante iudicio, supra, de ord. cognit., cum dilectus; et in concilio Lugdunensi supra, de rescript., extravag. dispendia § reus quoque, sed non in modum exceptionis. Et in casu huius decretalis quaestio spoliationis proposita in modum actionis prius debet terminari, et facta

restitutione procedatur super petitorio. Sed hic ideo mulier auditur, quia et ante ingressum litis et coram ordinario et coram delegato hoc instanter petebant et post ingressum, et nihilominus compulsa per iudices ingredi iudicium petiit restitui, et cum nihil proficeret, appellavit. Et quod dicitur in decretali supra, de caus. poss. et propr., pastoralis, intelligitur quando primo quis intentat petitorium, ille idem ante conclusionem potest redire ad possessorium, unde non est simile.

Non debuit
Nisi in casibus, puta si esse publice adulterata, infra, de divort., significasti. Vel nisi timeretur saevitia viri, ita quod non posset ei caveri, infra, de restit. spol., litteras; et supra, de restit. spol., ex transmissa; et in casu quem habes infra, de divort., gaudemus, in fi. Item ubi petitur restitutio in modum exceptionis, ibi non datur restitutio, quia non agitur ad hoc, supra, de ord. cognit., cum dilectus.

Restitui faciatis
Arg. contra supra, de ord. cognit., intelleximus, ibi petitorio et hic possessorio. Sic non est contra.

Post appellationem
Et ita tenuit appellatio, licet esset inhibita in litteris, quia remotio appellationis non impedit appellationem, ubi manifeste quis gravatur, infra, de appell., ut debitus. Et ideo omnia revocantur quae post appellationem legitimam facta sunt, infra, de restit. spol., litteras. Ber.

Fine canonico
Verbum istud fere, semper ponitur in causis spiritualibus, et praecipue in matrimonialibus quae per canones terminari debent, infra, de cons. et affin., ex litteris, in fi. In civilibus causis ponitur debito fine. Sed in hoc non est vis, quia in spiritualibus ponitur quandoque debito fine, infra, de restit. spol., cum ad sedem, circa princ.; infra, de testib., ex tenore. Ber.

X 2.13.11 *Gravis*

De praemissis
De violentia per testes constare debet, si adversarius ipsam negaverit. De rebus amissis per proprium iuramentum qualitate personarum ac negotii inspecta, et sic taxatione iudicis praemissa potest sequi condemnatio, supra, de his quae vi met. caus. fi., super eo, ubi de hoc; et C. und. vi, si quando; et 2. q. 1, in primis; et infra, de iniur. et damn. dat., olim.

De illatis iniuriis
Quas specificare debet qui agit iniuriarum, ff. de iniuri., praetor, 1. resp.

Fructus
Nota quod fructus dicuntur qui supersunt deductis expensis, quae fiunt gratia quaerendorum, colligendorum et conservandorum fructuum. Quod locum habet tam in

bonae fidei possessoribus, quam in malae fidei etiam praedonibus, ff. de pet. hered., si a domino § fructus; et ff. de pet. hered., plane, in fi.; et C. de fruct. et lit. exp., hoc fructuum. Nam nullus casus intervenire potest, qui hoc genus deductionis impediat, ff. fam. ercis., fundus qui, 1. resp., in fi.; et ff. solut. matrim., fructus. Nisi in uno casu infra, de decim., tua 2. Fructus enim intelliguntur deductis necessariis impensis, ff. de oper. serv., fructus; et ff. de usuri., quod in fructus; et ff. mand. vel cont., qui mutuam § ulti. Arg. 12. q. 2, vobis, cum hac distinctione: bonae fidei possessor tenetur restituere tantum extantes ante litem contestatam, et non consumptos post litem vero contestatam universos, C. de rei vend., certum. Malae fidei autem possessor non tamen violentus tenetur reddere omnes qui probantur ad eum pervenisse ante litem contestatam et post, C. de rei vend., si fundum. Si vero fuerit violentus, tunc tenetur restituere perceptos, et eos qui percipi potuerunt per veteres possessores, ut hic dicit, et supra, de restit. spol., conquerente; et supra, de offi. deleg., cum causa; et 12. q. 2, non liceat, in glossa fi. Quod tamen loquitur in re male alienata. Simile infra, de appell., bonae; et ff. de pet. hered., sed et si lege § quod autem ait; et ff. de rei vend., si navis § ulti.; et C. und. vi, si de possessione; et ff. de vi et de vi arm., praetor ait § qui vi deiectus est; et ff. de vi et de vi arm., praetor ait § non solum. Sicut in pignoratitia actione, C. de pigner. act., creditor qui praedium. Et hoc potest intelligi de fructibus industrialibus, ut frumento, vino et consimilibus. Secus videtur de aliis, scilicet de naturalibus, ut pomis, ficubus et consimilibus. Quoniam istos non facit suos possessor etiam bonae fidei, unde reddere tenetur universos et consumptos extantes, ut ff. de usuri., fructus percipiendo. Et de fructibus istis qualiter restituendi sunt, habes Inst. de off. iudic. § 1, et in glossa cum fructibus; ff. de rei vend., et ex diverso, ibi notatur. Et in verbo restitutionis, omnis utilitas actoris continetur, ff. de ver. sig., cum praetor; et 3. q. 1, per totum; et 2. q. 2, per totum.

X 2.13.12 *Olim causam*

Humiliatis
Olim isti Humiliati condemnati fuerunt ab ecclesia per Lucium Papam, secundum quod continebatur in decretali infra, de haeret., ad abolendam, in particula quae modo est decisa in principio illius capituli. Sed postea tempore Clementis recepti sunt ab ecclesia, quia in nullo errabant nisi quia condemnabant iurantes. Sed ipsi in hoc se correxerunt, et iurant quando expedit. Et ecclesia eos modo approbat.

Conditione
Id est, sub ea forma, 18. q. 2, Eleutherius; et infra, de praeben., significatum; infra, de censib., quanto. Vel in traditione terrae potest apponi conditio, infra, de cond. appos., verum. Et ita non est haec conditio simoniaca, cum etiam alias ad huiusmodi illa ecclesia teneatur, ex quo surgit in territorio Tridonensis episcopi. Sicut non est simoniacum cum episcopus ecclesias concedit aliquas piis locis, si in eis aliquid sibi reservet nomine pensionis, infra, de relig. dom., constitutus, vers. cum autem. Et census etiam solvitur ad indicium subiectionis, supra, de caus. poss. et propr., in causa; et infra, de censib., omnis, in fi. Ista quidem de iure communi conceduntur, unde expresse possunt constitui census in fundatione ecclesiarum quantum ad inferiores non quantum ad praelatos.

Manualem
Supra, de maior. et obed., his quae. Ad quam subditi tenentur ut ibi, et etiam per iuramentum quandoque, infra, de iureiur., nullus; et infra, de nov. oper. nunc., cum ex iniuncto; et 23. dist., quamquam, ubi de hoc.

Ea conditione apposita
Nisi haec conditio fuisset apposita, valeret contra Humiliatos, si simplex fuisset huiusmodi traditio, sed non praeiudicaret episcopo, vel alteri qui ius haberet, infra, de dona., inter dilectos. Arg. supra, de his quae vi met. caus. fi., cum dilectus; et supra, de arbitr., cum tempore. Arg. infra, de re iudic., cum super.

Asserebant et infra
Sub isto infra continetur quod ille magister sub ea conditione recepit domum. Et episcopus superveniens cum magno posse, expulit magistrum et suos. Unde magister dicens se esse spoliatum petiit restitutionem, sed denegatur ei quia non possedit.

Traditam sub conditione
Qua non existente, traditio non valebat, arg. infra, de cond. appos., de illis; et infra, de cond. appos., verum; et Inst. de ver. oblig. § ex conditionali. Et ideo dictus magister non possidebat. Nam tunc demum dicitur quis possidere, cum conditio extat, ff. de acq. poss., qui absenti § si quis. Et eodem modo non amittit possessionem qui sub conditione recedit, ff. de acq. poss., si me, 1. resp., in fi. Et ideo cum non possederit, non poterat spoliari. Et ideo non restituitur iste magister, quia non fuit spoliatus.

Praeiudicium fuerat
Ut scias quando alicui praeiudicium fiat circa possessionem, vel quamdiu eam possidere intelligatur, notabis, quia aut possideo rem aliquam per me vel per alium, puta per servum vel colonum. Si per me, licet sponte recedam, non animo deserendi possessionem, adhuc eam retineo, nisi scienter negligam, ff. de acq. poss., si de eo § 1. Et si alter intret talem possessionem, quam solo animo retineo, adhuc retineo possessionem, nisi ille me venientem non admittat, vel si non audeo accedere ad possessionem, et etiam suspicor me posse repelli, ff. de acq. poss., si id quod § ulti.; et ff. de acq. poss., clam possidere § qui ad nundinas. Et quam cito scivero alium esse in possessione, possum expellere ipsum, ut hic patet, et ff. de acq. poss., quod meo nomine § ulti.; ff. de vi et de vi arm., idem est § eum igitur. Sed si alius est in possessione nomine meo, tunc si ille expellitur, vel alii tradat perdam eam, ff. de acq. poss., possideri § quod si servus. Et haec vera sunt in rebus immobilibus, sed si quis rem tuam mobilem occupat, statim perdis possessionem, ut ff. de acq. poss., si rem mobilem.

Cum statim
Id est, quam cito potuerint, ff. ad Trebel., qui quadringenta § et confestim.

Suspicari debuerat
Ut ff. quod vi aut cla., servus; ff. de acq. poss., possideri § si quis nunciet.

Restitutionem
Et sic patet quod non sufficit probare quod aliquis fuerit spoliatus, nisi probet se possedisse. Duo enim probare debet qui petit restitui: se possedisse et spoliatum fuisse, supra, de offi. deleg., consultationibus, in fi. Sed hic non possidebat ut dixit, quia sub conditione possessionem accepit. Item si quis possedit ex precario vel ex gratia, non potest petere restitutionem, 11. q. 3, quia. Vel si obiiciatur quod incontinenti deiecit, ff. de vi et de vi arm., praetor ait § vim vi; et ff. ad leg. Aquil., scientiam § qui cum aliter; et infra, de sent. excom., si vero alicuius § si vero. Aliud est possidere, aliud in possessione fuisse, ff. de acq. poss., si quis autem § idem Pomponius.

Excessistis
Debuerunt hoc facere cum moderamine inculpatae tutelae, C. und. vi, recte. Sed numquid isti sunt excommunicati, qui expulerunt illum magistrum et alios religiosos de domo illa? Videtur quod sic, infra, de sent. excom., non dubium, et ex pluribus aliis capitulis ibidem. Sed contra videtur, quia licitum est cuilibet se defendere, infra, de sent. excom., si vero alicuius § si vero. Et quia isti admissi sunt ad agendum, quod non esset si Papa eos excommunicatos reputaret, infra, de probat., post cessionem. Dicas quod haec ratio non videtur bona, quia non agebant, sed defendebant se contra istum magistrum qui petebat restitutionem. Dicas quod si isti scienter et ex proposito excesserunt modum in expellendo eos de domo illa, inciderunt in sententiam excommunicationis, quia vim vi repellere licet, sed cum moderamine inculpatae tutelae, arg. 23. q. 3, non inferenda; et ff. ad leg. Aquil., si ex plagis § tabernarius; et infra, de sent. excom., ut famae, in fi. Sed si non aliter possent se defendere, nisi modum excederent, nec tunc credo illos incidisse in sententiam, arg. ff. ad leg. Aquil., sed et si, 1. resp. Si vero casu et ignoranter excesserunt modum, tunc non essent excommunicati, arg. infra, de homic., sicut dignum § illis praeterea. Ber.

X 2.13.13 *Litteras tuas*

In tua
Arg. archidiaconum habere iurisdictionem causarum matrimonialium, sic et abbas, infra, de excess. praelat., accedentibus, in fi. Sic et archipresbter, infra, de cons. et affin., ex litteris. Arg. contra 35. q. 6, episcopus in synodo; et in decretali praedicta infra, de excess. praelat., accedentibus. In his enim consuetudo servatur quae dat iurisdictionem, 9. q. 3, conquestus, in textu et in glossa consuetudo; C. de emancip. lib., si lex; et C. de emancip. lib., cum inspeximus; et supra, de arbitr., dilecti, in fi. Et ita potius cognoscunt ex consuetudine quam ex iure, arg. praedictae decretalis infra, de excess. praelat., accedentibus; et arg. ad hoc supra, de offi. archidiac., dilecto, ad fi.

Coniunctam
Et hoc incontinenti probare volebat.

Divertit
Alias si eam a se repulisset, non posset petere restitutionem, cum se ipsum expoliasset, arg. 27. q. 2, Agathosa. Sed contra credo, quod hoc non obstaret si velit ipsam rehabere qui eam expulit, quia eo ipso quod repetit ipsam, et ipsa non vult ad eum redire,

intelligitur eum spoliasse. Sed numquid haberet locum pactum de non petendo? Videtur quod sic, 33. q. 5, quod duo pari. In talibus non valet pactum vel compositio, supra, de transact., ex parte. Ita quod uterque remaneat in saeculo, nullum pactum ibi valet nec absolvere se possunt, etiam si iurarent, infra, de iureiur., tua nos 2. Et etiam si voverent, arg. infra, de conver. coniug., ex parte tua, in fi. Quia confessio etiam ibi locum non haberet contra matrimonium, ut 35. q. 6, si duo; et infra, de eo qui cog. consang., super eo. Nec etiam exceptio rei iudicatae locum habet ibi unde voluntas ibi deambulatoria est, infra, de re iudic., lator; et infra, de re iudic., consanguinei.

Et infra
Sub isto infra continetur quod pars mulieris econtra viri saevitiam allegabat, propter quod non erat restituenda marito.

Non potest
Id est, non vult vel non expedit. Sic 32. q. 5, si Paulus, in glossa suscitare. Quoniam Papa in omnibus dispensare potest, quae non sunt contra articulos fidei vel generalem statum ecclesiae, 15. dist., sicut, in glossa fi.; et 25. q. 1, sunt quidam, cum glossa sua. Nec in his quae sunt contra substantiam monachatus, infra, de statu monach., cum ad monasterium, in fi. Nec in his quae in sui natura sunt mala, ut quod sine peccato posset quis adulterari, arg. infra, de iureiur., et si Christus § quaedam etiam. Nec potest dispensare ut simul quis habeat plures uxores, supra, de transact., ex parte. Idem credo de gradibus divina lege prohibitis, ut hic dicit. Unde proprie ponitur hoc verbum, non potest. Et ideo haec expositio, non vult vel non expedit, non habet locum hic.

Et infra
Sub isto infra continetur quod quaesivit etiam, an idem esset si gradus dispensabilis, vel aliud impedimentum dispensabile allegetur, et probationes essent incontinenti paratae. Ber.

Viam mediam
Arg. de medio spectando. Sic supra, de offi. deleg., quaerenti, in glossa aequitatis. Unde Ovidius: inter utrumque vola, medio tutissimus ibis.

Per decretalem
Istorum opinio, scilicet quod restitutio sit facienda, multis iuribus iuvatur, et primo per decretalem supra, de restit. spol., ex conquestione; et supra, de restit. spol., in litteris; et supra, de restit. spol., item cum quis; et supra, ut lite non cont., accedens 2; C. de appellat., prius; et C. de donat. inter vir. et uxor., si maritus. Nec obstat illa decretalis supra, de ord. cognit., intelleximus, quia loquitur in petitorio, ut hic. Et infra dicitur nec obstant leges illae ff. ut in poss. legat., si is a quo; ff. ad exhib., in hac actione § ibidem; et ff. de Carb., Carbonianum § causae. Quia loquuntur in possessione adipiscenda etiam in exhibitione rei, ubi differtur missio in possessionem, si incontinenti probetur de proprietate. Et fallit in casibus notatis supra, de restit. spol., ex conquestione, et in casibus qui notantur 3. q. 1, in summa; supra, de restit. spol., olim causam.

Movetur
Resume, nec exigere nec reddere debet debitum.

Oraculum
Id est, responsum.

Clementis
Supra, de ord. cognit., intelleximus.

Casibus
De quibus aliqui notantur supra, de restit. spol., ex conquestione.

Divina lege
In Levitico, scilicet octavo decimo capitulo, quondam propter hominum raritatem tantum duae personae excludebant a coniugio ut nec filius matrem nec filia patrem duceret. Sub lege excepit fere duodecim, matrem, novercam, sororem, neptem, amitam, mater terram, uxorem patrui, uxorem fratris. Sed hoc recepit determinationem, 8. q. 1, olim. Privignam, filia privigni vel privignae sororem uxoris, paucas tamen exclusit, ut multiplicarentur homines. Sub gratia vero, scilicet tempore Christi plurimae personae excluduntur, ut locum haberet continentia, et est illa prohibitio coniugii. Nam a fornicatione quilibet et quaelibet excluduntur. Et ita cum ecclesia in istis gradibus divina lege prohibitis non consueverit dispensare, eis oppositis non est restitutio facienda, et hoc videtur sonare littera ista.

Beatus Gregorius
35. q. 3, quaedam lex.

Non peccat
Allegatio est.

Nec cuiquam earum
Omnibus enim iuris auctoribus aequa praerogativa servanda est, C. de vet. iure enucl., Deo auctore § is ita; arg. 19. dist., sic omnes; et 20. dist., de libellis, in fi.

Volumus generari
Et tamen generatur. Iudices enim secundum suam opinionem sententiant, 11. dist., nolite; et infra, de celeb. miss., de homine; arg. de conse. dist. 1, praecepta. Et Papa hic loqui videtur ut magister.

Porro
Haec allegatio Gregorii est.

Non est
28. q. 1, omnes § ex his; infra, de praescrip., quoniam; et infra, de simon., per tuas 2.

X 2.13.13 Litteras tuas (rev. 9/23)

Excommunicationem
Hoc secundum distinctionem illius decretalis infra, de sent. excom., inquisitioni.

Laqueus
Ecclesia enim nulli debet laqueum iniicere, 27. q. 1, de viduis 2.

Divina
Ergo videtur quod in secundo gradu ecclesia dispensare non possit, cum istud fuerit divina lege prohibitum, 30. q. 3, pitacium, in glossa 2. Et in Levitico prohibetur secundus gradus in consanguinitate et affinitate, ubi dicitur: turpitudinem sororis uxoris tuae, et filiae eius non revelabis. Filiam filii eius et filiam filiae non assumes. Sed contra videtur infra, de divort., gaudemus, ubi dicitur quod si pagani contraxerunt in secundo gradu, post fidem receptam debent insimul remanere. Dicas quod in Levitico prohibetur secundus gradus in descendentibus, non in collateralibus. Unde in secundo collaterali dispensare potest ecclesia. Et expone praesertim, id est, maxime. Quia si probationes incontinenti sunt paratae, non est facienda restitutio quantum ad carnalem copulam in quocumque gradu, sed multo fortius in gradibus divina lege prohibitis. Alias fiat restitutio quo ad omnia, ut infra sequitur.

Offeruntur incontinenti
Hic patet quod licet spoliator velit probare incontinenti exceptionem consanguinitatis, tamen spoliatus prius est restituendus, si periculum animae non immineat. Quia hic mulier restituitur in caeteris praeterquam ad copulam, et tamen probationes incontinenti offeruntur. Unde tollitur distinctio quorundam, qui dicunt quod si spoliator velit statim probare exceptionem, restitutio differtur per id quod legitur ff. ad exhib., in hac actione § ibidem; et ff. ut in poss. legat., is a quo. Sed illae leges in alio casu loquuntur, ut dictum est supra.

Iuramento recepto
Hoc est notabile, quod licet in causa matrimonii et aliis causis spiritualibus de calumnia sive malitia non iuretur, ut supra, de iuram. calumn., litteras. Iuratur tamen de calumnia super exceptionibus post emergentibus. Si tamen per eas alterius ius aliqualiter impugnetur, supra, de elect., cum dilectus; et infra, qui matrim. acc. poss., cum in tua; et infra, de testib., praesentium; ff. de damn. infect., qui bona § si quis stipulaturus; arg. ff. qui satisda. cog., de die § iubetur. Dicas quod ubi in principio semel lite contestata iuratum est de calumnia, postea non iuratur, quia iuramentum illud extenditur ad omnes exceptiones peremptorias quae postea occurrunt, sive sint emergentes sive incidentes, C. de iureiuran., authen. hoc sacramentum. Olim aliter observabatur, quia iurabatur super quolibet capitulo. Unde hodie non valent iura quae hoc dicebant, et sic non contradicunt leges praedictae. Quandoque etiam iuratur ob aliud, puta quod non didicit testificata, infra, de testib., ultra. Ante litem contestatam bene iuratur super exceptionibus propositis, et praecipue ubi arguitur malitia excipientis, ut hic, et infra, de elect., cum dilectus; et infra, de except., pastoralis, sive sit causa spiritualis sive civilis. Et nihilominus iuratur postea de calumnia super principali quaestione, quia aliud est iurare super exceptionibus ante litem contestatam propositis, quia ibi declinatur iudicium, nec tangunt principalem quaestionem, nec ex ea oriuntur. Et aliud est iurare super

exceptionibus post litem contestatam, quia illa tangunt principale negotium et oriuntur ex eo. Unde iuramentum de calumnia ad omnia extenditur quae emergunt post litem contestatam, et quae incidunt. Et ideo post litem contestatam praestito iuramento super principali quaestione non iuratur postea, quia sic quasi bis iuraretur.

Tolerare

Hoc intellige secundum distinctionem illius decretalis infra, de sent. excom., inquisitioni. Sed pone quod talis excommunicata iniuste moriatur, numquid debet sepeliri in coemiterio ecclesiae, cum apud Deum non sit ligata, 24. q. 3, si quis non recte? Dicas quod non, quia quantum ad ecclesiam ligata est, quae non iudicat de occultis, infra, ut eccl. ben., ut nostrum § porro. Et sic ecclesia pro ipsa non debet orare. Quo ad Deum soluta est, nec nocet ei vilis sepultura, infra, de sepult., sacris, in fi. Potius enim consulendum est animae quam corpori. Et in tali casu ubi mulier certa est, potius debet Deo obedire quam iudici secundum consilium Papae, et 11. q. 3, non semper; et 23. q. 1, quid culpatur, ne contra conscientiam suam aedificet ad gehennam.

Sufficiens

32. q. 1, de Benedicto. Ex quo enim propter saevitiam unus reliquum dimittere potest secundum legem, in Auth. de nupt. § si igitur mulier tale aliquid, coll. 4. Ergo multo minus est restitutio facienda, quia turpius eiicitur quam non admittitur hospes, infra, de iureiur., quemadmodum § alioquin. Et in hoc casu alicui honestae mulieri committenda est, ubi secure moretur, supra, de restit. spol., ex transmissa; et infra, de spons., cum locum; arg. supra, de procurat., accedens. Et praeterea satisdatio non immutat malevolum propositum, Inst. de susp. tut. § novissime.

X 2.13.14 *Ex parte*

Nondum septem annorum

Et ita nihil egit, cum aetas impediret, infra, de despon. impub., litteras; et infra, de despon. impub., accessit. Item arg. quod ubi quis vult contrahere matrimonium, nec potest aetate prohibente, nec sponsalia contrahit quia non vult, nec matrimonium quia non potest, nec illud intelligitur contrahere, ff. de donat. inter vir. et uxor., cum hic statur § penulti.; et supra, de offi. deleg., cum super; et C. si quis alt. vel sib. sub alt., multum interest. Arg. contra infra, de despon. impub., de illis 1, in fi.; et infra, de despon. impub., tuae nobis. Sed videtur quod illa, licet fuerit minor, tamen auctoritate sua non debuit recedere, infra, de despon. impub., de illis 1, in princ. Sed in hoc distingue ubi sponsalia non tenuerunt aetate prohibente, nec postea cursu temporis placuerunt, ut hic, vel si per vim contracta fuerant, ut infra, de despon. impub., ex litteris, auctoritate sua potest mulier recedere, quia nulla obligatio fuit hinc inde contracta, ut in praedictis decretalibus infra, de despon. impub., litteras; et infra, de despon. impub., accessit. Ubi vero sponsalia tenent, non debet recedere alter sine licentia ecclesiae, infra, de despon. impub., de illis 1.

Copulare
Hoc quod dicit, voluerit matrimonium copulare, tollit omnia contraria, et hoc quia voluntas patrui ad nullum actum processit nec quo ad sponsalia nec quo ad matrimonium, et ita nulla obligatio fuit contracta, ut infra sequitur.

Postulavit
Et etiam res si quas dedit ei in dotem. Nam semper subintelligitur talis conditio, si matrimonium fuerit subsecutum, ff. de iure dot., stipulationem; et ff. de iure dot., dotis promissio, et fructus et partus, ff. de condi. caus. dat., qui se debere § fundus.

Quamvis minor
Sic patet quod in causa matrimoniali minor viginti quinque annorum censetur maior. Similiter in voto, 20. q. 2, si in qualibet § 1; et 20. q. 2, puella. Item et in alio casu cum minor mortem patris exequitur, vel cum agit de testamento patris, 15. q. 3, de crimine. Item cum agit de recuperanda possessione, C. qui legit. pers. in iud., momentariae. Item cum agit de toro violato, ff. de adulter., si maritus sit § lex Iulia. Item cum agit de libero homine exhibendo, ff. de hom. lib. exhib., quod et lex § sed et si mulier. Item cum impetravit veniam aetatis, C. de his qui ven. aet. impetr., eos qui veniam aetatis impetraverunt. Item cum agit negotia alterius, ff. de minor., cum mandato. Et generaliter videtur quod secundum canones etiam contra patrem suum minor agere possit, ut 27. q. 7, quaeritur. Sed numquid minor potest petere restitutionem in integrum in huiusmodi spiritualibus sive ecclesiasticis negotiis, si doceat se laesum, ut si contraxit cum paupere cum poterat contrahere cum divite? Dico quod non, quia error divitiarum non impedit matrimonium, 29. q. 1 § quod autem. Ergo nec sponsalia, quia in hoc censetur maior. Et ubi minor mutat statum, non restituitur, ff. de minor., si ex causa § Papinianus ait; arg. 20. q. 2, firma; et 20. q. 2, addidistis. Et si maior est viginti annis, potest se permittere venumdari ad participandum pretium, ut Inst. de iure pers., circa fi. Sed si minor viginti quinque annis renunciavit beneficio suo, numquid potest implorare restitutionem? Videtur quod non, quia in talibus loco maioris habetur. Quia in rebus ecclesiasticis, sententia lata contra minorem absentem et indefensum tenetur, supra, de elect., dudum ad audientiam § cum autem. Sed in rebus immobilibus sententia lata contra minorem absentem nulla est, ff. de re iud., contra pupillum. Item ex hoc sequeretur inconveniens, quia si minor renunciasset ecclesiae, si postea illa conferatur legitime alicui, demum minor petat restitui, quod ei adiudicabitur ecclesia, qui legitime est eam adeptus et sine culpa, quod esse non debet, infra, de appell., bonae; 56. dist., satis perversum; 16. q. 7, inventum. Item quia in rebus ecclesiasticis censendus est sui iuris, sicut et filiusfamilias in castrensi peculio, ff. de Maced., usque; ff. de Maced., si quis patrem, in fi. Econtra videtur quod possit, quia et maiori competit restitutio in integrum, supra, de in integ. restit., ex litteris. Item in rebus ecclesiasticis maius periculum est quam in aliis. Ergo in eis cautius est agendum, 42. dist., quiescamus; 7. q. 2, nuper; ff. de Carb., si cui controversia § sed si quis. Incongruum enim esset quod per assumptionem rei ecclesiasticae perderet beneficium restitutionis, quia utilitas debet augeri, non minui per dignitatem, ff. de iud., si longius, in fi.; et arg. ad hoc ff. commodat., in commodato § sicut, in fi., ibi adiuvari; et infra, de commod., cum gratia; et C. de indict. vid., ambiguitates, in fi. Ad hoc dicas quod minor potest petere in integrum restitutionem, si omisit probationem necessariam vel alias captus sit in iudicio et beneficio, sicut et

ecclesia quae comparatur minori, supra, de in integ. restit., requisivit; et supra, de in integ. restit., auditis; et supra, de in integ. restit., quasi per totum; et ff. de minor., quod si minor § 1; et ff. de minor., minor viginiti quinque annis. Sed si renunciavit beneficio ecclesiastico, et illud iam sit alii collatum, non subvenitur ei, ff. de minor., quod si minor § Scaevola. In matrimonio vero, puta cum sententia lata contra matrimonium est, ubi ecclesia decepta est, ipso iure servatur illaesus, infra, de re iudic., lator; et infra, de re iudic., consanguinei.

Commodo destituta
Sic ff. de sponsal., quaesitum. Quia per solam traditionem nihil egit. Ubi enim nulla praecedunt sponsalia vel matrimonium, nulla habetur possessio, quia liber homo possideri non potest. Et possessio illa talis est, quod qui possidet, possidetur. Unde ex sola possessione facti nulla servitus vel obligatio hinc inde contrahitur, nec restitutio peti potest, cum nulla possessio iuris hic fuerit, unde haereticus non potest in iure petere rerum ecclesiasticarum restitutionem, 23. q. 7, quicumque; et 23. q. 7, si de rebus. Nec laicus restitutionem decimarum, licet de facto possideat, quia aliud est possidere et aliud detinere, infra, de praescrip., causam quae. Nec enim sufficit probare spoliationem, nisi probet quod possiderit, supra, de offi. deleg., consultationibus; et supra, de restit. spol., olim causam, ut ibi dictum est. Quandoque tamen petitur restitutio, ubi nulla potest esse possessio, ut cum petitur iuris praecessit de qua constat. Sic infra, de praeben., referente; arg. supra, de procurat., ex insinuatione. Item servus petit restitutionem rerum domini absentis, quas de iure non potest possidere, C. si per vi. vel al. mod., iudices. Similiter uxor restituitur ad res datas sibi a viro, quas de iure possidere non potest, ff. de vi et de vi arm., praetor ait § deiicitur. De hoc, scilicet an possit repeti quod non licet possidere, traditur 14. q. 1, episcopus, in textus et in glossa 2. Et nota quod licet aliqua appareat traducta, non tamen praesumendum est statim pro sponsalibus vel matrimonio, ut hic patet, et lege praedicta ff. de sponsal., quaesitum. Sed ubi sponsalia praecedunt infra pubertatem, si sponsa complevit duodecimum annum apud sponsum, praesumitur matrimonium, infra, de spons., ad id quod; ff. de ritu nupt., mulierem.

Subsecuta
Quia numquam sponsalibus puella consensit, vel antequam puer septimum annum compleverat ab eo recessit.

Exceptionibus supradictis
Scilicet quod petebat fieri primo sibi restitutionem, et quod illa non poterat agere per procuratorem, quae non habent locum hic.

X 2.13.15 *Cum ad sedem*

Ad petitorium
Sive simul sive separatim poterat agere procurator hospitalis, de hoc dictum est supra, de caus. poss. et propr., cum ecclesia; et supra, de caus. poss. et propr., cum super; et supra, de caus. poss. et propr., cum dilectus.

Et pertinentiis

Hic ergo datur libellus generalis. Sic infra, de dona., inter dilectos. Et sententia fertur ibi generaliter, et infra, de probat., licet, ad fi. Arg. contra supra, de libel. oblat., significantibus; et supra, de libel. oblat., dilecti, ubi plene notatur de hoc. Arg. contra ff. de rei vend., si in rem 1; et Inst. de action. § curare. Solutio: contraria ista locum habent in rei vendicatione et in singularibus iudiciis, ubi omnia debent specificari quae petuntur. Sed hic et infra, de dona., inter dilectos, cum omnibus similibus locum habent in iudiciis universalibus. Nam si quis petit ecclesiam cum suis pertinentiis, universalis est petitio, et in hoc casu ad id quod non extat tempore petitionis apud eum qui convenitur, si tempore sententiae possideat, condemnatur, ac si tempore litis contestatae possideret, ff. de pet. hered., si quo tempore; et ff. de peculi., quaesitum. Sed qualiter procedetur circa pertinentias, cum reus neget eas pertinere ad ecclesiam vel ad hospitale? Respondeo: ubi obscure et indeterminate aliquid proponitur circa initium iudicii, accipimus id quod utilius est actori, ff. de iud., si quis intentione; et ff. de ver. oblig., inter stipulantem § 1. Et id quod nocet reo, ff. de interrog. act., de aetate § nihil. In medio litis qualiter praesumitur pro utroque, arg. 30. q. 5, iudicantem; et infra, de testib., cum tu. In fine magis praesumo pro reo, infra, de probat., ex litteris; et infra, de fide instrum., inter dilectos, in fi. Debet enim actor declarare in processu de pertinentiis, alias non fieret executio ad voluntatem suam, arg. infra, de praescrip., auditis; et infra, de spons., ex litteris 1.

Diutius possedisset

Numquid hoc solum sufficit probare quod aliquando possedit, ad hoc ut possit restitui? Non nisi probet spoliationem, supra, de offi. deleg., consultationibus; et supra, de restit. spol., olim causam, ubi de hoc. Secus est in dominio, quia ibi sufficit probare quod ille a quo habet causam fuit dominus, ad hoc ut habeatur pro domino, C. de probation., sive. Et est ratio, quia dominium non ita de facili perditur sicut possessio, ff. de acq. poss., si quis vi § differentia.

Nec credere

Per hoc enim fuit facta litis contestata per narrationem et responsionem, supra, de litis contest., olim; arg. C. de exception., si quidem; ff. de pet. hered., si debitor.

Testes

Sed cum agatur hic possessorio tantum, numquid debet probare pars altera, contra quam agebatur tantum possessorio? Videtur quod non, quia et quaestio spoliationis primo tractanda est, supra, de restit. spol., in litteris; et supra, de restit. spol., item cum quis; et supra, de restit. spol., ex conquestione. Dicas quod super eodem possessorio potest se defendere, puta quia incontinenti deiecit, vel quia adversarii possidebant sub conditione, supra, de restit. spol., olim causam. Item quia invenit vacuam possessionem, sic poterit probare de iure suo. Vel dum quiete possidebat, sponte renunciavit, et sic non competit restitutio, ut supra, de restit. spol., accepta.

Dicta testium

Nota quatuor modos convincendi vel probandi, et quintus potest addi, scilicet violenta praesumptio, 32. q. 1, dixit Dominus. Ber.

Interdictum

Sic patet quod iste procurator ineptam proposuit petitionem. Nam interdictum unde vi non datur nisi contra illum qui deiecit vel mandavit vel ratum habuit, ut hic dicitur; et ff. de vi et de vi arm., cum a te; et ff. de vi et de vi arm., quod est § cum procurator; et 2. q. 1, notum. Vel nisi contra illum qui rem scienter a deiectore recepit, infra, de restit. spol., saepe. Item datur contra universalem successorem, ff. de vi et de vi arm., praetor ait, in fi.; et ff. de vi et de vi arm., quod est § ulti. Et datur successori spoliati, ff. de vi et de vi arm., praetor ait § interdictum hoc, in fi.; et infra, de testib., significaverunt. Sed non datur contra successorem rei, sed contra emptorem vel donatarium secundum leges, ff. de vi et de vi arm., cum a te. Dixerunt tamen quidam quod actione in factum potest agi contra quemlibet possessorem, ff. de vi et de vi arm., praetor ait § ulti. Sed illud non est verum, quia illud intelligendum est de successore universali. Vel potest intelligi quod tunc agi posset contra possessorem rei, quando possidens causam habet a deiectore succedendo in vitium, infra, de restit. spol., saepe. Videtur tamen quod in rebus ecclesiasticis posset agi contra quemlibet possessorem, 3. q. 1, redintegranda; et 3. q. 2, cum ecclesiae; 3. q. 2, quasi per totum; et supra, de iudic., quia V; et infra, de restit. spol., saepe; arg. 12. q. 2, quicumque; et 16. q. 6, si episcopum. Hoc verum est, sed non per interdictum unde vi, sed condictione ex illo canone 3. q. 1, redintegranda; et 3. q. 2, cum ecclesiae. Item conveniri potest quilibet possessor iudicis officio, arg. infra, de appell., bonae, vel condictione ex illa decretali infra, de restit. spol., saepe. Sed nonne ex eo quod familia istius fecerat violentiam et ad dominum res illa pervenit, praesumendum est ex hoc de voluntate domini factam fuisse, 1. q. 4, quia praesulatus; et infra, de testib., constitutis 1; et ff. de minor., et enim. Sed hoc non est verum, quia potest esse quod dominus vacuam possessionem invenit, et sic intrando violentiam non fecit. Unde talem rem usucapere poterat, Inst. de usucapion. § quod autem; et ff. de usucap., sequitur § si tu me vi expulisti. Nec enim de facto familiae suae tenetur dominus, nisi mandaverit vel ratum habuerit. Sed si servus eius deiecerat, tunc tenetur noxaliter nomine ipsius servi, ff. de vi et de vi arm., praetor ait § sed et si; et ff. de vi et de vi arm., praetor ait § quod igitur. Item si familia alicuius deiecit aliquem, non tamen nomine domini, dominus illud non potest ratum habere, ff. de vi et de vi arm., si vi me, a contrario sensu; ff. de negot. gest., si pupilli § sed et si ego. Nisi velis dicere quod secundum canones ratum possum habere quod meo nomine non est gestum, 9. q. 2, Lugdunensis; et 16. q. 1, quoniam quicquid; et infra, de his quae fi. a prael., cum nos; et supra, de elect., quod sicut. Item nota quod licet interdictum unde vi non detur nisi contra deiectorem, ut dictum est, tamen actio quod metus causa datur contra quemlibet possidentem, ut supra, de his quae vi met. caus. fi., abbas; et supra, de his quae vi met. caus. fi., ad audientiam; et 16. q. 6, consuetudo; et ff. quod metus cau., si cum exceptione § aliquando; et C. quod metus cau., non interest. Similiter interdictum quod vi aut clam, ff. quod vi aut cla., semper, in princ. Similiter interdictum de novi operis nunciatione, ff. de novi operis nunc., is cui. Et nota per hanc decretalem, quod a sententia lata super possessione momentanea appellatur contra illud, 2. q. 6, ei qui § de possessione; et C. si de mom. poss., cum de possessione; et C. quor. app. non rec., quisquis, unde aliud secundum canones et aliud secundum leges. Vel dic quod leges illae intelliguntur in possessione adipiscenda, ut in legatorio, et in credtore, et scripto herede. Sed in interdicto unde vi bene potest appellari, quia per talem sententiam potest fieri praeiudicium proprietati, C. und. vi, si quis in tantam. Et

talis sententia diffinitiva appellatur, supra, ut lite non cont., accedens 1; et supra, de iudic., significaverunt.

Motum
4. q. 3, si testes; infra, de testib., in nostra; et supra, de renunciat., in praesentia; et supra, de elect., bonae 1; et supra, de re iudic., sicut.

X 2.13.16 *Olim vobis*

Inanis
ff. de dolo mal., nam is. Qui nihil habet, eius periculo nil est, ff. de fur., itaque fullo; et infra, de usur., cum tu.

Restitutus
Quia alius ipsum privaverat eadem parte, unde super ea non poterat conveniri quousque ipse fuerit restitutus, ut 3. q. 1, episcopi. Hoc tamen incoveniens videtur, ut spoliatus repellatur per talem exceptionem, quia spoliator est ab alio spoliatus. Unde signatur contrarium ff. de vi et de vi arm., cum a te, ubi dicitur quod contra primum deiectorem agi potest et non contra secundum, licet ipse ab alio sit deiectus. Sed dic quod tunc agi potest contra eum cum ipse est solvendo vel in illo vel in aequivalenti, arg. infra, ut lite penden., ecclesia 2. Nam nullus casus excusat latronem, C. de furti. et serv. cor., subtracto. Et ita patet quod spoliator habet interdictum unde vi, si ipse ab alio spolietur, supra, de restit. spol., in litteris; ff. de vi et de vi arm., praetor ait § qui a me, et hic. Item ecclesia illius non debet puniri propter delictum istius, 16. q. 6, si episcopum. Et ideo cum alias non sit solvendo, non potest agere Zamorensis contra Ovetensem, quia cum spoliatus fuerit a rege episcopatu suo, non potest restituere quod de fructibus alienis perceperat, donec restituatur. Ideo dicit inanis est actio. Ideo etiam dicit non compellatis episcopum restituere priusquam ipse taliter fuerit restitutus etc. Ber.

X 2.13.17 *Olim inter*

Parochialis
Et ita possessorium potest intentari circa res incorporales. Sic supra, de caus. poss. et propr., cum ecclesia.

Timore
Sed numquid perdit possessionem qui timore devictus abstinet se ab illa, ff. de acq. poss., possideri § si quis nunciet; et ff. de acq. poss., clam possidere § qui ad nundinas? Item nonne ex eo quod quis paret mandato alicuius, gerit se pro subdito eius, ut infra, de capell. monach., dilectus; et infra, de his quae fi. a maior. par. cap., ex ore. Quia facit ea quae alii subditi faciunt, 20. q. 1, quem progenitores? Sed dic quod talis timor non privat ipsum possessione, quia non facit hoc animo obediendi, sed potius deliberandi quod sibi expediat. Non enim gerit se quis pro obediente, si hoc non faciat animo obediendi, ff. de acq. hered., pro herede. Item ea ratione, quia qui ex timore facit, iam non dicitur facere, infra, de reg. iur., qui ex timore. Nota timorem excommunicationis aequiparari metui, qui cadit in constantem virum, unde non praeiudicat. Item in tali dubio tutius est

abstinere. Item excommunicatio non dat iurisdictionem, nec per hoc acquirit possessionem qui sic excommunicat. Ber. Cum ipse tunc non possideat, ut hic dicit.

X 2.13.18 *Saepe contingit*

Non subvenitur
Verum est quod spoliato non subvenitur per interdictum unde vi secundum canones, nisi contra illum qui deiecit vel mandavit vel ratum habuit, supra, de restit. spol., cum ad sedem, in fi.; ff. de vi et de vi arm., cum a te; et ff. de vi et de vi arm., praetor ait § deiecisse; et ff. de vi et de vi arm., praetor ait § quotiens. Sed subvenitur iudicis officio contra quemlibet possessorem, arg. supra, de iudic., quia V; et infra, de appell., bonae. Et de condictione ex canone 3. q. 1, redintegranda, semper subvenitur, sive dolo sive vi sive metus sive alio modo rem perdidisset, semper subvenitur, 3. q. 1, redintegranda. Licet actio de dolo detur tantum contra dolum facientem, actio vero quod metus causa contra quemlibet possessorem, ff. quod metus cau., si cum exceptione § aliquando. Similiter actio quod vi aut clam, ff. quod vi aut cla., semper, 1. resp.

Rigore
Illius legis, ff. de vi et de vi arm., cum a te. Et ita secundum canones rigor iuris civilis non est servandus, infra, de dolo et contu., ad haec. Et nimia subtilitas iuris quandoque perniciosa est, C. ad Trebel., sancimus; et supra, de iudic., dilecti; et 49. dist., hinc § parvo, in vers. saepe.

Scienter
Sic ergo solus ille potest conveniri condictione ex canone isto, qui scienter recipit rem alienam. Sic supra, de iudic., quia V. Sed si ignoranter recipit, conveniatur condictione ex illo canone, 3. q. 1, redintegranda. Vel ex illa decretali obligatur supra, de iudic., quia V. Non intelligas quod hic dicitur, cum quis alienat rem litigiosam, vel de qua timetur fieri controversia, quia si alienatur res litigiosa, nulla est alienatio, C. de litig., lite; et infra, ut lite penden., ecclesia 1. Si autem alienat rem non litigiosam, sed de qua speratur litigium, tenetur ad interesse, id est, quanti interest illius rem alienatam non esse, ff. de alien. iud. mut. caus., omnibus. De hoc tractatur supra, de alienat. mut. iud., ex quorundam, ubi de hoc.

In vitium
Quia virium rei sequitur omnem possessorem, C. de acq. poss., vitia. Et facto actoris successio damnatur heredis, 1. q. 1, cito turpem; et infra, de poeni., in quibusdam; et infra, de immun. eccl., adversus, in fi.

Iniuste detinere
Nota quod iura pro eodem reputant auferre et detinere iniuste, ut hic, 16. q. 1, decimae. Similiter aufferre et non dare, 47. dist., sicut; et 42. dist. § 1; 12. q. 2, indigne. Arg. contra 12. q. 2, et si illi, in princ.

X 2.13.19 *Pisanis ac Lucanis*

Constat
Scilicet per evidentiam facti, cum esset notorium episcopum ibi possessionem habuisse. Sic supra, de restit. spol., cum ad sedem, ad fi. Nec poterat aliqua tergiversatione celari, et sic notorium erat, infra, de cohab. cler. et mul., quaesitum. Super illa possessione de qua dubietas esset, cautio praestatur.

Restituta
Quia haec offensa erat notoria per confessionem partis adversae, et ideo satisfactio debuit praecedere, infra, de verb. sign., ex parte in Christo, ad fi., ibi in secundo.

Sufficienti cautione
Simile infra, de sequestra., ad hoc, in fi.; infra, de verb. sign., ex parte in Christo. Sufficiens cautio erit si pignora vel fideiussores dentur, ff. mand. vel cont., si mandato § ulti.; et ff. de fideicommi. liber., ergo § addicimus.

Alterum ad modum
Nota quod cum duo mandantur principaliter, non sufficit castrorum sine altero adimpleri, ut hic patet. Primum fuit ut possessio castrorum restitueretur episcopo. Istud in facto consistit, hic facto opus est. Secundum ut possessionis restitutio fieret plene ac libere, sicut habebat eam tempore motae discordiae, et istud consistit in modo. Et haec duo sub uno includebantur, ut patet in principio versu: ut possessionem quam etc. Sub illa forma duo mandantur, sic infra, de dolo et contu., cum dilecti; et ff. de recepti., Celsus. Et ita patet hic quod si quis peccat tam in facto quam in modo vel in altero tantum, non valet quod agitur. Sic infra, ut eccl. ben., ut nostrum. Sicut etiam si quis peccat tam in personam electi quam in modum electionis, non valet quod agitur, supra, de elect., super eo; et supra, de elect., quia propter. Et ita est optimum argumentum quod forma mandati diligenter servanda est, supra, de rescript., cum dilecta; et supra, de offi. deleg., venerabili.

Possessionem
Quod dicit, possessionem hic, comprehendit possessionem castrorum et possessionem iurium, quae Lucanus episcopus habebat in castris de quibus contenditur. Et sic comprehendit possessionem affictuum et pensionum, qua possessione episcopus non fuerat spoliatus, ut infra sequitur. Unde debuit facere subdiaconus iste, quod episcopus iste plene ac libere posset percipere pensiones et affictus. Quod cum non fecerit, non servavit formam sibi datam, et ideo nullus fuit, ut dicit in fine. Ber.

Fuit tamen in modo peccatum
Hic expresse patet qualiter peccavit in modo, quia cum ipsi Pisani confiterentur episcopum habere pensionem et affictus in castris praedictis, et ipsi eam possiderent, episcopus non habebat plenam libertatem percipiendi hic pensionem et affictus. Immo in eorum potestate erat ipsum admittere vel repellere, ut infra sequitur. Ergo episcopus non habebat plenam libertatem, quia haec potestas pendebat ex potestate illorum, supra, de procurat., accedens. Unde subdiaconus debebat castra ista episcopo restituere. Quod si non fecerit, peccavit in modo, quia etsi dubitabatur de possessione castrorum, tamen de pensionibus et affictibus non dubitabatur. Et ita quod confitebat in modo, certificabat id

quod respiciebat in factum. Et ita sive dubitetur de possessione sive non, ex quo constabat de pensionibus et affictibus, plena ac libera debuit fieri restitutio castrorum in quibus habebat pensiones. Ber.

Ea plene ac libere
Nota quod qui restituitur, plenam habet restitutionem in pristinam causam, ff. de vi et de vi arm., praetor ait § qui vi deiectus; ff. de vi et de vi arm., praetor ait § non solum. Sic et vacua possessio non traditur emptori, si alius in ea sit causa legatorum vel fideicommissorum, ff. de act. emp. et vend., si in emptione § vacua. Quandoque fit restitutio sed non plena, supra, de restit. spol., litteras. Sed illud propter periculum animae.

Irritum
Nota quod dicit irritum. Et ita patet quod iudex quando non servat formam mandati, ipso iure irritum est quod facit, sicut supra, de rescript., cum dilecta, ubi de hoc.

X 2.14 DE DOLO ET CONTUMACIA

X 2.14.01 *Ad haec*

Multotiens
Non ergo semper, quia aliquando contumax excommunicatur, ut supra, ut lite non cont., quoniam § ulti.

Causae rei servandae
In qua iudex eum tueri debet, ff. ne vis fiat ei qui in poss., ait praetor § 1. Arg. infra, de simon., querelam, in fi.; et ff. de orig. iuris, necessarium § post originem.

Custodiendam
Qui enim in possessionem mittitur ex primo decreto, tantum custos efficitur et non possessor, infra, de eo qui mitt. in poss. caus., si adversarius. De hoc plene dicitur infra, de dolo et contu., contingit.

Nancisci
Licet impediatur ab adversaio ne possessionem nanciscatur, semper tamen intelligitur possidere, arg. ff. de reb. auct. iud. poss., quamvis. Et est expressum infra, de dolo et contu., contingit. Si vero impediatur per alium, ille tenetur ei ad interesse, ff. quib. ex caus. in poss. eat., si quis creditorem. Hoc intelligo si fuerit solvendo, alias obtinet quod dictum est, arg. ff. de dolo mal., et eleganter § si dolo; ff. de eo per quem fac. erit, ex hoc edicto, 1. resp.

Rigor
Arg. quod subtilitas iuris sive rigor secundum canones non est servandus, ut supra, de restit. spol., saepe, ubi de hoc. Et ita videtur quod rigor ille Inst. vi bon. rapt. § 2, vers. sed nedum talia; et 27. q. 2, priusquam; et C. und. vi, si quis in tantam; et 16. q. 6, placuit. Non debeat secundum canones servari, arg. supra, de restit. spol., saepe; et supra, de

iuram. calumn., litteras; et infra, de rapt., cum causam; et infra, de rapt., accedens; et 2. q. 7, lator; et 16. q. 1, frater noster; 12. q. 2, nulli. Rigor talis non servatur in causis ecclesiarum et minorum, quibus consulitur beneficio restitutionis, sed in causis privatorum bene servatur, ut C. und. vi, meminerint; et C. und. vi, si quis in tantam. Et quod dicitur in 16. q. 6, placuit, causae suae detrimentum patiatur. Hoc verum est quo ad iudicium possessorium secundum quosdam, sed a proprietate non repellitur, ut ibi in fine dicitur. Vel ipse non stabit in causa pro re illa, sed clerici illius ecclesiae. Vel potest intelligi detrimentum patietur in rebus propriis, 12. q. 4, quicumque.

Non periclitatur
Cum enim nullum fiat ei praeiudicium ex hoc, non expedit quod rigor servetur. Sed si iustitia periclitaretur, ex hoc puniretur ad interesse, ff. ne vis fiat ei qui in poss., ait praetor, 1. resp. § haec verba; et ff. uti poss., si duo § ulti. Ad expensas tamen punitur, infra, de dolo et contu., ex litteris; et supra, ut lite non cont., quoniam § in aliis; et infra, de poeni., calumniam; et supra, de arbitr., dilecti. Sed hoc ideo dicit, quia iudex ecclesiasticus non imponit poenam sive mulctam quam imponeret saecularis, ff. si quis in ius voc. non ierit, ex quacumque § si quis, ibi extraordinariam poenam imponit.

X 2.14.02 *Ex litteris*

Contumaciter
Multis modis committitur contumacia. Quandoque attenditur respectu non venientis, ut hic, et infra, de dolo et contu., cum dilecti, ad fi. Quandoque respectu non restituentis, ff. de rei vend., qui restituere. Quandoque respectu non respondentis vel obscure respondentis, quod idem est ac si non responderet, ff. de interrog. act., de aetate § qui tacuit; et ff. de interrog. act., de aetate § nihil. Quandoque respectu non iurantis, ut ff. de iureiuran., manifeste. Quandoque respectu recedentis infecto negotio, infra, de dolo et contu., prout; et 11. q. 3, certum; et supra, de procurat., constitutis; 18. dist., si quis autem; et supra, de iudic., de Quodvultdeo. Et quandoque respectu non exhibentis, ff. de appellat., creditor § iussus.

Religionis
Arg. quod cum religiosis mitius agendum est, 12. q. 2, religiosam; et ff. de rel. et sump. fun., sunt personae, in fi.

Sequestrari
Hoc de iure fieri non debet nisi in casibus infra, de sequestra., ad hoc; et infra, de sequestra., ab eo, ubi de hoc. Sed de gratia hoc fecerunt, cum debuissent monachos misisse in possessionem causa rei servandae, supra, ut lite non cont., tuae; et supra, ut lite non cont., quoniam § in aliis. Sed hic noluerunt servare talem rigorem.

Praeiudicare prioribus videbantur
Quo ad opinionem illorum canonicorum, sed non est ita.

Indiffinite
Propter talem mentionem generalem seu indiffinitam, priores litterae non revocantur per posteriores, sed expressam debent facere mentionem de prioribus, supra, de offi. deleg., ex litteris, in princ.; et infra, de re iudic., inter monasterium; et infra, de cohab. cler. et mul., super eo.

Expensas
Sic supra, de rescript., caeterum, in fi.; et supra, de rescript., ex parte S; et supra, de rescript., quia nonnulli, ubi de hoc; et infra, de appell., ut debitus. Ber.

X 2.14.03 *Causam quae inter*

Adversarius
Scilicet R. filius Agathae, qui fuerat actor, ut patet infra, qui fil. sint legit., causam quae 1.

Legitime citatus
Trinis edictis vel uno peremptorio pro omnibus, 24. q. 3, de illicita; et ff. de iud., ad peremptorium; et ff. de iud. nonnumquam.

Ad domum
Nota quod citandus est semper aliquis si invenitur, 4. q. 5, quisquis; et infra, qui matrim. acc. poss., relatum; et infra, de dolo et contu., venerabilis, in fi.; et infra, de eo qui mitt. in poss. caus., si adversarius. Demum citari debet procurator, si quem dimisit, quem tenetur dimittere quilibet. Et maxime postquam est citatus, alias procederetur contra eum tamquam contra contumacem denunciationibus ad domum vel ad ecclesiam absentis factis, ut hic, et infra, de dolo et contu., venerabilis; et infra, de eo qui mitt. in poss. caus., si adversarius; et ff. ex quib. cau. maio., item ait § haec autem. Et amici sunt requirendi, ut ff. ex quib. cau. maio., ergo; et ff. de damn. infect., dies § praetor; 16. q. 3, placuit § si autem praesidem; et ff. de liber. agnosc., senatus, 1. resp.; et ff. quib. ex caus. in poss. eat., haec autem. Praeterea dicitur hic, receptis testibus alterius partis ad sententiam procedatis. Et ideo contradicit expresse infra, de eo qui mitt. in poss. caus., si adversarius, ubi dicitur quod si citatus procuratorem non dimisit, denunciatione ad domum facta, causa custodiae in possessionem mittatur actor vel excommunicetur, si missio fieri non potest, et hic dicit quod testes etc., et supra, ut lite non cont., quoniam § in aliis; et supra, ut lite non cont., tuae. Qualiter ergo intelligitur haec decretalis? Dicas quod haec non contradicit illis, quia in alio casu loquitur. Contraria locum habent quando reus est contumaciter absens, nec dimisit procuratorem. Tunc lite non contestata mittitur actor in possessionem causa custodiae. Haec decretalis loquitur quando actor est absens et reus praesens. Tunc enim contra actorem absentem recipiuntur testes lite non contestata, et sententia potest fieri, ut dicit in fine. Et sic loquitur etiam C. quom. et quan. iud. sent. prof., authen. qui semel; et in Auth. de litigios. § omnem, coll. 8. Et R. filius Agathae contra quem proceditur erat actor et F. reus, ut patet infra, qui fil. sint legit., causam quae 1. Et ille R. impetravit litteras illas quibus habebat contra F. super hereditate avi sui, et F. impetravit litteras istas et illas supra, de offi. deleg., causam quae. Et iste F. impetravit remotionem unius iudicis, et fecit addi illud quod hic dicit, scilicet in

verbo caeterum. Quidam dixerunt quod lis fuit hic contestata. Sed non est verum. De hoc plenius dicetur infra, de dolo et contu., prout. Ratio est quare in absentia actoris recipiuntur testes lite non contestata, et non in absentia rei contumaciter absentis, quia maior est contumacia actoris quam rei, etsi actor non venit, qui alium ad iudicium provocavit, praesumitur potius contra ipsum quam contra reum absentem. Unde rei fugientes appellantur, ut in lege C. de iud., properandum § et si quidem, in glossa fugiente. Et actor debet uti intentione ad implendam suam causam, reus debet extenuare causam, 4. q. 4, nullus umquam; et in Auth. de litigios. § omnem, coll. 8, ubi redditur haec ratio. Et ideo potius parcitur reo, quia facit id a quo denominatur. Actor vero contrarium eius quod debet, et eo absente possunt recipi testes et sententia servi, et quia favor consideratur ex parte rei, quia rei favorabiliores sunt quam actores, et ideo iura voluerunt eis potius subvenire, cum prima facie sit praesumptio pro eis, infra, de probat., ex litteris. Et ne sit in potestate actoris cum voluerit reum vexare, et ideo necesse habet litem usque ad finem perducere, si reus voluerit, ut in authentica praemissa C. quom. et quan. iud. sent. prof., authen. qui semel.

Formam
Infra, qui fil. sint legit., causam quae 1. Ber.

X 2.14.04 *Prout nobis*

Contumaciter
Contumax est qui debet parere, non paret, ff. de iud., contumacia. Alias latitare non videtur, qui si praesens esset, non compelleretur respondere, ff. de iud., non videtur; et ff. de peculi., eo tempore, in princ.; et ff. si quis in ius voc. non ierit, ex quacumque. Alios modo contumaciae habes supra, ut lite non cont., quoniam § 1. Et alios modos notavi supra, de dolo et contu., ex litteris.

Cautionem
Nota quod sola promissio sufficit pro cautione ista, ubi non fuit excommunicatus vel data possessio, ff. de iud., consensisse § sed si dubitetur. Et non obstante iuratoria cautione ex iusta causa poterit appellare, ff. qui satisda. cog., qui iurato; et infra, de appell., ad haec praeterea. Nec etiam poena committeretur si esset apposita, ff. rem rat. hab., cum minor § falsus; et ff. iudi. solv., cum apud. Sed hic non appellavit ex iusta causa. Et ideo dicit iuramento contempto, unde incidit in periurium.

Advocati
Quando induciae dandae sint praetextu advocati, dictum est supra, ut lite non cont., ad hoc.

Instante
Perinde est ac si a iudice interrogaretur, ff. de interrog. act., si sine § 1. Et per talem interrogationem et responsionem fuit litis contestatio facta, ut dicitur in fine. Nec distinguitur per quem fiat interrogatio, supra, de litis contest., olim, in glossa. Et intelligo libellum super decimis illis porrectum in quo decimae petebantur. Et hoc satis colligitur ex ipsa littera, ubi dicit: decimas de quibus contentio erat, licet quidam dixerint quod

libellus non fuerit hic porrectus. Et per hoc volunt probare quod sine libello possit iudicium exerceri. Vel potest intelligi instante actore, id est, ad instantiam actoris iudex ipsum interrogavit, et reus respondit quod quadraginta annis possedit. Sed veritas fuit quod actor interrogavit, ut patet in antiqua. Et satis potest valere talis contestatio, sicut valet responsio ad interrogationes adversarii facta, ff. de interrog. act., si sine.

Ad convincendam

Nota dilationem dari ad convincendam malitiam. Simile in Auth. ut cum de appellation. cog. § sed hoc, coll. 8; et C. de iud., authen. iubemus; et infra, de dolo et contu., cum olim. Immo etiam iudex ei facere gratiam potest post peremptorium edictum, ut iterum citet ipsum, supra, de offi. deleg., consuluit.

Utpote

Expressivum veritatis est, sicut illud: vidimus gloriam eius, gloriam quasi unigeniti etc. Et patet hoc ex eo quod potest fieri sententia, ut infra sequitur.

Terminetis

Si liquet de causa vel liquere potest, quia possunt recipi testes. Vel si non liquet vel liquere non potest, adiudicabitur tantum ei possessio. Ideo nota cum aliquis convenitur actione reali, et fuerit absens per contumaciam, ita distingue: aut lis est contestata aut nullo modo contestata. Si lis est contestata, ut hic, aut liquet de causa vel potest liquere aut non. Si liquet de causa vel potest liquere, quia recepti sunt testes et instrumenta producta et confessiones factae vel possunt recipi, tunc procedatur ad sententiam diffinitivam secundum merita causae absolvendo vel condemnando, secundum tenorem illius legis C. de iud., properandum § sin autem; et hic, et 3. q. 9, decernimus. Si autem non liquet nec liquere possunt, quia actor nullos testes inducit vel instrumenta per quae possit probare de iure suo, tunc adiudicanda est possessio tantum actori, salva quaestione proprietatis absenti, ut hic dicitur, et C. quom. et quan. iud. sent. prof., consentaneum. Et erit statim verus possessor. Si vero lis est quasi contestata, saltem ad interrumpendam praescriptionem, puta cum quis convenitur qui possidet nomine alieno, domino in iudicio nominato et facta denunciatione et ipso legitime citato si non venerit, tunc adiudicatur possessio ipsi actori, salva quaestione proprietatis absenti, supra, ut lite non cont., quoniam § quod si super rebus; et C. ubi in rem act., si quis. Et ita idem est quando lis est contestata et non liquet de causa, sicut quando est quasi contestata. Si vero nullo modo lis est contestata reo contumaciter absente, tunc mittendus est actor in possessionem rei petitae causa custodiae, supra, ut lite non cont., quoniam § in aliis; et C. de praescri. trig. vel quad. ann., si quis emptionis § sed et si quis; et infra, de eo qui mitt. in poss. caus., si adversarius. Et tunc reus usque ad annum poterit recuperare possessionem restitutis expensis et praestita cautione iudicio sisti. Anno elapso non auditur nisi super proprietate, ut in praedictis concordantiis supra, ut lite non cont., quoniam § in aliis; et C. de praescri. trig. vel quad. ann., si quis emptionis. Et haec vera sunt reo absente et actore praesente. Si vero actor fuerit absens contumaciter reo praesente, et petente ut in causa procedatur, tunc si lis sit contestata, locum habet quod dicitur C. de iud., properandum § et si quidem. Si vero lis non sit contestata, locum habet C. quom. et quan. iud. sent. prof., authen. qui semel; et supra, de dolo et contu., causam quae. Quia in casu isto possunt recipi testes lite non contestata, si reus petierit, secundum

quod dicit praedicta authentica C. quom. et quan. iud. sent. prof., authen. qui semel; et supra, de dolo et contu., causam quae. Et haec vera sunt in actione reali. In personali vero actione reo absente locum habet quod dicitur supra, ut lite non cont., quoniam § si autem; et C. de bon. auct. iud. poss., authen. et qui iurat. Tunc enim mittitur actor in possessionem bonorum ipsius rei pro modo debiti declarati in libello, ut ibi dicitur. Si vero est talis causa quod actor non possit mitti in possessionem, debet reus excommunicari, supra, ut lite non cont., tuae. Et sive sit actio personalis sive realis, iudex illam poenam potest imponere quae magis timeatur ad alteram postea processurus, ut in decretali supra, ut lite non cont., quoniam, in fine. Quia hoc solum bene agitur etc., 23. q. 5, prodest, in fi.

X 2.14.05 *Finem litibus*

Finem litibus
Simile infra, de dolo et contu., venerabilis; C. de agric. et cens., litibus, lib. 11; et C. de iud., properandum, in princ.; et infra, de re iudic., iurgantium.

Sine dispendio
Supra, de elect., cum inter universas § quia vero; et supra, ut lite non cont., quoniam § 1.

Diu vacare non possunt
Infra, de concess. praeben., nulla § cum vero; et supra, de elect., ne pro defectu; et 50. dist., postquam.

Fundaverit
Vel per testes vel per instrumenta vel per confessionem vel per evidentiam facti, ut supra, de restit. spol., cum ad sedem, in fi.; et C. de exception., si quidem. Vel etiam praesumptive, C. de probation., sive. Vel ipso communi iure, 16. q. 7, omnes basilicae; et 18. q. 2, monasteria.

Exceptionem
Hic patet quod exceptio peremptoria potest obiici publicatis attestationibus ex eo quod dicit: fundata intentione alterius partis. Sic infra, de testib., de testibus, ubi de hoc; infra, de cognat. spir., ex litteris.

Expensas
Sed numquid habet locum quod hic dicit in expensis in exceptionibus dilatoriis quae proponuntur ante litem contestatam? Quidam dicunt quod sic, arg. supra, de rescript., caeterum; et supra, de dolo et contu., ex litteris. Ego credo quod hic distinguendum est, quod si calumniose proponat aliquis exceptionem dilatoriam ante litem contestatam, et de hoc constat evidenter, tunc debet condemnari, arg. supra, de rescript., caeterum; et supra, de rescript., quia nonnulli; et supra, de dolo et contu., ex litteris. Quia ibi evidenter apparet de malitia ipsius, alias non credo excipientem condemnandum in expensis ante litem contestatam, nisi constet de malitia ipsius, et praecipue si super hoc iuratum esset de calumnia. Arg. huius litterae a contrario sensu ex eo quod dicit: postquam altera pars intentionem suam fundaverit, ergo ante litem contestatam non videtur condemnanda pars

excipiens, cum hoc habeat a iure quod possit proponere exceptionem, infra, de except., pastoralis. Et praecipue ubi habet versimilem causam excipiendi. Sed expensae quae praestantur propter contumaciam partis alterius, illae indistincte praestantur, qualecumque causam litigandi habuerit ille cui praestantur, infra, de dolo et contu., cum dilecti, in fi.; et infra, de sequestra., ad hoc, in fi.; supra, ut lite non cont., quoniam § in aliis; C. de iud., sancimus; et C. quom. et quan. iud. sent. prof., authen. qui semel; et ff. de iud., eum quem temere; et in concilio Lugdunensi infra, de dolo et contu., extravag. actor, quae est Inno. iiii. Et tales expensae statim sunt praestandae antequam audiatur, supra, ut lite non cont., quoniam § in aliis; et C. de iud., sancimus. Item illud regulare consuevit esse, ut in fine litis victus victori in expensis litis condemnetur, infra, de poeni., calumniam; et supra, de maior. et obed., humilis; et in Auth. de iudicib. § oportet, coll. 6; et C. de episc. et cler., authen. generaliter § et si. Sed in casu isto differentia est a proximo casu. Unde hic distinguitur sicut in priori, utrum habuerit probabilem causam litigandi vel non, et utrum sit iuratum de calumnia vel non. Si est iuratum de calumnia, puta quia talis causa est ubi iuratur. Tunc non debent condemnari in expensis, quia non est versimile quod aliquis sit immemor suae salutis, ut 1. q. 7, sancimus, vers. et licet. Quia iuramentum de calumnia ad omnia quae emergunt et incidunt in causa post litem contestatam extenditur, C. de iureiuran., authen. hoc sacramentum. Et tunc non debet condemnari, etiam si deficiat in exceptione opposita. Et ita non debet condemnari victus victori in expensis, cum probabilem causam habere praesumatur litigandi, arg. infra, de sent. excom., sacro § cumque adversus; et ff. de leg. 2, qui solidum § etiam. Alioquin metu expensarum dimitteret quis ius suum indefensum, ff. de pet. hered., illud. Et hoc intelligo nisi constet de calumnia seu malitia, quia tunc condemnabitur in expensis, quia prima praesumptio tollitur per sequentem. Si vero non est iuratum de calumnia, puta quia causa est spiritualis, tunc debet condemnari in expensis, qui deficit in probatione exceptionis propositae fundata intentione actoris, ut hic dicit, quia eo ipso quod non probat, praesumitur malitiose excepisse, in quo casu potest intelligi haec decretalis. Et hic posset requiri iuramentum quod malitiose non opponat exceptionem, arg. supra, de elect., cum dilectus § nos vero, in glossa iuramento; et supra, de restit. spol., litteras § praeterea. Cum iam sit probata intentio et praesumptio pro ipso contra excipientem. Et sic intelligo etiam de expensis totius causae. Alii dicunt quod nulla distinctio est facienda, et eo ipso quod succumbit, malam causam praesumitur habuisse, arg. C. de episc. et cler., authen. generaliter. Ex eo quod ibi dicitur, et si victus fuerit, praesumitur iniuste movisse litem. Dominus Placen. et dominus Iacob. dicebant, quod eo ipso quod succumbit victus, praesumitur iniuste movisse litem. Benignius exponunt alii illud verbum victus, scilicet ab adversario, ut C. de episc. et cler., omnes, in fi. Sed in criminali causa eo ipso quod succumbit, praesumitur calumniarii, 2. q. 4, qui non probat; C. de advoc. div. iud., si patronum. Sic dicebant praedicti domini Placen. et Iacob. idem esse in civilibus. Sed in causa appellationis nulla distinctio est facienda, an iustam habuerit causam appellandi an non, sive appelletur ante sententiam sive a sententia, infra, de appell., saepe; et infra, de appell., reprehensibilis; et infra, de appell., significavit; et infra, de appell., ut debitus; et infra, de appell., Nicolao; et infra, de eo qui mitt. in poss. caus., cum venissent; et 2. q. 6, omnimodo; et C. de appellat., eos § ne temere; et C. quor. app. non rec., ab executore. Et nota quod tantum necessariae expensae et moderatae restituendae sunt et utiles, infra, de dolo et contu., cum dilecti; et infra, de eo qui mitt. in poss. caus., cum venissent, in fi.; et infra, de sequestra., ad hoc, in fi. Et quae propter hoc

factae sunt, ut hic dicitur, et infra, de dolo et contu., cum dilecti, in advocatis et in aliis, C. de iud., sancimus. Et si quas fecit casu vel facto, illas non peteret, ff. mand. vel cont., inter causas § non omnia. Et erunt mediocres non delicatae, ff. de damn. infect., inter quos § ulti.; et ff. de damn. infect., ex damni infecti; arg. ff. de pigner. act., si servos, in fi. Nec obstat quod minores facere potuissent, ff. mand. vel cont., si quis alicui § impendia. Nota quod expensae quae factae sunt post litem contestatam peti debent officio iudicis, sed quae fiunt ante litem contestatam petuntur iure actionis. Et nominatim debent peti in libello, ff. de aedil. edict., aediles § item sciendum; et ff. de aedil. edict., item si servi § 1. Et nisi tempore sententiae iudex condemnet ad illas expensas quae veniunt iudicis officio, postea peti non possunt, C. de fruct. et lit. exp., terminato, nisi in causa appellationis, C. quan. pro. non est nec., omnem. Iudex autem prius taxabit expensas, postea iurabit prout traditur 3. q. 3 § quod fieri non debet; et in Auth. de iudicib. § oportet, coll. 6; et supra, de his quae vi met. caus. fi., super eo; infra, de iniur. et damn. dat., olim; et supra, de procurat., constitutis.

Cum acceptis induciis

Id est, postquam inducias receperit ad probandum exceptionem. Et istud cum determinat illud tunc.

Et si solvendo

Hoc semper regulare est, ut qui non est solvendo, alio modo puniatur, 14. q. 6, si res; et ff. de poe., quotiens, ad fi.; et ff. de iuris., si quis id § in servos; et ff. de in ius voc., si sine venia; et C. de sepulch. viol., cum sit, in fi.; et infra, de maledic., statuimus; et C. de fug. serv., quicumque. Hoc generale est quod iudicis arbitrium locum habeat ubi certa poena statuta non est, supra, de offi. deleg., de causis; et infra, de accusat., super his § penulti.; ff. de iure delib., si servus § ait praetor. Et omnia quae iure scripto taxata non sunt, iudicis arbitrio relinquuntur, ut aequitate pensata procedat, supra, de transact., ex parte, in fi. Ber.

X 2.14.06 *Cum dilecti*

Concanonicorum suorum

Nota quod in causa communi eiusdem litis, unus admittitur pro alio post litem contestatam volens agere pro ipso, licet constet eum non habere mandatum, praestita cautione de rato, C. de consor. eius. lit., commune; arg. supra, de consti., cum M, ubi de hoc. Item aliud speciale, quod post litem contestatam cavetur de rato, ut in lege praedicta. Contra illud ff. de procur., Pomponius § ratihabitio. Item aliud speciale est hic, quod in causa criminali admittitur unus pro se et pro aliis, 2. q. 5, statuit, vers. si duo; et 3. q. 6, hoc quippe. Sed non credo quod in tali casu audiretur unus pro alio sine mandato, quia talis causa non proprie dicitur communis, immo unus solus posset agere insolidum excipiendo contra electum, et tantum facit unus quantum plures. Et isti habebant mandatum ab aliis, ut hic dicitur. Ber.

Quaedam crimina

Scilicet dilapidationem, excommunicationem et periurium, et quod administraverat confirmatione non habita. Item quod erat in minoribus ordinibus constitutus. Haec

omnia obiiciebantur in modum exceptionis, ut patet in integra. De hoc infra, de accusat., super his.

A gravamine
Quod inferebat ei altera pars extra iudicium, ut videtur, vel etiam in iudicio, quia plures commisiones emanarunt super hoc negotio.

Prosecutus
Si statuisset terminum suae appellationis, debuit condemnari ad omnes expensas quas adversarii fecerunt postquam iverunt ad curiam, quia non misit sufficientem procuratorem ad curiam, infra, de appell., Nicolao; et infra, de appell., reprehensibilis; et infra, de appell., saepe. Et etiam si terminum non statuisset, ut in dicto capitulo infra, de appell., reprehensibilis; et infra, de appell., saepe. Et hoc verum est quando in iudicio appellatur.

Sufficientem
Legitime constitutum ad agendum et respondendum, supra, de procurat., alia; et supra, de procurat., accedens; et 23. q. 5, de liguribus; et ff. de procur., mutus § poena.

Quantum de iure
In peremptorio iudex debet sic comminari, supra, de in integ. restit., tum ex litteris; et ff. de iud., in peremptorio.

Nuncium
Nota per nunicium fieri citationem.

Potuerat
Sic supra, de elect., bonae 1 § ad ipsum; et infra, de appell., constitutus.

Sub hac
Hoc fuit sumptum de lege ff. de recepti., Celsus § sed ipse. Et est simile supra, de restit. spol., Pisanis § porro; et 8. dist., quo iure; et supra, de offi. deleg., cum super. Arg. contra infra, de spons., sicut; et ff. de condi. et demon., haec scriptura; et ff. de leg. 3, ea tamen adiectio; et Inst. de ver. oblig. § omnis stipulatio; et ff. de condi. insti., si quis ita institutus.

Responsalem
Ex hoc videtur quod licet aliquis iusto impedimento sit detentus ut venire non possit, quod teneatur mittere procuratorem, 5. q. 3, si aegrotans, ubi de hoc; 18. dist., episcopus; et 18. dist., placuit; et 65. dist., si quis in metropolitana, vers. et si forte. Simile infra, de appell., constitutus; et supra, de elect., bonae 1 § ad ipsum. In contrarium videtur quod non teneatur mittere procuratorem, dummodo mittat excusatorem, supra, de procurat., querelam, ubi de hoc, quia revocatur sententia si probetur iusta absentia, ut ibi, et infra, de re iudic., cum Bertholdus; et ff. de damn. infect., si finita § si forte; et 7. q. 1, praesentium. Nam aegritudo prorogat diem, et si tunc iudicaverit, iudicatum non videtur, ff. de re iud., quaesitum. Et si ex causa probabili absens est, non proceditur contra eum

diffinitive, supra, de offi. deleg., consultationibus. Item secundum hoc non esset melioris conditionis, qui abest ex iusta causa quam qui ex iniusta. Si enim non vult interesse vel non potest, sufficit ei si mittat procuratorem, ff. de procur., procurator est qui. Et delegatus non potest complere partes ut personaliter quis ad causam veniat, nisi in casibus in decretali Inno. iiii supra, de iudic., extravag. iuris esse ambiguum. Et generaliter ab initio ante libelli oblationem quotiens quis abest ex necessitate, subvenitur ei, ff. ex quib. cau. maio., sed et si § 1. Ad hoc dixit Vincen. quod reus ad causam citatus si ardua est causa et venire non potest, non tenetur mittere procuratorem sed excusatorem, arg. illius decretalis supra, de procurat., querelam, nisi specialiter hoc in citatione dicatur, secundum quod hic dictum fuit. Sed actor semper tenetur mittere, ff. de diver. temp. praescr., quia tractatus. Dicas quod actor ab initio ante libelli oblationem aut etiam citationem non compellitur agere, sed ne fiat ei praeiudicium in praescriptione circa rem suam, etiam informus et impeditus compellitur constituere procuratorem, qui saltem litem contestetur, ut sic interrumpat praescriptionem, et sic indirecte compellitur, sed per iudicem non compellitur. Et sic intelligitur ff. de diver. temp. praescr., quia tractatus. Reus non compellitur venire iusta de causa impeditus, et praecipue si causa est ardua, ut dixi in decretali supra, de procurat., querelam. Sed sufficit mittere excusatorem, qui de hoc fidem faciat, ut ibi. Sed in casu praesenti iste electus simpliciter misit nuncium cum litteris allegando quasdam frivolas excusationes, scilicet calores aestivos, et quod tarde receperat nuncium et insidias allegabat. Sed non probabat, ideo condemnabatur in expensis tamquam contumax. Et secus est in Papa quam in aliis iudicibus, et tamen circa principale non procedit Papa. Si tamen aliquis est longo impedimento detentus, ita quod non possit aliquo modo expediri per procuratorem, tenetur mittere, saltem ut litem contestetur, ut sic non currat praescriptio actori. Sed si perpetuo sit impeditus, tunc tenetur omnino mittere procuratorem ad causam, alias procedetur contra illum absentem.

Diutius expectatus
Et sic videtur quod in crimine purgari possit mora, arg. ff. si quis caut., et si post tres. Arg. contra infra, qui matrim. acc. poss., cum in tua.

Calores
Iuxta illud: nos genus ignavum tecto gaudemus et umbra. Et ita est arg. quod non excuset Augustus quin teneatur quis prosequi appellationem ad curiam. Arg. contra 74. dist., quorundam.

Contumacem
Unde poterat contra eum procedi ad diffinitivam sententiam, cum ageretur de electione, supra, ut lite non cont., quoniam § 1. Sed quia appellavit, amplius expectatur, infra, de dolo et contu., cum olim.

Expensas
Arg. quod in causa criminali sive denunciationis vel inquisitionis seu exceptionis locum habet petitio expensarum, C. qui accus. non poss., qui crimen. Et sic illa lex C. de iud., sancimus; et supra, de dolo et contu., finem, locum habent sive causa sit civilis sive criminalis. De expensis dictum est satis supra, de dolo et contu., finem. Et fit hic

condemnatio non praemissa taxatione. Dic super hoc prout notatur supra, de procurat., auditis.

X 2.14.07 *Cum olim*

Proponeret
Non ideo statim debuit ei credi, quia saepe huiusmodi eulogia ex mala fide fiunt, ff. de cust. reo., divus. Nemini enim cito manus impones, 24. dist. § 1; et 78. dist., quid est; et supra, de elect., cum nobis § his igitur. Sed ideo credidit ei Papa, quia ei soli fiebat praeiudicium, sicut clerico qui celebrat in secreto, supra, de cleri. peregri., tuae fraternitatis, in fi.

Alioquin
Id est, si fuisset electio cassanda ordine iudiciario. Sed iudices non intellexerunt, quoniam nimis festinanter confirmaverunt. Unde dicit inferius, non obstante quod eius electio sit confirmata.

Citatus
Et ideo contumax fuit. Unde potuit procedi contra ipsum ad sententiam, supra, ut lite non cont., quoniam § 1. Et ideo postea audiri non debuit nec sententia retractari contra eum lata, sed de gratia auditus est postea, ut sequitur inferius.

Confirmare
Nimis subito, unde Papa vult iterum inquirere de electione ipsa non obstante tali confirmatione.

Misercorditer
Sic ergo ex misericordia tantum, ut eius malitia convincatur, auditur iste D. Unde mandat Papa inquiri de electione ipsius non obstante confirmatione de praedicto F., quae de iure non debet retractari, cum ordine iuris facta fuerit nec ab ea appellatum fuit, licet dicatur appellasse, quia non impetravit super facto electionis sed super iniuria. Et ideo non ponit ius haec decretalis, sed est quaedam provisio ex misericordia.

Convincatur
Simile 5. q. 2, praesenti; C. de iud., authen. iubemus. Et sic iudex potest parcere contumaci, supra, de offi. deleg., consuluit; et supra, de dolo et contu., prout; et infra, de dolo et contu., veritatis; et C. quom. et quan. iud. sent. prof., non semper. Ber.

In Hybernia
Arg. citationes extra provinciam non esse faciendas, supra, de elect., coram; et supra, de maior. et obed., humilis. Sed si non potest inveniri, ad domum illius qui citatur mitti debet, supra, de dolo et contu., causam quae; et infra, de dolo et contu., venerabilis. Et citandus est quis edictis vel litteris, ff. de fideicommi. liber., cum vero § ulti. Vel si non habet domicilium ubi habitare consuevit, ff. de damn. infect., dies § praetor. Vel apud ecclesiam suam, infra, de cleri. non residen., ex tuae; infra, de dolo et contu., venerabilis.

Anni
Sed quare expectavit ultra sex menses contra id supra, ut lite non cont., quoniam § 1? Forsan hoc ideo quia appellaverat, ut sequitur. Sed per alia etiam iura non videtur quod fuerit expectandus, supra, de elect., dudum ad audientiam; et infra, de re iudic., cum olim. Sed forte ideo expectabatur, quia erat consecratus et cum eo tractabatur causa, sed ibi non tractabatur nisi inter eligentes. Item quare hic assignatur tempus appellanti, contra id quod legitur infra, de appell., ex insinuatione? Respondeo: quia praefigitur ab eo ad quem appellatur, et qui potest. Sed omnia ista ex misericordia intelliguntur facta.

Facto
Sic infra, de appell., dilecti filii 2; et infra, de appell., ut nostrum. Ber.

X 2.14.08 *Veritatis est*

Auditorio
Simile ff. si cert. pet., lecta est. Nam auditorium est locus ubi causae tractantur.

Retulerunt
In modum denunciationis, 2. q. 7, quapropter, sicut patet in integra.

Per contumaciam
Nota quod per solam contumaciam potest etiam quis suspendi ab officio et beneficio, cum Papa confirmat eam, quia coram primis non comparuit.

Iudicibus
Secundis scilicet.

Experiri
Id est, defendere. Sic supra, de iudic., de Quodvultdeo.

Neglexit
Et sic nec coram primis nec coram secundis fuit lis contestata, et tamen lata fuit sententia diffinitiva, ut infra sequitur.

Malitiam
Supra, de dolo et contu., cum olim, ubi de hoc; et supra, de dolo et contu., prout. Ber.

Excommunicationis sententiam
Cum iam esset suspensus. Et ita crescente contumacia crescere debet et poena, supra, ut lite non cont., quoniam, in fi.; et ff. de poe., relegati.

Probatum
Sic patet quod lite non contestata recipiuntur testes. Et ita non solum recipiuntur ubi agitur de electione praelati, ut supra, ut lite non cont., quoniam § porro, sed etiam ubi agitur de destitutione. Ad id facit infra, de cleri. non residen., ex tuae; et 3. q. 9, decernimus. Et hoc ideo est, quia periculosa est mora utrimque, quia utilitas ecclesiae

utroque casu impeditur. Secundum leges de crimine numquam proceditur contra absentem lite non contestata, nisi in casu contra apparitorem, C. de poe., ne diu. Pro contumacia vero adnotatur bona et expectatur per annum, et postea devolvuntur ad fiscum. Nec super bonis auditur, sed super crimine, ut C. de requir., quicumque. Si autem lis est contestata et liquet de causa, in maioribus criminibus numquam proceditur contra absentem, immo auditur quandocumque venerit, ff. de requir., annus. Sed ibi de contestatione litis nihil dicitur, sed ita intelligunt doctores. Sed in minoribus quae poenam relegationis vel damnum aestimationis continent, bene proceditur contra absentem, ff. de poe., absentem. Sed accusator semper debet esse praesens, fallit in hoc casu, C. de adulter., quamvis, ubi proceditur contra reum absente accusatore. Hug. distinguebat an liqueat de causa vel non. Si liquet de crimine vel potest liquere, condemnatur absens. Et sic intellexit 4. q. 5, quisquis; et 24. q. 3, de illicita § de conventione. Et secundum hoc posses intelligere quod hic dicitur, et infra, qui fil. sint legit., perlatum. Hic bene liquebat de crimine absentis per contumaciam, et ita non esset aliquod contrarium secundum canones. Et si non liquet de crimine, tunc excommunicatur reus. Et sic intellexit 11. q. 3, rursus; et 11. q. 3, quicumque. Nec distinguebat an sit lis contestata vel non. Verum moderni doctores dicunt quod numquam est procedendum contra absentem lite non contestata. Et intelligunt capitulum 3. q. 9, decernimus, cum lis erat contestata. Sed si lis non est contestata, vel si est contestata et non liquet de causa, tunc locum habet 11. q. 3, rursus; et 11. q. 3, quicumque. Et ita contradicunt huic decretali, quia hic lis non fuit contestata. Et tamen fertur sententia contra absentem de crimine, nec expectetur per annum, et testes recepti fuerant. Qualiter ergo intelligitur quod hic dicit, ita quod non contradicant capitula praedicta? Potest dici quod recepti sunt testes de speciali mandato domini Papae, qui habet potestatem etiam supra ius, infra, de concess. praeben., proposuit § licet autem. Et ipse idem tulit sententiam depositionis. Unde factum suum ad consequentiam trahi non debet. Immo secundum quod ipse iudicat, et alii debent iudicare, infra, de re iudic., in causis. Vel melius dicas quod capitulum 3. q. 9, decernimus; et 11. q. 3, rursus; et 11. q. 3, quicumque, loquuntur ubi directe agitur de crimine in modum actionis. Et ideo intelliguntur lite contestata, licet ex littera non colligatur. Sed capitulum istud loquitur in alio casu, cum agitur de crimine in modum denunciationis seu inquisitionis. Nam canonici Curienses denunciaverunt haec crimina domino Papae, de quibus publica infamia laborabat episcopus iste, ut dicitur in principio, ut bene colligitur ex antiqua decretalis. Et ita bene possunt testes recipi et ferri sententia contra contumacem, supra, ut lite non cont., quoniam § sunt et alii; et infra, de accusat., qualiter et quando 2 § debet. Et plus est etiam hic, quia deponitur in modum inquisitionis propter homicidium, cum alias in modum inquisitionis non debeat quis deponi, infra, de accusat., inquisitionis, 1. resp. Et quia celebraverat excommunicatus propter quod solum potuit deponi, 11. q. 3, si quis presbyter.

Defendendo

Quilibet enim admissus fuisset ad defensionem ipsius, ff. de procur., servum quoque § publice. Sed hoc verum est ad allegandas causas absentiae, sed non ad causam, quia in criminibus non intervenit procurator si agatur directe, infra, de accusat., veniens; ff. de public. iud., accusatore § ad crimen. Sed cum hic non ageretur directe, potuit procurator intervenire, infra, de accusat., super his; et supra, de procurat., tuae; et supra, de dolo et contu., cum dilecti.

Absentes corpore
Sic 2. q. 1, de manifesta.

Inhibitionem
Sic infra, de despon. impub., ad dissolvendum; infra, de nov. oper. nunc., cum ex iniuncto. Simile supra, de offi. deleg., venerabili; et infra, de accusat., praelatorum.

X 2.14.09 *Contingit*

Servandae
Secundum legistas improprie dicitur causa rei servandae, ubi quis convenitur actione reali, in quo casu est statim verus possessor secundum eos, C. de praescri. trig. vel quad. ann., si quis emptionis § sed et si. Sed commutabitur, quia reus veniens infra annum eam recuperat secundum formam iuris, supra, ut lite non cont., quoniam § in aliis. Et ibi est arg. pro hac opinione in verbo, recuperet. Sed illud exponitur, id est, retineat, ibi secundum iura canonica. Proprie dicitur causa rei servandae, quia ante annum non est verus possessor, sed custos potius, infra, de eo qui mitt. in poss. caus., si adversarius; et supra, de offi. ord., pastoralis, vers. verumtamen. In personali vero actione secundum omnes proprie dicitur causa rei servandae sive causa custodiae. Talis enim custos est et non possessor, ff. de acq. poss., possideri § ulti.; et ff. de acq. poss., si quis ante § denique. Nec tunc eiicitur primus possessor de possessione, ff. de damn. infect., si finita § si quis autem; et ff. ut in poss. legat., is cui, 1. resp. Sed tantummodo secundum decretum eiicit primum possessorem, ff. de damn. infect., si finita § ubi autem. Et ita uterque erit in possessione, diverso tamen respectu. Possessor ergo colet agrum, et colliget fructus. Sed alter eos custodiet, ne disputentur ab isto, ff. ut in poss. legat., is cui § qui legatorum. In reali actione secus, ut dicitur in ultima notula huius capituli. Tamen iudex non multum festinabit ad missionem in possessionem, quia si reus probavit iustam causam absentiae, restituetur, ff. de damn. infect., si finita § si forte. Vel forte ipso iure, ff. de reb. auct. iud. poss., imperatores; et infra, de re iudic., cum Bertholdus. Summatim examinabit ergo iudex negotium antequam mittat alteram partem in possessionem, supra, ut lite non cont., quoniam § si vero; et C. de bon. auct. iud. poss., authen. et qui iurat.

Non potest
Contra istum qui non admittat alium in possessionem, plura remedia sunt prodita, quae enumerantur supra, ut lite non cont., tuae. Et dicit Io. quod si per annum steterit in excommunicatione, perdit possessionem, arg. 11. q. 3, rursus; et 11. q. 3, quicumque. Sed hoc non credo, quod ex vi excommunicationis perdat possessionem, sed ex eo quod non admittat illum ad possessionem beneficio huius constitutionis. Et capitula illa non loquuntur in causa civili, sed capitulum 11. q. 3, rursus, loquitur in criminali, et capitulum 11. q. 3, quicumque, loquitur cum de crimine agitur. Sed secundum hoc contingeret, quod efficeretur possessor ille qui non fuit missus in possessionem, nec pronunciatus mitti. Duae enim sunt poenae procedendi contra contumaces, una per missionem in possessionem, alia per excommunicationem. Ubi una tantum imponitur, alia non inducitur nisi expresse imponatur. Immo cum una non timetur, tunc demum alia imponatur, ut supra, ut lite non cont., quoniam, in fi.

Melioris
Non enim melior debet esse conditio illorum qui deliquunt, quam eorum qui obediunt, ff. de donat. inter vir. et uxor., haec ratio § 1; et supra, de postul. praelat., ad haec, vers. nos etc. Et stulti non debent esse melioris conditionis quam periti, et ff. de noxal. act., non solum.

Actor verus
Idem videtur fuisse statutum per leges in personali actione, ut si per adversarium impedior possidere, quod nihilominus pro possessore debeo haberi, ac si possiderem, ff. de reb. auct. iud. poss., quamvis. Sed si per alium impedior, ille tenet mihi ad interesse, ff. quib. ex caus. in poss. eat., si quis creditorem. Et hoc si solvendo fuerit, alias intelligor possidere, ff. de eo per quem fac. erit, ex hoc, 1. resp.; et ff. de dolo mal., et eleganter § si dolo.

Constituatur
Non determinatur hic an ipso iure per lapsum anni constituatur verus possessor, an per sententiam iudicis. Et videtur expressum quod ipso iure anno elapso sit verus possessor, supra, de offi. ord., pastoralis, vers. verumtamen; et infra, de eo qui mitt. in poss. caus., constitutis. Et est simile, quia transcursus anni privat aliquem stipendio suo, si tanto tempore steterit excommunicatus, 11. q. 3, rursus. Et transcursus anni constituit aliquem haereticum, infra, de haeret., excommunicamus itaque § qui autem. Sed contra videtur, quia post annum impetratum secundum decretalem infra, de eo qui mitt. in poss. caus., constitutis; et ff. de damn. infect., si finita § Iulianus. Sed illud loquitur in personali actione. Ad hoc dicas quod in realibus actionibus non habet locum secundum decretum nec est necesse, sed solum transcursus anni facit aliquem possessorem, ut in decretali supra, de offi. ord., pastoralis, nisi quis ad cautelam impetret illud. Sed in personalibus actionibus necesse habet impetrare secundum decretum, quia alias intelligitur non possidere, infra, de probat., ex litteris, et sic non praescriberet. Sed hoc non obtineret uniformiter in omnibus, quia in causa noxali et in causa damni infecti secundum decretum constituit aliquem dominum, si reus erat dominus. Sed si non erat dominus, constituit verum possessorem. Et dat ei causam praescribendi sive usucapiendi, ff. de damn. infect., si finita § Iulianus; et ff. de acq. poss., possideri, in fi.; et ff. de noxal. act., et generaliter. Sed in aliis personalibus secundum decretum constituit aliquem possessorem, ut supra, ut lite non cont., quoniam, in fi. Secundum intellectum quem posuit ibi Io. in hoc scilicet, ut exoneretur ab onere probandi debitum. Sed non praescribit, quia quandocumque dominus offert debitum, restituetur ei res sua, nisi distracta sit auctoritate iudicis, ut C. de distract. pign., si priusquam. Alium intellectum diximus ibi. Sed numquid idem iuris est in spiritualibus causis, ut si petatur ecclesia vel praebenda ab aliquo, et reus infra annum non compareat, ut post annum actor verus sit possessor, et sic praescribat ecclesiam vel praebendam, cum actor numquam institutus fuit forte in ecclesia? Dico quod si petatur ecclesia tamquam proprietas vel aliud spirituale elapso anno, verus est possessor et praescribere potest, infra, de eo qui mitt. in poss. caus., constitutis. Si vero petatur ecclesia tamquam beneficium sive praebenda, non habet ibi locum praescriptio, quia titulus non praescribitur. Sola enim possessio non facit aliquem decurionem, sed canonica electio, ff. de decur., Herennius; arg. infra, de instit.,

ex frequentibus. Qui enim dicit se praelatum ecclesiae vel canonicum, non prodest probare praescriptionem, nisi ostendat titulum sive libellum suae ordinationis, 2. q. 1, legum; et infra, de praeben., dilecto; et supra, de procurat., ex insinuatione. Nec obstat infra, de iure patron., cura, quia praescribitur ibi ecclesia tamquam proprietas, ut dixi, non tamquam praelatura. Numquam enim secundum iura canonica per secundum decretum datur ius praescribendi, nisi adsit bona fides, ut infra, de praescrip., vigilanti; et infra, de praescrip., quoniam. Sed cum aliquis mittitur in possessionem beneficii qui nullum titulum habet, numquam potest habere bonam fidem. Et ideo non praescribit, quia in huiusmodi spiritualibus bona fides et iustus titulus requiruntur, infra, de praescrip., si diligenti. Quid ergo operatur secundum decretalem in huiusmodi spiritualibus? Forte ut possit uti fructibus, et ut possit praescribere contra omnem agentem, si haberet bonam fidem et aliquem titulum. Non tamen praescribit ius praelaturae vel praebendae, sed praescribit contra agentem tantum. Hodie vero ille qui agit contra alium possessorem super dignitate, personatu, vel beneficio ecclesiastico obtinendo, non debet mitti in possessionem causa rei servandae propter contumaciam partis adversae, ne per hoc ad eam ingressus pateat vitiosus. Sed in eo casu lite non contestata, liceat iudici negotium terminare, ut in concilio Lugdunensi infra, de eo qui mitt. in poss. caus., extravag. eum qui. Et illud scias, quia missus in possessionem ex primo decreto non utitur fructibus. Immo eos conservare debet, ut ipse restituat eos cum ipsa re, si infra annum reus recuperat possessionem, infra, de sequestra., dilectus. Si non recuperat rem suam infra annum in actione reali, habebit omnes fructus usque ad litem contestatam. Postea super proprietate audietur, si postea agere voluerit qui possessionem amisit. Et quod ex primo decreto non utatur fructibus, probatur ff. ut in poss. legat., is cui § qui legatorum, in fi. Secus tamen est in petitione hereditatis, ubi quis propter nimiam contumaciam consequitur fructus, ff. quib. ex caus. in poss. eat., Fulcinius § ulti. Similiter cum venter mittitur in possessionem, utitur fructibus, ff. de vent. in poss. mitt., sicuti § 1; et ff. si mul. vent. nom. in poss., hoc edicto § interesse. Similter cum impubes ex Carboniano edicto mittitur in possessionem, ff. de Carb., sed si is § 2. Item quid dices si missus in possessionem ex primo decreto eiiciatur, an possit petere restitutionem? Videtur quod non, praecipue secundum iura canonica, cum non possideat sed tantum custodiam habeat, ut supra dictum est, quia non sufficit probare deiectionem nisi probet possessionem, ut supra, de offi. deleg., consultationibus; et supra, de restit. spol., olim inter. Unde non posset agere uti possidetis, ff. uti poss., si suo § creditores. Sed dicas quod potest petere restitutionem conditionaliter ex illa lege C. de praet. pignor., veteris. Secundum illos qui dicunt quod statim est verus possessor, saltem in actione reali, quia non videtur quaestio, cum habeat veram possessionem licet commutabilem.

X 2.14.10 *Venerabilis*

Finem

Sic supra, de dolo et contu., finem; et supra, de procurat., constitutis; et C. de agric. et cens., litibus, lib. 11; et C. de iud., properandum, in princ. Et ideo usque at triennium restringuntur lites secundum leges, ut in praedicta lege C. de iud., properandum, ne immortales existant, ut ibi dicitur. Secundum iura canonica non finitur instantia iudicii elapso triennio, supra, de iudic., venerabilis.

Proxime
Et si hoc non fuisset appositum, de proxima intelligeretur, ff. de ver. oblig., eum qui calendis, in princ. Ber.

Procuratorem
Melius dixisset actorem, quia haec erat causa universitatis, supra, de synd., sicut; ff. de muner. et honor., munerum § defensores, in glossa eliguntur; ff. quod cui. univ. nom., item eorum § actor. Et mirum est quod intervenit procurator in hoc casu, cum agatur causa status contra id quod habes 2. q. 6, si quando. Dic quod si aliquis petit aliquem in servum, potest agere per procuratorem, 54. dist., frequens, in glossa actores. Is autem de cuius statu agitur, si est in possessione libertatis potest se defendere per procuratorem, C. de assert. toll., lites, in princ. Si autem sit in possessione servitutis et proclamet etiam ad libertatem, non aget per procuratorem, ut in lege praedicta. Nec obstat huic distinctioni ff. de procur., non solum § si status, quae dicit quod in causa status potest intervenire procurator, sive ex servitute proclamet in libertatem sive ex libertate petatur in servitutem. Loquitur enim in procuratione procuratoris ad peculiaria negotia, ff. de procur., servum quoque, in princ. eodem titulo de procuratoribus.

Sufficienter instructum
Sufficiens dicitur qui ad agendum et defendendum et respondendum constitutus est legitime. De hoc dictum est supra, de procurat., alia; et supra, de procurat., accedens; et supra, de procurat., mandato.

Alios
Ex forma rescripti hic defert aliis, cum tantum factum demandetur, supra, de offi. deleg., quoniam Apostolica, in fi. Vel dic quod possunt citare per se vel per nuncios suos. Fiunt enim citationes vel per nuncios vel per epistolam vel per edictas, quae in publico proponuntur. Intelliguntur enim citare ipsi quando per alios citant, arg. ff. de constit. pecun., et licet.

Ecclesiam
Sic ergo debet citari qui personaliter non invenitur, supra, de dolo et contu., causam quae, ubi satis dicitur de hac materia. Sed quid fiet si reus non veniat, et iudices impediti etiam si venissent, procedere non potuissent, numquid tenebitur saltem ad expensas? Videtur quod sic, quia contumax est. Advocati enim non est contemnere auctoritatem praetoris, ff. de iud., si quis ex aliena; et ff. de re iud., contumacia. Nec prodesse videtur si casu processus iudicis impeditur, sicuti si facto fecerit, non videtur obtemperare voluntati, ff. de condi. et demon., condicionum quaedam sunt, in fi. Certius enim casus debet esse ad hoc ut non veniat, arg. ff. de bon. poss. sec. tab., tabulas § 1, vers. scientiam tamen. Et licet mea non intersit, teneor tamen venire, ff. si quis caut., si eum, in princ. Arg. contra ff. si quis caut., non exigimus § si quis in iudicio, in fi.; et ff. si quis in ius voc. non ierit, ex quacumque, in fi. Quia nihil interest actoris reum non venisse, ut ibi, ff. de iud., non videtur; et ff. de peculi., eo tempore; et ff. de recepti., si cum dies § si arbiter, vers. sed si in aliquem. Et hoc verum est quod non tenetur venire.

X 2.15.01 Constitutis in praesentia (rev. 9/23)

X 2.15 DE EO QUI MITTITUR IN POSSESSIONEM CAUSA REI SERVANDAE

X 2.15.01 *Constitutis in praesentia*

Servandae

Super possessione super qua agebatur tamquam super proprietate, secus si agatur super beneficio vel dignitate, in concilio Lugdunensi infra, de eo qui mitt. in poss. caus., extravag. eum qui.

Assertione

C. si per vi. vel al. mod., nec imperiale. Et ita per confessiones partium constitit de meritis causae. Et ideo ex confessione proceditur ad sententiam, supra, de transact., praeterea quarto § respondemus; et supra, de restit. spol., cum ad sedem, ad fi. Quia confessus in iure pro iudicato habetur, infra, de confess., cum super; et infra, de confess., ex parte; et C. de confes., confessos.

Voluntatem

Non tamen studiosam seu cum effectu, quia per eum stetit et non per iudicem vel per adversarium. Alias si stetisset per iudicem vel partem adversam, non imputaretur ei, infra, de eo qui mitt. in poss. caus., cum sicut. Immo et si iudicem habere non potest, coram publicis et honestis personis debet cautionem offerre ac praestare, ut postea non currat annalis praescriptio, ut supra, de offi. ord., pastoralis, in fi.; et infra, de eo qui mitt. in poss. caus., cum venissent. Item est arg. quod voluntas sola non sufficit sine effectu, infra, de re iudic., cum aliquibus; et ff. de constit. pecun., promissor § constituto; ff. de re iud., si se non § ait praetor; et 86. dist., non satis; et ff. quib. mod. pig. vel hyp. sol., sicut § si voluntate. Arg. contra 32. q. 5, nec solo; et 32. q. 5, qui viderit; de poen. dist. 1, quisquis § si quis cum telo; 14. q. 5, si quid invenisti. Solutio: ubi de necessitate opus est facto, non sufficit voluntas si factum adimpleri potest, alias voluntas reputatur pro facto, ut in capitulo 86. dist., non satis. Vel aliter ubi quis habet voluntatem faciendi bonum, sufficit sola voluntas, si non potest facere illud. Sed si voluntatem habet malefaciendi, et per eum non stat, puta quia procedat ad actum exteriorem, ei imputatur, de poen. dist. 1 § si quis cum telo, et in pluribus legibus ibidem. Alias sola voluntas non imputatur, quia cogitationis poenam nemo meretur, de poen. dist. 1, cogitatio.

Parati

Si vero non fuissent parati eam recipere, non noceret praeposito. Arg. ff. de lege comm., si fundus, in fi. § in commissoria. Vel si eam praestare non posset, non imputaretur ei, quia inanis est actio etc., ff. de dolo mal., nam is; et supra, de restit. spol., olim vobis; et infra, de solution., Odoardus. Praestat ergo quam potest, scilicet iuratoriam, infra, de don. int. vir. et uxor., per vestras § ulti.; et C. de episc. et cler., authen. generaliter; et in Auth. ut nulli iudic. lic. hab. § si vero, coll. 9. Sed illud protestetur, infra, de appell., si iustus. Item habes hic quod parti praestanda est cautio ista, quod est verum. Et ideo si non potest iudex haberi, praestatur parti. Et iudici etiam potest praestari parte absente, infra, de eo qui mitt. in poss. caus., cum sicut; et infra, de eo qui mitt. in poss. caus., cum

X 2.15.02 Cum sicut (rev. 9/23)

venissent; et supra, de offi. ord., pastoralis. Si autem neuter potest inveniri, praestabitur alicui honestae personae, quae recipiat cautionem nomine adversarii.

Salvo iure

Super proprietate. Sic supra, ut lite non cont., quoniam § quod si, in fi.; et supra, de dolo et contu., prout, in fi.

Habeatis

Hic sumitur arg. quod secundum decretum necessarium sit in reali actione. Sed ideo datum fuit secundum decretum, quia dubitabatur super cautione an infra annum praestita fuisset, et ideo revocabatur in dubium inter partes. Et de hoc satis dictum est supra, de dolo et contu., contingit.

X 2.15.02 *Cum sicut*

Rei petitae

Sic supra, ut lite non cont., quoniam § in aliis; et infra, de eo qui mitt. in poss. caus., si adversarius; C. de his qui ad eccl. confug., praesenti § cum autem.

Sed non potuit obtinere

Sed nec debuit, cum plures fuissent iudices. Ipse solus restitutionem dare non poterat, quia solus non habebat iurisdictionem, supra, de offi. deleg., causam matrimonii; et supra, de offi. deleg., uno delegatorum; et 2. q. 6, ei qui § item si plures. Arg. contra quia cum res esset tempore peritura, archidiaconus poterat se intromittere. Sic apparet in tutoribus, ff. de admin. tut., tutor qui § 1. Sed non est verum, ut dictum est, cum non haberet iurisdictionem, poterat tamen cautionem recipere ab ipso nomine adversarii, non tamquam iudex, sed tamquam honesta persona, et sic non curreret tempus, supra, de offi. ord., pastoralis § verumtamen. De hac cautione dictum est in proximo capitulo supra, de eo qui mitt. in poss. caus., constitutis.

Recepta

Et ita quod non potuit facere primo, modo facere debet ut possessionem recuperet. Simile infra, de eo qui mitt. in poss. caus., cum venissent. Sic etiam si ad terminum venire, aut etiam solvere non potuisti, non tamen post terminum eris a solutione absolutus, supra, de dolo et contu., cum dilecti § praeterea, vers. si enim; ff. de recepti., Celsus § 1.

Non steterit

Nota quod super me non stat quo minus faciam quod debeo, non est mihi imputandum. Sic supra, de rescript., si autem; et supra, de rescript., plerumque § 1, ibi postquam copiam; et supra, ut lite non cont., quoniam, circa princ.; et infra, de appell., ex insinuatione, ibi absque damno etc.; et 2. q. 6, anteriorum § ad hoc; et infra, de appell., ex ratione. Arg. contra supra, de eo qui mitt. in poss. caus., constitutis. Sed ibi voluit solummodo, sed non cum effectu, et voluntas ibi stetit in suis terminis. Hic vero voluit et obtulit, sed defuit qui reciperet, et absente illo qui fuit causa custodiae in possessionem missus, ex causa necessaria possessio restitui non debet, infra, de verb. sign., dilecto.

X 2.15.03 *Cum venissent*

Causa custodiae
Arg. quod non sit possessor, sed tantum custos. Sic infra, de eo qui mitt. in poss. caus., si adversarius.

Restitueret
Hic male pronunciavit, quia primo debuit ei de expensis constare saltem per iuramentum, C. de iud., sancimus. Praemissa taxatione, supra, de procurat., constitutis. Et hic in fine dicit, quas abbatem constiterit propter hoc fecisse. Unde perperam processit, quia non debuit condemnare eum ad voluntatem abbatis. Unde Papa non stat illi condemnationi. Praeterea condemnatio expensarum debet fieri tempore praestandae cautionis, quo recuperat possessionem, supra, ut lite non cont., quoniam § in aliis; et infra, de sequestra., ad hoc, et hic in fi.

Obtulit
Per hanc oblationem cautionis interrumpit praescriptionem annalem, supra, de offi. ord., pastoralis, in fi.; et supra, de eo qui mitt. in poss. caus., cum sicut. Et per hoc videtur renunciasse appellationi, et ratam habuisse sententiam iudicum illorum, ex quo acquievit illi, arg. supra, de offi. deleg., gratum; et infra, de testib., cum venisset; et arg. ff. de iud., verum; et ff. rem rat. hab., cum minor § falsus. Sed contra innuit, scilicet quod Papa mandat inquiri de appellatione, quare per hoc non intelligitur renunciasse. Dicas ex quo adversarius noluit recipere cautionem et restituere possessionem, statim licuit ei prosequi appellationem. Et ita cum per eum non steterit quin dedisset cautionem, et recepisset possessionem, sed potius per adversarium et per iudicem ei circa possessionem recuperandam obesse non debet, ut supra, de eo qui mitt. in poss. caus., cum sicut. Quid ergo profuit ei appellatio? Multum profuit, quia si appellatio sua fuit legitima, condemnabitur in expensis. Si non fuit legitima, condemnabitur in expensis tantum necessariis, quas propter hoc constiterit abbatem fecisse, ut dicit in fi. Si tamen non appellasset, simpliciter restituisset expensas.

Cautione
Sufficienti, infra, de sequestra., ad hoc, in fi.

Rationabiliter
Cum hic Papa iubeat inquiri de appellatione, patet quod non recessit ab eas per oblationem cautionis, sed hoc fuit culpa adversarii, qui eam noluit recipere, quod profuit huic appellanti in hoc, quia non condemnabitur in expensis si legitime appellavit. Et sic tutius fuisset illi accepisse moderatas expensas.

Illarum
Et etiam ad eas quas fecit in rebus quarum possessionem tenebat conservandis, etiam si non expediebat facere illas dum tamen credebat expedire, ff. de reb. auct. iud. poss., praetor ait § quod ait praetor. Alias generale est, ut non sufficiat credere et expedire, nisi

in veritate expediat, ff. de negot. gest., sed an ultro § 1, in fi. Utiliter enim debet coeptum esse negotium, licet non spectemus eventum, ut hic dicit.

Necessarias
Necessariae expensae dicuntur, impensae sine quibus deterior esset res si non fierent aut etiam periret, ff. de ver. sig., impensae; et ff. de pigner. act., si necessarias; et ff. de impen. in re. dot., impensae; et ff. de impen. in re. dot., quod dicitur impensas; et ff. de impen. in re. dot., et ante. De hoc dictum est supra, de dolo et contu., finem.

X 2.15.04 *Si adversarius*

Citationis
Hoc ideo dicit, quia si ante citationem et non in fraudem se absentaret, non daretur restitutio possessionis contra ipsum, licet praesens vellet probare spoliationem et possessionem, supra, de offi. deleg., consultationibus. Sed missio in possessionem causa custodiae, nihilominus fieri debet. Et ita quod dixit: post citationis edictum, idem intelligo etiam ante citationem, quia debet dimittere procuratorem, qui ad loca remota se transtulerit. De hoc dictum fuit supra, de offi. deleg., consultationibus. Unde supple hic: maxime.

Domi
Sic supra, de dolo et contu., causam quae, ubi de hoc; et supra, de dolo et contu., venerabilis; et ff. ex quib. cau. maio., item ait § hoc autem; et ff. ex quib. cau. maio., ergo; et infra, de cleri. non residen., ex tuae. Ber.

Qui defendat eundem
Ergo si appareat qui defendat eundem, audiendus est, ff. de procur., servum quoque § publice; et ff. de procur., absens; et C. de procur., exigendi. Praestita satisdatione, ut in lege C. de procur., exigendi; et ff. de in ius voc., neque § qui in ius. Et ille qui defendit, id facere debet quod dominus in lite faceret, et cavere idonee, id est, iudicatum solvi, ff. de procur., sed et hae personae § defendere. Et appellare tenetur si contra ipsum pronunciabitur, supra, de procurat., non iniuste; et infra, de appell., si iustus; ff. de negot. gest., liberto § ulti. Et ita quilibet tenetur mittere procuratorem qualitercumque sit absens, alias requisitis amicis et facta denunciatione si non defenditur, proceditur contra ipsum, ut hic dicit, et ff. ex quib. cau. maio., item ait § ulti.; et ff. ex quib. cau. maio., ergo; et supra, de dolo et contu., causam quae.

X 2.16 UT LITE PENDENTE NIHIL INNOVETUR

X 2.16.01 *A memoria*

Praeiudicium
Et ita quod illicite factum est, potest licite revocari, 35. q. 9, quod quis commisit; et 35. q. 9, sententiam. Et sapientis est revocare quod prave fecit, 22. q. 4, magnae; et ff. de re iud., quod iussit. Etiam errorem suum quilibet emendare tenetur, infra, de accusat., qualiter et quando 1; infra, de sent. excom., sacro § si vero; et infra, de appell., cum

cessante; et in Auth. de nupt., circa princ., per unam columnam, coll. 4. Ex quo Papa revocat quod iniuste fecit, multo fortius et alii hoc facere debent. Immo et quod bene factum est, si incipiat esse occasio mali, destruendum est, 63. dist., quia sancta § verum; et 12. q. 1, certe.

Deferre crucem

Nota quod incorporalia possidentur vel quasi possidentur, ut hic, et 84. dist., quisquis; et supra, de caus. poss. et propr., cum ecclesia § nos igitur, in fi.; et infra, de praescrip., si diligenti, circa medium; ff. de usucap., sequitur § si viam; ff. de acq. rer. dom., servus § 1. Item patet quod lite pendente non debet quis privari sua possessione, 16. q. 4, volumus; et infra, de privileg., dudum; et C. de probation., possessiones; et C. de rei vend., res alienas; et in Auth. in med. lit. non fier. sac. § illud quoque, coll. 8; et ff. de pet. hered., divus; et 8. q. 4, nonne; et infra, de sequestra., dilectus; et infra, de sequestra., per totum. Nisi alias suspectus esset de dilapidatione, 3. q. 2, quia ea; et infra, de simon., licet Heli; et ff. qui satisda. cog., si fideiussor § ulti.; et infra, de sequestra., dilectus; et infra, de sequestra., ab eo; et 2. q. 6, quotiens 2.

De iure

Nota quod quatuor patriarchales sedes ubique possunt crucem ante se portare praeterquam in urbe Romana vel in praesentia Papae vel ipsius scilicet Papae legati, infra, de privileg., antiqua. Alii vero non, nisi in provincia sua, et nisi hoc alicui per privilegium speciale sit concessum, ut hic dicitur, et ita quod dicit de iure, id est, de privilegio speciali. Et hoc iure cognoscitur qualiter fuerit concessum, utrum per surreptionem et in praeiudicium alterius vel non, quia sic non debet valere, arg. supra, de auctor. et usu pal., ex tuarum; et supra, de offi. ord., licet; et ff. ne quid in loc. pub., praetor ait § si quis a principe. Quia in praeiudicium alterius dari non debet privilegium, ut in ff. ne quid in loc. pub., praetor ait § si quis a principe; et supra, de consuet., cum olim.

X 2.16.02 *Laudabilem*

Probatam

Supra, de offi. deleg., causam matrimonii; infra, de divort., porro; et supra, de restit. spol., ex conquestione; et 8. q. 4, nonne; et 17. dist. § hinc etiam; et 16. q. 4, volumus; et 15. q. 8, sciscitantibus; et supra, de in integ. restit., cum venissent; et supra, ut lite penden., a memoria; et C. de rei vend., res alienas; et C. de probation., possessiones; et C. de liber. caus., non ideo. Arg. contra infra, de re iudic., tenor; solutio ibi, et infra, de regular., veniens. Item arg. contra supra, de restit. spol., litteras, ad fi. Unde non fuit plena restitutio, sed id ideo est, quia habebat incontinenti probationes, nec sunt contraria, quia ibi agitur possessorio, hic non. Unde non debet alteruter privari etc. Ille tamen qui conscius est impedimenti, non debet exigere nec reddere, ut in decretali supra, de restit. spol., litteras. Ber.

X 2.16.03 *Ecclesia sanctae Mariae*

X 2.16.04 Ecclesia sanctae Mariae (rev. 9/23)

Successerunt

Hoc ideo dicit, quia possessiones super quibus contra Ioannem de Ateia movit ecclesia quaestionem, monasterium sancti Silvestri locaverat alii, locationis titulo, quas monasterium receperat a Ioanne de Ateia lite pendente, ut infra, ut lite penden., ecclesia 2. Et hic dicitur, unde monasterium, quia non potuit illas possessiones revocare, alias possessiones aequivalentes prioribus substituit in locum illarum. Et est hic arg. quod res quae succedit in locum alterius, eodem iure censetur cum illa, arg. infra, de usur., cum tu, in fi., et in glossa fi.; et 93. dist., praecipimus; et 94. dist., valde; et ff. de leg. 3, fideicommissa § 1; et ff. de leg. 3, fideicommissa § si rem suam; ff. de leg. 2, imperator, in fi.; et ff. de leg. 2, sed quod; et ff. de donat. inter vir. et uxor., uxor marito. Arg. contra ff. de fur., qui vas § ulti.

Litigiosi

Poena litigiosi contractus est, quod emptor sciens rem litigiosam pretium amittat et rem restituat, non ut cedat lucro alienatori, sed pretium et alia tanta quantitas ab eo qui alienavit, dabitur fisco. Ignorans pretium recuperat a venditore et tertiam partem pretii, quia ei non manifestavit rem litigiosam fuisse. Et eodem modo punitur sator et donatarius sciens vel ignorans, secundum quod traditur C. de litig., censemus, in princ. Vitium litigii dicitur, cum quis rem litigiosam in iudicium deductam, de cuius dominio movetur quaestio inter actorem et reum, transfert in alium lite pendente sive sint res sive actiones, C. de litig., censemus, in princ.; et in authentico ibi posita C. de litig., authen. litigiosa. Tamen in aliquibus casibus qui ponuntur in ipsa lege, potest res litigiosa alienari, scilicet nomine dotis, donationis ante nuptias, transactionis, et divisionis rerum hereditarium factae vel per legati vel per fideicommissi causam. Et haec locum habent in specialibus iudiciis. In universalibus vero cum agitur de hereditate, praetor permittit quandoque fieri alienationem, scilicet pro impensis funeris, pro solutione debiti, pro cibariis familiae, ff. de pet. hered., divus. Et ita ecclesia sanctae Mariae poterat agere de vitio litigiosi contractus contra Ioannem de Ateia, qui transtulit possessiones illas in monasterium lite pendente ad poenam et ad ipsam rem contra monasterium, ut in lege praedicta C. de litig., censemus.

Laboret

Sed qualiter potest hoc esse, quod in vanum fit talis actio, cum si monasterium offerat se liti, condemnabitur in expensis ac si possideret, ff. de rei vend., is qui se obtulit; et ff. de pet. hered., qui se liti, et cum dolus pro possessione habeatur, ff. de regul. iur., parem? Dic quod cessant illae leges in ecclesiasticis negotiis, ne delictum personae etc., 16. q. 6, si episcopum; et infra, de except., cum venerabilis.

X 2.16.04 *Ecclesia sanctae Mariae*

Revocavit

Tamquam a non suo iudice factum, quia senatores non debuerunt postea se intromittere, supra, de offi. deleg., licet; et 2. q. 1, nomen; 3. q. 6, multum stupeo. Arg. contra supra, de offi. ord., significavit. Sed illud ideo fuit, quia delegatus non procedebat, et altera pars remanebat in manifesto delicto.

Assignastis
Et sic monasterium incidit in vitium litigiosi contractus, ut supra, ut lite penden., ecclesia 1, ut Ioannes fecit. Unde ne in monasterium conveniretur de vitio litigiosi contractus, Papa aequivalentes possessiones fecit illis substitui. Et ita non praeiudicatur ecclesiae sanctae Mariae, cum monasterium paratum sit suscipere iudicium in re aequivalenti. Simile ff. de alien. iud. mut. caus., quia etiam, in fi. Et officio suo inflixit eis hanc poenam, et merito quia dolo desiit possidere monasterium. Dolus enim facit eum haberi pro possessore, ff. de rei vend., qui in petitorio; et ff. ad exhib., Iulianus, 1. resp.

Poteratis
Quia forte conductores potentes erant.

Assignari
A monasterio. Et cavere etiam debebant, quod non essent alii obligatae, arg. ff. de pigner. act., creditor; ff. de rei vend., si post acceptum.

Resignaverunt
Eo enim ipso videtur res liberata, arg. supra, de pact., cum pridem § ille; ff. de leg. 3, qui chirographum; ff. quae res pign. vel hyp., si alius; ff. de pacti., Labeo, in fi.; C. de solut., pecuniae; C. de donation., emptionum; C. de remiss. pign., creditricem. Arg. contra suprac, de renunciat., sane; et supra, de renunciat., veniens; et ff. de pacti., postquam, ubi dicitur quod licet pignus restituatur, non videtur remitti debitum. Sed secus est si restituatur chirographum, ut in primis concordantiis, quia ille cui fit restitutio, utilitatem debet inde habere, ex chirographo nullam utilitatem consequitur, si debitum non intelligatur remissum. Sed ex pignore sic, quia potest uti pignore. Unde pignus saepe restituitur precario propter utilitatem, sed chirographum numquam. Et ideo debitum quod ibi continetur, intelligitur esse remissum.

X 2.16.05 *Dilectus filius*

Indulgentias
Sic ergo patet quod lite pendente privilegium sive indulgentia super re litigiosa veritate tacita impetrata non tenet nec valet. Sic infra, de testib., causam quae 2; et infra, de privileg., dudum; et supra, ut lite penden., a memoria; arg. et in Auth. in med. lit. non fier. sac. § si vero, coll. 8; et in Auth. in med. lit. non fier. sac. § illud quoque, coll. 8. Sic et privilegium non valet tacita compositione obtentum, infra, de decim., ex multiplici. Et privilegium post sententiam impetratum super re iudicata non tenet vel rescriptum ad eam retractandam, C. ut lit. pend. vel post prov., licet. Item nec confirmatio de re litigiosa, infra, de confirm. util. vel inutil., si quis. Sic et res ipsa litigiosa in nullam debet transferri personam, 11. q. 1, quia res. Quod tamen fallit in casibus qui notantur supra, ut lite penden., ecclesia 1; et C. de litig., censemus.

X 2.17 DE SEQUESTRATIONE POSSESSIONUM ET FRUCTUUM

X 2.17.01 *Ad hoc*

Officio
Allegabat legem illam, ff. de re iud., iudex; et supra, de offi. deleg., in litteris. Et male, quia illud locum habet cum pronunciatur super proprietate et non super possessione, vel si hoc tantum esset ei commissum.

Eiecit
Sed numquid anno elapso erit possessor? Dictum est de hoc supra, de dolo et contu., contingit. Item numquid abbas posset petere restitutionem tamquam spoliatus? Et ibidem de hoc dicitur.

Indistincte
Nota quod sic committitur causa simpliciter, puta: committimus tibi causam, quae inter tales vertitur super talibus rebus. Tunc tam causa possessionis quam proprietatis commissa intelligitur, ut hic dicitur, et arg. C. de rei vend., ordinarii; et supra, de caus. poss. et propr., pastoralis; et infra, de testib., significaverunt. Sed si causa possessionis tantum commissa est, non possunt cognoscere de proprietate, quia cui commissa est causa violentiae tantum, de proprietate cognoscere non potest, et uno et eodem tempore causa possessionis et proprietatis diversis iudicibus committi non debet, quia continentia causae dividi non debet, ut hic dicit, et C. de iud., nulli; et supra, de caus. poss. et propr., susceptis. Sicut causa proprietatis et ususfructus apud eundem iudicem sunt trahendae, ff. de liber. caus., si pariter; et ff. de quib. reb. ad eun. iud., si inter; et ff. de quib. reb. ad eun. iud., cum ex pluribus.

Arbitrio
In hoc ipso Celestinus peccavit, quia non debuit facere sequestrationem nisi in casibus qui notantur infra, de sequestra., dilectus; et infra, de sequestra., ab eo. Unde revocavit sequestrationem, ut infra patet.

Sequestrari
Hoc ideo facit, quia cum res apud sequestrum deponitur, neuter litigantium possidet illam rem, ff. deposi., licet § rei depositae. Nisi hoc dictum sit in sequestratione, ut tantum causa custodiae deponatur apud sequestrum, ff. de acq. poss., interesse puto. Et sic possessio postea restituitur illi qui obtinet in proprietate, ut sequitur, quia proprietas trahit ad se possessionem, supra, de caus. poss. et propr., cum dilectus. Et sequestratio ista facta fuit apud Vercellenmsem et Novariensem episcopos.

Expensas
Sic supra, de eo qui mitt. in poss. caus., cum venissent, in fi.; et supra, de dolo et contu., cum dilecti, in fi.; et supra, de dolo et contu., finem, ubi satis de hac materia.

Oblatae
Coram Reginensi et Mutinensi episcopis. Nam archiepiscopus Mediolanensis obtulit cautionem standi iuri infra annum super possessionibus illis, de quibus abbas fuit missus in possessionem causa rei servandae per episcopum Veronensem. Sed archipepiscopus abbatem expulit de possessione, ut dictum est.

Propter hoc
Id est, propter vitium contumaciae, C. de iud., sancimus.

Sufficientem
Nota quod in casu isto sufficiens cautio est praestanda, scilicet pignora vel fideiussores, ff. mand. vel cont., si mandato § ulti. Et non nuda, id est, sola promissio, ut dixi supra, ut lite non cont., quoniam § in aliis; et C. de ver. sig. § sancimus.

X 2.17.02 *Dilectus filius*

Distrahunt
Nota quod ille qui mittitur in possessionem causa custodiae, sive agatur reali actione sive etiam personali, infra annum non facit fructus suos sed custodire eos debet, non distrahere, ut si infra annum reus recuperare voluerit possessionem, restituantur ei fructus. Expensae tamen necessariae pro fructibus percipiendis factae primo debent deduci, quia illae in nullo casu prohibentur, ff. fam. ercis., fundus, 1. resp., in fi. Si vero non veniat infra annum, tunc primo anno elapso lucratur omnes fructus. De hoc dictum est supra, de dolo et contu., contingit, et hoc in reali.

Sequestrari
Nota quod possessor lite pendente non debet removeri de possessione nec ab ea sequestrari, ut supra, de sequestra., ad hoc; et 16. q. 4, volumus; et 8. q. 4, nonne; et C. de probation., possessiones; et supra, ut lite penden., per totum; et C. de prohib. sequest., quotiens. Quandoque tamen fit sequestratio in casibus, ut cum quis dilapidat fructus quos servare debet, ut hic, et in capitulo sequenti infra, de sequestra., ab eo. Item cum appellatur ab executore mero, tunc sequestratio fit rei immobilis, et fructus etiam rei immobilis sequestrantur apud possessorem remanente iure possessionis, C. quor. app. non rec., ab executore. Item cum persona a qua res mobilis petitur, suspecta est, ff. qui satisda. cog., si fideiussor § ulti. Item si timetur de dilapidatione, ff. de appellat., imperatores, in fi. Item si quis proclamet in libertatem, sequestrantur res eius, C. de assert. toll., expeditam § 1; et C. quib. ad lib. proc. non lic., de latronum; et C. quib. ad lib. proc. non lic., si quis; et C. de ordi. cog., si quando. Item si colonus velit possessiones conductas deserere, C. de agric. et cens., si qui adscripticiae, lib. 11. Item si maritus vergat ad inopiam, sequestratur dos, ff. solut. matrim., si cum dotem § si vero; et C. de iure dot., in rebus, in fi.; in Auth. de aequal. dot. et prop. nupt. don. § illud quoque, coll. 7. Item si timetur de saevitia viri, nec potest ei caveri, supra, de restit. spol., litteras, ad fi. Aut etiam cum timet sponsam corrumpi, infra, de spons., cum locum. Item cum aliquid est de familia iudicis, ff. de off. praes., senatusconsulto, in fi. Item propter contumaciam, supra, de dolo et contu., ex litteris. Et hoc fit ut mitius agatur cum contumace, ut ibi dicitur.

X 2.17.03 *Ab eo*

Si dissipentur
Sic C. quor. app. non rec., ab executore; et ff. de appellat., imperatores, in fi., unde haec decretalis sumpta est. De hoc satis dicitur supra, de sequestra., dilectus. Et secundum

hanc decretalem intellige quod dicitur 2. q. 6, quotiens 2. Et hoc ideo quia si confirmabitur sententia, debet fructus perceptos post litem non contestata, restituere cum ipsa re, C. de rei vend., certum.

X 2.18 DE CONFESSIS

X 2.18.01 *Cum monasterium*

Aliis modis
Scilicet legitimis et evidentissimis probationibus et luce clarioribus, C. de probation., sciant; 2. q. 8, sciant; et 5. q. 6, Epiphanium. Vel per propriam confessionem in iure factam, infra, de confess., cum super; et 2. q. 1, nos in quemquam. Vel per evidentiam facti, infra, de cohab. cler. et mul., quaesitum; et supra, de restit. spol., cum ad sedem.

Confessi
Nulli ergo de se confesso super crimine aliorum creditur. Sic infra, de testib., veniens 1; et 15. q. 3, nemini; et 3. q. 11, neganda; et C. de accusation., accusationibus. Et hoc generale est praeterquam in crimine laesae maiestatis, ut hic, et in praedicto capitulo 15. q. 3, nemini; et infra, de testib., veniens 1. Item auditur confessio unius latronis contra alium, C. de feri., provinciarum; et C. de fals. mon., quoniam, in glossa immunitatem; et ff. de cust. reo., divus § 1; et ff. de quaest., in criminibus § si quis. Istis qui de se confitentur, creditur non quantum ad convincendum, sed quantum ad praesumptionem. Unde si adsunt aliae praesumptiones, valent, alias per se non sufficerent.

Infamia
De qua debent se purgare cum tertia manu sui ordinis qui sunt honesti, et conversationem ipsius agnoscant. Alias si defecerint, tamquam convicti puniantur, infra, de purg. can., cum P; et infra, de purg. can., cum dilectus; et infra, de simon., insinuatum. Alias si infamati non essent, non indiceretur eis purgatio propter talem confessionem, 2. q. 5, si legitimi. De hac materia plenius tractatur infra, de purg. can., cum P; et infra, de purg. can., cum dilectus; et 2. q. 5, presbyter si a plebe.

X 2.18.02 *Cum super electione*

Confessus
Et coram iudice suo, supra, de iudic., at si clerici. Alias ergo confessio non praeiudicat quantum ad poenam vel condemnationem. Praeiudicat tamen quantum ad suspicionem, infra, de excess. praelat., quam sit. Sed nonne iste fuit testis? Qualiter ergo punitur poena ordinaria contra illud supra, de ord. cognit., cum dilectus, ad fi.; infra, de except., denique, in fi.? Praeterea sine accusatore non debet quis puniri, infra, ut eccl. ben., ut nostrum, in princ.; ff. de muner. et honor., rescripto § si quis. Potest dici quod iste vel fuit denunciatus vel inquisitio contra eum facta fuit. Sic supra, de elect., per inquisitionem. Vel hic ex officio suo processit dominus Papa et in odium criminis, arg. 3. q. 9, nihilominus; et C. de probation., iubemus; et C. de testi., nullum. Etenim crimina undecumque claruerint, punienda sunt, 24. q. 3, ecce. Vel ideo punitur, quia crimen istud contingit principale negotium. Sic infra, de except., denique, in fi. Et hoc videtur verius,

quia dicebatur ab adversario quod simoniace facta fuit electio, et quia electionem examinat de omnibus inquirere debet: de meritis personae, de modo electionis, de studio eligentium, et sic crimen illud contingit factum principale, supra, de elect., cum terra; et supra, de elect., super eo; et supra, de elect., scriptum; et supra, de elect., nihil est. De his omnibus inquirit iudex ex officio suo de meritis electi et eligentium. Et iste fuit unus de electoribus, et ideo merito puniri debuit si commisit in ipso negotio vitium simoniae, sive de hoc actum fuisset sive non, cum ex officio hoc etiam fieri debeat, supra, de elect., cum nobis § his igitur, ubi de hoc. Et sic punitur aliquis super eo de quo non agitur contra eum directe in odium criminis, ut innuit littera sequens, scilicet: nos quoniam vitium huiusmodi persequi etc. Et est arg. infra, de testib., tam litteris. Sic et maritus punitur de lenocinio, licet contra eum directe non sit actum, ff. de adulter., ex lege § si publico.

Sarracenorum
Exponunt quidam dandorum regi, ut electioni praestaret assensum, vel potius pro seipso recepit illam obligationem ut ipse consentiret. Sic sola talis obligatio simoniam inducit, licet non receperit id quod venit in obligatione, quia in talibus nulla pactio vel conventio debet intervenire, 1. q. 2, quam pio § ulti.; et supra, de pact., pactiones; et infra, de simon., si quis. Et est moneta quae sic vocatur.

X 2.18.03 *Ex parte abbatis*

Confessus
Nota quod rubrica ista sive titulus de confessis locum habet post litem contestatam. Sed edictum de interrogatoriis actionibus locum habet et ante litem contestatam et post, quia iudex quotiens et quandocumque aequitas movet ipsum, debet interrogare partes, ff. de interrog. act., ubicumque; et 30. q. 5, iudicantem. Et in casibus qui notati sunt supra, de iuram. calumn., cum causam. Et etiam postquam est conclusum in causa, infra, de fide instrum., cum Ioannes § verum. Ad hoc enim ut confessio praeiudicet alicui exiguntur plura, quae sit maior viginti quinque annis, quia minor potest restitui contra confessionem, ff. de minor., non omnia; et ff. de confes., certum § in pupillo. Item quod sponte et non coactus, 15. q. 6, si quandoque; et 31. q. 2, Lotharius § praeterea; et ff. de quaest., in criminibus, 1. resp.; et ff. de quaest., in criminibus § divus 2. Item quod ex certa scientia, quia si errat in confitendo, et potest probare se errasse, non nocet, ut hic, et C. de iuris et fact. ignor., error facti; et ff. de confes., non fatetur. Item quod contra se confiteatur, quia confessio pro se non prodest, 14. q. 2 § 1; et ff. de interrog. act., de aetate, 1. resp. Item in iudicio et coram suo iudice, alias non praeiudicat, ut supra, de iudic., at si clerici; et C. confes., confessos. Quandoque tamen confessio extra ius facta valet, ut si quis confiteatur debere se ex certa causa, puta emptionis vel locationis vel alia causa consimili, si probetur confessio ista per testes qui fuerunt praesentes in confessione, condemnabitur ex ea, C. de non num. pecun., generaliter; et C. de non num. pecun., adversus; et ff. de probation., cum de indebito § ulti.; et infra, de fide instrum., si cautio; et 3. q. 9 § si debitum. Item quod adversarius sit praesens, alias non nocet, ff. de interrog. act., procuratore; et ff. de confes., certum § si quis. Item requiritur quod non sit contra rerum naturam, ut si confiteor illum esse filium meum, qui est maioris aetatis quam ego. Vel si quis confiteatur factum cuius nomine actio cum alio esse non potest, ff. de interrog. act., si is cuius; et ff. de interrog. act., confessionibus. Item quod non sit contra ius,

scilicet de libero homine, alias non nocet, ff. de pacti., iurisgentium § et si stipulatio; et ff. de pacti., iurisgentium § prece; et supra, de pact., pactiones; et infra, de cond. appos., si conditiones; et 32. q. 2, solet quaeri. Item quod de re litigiosa, ut ff. de interrog. act., confessionibus. Item in confesso nullae sunt partes iudicis in cognoscendo, sed in sententiando sic, quia debet ferre sententiam ex illa confessiones, ff. ad leg. Aquil., proinde; et supra, de transact., praeterea quarto. Item si quis confiteatur se servum, talis confessio non nocet ei, ut C. de liber. caus., interrogata. Lex ista favore libertatis intelligitur de confessione facta apud iudicem, sed non in iudicio liberalis causae, alias contraria esset lex illa C. de liber. caus., iubemus, in fi. Ber.

Error facti
Error facti excusat, si probetur nondum finito negotio, ut hic, et in lege praedicta C. de iuris et fact. ignor., error facti; et infra, de sent. excom., sacro. Error vero iuris non excusat, C. de iuris et fact. ignor., cum ignorantia; et C. de iuris et fact. ignor., cum quis. Et sic patet quod confessio syndici potest revocari. Item et confessio advocati revocatur, infra, de censib., olim, ubi de hoc.

X 2.19 DE PROBATIONIBUS

X 2.19.01 *Ex epistolae verbis*

In chartophylacio
Chartophylacium dicitur locus seu armarium ubi chartae vel instrumenta ponuntur et conservantur.

Nulli dicendum
Reo scilicet, nisi sit usurus eis, ff. de edend., qua quisque § edenda. Vel nisi sint communia, infra, de fide instrum., G perpetuus. Nam argentarius et publicus exactor rationes contra se tenetur edere, ff. de iure fisc., in fraudem § ex his bonis; et ff. de iure fisc., in fraudem § neque. Hic enim reus imperator erat in possessione obsequiorum praestandorum a rege. Arg. contra 45. dist., qui sincera, ubi dicitur quod convincere debemus Iudaeos ex codicibus suis, et illi nostri sunt, quia continent vetus testamentum.

Contra te
Simile C. de testi., nimis grave; et C. de edend., qui accusare; et 4. q. 3, qui intendit. Arg. contra C. de edend., non est novum; et C. de edend., iustum est. Solutio: verum est illud quod nullus sua propria instrumenta tenetur dare adversario, ut ipse utatur eis, et praecipue quae faciunt contra ipsum. Contraria hic signata non sunt contraria. Leges illae C. de edend., non est novum; et C. de edend., iustum est, loquuntur de rationibus communibus. Lex illa C. de edend., qui accusare, loquitur de instrumentis propriis, ut probatur C. de edend., ea quae, secundum unum casum. Intelligunt alii aliter leges illas, prout ibi consuevit notari.

X 2.19.02 *Sicut consuetudo*

Cum aliae
C. de iureiuran., admonendi; supra, de procurat., ex insinuatione; et C. de fid. instrum., cum quidam. Habito tamen respectu ad qualitatem personarum et quantitatem causae, C. und. vi, si quando; et infra, de iureiur., iuramentum; et ff. de legit. tutor., legitimos.

Consuetudinem
Et est arg. quod consuetudo non praeiudicat scripto iuri, supra, de consuet., cum venerabilis; et supra, de consuet., cum tanto; et 11. dist., consuetudinis. Hoc est verum ubi consuetudo obviat rationi, ut hic, et in praecedenti capitulo supra, de probat., ex epistolae. Haec enim consuetudo est contra ordinem iudiciorum, vel ibi consuetudo introducta est per errorem, ff. de legib., quod non ratione. Aliter si consuetudo rationabilis esset et praescripta, bene praeiudicaret iuri scripto, ut supra, de consuet., cum tanto, in fi., ubi de hoc; et ff. de legib., de quibus; et 11. dist., catholica; et 11. dist., in his. Et talis consuetudo praecipue reprobatur, quia ex quo semel iuratum est de calumnia, a principio saltem in causa civili non fuit amplius iurandum, C. de iureiuran., authen. hoc sacramentum; de his qui ingred. ad appel. § 2.

X 2.19.03 *Ex litteris tuis*

Finium regundorum
Licet praedia ecclesiae propria non sint clericorum, agere tamen possunt finium regundorum, cum habent ius in illis, scilicet usumfructum, ff. fin. regund., sed et loci § finium.

Vices duorum
Hoc iudicium duplex est, quia uterque reus hic censetur. Unde uterque duplex sacramentum claumniae praestabit, sicut reus et actor. Non tamen iurabit nisi semel, ff. fam. ercis., inter coheredes § qui familiae. Ille tamen principaliter actor dicitur, qui primo ad iudicium provocaverit, ff. de iud., in tribus. Si non apparet quis primo provocaverit, forte dirimatur quis actor dici debeat, ff. de iud., si cum ambo. Et pro tanto dicitur actor, quia primo iurat, et postea iurant sui testes. Sic observatur in conventione et reconventione. Item arg. est hic quod una persona vicem duarum sustinet, ff. quod cui. univ. nom., item eorum § si decuriones; 21. q. 1, relatio; de conse. dist. 2, nec Moyses; ff. de adopt., si consul; 30. q. 1, ad limina; ff. de stip. serv., cum servus stipuletur § servus communis; 10. q. 3, unio; ff. de act. et oblig., actionis verbo § mixte. Arg. contra 16. q. 1, presbyteros; C. de assessor., nemo; 89. dist., singula; et ff. de regul. iur., in pari; infra, de praeben., quia in tantum; et infra, de praeben., de multa; ff. de pacti., si plures; et ff. ad Trebel., ille a quo § tempestivum; et 89. dist., ad hoc. Solutio: prima responsio casualis est, ut dicitur in contrariis. Vel refert utrum iurisdictio si gratuita vel contentiosa. Si gratuita potest uti vice duorum, ff. de adopt., si consul; et ff. de off. praes., praeses apud se. Si contentiosa non potest, 4. q. 4, nullus umquam; et 2. q. 1, in primis.

Unde
Id est, quia uterque est actor et reus. Vel unde, id est, quia uterque affirmat se possidere et ad se pertinere.

X 2.19.04 Proposuisti (rev. 9/23)

Promptiora

Sic infra, de fide instrum., inter dilectos, in fi.; ff. de act. et oblig., Arrianus; et ff. de poe., respiciendum; et arg. 50. dist., ponderet, in fi.; et 26. q. 7, tempora poenitudinis. Arg. contra ff. de off. praes., observandum, in fi.; et 28. dist., quia sunt; 81. dist., tantis; et 50. dist., postquam. Solutio: quod hic dicitur et in similibus locum habet in dubiis et obscuris. Sed ubi notum est factum fit condemnatio, nisi ex causa fiat dispensatio.

In liberali

Et in querela inofficiosi testamenti, ff. de inoffic. testam., si pars iudicantium. Et in causa matrimonii, 33. q. 2, si quis acceperit, et in dote. Unde versus: stat testamentum libertas coniugium dos // si sunt aequales qui producuntur utrimque. Et istos quatuor casus habes infra, de re iudic., duobus.

Pro libertate

ff. de manumiss., lege Iunia; ff. de re iud., inter pares; et ff. de regul. iur., libertas; 12. q. 2, cum redemptor.

Nam possessori

Responsio ad tacitam quaestionem. Si quaereret aliquis, quare debet probare archidiaconus, cum sit in possessione? Respondeo: quia qui excipit de praescriptionibus, ipse probare debet, ff. de probation., in exceptionibus. Simile C. de praescri. trig. vel quad. ann., male agitur; 16. q. 4, volumus.

X 2.19.04 *Proposuisti*

Potuisse

Propter viri frigiditatem, 33. q. 1, requisisti. Vel propter maleficium viri, 33. q. 1, si per sortiarias; et infra, de frig. et malef., laudabilem; et infra, de frig. et malef., litterae; et in Auth. de nupt. § per occasionem, coll. 4.

Per aspectum

Quandoque tamen probatio ista fallit, quia oculus et manus obstetricum saepe fallitur, 27. q. 1, nec aliqua; et infra, de frig. et malef., fraternitatis; et infra, de probat., causam matrimonii.

Puellae

Arg. contra 33. q. 1, si quis acceperit, ibi creditur iuramento viri; et ff. de despon. impub., continebatur; et in Auth. de nupt. § per occasionem, coll. 4. Sed illa locum habent cum mulier non probat contrarium per aspectum corporis. Haec probatio praefertur iuramento viri, ut hic dicitur in fi. Arg. Inst. de grad. cognat. § item consobrini; et arg. 35. q. 5, ad sedem; 3. q. 9, testes.

X 2.19.05 *Tertio loco*

Confectum
Ad hanc negativam probandam admittuntur fratres indirecte, prout sequitur in littera. Sic infra, de testib., ex tenore; et C. de contrah. et comm. stip., optimam. Alias negativa directe non posset probari, de hoc dicitur supra, de elect., bonae 1. Et quia hic arguebatur de falso instrumento, edendus dies est et consul, arg. C. de contrah. et comm. stip., optimam; et infra, de fide instrum., inter dilectos.

Iurati
Bene dicitur iurati, quia nulli creditur nisi iurato, infra, de testib., fraternitatis; et infra, de testib., nuper; et infra, de testib., tuis quaestionibus; et 4. q. 3, si testes § iusiurandi. Nisi a partibus fuerit ei remissum, ut in capitulo infra, de testib., tuis quaestionibus. Et merito in tali casu admittuntur fratres illius monasterii, quia ea quae in capitulo aguntur per alios probari non possunt, quia extranei ad capitula non consueverunt admitti, infra, de testib., veniens 2, in fi.; C. de repud., consensu § super plagiis; et C. de quaest., interrogari; ff. de Sil., si quis in gravi § si pupillus; et ff. de Sil., si quis in gravi § si alius; et ff. de Sil., cum aliter § si vir.

Testium
Sic ergo testes praeferuntur instrumento et merito, quia potius credendum est vivae voci quam mortuae, in Auth. de fid. instrum. § si vero, coll. 6. Item testes praevalent instrumento, infra, de fide instrum., cum Ioannes § porro. Sed contra videtur, quod aequalem vim habent in exercendis causis testes et instrumenta et indicia cum instrumentis, C. de fid. instrum., in exercendis; C. de rei vend., indicia; et C. qui pot. in pign. hab., scripturas. Item contra, quia fides instrumentorum praevalet testibus, ff. de probation., Celsus; et ff. de probation., cum de indebito § ulti.; et C. si min. se maior. dix., si alterius, in fi.; et C. arb. tut., veteris. Super hoc potest dici, quod si in modum exceptionis obiiciatur falsitas instrumento, vel quod sub conditione debuit fieri, vel defectus, vel quod plus contineatur ibi quam dictum fuerit, vel consimile vel etiam falsitas, bene potest hoc probari per testes et praevalebunt testes, infra, de testib., ex tenore; et C. de contrah. et comm. stip., optimam; infra, de fide instrum., cum Ioannes; arg. C. de probation., cum precibus, et hic. Et illud quod dicitur, aequalem vim habent in causis testes et instrumenta, illud verum est quando ab eadem parte inducuntur, quia tam per testes quam per instrumenta probat quis suam intentionem. Sed si ex una parte inducuntur testes et ex alia parte instrumenta contra testes, tunc considerabit iudex naturam negotii et qualitatem. Nam quaedam sunt quae melius probantur per testes quam per instrumenta, quaedam econtrario melius per instrumenta quam per testes, ut arbitria et sententia et processus aliquis, arg. infra, de probat., quoniam. Item considerabit iudex utrum factum sit antiquum vel propinquum. In antiquis enim magis credendum est instrumentis, quia memoria hominum labilis est, infra, ut eccl. ben., ut nostrum. Si sit novum potius testibus creditur, arg. ad hoc ff. de probation., si arbiter; et ff. de probation., Celsus; et infra, de probat., cum causam. Quia testes consueverunt fidem suam variare ex temporis diuturnitate, ff. de Carb., Carbonianum § duae; et ff. de damn. infect., qui bona § ulti., alias est lex, et incipit ff. de damn. infect., in causae. Et quod dixi quod contra instrumenta testes recipiuntur, illud intelligendum est quod per bonos testes et idoneos sine suspicione, nec videtur quod tunc sufficiant duo vel tres testes, immo plures ad minus quatuor. Tabellio enim aequivalet uni testi et plus, et instrumentum duobus ad

minus, arg. infra, de fide instrum., cum Ioannes, quia duo testes ad minus in instrumento scripti esse debent, quia in ore duorum vel trium etc., infra, de testib., in omni; et infra, de testib., licet universis; et 4. q. 3, si testes § ubi numerus. Et sic per plures et honestiores debet fieri talis reprobatio, arg. infra, de testib., in nostra. Quandoque tamen contra instrumentum non admittuntur testes, ut contra inventarium publice factum, ut in lege praedicta C. arb. tut., veteris. Et in alio casu fallit in confessione quae fit a muliere, et in instrumento quo confitetur se recepisse pecuniam pro intercessione, C. ad Velleia., antiquae.

X 2.19.06 *Iuravit quidam*

Partibus
Sic patet quod publicatis attestationibus super eodem articulo non sunt testes ulterius in contrarium admittendi, nec etiam alii testes ad idem probandum, infra, de testib., fraternitatis. Nam ante aperturam testium utraque pars suos testes debet inducere super eodem articulo. Secus si super alio vel super novo pendente ex priori. Tunc bene admittuntur, ut in dicto capitulo infra, de testib., fraternitatis; et infra, de fide instrum., cum Ioannes. Item signatur contra infra, de testib., series; et infra, de testib., cum in tua, in fi.; et infra, de probat., causam matrimonii, ubi publicatis attestationibus recipiuntur testes ad reprobandam consanguinitatem, et hic non recipiuntur. Audivi Vincen. dicentem quod illa non tenebat. Dicit enim quod testibus publicatis numquam sunt super eodem articulo sive ab eo qui illos induxit sive ab alia parte testes ulterius inducendi. Et idem mihi videtur. Potest dici super isto contrario, quod illa decretalis infra, de testib., series, loquitur in matrimonio iam contracto, unde admittuntur ibi testes in favorem matrimonii ad ostendum quod non sit ibi consanguinitas. Unde strictius est ibi agendum quod tolerabilius est aliquos contra statuta hominum etc., infra, de testib., licet ex quadam. Haec decretalis loquitur in contrahendo, unde hic nullum periculum est super prohibitione istorum ne coniungantur. Unde ante aperturam priorum debuit probari in contrarium, sed in separatione matrimonii iam contracti potest esse periculum, quare ibi admittuntur etiam post sententiam, quia sententia contra matrimonium lata non transit in rem iudiciatam, et revocatur falsitate probata, infra, de re iudic., lator; et infra, de re iudic., consanguinei. Multo fortius debet audiri ante sententiam. Assignare potes aliam rationem, ut non sit contra illud quod dictum est, testibus publicatis non sunt alii inducendi. In decretali infra, de testib., series, ideo admittuntur testes post publicationem, quia ante publicationem ignorabat pars illa quae petiit hoc, quae personae positae fuissent in primo gradu, et ideo post publicationem admittuntur, alias non deberent admitti. Sed certe adhuc non videtur ratio ista sufficiens, quia pars illa quae accusabat matrimonium dixit illos consanguineos. Sed hoc potuit scire altera pars, et sic cessat ratio illa. Propter hoc dicunt quidam, quod speciale est in causa matrimonii. Ad hoc praestat optimum arg. infra, de probat., causam matrimonii. Sed contrarium illius decretalis infra, de testib., series, solvitur ibi. Vel dic quod unus tantum hoc iurare volebat, et probatio unius insufficiens est. Et ideo non auditur contra plures maxime, et sic contradicit illa decretalis infra, de testib., series. Et hoc colligitur aperte ex antiqua decretali. Sed compositores huiusmodi compilationis voluerunt hoc mutare quod de iuramento unius dicebatur, quia illud nullam habet dubitationem.

X 2.19.07 *Post cessionem*

Litteras iudicis ordinarii
Ex hoc videtur quod litteris episcopi creditur tamquam publico instrumento, et quod sigillo episcopi creditur, licet non adsit sigillum capituli, 19. q. 3, statuimus; et 11. q. 3, curae; 18. dist., de conciliis; infra, de fideiuss., pervenit; et infra, de fide instrum., scripta; et 20. q. 1, vidua. Nam creditur litteris episcopi sigillatis sigillo ecclesiae, 73. dist., in nomine Domini, in fi. Et sigillum alieni iudicis fidem facit, 98. dist., nullus; et 98. dist., transmarinos. Et alieno annullo signari potest testamentum, Inst. de testam. ordin. § possunt; et C. de testament., si unus. Et instrumentis regis sive principis fides adhibetur, infra, de fide instrum., cum dilectus. Sed contra videtur, quia viva vox potior est quam mortua, in Auth. de fid. instrum. § si vero, coll. 6. Sed verbo episcopi non creditur, 6. q. 2, si tantum; et 6. q. 2, placuit; et infra, de probat., quoniam, ergo multo minus litteris eius. Nec Papa ei credit, si dixit se excommunicasse alium, infra, de testib., cum tu. Quandoque enim eulogia ex mala fide scribuntur, ff. de cust. reo., divus. Nec scripturae tabellionis creditur nisi habeat testium subscriptionem, ut in Auth. de hered. et Falc. § hinc nobis, coll. 1; et supra, de procurat., alia; et infra, de fide instrum., scripta; et in Auth. de fid. instrum. § sed et si instrumenta, coll. 6; et in Auth. de fid. instrum. § si quis igitur, coll. 6. Hug. dicit quod semper statur sigillo episcopi, quia vicem habet publici instrumenti per iura praedicta. Alii dicunt quod non creditur chartae vel instrumento episcopi, nisi sit redactum in publicam formam, in Auth. ut nulli iudic. lic. hab. § si quis vero, coll. 9; et C. de donation., in donationibus; infra, de fide instrum., inter dilectos. Vel saltem non est credendum nisi habeat subscriptionem testium, si non sit ibi usus tabellionum, 16. q. 3, placuit § potest, vers. is autem, in fi. Dicas quod hodie circa iudicia non creditur verbo episcopi sive alterius iudicis sive litteris suis, nisi habeat testium subscriptionem vel quatenus constat legitimis documentis, infra, de probat., quoniam; et infra, de testib., cum a nobis. Circa alia vero quae in figura iudicii ordinarii non facit episcopus. Bene creditur litteris eius litteris secundum quod dicit hic, et 11. q. 3, curae. Praecipue in sententia excommunicationis standum est litteris episcopi, quia excommunicationis sententia lata a iudice suo sive sit iusta sive iniusta tenet, 11. q. 3, sententia pastoris; et 11. q. 3, si quis a proprio. Et ideo litteris cuiuslibet praelati creditur, et alii tenentur illum vitare, ut in capitulo 11. q. 3, curae, quia in hoc consulitur animae, cum sit medicinalis, 2. q. 1, multi; et infra, de sent. excom., extravag. cum medicinalis.

Excommunicatus erat
Et ita tempus procurationis factae attendendum est sicut tempus electionis, supra, de elect., dudum ad audientiam, ubi plura sunt argumenta de tempore inspiciendo. Et est arg. quod excommunicatus ad impetrandum non est admittendus. Et si impetraret, non valerent litterae si postea probaretur excommunicatus. Ber.

X 2.19.08 *In praesentia*

Absque liberis
Similis substitutio habetur infra, de testamen., Raynutius; et infra, de testamen., Raynaldus. Unde nota quod cum talis conditio apponitur: si sine liberis decedat, volo ut hereditas perveniat ad talem, etiam si naturales habeat filios, evanescit substitutio, ff. ad

Trebel., ex facto § si quis rogatus; et ff. de leg. 2, cum pater § volo; ff. de leg. 2, Lucius § ulti. Item si filius fuerit natus et ille praemoriatur, videtur sine liberis decessisse, infra, de testamen., Raynutius; et ff. ad Trebel., ex facto § penulti. Si autem dicatur: si sine herede decesseris, substituo talem nomine heredis, soli filii intelliguntur, ff. ad Trebel., ex facto § ulti. Item si non habeat filium sed habeat nepotem ex filio, substitutio evanescit, C. de condi. insert., cum patrem; et C. de insti. sub cond. fac., generaliter. Et hic scias quod qui rogatur restituere hereditatem alii, nil potest alienare, C. commun. de legat., si duobus, nisi in casibus qui notantur in authentica ibi posita C. commun. de legat., authen. res quae. Quartam tamen per Trebellianum potest retinere sibi, et si filius sit rogatus, etiam Falcidiam cum quarta potest retinere, infra, de testamen., Raynutius; et infra, de testamen., Raynaldus, ubi utraque quarta retinetur. Si vero rogatus est restituere quicquid superest de hereditate, tunc ad minus quartam reservabit substituto, C. ad Trebel., authen. si rogati. Item licet pure quis rogatus sit alicui restituere hereditatem nulla facta mentione de filiis, si tamen postea habuerit filios vel nepotes, substitutio evanescit, C. de fideicomm., cum acutissimi; C. de insti. sub cond. fac., generaliter; ff. de condi. et demon., cum avus. Io.

Se et sua

Ista duo requirebantur, quia sua sine seipso donare non poterat, quia illa restituere tenebatur. Et licet dominus sit, tamen commode inde testari non potest, C. commun. de legat., si duobus; ff. ad Trebel., quidam § si quis filium.

Secundae

Nota quod praesumitur maior, nisi probetur minor, C. de in int. restit. min. vig. qui. ann., si minorem; ff. de iureiuran., nam postea § si minor. Ber.

Verbum dubium

Sed nonne verbum dubium in iudicio interpretandum est contra reum, ff. de ver. oblig., inter stipulantem § 1; ff. de iud., si quis intentione; ff. de regul. iur., in ambiguis; et supra, de rescript., cum adeo? Sed istud est hodie propter religionem, pro qua multa statuta sunt, ff. de rel. et sump. fun., sunt personae. Sicut quandoque propter dotem, ff. de iure dot., in ambiguis. Vel istud non fuit verbum actoris sed testium. Et est arg. quod verbum testis ambiguum pro reo sit interpretandum, ut hic, et supra, de probat., ex litteris; et infra, de fide instrum., inter dilectos, in fi. Et est notabile quod dictum testis dubium semper contra eum qui produxit est interpretandum. Et est ratio quia qui probat, clare et aperte debet probare. Quod si non faciat, non prodest talis obscura probatio, infra, de testib., cum tu. Unde reus absolvitur, ut ibi et hic. Sed quare non quaeritur secundo de aetate a teste, ut certificetur iudex saltem. Sed certe iudex qui testem ipsum examinaverat, debuit quaerere ab ipso, et etiam post aperturam testium ex officio suo potest quaerere interpretationem a teste sui dicti, cum ipse debeat interrogare quotiescumque necesse fuerit, ff. de interrog. act., ubicumque. Et cuncta rimari, 30. q. 5, iudicantem; et infra, de fide instrum., cum Ioannes. Et est expressum quod testis qui confuse dixit testimonium iterum sit examinandus, infra, de testib., cum clamor. Sed ad petitionem partis non debet hoc facere, et hoc propter periculum subornationis.

Firmata
Unde contra proprium iuramentum etiam non debet audiri, C. si adv. vend., si post decretum; et C. si adv. donat., si quae res; et in constitutione Friderici, sacramenta puberum. Ber.

Qui monasterium instituit
Ingressus monasterium fingitur habere heredem, cum rogatus est restituere privato, vel cum ei privatus est substitutus. Si autem rogatus est restituere loco religioso vel ecclesiae vel expendere in pias causas, non evanescit substitutio per ingressum monasterii, in Auth. de sanct. episc. § sed haec praesenti, coll. 9, unde sumptum fuit illud authenicum, C. ad Trebel., authen. nisi rogati. Si vero ille qui rogatus est restituere hereditatem vel legatum fiat clericus, exiguntur duo, scilicet ut substitutio evanescat, ut perpetuo etiam maneat in ecclesia, et relictum expendatur in pias causas, ut in praedicto authentico dicitur per ingressum monasterii substitutio evanescit, ita quod teneat monachatus, alias non evanescit substitutio nisi fiat monachus. Sed quid si tradit se et sua alicui ecclesiae saeculari, numquid evanescit substitutio? Arg. praedicti authentici videtur quod sic favore ecclesiae, nec credo quod evanescat nisi in casu praedicti authentici, nec extendo ad alium casum, licet quidam dicant contra. Ber.

X 2.19.09 *Licet causam*

Et infra
Sub isto infra fuit lis contestata coram domino Papa, ut supra, de iuram. calumn., cum causam, cuius pars haec est. Et commissa fuit receptio testium iudicibus, et testibus receptis remiserunt ad Papam depositiones eorum, infra, de testib., cum causam quae.

Trium mensium
Nota quod iudex ex officio suo potest praefigere terminum productioni testium, infra, de testib., in nomine. Item ad exceptiones, infra, de except., pastoralis. Item ad accusationem matrimonii, infra, de clan. despon., cum inhibitio. Item ad accusandum, infra, de accusat., licet; et C. qui accus. non poss., si ea quae; et infra, de fide instrum., accepimus. Item ubi impeditur status alicuius, C. de ing. manum., diffamari. Io.

Opponi
Sic supra, de procurat., in nostra; et C. ad leg. Corn. de fals., querelam. Distinguitur tamen quia aut quaestio de falsa mota fuit in iudicio aut non. Si fuerit mota, numquam postea praetextu falsi retractatur sententia, C. si ex fals. inst. vel test., si tabulas; et C. si ex fals. inst. vel test., et qui, in fi. Nisi appellatum sit, tunc enim potest opponi in causa appellationis, C. de fid. instrum., cum quidam, in fi. Et testes possunt produci, C. de temp. appel., per hanc, in fi. Sed si numquam fuit quaestio falsi mota, licet tunc non sit appellatum, non tamen transit in rem iudicatam usque ad viginti annos, C. ad leg. Corn. de fals., querelam; et infra, de except., cum venerabilis. Et nota quod secundum quosdam non sufficit probare testes esse falsos, nisi probentur corrupti, arg. ff. de re iud., divus, quae loquitur in eodem casu cum hac decretali. Alii probabilius dicunt, ut Bazian., quod sicut sufficit probare instrumentum esse falsum, C. si ex fals. inst. vel test., falsam; et C. si ex fals. inst. vel test., iudicati, sic et testes, cum habeant hinc inde parem vim, C. de

transaction., si ex falsis. Sed numquid sufficit probare testes esse corruptos? Arg. quod sic, 2. q. 6, ei qui § diffinitiva, vers. venales; C. quan. pro. non est nec., venales; et infra, de testib., sicut. Econtra videtur quod non, quia non sufficit probare corruptionem, nisi et iudex secutus fuerit dicta corruptorum testium, infra, de re iudic., cum I et A; C. si ex fals. inst. vel test., falsam. Similiter non sufficit probare falsitatem nisi probetur iudicem secutum fuisse illam, ut patet per praedicta iura. Item nota quod sententia quae lata est per falsos testes vel per falsa instrumenta bene tenet, sed retractanda est, ff. de re iud., divus. Et potest retractari per in integrum restitutionem usque ad quadriennium implorato iudicis officio, vel per actionem in factum usque ad triginta annos, vel si criminaliter agatur usque ad viginti annos, C. ad leg. Corn. de fals., querelam; infra, de except., cum venerabilis.

Malitiam
Si de hoc constaret, condemnari deberent ad expensas, supra, de dolo et contu., finem, ubi de hoc.

Circumstantiis
Sic infra, de testib., cum causam quae; et 3. q. 9, nihilominus, arg.; et 4. q. 3, testes.

Reprobationem
Nota quod possum reprobare testes adversarii mei. Et tres probationes possunt fieri et non ultra, infra, de testib., licet dilectus.

Contradicant
Unde non valent, 3. q. 9, nihilominus; et 4. q. 3, si testes § item qui falsa; et infra, de appell., sollicitudinem; 23. q. 7, quod autem; et C. de liber. caus., cum precum.

Singulares
Sic supra, de elect., bonae 1; et infra, de accusat., cum dilectus.

Expresse
Criminibus expresse non probatis.

Opinionis
Quod constitit per attestationes ex parte archiepiscopi exhibitas contra illos, ut supra dixi. Et ille etiam qui examinat testes, debet significare iudici quanta fides sit testibus adhibenda, ff. de testi., testium; et infra, de fideiuss., constitutus.

Modica
Non tamen ex toto nulla, infra, de simon., per tuas 1, quae tamen in alio casu loquitur.

Testes
Qui inducti sunt ad falsitatem probandam.

Se adstrinxit

Sic videtur quod si aliquis se adstringat ad duo probanda, quorum alterum per se sufficeret, quod tunc non sufficit probare unum, nisi impleverit intentionem suam ad quam se obligavit, C. de rei vend., res alienas; arg. supra, de caus. poss. et propr., cum ecclesia; et ff. de excusat., qui testamento. Arg. contra infra, de appell., significavit, in fi.; infra, de praeben., cum iamdudum; et arg. ad hoc ff. de condi. et demon., falsa. Et ex eo quod dicit adstringit, videtur expressum quod sufficeret alterum probare, nisi specialiter se obligasset, quod verum est, ut supra dictum est. Placen. fuit in contraria opinione. Sed quomodo potest probare testes falsum dixisse? Respondeo indirecte exemplum patet infra, de testib., ex tenore; et infra, de testib., series; et C. de contrah. et comm. stip., optimam. Vel potest probare per alios testes quod corrupti fuerint pretium inde recipiendo. Sed ponamus quod probatum a parte fuit alterum istorum tantum, numquid iudex sententiabit ad dictum ipsorum qui falsum testimonium obtulerunt, nec alii testes adsint quorum testimonium sequatur iudex? Satis videtur quod sic ex eo quod dicit, et sibi imputet quod ad utrumque se obligavit, quia per hoc voluit fidem adhibere falsis vel corruptis obligando se ad utrumque. Secus crederem si alicui obiicerentur plura crimina, ut ab ecclesia repellatur sub hac forma, quia iudex sibi ex officio posset illum repellere, cui probatum esse furtum vel homicidium, licet aliud crimen non probetur, dum tamen utrumque per se sufficiat ad privationem, quia crimina undecumque claruerint, punienda sunt, 24. q. 3, ecce. De hoc dixi supra, de rescript., ex parte Conventrensis.

Eodem modo

Bene dicit eodem modo, ff. de acq. poss., possideri § econtrario. Nam unus potest habere civilem et alius naturalem possessionem, ff. de preca., et habet § eum qui. Sic ff. commodat., si ut certo § ulti. Sed contra ff. uti poss., si duo, in princ., ubi dicitur quod unus iustam habet possessionem et aliud iniustam, ut ff. qui satisda. cog., sciendum § si fundus; et ff. de iure dot., quamvis; et C. de iure dot., in rebus. Ex quibus colligitur quod maritus est dominus rerum dotalium et uxor similiter. Hic verbum eodem modo solvit contrarietatem.

Titulum

Sed quare tenentur isti ostendere titulum, cum probent se possedisse et possessor non compellitur dicere titulum suae possessionis, 2. q. 5 § deficientibus; et 6. q. 5, accusator? Propter hoc dicunt quidam, quod ubi possessor petit se non inquietari, debet probare titulum, arg. infra, de praescrip., si diligenti; et infra, de decim., dudum; et C. de praescri. long. temp. dec., diutina. Sed hoc non est verum. Ad hoc enim valet assignare titulum, cum agitur interdicto uti possidetis, ut per hoc videatur habere potiora iura. Quia qui potiora iura habet, obtinet in hoc interdicto. Cum enim habeat titulum, patet quod nec vi nec clam nec precario possidet, unde obtinebit, Inst. de interdic. § retinendae. Verumtamen in hoc interdicto non est necesse probare quod quis iuste possideat, sed sufficit quod nec vi nec clam nec precario ab adversario possideat, ff. uti poss., si duo, in princ.; et ff. uti poss., iusta. Hoc autem quod nec vi nec clam nec precario etc., ad tempus litis contestatae referendum est, Inst. de interdic. § hodie.

Occupasse
Et ideo praescribere non potuerunt, quia in occupatis et invasis non currit praescriptio, 93. dist., illud; et 16. q. 3, licet; et infra, de praescrip., quoniam.

A vi turbativa
Nota quod multiplex est vis de quibus dicitur, supra, de his quae vi met. caus. fi., ad audientiam, et ibi videas. Dicitur tamen vis turbativa quando turbatur possessio et in dubium revocatur quis possideat. Et illa spectat ad interdictum uti possidetis et in rebus immobilibus vel ad interdictum utrobi in rebus mobilibus tantum.

Uti possidetis
Quandoque tamen locus est huic interdicto in casu ubi unus possidet et alter inquietat eum in possessione. Non tamen iudex debet pronunciare: uti possidetis, ita possideatis, sed ne inquietet possessorem, ff. uti poss., ait praetor, si duo § 2. In casibus vero vincit uterque, scilicet ubi redditur inter duos possidentes, unum civiliter alterum naturaliter, ut fructuarius et proprietarius, et neuter possidet ab alio vi vel clam vel precario. Et tunc debet iudex pronunciare uti possidetis, ita possideatis. Non tamen ita confuse sub illis verbis: uti possidetis etc., quia sic daret gladium utrique parti, sed debet examinare qualitates possessionum et probationum et distinguere eas in sententia sua sic: probasti te habere possessionem proprietatis civilem, et ego pronuncio te ita possidere, uti possides. Et tu probasti te esse in possessione ususfructus naturalis, et ego pronuncio te possidere usufructuarium, id est, uti possides, et ita possideas, arg. Inst. de action. § curare. Si autem non liqueat ei de qualitatibus possessionum, non ferat sententiam. Unde si uterque dicit se insolidum possidere naturaliter et civiliter, et uterque probat, si etiam unus probat melius, iudex proferat pro eo sententiam arg. hic. Si vero probationes pares sint, videtur innuere littera ista, quod iudex ita debeat probare uti possidetis, ita possideatis, ut dicunt quidam. Sed non videtur hoc habere rationem, quia sic quod impossibile est probaverunt, scilicet utrumque insolidum possidere, ut hic, et ff. de preca., duo; ff. de acq. poss., possideri § econtrario. Ergo cum non sit maior ratio quare unus possideat magis quam alter, non constat ei quis possideat. Supersedeat itaque, quia de re incerta non potest certa sententia ferri, 33. dist., habuisse; et 11. q. 3, grave; et ff. de re iud., si unus ex pluribus. Quia non liquet ei de causa, ne eius sententia contineat impossibilitatem, per sententiam enim debet ius declarari, ff. si serv. vend., sicut § sed si quaeritur. Sed per talem sententiam nulla fit declaratio. Et hoc verum est nisi unus ostendat titulum, sicut hic dicitur. Quia sententiandum est pro eo qui habet titulum. Item si constat quis primum ad iudicem provocavit, contra eum debet sententiari ubi probationes omnino sunt pares, supra, de probat., ex litteris; et infra, de fide instrum., inter dilectos, in fi. Ubi nullus ostendit titulum vel uterque et omnino sunt aequales probationes, nec appareat quis ad iudicium provocavit, sorte dirimatur, ff. de iud., sed cum ambo; ff. fam. ercis., si quae sunt § 1; C. commun. de legat., si duobus, in princ.; et 26. q. 2, sors. Item nota quod interdictum uti possidetis possidenti datur et eum tuetur. Datur etiam ad excipiendum, alias actio non datur possessori, ff. uti poss., ait praetor § restituendae; et ff. uti poss., ait praetor § interdictum. Item interdictum hoc uti possidetis locum habet tantum de possessione soli retinenda, ff. uti poss., ait praetor § huius; et Inst. de interdic. § retinendae; et Inst. de interdic. § sed interdicto. Sed interdictum utrobi de rebus mobilibus tantum locum habet et proponitur pro retinenda possessione rei mobilis, cum

possidens inquietatur, ff. utrob., praetor ait; Inst. de interdic. § retinendae; et Inst. de interdic. § sed interdicto. Et componitur utrobi ex utrum et ubi, et ubi ponitur pro apud et utrum pro quem, quasi dicat, apud quem est res mobilis. Item licet dictum sit quod possessori soli detur, hoc interdictum uti possidetis datur etiam pro iuribus incorporalibus et ususfructus, ff. uti poss., in summa; ff. si serv. vend., sicut § Aristo; ff. de servit., quotiens via, et hic. Laur.

Debeamus
Immo debemus dicere: ecclesia Ravennas possideat et commune Faventinae non inquietet, prout sequitur. Et verba edicti pluralia uti possidetis etc., hoc casu resolvuntur in singulare. Ber.

Potiores
Qui potiora iura habet, obtinere debet, C. de edict. div. Had. toll., edicto.

Commune Faventinae
Hic concipitur sententia nomine communis Faventinae et non procuratoris, unde signatur contra infra, de relig. dom., constitutus; et infra, de capell. monach., dilectus; C. de sent. et interloc. om. iud., non videtur; et supra, de elect., querelam. Dic ut ibi dictum est. Vel potest dici quod ecclesia non multum curat de hac solemnitate, quia invenio quod quandoque condemnatur monasterium et non procurator ipsius, supra, de in integ. restit., suscitata; et infra, de censib., sopitae; et infra, de sepult., in nostra.

X 2.19.10 *Per tuas*

Nominatus
Bene dicit nominatus et habitus, nam sola nominatio non facit eum filium, C. de probation., non epistolis; et C. de testament., neque professio; et C. de hered. instit., si pater; et C. de probation., non nudis; et arg. infra, de praesump., illud.

Infirmare
Verba ista sumpta fuerunt ex illa lege C. de non num. pecun., generaliter. Cum enim assertioni coniugum credatur quod aliquis non sit eorum filius, infra, qui fil. sint legit., transmissae, multo fortius creditur eis quod aliquis eorum sit filius, infra, qui fil. sint legit., per tuas; et ff. de probation., etiam. Sed nonne potius praesumendum est pro primo dicto patris, qui primo negavit illum esse filium suum, ut patet in integra, quam pro secundo, cum non sit versimile quod in filium suum tam grave quid dixisse? Arg. infra, de praesump., litteras, ubi non statur secundo iuramento, quod si fuisset filius illius, non potuissent viscera eius non fuisse mota super eo, infra, de praesump., afferte; et 23. q. 4, ea vindicta. Sic et primo dicto testis credi debet et non secundo in contrarium prolato, infra, de testib., cum in tua, arg. Praeterea paternus affectus omnem vincit affectum, C. de curat. fur., cum furiosus. Sed videtur quod potius secundo dicto matris standum est quam primo, quia potius iuramento quam simplici verbo creditur, maxime cum alia praesumptio praecessit quod de alio sit genitus. Sed favore filiationis potius statur communi opinioni et nominationi utriusque parentis.

Consobrinus
Sic patet quod consanguinitas praesumptive probata dissolvit matrimonium. Item propter connexitatem causae sententia lata pro uno praeiudicat aliis, 3. q. 6, hoc quippe; et infra, de accusat., ad petitionem; et 81. dist., tantis. Ber.

X 2.19.11 *Quoniam contra falsam*

Directa probatio
Directa ideo dicit, quia indirecte bene probatur negativa, infra, de testib., ex tenore. De hac tamen materia plene dictum est supra, de elect., bonae 1. Et quae ibi dicta sunt, hic possunt notari, et ideo hic non dicimus. Ber.

Extraordinario
Id est, delegato, 3. q. 3, induciae § spatium, vers. ei autem. Et etiam extraordinarium vocat quando non proceditur in figura iudicii, sed iudex procedit ex officio suo in modum inquisitionis vel denunciationis, infra, de accusat., inquisitionis; et infra, de accusat., super his; et infra, de accusat., qualiter et quando 1; et infra, de accusat., olim, quia ex tunc omnia conscribenda sunt.

Duos viros
Sic ergo videtur quod tabellio aequivaleat duobus, ex quo loco tabellionis adhibentur duo idonei. Alibi videtur quod aequivaleat tribus, 16. q. 3, placuit § potest, vers. is autem. Et sic videtur quod plus credatur scripturae tabellionis quam scripturae episcopi vel alterius iudicis, quia scripturae iudicis non creditur nisi habeat testium subscriptionem, infra, de testib., cum a nobis. Et hoc ideo est, quia cum tabellio iuratus est, credendum est instrumento suo, infra, de praescrip., ad audientiam; et infra, de praesump., illud, in fi. Sic etiam consuetudo regionis habet, ut credatur instrumento principis, infra, de fide instrum., cum dilectus. Et licet circa iudicia credatur scripturae tabellionis, tamen circa contractus non creditur ei nisi habeat testium subscriptionem, in Auth. de hered. et Falc. § sancimus, coll. 1. Ex quo enim scriptura invenitur in actis publicis, licet non habeat testium subscriptionem, creditur ei, arg. 30. q. 1, pervenit; et C. de fid. instrum., authen. ad hoc; et in Auth. de his qui ingred. ad appel. § illud etiam, coll. 5. Et hoc idem colligitur ex hac littera, quia videtur sufficere tabellio. Vel si tabellio haberi non potest, duo idonei viri valent. Nec hic dicitur quod in praesentia testium illud fiat, sed tutius est ut adhibeantur, si adhiberi possunt.

Citationes
Ut per hoc appareat quod perpetuata sit iurisdictio si hoc negaretur, vel revocaretur in dubium, supra, de offi. deleg., gratum; et supra, de offi. deleg., licet. Et sic reus per conventionem solam non posset postea declinare forum transferendo se ad alium locum, supra, de for. compet., proposuisti; et ff. de iud., si quis postea. Sed videtur quod de hoc credendum esset iudici cum nuncio credatur, infra, de appell., cum parati; ff. de reb. eorum qui sub tut., magis § illud; et 65. dist., si forte, in fi. Sed forte hodie non creditur soli nuncio, nisi esset publicus nuncius et iuratus, et talibus nunciis creditur in foro civili secundum consuetudinem Lombardorum. Iure isto videtur quod non sit ei credendum, nisi constet alias legitime.

Dilationes

Quae continere debent quantum spatium contineat unaquaeque dilatio consideratis circumstantiis viarum et temporum, arg. infra, de appell., cum sit Romana; ff. de iud., nonnumquam. Nec prima dilatio debet peremptoria esse, nisi fieret hoc ex causa, supra, de dilat., dilecti. Et ut sciatur quando, quia posset puniri ut contumax, quia excommunicari vel etiam in possessionem mitti non debet, nisi post trinam citationem vel unam peremptoriam, 24. q. 3, de illicita; et infra, de sent. excom., sacro; et ff. de re iud., contumacia. Tamen si ad primam non veniat citationem, condemnabitur alteri parti in expensis in secunda citatione cum venerit, C. de iud., sancimus; et supra, de procurat., querelam, ubi de hoc.

Recusationes

Et sic patet quod iudicis recusatio redigenda est in scriptis, arg. infra, de appell., secundo; et infra, de appell., cum speciali. Et recusatione iudicis proposita non debet postea super principali procedere, donec de ipsa constiterit. Et si iudex non admittat iustam recusationem, cassabitur quicquid postea fecerit, si appellatum fuerit contra hoc, supra, de offi. deleg., super quaestionum, in fi. Quid iuris sit in recusatione dicitur supra, de offi. deleg., suspicionis; et infra, de appell., cum speciali.

Exceptiones

Exceptio enim danda est in scriptis et redigenda in actis. Et hic proprie appellat exceptiones, quae proponuntur contra adversarium vel contra rescriptum, quia specialiter praemisit de recusatione iudicis. Proposita exceptione probabili iudex non debet procedere in quaestione princpali, donec de ipso constiterit, supra, de offi. deleg., prudentiam § sexta. Nec simul de exceptione et princpali quaestione cognoscendum est, quia ordo iuris perverteretur, supra, de iudic., exhibita. Et ex ordine istorum verborum notatur qualiter exceptiones proponantur. Recusatio enim iudicis naturaliter praecedit, et ideo primo proponenda est et expedienda. Et si illa non probetur, proponantur exceptiones postea, et illae coram delegato probari debent, et per ipsum examinari, supra, de rescript., super litteris; et supra, de for. compet., ex parte. Si vero iudex statuat terminum ad omnes exceptiones dilatorias proponendas, quod et facere potest et debet, infra, de except., pastoralis, proponere debes omnes tam contra iudicem quam contra alios, et eis propositis procedetur statim primo loco super iudicis recusatione, pendentibus aliis quousque expedita sit quaestio recusationis, cum illa sit praeiudicalis, quia ea probata aliae postea locum non habent.

Petitiones

Ideo petitio sive libellus dari debet in scriptis, quia secundum formam petitionis formari debet sententia, infra, de simon., licet Heli. Et si inepta fuerit, succumbit, supra, de iudic., examinata. Et ut sciat reus an velit credere vel contendere deliberatione habita, 3. q. 3, offeratur, arg. supra, de dilat., praeterea. Item nisi certa sit petitio, non citabit iudex reum, ut 5. q. 2, si primates; et 3. q. 9, iudicas. Et sic est optimum argumentum quod oblatio libelli sit de substantia iudicii, argumentum optimum supra, de libel. oblat., ignarus, ubi de hoc.

Responsiones
Quae debent fieri ad petitionem actoris iudice interrogante vel etiam actore, ut apparet lite contestata, quae fit tantum per petitionem et directam responsionem ad eam, supra, de litis contest., olim; et supra, de elect., dudum ecclesia. Qua omissa licet positiones factae fuissent et responsiones, non tamen valebit iudicium, ut ibi.

Interrogationes
Id est, positiones, quia actor ponere debet id super quo intendit habere confessionem rei, et sic ponit talis syndicus hoc, dum tamen faciat ad instructionem causae, et reus debet respondere, credo vel non credo, si iuratum est de calumnia. Si iuratum est solummodo de veritate dicenda, debet simpliciter respondere sic vel non, concedo vel nego. Et per positiones has et responsiones non fit litis contestatio, ut dictum est. Et sic differentia est inter responsionem quae fit per litis contestationem, et quae fit postea per positionem actoris, ut hic patet. Vel ponuntur proprie interrogationes quae fiunt a iudice ex officio, quia quotiens aequitas ipsum movet, potest interrogare partes, ff. de interrog. act., ubicumque; et 30. q. 5, iudicantem. Et etiam postquam conclusum est in causa, infra, de fide instrum., cum Ioannes. Et etiam pars potest interrogare et valet responsio, supra, de dolo et contu., prout; ff. de interrog. act., si sine § 1. Et advocatus potest interrogare, ff. de adulter., si postulaverit § quaestioni.

Confessiones
Et taciturnitas etiam scribi debet, puta interrogatus noluit respondere. Talis taciturnitas pro confessione habetur, ff. de interrog. act., de aetate § nihil interest. Et est arg. 65. dist., et si forte; et 54. dist., si servus. Et huiusmodi confessiones factae ad petitionem actoris vel iudicis, et etiam partis possunt revocari, quae fiunt post litem contestatam, si quis probaverit se errasse, supra, de confess., ex parte, ubi de hoc.

Instrumentorum productiones
Scilicet ut sciatur utrum exhibitum sit tempore competenti. Nam postquam conclusum fuerit in causa, produci non poterit, infra, de fide instrum., cum dilectus. Ber.

Interlocutiones
Licet sit scribenda sententia interlocutoria, non tamen dicitur quod proferenda sit in scriptis. Sed sufficit quod scripta sit in actis. Aliud consuevit dici de sententia diffinitiva, quae nisi sit lata in scriptis, nec nomen sententiae habere meretur, 2. q. 1, in primis, vers. sed et de personis. An transeat interlocutoria in rem iudicatam, dicitur infra, de appell., cum cessante.

Appellationes
Ut sciatur an infra decem dies sit appellatum, quia postea non valeret appellatio, 2. q. 6, anteriorum § biduum.

Renunciationes
Postquam renunciatum est et conclusum, in causa nulla admittitur exceptio vel allegatio vel instrumentum, C. de compensat., compensationes, arg. lex ad hoc; infra, de testib., de testibus; et infra, de fide instrum., cum dilectus; et supra, de caus. poss. et propr.,

pastoralis, nisi evidens ratio moveat iudicem, ut in decretali supra, de caus. poss. et propr., pastoralis.

Tempora
In quo loco facta sint, et quo die, et mense, et quo anno domini. Omnia ista debent scribi in omnibus supradictis, et huiusmodi instrumenta sive processus communia sunt, et utrique parti cum die et consule integraliter sunt edenda, ut infra dicitur. Alioquin si non edantur ea quae communia sunt, licite appellatur, infra, de fide instrum., G perpetuus; et C. ut lit. pend. vel post prov., licet; C. de edend., is apud quem. Et rescriptum Papae integrum debet edi, arg. supra, de dilat., praeterea; et supra, de rescript., eam te; et supra, de rescript., constitutus; et infra, de fide instrum., ex litteris. Idem est in omnibus communibus instrumentis, secus in propriis privilegiis, infra, de fide instrum., contingit; ff. de edend., qua quisque § editiones. Nisi adversarius illud vellet probare falsum, infra, de fide instrum., inter dilectos; C. de contrah. et comm. stip., optimam.

Negligentiam
Si culpa vel negligentia iudicis pars aliqua damnum incurrat, iudex totum resarciet, infra, de sent. excom., sacro; C. de testi., si quando, in fi.; de iud., sancimus, in fi. Et iudex qui negligit iustitiam facere, litem facit suam, 23. q. 2, dominus noster. Item etsi per iniuriam iudicis facta est, infra, de empt. et vend., si venditori; et C. de evict., emptor fundi.

Praesumatur
Sed numquid correcta sunt iura, quae dicunt quod semper praesumitur pro his quae a iudice facta sunt, supra, de elect., bonae 1; et supra, de renunciat., in praesentia; et supra, de probat., post cessionem; et infra, de re iudic., sicut; et Inst. de fideiussor. § in stipulationibus; et 2. q. 6, hoc etiam placuit, arg. Dixit Io. super hoc quod semper creditur sententiae iudicis ubi constat de processu causae. Sed ubi revocatur in dubium de processu iudicis non est praesumendum pro iusto ordine, nisi probetur per acta. Nam et victores non aliter potientur sententiis, nisi eas ostenderent recte latas, in Auth. de his qui ingred. ad appel. § si illud, coll. 5. Si acta sunt perdita, probetur perditio et sufficit, vel etiam processus probetur per testes, arg. infra, de privileg., cum olim essemus; et infra, de testib., Albericus; et infra, de re iudic., sicut; et C. de testament., publicati. Tamen si episcopus denunciet aliquem excommunicatum, standum est sententiae suae, licet non adsit subscriptio testium, 11. q. 3, curae; et supra, de probat., post cessionem, ubi de hoc. Si tamen dicat se inordinate vel iniuste excommunicatum, iudex aut etiam adversarius debet ostendere quod debito modo excommunicatus est, infra, de sent. excom., sacro, in princ. Sed pone quod personae illae quae debent acta conscribere, appareant subscripsisse omnibus actis, numquid praesumitur in tantum pro eis, ut in contrarium probari non possit? Dico quod admittitur probatio in contrarium, supra, de probat., post cessionem; et infra, de testib., cum a nobis, quia etiam contra instrumentum quantumcumque publicum sit, recipiuntur testes, C. de probation., cum precibus; et infra, de fide instrum., cum Ioannes. Nam et partes possunt contradicere actis, C. de relat., si quis; et 2. q. 6 § biduum, vers. verendum est etc. Et bene contradicere possunt, quia quandoque compertum est eulogia ex mala fide scribi, ut ff. de cust. reo., divus; arg. infra, de accusat., cum dilectus. Et hoc verum est dummodo per plures et meliores probetur contrarium. De hoc dictum est supra eodem capitulo. Tertio ex ordine

verborum istius decretalis debes colligere qualiter iudex debeat procedere in negotio alicuius causae a principio usque ad finem, quia primo loco debet citare, et ita per ordinem, ut littera dicit, procedere debet. Inno. iiii dicit quod si sententia lata est utraque parte praesente vel procuratoribus partium a qua non est appellatum, et sententia in scriptis appareat, in tantum praesumitur pro ipsa, quod si aliqua partium vellet eam impugnare ratione processus non debet audiri, quia praesumendum est quod omnia sint legitime acta ex quo tempore sententiae nihil dixit nec appellavit. Tamen credo si sententia detur, quod taciturnitas partium non possit facere sententiam aliquam, quae nulla est, ut si lis contestata non sit, aut si die feriata esset lis contestata. Ber.

X 2.19.12 *Ad nostram noveritis*

Quoquo modo
Id est, per viles et criminosos et sibi similes, quod esse non debet, immo debent esse bonae famae et opinionis, infra, de purg. can., constitutus.

Omni iuri
Et vere, quia accusatoribus et testibus comparentibus audienda est accusatio, ut infra, de accusat., licet; et infra, de accusat., veniens; et infra, de accusat., quasi per totum. Ergo contrarium erat iuri quod purgatio admittebatur super his quae legitime probari poterant contra illos, quae tunc demum admitti debet cum aliquis infamatus est, et nullus apparet accusator, infra, de simon., de hoc; et infra, de purg. can., nos inter; et infra, de purg. can., ex tuarum; et infra, de purg. can., cum dilectus; et 15. q. 5, de crimine; et 2. q. 5, omnibus; et infra, de accusat., accedens, et quia lex illa est contraria omni iuri. Est quam citius extirpanda, 8. dist., mala consuetudo. Lex autem debet esse honesta, 4. dist., erit autem. Item contraria erat iuri, quia negantis factum nulla est directa probatio, supra, de probat., quoniam; et supra, de elect., bonae 1; C. de probation., actor; et 6. q. 5, accusator. De hac negativa dictum est supra, de elect., bonae 1.

Affirmativa
Illa enim primo probari debet, quia ei qui dicit incumbit probatio, ff. de probation., ei incumbit. Tamen si postea probato crimine vellet reus probare negativam indirecte, audiretur, infra, de testib., ex tenore; et infra, de testib., series. Sed contra probationem testium non admittitur purgatio, ut hic patet. Ber.

X 2.19.13 *Cum causam quae*

Per libros antiquos
Nota ergo quod scriptura antiquorum librorum facit fidem, infra, de praescrip., ad audientiam. Item creditur instrumento producto ex archivo publico, etiam si subscriptionem non habeat, 30. q. 1, pervenit; et in Auth. de his qui ingred. ad appel. § illud, coll. 5; et C. de fid. instrum., authen. ad hoc; et supra, de in integ. restit., tum ex litteris; et ff. de probation., census; et C. arb. tut., veteris; et C. qui pot. in pign. hab., scripturas. Item si reperiatur scriptura in aliqua columna vel lapide, ei statur, 24. q. 2, sane. Item scripturae quae olim fiebat in albo praetoris, fides adhibebatur, ff. de iuris., si quis id; et ff. de alb. scrib., decuriones; et ff. de alb. scrib., in albo.

Testes famam
Per testes enim antiquos utriusque parochiae probatur huiusmodi divisio, 16. q. 1, plures. Et rusticis senibus praecipue in antiquis creditur, ff. de leg. 3, si chorus. Et fama in talibus praecipue valet quorum memoria non habetur, ff. de probation., si arbiter; ff. de aqua pluv. arc., in summa § item Labeo. Per se tamen si alia adminicula adsint, non probat, 3. q. 3, si testes § saepe etiam sine; et ff. de testi., testium § quae argumenta; et infra, de praesump., illud; 35. q. 6, si duo.

Adminicula
Adminicula ergo etsi per se non probant, tamen adiuvant, infra, de simon., per tuas 1; et infra, de succ. ab intest., cum dilectus; et infra, de testib., praeterea; et infra, de praesump., litteris; et infra, de praesump., ex studiis. Et sic est arg. quod quae non prosunt singula, multa iuvant, C. de testament., sancimus; et ff. ex quib. cau. maio., necnon § si quis saepius. Et indicia enim probant, C. de rei vend., indicia. Ber.

X 2.19.14 *Causam matrimonii*

Ponatis
Sed quare non restituitur mulier viro suo, si habuit possessionem illius, supra, de restit. spol., ex conquestione; et supra, de restit. spol., ex transmissa; et supra, de restit. spol., litteras; et infra, de rapt., cum causam? Hoc ideo fuit quia illa dicebat se virginem esse. Et super hoc induxit mulieres ad probandum virginitatem. Quod si verum esset, tenebat monachatus, unde non debuit sibi restitui, ne ab eo corrumperetur, arg. infra, de spons., cum locum. Et est casus iste qui impedit restitutionem, unde ponenda est in eodem monasterio quousque plene constet de causa, ne posset pati aliquam violentiam, quia iudex hoc providere debet, 33. q. 2, sive de coniugii foedere; et 3. q. 9, hortamur; ff. de reb. dub., ubi; et supra, de restit. spol., ex transmissa; et supra, de restit. spol., litteras; et infra, de appell., ex parte 1.

Mulieres
Vir volebat reprobare mulieres illas, quae illam inspexerant, quod erant malae famae et criminosae, cum illae debeant esse providae et honestae ac peritae in facto illo, infra, de frig. et malef., fraternitatis; et ff. de ven. inspic., temporibus. Haec enim probatio confessioni viri praefertur, supra, de probat., proposuisti. Alias enim statur confessioni viri dicentis se cognovisse uxorem, infra, de despon. impub., continebatur; et 33. q. 1, si quis acceperit. Quandoque tamen oculus obstetricum fallitur, ut hic dicit, et 27. q. 1, nec aliqua.

Pars
Nota quod omnia quae contingunt causam et per quae possit melius instrui, sunt inquirenda, sic supra, de iudic., exhibita; et supra, de elect., scriptum; et supra, de probat., cum causam. Et nota hic argumentum quod in causa matrimonii apertis attestationibus adhuc alii testes sunt inducendi, quia inductae hic fuerunt mulieres, et adhuc aliae inducuntur, ut sequitur. Ad idem inducuntur infra, de spons., sicut; et infra, de cons. et affin., ex litteris; et infra, de testib., series. Quia sententia contra matrimonium lata non

transit in rem iudicatam, infra, de re iudic., lator; et infra, de re iudic., consanguinei. Arg. contra supra, de probat., iuravit.

Virginitatis privilegio
Privilegium virginitatis maximum est, quia replet paradisum, 32. q. 1, nuptiae. Quae sola est potens Deo animas hominum praesentare, in Auth. de lenonib. § sancimus, coll. 3. Et est illa principium aliarum virtutum, in Auth. quom. oport. episc. § neque autem sacris, coll. 1. Et virgo sola quo ad legem promotionis reputatur, et inter virgines corrupta invita etiam consecrari non potest, 32. q. 5, pudicitia. Et solae virgines aureolam habebunt, 32. q. 5, si Paulus. Pauci tamen habebunt hoc privilegium, ut dicit Gergorius, 50. dist., quia tua.

X 2.19.15 *Cum bonae memoriae*

Iudices
Originalia acta semper apud iudicem sive scriptorem remanere debent, supra, de probat., quoniam. Et si causa ad alios iudices manaverit, postea illis tradere tenetur, ut hic dicit, et infra, de testib., causam quae 1. Et sic patet quod attestationes in uno iudicio receptae valent in alio, in Auth de testi. § quoniam multae, coll. 7; et C. de recepti., cum antea, in fi.; et C. de testi., cum apud compromissarios.

Proponenda
Nam si testes coram prioribus iudicibus recepti et publicati fuerant, alii non recipientur ulterius, infra, de testib., constitutus, ad fi. Instrumenta vel confessiones poterant recipere. Vel si aliqua fuissent capitula super quibus testes non fuissent recepti, super illis potuerunt testes recipere, infra, de testib., causam quae 2.

Alioquin
Id est, si non poterunt acta inveniri, tunc recipiantur probationes de novo super statu monasterii et spoliatione abbatis super quibus de lite contestata. Facta non revocabitur in dubium, immo illud confitebuntur partes. Et si testes aliqui recepti fuissent, et clausae attestationes essent coram primis iudicibus, si voluerint partes, computabuntur in numero aliorum, infra, de testib., cum causam quae, in fi.

De compositione
Ad quam iudices primo dare debent operam. Sic supra, de mut. petit., ex litteris, ubi de hoc. Et est arg. quod super re spirituali, scilicet super statu monasterii potest compositio intervenire, supra, de arbitr., cum tempore; et supra, de arbitr., contingit, ubi de hoc. Tamen hic compositionem perficere non possent, sicut nec causam diffinire, quia Papa utrumque sibi reservat.

X 2.20 DE TESTIBUS ET ATTESTATIONIBUS

X 2.20.01 *Placuit*

X 2.20.02 In nomine Domini (rev. 9/23)

Placuit
Hoc capitulum habent quidam pro palea, 4. q. 3, placuit.

Pretio
Quorum testimonium non valet, quia pretio sunt corrupti, 4. q. 3, placuit § item in criminali; et supra, de probat., licet; et infra, de testib., sicut; 14. q. 5, non sane; et infra, de testib., quotiens; et 35. q. 6, episcopus in synodo.

Idonei
Idoneus reputabitur, ex quo per aliquam exceptionem non repellitur, quia quilibet praesumitur idoneus nisi probetur contrarium, infra, de praesump., dudum. Et edictum de testibus prohibitorium est, ut quilibet admittatur qui non repellitur, ff. de testi., testimoniorum, 1. resp.

Fideles
Quia infideles non admittuntur, ff. de testi., testimoniorum; et 2. q. 7, non potest; et 2. q. 7, si haereticus. Sic nec ad accusandum, 2. q. 7, alieni pagani; et 2. q. 7, quaerendum.

Ieiunus
Hoc de honestate dictum est, non de necessitate. Sic 22. q. 5, honestum. Ber.

X 2.20.02 *In nomine Domini*

In nomine Domini
Haec est pars illius capituli 2. q. 1, in primis.

Vilissimi
Quibus non est credendum, 2. q. 1, in primis. Quaedam considerantur in testibus, quae his versibus notantur: conditio, sexus, aetas, discretio, fama // et fortuna, fides, in testibus ista requires.

Ne postea
Ista verba sunt in Auth de testi. § et haec vero, coll. 7.

Audire
Non est ita intelligendum, ut audiant testes cum deponunt dictum suum, cum in secreto et sigillatim sint recipiendi, infra, de testib., venerabili; C. de testi., nullum; infra, de accusat., inquisitionis § 1. Sed audire debent testes, id est, videre et audire eos iurantes, et post publicationem videre et audire dicta ipsorum potuerunt, et hoc servatur exemplo Danielis, qui secreto examinavit illos falsos testes sacerdotes, qui falsum testimonium tulerunt contra Susannam. Et hoc regulare est cum agitur in forma iudicii. Sed in Auth de testi. § et haec vero, coll. 7, unde verba ista sumpta dicuntur, dicunt doctores loqui in causa publicationis, supra, ut lite non cont., quoniam § sunt et alii; infra, de testib., significavit. Et tunc videtur quod adversarius possit interesse receptioni testium et ipsos testes audire per iura ista. Sed tu expone testes, id est, attestationes, ut in Auth de testi. § et haec vero, coll. 7, ubi dicit audiri attestationes et depositiones.

Noluerit venire
Tunc enim recipientur et valebunt ac si praesens esset, C. de testi., si quando. Et hoc intelligit lite non contestata, aliter non, ut supra, ut lite non cont., per totum.

Inevitabili
Si enim non potest venire iusta de causa detentus, non reputatur contumax. Et si tunc recipiantur, non valent si causam absentiae ostenderit, quia etiam sententia revocaretur, infra, de re iudic., cum Bertholdus; et ff. de damn. infect., si finita § si forte; et ff. de iud., si praetor iusserit, in fi.

Admonendus
Alias enim non valet, nisi admonitus praesens fuerit, 3. q. 9, chartae; et 2. q. 1, in primis; C. de fid. instrum., iudices. Idem est in accusatione, 3. q. 9, accusatori; et in sententia, 3. q. 9, caveat, et pluribus capitulis sequentibus. Et generaliter omnia quae adversus absentes non per contumaciam statuunter, non valent, 3. q. 9, omnia quae.

Contra legem
Praedictam, quae dicit quod adversario praesente recipi debent, C. de fid. instrum., iudices; in Auth. de fid. instrum. § et hoc vero, coll. 6; C. de legi. et const., non dubium; et 10. dist., vides; et 25. q. 2, imperiali. Ber.

X 2.20.03 *Quoniam aliqua*

Mulieres
Sic mulier admittitur in testimonium contra ecclesiasticam personam, ut infra, de testib., tam litteris. Et mulier bene admittitur in testimonium, 15. q. 3, ex eo. Arg. contra 33. q. 5, mulierem. Illud sic intelligi debet, ubi agitur criminaliter non recipitur mulier ad testimonium contra aliquem. Cum vero agitur civiliter aut in modum inquisitionis seu exceptionis, tunc admittitur mulier, in quo casu loquitur hoc capitulum, et infra, de testib., tam litteris.

Peregisse
Et sic videtur quod socii criminis admittantur. Sic 79. dist., si quis Papa; et 6. q. 1, si quis cum militibus. Et contra infra, de testib., veniens 1; et supra, de confess., cum monasterium; et 15. q. 3, nemini. Hic non recipiuntur socii ad plenam probationem, sed ad praesumptionem tantum. Sicut servi quandoque ad praesumptionem recipiuntur, 4. q. 3, si testes § item servi.

X 2.20.04 *In omni negotio*

In omni negotio
Quod dicit in omni negotio, generalitas ista restringitur in causa denunciationis, ubi debet praecedere fraterna monitio ad hoc ut admittantur ad denunciandum, supra, de iudic., novit; et infra, de accusat., si quis episcopus; et infra, de accusat., cum dilectus; et infra, de simon., licet Heli; et arg. ad hoc 2. q. 7, accusatio; et 2. q. 7, si quis erga. In eodem

casu loquitur hoc capitulum, et hoc patet ex ipsa littera. Et hoc idem dicitur 2. q. 1, si peccaverit. Alias in causa sua nemo idoneus testis intelligitur, 4. q. 3, si testes § item nullus; et ff. de testi., nullus; et infra, de testib., de caetero. Item consuevit dubitari utrum criminosi et infames admittantur ad denunciandum aliorum crimina? Et est dicendum quod non, 3. q. 7, qui sine; et 3. q. 7, postulatus § porro, in fi.; et 1. q. 1, multi, in princ. Quia tales debent esse bonae famae, 35. q. 6, episcopus in synodo; et infra, de testibus cog., praeterea § 1; et infra, de spons., cum in tua, ubi de hoc.

Si peccaverit
Hug. dixit quod haec auctoritas extenditur ad omnes sine distinctione personarum, arg. pro eo 2. q. 7, quapropter; et 24. q. 3, tam sacerdotes. Alii dicunt quod tantum ad praelatos, arg. 23. q. 4, ita plane. Alii dicunt, et videtur melius, quod extenditur ad eos tantum qui aliquam habent administrationem super aliquibus, 23. q. 4, duo ista. De hoc dicitur 2. q. 1, si peccaverit; et infra, de haeret., cum ex iniuncto.

Duorum vel trium
Id est, non paucorum. Tamen quaedam causae requirunt plures, sed nulla causa contenta est uno, infra, de testib., licet universis.

X 2.20.05 *Quotiens*

Propinquitatis
Intransitive est hoc, id est, propter cognationem quae est propinquitas, 35. q. 3, de affinitate; et 35. q. 3, coniunctiones.

De eadem consanguinitate
35. q. 6, consanguineos; et 35. q. 6, videtur; et infra, qui matrim. acc. poss., videtur. Arg. contra infra, de testib., super eo 2. Solve ut ibi.

Duplici iuramento
In iuramento illo duo articuli continentur, ut infra sequitur.

Amicitia
Testes enim iurare debent remoto odio, amore, commodo, amicitia, 4. q. 3, si testes § item testium; et 11. q. 3, quatuor; et 35. q. 6, de parentela.

Credere ita esse
Hodie non videtur locum habere ex toto quod hic dicitur, quod non valet testimonium de auditu sive de credulitate. Immo necesse habent dicere, quod viderint personas omnes in consanguinitate, designando gradus ab utroque latere vel saltem aliquas personas in gradibus, aliter non valet, infra, de testib., licet ex quadam. Et ita parum valet testimonium de auditu. Unde adhuc debent addere quantum ad hoc. Et ita credere a suis maioribus audivisse, ut ibi dicitur.

X 2.20.06 *Insuper statuimus*

Ecclesiae
Et ita clerici possunt ferre testimonium in causa ecclesiae suae, 14. q. 2, super prudentia; et infra, de testib., cum nuncius; et infra, de testib., tuis quaestionibus; et infra, de iureiur., et si Christus, in fi. Ber.

Vel duo
Et sic patet quod duo possunt constitui procuratores. Hic tamen aget qui prius litem occupavit, ff. de procur., pluribus; et supra, de procurat., non iniuste, ubi de hoc.

Admitti
Quia nemo debet habere duplex officium in causa, 4. q. 4, nullus umquam; et 4. q. 4, nullus introducatur. Et singula officia singulis personis sunt committenda, 89. dist., singula; et 16. q. 1, presbyteros; et ff. ad Trebel., ille a quo § tempestivum; ff. de pacti., si plures; C. de assessor., nemo. Ber.

X 2.20.07 *Ex parte*

Tacito
Ex eo quod dicit tacito etc., videtur quod litterae istae non valebant, arg. infra, de testib., de caetero; et supra, de transact., ex litteris. Sed contrarium videtur, quia de publica fornicatione agebatur, quo casu licet laico vitare vel accusare tales clericos, 32. dist., praeter hoc § verum; et 32. dist., nullus. Et sic debet admitti miles ad agendum contra sacerdotem fornicarium. Quod quidam concedunt, et idem dicit tacito, quia de facto sic accidit, quia etsi dixisset se laicum, nihilominus litteras habuisset. Vel dicas quod ideo dicit tacito, quia de facto sic accidit, quia non intererat eius, quia non erat parochianus vel patronus illius ecclesiae, et ideo tacita veritate impetravit. Unde non valebunt, si hoc ab initio fuisset oppositum, bene fuisset auditus, supra, de rescript., super litteris. Et quia hanc exceptionem dilatoriam omisit, valuerunt litterae per consensum illius presbyteri, quare iudicio coepto illam opponere non valebat, infra, de re iudic., inter monasterium; C. de exception., si quis; et C. de exception., praescriptiones. Si enim interfuisset illius, puta si esset patronus vel parochianus, bene admitteretur saltem ad denunciandum, licet ipsum accusare non posset, 16. q. 7, filiis ac nepotibus.

Impetravit
Supple sub hac forma: quod si dictus etc.

Qui proximo
Et ideo ecclesiam non potuit retinere sine dispensatione Apostolicae sedis, supra, de fil. presbyt., praesentium; et supra, de fil. presbyt., dilectus; et supra, de fil. presbyt., nimis; 8. q. 1, Apostolica.

Per interpositam personam
Scilicet per procuratorem. Et sic patet quod civiliter agebat, ut removeretur solummodo ab ecclesia, infra, de simon., cum essent. Alias si criminaliter ageret, non admitteretur etiam si per seipsum, nisi suam vel suorum iniuriam prosequeretur, infra, de testib., de caetero; et 4. q. 6, omnibus. Sed nec tunc per procuratorem, quia in criminali non

intervenit procurator, infra, de accusat., veniens; et 2. q. 6, si quando; et 2. q. 6 § post secundam, ubi de hoc; et melius 5. q. 3, in criminalibus causis.

Infames et notabiles

Huiusmodi exceptiones in tempus disputationis debent reservari, nec expedit testes reprobari tali modo, donec constet an contra eum deposuerint, cum possint reprobari testes post aperturas testium protestatione praemissa ante apertum, infra, de testib., praesentium; et infra, de except., denique; et infra, de simon., licet Heli; et infra, de simon., per tuas 1. Sed hoc non servavit sacerdos iste, unde valuit receptio testium, et lata sententia quousque testes fuerint reprobati non obstante appellatione. Quandoque tamen statim admittitur exceptio antequam deponat, si causam criminalem habet cum ipso, in Auth de testi. § si vero, coll. 7. Quandoque recipiuntur ante aperturam aliorum, ne prorogetur negotium, supra, de probat., licet. Alias debet recipi statim, ut in tempus disputationis quaestio reservetur, C. de testi., authen. si testis odiosus. Sed ex hoc quod hic appellavit et admittitur appellatio, videtur quod audiri debeat volens statim hoc probare. Tamen quod prius dixi, ordinarium est licet de facto hic aliter contingat. Vel dicas quod haec exceptio fuit opposita post receptionem testium, ut annullaretur dictum eorum. Sed non fuit admissa, unde recte appellavit.

De periurio

Unde ulterius ad testimonium non deberet admitti, si de hoc constaret, 6. q. 1, quicumque; 22. q. 5, parvuli; et 22. q. 5, si quis convictus; et infra, de testib., testimonium.

Si vobis constiterit

Arg. contra infra, de iureiur., venientes. Ibi revocatur executio sententiae antequam cognoscatur de appellatione, hic non. Sed ibi fuit appellatum a diffinitiva sententia, hic non fuit, et sic super certo articulo appellatum fuit hic, ibi simpliciter a sententia.

Testes idoneos

Ad hanc probationem admittitur post sententiam, quia ante sententiam hoc facere voluit, et non fuit admissus, et etiam appellavit propter hoc. Sic infra, de re iudic., cum I et A. Si vero non dixisset hoc ante sententiam, post sententiam non videtur audiendus, infra, de except., denique, ubi de hic, nisi de falso agere vellet. Quod posset usque ad viginti annos, infra, de except., cum venerabilis; et C. ad leg. Corn. de fals., querelam; et supra, de probat., licet. Praeterea ex hoc videtur quod appellans tenetur probare causam appellationis esse veram, sic infra, de except., olim. Sed contra videtur quod sufficit illud probare, quod appellans proposuit probabilem exceptionem coram iudice a quo appellavit, illam se offerens probaturum, et quod non fuisset admissus, ut probatur infra, de appell., interposita, 1. resp.; et infra, de appell., dilecto filio; et infra, de appell., ut debitus; et supra, de offi. deleg., cum causa. Et hoc idem fecit sacerdos iste, qui legitimam opposuit exceptionem, quam se obtulit probaturum. Solutio: illa contraria loquuntur in exceptionibus dilatoriis, per quas non eliditur principale propositum. Unde cum iudex nollet admittere probationem super exceptione probabili, gravavit ipsum et reddidit se suspectum, et ideo sufficit hoc solum probare coram iudice appellationis, qui procedet postea super principali. Alioquin causa remitteretur ad priorem iudicem, ut dicit

capitulum infra, de appell., ut debitus. Sed haec exceptio quasi peremptoria est, etsi non directe saltem per obliquum, ut si vult relevare causam suam, necesse habet eam probare esse veram. Alioquin staretur sententiae latae auctoritate illorum testium, quia praesumitur pro sententia iudicis quamdiu non probatur contrarium, quia per hoc apparet eum frustratorie appellasse, infra, de re iudic., cum I et A. Et hoc idem probare debebat coram primis iudicibus, ne sententiarent contra ipsum si fuisset admissus. Et sic contraria se non tangunt, unde non sunt contraria. Praeterea licet probet se causam probabilem allegasse, ac eam si probaturum obtulisse, non tamen debet propter hoc sententia revocari, nisi probet testes fuisse tales ut ille allegabat, quia si cassaretur eius sententia, et postea non probaret testes fuisset tales prout dicebat et offerebat se probaturum, iterum condemnaretur, et sic rediret in pristinum statum. Quare non debet cassari sententia, nisi probet primo quod ante sententiam probare tenebatur. Si enim iudices isti non tulissent sententiam, tunc sufficeret probare quod causam probabilem allegavit et quod etiam obtulit se probaturum, quo facto postea probabit testes fuisse tales si poterit. Ber.

Molestari
Ex hoc videtur quod iudex delegatus non tantum debet mittere in possessionem, sed missum tueri, infra, de simon., querelam, in fi. Dicit Laur. quod hoc potest facere delegatus, ubi hoc exprimitur in litteris, cum sententia lata functus sit officio suo, supra, de offi. deleg., in litteris. Quia hoc videtur spectare ad ordinarium, ff. ne vis fiat ei qui in poss., ait praetor § 1. Tanc. dicit quod potest hoc delegatus usque ad annum, supra, de offi. deleg., quaerenti. Sed ante sententiam, quia semper durat iurisdictio, videtur quod semper possit defendere eum in possessione quam assignaverit, cum scilicet fuerit contumax ante litis contestationem.

Si vero res aliter
Id est, si falsum suggessit, quia non fuit privatus ecclesia sua per tales testes, nec iudices processerunt contra illum. Sed videtur esse contra ius, quia secundum hoc debuit remitti ad priores iudices et condemnari in expensis, infra, de appell., ut debitus; et infra, de appell., cum in ecclesia. Unde dicas quod fecit ei in hic gratiam dominus Papa, quia non remisit illum ad priores iudices. Si vis, expone aliter, id est, non potuit probare testes tales fuisse ut dicebat, per quos lata fuit sententia. Sed quod sequitur contrarium videtur, et ideo expone ut prius.

Monere
Arg. quod in crimine non sunt cogendi testes, etiam in excipiendo.

X 2.20.08 *Si qui testium*

Valetudinarii
Ad istos impeditos tali infirmitate vel senectute, et egregias personas debet mittere iudex, ff. de iureiuran., ad egregias. Vel ad iudicem loci, ut eos recipiat et dicta eorum sigillata sibi remittat, in Auth de testi. § et quoniam sancimus, vers. multae, coll. 7; C. de fid. instrum., authen. apud eloquentissimum; et ff. de testi., testium § item divus; infra, de fideiuss., constitutus. Et isti possunt recipi lite non contestata, supra, ut lite non cont., quoniam, 1. resp.; et infra, de testib., cum olim. Sed numquid senes sunt compellendi

ferre testimonium inviti? Videtur quod non, 4. q. 3, si testes § item inviti; et ff. de testi., inviti; et ff. de excusat., excusantur; et ff. de iure immun., maiores. Dic quod compelluntur secundum canones propter peccatum, 11. q. 3, quisquis; et infra, de crim. falsi, falsidicus; et supra, de iudic., novit. Et optimum arg. ad hoc ff. de vac. mun., sextum decimum § corporis debilitas. Ber.

Paupertate

Sed quare remittit ad istos? Quia licet sint pauperes, bene possunt venire. Potest dici quod ideo, quia tales sunt quod non decet eos venire ad iudicem, forsitan quia nobilis, et ita verecundatur venire propter nimiam paupertatem, licet tamen iste pauper alias honesta persona est. Nec est suspectus propter suam paupertatem, et sic non est contra, 2. q. 1, in primis, vers. quia igitur; et 4. q. 3, si testes, vers. item testium, cum ibi loquitur de suspectis.

X 2.20.09 *Sicut nobis*

Periurio

De periurio quod statim fuit commissum, debent agere poenitentiam septem annorum, 6. q. 1, quicumque.

Et adulterio

Arg. quod si aliquid imputatur alicui vel puniatur de aliquo, omnia quae sequuntur ex illo imputantur eidem, arg. supra, de consti., nam concupiscentiam. Et aliquo prohibito omnia quae sequuntur ex illo prohibentur. Item arg. quod malum praecedens aggravatur per consequens ex illo, arg. 1. q. 1, placuit 3; et 50. dist., si qua femina; et 50. dist., si quis voluntate. Arg. contra 15. q. 1, inebriaverunt. Solutio: ibi primum non aggravatur per consequens ex illo, sed de utroque punitur.

Dederunt

Arg. quod qui occasionem damni dat, damnum dedisse videtur, et ideo tenetur. Arg. 86. dist., pasce; et 87. dist., si expositus; ff. ad leg. Corn. de sic., nihil interest; ff. de off. praes., illicitas § sicuti; et 1. q. 1, placuit 3; ff. ad leg. Aquil., qui occidit § penulti.; 50. dist., hi qui arborem; infra, de iniur. et damn. dat., si culpa, in fi. Arg. contra 23. q. 5, de occidendis; ff. de fur., verum; 23. q. 4, Nabuchodonosor, circa princ. Solutio: qui dat occasionem damni, si dat operam rei licitae et adhibet diligentiam quam potest, non tenetur de his quae inde sequuntur, ut in capitulo 23. q. 5, de occidendis. Si non adhibet, tenetur 50. dist., saepe; et in lege ff. ad leg. Aquil., qui occidit § penulti. Si dat operam illicitae rei, semper imputatur ei quod inde sequitur, 50. dist., quantum dicit; et ff. ad leg. Aquil., item Mela; infra, de usur., naviganti.

Migraverint

Arg. quod si isti vel alter eorum ad secunda vota transierint, quod non possint separari nec debent inquiri de corruptione tali, et hoc quidam concedunt. Sed hoc falsissimum est, et ideo supple maxime quandoque legitime restaurabuntur, infra, de re iudic., lator; et infra, de re iudic., consanguinei; et infra, de frig. et malef., laudabilem; et infra, de frig. et malef., fraternitatis; et 35. q. 9 § quia ergo; et 35. q. 9, quod quis.

Periuri
Eis autem credi non debet tamquam periuris, quia ad testimonium ulterius admitti non debent, infra, de testib., testimonium; 6. q. 1, quicumque; et 22. q. 5, si quis convictus; et 22. q. 5, parvuli; et 2. q. 7, non potest. In praesentia enim creditur, ut iniungatur eis poenitentia. In iudicio enim eis credi non debet contrarium in eundem casum, supra, de probat., per tuas; et C. de non num. pecun., generaliter. Ber.

X 2.20.10 *Veniens ad nos*

Remittere
Qui debitum remittit, dare intelligitur, 8. q. 3, talia; et ff. de calum., quin etiam; et ff. de condi. caus. dat., si mulier.

Illorum
Sed cum crimen simoniae sit crimen exceptum, quare non admittitur quilibet etiam particeps criminis secundum quod fit 79. dist., si quis Papa; 15. q. 3, nemini; supra, de confess., cum monasterium. Dicas quod tales personae viles nullo modo sunt admittendae in accusationem clericorum aut in testimonium, nisi accusatus malae famae et opinionis antea extitisset, ut 2. q. 1, in primis, in fi.; et infra, de simon., per tuas 1. Praeterea hic erat unus testis idoneus, numquid per eum et per famam posset condemnari de tali crimine? Videtur quod sic, quia fama cum aliis probat, 4. q. 3, si testes § item saepe. Sed non est verum, quia in crimine apertissime debent esse probationes, C. de probation., sciant; et 5. q. 6, Epiphanium. Quia ubi contra salutem hominis agitur, strictius et cautius praesumptio unius testis cum iuramento, arg. C. de reb. credit., in bonae fidei; supra, de probat., sicut, pensatis negotiis cum circumstantiis personarum et causae, infra, de iureiur., iuramentum, in fi.; et ff. de legit. tutor., legitimos.

Iudicasti
Absolvendo illum.

Confesso
Sic ergo patet quod socius criminis non admittitur in testimonium in eodem crimine, 4. q. 3, si testes § item liberi. Sic supra, de confess., cum monasterium, ubi de hoc. Et testis qui non solum in eodem crimine fuit, sed si consimili morbo laboret, non est admittendus, infra, de testib., personas. Fallit tamen, quia quandoque admittitur socius, ut 6. q. 1 § verum, vers. si quis; et 79. dist., si quis Papa. Solvi consuevit quod socii criminis et muneris non admittuntur, ut hic, sed criminis tantum admittuntur in exceptis criminibus, ut ibi. Sic et quandoque ad detegendam conspirationem, socii et iurati ad testimonium admittuntur, infra, de testibus cog., venerabilis.

Testimonium
Sic patet quod unius testimonium non valet, infra, de testib., licet universis; et 4. q. 3, si testes § item unius; 33. q. 2, admonere; ff. de quaest., maritus. Arg. contra 8. q. 3, talia; ff. de dot. praeleg., Theopompus; 86. dist., tanta; et 28. dist., de Syracusanae; et 97. dist., nobilissimus. Solutio: saepe adhibetur fides uni extra iudicium, 22. q. 4, innocens.

Dictum unius in iudicio praesumptionem inducit. Lex illa ff. de dot. praeleg., Theopompus, intelligitur cum testator voluit ei fidem adhiberi.

X 2.20.11 *Causam quae*

Iudicibus
Sic supra, de probat., cum bonae. Sic attestationes et acta in uno iudicio recepta valent in alio, in Auth de testi. § quoniam multae, coll. 7. Et attestationes coram arbitris receptae valent coram aliis iudicibus, infra, de testib., praesentata; et C. de testi., cum apud compromissarios; et C. de recepti., cum antea, in fi. Iudex ad quem causa defertur debet habere acta omnia prioris iudicis, supra, de probat., quoniam; et supra, de probat., cum bonae. Et si testes apud primum iudicem non sunt publicati, adhuc alii possunt induci, infra, de testib., cum causam quae.

X 2.20.12 *Cum nuncius*

Repellendi
Immo sunt admittendi, 14. q. 2, super prudentia; et supra, de testib., insuper, ubi de hoc; et Inst. de rerum div. § universitatis; et Inst. de rerum div. § nullius autem; ff. de rerum div., in tantum § 1. Arg. contra Inst. de testam. ordin. § licet; et C. de testi., omnibus; et 4. q. 3, si testes § nullus. Quia causa ecclesia satis videtur sua. Solutio: in causa ecclesiae vel universitatis qui dicit testimonium, pro nullo de universitate hoc facit, ergo nec pro se, arg. 12. q. 2, qui manumittitur. Sed pone quod adversarius petat clericos in testimonium de ecclesia pro se induci contra ipsam ecclesiam, numquid debent compelli? Videtur quod non, supra, de postuland., cum sacerdotis, in fi. Et filius contra patrem non compellitur, quia non compellitur contra alios inferiores sibi coniunctos, 4. q. 3 § item lege Iulia 2. Sed iste est filius ecclesiae quae ipsum domino sociavit, infra, de poeni., presbyteri. Ergo non compellitur ferre testimonium contra ipsam. Item nemo debet petere ab adversario suo instrumenta propria, supra, de probat., ex epistolae; et C. de testi., nimis; et 4. q. 3 § qui intendit. Sed contra videtur quod possit, quia ecclesia potest ipsum inducere pro se, ergo tenetur illum recipere contra se, 4. q. 3, si testes § si quis testibus; 19. dist., si Romanorum. Et actoris et rei aequa debet esse conditio, supra, de mut. petit., prudentiam. Et testis pro utraque parte debet ferre testimonium, 14. q. 5, non sane. Et nihil debet licere actori quod reo non liceat, ff. de regul. iur., non debet. Quidam dicunt quod non debet compelli clericus ferre testimonium contra ecclesiam suam, tamen si ecclesia ipsum inducit pro se, tunc tenetur et compellitur dicere pro adversario, ff. de edend., qua quisque § edenda. Et sic intelligitur quod dicitur, testis pro utraque parte debet ferre testimonium. Alii dicunt quod verius videtur, quod bene debeat compelli ad hoc, non obstantibus contrariis signatis, quia non tangunt hunc casum, quia causa ecclesiae non est proprie clerici, et tacere veritatem peccatum est, 11. q. 3, quisquis. Nec obstat arg. infra, de testib., veniens 2, in fi., ubi de hoc.

X 2.20.13 *Super eo*

Confessi
Si ante accusationem institutam contra eos convicti vel confessi fuerunt, si adhuc in crimine perserverent, repelluntur, infra, de testib., testimonium, ubi haec materia plenius expeditur. Contrarium signatur 4. q. 3 § item lege Iulia 1; et ff. de his qui not. infam., athletas § calumniator. Secundum leges damnatus tamen repellitur a testimonio. Sed secundum canones repellitur, sive iam condemnatus sit, sive ei probari possit et probetur.

X 2.20.14 *De caetero*

Canonum
Quos habes 2. q. 7, non est; 2. q. 7, nullus laicus; et 2. q. 7, laico non licet; et 6. q. 1, beatus; et 11. q. 1, nullus iudicum; et infra, de accusat., cum P.

Suam
Et in exceptis criminibus ubi admittuntur laici contra clericos etiam viles quandoque, infra, de simon., tanta. Quando et qualiter laici admittantur in accusationem vel testificationem clericorum, dicitur infra, de accusat., cum P.

X 2.20.15 *In causis*

Productionem
Id est, dilationem, quia in una dilatione plures posset producere testes, quolibet die dilationis posset producere, hodie unum, cras alium, et sic usque ad ultimam diem dilationis. Finita prima dilatione iusta causa allegata, iudex secundam dilationem dabit et iterum tertiam. Quartam non dabit nisi cum iuris solemnitate, prout traditur infra, de testib., ultra; et in Auth de testi. § quia vero, vers. si vero, coll. 7. Et hoc intellige antequam renunciaverit productioni testium, quia non posset postea audiri, infra, de testib., de testibus, in fi. Nec danda est semper quarta productio, si iudex viderit eam denegandam, ut effraenatam multitudinem testium compescat, infra, de testib., significaverunt. Immo ex eadem causa posset denegare tertiam et secundam, dummodo in prima dilatione sufficientes testes produxerit, infra, de testib., de testibus. Et nisi quarta productio, id est, dilatio detur cessante causa praedicta, scilicet effraenata multitudine, appellatio propter hoc emissa tenet, ut in dicta decretali infra, de testib., significaverunt. Vel dic quod tertia productio fieri debet sub una dilatione. Tamen ut prius dixi, servatur de facto et ita consuetudo interpretatur primam expositionem, quae est optima legum interpres, supra, de consuet., cum dilectus. Et hoc notat dominus Azo secundum Bazian., C. de testi., cum apud compromissarios. Ber.

X 2.20.16 *Cum tu*

Benigne
Nota quod testes si potest fieri ad concordiam sunt reducendi, ne periurii reatu notentur, etsi non ad litteram, saltem quo ad spiritualem intellectum, 11. q. 3, antecessor; et 11. q. 3, quod praedecessor; et 8. q. 1, in scripturis. Sic et Evangelistae reducuntur ad concordiam, de poen. dist. 1, periculose; 32. q. 7, quod autem. Et omnia testimonia sequenda sunt si potest fieri, 4. q. 3, si testes. Item est hic arg. quod dubia probatio non

prodest ei qui eam inducit. Sic supra, de probat., in praesentia. Item arg. quod in dubiis pro reo iudicari consuevit, infra, de fide instrum., inter dilectos, in fi.; et supra, de probat., ex litteris; ff. de regul. iur., semper in dubiis. Sed videtur quod in tali dubio potius debuit Papa interpretari quod essent excommunicati, quia hoc esset securious propter periculum animae. Nam excommunicatio est medicinalis, 2. q. 1, multio. Et ideo traditur quis Satanae, ut spiritus eius salvus fiat in die domini, 11. q. 3, audi denique. Et ad cautelam saltem absolvatur, alias debuisset saltem mandasse illos absolvi, infra, de appell., ad praesentiam; et infra, de sent. excom., per tuas. Sed hoc dictum fuit propter testes, ne de periurio notarentur saltem de facto, quia licet testimonium reprobetur, testes tamen inter infames quasi ex falso testimonio non habentur, supra, de ord. cognit., cum dilectus; et ff. de his qui not. infam., Lucius. Sed tamen re ipsa et opinione hominum non fugiunt infamiae notam, ff. de obseq. praest., honori; et infra, de testib., testimonium. Et sic providet tam in testibus quam in canonicis, cum ipsi potuerunt postea ad cautelam facere se absolvi. Simile infra, de appell., ad praesentiam. Et quia potuit esse quod pluries fuerit appellatum, ut sequitur. Et haec sententia fuit potior et benignior.

X 2.20.17 *Fraternitatis tuae*

Renunciatum
Maxime quia si non esset renunciatum expresse, ex quo publicatae fuerunt attestationes, non possunt postea alii testes super eisdem capitulis induci, infra, de testib., de testibus; et infra, de testib., intimavit.

Receptos
Et sic patet quod idem testis pluries potest recipi contra aliquem. Sed contra videtur 4. q. 3, placuit § item in criminali; ff. de testi., produci. Contraria loquuntur in criminali. et ibi qui semel tulerit testimonium contra aliquem, praesumitur inimicus eius si iterum velit contra ipsum testificari, infra, de accusat., meminimus.

Novis
Pendentibus ex veteribus et quae ex illis oriantur, infra, de fide instrum., cum Ioannes; et C. de temp. appel., per hanc. Et in principali causa apertis attestationibus super novo capitulo orienti ex primis recipiuntur testes, infra, de testib., series; et infra, de testib., ex tenore. Sed contrarium videntur dicere leges, quia etiam super eisdem capitulis in causa appellationis novi testes recipi possunt, C. de appellat., eos § 1; et C. de appellat., eos § 2; C. de temp. appel., per hanc. Et sic etiam observatur in iudicio saeculari. Sed authenticum dicit contrarium, et concordat huic capitulo quod postquam aliquis dicit testificata, non potest ulterius testes producere super his, super quibus introducti sunt, in Auth de testi. § quia vero, coll. 7. Sed domini legum satis frivolam adhibent solutionem. Intelligunt enim authenticum in eadem causa ante sententiam diffinitivam, et leges istas in causa appellationis. Sed ratio prohibitionis remanet in eadem causa appellationis, quae fuit in principali, scilicet periculum subornationis. Et ideo quia causa remanet eadem utrobique, eadem debet esse prohibitio utrobique. Et ubi est eadem ratio, idem iudicium habendum est, supra, de translat., inter corporalia; ff. ad leg. Aquil., illud. Et alibi quotiens vitium ex una radice nascitur, consequens est ut eadem lege tollatur, C. de nupt., si libertam. Unde dicendum est quod apertis attestationibus ulterius non recipiantur super

eisdem articulis alii testes. Et leges praedictae recte possunt intelligi, ut habeant locum super novis articulis pendentibus ex prioribus, et sic concordabunt iuri canonico, et in Auth de testi. § quia vero, coll. 7, in quo non distinguitur utrum in causa principali vel in causa appellationis.

Iuramentis
Aliter enim non admitterentur nisi a partibus remissum fuerit, infra, de testib., tuis quaestionibus. Forma vero secundum quam iurare debent talis est. Iurabunt enim quod dicent totam veritatem iudici vel cui commiserit, quam noverint de re illa super qua iurant, 3. q. 9, hortamur; et in Auth de testi. § 1, coll. 7. Item quod nullam interserant falsitatem, 2. q. 4, nullam; et 3. q. 9, pura. Item quod pro utraque parte dicent veritatem quam sciunt, 14. q. 5, non sane. Item quod dicent omnem veritatem sive interrogati sive non, arg. infra, de accusat., cum dilecti. Item quod non pretio nec amore, nec timore vel odio, seu pro alio commodo testimonium dicent, infra, de testib., quotiens; infra, de testib., licet ex quadam § testes. Tanc.

X 2.20.18 *Intimavit*

Eorum
Scilicet testium qui iam erant inducti et recepti. Nam si dicta illorum publicata fuissent, nec isti nec alii reciperentur ulterius, ut supra, de testib., fraternitatis, dictum est.

Iuramento
Eo enim ipso quod voluit subtrahere copiam probationis adversario suo, praesumitur iniquam causam fovere, et experiri debet in se iudicis auctoritatem elusam, 3. q. 7, infames, vers. si quis autem; et infra, de testibus cog., pervenit 1. Ideoque non obstante iuramento tali, quod inique fuit extortum, iurabunt dicere veritatem super negotio principali, cum illud iuramentum illicitum fuerit et sine peccato servari non posset, cum celare veritatem sit peccatum mortale, 11. q. 3, quisquis; infra, de crim. falsi, falsidicus. Et denunciandi sunt illo iuramento non teneri, infra, de testib., constitutus. Et est expressum infra, de accusat., olim. Temerarium enim iuramentum non repellit a promotione, infra, de iureiur., sicut ex litteris, ergo nec a testimonio, ut hic dicit. Aliter tamen alii intelligunt, quod isti non debent iurare super principali, sed solummodo ad detegendum tantae calliditatis commentum, infra, de testibus cog., pervenit 1. Sed illud ibi exponitur. Credo ei standum quod primo dixi.

X 2.20.19 *Causam quae*

Aliis capitulis
Novis scilicet pendentibus tamen ex antiquis. Et est arg. quod pariter in causa consultationis sicut in causa appellationis possunt testes induci super novis capitulis, quamvis attestationes sint publicatae. Vel intellige super capitulis antiquis super quibus nondum fuerant aliqui testes receptis, et hoc verius videtur. Cum enim plura capitula sive negotia penitus diversa committuntur, bene possunt testes recipi et publicari super uno et non super alio, postea possunt recipi super alio, et possunt etiam tractari diversis temporibus, ff. de recepti., quod tamen, 1. resp.

Noviter
Nota quod lite pendente privilegium seu indulgentia impetrata super re litigiosa in praeiudicium alterius partis non valet, ut hic patet, et supra, ut lite penden., dilectus, ubi de hoc; et in Auth. in med. lit. non fier. sac. § si vero, coll. 8; et infra, de privileg., dudum.

Commisimus
Arg. quod postquam causa commissa est iudicibus, res praesumitur esse litigiosa, ita ut indulgentia sive privilegium super ea impetratum non valeat, ff. de excusat., tutor petitus, in princ.

Rationi
Sed quare dicit obvia rationi, cum privilegia indulgeantur contra ius commune, 3. dist., privilegia; et 7. q. 1, petisti; et 26. q. 2, non statim; et 26. q. 2, non exemplo; 16. q. 1, hinc est; et 100. dist., contra morem; et C. de legi. et const., leges 1, in fi.; ff. ad municip., municipem; C. de thesaur., nemo, lib. 10. Unde sic debet exponi obvia rationi, id est, consuetudini, et rationabili cursui privilegiorum obviare videbantur, quod esse non debet. Nec valent privilegia quae nimium laedunt, arg. infra, de decim., suggestum; et infra, de verb. sign., quid per novale; et arg. C. de precib. imper. offer., quotiens; et C. de precib. imper. offer., nec damnosa. Ber.

X 2.20.20 *Personas*

Morbo consimili
Sic 4. q. 3, si testes § liberi testes; et supra, de testib., veniens 1; et supra, de confess., cum monasterium, ubi de hoc. Sic et iudex qui habet consimiliem causam potest recusari, supra, de iudic., causam quae inter. Sic et qui in crimine detinetur, non potest alium denunciare vel accusare, ut 3. q. 7, qui sine; et 3. q. 7, postulatus § porro, in fi.; 1. q. 1, multi, circa princ.; et infra, de spons., cum in tua. Nec potest alium corripere qui in simile delictum corruerit, 15. dist., sancta; et 26. dist., una tantum; simile 42. dist. § 1; et 61. dist., in sacerdotibus.

X 2.20.21 *Iudaei*

Praesumant
De facto, quoniam de iure nullus infidelis contra fidelem debet admitti in testimonium, 2. q. 7, si haereticus; et 2. q. 7, non potest; et 23. q. 4, ipsa pietas.

Subiacere
23. q. 8, dispar; et melius infra, de Iudae. et Sarrac., cum sit; et 54. dist., nulla; et 17. q. 4, constituit.

Foveri
86. dist., pasce.

X 2.20.22 *Super eo quod*

Cum mater
Et ita videtur quod pater et mater non possunt ferre testimonium in causa filii, 4. q. 3, si testes § item testis idoneus. Et quia causa filii causa patris esse videtur, quia damnum et emolumentum ad eum pertinere videt, arg. 2. q. 6, biduum, vers. palam. Et in causa sua nullus idoneus testis est, 4. q. 3 § nullus; et arg. 3. q. 5, consanguinei. Et pater et filius pro una persona reputantur, 35. q. 3, contradicimus § hac auctoritate; et C. de impub. et al. subst., si quis, in fi.; Inst. de inutil. stipul. § ei qui. Arg. contra 35. q. 6, consanguineos; et infra, qui matrim. acc. poss., videtur. Solutio: pater et mater et caeteri consanguinei bene admittuntur ad coniungendum matrimonium, sive etiam ad distinguendum propter consanguinitatem favore matrimonii, ut dicunt duo ultima contraria. Illi etiam sunt caeteris praeferendi, ut ibi dicitur. Sed quod hic dicitur, intelligitur de his parentibus qui suspecti sunt, ut littera dicit, ut si alter superior est potentia, divitiis vel honore, pater et mater alterius non est admittendus. Alias ubi aequalitas est, vel modica etiam excellentia admittuntur, ut dicunt ultima contraria, et hoc in matrimoniali causa. In aliis vero causis pater pro filio, vel econverso non recipitur, ut dicunt iura praedicta, et illa decretalis infra, qui matrim. acc. poss., videtur, in fi. Quae tamen loquitur in coniungendo vel disiungendo propter consanguinitatem, ut ibi dicitur.

Firmatum
Id est, contractum per consensum mutuum de praesenti. Tunc enim separari non posset ad dictum unius testis, quia in nulla causa dictum unius sufficit, infra, de testib., licet universis; et supra, de testib., veniens 1; et 4. q. 3, si testes § item unius vero. Alias contrahere non debent, quia ad dictum unius impeditur matrimonium contrahendum, infra, de spons., praeterea 2. Item et sola fama impedit, infra, de cons. et affin., super eo. Multa enim impediunt contrahendum, quae non dirimunt iam contractum, infra, de iureiur., quemadmodum. Et sic non omnia quae impediunt ordinandum, deiiciunt iam promotum, 15. q. 1 § sicut ergo; et infra, de regular., ad Apostolicam; infra, de accusat., super his.

X 2.20.23 *Licet universis*

Multo minus
Arg. a maiori. Sic 43. dist., dispensatio; et 11. q. 1, magnum. Sic 32. q. 5, si Paulus.

Conversationis
Et ita Iudaeus de iure non admittitur contra Christianum ad testimonium. Arg. 2. q. 7, si haereticus; et 2. q. 7, non potest; et 2. q. 7, pagani; et 23. q. 4, ipsa pietas. Arg. supra, de testib., Iudaei, non est contra, quia ibi factum recitatur, scilicet quod illi uti praesumunt, sed illud de iure fieri non debet.

Duorum vel trium
Id est, non paucorum prout sequitur. Et sic affirmativa exponitur per negativam, 35. q. 3, aequaliter; ff. de manumiss., is qui, in princ.; ff. de dolo mal., non debet, in fi.; ff. de leg. 2, cum pater § rogo; et ff. de leg. 2, cum quidam 2. Et econtrario negativa exponitur per

affirmativam, non suum, id est, alienum; C. und. vi, conquerebatur. Sic exponunt quidam dist. 1, omnes leges. Naturale est transire per agrum alienum, id est, non suum.

Quaedam
Quaedam sunt causae quare plures testes requirunt sicut testamentum, ubi requiruntur septem testes, C. qui testam. fac. pot., hac consultissima; et C. de testament., si unus. Et puberes debent esse testes, C. de testament., hac consultissima. In codicillis quinque requiruntur, C. de codicil., si quis. Item in donatione causa mortis quinque testes requiruntur, C. de mort. caus. donat., cum de mortis, et in casu quem habes 2. q. 4, praesul; et 2. q. 4, nullam. Item quinque requiruntur cum quis debitum in scriptis vult probare se soluisse, C. de testi., testium.

Unius
Hoc verum est in alterius praeiudicium. Et sic non obstat de conse. dist. 4, cum itaque § parvulos. Vel ubi quis non habet ius petendi, supra, de testib., super eo 2; et infra, de spons., praeterea 2. Tamen unus testis praesumptionem inducit, sed non facit probationem, 20. q. 3, praesens; ff. quemad. test. ap., omnibus, in fi.; et ff. de dot. praeleg., Theopompus. Sed ibi testator hoc voluit.

X 2.20.24 *In litteris*

Consobrinam
Allegabat primum genus affinitatis in terto gradu, quod habet prohibitionem usque ad quartum, olim usque ad septimum, 35. q. 3, de affinitate.

De familia
Testes quos accusator de familia sua producit, non valent, ff. de testi., testes. Et domesticus sive familiaris non est admittendus, C. de testi., etiam iure. Dicuntur familiares de quibus legitur C. de his qui ad eccl. confug., praesenti § 1, vers. sane; et 3. q. 5, consanguinei; et 3. q. 5, accusatoribus; et 3. q. 5, accusatores vel testes; et 4. q. 3, placuit § item in criminali, vers. item etiam iure civili, et in alio vers. item testes. Arg. contra 14. q. 3, super prudentia; et supra, de testib., insuper; et supra, de testib., cum nuncius, cum suis consimilibus. Solutio: domestici appellantur proprie quibus imperari potest ratione patriae vel dominicae potestatis, ut in lege C. de his qui ad eccl. confug., praesenti, quales credo hic fuisse. Contraria non obstat, quia in alio casu loquuntur, et illud est a iure permissum favore ecclesiae, quia non ferunt testimonium pro aliquo singulari. Familiares appellantur consanguinei, colonus, ascriptitius, mercenarius, filius in potestate, libertus et servus, et omnes habitantes in domo. Sed illi quibus imperari potest nullo modo admittuntur. Alii cum distinctione affectionis, ut propter hoc contra eos praesumatur vel non, ut dicit Hug., 3. q. 5, in summa; et 3. q. 5, consanguinei.

Vitae
Nota in matrimonio separando praecipue testes esse admittendos, qui sunt probatae vitae et opinionis, infra, de cons. et affin., ex litteris, quia tolerabilius est aliquos contra statuta hominum dimittere copulatos quam coniunctos legitime contra statuta domini separari, infra, de testib., licet ex quadam, in fi.

X 2.20.25 *Cum venisset*

Confirmetis
Haec confirmatio habetur perinde ac si per Papam facta fuisset, arg. C. de vet. iure enucl., Deo auctore § sed neque, in fi.

Egerit
Supra, de offi. deleg., gratum; ff. de pacti., tale pactum § 1; ff. de Maced., si filius; C. de re iud., ad solutionem; et infra, de re iudic., quod ad consultationem; et ff. de minor., si filius. Arg. ex hoc loco quod mortuo etiam mandatore re integra possunt procedere iudices de consensu partium, et hoc concedunt quidam. Contra dico, quod partes non possunt ammodo eis dare iurisdictionem ex litteris illis, cum iurisdictio iam sit finita per mortem mandantis, arg. optimum supra, de offi. deleg., significantibus, quia actio semel extincta amplius non reviviscit, de conse. dist. 4, quaeris; et ff. de solut., quae res § aream; C. de remiss. pign., cum ex causa. Et privatorum consensus eum non facit iudicem qui nulli praeest iudicio, C. de iuris., privatorum. Et hoc probatur ff. si cert. pet., eius qui in provincia, vers. nam et si tibi in hoc nummos etc. Et quod dicit postea egerit, scilicet post appellationem, supra, de offi. deleg., gratum. Et intellige quod citatio facta fuit ante mortem delegantis, ut dicit illa decretalis supra, de offi. deleg., gratum. Et sic perpetuata fuit iurisdictio, ut ibi dicitur. Haec decretalis loquitur de eodem facto cum illa supra, de offi. deleg., gratum. Dicit magister Gott. quod ipso iure non expirat mandatum morte mandatoris sed per exceptionem. Unde quae per exceptionem expirant, possunt a partibus relaxari. Ideo potest iudex procedere, et valet si nihil opponatur, arg. ff. de bonor. poss., sed cum patrono; et ff. de bonor. poss., Paulus; infra, de re iudic., inter monasterium. Arg. de hoc plura invenies supra, de rescript., ad audientiam 2, in ultima glossa.

Iustitia
Quae tribuit unicuique quod suum est, Inst. de iust. et iure, 1. resp.; et 12. q. 2, cum devotissimam.

Si quae
Cum dicit primo quod sententia confirmetur, quare dicit hoc? Dicas quod plura capitula et penitus diversa erant, et super quibusdam fuit lata sententia, super quibusdam non. Sic supra, de testib., causam quae 2.

Renunciatum
Si renunciatum fuisset, licet nullos testes produxerit pars illa quae renunciavit, non est ulterius ad hoc admittenda, quia licitum est cuilibet renunciare iuri suo, 7. q. 1, quam periculosum; et C. de pacti., si quis in conscribendo. Arg. ad hoc quod non est licitum redire ad hoc quod semel renunciaverit, C. de reb. credit., si quis iusiurandum. Et remittentibus actiones suas non est amplius recursus dandus ad eas, ff. de aedil. edict., quaeritur § si venditor. Vel etiam si aliqui recepti fuerint et renunciant productioni, alios postea inducere non possunt, infra, de testib., de testibus.

X 2.20.26 *Series*

In primo gradu
Sufficit enim in computatione consanguinitatis incipere a primo gradu, licet de stipite nihil dicant, infra, de cons. et affin., tua; et 35. q. 5, series; et infra, de divort., porro; et infra, de testib., licet ex quadam.

Instrumentum
Sed qualiter per instrumentum poterat probari quod B. et I. non fuissent frater et soror, quia de consanguinitate non potest instrumentum fieri, ut videtur. Credo quod instrumentum illud non inducebatur directe super consanguinitate, sed indirecte forte in instrumento continebatur sic: super aliquo contractu B. et I. eius filia promiserunt aliquid facere, et sic dicebantur pater et filia, vel appellabantur in instrumento patruus et neptis. Et sic inducebatur, et instrumentum bene poterat produci post aperturam testium semper antequam renunciatum sit vel conclusum in causa, infra, de fide instrum., cum dilectus. Ber.

Iuri contraria
Bene dicit iuri contraria, quia huic obiiciebatur quod testes alterius partis falsum dixerant, ut supra dixi. Et ad falsum probandum non solum post publicationem testium, immo etiam post sententiam testes sunt admittendi, supra, de probat., licet, etiam usque ad viginti annos, infra, de except., cum venerabilis; et infra, de testib., ex tenore; et supra, de testib., sicut; et infra, de re iudic., lator; et infra, de re iudic., consanguinei. Sic etiam instrumentum potest probari falsum, C. de contrah. et comm. stip., optimam. Vincen. et alii dicunt quod haec consuetudo consonat iuri, quia post publicationem testium non sunt alii testes in contrarium vel ad idem inducendi, arg. supra, de testib., fraternitatis. Et Vincen. dixit quod haec non erat decretalis. Sed salva pace ipsius in hoc non bene dixit, quia in alio casu loquitur hic, quia agitur de falso, ut dictum est. Nec propter hanc decretalem offenditur regula illa, qua ipse dixit quod post publicationem testium non sunt ulterius testes admittendi, quia illud locum habet quando super eodem capitulo inducuntur super quo alii inducti fuerunt, quia illud non licet nec ei qui eos induxit nec adversario, supra, de testib., fraternitatis; et in Auth de testi. § quia vero, coll. 7. Et illa regula generaliter vera est. Quidam tamen dicunt quod non observatur in causa matrimoniali, et ibi non possunt recipi etiam super eodem capitulo. Et dicunt illud esse speciale in favorem matrimonii. Arg. ad hoc infra, de spons., sicut, in fi.; infra, de cons. et affin., ex litteris. Sed ibi testes non fuerant recepti, supra, de probat., causam matrimonii. Et quia post sententiam audiretur, ergo multo fortius ante sententiam. Sententia enim contra matrimonium non transit in rem iudicatam. De hoc dicitur etiam supra, de probat., iuravit. Hic non poterat omitti ista probatio sine periculo animae, ibi poterat omitti sine periculo, quia nullum peccatum in non contrahendo, sed in separando periculum est si non sunt consanguinei.

X 2.20.27 *Praeterea*

Conscios
Sed quomodo sunt conscii nisi viderint, quia forte ab eo audierunt, quia illud dicimus scire quod ab aliis audivimus, 22. q. 5, hoc videtur. Vel quia viderunt solum cum sola in lecto, vel nudum cum nuda, sed non viderunt eos carnaliter commisceri, infra, de praesump., tertio. Et ideo dicit, sed de visu nihil affirmant.

De visu
Hoc est si vidissent illos carnaliter commisceri.

De auditu
Quia forsitan testes distabant tenui pariete a commiscentibus, audiendo eos simul commisceri sed non videbant. Sed numquid fama in tali testimonio de auditu sufficit, ut debeant separari? Non videtur, quia testimonium de auditu non habet locum in hoc casu, quia fama per se nihil probat, licet praesumptionem inducat, arg. infra, de eo qui cog. consang., super eo, ad fi. Nec dicitur firmare sed potius infirmare, 4. q. 3, si testes § item saepe. Contra videtur, quia violenta praesumptio loco probationis habetur, praecipue in hoc casu, 32. q. 1, dixit Dominus. Et arg. ad hoc infra, de accusat., repellantur. Solutio: intelligunt quidam hanc decretalem cum agitur ad matrimonium impediendum, puta aliquis volebat contrahere, obiiciebatur quod non poterat, quia ille cognoverat consanguineam illius cum qua contrahere volebat, quod in tali casu levis probatio sufficit unius testis vel etiam sola fama impedit, infra, de spons., praeterea 2; et infra, de cons. et affin., super eo; et supra, de testib., super eo 2, in fi. Et improprie ponitur verbum illud accusatur in principio. Et sic exponitur accusatur, id est, denunciatur, quia quod non est, non potest accusari, sed denunciari potest ad impediendum matrimonium, infra, de despon. impub., ad dissolvendum. Et secundum hoc planum satis est. Vel potest intelligi cum maritus accusat uxorem de adulterio ad tori separationem, et ipsa excipiendo accusat eum aliquam cognovisse, ut eum a sua intentione repellat, infra, de adult., intelleximus; et infra, de adult., tua; 32. q. 6, nihil iniquius. Vel simpliciter potest intelligi cum uxor accusat maritum de adulterio ad tori separationem, dicens eum aliquam cognovisse. Et hoc videtur verius, et utroque istorum casuum videtur satis probari adulterium per huiusmodi testimonium de auditu, quia audiebant eos commisceri iuxta tenuem parietem. Et si fama publica consentiat et alia adminicula suffragentur, prout sequitur in littera, satis intelligitur esse probatum, quia omnia ista faciunt probationem sufficientem, infra, de praesump., litteris; et infra, de praesump., tertio. Ex his autem omnibus iudex confirmabit motum animi sui, supra, de renunciat., in praesentia; et 4. q. 3, si testes; et ff. de testi., ob carmen § si testes. Et est hic arg. quod quando non prosunt singula, multa collecta simul iuvant, ut in praedictis decretalibus infra, de praesump., litteris; et infra, de praesump., tertio; et supra, de probat., cum causam, ubi de hoc. Ber.

X 2.20.28 *Cum a nobis*

Canonica
Ut 6. q. 2, si tantum; et 6. q. 2, placuit; et supra, de probat., quoniam.

Civilia
C. de recepti., ne in arbitris § sin autem; et 4. q. 3, si testes § item unius; et C. de testi., iurisiurandi.

Unius
Sed quid si essent plures, numquid crederetur eis? Arg. quod sic supra, de elect., cum dilectus; et infra, de accusat., cum dilectus. In iudicio si dicant se aliquid fecisse in praeiudicium alterius partis negantis, non creditur eis, nisi quatenus constiterit legitimis documentis, supra, de probat., quoniam. In causa vero appellationis in defectum probationis, si super his quae coram eis acta sunt inducerentur tamquam testes et iurati, ut si dubitaretur de processu, satis possent admitti, arg. praedictarum decretalium supra, de elect., cum dilectus; et infra, de accusat., cum dilectus. Ibi creditur eis, sed super principali non, 2. q. 6, statuendum.

Scriptum
Hic dicitur quod non statur scripturae episcopi vel iudicis, quia possit probari contrarium, nisi habeat testium subscriptionem. Contraria signantur supra, de probat., post cessionem; et. 11. q. 3, curae; et infra, de fide instrum., scripta. Super hoc dicas ut dictum est supra, de probat., post cessionem. Ber.

Scriptum
Factum non per manum tabellionis, quia potest reprobari per duos vel tres testes, quamvis adminiculo testium fulciatur, ut hic patet. Secus esset de instrumento per manum publicam facto, ibi ad minus quatuor essent necessarii, prout notatur supra, de probat., tertio, in glossa quae incipit: sic ergo. Vel dic, nisi testium adminiculo etc., quia si testium adminiculo fulciatur, tunc non poterit per duos vel per tres testes reprobari, sed per quatuor vel plures. Et sic aequiparatur instrumento tabellionis manu publica facto, arg. infra, de fide instrum., si scripturam.

Testimonia
Sic scriptura iudicis potest reprobari per testes. Sed si publica est, aequalem vim habet cum testibus, C. de fid. instrum., in exercendis. Et sic videtur ex eo quod dicit, nisi testium adminiculo fulciatur, quod si scriptum iudicis habet testium subscriptionem, quod non valet reprobari per testes. Sed non est verum, quia quantumcumque authenticum sit instrumentum, potest reprobari, ut infra, de fide instrum., cum Ioannes; et C. de probation., cum precibus; et supra, de probat., tertio, ubi plene de hoc notatur. Arg. contra infra, de praescrip., ad audientiam, ubi potius statur privilegio quam testibus. Sed ibi ab eadem parte introducuntur privilegia et testes. Et expone nisi, id est, quamvis.

Sedis apostolicae auctoritate
Et ita videtur quod non requiratur subscriptio in litteris domini Papae, et quod contra eas non admittatur probatio, arg. C. de testament., omnium, nisi essent falsae. Sed contra videtur quod in litteris domini Papae subscribunt cardinales, 12. q. 2, cum redemptor; et 35. q. 9, quod quis. In privilegio subscribunt cardinales, in aliis litteris non subscribunt.

X 2.20.29 *De testibus*

De testibus
Inducti et iurati.

Non iurati
Hoc ideo dicit, quia cum producebantur ad probandam dilatoriam, iuraverunt super illa tantum, unde si postea petatur quod deponant super principali, non debent cogi ad idem, nec etiam sponte si vellent, quia non iuraverunt super hoc. Unde non valent dicta eorum super illo, ff. de pet. hered., si quis libertatem § ulti.; C qui legit. pers. in iud., momentariae. Et facit ad hoc ff. de iureiuran., si duo patroni § idem Iulianus, in fi. Unde si testes inducti super possessione deponant super proprietate, non prodest per iura praedicta. Et est arg. ad hoc supra, de caus. poss. et propr., pastoralis. Sed si peteretur, ut deponerent super principali, cum inducebantur ad probandam dilatoriam, numquid sint comepllendi? Ad hoc dicas quod si inducuntur super exceptione dilatoria, quae proponitur ante litem contestatam, tunc non debent adstringi iurare super principali, quia lite non contestata testes recipi non debent, supra, ut lite non cont., quoniam; et supra, ut lite non cont., per totum.

Cogendi
Quia ex quo pars adversa approbat illos pro se, et contra se tenetur recipere illos, 4. q. 3, si testes § si quis testibus. Et propter connexitatem causae, infra, de don. int. vir. et uxor., de prudentia.

Sufficiens
Ex quo sufficiens productio testium facta est, non sunt alii admittendi, ut hic patet. Unde et quarta dilatio tunc denegaretur, infra, de testib., significaverunt.

Publicatae
Sic patet quod attestationibus publicatis potest obiici exceptio peremptoria et probari, C. de exception., si quidem; et C. de probation., exceptionem. Novus enim articulus est exceptio peremptoria, et ideo probari potest apertis attestationibus principalis causae, et etiam in causa appellationis, infra, de testib., ex tenore; et supra, de dolo et contu., finem; supra, de testib., fraternitatis; infra, de fide instrum., cum Ioannes; et C. de temp. appel., per hanc. Ut si obiiciatur praescriptio vel pactum de non petendo, vel res iudicata potest etiam probari ante apertas attestationes, ut hic patet. Istud tamen stultum reputo, quod aliquis probet peremptoriam exceptionem antequam sciat si adversarius probavit intentionem suam, quia si adversarius non probavit, non indiget aliqua exceptione. Si probat, tunc demum potest et debet uti sua exceptione, cum sit alius articulus, C. de exception., si quidem. Sicut vides in teste qui reprobari debet et potest post publicationem, et illa est exceptio peremptoria, infra, de testib., praesentium; et supra, de testib., ex parte. Idem est etsi volo probare testes falsum dixisse, quia hoc possum post aperturam testium, supra, de probat., licet; et supra, de testib., series; et infra, de testib., ex tenore. Et nota hic tres casus, in quibus testes publicatis attestationibus non recipiuntur super eodem capitulo: si renunciatum est, si sufficiens productio facta est, si publicatio sit facta. Et hoc intellige cum idem est modus agendi, quia secus est si alio

modo agatur, infra, de testib., veniens 2; et infra, de testib., cum in tua. Item in alio si inter alias personas agatur, infra, de testib., constitutus. In tribus tamen casibus exceptio peremptoria litem contestatam impedit: si quis eam opponere voluerit et probare, videlicet si de ipso negotio sit iudicatum, transactum, vel sit finitum, ut in concilio Lugdunensi supra, de litis contest., extravag. exceptionis peremptoriae.

X 2.20.30 *Constitutus*

Constitutus
Decretalis ista loquitur de materia illa de qua loquitur infra, de concess. praeben., post electionem. Et ex illa potest colligi casus. Archiepiscopus Eboracensis absens concesserat archidiaconatum Richemundiae magistro Honorio capitulum Eboracense magistro Rogerio.

Privilegii
Infra, de concess. praeben., post electionem.

Revocatorias
Non tamen recessit de curia.

Praedictus H.
Qui litigabat cum procuratore magistri Rogerii in curia, ut sequitur statim littera.

Archiepiscopum
Inter archiepiscopum et magistrum R. causa super hoc eodem negotio agitata erat coram aliis iudicibus, et testes fuerunt ibi recepti. Archiepiscopus dicebat ad se pertinere collationem archidiaconatus. R. dicebat quod pertinebat ad capitulum a quo fuerat institutus, attestationes istas petebat H. aperiri, et ideo Papa noluit eas aperire, ut sequitur in vers. nos eas aperire. Et sic patet per hoc quod testes recepti in uno iudicio non faciunt fidem in alio, nisi inter easdem personas. Quandoque tamen testes recepti coram arbitro valent coram iudice, arg. C. de recepti., cum antea. Sed illud inter easdem partes secundum distinctionem illius legis C. de testi., cum apud compromissarios.

Delegatis
A legato Apostolicae sedis, qui causam illis commisit.

Produxisse
Super causa quae inter ipsum H. et archiepiscopum et magistrum R. vertebatur. Ex hoc habetur quod si duo litigant super aliquo, et tertius veniat dicens se habere ius in illa re et petat se admitti, audiendus est, cum sua intersit.

Depositis
Eo ipso quod attestationes fuerunt apud ipsum depositae, non potest ulterius alios producere, quia praesumitur didicisse testificata. Si vero apud iudices remansissent, tunc posset alios testes producere, cum illorum attestationes non fuerunt publicatae, infra, de

testib., cum causam quae § ulti., nec renunciaverat productioni testium. Quidam supplent hic, apud eum depositis et publicatis, et sic planum est, quod verius videtur.

Alioquin
Id est, si non fuerint ab ipso producti, et depositi apud ipsum et publicati.

Producti
Non ab Honorio in hac causa sed ab archiepiscopo, quorum supra petiit Honorius publicationem, sed non obtinuit. Et est arg. hic quod res inter alios acta non nocet aliis, infra, de fide instrum., inter dilectos; et infra, de re iudic., quamvis.

X 2.20.31 *Praesentium*

Si quis
Scilicet contra quem producuntur testes. Qui enim producit testes, contra personas eorum dicere non potest nec in sua causa nec in alia, nisi ex nova causa. Sed in dicta eorum bene potest dicere, quia sibi ipsis in serie sui testimonii contradicunt, sive pro se inducti sunt in causa sive contra se in alia, 4. q. 3, si testes § si quis testibus. Et est ratio quia cum produco testem, personam eius approbo, et ideo contra personam eius dicere non possum. Et ideo si approbo illum pro me, et teneor recipere contra me, 19. dist., si Romanorum. Sed quid sit dicturus ignoro, et ideo in dicta dicere possum si video quod contradicit sibi ipsi vel etiam aliis testibus meis, vel si facit pro adversario meo, est tamen arg. contra hoc in fi. Sed quid si produxit instrumenta? Non potest aliquid dicere contra illa, quia diligenter debuit providere instrumentum an faceret pro se vel contra se antequam produceret illud. Sed in teste istud praevideri non potest, quia frequenter mutant ex eo quod dicunt se scire quod nesciunt, et quandoque dicunt se nescire quod scitum et econverso. Et haec est causa quare diversae scripturae ab eadem parte prolatae invicem sibi derogant, C. de fid. instrum., scripturae. Et hoc habes infra, de fide instrum., imputari. Potest tamen quis dicere se nolle uti instrumento producto si arguitur falsitatis, C. de fid. instrum., si adversarius.

In personas
Obiicere potest quis in personam testis, quod sit periurus, infamis, conspirator, inimicus, quod sit corruptus, quod sit servus, et multa alia posses super hoc invenire exempla. De hoc melius dicitur infra, de testib., testimonium. Ber.

Iuramento
Iuramentum est hic legitima probatio, quia quilibet praesumitur bonus nisi probetur malus, supra, de scrutin., ex parte; et infra, de praesump., dudum; et C. qui milit. poss., super servis, lib. 12. Sic etiam conscientia vel fides probatur per iuramentum, infra, de sent. excom., si vero aliquis. Sic infra, de except., pastoralis. Item per solum iuramentum probatur amissio rerum, supra, de his quae vi met. caus. fi., super eo. Et quod hic dicit de iuramento isto praestando locum habet in causis, ubi de calumnia non iuratur sed de veritate dicenda. Quod in his causis praestari debet habes supra, de elect., dudum ecclesia; et infra, de iureiur., ex litteris. Et ita iuramentum de veritate dicenda non excludit sacramentum de calumnia super emergenti exceptione, ut hic patet, et supra, de

elect., cum dilectus; et supra, de restit. spol., litteras. Si vero iuratum esset de calumnia, non est aliud iuramentum postea praestandum, C. de iureiuran., authen. hoc sacramentum; et in Auth. de his qui ingred. ad appel. § ulti., coll. 5, ubi hoc expressum est ad fi., unde sumpta fuit authentica. Quidam dicunt quod in qualibet causa hoc iuramentum est praestandum, sive iuramentum sit de calumnia sive de veritate dicenda, et est speciale. Et surgit hoc ex quadam praesumptione, quia cum nihil dixerit contra testes, cum producebantur testes, et postea cum publicantur, quodammodo videbantur approbare testes, unde postea per sacramentum tollitur illa praesumptio. Simile infra, de testib., non debet; et infra, de except., pastoralis. Sed ibi non credo quod sufficeret praemittere protestationem, licet sufficiebat hic. Sed quod prius dixi verius credo, ut dixerunt Tanc. et Gott. et Vincen. olim, sed modo mutatur, ut dicitur. Et quod locum habeat tantum haec decretalis, ubi de calumnia non iuratur. Arg. optimum probatur ff. de poe., sanctio legum, ubi dicitur cum nova lex statuitur, ad eas species pertinere non videtur, quibus ipsa lege poena specialiter adita est. Nec versimile est delictum unum eadem lege variis aestimationibus coerceri. Et ex praesumptione praedicta statutum fuit, ut post publicationem iuretur quod ex malitia non procedat, cum protestatio non processerit. Et hoc ubi de calumnia nisi per iuramentum.

Didicerit

Hoc difficile est probare nisi per iuramentum. Sic infra, de except., pastoralis. Et sufficit hoc iuramentum sicut in proximo casu.

Protestatus

Per hanc protestationem videtur quod noluit fidem adhibere dictis illorum testium contra se. Non ergo debet habere pro se, 19. dist., si Romanorum; et 3. q. 8 § cuius in agendo, infra, de censib., cum olim; C. de solut., cum pro pecunia. Sic C. ad leg. Corn. de fals., qui falsas; et ff. de inoffic. testam., Papinianus § meminisse; et C. de his quib. ut indign., alia. Et est absurdum redire ad hoc cui renunciatum est, C. de reb. credit., si quis iusirandum. Sic econverso semel probatum reprobare non possum, 8. q. 2, dilectissimi; ff. de negot. gest., Pomponius; ff. de adulter., si uxor; infra, de iureiur., quemadmodum. Sed non videtur quod intellectus talis probabilis sit, quia licet reprobem personam, non ideo videor reprobare dictum, sicut econverso licet approbem personam, non tamen approbo dicta, 4. q. 3, si testes § si quis testibus. Et propterea sola protestatio si amplius non sit processum, non obest, quia licitum est desistere quandocumque ante sententiam, ut dicunt iura praedicta, scilicet C. ad leg. Corn. de fals., qui falsas; et ff. de inoffic. testam., Papinianus § meminisse; et C. de his quib. ut indign., alia. Et ita sola protestatio non nocet, si non fuit processum ad actum, quin credatur si pro ipso dixerint. Et si processum fuit ad reprobationem et non obtinuit, si dixit pro ipso, non prodest. Et expone de facili non credatur, id est, nullo modo credatur. Simile 2. q. 6, biduum, vers. si adversarius, ubi habes: difficile est ut hoc audiatur, id est, nullo modo audiatur, C. ad leg. Corn. de fals., imperator; et 47. dist., quantumlibet; et 1. q. 1, principatus. Vel intellige quod dicit, de facili non credatur quando ab initio antequam deponeret, protestatus fuit quod licitum esset in personas obiicere. Tunc enim praesumptio est contra testem, quod criminum timore aliquid dixerit pro ipso, ne postea obiiceretur ei crimen. Et tunc si dicit aliquid pro ipso, de facili non credatur, nisi habito respectu ad qualitatem personae ipsius testis, ut puta si est talis, et ita honestus quod propter hoc nulla suspicio est contra ipsum,

quod aliquid diceret timore alicuius criminis, tunc creditur ei. Si vero sit suspecta persona, ut timore illo praesumptio sit contra illum, tunc non creditur ei, vel de facili non credatur sine aliis adminiculis, sed cum illis bene creditur. Et sic dupliciter potest intelligi quod dicit: de facili non credatur. Ber.

X 2.20.32 *In nostra*

Adversa

Super contrarietate testium ita distingue: si unus testis contradicit sibi expresse, non valet, 3. q. 9, pura; 23. q. 7, quod autem; infra, de appell., sollicitudinem; C. de liber. caus., cum precum; et supra, de probat., licet, nisi incontinenti hoc fecerit corrigendo dictum suum, infra, de testibus cog., praeterea. Idem videtur si testis pro parte dicit falsum, ut in nullo valeat dictum suum, 9. dist., si ad scripturas; et 4. q. 3, si testes § qui falso. Vel varie, et supra, de caus. poss. et propr., cum ecclesia; et 3. q. 9, pura. Si vero unus testis contradicit pluribus, talis contrarietas non obstat, quia dictum unius testis non probat aliquid, 33. q. 2, admonere; et supra, de testib., veniens 1; et supra, de testib., licet universis. Nisi forte contradicat pluribus testibus cum quibus est scriptus in aliquo instrumento, ff. quemad. test. ap., omnibus, in fi. Si vero plures testes contradicant pluribus, si sunt omnes ex eadem parte, dicunt quidam quod non valent, arg. infra, de probat., licet. Sicut contingit in diversis scripturis, infra, de fide instrum., imputari; C. de fid. instrum., diversae scripturae. Si autem contradicant testibus alterius partis, valet testimonium plurium. Sed hoc non placet, licet etiam testes inducti ex eadem parte contradicant sibi, non tamen succumbunt talia testimonia, licet ita sit in instrumentis, quia testes non potuerunt praevidere, ut dixi supra, de testib., praesentium. Dicas quod si testes contradicant testibus sive ex eadem parte sive ex adversa, primo concordabit iudex contrarietatem illam si potest, arg. supra, de testib., cum tu; et de poen. dist. 1, periculosae; infra de verb. sign., nihil obstat; et 11. q. 3, antecessor; et supra, de consuet., cum dilectus. Nisi manifesta sit contrarietas, 3. q. 9, nihilominus; 35. q. 6, de parentela. Et si manifesta sit contrarietas, valet testimonium plurium, nisi ex altera parte tanta sit dignitas, ut merito debeat praeiudicare numero, ut hic inferius dicitur, vel nisi versimiliora loquantur et plura probent, 4. q. 3, si testes; et supra, de probat., licet, vers. fi. Si vero testes ex utraque parte omnino sint pares, pro reo fertur sententia, supra, de probat., ex litteris; et infra, de fide instrum., inter dilectos, in fi. Nisi in quatuor casibus: in causa matrimoniali, liberali, et dote et testamento, ff. de re iud., inter pares; et infra, de re iudic., duobus, ubi habes illos quatuor casus, supra, de probat., ex litteris; et 33. q. 1, si quis acceperit; et ff. de inoffic. testam., si pars. Si autem neuter possideret, sed uterque petit rem ab alio, scilicet a tertio si probationes sint hinc inde omnino pares, res dividatur si potest, arg. infra, de praesump., afferte. Si res est indivisibili, iudex potest gratificari cui vult, arg. infra, de paroch., si episcopus; et infra, de iure patron., cum autem; et 63. dist., si forte. Vel dividatur res sorte, 26. q. 2, sors; et ff. de iud., sed cum ambo. Si vero testes contradicunt instrumento, aut contradicunt instrumento in quo scripti sunt, aut alii in quo scripti non sunt. Si contradicunt instrumento in quo scripti sunt, praevalent testes instrumento, supra, de probat., tertio. Et arg. ad hoc ff. quemad. test. ap., omnibus, in fi.; et in Auth. de fid. instrum. § si vero aliquid. Si vero contradicant instrumento in quo non sunt scripti, sic ut supra, de probat., tertio. Sed quid ubi duo petunt eandem uxorem, et aequaliter probant? Videtur quod detur ei cui consentit, C. de nupt., viduae; et 1. q. 7,

sancimus. Si autem non vult consentire in aliquem, detur ditiori et meliori si aeque sint per omnia pares forte alteri detur per iura praedicta, 21. dist., cleros. Si vero testes inducti sunt iam ad probandum aliquem articulum, et alii postmodum inducuntur in contrarium indirecte, statur secundis, infra, de testib., ex tenore; et infra, de testib., series; et arg. C. de contrah. et comm. stip., optimam. Sed hoc intelligo verum quando secundi sunt plures et meliores. Et si aequales numero, recurratur ad dignitatem ut hic, alias staretur potius primis, quia potius praesumitur subornatio in secundis quam in primis. Ber.

Motum
Supra, de renunciat., in praesentia; et 4. q. 3, si testes; et supra, de testib., praeterea.

Pro archidiacono
Supra, de testib., cum tu, arg. contra. Ibi praesumitur quod utraque pars verum dixit, quia illa dicta simul poterant esse vera, hic vero non. Ideoque recte statur maiori parte.

Praeferenda
Vel saltem coaequanda, quia tunc iudicabitur pro reo, ut dictum est in prima notula. Quod hic dicitur recurrendum est ad dignitatem personarum, ut auctoritas praeferatur multitudini, ex altera parte intelligitur quando numerus in modicum excedit, supra, de elect., ecclesia vestra 2. Si enim multum excederet, tunc praefertur numerus. Arg. contra supra, de elect., dudum ad audientiam. Simile 19. dist., in canonicis. Sed in qua quantitate praeferemus auctoritatem vel numerum? Istud erit in arbitrio iudicis discreti aequitate inspecta, quia declarari vel regula de facili dari non posset, ff. de diver. temp. praescr., de accessionibus.

X 2.20.33 *Tam litteris*

De auditu
Sic ergo testimonium de auditu tantum cum fama non facit fidem, infra, de accusat., inquisitionis § quaesivisti; et infra, de eo qui cog. consang., super eo. Arg. contra supra, de testib., praeterea, ubi creditur testimonio de auditu cum fama; et 32. q. 1, dixit. Sed loquitur ibi de praesumptione violenta, et ibi speciale est in eo casu, alias non sufficit. Sed haec fama purgationem inducit, ut in decretali infra, de accusat., inquisitionis, et hic ut patet inferius.

Probata
Nota quod in causa criminali etiam civiliter mota, licet actor habeat praesumptionem pro se, non tamen defertur ei iuramentum, immo locum habet regula actore non probante reus absolvitur, C. de edend., qui accusare. Tamen si infamatus est, ex hoc debet inde se purgare. In civili aliud, quia si actor habet bonam praesumptionem pro se habito respectu ad qualitatem personae et causae, defertur ei iuramentum, infra, de iureiur., iuramentum; et C. de testi., in bonae.

Soli
Id est, singulares, et ideo non valent, supra, de probat., licet; et supra, de elect., bonae 1; et supra, de elect., cum dilectus.

Tales
Forte criminosi vel malae opinionis. Unde eis non creditur, 2. q. 7, testes.

Cum vidua
Corrupta, alias non obesset, 34. dist., Valentino. Et quod cognovisset eam si corrupta esset, supra, de bigam., debitum. Et intellige quod contraxit in sacris, alias notam criminis non contraxisset, quia tunc non esset crimen contrahere cum vidua, sed irregularitas quaedam, quae repellit a promotione, ut supra, de bigam., ut bigami; supra, de bigam., super eo; et supra, de bigam., de bigamis, quod videtur potius hic fuisse.

Feminas
Nota quod cum opponitur crimen sive irregularitas in modum exceptionis contra clericum civiliter, indifferenter admittuntur laici et feminae, ut hic patet, sicut in denunciatione, supra, de testib., quoniam. Quia licet agitur de crimine, non agitur criminaliter, ut in capitulo supra, de testib., quoniam. Unde procurator potest intervenire, infra, de accusat., super his, in fi. Alias mulier non admittitur in crimine, 33. q. 5, mulierem; et infra, de verb. sign., forus § ulti.; et 15. q. 3, ex eo. Nec in testamento admittitur, Inst. de testam. ordin. § testes, vers. sed neque mulier. Item aliud contra supra, de testib., de caetero; et infra, de accusat., meminimus; et infra, de accusat., cum P; 2. q. 7, laicos; et 2. q. 7, ipsi Apostoli; et 2. q. 7, testes. Et haec omnia contraria loquuntur cum criminaliter agitur.

Excommunicantes
Videtur quod testes compelli possunt ubi odiosa proponitur exceptio, arg. supra, de elect., cum dilectus, ubi electores compelluntur detegere fraudem. Sed hic nihil dicitur de testibus, sed de impedientibus testes, et ideo dicas quod non debent compelli. Super hoc dic ut notatur infra, de testibus cog., dilectorum, ubi de hoc in fi. notulae. Et dixi infra, de accusat., super his, in quadam notula quae incipit: et tamen, ubi de hoc.

Purgationem
Arg. pro illis qui dicunt semper accusato indicendam purgationem, quod non est verum nisi ex hoc infamatus fuisset, 6. q. 5, quod autem; et 2. q. 5, presbyter.

Non fuisse consciam
Sed qualiter hoc potuit constare cum singuli essent in suis testimoniis singulares, supra, de elect., cum dilectus; et supra, de elect., bonae 1; et infra, de accusat., cum dilectus, in fi.? Solutio: bene potuit constare probando absentiam fratrum tempore contento in litteris, infra, de his quae fi. a prael., quanto; et infra, de testib., ex tenore. Vel quotiens fiebat mentio in capitulo de hoc facto, nulla fuit habita mentio de talibus litteris, supra, de probat., tertio; arg. C. ad leg. Corn. de fals., qui veluti. Nota ergo qualiter puniendi sunt qui praeter conscientiam capituli huiusmodi litteras nomine capituli scribunt, quia tamquam falsarii puniuntur, infra, de his quae fi. a prael., quanto.

X 2.20.34 *Cum olim*

Menensis
Ista ecclesia Menensis, quae alias dicitur sancti David, olim fuit archiepiscopalis, sicut appareat per privilegium ipsius ecclesiae, quam Cantuariensis archiepiscopus tenet pro suffraganea ecclesiae suae. Archidiaconus ipsius ecclesiae super statu seu libertate illius movit quaestionem archiepiscopo Cantuariensi dicens eam liberam esse. Et per consequens debet esse metropolis super cunctis ecclesiis Vualliae. Hoc dicit Tanc., qui factum novit.

Per exceptionem
Forte obiiciebatur ei, quod non habebat mandatum, et sine litteris sui capituli et episcopi non erat audiendus, ut supra, de procurat., alia. Sed non est verum in hoc casu, quia quilibet alius etiam minor potest prosequi iniuriam ecclesiae suae, ne trahatur in peiorem statum, 12. q. 2, non liceat. Etiam aliis contradicentibus, ff. de liber. caus., si quando; ff. de liber. caus., quoniam; et ff. de liber. caus., amplius. Licet alias coniuncta persona repellatur, si agat contra voluntatem aliorum, ff. de procur., Pomponius § ulti. Sed hic non est ita, nam quilibet agere tenetur pro ecclesia, 2. q. 7, quapropter; et 5. q. 5, non vos. Et sic unus iuste resistit omnibus, 31. dist., Nicaena; et infra, de his quae fi. a maior. par. cap., cum in cunctis. Arg. contra ff. qui et a quib. man. lib., si quis hac lege § quotiens. Et ita intellige de alia exceptione, puta rei iudicatae, vel quia esset excommunicatus vel aliam consimilem. Io. Item arg. est hic quod exceptio peremptoria ante litem contestatam potest obiici et probari, et sic repellitur actor ab agendo, quod verum est in tribus casibus, supra, de litis contest., extravag. exceptionis peremptoriae, in concilio Lugdunensi.

Valetudinarios
Sic supra, ut lite non cont., quoniam, 1. resp.

Recepturae
Sic videtur quod contra contumacem possit procedi usque ad sententiam etiam lite non contestata. Si haec est vera littera, et loquitur de diffinitiva. Sic non solum senes, sed omnes indifferenter sunt recipiendi. Et hoc videtur satis littera, testes maxime senes, et sic illud maxime proprie ponitur. Et sic est iste unus casus in quo favore libertatis recipiuntur testes lite non contestata et sententia proferetur, sicut contingit in electione praelati vel matrimonio carnali, supra, ut lite non cont., quoniam § porro. Et est arg. ad hoc C. de ing. manum., diffamari. Et sic intelligebat Tanc. Alii exponunt istam litteram sententiam, id est, interlocutoriam, scilicet de missione in possessionem, si altera pars non venerit, vel si partes venerint, litem primo contestabuntur. Sed prima lectura ex ipsa patet littera. Nam si Papa vellet intellexisse de interlocutoria, de ea mentionem fecisset, infra, de decim., ad audientiam; et supra, de translat., inter corporalia. Sed multum videtur obstare huic, cum dicit senes et valetudinarii, cum illi consueverunt recipi lite non contestata, ut in capitulo supra, ut lite non cont., quoniam. Unde si Papa intelligebat quod in casu isto possint recipi lite non contestata ex parte actoris, simpliciter dicere debuit: recipiatis testes quos archidiaconus duxerit producendos, secundum quod praecepit in casu consimili, cum actor absens est contumaciter, et reus praesens, supra, de dolo et

contu., causam quae. Ideoque videtur quod loquatur hic de sententia interlocutoria, et testes senes et valetudinarii recipiantur, ne copia subtrahatur probationum ex eorum defectu, ut supra, ut lite non cont., quoniam. Et secundum hoc dicit maxime, id est, tantum. Vel dic ut dixit Tanc. Et hoc potest intelligi ex eo quod dicit maxime, quod verbum non fuit in antiqua compilatione, et quia non recipiuntur testes lite non contestata, cum fit missio in possessionem propter contumaciam, sed summatim examinato negotio fit missio, supra, ut lite non cont., quoniam § in aliis; et supra, ut lite non cont., quoniam § quod si. Ber.

X 2.20.35 *Ex tenore*

Cognitam
Et sic inductum fuit matrimonium praesumptum, infra, de cond. appos., de illis, contra quam praesumptionem non admittitur probatio in contrarium, infra, de spons., is qui.

Inficiabatur
Et ita per narrationem et responsionem facta est contestatio litis, supra, de elect., dudum ecclesia; et supra, de litis contest., olim; et C. de lit. contest., res.

Adiiciens
In modum exceptionis. Sic supra, de ord. cognit., intelleximus. Et ex istis verbis debes instrui qualiter debeas respondere et sub qua forma, quia sic excipiendo non confiteris, infra, de except., cum venerabilis, ubi de hoc; et ff. de exception., non utique; et infra, de except., venerabilem.

Tunc viventem
Ille allegabat turpitudinem suam, unde non debuit audiri, infra, de dona., inter dilectos; et infra, de concess. praeben., cum super; et supra, de confess., cum super. Sed in casu isto et in quolibet, ubi vertitur periculum animae, auditur allegans turpitudinem suam, supra, de testib., sicut; et infra, de re iudic., lator; et infra, de re iudic., consanguinei. Et in causa liberali auditur aliquis confitens turpitudinem suam, scilicet se vendidisse filium ingenuum, C. de liber. caus., rem quidem. Vincen. Item ex eo quod dicit tunc viventem, patet quod haec non poterat esse uxor, sed si prima esset defuncta, et haec sciebat illum aliam habere antequam contraxit cum eo, eam postea habere non posset, infra, de eo qui dux. in matr. quam pol. per adult., super hoc; et infra, de eo qui dux. in matr. quam pol. per adult., ex litterarum; et infra, de eo qui dux. in matr. quam pol. per adult., cum haberet. Si vero credebat eum esse solutum quando contraxit cum eo, bene posset eum habere, infra, de eo qui dux. in matr. quam pol. per adult., propositum; et infra, de eo qui dux. in matr. quam pol. per adult., veniens. Ber.

Admittendos
Hic habes expresse quod post publicationem testium, etiam in eadem instantia iudicis testes recipiuntur super novo articulo vel exceptione, supra, de testib., de testibus, ubi de hoc; et supra, de testib., series; et C. de exception., si quidem; C. de probation., exceptionem; et infra, de except., denique. Super veteri vero non sunt recipiendi, supra, de testib., fraternitatis, ubi de hoc. Sed certe licitum est mulieri probare absentiam viri,

ergo et eodem modo licitum est viro probare praesentiam, quia mos utrique gerendus est, ff. de probation., circa eum, quia non debet actori licere quod reo non liceat, ff. de regul. iur., non debet. Et ita est arg. quod postquam didici testificata, non possum inducere testes super eodem articulo. Sed alius est modus inducendi, et ad aliud nunc quam primo, infra, de testib., veniens 2; et infra, de testib., cum in tua.

X 2.20.36 *Significaverunt*

Intentarunt
Quod eis licuit, supra, de caus. poss. et propr., pastoralis; et ff. de vi et de vi arm., cum fundum § ulti.; et ff. de acq. poss., naturaliter § nihil.

Ea ratione
Haec ratio bona erat, quia interdictum unde vi datur heredi et bonorum possessori, ff. de vi et de vi arm., praetor ait § interdictum hoc, in fi. Et datur in heredem in id quod ad eum pervenit, ff. de vi et de vi arm., praetor ait § penulti; et ff. de vi et de vi arm., dolove; et 16. q. 6, si episcopum. Et intellige quod datur contra heredem iuris, C. ex delict. defunct., post litis. Non autem contra heredem rei, quia non omnis ad quem res pervenit, tenetur interdicto unde vi, supra, de restit. spol., cum ad sedem; et ff. de vi et de vi arm., cum a te. Si tamen scienter rem illam recepit a deiectore, tenetur, supra, de restit. spol., saepe. Vincen.

Deberet
Monachis petentibus quartam productionem testium, cum solemnitate legali super iudicio possessorio, quam cum iudices denegarunt, monachi appellarunt ab interlocutoria contra eos lata, ut infra patet.

Solemnitate
Quam habes infra, de testib., ultra; et in Auth de testi. § quia vero, coll. 7.

Infra decem dies
Idem tempus datur ad appellandum a diffinitiva, 2. q. 6, anteriorum. Et sic patet quod infra decem dies debet appellari ab interlocutoria, supra, de elect., cum dilectus. Alias transit in rem iudicatam, ut ibi dicitur, idem etiam tempus datur ad supplicandum, C. de precib. imper. offer., authen. quae supplicatio. Vincen.

Effraenatam
Nota novitatem iuris, sed ratio est antiqua. Sic infra, de testib., cum causam quae; et ff. de testi., testimoniorum, in fi. Et ex eadem causa posset iudex denegare tertiam et etiam secundam. Simile ff. de iud., nonnumquam; 24. q. 3, de illicita; et supra, de dolo et contu., cum dilecti. Ex quo eadem subest causa in secunda sive in tertia, ut in quarta. Idem servandum est hinc inde, supra, de translat., inter corporalia. Vel si infra certum tempus causa deberet terminari, supra, de offi. deleg., de causis. Vincen.

In probatione
Scilicet quod non probent se appellasse infra decem dies ex causa praemissa.

Condemnantes
Et sic patet quod appellans iniuste condemnandus est in expensis alteri parti, et istud generale est, 2. q. 6, omnino; et infra, de appell., ut debitus. Et quod remitti debet ad eundem iudicem a quo appellavit, ut dicit in illa decretali infra, de appell., ut debitus; et infra, de appell., cum in ecclesia. Sed quare secundum iura praedicta non remittuntur partes ad priores iudices si apparuerit monachos frustratorie appellasse? Hoc ideo contingit, quia priores iudices retulerunt negotium domino Papae, et ita desierunt esse iudices per relationem, ut supra, de offi. legat., licet, in princ.; et C. de relat., si quis; et C. de relat., super delictis, et ut patet ex principio capituli. Quid iuris sit de huiusmodi expensis dictum est plene supra, de dolo et contu., finem. Ber.

Liquere
Non videtur quod plene liqueat nisi postquam renunciatum fuerit et conclusum, cum ante renunciationem possint partes adhuc producere testes super novo articulo et instrumenta, arg. supra, de elect., dudum ecclesia; et infra, de fide instrum., cum dilectus.

Recursum
Sed esto quod moniales obtineant in possessione, ergo habebunt rem cum fructibus a tempore deiectionis, supra, de restit. spol., gravis; et ff. de vi et de vi arm., praetor ait § qui vi deiectus est. Sed pone quod monachi obtineant postea in petitorio, ergo habebunt rem cum fructibus a tempore litis contestatae super proprietate. Et imputent sibi moniales quod primo intentarunt iudicium proprietatis, quia litis contestatio exaequat omnes possessores, et per litis contestationem fiunt malae fidei possessores, et ideo fructus post litis contestationem omnes restituendi sunt cum ipsa re, C. de rei vend., certum est; et ff. de pet. hered., sed et si lege § si ante litem. Sed forte inspicitur litis contestationem de novo facta super proprietate, et quia moniales primo conveniebant, modo conveniuntur. Et hoc verum est secundum legistas, qui dicunt quod ex toto renunciatur iudicio proprietatis antequam admittatur ad possessorium. Secundum iura canonica non renunciatur iudicio proprietatis, ut hic dicit, quia postea debent procedere in iudicio proprietatis. Sed secundum hoc videtur quod fecerunt sibi praeiudicium circa fructus perceptos, et post litis contestationem super proprietate, si monachi postea obtineant in iudicio proprietatis. Io.

X 2.20.37 *Cum causam*

In personas
Sed cum exceptio quae opponitur in personas testium, debeat reservari in tempus disputationis post publicationem testium, ut supra, de testib., praesentium, quare Papa dicit quod statim hoc faciant. Ideo fecit, ne differatur negotium, quia praesumptio erat contra Faventinos, ne causa protrahendi negotium obiicerent in personas testium post publicationem. Unde Papa voluit super hoc providere, et ideo non fuerunt admissi ad hoc, supra, de probat., licet. In casu tamen statim admittitur ad probandum. Unde cum dicitur quod ille sit odiosus ex criminali causa, statim debet hoc probare, C. de testi., authen. si dicatur. Si ex levi causa vel pecuniaria odiosus dicitur, recipiatur eius dictum, et in tempus disputationis reservetur huiusmodi quaestio, ut ibidem dicitur in Auth de

testi. § si vero, coll. 7. Item et in alio casu cum obiicitur testi quod sit servus, si dicat se liberum non debet admitti, nisi prius ostendam chartam suae manumissionis, C. de testi., authen. si testis servilis. Arg. contra quod statim debeat audiri qui obiicit crimen testi supra, de testib., ex parte.

Procures
Sigillatim per se, alias non valerent eorum dicta, infra, de testib., venerabili; et infra, de accusat., inquisitionis § 1; et supra, de elect., quia propter; arg. C. de testi., nullum. Ber.

Circumstantiis
Alias non pervenitur ad veritatem, 23. q. 8, occidit, an scilicet lucri gratia vel inimicitiarum testificentur, et de aliis circumstantiis de quibus traditur ff. de testi., testium; et 4. q. 3, si testes. Ber.

De causis
Causam enim scientiae debet quaerere iudex, quam si non reddiderit, non valebit dictum testis, 4. q. 3, si testes § solam; et 24. q. 3, si habes; et in Auth de testi. § licet dudum, coll. 7. Si vero iudex non quaesierit, et testes simpliciter dixerint se scire, valebit, infra, de re iudic., sicut, ubi de hoc; et ff. de novi operis nunc., de pupillo § qui nunciat, in fi. Et de personis ipsorum testium an sint honesti, 4. q. 3 § 2. Sed numquid testis tenetur respondere an sit criminosus, periurus, vel talis qui non possit testificari? Et videtur quod sic, quia istae sunt circumstantiae de quibus quaeritur, ff. de testi., testium; et 4. q. 3, si testes. Et quia testis in causa criminali et ordinandus aequiparantur, 2. q. 7, ipsi Apostoli; et 2. q. 7, testes. Sed ordinandus tenetur dicere crimen suum, 50. dist., ex poenitentibus; et 24. dist., si quis. Optimum arg. infra, de except., denique. Sed contrarium non invenitur, ergo stabimus legibus praedictis. Quod enim non mutatur, quare stare prohibetur, C. de testament., sancimus. Sed contra videtur, quod non teneatur respondere, quia nemo tenetur prodere se, de poen. dist. 1, non tibi dico. Haec auctoritas loquitur de eo qui in iudicio animae confitetur, et ille non tenetur crimen suum occultum publice confiteri. Quid ergo dicemus? Satis potest dici quod debet respondere saltem ad ea de quibus traditur 4. q. 3, si testes; et ff. de testi., testium. Et optimum arg. infra, de accusat., inquisitionis § 1, etsi de aliis interrogentur. Et satis videtur honestum, quod non interrogentur nisi de his de quibus fit mentio in legibus praedictis, quia talia non sunt amplianda sed restringenda. Praeterea testes debent cognoscere litigantium personas a quibus et contra quos inducuntur quando agitur de contractibus, aliter non videtur quod possint congrue testificari, arg. in Auth de testi. § 1, coll. 7; et in Auth. de fid. instrum. § si quis igitur, circa princ., coll. 6; C. de iure delib., scimus § sin autem dubius, in fi. Et si dubitetur an testes cognoscant contrahentes vel litigantes, exhibendi sunt ipsis testibus ut eos cognoscant et in eadem forma in qua esse consueverunt, quia mutata forma et substantia quasi mutata videtur, ff. ad exhib., Iulianus§ sed et si quis. Istud frequenter fit, praecipue ubi factum suspectum praesumitur.

Loco
Exemplo Danielis.

Tempore
Quia si versi sunt, sive in loco sive in tempore, non valet eorum dictum, 3. q. 9, nihilominus. Nec intellige de tempore, id est, de qualitate temporis nisi esset suspectus testis, vel ex tempore, id est, ex mora. Et ex hoc etiam redditur testimonium suspectum, 4. q. 3, si testes § item in testibus considerandum est. Cum enim testis praesumitur suspectus, quibuscumque modis potest inquirenda est veritas, arg. 30. q. 5, iudicantem; et 35. q. 9, grave; et C. de edend., is apud quem, in fi. Iudex ergo discretus in omnibus istis et aliis per quae possit veritas melius perscrutari debet interrogare. Aliter enim ad veritatem non possumus pervenire, 23. q. 8, occidit.

Testes autem
Clausula ista non recipit omnia superiora, quia testes illi qui inducuntur super criminibus non compelluntur, infra, de testibus cog., dilectorum, ubi de hoc.

Compellas
Per excommunicationem, supra, de testib., tam litteris. Et hoc bene potest, quia praestat impedimentum causae, et quia iurisdictio ad omnia extenditur, sine quibus causa expediri non potest, supra, de offi. deleg., praeterea; et supra, de offi. deleg., prudentiam § sexta, ad fi.; et supra, de offi. deleg., quia quaesitum; et supra, de offi. deleg., suspicionis; et supra, de testib., tam litteris; et ff. de iuris., cui iurisdictio. Et si nullo modo potest compelli, et ita testes non possunt inde dicere veritatem, quid erit? Videtur quod debet haberi pro producto ac si deposuisset contra illum qui fecit illum impediri vel consentit, quia si vellet prohibere ne taliter impediretur, bene posset, infra, de testib., constitutis 1; arg. 3. q. 7, infames, vers. si quis adeo. Arg. contra 1. q. 4, quia praesulatus.

Effraenatam
Sic supra, de testib., significaverunt; et ff. de testi., testimoniorum, in fi. Et sic ultra quadraginta dicitur esse effraenata multitudo, sic infra, de cleri. excom., latores. Sed hoc potius consideratur secundum magnitudinem causae et personarum qualitatem. Nam quandoque viginti tres millia dicuntur pauci, 45. dist., disciplina.

Voluerint
Haec littera potest intelligi secundum distinctionem illius legis C. de testi., cum apud compromissarios; infra, de testib., praesentata. Vel dic ut dicebat Io. et Laur. quod quamdiu attestationes sunt clausae, possunt adhuc idem testes iterato induci, ut addant, quia forte tunc non habebant omnia in memoria, in Auth de testi. § quia vero multi, coll. 7; et arg. ff. de quaest., repeti. Vel ut corrigant errorem suum. Sed illud non credo, quia hoc debent facere incontinenti, et non ex intervallo, infra, de testibus cog., praeterea, in fi. Et arg. ad hoc 35. q. 6, de parentela, in vers. discordasse. Sed si quis testis secundo inductus dicat contrarium eius quod primo dixit, tunc dictum suum non valet nec creditur ei, arg. infra, de testib., cum in tua; infra, de appell., sollicitudinem, in fi. Nisi forte ita esset quod primae attestationes non valuissent, puta ab eo receptae qui nullam habebat iurisdictionem, vel potius quia pro non scriptis debent haberi nec debent publicari, sed potius incidi, ff. quib. mod. pig. vel hyp. sol., debitoris, in fi.

X 2.20.38 *Veniens ad Apostolicam*

Veniens
De hac materia loquitur infra, de appell., constitutus.

Appellationem
Bene allegabant isti procuratores si hoc probare possent, scilicet quod contra iustitiam, quia executio per hoc suspenditur. Sic si obiiciatur quaestio falsitatis, C. si ex fals. inst. vel test., iudicati. Laur.

Noluerit
Quia dicebat quod erant constituti procuratores ab excommunicatis, ut patet in integra.

Audiendus
Sententia lata inter me et te non est executioni mandanda, si ius alterius partis laeditur, infra, de re iudic., cum super; et supra, de offi. deleg., super eo; et ff. de appellat., a sententia. Laur.

Incontinenti
Nota sententiam executioni mandandam nisi statim probetur exceptio, supra, de restit. spol., litteras; C. de compensat., compensationes, in fi.; et C. de ordi. cog., si quando § ulti. Simile infra, de re iudic., cum super.

Fundaret
Quod debet audiri contra illam sententiam, quae lata erat pro archidiacono.

In articulo
Ad quem probandum fuit admissus, scilicet quod sua interest.

Vellet
Quia ad hoc cogi non poterat, cum ad aliud probandum fuissent inducti, infra, de testib., cum causa quae; et arg. supra, de testib., constitutus; infra, de testib., cum in tua. Ex consensu tamen partium valuissent, arg. C. de testi., cum apud compromissarios.

Utraque pars
Sed quare necesse habet iste P. contra sententiam illam inducere testes, cum illa sententia ei non debeat obesse, quia res inter alios acta aliis obesse non debet, infra, de fide instrum., inter dilectos; et infra, de re iudic., quamvis. Respondet quia de hoc agebatur antequam sententia ei praeiudicasset, qui sciebat rem ad se pertinentem tractari, quia si primo sibi actio eius rei competebat, et permisit sequentem agere, praeiudicium sibi fecit, infra, de re iudic., quamvis; ff. de re iud., saepe. Quia hoc ipso tacite renunciare videtur iuri suo, infra, de his quae fi. a maior. par. cap., ex ore. Quia quam cito scivit causam illam tractari, statim debuit contradicere et se opponere. Quod cum non fecerit, praesumitur consentire, arg. supra, de offi. deleg., cum olim abbas; et 54. dist., si servus; et infra, qui matrim. acc. poss., insuper. Secus si nescivisset causam agi, arg. ff. de accusation., si cui § hisdem. Praeterea adhuc iidem vel alii testes super hoc sunt

admittendi. Et ita super eodem articulo et inter easdem personas testibus publicatis iidem vel alii testes iterum recipiuntur. Unde contra supra, de testib., fraternitatis, cum suis concordantiis. Sed iam solutum est, quia illud contingit propter diversum modum agendi, infra, de testib., cum in tua; et infra, de testib., cum causa quae. Sed si illi etiam qui primo inducti fuerunt, contrarium dicunt in secundo iudicio, quid erit? Non credo valere dictum eorum, licet aliud sit iudicium, et alius modus agendi, infra, de testib., cum in tua; et infra, de praesump., litteras; supra, de probat., per tuas.

Canonicos

Quae enim in capitulo fiunt per alios probari non possunt, cum alii ad capitulum non vocentur. Sic et quae domi fiunt, per alios non de facili explorantur, C. de repud., consensu § super plagiis; C. de quaest., interrogari; ff. de Sil., si quis in gravi § si pupillus; et ff. de Sil., si quis in gravi § si alius aperuit; et ff. de Sil., cum aliter § si vir aut uxor. Licet alias apud domesticos facile quid confingatur, C. de donation., datam. Arg. contra supra, de testib., in litteris. Item est hic arg. quod excommunicatus post absolutionem suam restituitur pristino statui, 4. q. 1, diffinimus. Item ea quae in capitulo aguntur per alios probari debent, ut hic dicit. Et haec est causa quare compellitur canonicus ferre testimonium contra ecclesiam suam super contractu inito cum capitulo suo, nec debeat ideo perdere beneficium suum, quia hoc facit compulsus, ff. de bon. libert., qui cum maior § penulti. Secus esset si assumeretur ad officium, ut in advocatione vel procuratione, quia tunc perdere debet beneficium suum, supra, de postuland., ex parte. Hic ideo absolvuntur ad cautelam, ut possint testificari, quia dicebatur quod erant excommunicati post appellationem, alias nullus absolvitur ad cautelam. Nec intelligas quod quilibet excommunicatus vocatus ad testimonium debeat absolvi. Et hic ideo absolvuntur ad cautelam, quia non poterant probari per alios quam per illos de capitulo, ut littera dicit.

X 2.20.39 *Tuis quaestionibus*

Iuramenti

Sed cum iuramento bene, alias quantumcumque religiosus sit aliquis, in praeiudicium alterius non est ei credendum, infra, de testib., nuper. Et sic tam monachi quam alii clerici possunt ferre pro ecclesia sua testimonium, supra, de testib., insuper; et supra, de testib., cum nuncius; et infra, de iureiur., et si Christus, in fi.; et 14. q. 2, super prudentia.

Remittatur

Et sic patet quod iuramentum testis potest remitti. Et hoc ideo, quia verbo adversarii possum totum ius meum relinquere, ut C. de fideicomm., quaestionem. Sed videtur quod non possit remitti, quia introductum est ut veritas detegatur, et ut religio iudicantis non circumveniatur, et sic videtur quod in favorem iudicantis. Ergo partes non possunt illud sibi remittere. Solutio: iuramentum illud iudicis auctoritate remittitur, et istud iuramentum principaliter in favorem partis praestatur. Unde possunt illud sibi remittere partes. Sed numquid iuramentum istud potest remitti in causa matrimoniali de consensu partium? Dico quod non, quia nec eorum confessioni statur in causa matrimoniali, etiam si fama consentiat sive rumor. Et hoc ideo ne coluderent ad invicem contra matrimonium, infra, de eo qui cog. consang., super eo. Sed in coniungendo videtur quod

possit remitti, quia ibi creditur confitenti dummodo non sit in alterius matrimonii praeiudicium, infra, de clan. despon., quod nobis. Sed quid dices de iuramento calumniae, an possit remitti a parte parti? Videtur quod non, quia nec consuetudo valet de ipso non praestando, supra, de iuram. calumn., caeterum; C. de iureiuran., cum et iudices § sed quia veremur. Sed eadem ratione qua iuramentum testi remittitur, quia in favorem partium praestatur ut veritas eliciatur et non occultetur, 14. q. 2, quamquam. Potest iuramentum calumniae remitti, quia illud praestatur in favorem partium ne calumniose aliquid fiat, et ut veritatem vel saltem secundum quod aestimat, confiteatur, ut C. de iureiuran., cum et iudices § sin autem, ad fi. Dicunt quidam, ut Bazian. et alii sequaces, quod iuramentum istud de calumnia expresse remitti non potest. Sed tacite bene remitti potest, nec sententia propter hoc cassaretur, arg. ff. de procur., filiusfamilias § veterani; et C. de procur., ita demum, ubi exceptio procuratoria contra militem expresse remitti non potest, tacite vero bene potest, ff. de iureiuran., iusiurandum § qui iusiurandum. Sicut aliquando tacita probatio plus operatur quam expressa, arg. ff. de solut., vero procuratori § alia; et ff. de solut., si quis stipulatus in melle § 1. Alii dicunt, ut Mart. et eius sequaces, quod non potest nec tacite nec expresse, cum non tantum in favorem partium, sed pro communi utilitate introductum est, ut dixit lex, quod ex dissimulatione remitti non potest, C. de iureiuran., cum et iudices § sed quia veremur. Ber.

X 2.20.40 *Dilecto filio*

Citra litis contestationem
Protestando quod per illa verba non intendebat litem contestari, supra, de ord. cognit., cum dilectus.

Unicum
Sed numquid esset idem si haberet duos praeter istum? Videtur quod non, quia duo testes sufficiunt, supra, de testib., licet universis; et infra, de testamen., relatum est 1; et 4. q. 3, si testes § item ubi numerus; et 2. q. 4 § 1. Adhuc credo quod removeri debeat a iudicio, et praecipue si illi duo sint viles, et quia testes non habent omnia in memoria semper, et sic veritas occultaretur, et probationis copia totaliter deperiret, arg. optimum supra, ut lite non cont., quoniam, 1. resp. Et curare debent magistratus, ut etiam salva sit rerum probatio, ff. de testi., curent; et arg. in Auth de testi., ulti. colum., coll. 7; et ff. ad leg. Aquil., in lege. Si autem plures haberet, non deberent removeri, quia ubi aliquis habet sufficientes testes, alii non compelluntur, supra, de testib., de testibus, in fi. Sed numquid esset idem in causa criminali? Videtur quod non, quia in criminali non compelluntur testes, infra, de testibus cog., dilectorum. Adhuc credo quod sit removendus. Non obstat eo quod non potest compelli, quia precibus induci posset ut testificaretur. Sed si omnino nollet testificari, non deberet removeri etiam in causa civili. Si iudex vellet iurare quod nil scit de causa illa, non debet removeri. Idem credo tenendum si aliquis in fraudem procuret, ut causa talibus committatur, licet haberet alios plures, quia fraus ei prodesse non debet, arg. optimum infra, de simon., nobis; et infra, de simon., sicut tuis; et supra, de rescript., super litteris.

Excluso
Hoc habet locum quando clausula illa, quod si non omnes etc., ponitur in rescripto.

Recusastis
Et male, quia etiam praetor testimonium dicere debet, 4. q. 3, si testes, vers. si res exigit. Nec enim arctanda est copia probationum, ff. de incen. rui. nauf., ne quid § de his. Sed quid si impetres illum in iudicem, qui volebat esse advocatus meus in illa causa? Ob hoc non removetur, cum alium possim habere advocatum, nisi hoc dolo feceris, ut mihi subtraheres copiam advocati periti, arg. infra, de testib., constitutis 1; et 3. q. 7, infames § si quis autem. Sed si ei revelavi secreta causae meae, non sufficit ad removendum eum, quia non debet iudicare secundum conscientiam sed secundum allegata, 3. q. 7, iudicet. Sed quid erit si iudex iste de quo quaeritur, committat statim vices suas alii nihil sibi retinendo, numquid tenet talis commissio, et si tenet, numquid potest iste esse testis coram illo? Dicit Io. quod non potest coram eo ferre testimonium, quia fungitur vice eius qui delegavit. Et idem est iudicare per alium quod per se, arg. supra, de offi. deleg., coram. Et licet modo non sit iudex, sufficit quod fuit, ut non possit esse testis, 2. q. 6, statuendum est. Satis honestum putarem, et quod possit committere, et quod possit esse testis coram illo. Et capitulum illud 2. q. 6, statuendum, loquitur de iudice qui cognovit de causa. Et hoc potest dici per decretalem istam, quia iste iudex fuit, et tamen admittitur ad testimonium, immo propter hoc removetur. Et si ordinarius peteretur in testem coram officiali suo, numquid deberet testificari? Credo quod sic, si necessitas immineret.

Testis defectum
Et sic eo remoto poterit ferre testimonium in causa. Sed numquid adversarius poterit obiicere in personam istius decani, ut a testimonio ipsum repellat? Non, cum ipsum approbaverit in iudicem eum eligendo, sed in dicta bene poterit hoc obiicere, 4. q. 3, si testes § si quis testibus; 3. q. 3 § offeratur; et 32. q. 5, horrendus.

Subrogandum
Cum unus iudex alii subrogatur, totum tempus habet quod alii concessum fuerat, ff. de iud., si iudex. Et hoc cum res est integra. Si vero non est integra, tunc si est delegatus, habet residuum temporis; si ordinarius, non minus anno, ff. de iud., edictum; C. de iud., properandum § sin autem, in medio.

Relaxata
De facto, quatenus de facto processit, 2. q. 6, arguta; arg. infra, de appell., ad praesentiam; et supra, de offi. ord., grave. Quia excommunicatio vel appellatio fuit legitima et suspensio nulla, infra, de sent. excom., per tuas; supra, de offi. ord., grave. Ber.

X 2.20.41 *Significavit*

Deperire
Arg. quod futuris casibus prudenter debemus occurrere. Sic supra, ut lite non cont., quoniam, 1. resp; et supra, de testib., si qui; et infra, de testib., Albericus; et infra, de confirm. util. vel inutil., cum dilecta; et ff. locat. et conduct., si quis domum, ad fi.; ff. ad

leg. Aquil., in lege Aquilia; ff. de usufru., usus fructus est, in fi.; et C. de usuris pupil., pupillus; ff. de fur., qui tabulas; et ff. de fur., qui vas; et 23. dist., in nomine Domini; et supra, de elect., licet. Et instrumenta omnia propter hoc fiunt, 1. q. 7, saluberrimum.

Testes idoneos

Inter hanc receptionem testium, et illam quae fit cum timetur de morte testium vel de absentia diuturna, supra, ut lite non cont., quoniam, 1. resp. Multiplex est differentia. Hic enim recipiuntur omnes testes indifferenter tam iuvenes quam senes, sed in casu illo non recipiuntur nisi illi tantum de quorum morte timetur, puta quia sunt senes vel infirmi, et de quorum absentia diuturna timetur, ut ibi dicitur. Item hic statim publicantur ad perpetuam rei memoriam, ibi non publicantur, sed consignantur. Illi non valent post annum, nisi infra annum vel agat vel denunciet illi personae contra quam inducti sunt, ut ibi dicitur. Isti perpetuo valebunt tamquam authenticum instrumentum, quorum dicta sunt redacta in publica monumenta, C. de re iud., gesta. Item contra illos potest obiici in personas, sed contra istos non, si appareat instrumentum denunciationis, ut dicit Vincen. Sed hoc non est verum. Item hic producuntur ubi non movetur, nec timetur lis in praesenti; ibi secus. Et nota quod haec publicatio videtur habere locum etiam tantum in defensione sive exceptione, non autem in actione. Nec est contrarium ff. ad leg. Aquil., in lege Aquilia, quia isti testes consignantur. Sic intelligit dominus Azo legem illam. Immo dico idem in actione quandoque per eadem legem ff. ad leg. Aquil., in lege Aquilia. Ibi publicantur et sententia fertur, sed condemnationis exactio competit tantum cum extiterit conditio, ut ibi dicitur, supra, ut lite non cont., quoniam, 1. resp.; in Auth de testi. § et hoc verum est, coll. 7. Sed in his duabus concordantiis consignantur, et in authentica praedicta, ubi dicit publicantur, id est, publica manu transcribuntur, ut loquatur ante litis contestationem cum illa decretali supra, ut lite non cont., quoniam, secundum unum modum legendi. Si vis intelligere authenticam loqui in casu decretalis huiusmodi, tunc proprie sedet publicantur, id est, in publica monumenta reducuntur, ut ibi dicitur. Vincen.

Monumenta

Haec est bona provisio ad cautelam futuorum, ut sic redigantur testes in publicam formam. Et aliud consilium poterat habere ecclesia ista contra patronos, ut faciant ei chartam libertatis, sicut agitur pro apocha facienda, C. de fid. instrum., plures. Sicut libertus agit contra patronum, ut faciat ei chartam manumissionis, C. de liber. caus., sicut datam. Agat ergo ecclesia officio iudicis, secundum leges ageret condictione ex illa lege C. de liber. caus., sicut datam; et ff. de condi. ex leg., si obligatio.

Denunciando

Arg. quod valet receptio testium, nisi denunciatio de hoc etiam facta sit parti adversae, supra, de testib., in nomine; infra, de fideiuss., constitutus; et supra, ut lite non cont., quoniam; et 3. q. 9, chartae, quod est verum. Item arg. quod denunciatione sive veniat ad videndum testes sive non, valet receptio testium, supra, de testib., in nomine. Et de hac denunciatione fieri debet publicum instrumentum, ut si dubitaretur de denunciatione forsitan, quia si negaretur ab adversario, probaretur per instrumentum.

X 2.20.42 *Cum causa quae*

Tempore
Tempus enim contractus inspiciendum est, infra, de empt. et vend., cum dilecti; C. de rescind. vend., si voluntate, in fi.; et ff. de evict., ex mille § 1; et ff. de minor., denique § scio; et supra, de elect., dudum ad audientiam.

Ad alium
Alium articulum habes infra, de empt. et vend., cum causa. Et est pars istius et olim erat tota integra. Et ibi probatum fuit quod monasterium deceptum fuit ultra dimidiam iusti pretii non determinando quantum ultra. Unde probari modo debet quantum valebat res ultra dimidiam iusti pretii. Sed qualiter debuit probari excessus deceptionis sine quantitate valentiae? Respondeo: hoc modo potuit esse, quia cum res esset vendita pro decem, testes dicebant quod res valebat multo plus de viginti, sed non taxabant quanto plus de viginti. Et illud plus debet probari. Sed illi testes qui fuerunt inducti ad probandum primum articulum, quomodo admittuntur ad probandum secundum? Quia si tunc fuit interrogatus quantum valebat res ultra viginti, et ipse respondit quod nesciebat, non videtur ulterius admittendus. Sed intellige quod simpliciter dixerunt, nec fuerunt interrogati de quantitate excessus. Vel hoc non nocet, quia postea potuit scire quod tunc etiam nesciebat, et informare suam sententiam ex aliis argumentis. Nec propter hoc contrarius sibi, nec dicuntur testes produci super eodem articulo, quia ad aliud inducuntur modo quam prius. Sic supra, de testib., veniens 2; et infra, de testib., cum in tua. Primo enim dixerunt testes quod res valebat ultra viginti, modo dicunt praecise quod res valet ultra viginiti quatuor vel viginti quinque, vel aliam certam quantitatem declarant ultra viginti. Sed qualiter hoc probatur? Dico quod ex qualitate rei et quantitate redituum probatur pretium rei, C. de rescind. vend., si quos; ff. de reb. eorum qui sub tut., si fundus, in princ. Quinque res aestimatur quando potest colligi in quinquaginta annis, in Auth. de alien. et emphyt. § sanctissimas, coll. 9. Quinque etiam consideratur quantum in viginti annis possit colligi, in Auth. de non alien. aut perm. ecc. § quia vero leonis, coll. 2. Vel etiam aestimatur secundum quod vendi poterat tunc, quia res tantum valet quantum vendi potest, ff. ad Trebel., explicito § si haeres. Nec ex affecti debet aestimari, sed communi aestimatione, ff. ad leg. Falc., pretia, in princ. Ioan. And.

Deceptionis
Licitum est contrahentibus adinvicem se decipere, ff. de minor., in causae § in pretio. Verum est usque ad dimidiam, sed non ultra, ut hic, et C. de rescind. vend., rem maioris; et infra, de empt. et vend., cum dilecti.

X 2.20.43 *Albericus*

In scriptis
Nota quod sententia lata in causa matrimoniali tenet, licet non sit lata in scriptis, et in alio casu quem habes 11. q. 1, si quis cum clerico; et C. de sent. ex per. recit., authen. nisi breves. Contrarium habes 2. q. 1, in primis, in fi., ubi de hoc; et C. de sent. ex per. recit., statutis. Illa generalia sunt, hoc speciale favore filiorum, sicut in causis matrimonialibus multa alia specialia sunt, ut dictum est supra, ut lite non cont., ad hoc. Ber.

Publicam
Ad hanc publicationem faciendam vocandi sunt, quos negotium tangit et etiam heredes eorum, supra, de testib., significavit. Sic etiam recipiuntur testes ad cautelam futuorum, quia timetur de testibus quod possunt non esse tempore litis, supra, ut lite non cont., quoniam. Tamen differentia est inter istos testes et illos, ut dictum est supra, de testib., significavit. Sic etiam accipiuntur, ff. ad leg. Aquil., in lege Aquilia.

X 2.20.44 *Cum in tua*

Ad aliud
Id est, quamvis. Primi testes dixerunt pro matrimonio et secundi contrarium, et primi in causa denunciationis et secundi in causa accusationis, valet dictum secundorum, quamvis contra matrimonium deponant.

Ob aliud
Cum enim in modum denunciationis probatum esset, quod fama erat illos esse consanguineos, et quod esset scandalum si contraherent, inducti fuerant ad improbandam consanguinitatem testes de illa consanguinitate, ut omnis suspicio tolleretur. Et sic contraxerunt, ut infra, de spons., cum in tua, quae est pars istius. Postea vero contracto matrimonio accusatore idoneo comparente, tres vel quatuor alii testes idonei iurarunt illos esse consanguineos, cum directe accusabatur matrimonium. Et ita propter diversum modum agendi possunt iidem et alii testes publicatis attestationibus induci super eodem articulo. Sic supra, de testib., veniens 2; et arg. supra, de testib., cum causa quae. Sed hic non videtur Papa respondere ad quaestionem propositam. Sed dic quod eo ipso quod dixit, si in secundo iudicio illae eaedem personae iuratae dicant id quod dixerunt in primo, valet dictum eorum, datur intelligi quod valet dictum istorum qui secundo sunt recepti, si primi iterum in secundo iudicio non introducantur aut alii, et ita secundum hoc separentur. Sed non videtur quod isti tres vel quatuor praeferantur prioribus undecim vel duodecim, licet ad aliud sint illi inducti et ob aliud isti, nisi in secundo iudicio tales inducerentur, vel tot quod merito praeferrentur prioribus, supra, de testib., de testibus; et supra, de testib., in nostra. Sed dicas quod stabitur istis secundis, si alii in contrarium non inducantur, cum sit alia causa et alius modus agendi. Ber.

In hoc casu
Id est, in causa matrimoniali. Sic exponit Io. Et secundum hoc patet quod si aliqua pars probavit consanguinitatem, pars alia publicatis attestationibus potest improbare consanguinitatem, ut hic videtur, et supra, de testib., series. Nam in causa matrimoniali etiam post sententiam illud potest fieri, cum sententia lata contra matrimonium non transeat in rem iudicatam, supra, de testib., sicut; et infra, de re iudic., lator; et infra, de re iudic., consanguinei; et 35. q. 9, loci nostri § his ita respondetur, in fi. Sed Io. dicit quod tales testes tunc demum sunt recipiendi, cum pars adversa protestatur se velle incontinenti probare consanguinitatem, ne postea sit praesumptio contra ipsam quod velit subornare testes. Sed hoc non credo, quia sive protestetur sive non, bene possunt probare contrarium, cum sit alius articulus in quo agitur de falsitate priorum dictorum testium. De hoc dictum est supra, de testib., series; et supra, de testib., ex tenore. Et verbum istud

quod dicit in hoc casu non simpliciter sic expone, id est, in causa matrimoniali indirecte, quia nec ibi publicatis attestationibus ab eadem parte, de iuris rigore debent testes super eodem articulo et eodem modo induci, nec etiam in causa appellationis, supra, de testib., fraternitatis; et supra, de probat., iuravit, ubi de hoc. Sed sic debet exponi in hoc casu, id est, cum probata est consanguinitas contra matrimonium, potest altera pars publicatis attestationibus improbare consanguinitatem, ut in casu huius capituli cum agitur de falsitate priorum testium, ut dictum est. Idem esset in alio impedimento, supra, de testib., ex tenore. Vel sic potest exponi in hoc casu, id est, cum aliter agitur in uno iudicio et aliter in alio, supra, de testib., veniens 2; et supra, de testib., cum causa quae. Tamen si testis dicat contrarium in secundo iudicio ei quod dixit in principio, non valet dictum eius, ut hic colligitur, et supra, de probat., per tuas. Arg. ad hoc infra, de praesump., litteras. Alia tamen expositio melior est.

X 2.20.45 *Constitutis in praesentia*

Non teneri
Et ita iuramentum tale etiam nullum est ipso iure, quamvis videatur posse servari sine interitu salutis aeternae, et ideo servandum videtur. Sed in veritate non est servandum, quia expedit peccata nocentum nota esse, ff. de iniuri., eum qui, in princ. Quia et in iudicio veritatem occultare mortale peccatum est, praeterquam in criminibus, 11. q. 3, quisquis; infra, de crim. falsi, falsidicus. Et ideo tale iuramentum illicitum est. Sic habes supra, de testib., intimavit, ubi de hoc. Et sic patet hic et supra, de testib., intimavit, quod temerarium iuramentum non repellit aliquem a testimonio sicut non repellit ab electione, infra, de iureiur., sicut nostris.

Versimile
Licet praesumatur quod istud fiat de voluntate archiepiscopi, tamen hanc praesumptionem potest archiepiscopus elidere, 1. q. 4, quia praesulatus; et infra, de homic., Petrus.

Scrupulo
86. dist., culpam; et 83. dist., error; et 23. q. 3, qui potest.

Sanctiones
Ut C. de postulan., providendum, in fi.; et infra, de testibus cog., pervenit 2; et 3. q. 7, infamibus, vers. si quis autem. Ber.

X 2.20.46 *Constitutis in praesentia*

Actiones
Id est, petitiones, quia non est inquirendum cuiusmodi actio intentetur, supra, de iudic., dilecti, ubi de hoc; et supra, de iudic., examinata. Vel defensiones, quod melius est.

Didicerint
Et ita si didicissent testificata, ulterius non reciperentur testes super isto processu causae matrimonialis. Secus videretur si ageretur de consanguinitate probanda vel improbanda,

vel in alio impedimento, ut supra, de probat., causam matrimonii; et supra, de testib., series, ubi de hoc.

Induxit
Sed numquid iidem testes possunt saepius induci quousque fuerint publicatae attestationes? Ita videtur, ut hic, et supra, de testib., cum causam quae, ubi de hoc in glossa quae incipit: haec littera. Et hoc secundum tenorem illius legis C. de testi., cum apud compromissarios, etiam post publicationem. Et tamen antequam didicerit quis testificata, potest producere testes, nisi renunciaverit productioni, in Auth de testi. § quia vero, coll. 7. Quamvis altera pars viderit attestationes, ut ibi dicitur.

X 2.20.47 *Licet ex quadam*

Institutum
35. q. 6, de parentela.

Valerent
Ut ff. de gradib., non facile.

De auditu
Nisi sint graves personae, et aliquos vidissent in aliquo gradu pro consanguineis se haberi, ut infra eodem capitulo sequitur.

Personae
Non intelligas graves appellari illos qui in dignitate sunt constituti, quia alius est dignitas quam gravitas, ut 4. q. 3, placuit § item in criminali, vers. in secunda lege. Sed graves dicuntur hic qui non sunt leves, puta homo bonae famae et opinionis et antiquus homo. Sicut benemeritus dicitur qui nondum demeruit, ff. de leg. 2, cum pater § rogo; et de leg. 2, cum quidam; et supra, de scrutin., ex parte. Vel seniores hic appellantur graves ad quos recurritur deficientibus testibus de parentela, 35. q. 6, consanguineos. Et senibus in dubiis et antiquis factis maior fides adhibetur, ff. de fid. instrum., si de tabulis; et ff. fam. ercis., si quae sunt; et ff. de leg. 3, si chorus § 1.

Motam
Secus esset si post motam, tunc enim non admitterentur.

Suis
Qui etiam aliis praeferuntur in consanguinitate computanda, quia ipsi melius sciunt suam genealogiam, infra, qui matrim. acc. poss., videtur; 35. q. 6, consanguineos; et 35. q. 6, videtur. Et non ab extraneis sciunt, quia illi non sciunt ita.

Ab uno
Quia ille non sufficeret. Et omnes alii qui causam habent ab uno, pro uno solo reputantur, arg. q. 1. 1, cito; ff. de condi. et demon., cui fundus, in fi. Sed a duobus ad minus debent audivisse. Sed quid si illi duo audivissent ab uno? Non videtur quod valeat, et secundum hoc iudex ascenderet in infinitum. Haec quaestio non procederet.

Sufficit ergo quod audiverint a senioribus suis de illa consanguinitate. Et si vellent testificari de eo quod audiverunt a quibuscumque aliis, locum haberet obiectio. Item etsi plures essent testes, et quilibet eorum audivisset ab alio quam alter, non valebit testimonium, nisi quilibet illorum audivisset a pluribus, a duobus ad minus, vel nisi omnes ipsi coniunctim audivissent a duobus. Et ita est arg. quod ille non debet admitti cuius auctor reprobatur, infra, de haeret., fraternitatis. Arg. contra infra, qui matrim. acc. poss., cum in tua. Sed illud locum habet in accusatore, hoc in teste.

Auctores
Arg. quod infamia non inducit purgationem, quae ab inimico actore vel a levibus personis processit, 11. q. 1, in cunctis; et infra, de accusat., qualiter et quando 2.

Actus legitimi
Quia personis vilibus et indignis portae dignitatis non debent patere, infra, de excess. praelat., inter dilectos; et C. de dignitat., neque famosis, lib. 12; et C. de infam., infames, lib. 10; et arg. 32. q. 5, praeceptum.

Demonstratione
Sic supra, de testib., quotiens; et infra, de cons. et affin., tua; et supra, de testib., cum in tua.

Gradus
Sed numquid tenetur probare de stipite? Non, quia de illo non reperitur cautum, sed tantum de lateribus, ut supra, de testib., series. Et canon ponit fratres pro stipite, 35. q. 5, series; 35. q. 5, parentelae. Sufficit ergo incipere a fratribus, infra, de cons. et affin., tua. Sed quid dices si quidam testes probant de uno latere, et alii probant de alio latere tantum, numquid probata est haec consanguinitas? Io. dixit quod talis probatio sufficit. Et hoc probat taliter, si probatur de Martino quod sit filius Ioannis, per consequens probatur quod Ioannes est pater Martini. Item si alii testes probant quod Bertha est filia Ioannis, per consequens probatur quod Ioannes est pater Berthae. Cum ergo iudici constat quod Ioannes est pater Martini, item constat ei quod est pater Berthae, ergo constat ei quod Martinus et Bertha sunt frater et soror, et sic probata est consanguinitas illorum. Hoc concedebat Io. Et ita non semper requiritur quod testes ab utroque latere notam habeant consanguinitatem. Item si quis vult improbare consanguinitatem, sufficit quod interrumpat primum gradum, supra, de testib., series. Sed hoc non credo, nec discedo ab hac littera et ab aliis iuribus quae dicunt, quod ab utroque latere testes debent computare consanguinitatem, arg. 35. q. 6, de parentela; et supra, de testib., quotiens; et infra, de cons. et affin., tua; et supra, de testib., cum in tua. Ber.

Uno
Sive propinquo sive remoto.

X 2.20.48 *Per tuas*

Audiendum
Cum attestationes sunt publicatae, non sunt testes amplius interrogandi, quia timeretur subornatio testium, in Auth de testi. § quia vero, coll. 7; et supra, de testib., fraternitatis. Et ideo cum possint testes novi induci, nec interrogationes aliquae sunt faciendae, ut supra, de testib., constitutis 2. Ante aperturam testium bene potest testis iterum dicere et etiam corrigere dictum suum, dum tamen incontinenti, infra, de testibus cog., praeterea. Et iudex ex officio suo etiam post aperturam testium, si testis obscure protulit testimonium suum, potest interrogare iterum testem, infra, de testib., cum clamor; et ff. de interrog. act., ubicumque. Sed hoc loquitur cum pars plura capitula dedit, super quibus petiit ab initio testes interrogari. Et si negligenter vel malitiose iudex omisit, non debet illi obesse malitia vel negligentia iudicis. Unde iterum debent deponere super illos articulo.

Interrogari
Immo videtur quod de iure mero iterum sunt examinandi non obstante publicatione, cum sit aliud capitulum ab illis super quibus publicatio facta est, supra, de testib., causam quae 2; et supra, de testib., cum venisset. Super illo vero articulo super quo testes recepti sunt, nullae interrogationes eis publicatis sunt faciendae, nisi iudex ex officio suo, ut dixi, illas viderit faciendas. Quidam hoc faciunt de consuetudine etiam ad petitionem partium. Sed illa consuetudo contra ius est. Ber.

X 2.20.49 *Licet dilectus*

Proponebat
Quod ei licebat secundum tenorem illius decretalis supra, de testib., praesentium. Et secundum ea quae ibi dicuntur, nisi ei terminus statutus fuisset infra quem hoc facere debuit, supra, de probat., licet.

Quos
Scilicet illos qui inducti fuerunt ab utraque parte ad reprobandos testes super principali productos. Ista littera sic intelligitur: utraque pars produxerat testes super principali. Dicitur si utraque pars vult improbare testes inductos contra se super principali, illud facere potest. Et haec est secunda productio testium facta contra principales ab utraque parte. Item si pars altera vel utraque vult reprobare testes istos secundo inductos ad reprobationem principalium, illud potest. Et sic est tertia productio ad reprobationem testium secundo loco inductorum. Ultra vero ad quartam reprobationem aspirare non licet propter infinitatem vitandam, sicut ultra tertiam productionem quarta dilatio non est danda, infra, de testib., ultra. Infinitas enim est vitanda, ut C. de sacro. eccl., ut inter divinum. Et ut sit litium finis, ff. pro soc., quotiens; ff. de recepti., non distinguemus § quaesitum; et supra, de dolo et contu., finem; ff. de leg. 3, fideicommissa § si quis decem; et C. de iud., apertissimi. Alias non videtur quod possit intelligi quin alteri videretur fieri iniuria, puta si actor tantum induxerit testes, et reus velit eos reprobare, contra reum debet audiri. Et ita est secunda productio. Item et si actor vult reprobare testes rei, audiri debet. Et haec est tertia productio, et sic non licet reus ulterius producere. Et sic remanet reus inferior in reprobatione. Et imputet sibi quod non produxit testes in principali. Et hoc bene colligitur per quandam decretalem extra compilationem missam archiepiscopo

Rothomagensi super quadam causa, quae vertebatur inter abbatem et conventum sancti Nicolai Andegavensis ex una parte, et priorem et conventum de Spaldig. Linconiensis diocesis ex altera. Abbas qui fuit actor, produxit testes super principali negotio. Prior et conventus admittuntur ad reprobandos testes abbatis productos super principali negotio, et abbas admittitur ad reprobandos testes partis adversae inductos ad reprobationem testium abbatis, et ultra non proceditur ad aliquam productionem, quae decretalis incipit praesentium, et ponitur in isto titulo infra, de testib., extravag. praesentium. Uterque enim actor et reus duas tantum debet habere reprobationes, et hoc cum uterque produxit testes super principali negotio, in quo casu loquitur haec decretalis. Ber.

X 2.20.50 *Praesentata*

In archiepiscopum
Unde non debebat compelli sententiam dicere, ff. de recepti., non distinguemus § sacerdotio; et ff. de recepti., licet; et ff. de vac. mun., praetor, 1. resp., in fi.

Solo
Nec etiam cum altero, nisi ex forma compromissi hoc facere possent. Nam cum in tres compromittitur, non possunt suo tertio mortuo vel absente iudicare, nisi hoc incontinenti in compromisso sit actum, ff. de recepti., Pedius, in fi.; et ff. de recepti., item si unus § item si plures; et ff. de recepti., item si unus § Celsus; et ff. de recepti., sicuti; et ff. de recepti., non distinguemus § cum in plures; et supra, de offi. deleg., uno delegatorum; et infra, de testamen., Raynutius; et infra, de testamen., Raynaldus. Sic etiam in delegatis, supra, de offi. deleg., causam matrimonii; et supra, de offi. deleg., uno delegatorum; et ff. de iud., duo. Ber.

Arbitrium
Id est, compromissum. Compromissum enim per mortem alterutrius arbitrorum expirat, supra, de offi. deleg., uno delegatorum. Arbitrium non posset expirare, quia non latum erat.

Acta
Sic patet quod testes recepti coram arbitro valent in iudicio. Hoc est simpliciter verum de his qui iam sunt mortui. De aliis qui vivunt, est in optione illius contra quem inducuntur, ut depositiones eorum admittat, vel eis repulsis idem testes iterum producantur, ut hic dicit, et C. de testi., cum apud compromissarios, salvo iure obiiciendi tam in personas testium quam in dicta, vel in utroque casu ut in dicta lege unde sumptum est quod hic dicitur, et idem C. de recepti., cum antea, in fi.; et supra, de testib., causam quae 1, arg. Sed ibi alius articulus est.

Casu
Scilicet cum vult attestationes illorum qui supersunt ratas habere, vel si vult quod iterum producantur. Utroque istorum casuum potest obiicere in personas eorum vel in dicta. Sed numquid in personas eorum qui mortui sunt? Credo quod possit obiicere, ut dixi supra, ut lite non cont., quoniam. Et est verum sicut et in dicta eorum, C. de testi., cum apud compromissarios. Ber.

X 2.20.51 *Nuper nobis*

Ordinis sui
Quod facere potuit, supra, de testib., cum nuncius; et supra, de testib., insuper; et infra, de iureiur., et si Christus, in fi.; 14. q. 2, super prudentia. Et illi praecipue sunt admittendi, cum talis professio in eorum praesentia fiat, quae etiam per alios non posset ita bene probari, qui ad talia non vocantur, supra, de testib., veniens 2, in fi.

Contradicente
Secus si volente et consentiente, quia tunc bene valet testimonium, supra, de testib., tuis quaestionibus.

Nisi iuratus
Sic 4. q. 3, si testes § item iurisiurandi; et C. de testi., iurisiurandi; et 3. q. 9, hortamur. Et uni testi non creditur, supra, de testib., veniens 1; et supra, de testib., licet universis, sive sit iuratus sive non in alterius praeiudicium, ut hic in fi., et 33. q. 2, admonere. Arg. contra quod uni creditur etiam non iurato, 28. dist., de Syracusanae; 86. dist., tanta; 8. q. 3, talia; et 97. dist., nobilissimus; et 23. q. 4, inter querelas; et 20. q. 3, praesens clericus. Sed in his non creditur nisi quo ad praesumptionem, sed ad plenam probationem non. Quandoque tamen bene creditur uni quando non fit praeiudicium alicui, puta utrum aliquis sit baptizatus, vel utrum esset ecclesia consecrata, de conse. dist. 4, parvulos; et de conse. dist. 4, cum itaque, et ubi quis vult probare se egisse poenitentiam per confessorem suum, et infra, de simon., nemo; et arg. infra, de poenit. et remiss., omnis.

X 2.20.52 *Venerabili fratre*

Super vita et miraculis
Non solum de miraculis sed etiam de vita est inquirendum, quia etiam miracula fiunt quandoque per malos. Nam Petrus faciebat miracula, et Simon Magus faciebat multa, et magi similia Moysi, ut 1. q. 1, teneamus. Et ante necesse est ut sciamus illa impetrasse de Deo, quae martyres mandant, 50. dist., si quis praepostera; et infra, de haeret., cum ex iniuncto. Et ad hoc ut aliquis pro sancto habeatur, prius ab ecclesia debet approbari, infra, de rel. et ven. sanct., audivimus, ne aliquis vanis figmentis decipi valeat, ut infra, de rel. et ven. sanct., cum ex eo.

Examinare sigillatim
Secreto enim sive sigillatim testes examinandi sunt, arg. C. de testi., nullum; et infra, de accusat., inquisitionis. Si etiam vota canonicorum in electionibus faciendis inquirenda sunt secrete, supra, de elect., quia propter. Sicut Daniel secreto et separatim examinavit illos sacerdotes qui accusabant Susannam. Et ideo examinandi sunt secreto et separatim, quia unus instrueret alium et sequeretur dictum alterius. Et ita non posset falsitas eorum facile deprehendi. Sic etiam in praesentia quis debet solus suo sacerdoti confiteri peccata, infra, de poenit. et remiss., omnis.

Diligentia
Quae solet adhiberi. Immo etiam cum maiori, quia circa maiora maius periculum vertitur, et ideo cautius est agendum, 42. dist., quiescamus; et 61. dist., miramur; et 7. q. 2, nuper; et ff. de Carb., si cui controversia § 2, ne aliqui vanis et falsis decipiantur figmentis, ut infra, de rel. et ven. sanct., cum ex eo. Ber.

X 2.20.53 *Cum clamor*

Acherontinum
De isto archiepiscopo habes infra, de collus., in tantum.

Ita deposuere confuse
Sed quare hic praecipit Papa apertis attestationibus illos iterum examinari, cum deberet fieri interpretatio contra illum, qui testes ipsos produxit, supra, de probat., in praesentia. Et obscuritas ei obesse potius debet, qui potuit eam apertius declarare, ff. de contrah. empt., Labeo; et ff. de contrah. empt., cum in lege; ff. de pacti., veteribus. Et verba interpretanda sunt contra stipulatorem, ff. de ver. oblig., stipulatio ista § in stipulationibus. Et praeterea timeri potest subornatio testium, et apertis attestationibus non sunt ulterius testes iidem vel alii recipiendi super eodem capitulo, ut supra, de testib., fraternitatis, in textu et in glossa; et supra, de testib., constitutis 2. Arg. contra quod obscuritas non nocet ei. Immo quod utile est ei, accipiendum est, ff. de iud., si quis intentione. Dicas quod iudex ex officio suo hoc facere debet, et praecipue hic ubi agebatur ex officio iudicis per inquisitionem, non ad petitionem alicuius sed ad clamorem et famam, infra, de collus., in tantum, quod est pars istius, et maxime in crimine simoniae de quo fiebat inquisitio. Et ideo si obscure dixit, iterum examinetur testis et declaret, sive interpretetur dictum suum, quia in ambigua oratione spectatur sententia eius qui eam protulit, ff. de regul. iur., in ambiguis. Et qualitercumque potest iudex inquirere veritatem, inquirere debet, 30. q. 5, iudicantem. Et ante publicationem et post quandoque visum fuerit iudici, potest interrogare, ff. de interrog. act., ubicumque; et infra, de fide instrum., cum Ioannes, vers. fi. Et quia publicae utilitatis interest ne crimina maneant impunita, infra, de sent. excom., ut famae, circa fi., ne ad malitiam quisquam prosiliat, C. de poe., si operis. Et magna ratio suadet ob maleficia poenas solvi, ff. de fideiussor., si a reo § illud quod. Unde talis confusio debuit declarari, ff. de testament., heredes palam § qui vero. Ber.

X 2.20.54 *Testimonium eius*

Crimine perseveret
Nota quod testis qui in crimine detinetur, sive in civili causa sive in criminali repellitur, ut hic patet, quia non est credendum contra alios eis qui in criminibus implicantur, 3. q. 11, neganda; et 3. q. 11, non est; et 3. q. 7, qui sine; et 3. q. 7, postulatus. Et quamdiu in culpa fuerit, testimonium ferre non potest, 32. q. 5, praeceptum. Nec criminosus criminosum accusare potest, ut in praedictis iuribus, quia de quo minus videtur etc., 3. q. 7, infames § porro, in fi.; et 1. q. 1, multi, circa princ.

Emendatus

Unde admitti debet, quia iam incipit esse quod non fuit, 50. dist., ferrum. Et dicit in canone: age poenitentiam et prima opera fac, 50. dist., quia tua; et 50. dist., Domino sancto; et infra, de simon., per tuas 1; et ff. de aedil. edict., quod ita. Et hoc in causa civili et criminali cum civiliter agitur, ut hic, et infra, de simon., per tuas 1. Ita quod ex illo non remanserit sub nota infamiae acta poenitentia, quia repellitur tunc propter infamiam, infra, de testibus cog., praeterea, puta si esset condemnatus de furto suo nomine, quia non potest facere iudex quin condemnatum de furto suo nomine non sequatur infamia, ff. de fur., non potest. Et aliis modis potest notari, ut 3. q. 7, infames § porro, in fi. Quia licet per poenitentiam animas salvare possumus, infamiam tamen abolere non possumus, 2. q. 3, Euphemium § hinc colligitur. Et sic poenitentia non prodest eis, quantum ad hoc quod actus legitimi sunt infamibus interdicti, supra, de testib., licet ex quadam, nisi prius fuerint in integrum restituti, 4. q. 3, si testes § item lege Iulia; 2. q. 3, si quem § praevaricator, in fi. Et infamibus portae dignitatis non debent patere, infra, de excess. praelat., inter dilectos; C. de infam., infames, lib. 10; et C. de dignitat., neque famosis, lib. 12. Et ferre testimonium dignitas est, 32. q. 5, praeceptum. Item potest assignari contrarium infra, de simon., per tuas 1. Ibi dicitur quod in crimine cum civiliter agitur, viles testes et non emendati recipiuntur. Hic videtur a contrario sensu, quod non recipiantur. Solve ut ibi dicitur.

Periurii

Periurus enim post quantumcumque poenitentiam ad testimonium amplius non recipitur, ut hic patet, et 6. q. 1, quicumque; et 22. q. 5, parvuli; et 22. q. 5, si quis; et arg. 2. q. 7, non potest; et infra, de praesump., litteras. Et qui scienter venit contra iuratam transactionem infamis est, C. de transaction., si quis maior.

Confessus

Qui enim in iudicio condemnatus fuit de crimine, sufficit ad hoc ut a testimonio repellatur in causa criminali, licet egerit poenitentiam. Nec necesse est ut amplius convincatur, ut hic patet. Nec talis admittitur ad purgationem alicuius, infra, de purg. can., constitutus. Sic et infra, de except., denique § 1, ubi repellitur a testimonio qui convictus fuerit de crimine vel confessus. Et intellige § illum secundum istam decretalem, ut repellatur in criminali causa si egit poenitentiam. Si non egit, repellitur etiam in civili, si in crimine perseverat, ut supra diximus.

Opinio

Sic patet quod si opinio alicuius gravata est, ad testimonium admitti non debet in causa criminali, cum sine omni infamia debeat esse testis, infra, de except., denique; et 2. q. 7, testes. Et praecipue in causa criminali, ut hic. Nec etiam tales admittendi sunt ad honores, 81. dist., tantis; et infra, de accusat., omnipotens; et infra, de testib., non debet. In nullo enim debet vacillare opinio ordinandi, 33. dist., laici; et arg. ad hoc C. de procur., reum criminis; et ff. de decur., eos. Et est arg. ex hac littera quod res sive sententia inter alios acta facit fidem in alio iudicio. Sic 24. q. 1, subdiaconus. Sed hoc solum quod in alio iudicio repulsus fuit, non sufficit ut in alio repellatur, sed infamia inde orta ipsum repellit, alias iterum oporteret crimen probari ad hoc ut repelleretur.

In hoc casu
Scilicet quando gravata est eius opinio. Tunc enim propter hoc non repellitur in causa civili, et idem in duobus casibus praemissis. Et idem est si de crimine civiliter agitur, dummodo emendatus sit de crimine, ut superius patet. Sed qualiter probabitur quod sit emendatus de crimine? Satis potest probari per sacerdotem suum qui de ipso debet testimonium perhibere, 50. dist., in capite; et 2. q. 1, si peccaverit, in fi.; et infra, de simon., nemo. Sed numquid testis cui obiicitur crimen potest obiicere quod obiiciens sit criminosus? Arg. quod sic, 2. q. 7, si haereticus, quia tales litigatores digni sunt talibus testibus, C. de haeretic., quoniam. Dico quod non potest, quia iste causam suam prosequitur, et nemo prohibetur a prosecutione iuris sui licet sit criminosus, ut 4. q. 6, omnibus. Nisi esset excommunicatus, vel talis cui esset forum interdictum vel infamis cui actus legitimi sunt interdicti, supra, de testib., licet dilectus. Immo excommunicatus vel infamis non repellitur, cum sit reus, quia quaelibet legitima defensio sibi reservatur, infra, de except., cum inter. Et quia contra testem directe non agitur, sed potius contra adversarium, quia in testem actio non dirigitur, supra, de ord. cognit., cum dilectus, in fi. Pari ratione nec adversarius meus potest mihi obiicere crimen propter hoc. Unde si servus vult probare se contraxisse cum aliqua libera sciente eum servum esse, cum in hoc casu habeat personam standi in iudicio, potest excipere contra testes adversarii, quod ipsi sunt servi, licet ipse laboret simili impedimento. Arg. contra supra, de testib., personas; et 3. q. 7, iudicet; et 25. dist., primum. Nam si servus accusatur, eadem sibi competit defensio quae et libero, ff. de accusation., hos accusare § si servus. Quando crimina obiicienda sunt testibus dicitur supra, de testib., praesentium. Ber.

Civili
Idem si est de crimine civiliter agatur.

X 2.20.55 *Ultra tertiam*

Productionem
Id est, dilationem. De hoc dictum est supra, de testib., in causis, et ibi recurre.

Iuramento
Hoc quod hic dicitur sumptum est de in Auth de testi. § quia vero, coll. 7. Sed quare iuratur iterum, maxime ubi iuratum est de calumnia, cum iuramentum illud extendatur ad omnia quae postea occurrunt in causa, C. de iureiuran., authen. hoc sacramentum; et in Auth. de his qui ingred. ad appel. § ulti., coll. 5. Quia saepius non est iurandum, ut ibi dicitur. Dicas quod illud iuramentum est aliud iuramentum quam sit iuramentum de calumnia, et ideo unum aliud non excludit. Istud iuramentum est de veritate dicenda, quod patet ex ipsa littera, scilicet quod debet iurare, quod neque per se neque per alios didicit testificata, nec per aliquem dolum hoc facit. Iuramentum de calumnia est de eo quod credit et aestimat, C. de iureiuran., cum et iudices § 1. Et ideo istud iuramentum praestatur. Idem etiam est si causa talis sit ubi iuratur tantum de veritate dicenda, quia istud iuramentum de veritate dicenda non extenditur ad hoc, sed ad principale negotium tantum. Unde quarta dilatio dari non debet sine isto iuramento, qualiscumque sit etiam causa, et praesumptio est contra eum, ex eo quod tertio producit, et propterea speciale est ut exigatur hoc iuramentum in hoc casu.

Testificata
Sive sua sive alterius partis.

Percunctatus
Id est, perfecte scrutatus.

Per dolum
Puta expectat quod aliquis interim moriatur vel se absentet.

Nequivit
Simile infra, de except., pastoralis; et supra, de testib., praesentium. Sed si habere nequiverit illos, ei obesse non debet, si per eum non steterit, arg. supra, de rescript., si autem; et supra, de rescript., plerumque; et supra, ut lite non cont., quoniam, 1. resp.; et 2. q. 6, anteriorum § ad hoc. Et ita videtur quod etiam sine iuramento deberet amitti. Quod non est verum, quia sine iuramento hoc ei credi non debet, maxime cum ante tertiam productionem hoc non fuerit protestatus, unde iurare tenetur prout hic continetur. Praeterea haec quarta productio dari non debet, ubi sufficiens productio testium facta fuisset, supra, de testib., significaverunt. Immo ne secunda dilatio nec tertia danda esset, si sufficiens productio facta sit. Nam in pecuniariis causis ultra unam dilationem dari non debet secunda dilatio, ff. de feri., in pecuniariis, nisi causa cognita, ut ibi.

X 2.20.56 *Non debet*

Pendente accusatione
Nota ergo quod cum aliquis accusatus est de crimine, statim gravata est eius opinio. Unde non potest in criminibus ad testimonium admitti, ut hic patet, et supra, de testib., testimonium, quia testes sine omni suspicione esse debent et infamia, 2. q. 7, testes; et infra, de except., denique. Nec etiam potest promoveri ad ordines, ut hic dicitur in fine, et 81. dist., tantis; et infra, de accusat., omnipotens; et 33. dist., laici; et ff. de decur., eos. Item nec potest alium accusare, quia non relatione criminis, sed innocentia reus purgatur, ff. de public. iud., is qui, et hic in fine. Item nec potest constitui procurator, C. de procur., reum, item nec accusare. Ex hac decretali patet quod testimonium in criminali actione, accusatio et ordinum susceptio pari passu incedunt, ex eo quod accusatus pendente sua accusatione repellitur a testimonio ab accusatione et ordinum susceptione. Praeterea ex eo quod dicit in principio in criminibus, patet quod secus est in civili, quia tunc non obstante accusatione videtur quod interim possit admitti in testem in causa civili, supra, de testib., testimonium. Et est verum si sit emendatus de crimine, et eum non comitetur infamia, ut ibi, arg. infra, de simon., per tuas 1. Quia licet accusetur, non statim reus est, 15. q. 8, sciscitantibus. Quia pendente accusatione remanet in officio suo, et interim subditi eius ei obedire tenetur, infra, de accusat., olim; et 8. q. 4, nonne. Item patet hic quod minus idonei testes quorum opinio vacillare videtur, admittuntur in exceptis criminibus ex eo quod dicit, nisi forsan in exceptis criminibus. Sed hoc forte est intelligendum secundum distinctionem illius capituli 2. q. 1, in primis, utrum scilicet malae famae vel malae opinionis, admittatur, licet capitulum illud loquatur in accusatione, aliter admitti non debent, cum etiam si civiliter ageretur, non essent

admittendi, nisi essent emendati, et cum aliis adminiculis, infra, de simon., per tuas 1. Sed licet accusetur, non tamen statim reus est, ut supra dicitur. Et ideo potest admitti in crimine excepto, cum adhuc remaneat in statu suo. Item ex hoc capitulo et supra, de testib., testimonium, patet solutio quaestionis, quae fieri consuevit si aliquis condemnatus sit de crimine et appellet, utrum recipiendus sit in testem, si pendente appellatione inducatur. Et satis patet ex his duobus capitulis quid iuris sit, quod in criminali nequaquam. In civili vero bene potest admitti, quia pendente appellatione non dicitur condemnatus, ff. de poe., rei capitalis § ulti. Et integer est status eius, ut interim fungatur honoribus, ff. nihil inn. appel., appellatione § integer; et melius in ff. nihil inn. appel., appellatione § si quis deportatus, quia licet sit damnatus, adhuc non habetur infamis, ex quo appellationem suam prosequitur, ff. de his qui not. infam., furti.

X 2.21 DE TESTIBUS COGENDIS VEL NON

X 2.21.01 *Causam matrimonii*

Occultent
Sic 14. q. 2, quamquam. Haec enim est causa quare testes compellunt, ne veritas occultetur, et ne malus ut bonus aestimetur, ut in capitulo 14. q. 2, quamquam. Et qui veritatem occultat, peccatum committit mortale, 11. q. 3, quisquis. Ideoque compellitur.

Timore
Tunc enim testes sunt compellendi, alias non videtur quod compelli debeant, infra, de testibus cog., super eo. Ex eo enim quod non vult ferre testimonium, praesumitur contra ipsum. Unde dico illum statim compellendum, nisi constaret per alios quod bene possit veritas comprobari.

Eorum nuncio
Puta si fuerint debiles vel infirmi vel egregia persona, supra, de testib., si qui; et ff. de iureiuran., ad personas. Arg. contra 3. q. 9, testes. Ibi dicit quod praesentes debent esse testes, illud intellige de illis personis quae ad iudicium venire possunt. Vel intellige istud in criminali, ubi testes debent esse in praesentia iudicis, hoc in civili. Et hoc bene distinguitur C. de fid. instrum., authen. apud eloquentissimum. Exigitur enim ut in criminali sint coram iudice et non solum ex dictis, sed etiam ex gestis iudex informet motum animi sui, ff. de testi., testium § item divus.

X 2.21.02 *Cum super causa*

Veneritis
In termino constituto supple, et tunc sufficit ut veniant ea hora qua possint expedire officium suum, supra, de offi. deleg., consuluit; et arg. ff. de condi. et demon., si his, in fi.

Ab officio
Is est ordo, cum culpa incipit a contumacia, tunc debet excommunicari, 23. q. 4, forte. Secus si a crimine, tunc debet deponi, 81. dist., dictum; et supra, de iudic., cum non ab homine, ubi de hoc.

Et si nec sic veneritis
Nota arg. quod in una citatione possunt fieri plures citationes, sicut etiam fit de consuetudine propter difficultatem citationum, ut supra, de dolo et contu., veritatis; et supra, de dolo et contu., cum dilecti; et supra, de in integ. restit., tum ex litteris.

Depositionis
Et sic crescente contumacia crescere debet et poena, supra, ut lite non cont., quoniam, in fi.; ff. de poe., relegati, nisi necessitas sit impedimento, arg. ff. de recepti., Celsus § idem ait. Non enim in omni casu excommunicare eum intelligitur, arg. ff. de solut., si servus decem, in fi. Quid si excommunicasset eum nisi venisset in termino nulla exceptione facta, numquid erit excommunicatus si non potuit venire? In casu tali saltem quo ad Deum non est excommunicatus, quia impossibile praeceptum non ligat, ff. quae sent. sine appel., Paulus 2. Sed quia ecclesia illud ignorat, doceat de impedimento et absolvetur sine difficultate a gravamine, arg. infra, de sent. excom., sacro. Sic ex eadem causa revocatur sententia diffinitiva, nec mandanda est executioni, ff. de iud., si praetor; et infra, de re iudic., cum Bertholdus; et infra, de re iudic., cum olim. Multo fortius excommunicationis sententia tenet, sed probato impedimento sive gravamine, ut dixi, debent absolvi.

X 2.21.03 *Super eo*

Super eo
Quaestio fuit talis: aliquis convenitur de aliquo facto manifesto, quaeritur an illi qui facto interfuerunt, sunt ad ferendum testimonium compellendi.

Non requirant
Quantum ad examinationem vel probationem, sicut nec in confitente necessariae sunt partes iudicis, ff. ad leg. Aquil., proinde si occisus. Sententia tamen necessaria est, infra, de divort., porro.

Non cogendi
Hoc intellige a principio. Primo enim sunt monendi, et postea si noluerint, sunt cogendi, ut supra, de testibus cog., cum super. Clerici vero in causa laicorum cogi non debent, nisi cum aliae probationes haberi non possunt, 14. q. 2, quamquam.

Timore
Sed quis probabit hoc? Certe eo ipso quod monitus est, et non vult testificari, praesumitur contra ipsum quod non bono animo hoc faciat. Et ex hac praesumptione compellitur, arg. C. qui milit. poss., super servis, lib. 12. Et testes inviti cogendi sunt, C. de testi., si quando; et C. de testi., authen. sed hodie. Et sic hodie servatui, et si constaret

quod pars adversa hoc faceret, debet excommunicari, supra, de testib., cum causam quae § quod si forte; et supra, de testib., constitutis 1.

Passim
Scilicet in civilibus. Sed in criminalibus non, nisi agatur civiliter, ut infra, de testibus cog., dilectorum.

X 2.21.04 *Pervenit*

Iuramento adstrinxit
Quod fuit temerarium et illicitum, et ideo non servandum. Unde non obstante tali iuramento compelli debet ferre testimonium super negotio principali, supra, de testib., intimavit; et supra, de testib., constitutis 1. Et debet denunciari non teneri illo iuramento, ut in capitulo supra, de testib., constitutis 1; et infra, de accusat., olim, ubi de hoc. Ber.

Nemo debet
Haec verba habuisti supra, de testib., constitutis 1; et 3. q. 7, infames § sunt autem, vers. si quis autem; et C. de postulan., providendum. Ber.

Instrumenta
Quod si fecerit, tenetur ad interesse, 12. q. 2, si quis de clericis.

Ostendit
Praesumptive. Sicut praesumitur contra illum qui ad pecuniae corruptelam descendit, C. de po. iud. qui mal. iud., constitit.

Elusam
Quia instrui iudex non poterat super causa illo procurante, ff. de off. procon., nec quicquam § ulti.

Commentum
Ex hoc videtur quod non sit cogendus dicere veritatem super principali, sed tantummodo revelare hanc fraudem. Et hoc dicebat Laur. Et debebat procedi in causa tamquam deposuisset contra illum, et sic habebat illum pro producto fraude revelata. Et sic servabit iuramentum suum, et hoc colligi videbatur ex antiqua decretali. Sed hoc non est verum, ut hic dicit. Et quod dictum est: ad detegendum tantae fraudis etc., supple: et nihilominus super principali debent compelli, ut dicunt illa iura, arg. supra, de testib., intimavit; et supra, de testib., constitutis 1; et arg. infra, de testibus cog., venerabilis. Et arg. contra infra, de testibus cog., dilectorum, ubi solvitur. Dic quod non compellitur super principali, ut dicebat Laur. Sed ad fraudem detegendam debet compelli, ut postea denuncietur non teneri illos iuramento, postea poterit iurare super principali si voluerit. Sed non debet compelli, et sic planum est et nullum contrarium, ut dicit Laur.

X 2.21.05 *Pervenit*

Ecclesiasticis
Nomine rerum ecclesiasticarum intelligo clericos. Et ita videntes clericum laedi testificari compelluntur, 12. q. 2, ecclesiarum servos; et infra, de vit. et honest. cler., ex litteris. Et ita potest intelligi, quia iniuria crimen est. Nam qui de iniuria condemnatur, infamis efficitur, infra, de re iudic., cum te; ff. de his qui not. infam., athletas § ulti.

Recusant
Attende consultationem et responsionem, et sic videbis quod directe respondet ad interrogata. Simile supra, de testib., cum in tua, ubi ita indirecte respondet. Sed dicas quod eo ipso quod respondet, ut super rebus ecclesiasticis compellendi sunt, a contrario sensu respondet, quod super illa iniuria non sunt compellendi ferre testimonium. Quod enim de uno confitetur, de altero negare videtur, ut infra, de praesump., nonne; et 25. dist., qualis. Et hoc ideo, quia in criminalibus testes non compelluntur, infra, de testibus cog., dilectorum, quia iniuria crimen est. Unde qui de iniuria condemnatur, infamis efficitur, infra, de re iudic., cum te; ff. de his qui not. infam., athletas § ulti. Arg. contra infra, de testibus cog., super his; et infra, de testibus cog., cum contra. Solvitur haec contrarietas infra, de testibus cog., dilectorum. Vel dic quod persecutio iniuriae appellatur hic res ecclesiastica, et intellige quod civiliter hic agebatur pro suo interesse de iniuria, alias non compelluntur testes, quod intelligo de iniuria facta ordini clericali. Ber.

X 2.21.06 *Caeterum*

Scriptum
Tam canonicum quam civile, 14. q. 2, quamquam; et supra, de testibus cog., per totum; et C. de testi., si quando.

Quam consuetudo actibus
Est autem, ut hic satis apparet, consuetudo ius quoddam moribus utentium approbatum, quod pro lege suscipitur, cum deficit lex, 1. dist., consuetudo. Et consuetudo est optima legum interpres, supra, de consuet., cum dilectus. Et sic compellendi sunt testes tam iure scripto quam non scripto, scilicet consuetudine, supra, de consuet., cum dilectus, ut hic patet.

Ipsum constiterit
Et quis probabit iam dictum est, quia eo ipso quod monitus non vult testificari, praesumitur contra ipsum, ut statim compellatur, nec ista alia necessaria probatio, et haec levis praesumptio sufficit, ff. de pet. hered., si quis libertatem § plane. Ber.

Timore
Timor potest referri ad multa, sive odio personae vel timore hoc contingat compelli debent, supra, de testib., constitutis 1; et supra, de testib., intimavit; et supra, de testibus cog., pervenit 1. Sive etiam odio ipsius sacramenti, quod quidem tenui religione abhorrent, C. de fid. instrum., cum quidam; et infra, de simon., etsi quaestiones. Et tunc fortius debent compelli. Alias si nollent iurare damnando iuramentum, tamquam haeretici debent condemnari, infra, de haeret., excommunicamus et anathematizamus § ulti.

X 2.21.07 *Praeterea*

Synodales
De quibus habes 35. q. 6, episcopus in synodo; infra, de accusat., sicut.

Iterato
Iuramentum enim istorum testium ad totum tempus debet extendi, dum durant in officio illo, postquam iuramentum illud in synodo praestiterunt, sive coram ordinario sive coram delegato causa illa tractetur, ut hic innuit. Sicut iuramentum calumniae ad omnia quae in causa contingunt extenditur, C. de iureiuran., authen. in isto iuramento.

Aliter
Et si aliter non fiat fides, innuit haec littera quod iterum iurare debeant coram delegato etiam pro eadem causa. Sed non videtur quod iterum iurare debent. Unde satis potest suppleri maxime, sicut et testis ex quo semel iuravit ferre testimonium in aliqua causa, non debet amplius iurare super illa, nisi emerserit aliquid de novo.

Quaestionis
Tunc enim debet iurare super articulo illo novae quaestionis, quia primum iuramentum non extenditur ad illum articulum novae quaestionis, quia cum praestitit illud in synodo vel coram episcopo, non cogitabatur de illo, et quod iterum iurare debeat probatur, supra, de testib., fraternitatis. Ubi novus articulus probatur tam per antiquos testes quam per novos prius praestito ab omnibus iuramento, ut supra, de testib., de testibus; et C. de temp. appel., per hanc.

A perhibendo
Nota ergo quod testes huiusmodi synodales propter infamiam supervenientem removentur a testimonio perhibendo, non autem a perhibito, quia infamia vel delictum superveniens non vitiat quod legitime factum est, infra, de eo qui cog. consang., discretionem; et infra, de eo qui cog. consang., tuae; et infra, de eo qui cog. consang., Iordanae; arg. C. de testament., testes servi; et 3. q. 7, infamis § verum; ff. de off. praet., Barbarius. Sic rescriptum Papae non cassat ea quae legitime facta sunt, supra, de restit. spol., audita.

Removeri
Habes hic quod infamis repellitur a denunciatione, ut infra, de spons., cum in tua; et infra, de accusat., cum dilectus; et infra, de accusat., sicut; et ff. de popul. act., popularis actio. Hug. contra. Ber.

In communi
Id est, in synodo vel auditorio communi, 35. q. 6, episcopus in synodo.

Incontinenti
Id est, in eadem instantia iudicii antequam loquatur partibus vel antequam recedat a praesentia iudicis, quia postea subornatus praesumitur, sed hoc posset intelligi habito

respectu ad qualitatem personae, ut sic possit corrigere vel addere etiam ex intervallo. Qualiter intelligatur incontinenti probatur ff. de ver. oblig., continuus; ff. de adulter., quod ait lex § ulti., in fi.; C. de error. advoc., sententiis; et 31. q. 1, apud misericordiam; et melius supra, de elect., quia propter. Ibi invenies multas expositiones huius verbi incontinenti sive mox. Arg. contra 35. q. 9, quod quis commisit. Sed illa contraria non tangunt hoc.

X 2.21.08 *Super his*

Super his
Haec decretalis est pars illius quam habes infra, de accusat., super his, in fine illius decisa est. Et de hac materia loquitur supra, de testib., tam litteris.

Articulis
Ex hoc loco potes sumere casum tam illius decretalis supra, de testib., tam litteris. quam illius infra, de accusat., super his. Quidam electus fuit in episcopum Lucanum. Quidam se opponebant electioni illius dicentes quod erat malae famae, et quod matrimonium contraxerat cum vidua. Item isti qui opponebant se litteras contra electum nomine capituli domino Papae miserunt, quas tam electus quam capitulum falsas dicebant, et capitulum nescivisse de litteris illis. Et de istis articulis mandat Papa inquiri, et ad haec probanda testes sunt compellendi.

Cogatis
Hic compelluntur testes in criminibus, et etiam in irregularitate, infra, de testibus cog., cum contra. Et sic est contra supra, de testibus cog., pervenit 2; et infra, de testibus cog., dilectorum, ubi solvitur.

X 2.21.09 *Cum contra*

Compellere
Dubitationis causa fuit, quia videbatur quod in criminibus non sunt compellendi testes, in Auth de testi. § quoniam, coll. 7; arg. C. de testi., si quando, in princ. Ex eo quod dicit ibi, in pecuniariis causis testes cogendos, videtur quod non in criminibus. Sed contra hoc mandat Papa, scilicet quod compellantur, et supra, de testibus cog., super his; et infra, de testibus cog., dilectorum, quod in criminalibus non compelluntur, sed ibi habetur contrariorum solutio, et quando compellantur et quando non.

X 2.21.10 *Dilectorum*

Super criminibus
Circa compulsionem testium nota quod in causa civili ubi aliter veritas haberi non potest, indistincte sunt compellendi tam clerici quam laici ne veritas occultetur, 14. q. 2, quamquam. Et quia mortaliter peccant qui veritatem occultant, 11. q. 3, quisquis. Unde monitione praemissa indistincte compelli debent testes, supra, de testibus cog., super eo. Et eo ipso quod monitus non vult testificari, praesumitur quod etiam malitiose hoc faciat, ut saepius dictum est supra, de testibus cog., causam. Quandoque tamen in pecuniariis

causis non compelluntur, ut in mediatoribus qui non compelluntur ferre testimonium in contractibus in quibus mediatores fuerunt, nisi de consensu partium, in Auth de testi. § quoniam, coll. 7. Item in aliis casibus qui quasi privilegiati sunt, 4. q. 3, si testes § item in criminali, vers. item inviti; 4. q. 3, si testes § publicani; 4. q. 3, si testes § item is qui non detrectandi; 4. q. 3, si testes § item is qui exercitui. In criminibus vero patet hic quod compellendi non sunt, et arg. ad hoc C. de testi., si quando, in princ.; et supra, de testibus cog., pervenit 2. In contrarium videtur quod bene sunt compellendi, supra, de testibus cog., super his; et supra, de testibus cog., cum contra, in quibus expresse compellitur. Et arg. supra, de testib., cum causam quae, vers. testes autem etc. Sed ibi vers. ille solvitur et ad principales testes illud restringitur, et 4. q. 3 § item in criminali, vers. item lege Iulia publicorum iudiciorum. Ex eo enim quod certae personae ibi non compelluntur, datur intelligi quod aliae compellantur, quia quod de uno negatur, de alio etc., 25. dist., qualis; ff. de testi., lege Iulia. Illae enim personae privilegiatae sunt propter connexitatem. Unde aliae omnes compelluntur. Super hoc dicant quidem quod si agatur directe in modum accusationis, non sunt testes compellendi. Si vero civiliter agitur de crimine in modum exceptionis vel denunciationis aut etiam inquisitionis, tunc compelluntur, ut supra, de testibus cog., super his; et infra, de simon., licet Heli. Sed huic distinctioni contradicit expresse haec decretalis, quia non poterat agi criminaliter in hac decretali sed civiliter tantum duabus rationibus. Primo quia hic agebatur causa conventionis et reconventionis inter episcopum et capitulum, ut patet in antiqua, et quia per procuratorem, ut littera ista dicit procuratoribus constitutis. Sed procurator non intervenit in causa criminali, infra, de accusat., veniens; et ff. de public. iud., accusatore § ulti.; et 5. q. 3, in criminalibus. Et in crimine non fit mutua accusatio vel denunciatio, quia non relatione criminum, sed innocentia reus purgatur, ff. de public. iud., is qui; et 3. q. 11, neganda. Et sic necesse est, ut dicamus, quod hic obiiciebantur crimina testibus, ut a testimonio repellerentur. Et ideo dicit cogatis testes, scilicet qui nominati fuerint praeterquam super criminibus. Ideoque dicendum est quod super criminibus testes compellendi non sunt, sive directe agatur de crimine sive civiliter, ut hic patet, et supra, de testibus cog., pervenit 1. Et haec est ratio, quia in infamiam alterius nemo debet facile prosilire, quia tales detractores dicuntur, 6. q. 1, ex merito; et 6. q. 1, sapiens; 6. q. 1, deteriores; 6. q. 1, summa. Ergo multo fortius nec compelli. Qualiter respondebis capitulis supra proximis? Ad illud supra, de testibus cog., super his, dicas quod ibi compelluntur testes ad probandum infamiam sive irregularitatem contra electum, ne indigna persona ad apicem dignitatis promoveatur per surreptionem, quia vilis persona ad tantam dignitatem surreptione promoveri non debet. Et iudex ex officio suo hoc facere debet propter publicam utilitatem, quia ille omnibus de sua plebe praeficitur, et sic est quasi speciale in causa inquisitionis, et infra, de simon., licet Heli. Et inquisitio non fit nisi ubi infamia praecessit, unde ibi non compelluntur testes in infamiam alicuius, sed ex tali compulsione si probentur crimina, oritur infamia, supra, de testib., testimonium. Et quia ibi agebatur de falso per inquisitionem, ideo compelluntur testes ne talis falsitas remaneat impunita ex defectu testium, in quo casu intelligitur proximum capitulum supra, de testibus cog., cum contra. Quia dico illud speciale in crimine falsi, et praecipue in litteris Papae in quibus multa specialia sunt, infra, de crim. falsi, ad falsariorum, et idem in casu sequentis capitulis infra, de crim. falsi, accedens. Dico ergo quod ubicumque agitur actione odiosa vel exceptione, per quam ad infamiam alicuius procedatur, non sunt compellendi testes, ut dictum est, nisi in casibus praedictis. Secundum leges compelluntur, nisi in casibus

ubi specialiter non debet compelli, ut dictum est. Et hoc dicunt Tanc. et Vincen. Alii contrarium dicunt prout dictum est. Sed supradictis omnibus rationibus potest de facili responderi secundum illos qui dicunt quod semper compellendi sunt testes, nisi agatur criminaliter tantum. Dic quod nullus criminalis erat quaestio inter episcopum et capitulum, sed civilis tantum, ut patet in integra in quinta compilatione, scilicet conventio et reconventio. Et quod dicit: testes qui nominati fuerint, cogatis veritati testimonium perhibere, si gratia, odio vel timore se subtraxerint, praeterquam super criminibus. Sic debet intelligi quod testes in civilibus quaestionibus sunt compellendi, sed in criminalibus non debent compelli. Et sic Papa providit hic novum ius, et sic contrarium nullum contra istos. Et sic non oportet dicere, ut dicunt quod hic erat controversia inter episcopum et capitulum super pluribus articulis civilibus et super criminalibus. Et quod isti erant procuratores ad excusationes tantum allegandas, vel quod dati erant lite contestata. Ista stare non possunt, ut patet in antiqua decretali, et per iura praedicta. Civilis enim et criminalis quaestio non concurrunt simul, immo criminalis praeiudicat civili, 3. q. 11, non est § aliquando. Sed magis aequum videretur quod semper compellerentur qualitercumque agatur, ne crimina remaneant impunita, dum tamen non criminaliter directe, nec per viles personas quis condemnetur. Arg. contra infra, de sent. excom., ut famae, cum suis concordantiis ibi positis; et arg. infra, de collus., scripta; et infra, de collus., crimina; et infra, de collus., in tantum; et supra, de testib., cum causam quae, vers. testes autem etc.; et supra, de testibus cog., super his; et supra, de testibus cog., cum contra; et infra, de testibus cog., venerabilis. Inno. iiii dicit quod ubi non est peccatum tacere, id super quo testes inducuntur non sunt compellendi. Sed si peccatum est tacere, compelluntur.

X 2.21.11 *Venerabilis*

Coniurationem
Clerici enim qui contra episcopum suum faciunt coniurationem, vel insidias ei paraverint, deponendi sunt et tradendi curiae saeculari, ut puniantur, 11. q. 1, si quis sacerdotum; et 11. q. 1, coniurationum; et 11. q. 1, conspirationum; 11. q. 1, si qui clerici aut monachi reperti; 11. q. 1, si qui clerici aut monachi inventi. Laici vero qui contra episcopum suum conspirationem faciunt, sunt excommunicandi et communione privandi, 11. q. 1, conspirationum.

Iuramento absolvant
Sed videtur quod non debeant absolvi, cum iuramentum non tenuerit. Unde potius denunciandi sunt non teneri huiusmodi iuramento ligati, supra, de testib., constitutis 1; et supra, de testib., intimavit; et infra, de accusat., olim. Et ita haec absolutio potius dicitur fieri ad cautelam sive de facto. Sic quandoque absolvuntur aliqui, ut possint testificari, supra, de testib., veniens 2, in fi. Praeterea et alia ratione iuramentum huiusmodi non tenuit, quia coniurationes huiusmodi illicitae sunt, 11. q. 1, si quis sacerdotum; et 11. q. 1, coniurationum; et 11. q. 1, conspirationum. Ergo tale iuramentum non est servandum, cum vergat in dispendium salutis aeternae, infra, de iureiur., si vero; et 22. q. 4, si aliquid, et in multis capitulis eiusdem quaestionis. Et quia non habuit tres comites, scilicet veritatem, iustitiam et iudicium, ut 22. q. 2, animadvertendum. Vel licet sit illicitum auctoritate propria non debet quis venire contra. Arg. contra supra, de elect.,

venerabilem. Item habes hic quod socius criminis admittitur ad detegendam conspirationem, immo certe tenetur illam conspirationem manifestare et denunciare, 6. q. 1, si quis cum militibus, in fi.; et 79. dist., si quis Papa. Item in defectu probationis minus idonei testes admittuntur, qui alias non admiterrentur, C. de haeretic., quoniam; et 4. q. 3, si testes § item servi responsio. Et propter defectum testium admittuntur qui alias admitti non debent, supra, de elect., cum dilectus.

Eos
Cum fuerint absoluti, ut voluerint ferre testimonium propter iusiurandum. Nihilominus etc.

X 2.22 DE FIDE INSTRUMENTORUM

X 2.22.01 *Si scripturam*

Authenticam
25. q. 2, dicenti. Authentica scriptura est quae per manum publicam vel per iudicem cum trium testium vel duorum ad minus subscriptione vel testimonio facta est, in Auth. de fid. instrum. § sed instrumenta, coll. 6. Vel duorum virorum, supra, de probat., quoniam. Vel quae habet sigillum authenticum, infra, de fide instrum., scripta; et supra, de probat., post cessionem. Et etiam scriptura quam facit privatus in praesentia trium testium, videtur authentica, in Auth. de fid. instrum. § si tamen quisquam, coll. 6; et C. qui pot. in pign. hab., scripturas.

Exemplaria
C. de edend., authen. si quis in aliquo. Nisi ipsa exemplaria sumpta et publicata sint iudicis auctoritate, C. de testi., publicati; et infra, de fide instrum., si instrumenta; arg. C. de iure emphyt., cum dubitabatur § et si quidem dominus, circa fi.; C. de re iud., gesta. Sed pone quod ita Papa mandat, procedatis secundum tenorem priorum litterarum, et primae litterae non constarent, numquid potuerunt procedere? Dicas quod non, nisi prima forma prius appareat per iura praedicta, vel nisi probetur tenor prioris rescripti non cancellati, non vitiati, infra, de privileg., cum olim propter. Nam per litteras ultimas non datur iurisdictio, vel si datur non constat per eas de priori forma, et ideo non potest procedi per ipsas. Sic non tenetur quis exequi sententiam, nisi ei fiat fides de iurisdictione, supra, de offi. deleg., cum in iure

X 2.22.02 *Scripta vero*

Authentica
Instrumenta publica perpetua firmitate nituntur ad damnum et commodum utriusque partis, arg. 54. dist., nulli de servili; 12. q. 2, si quis de clericis; et supra, de pact., cum pridem; et 4. q. 3, si testes § item saepe fit; C. de fid. instrum., in exercendis. Privata vero ab adversario scripta, it quod constet vel a quocumque, dummodo partium vel testium subscriptione fulcita sint, in actione personali robur obtinent firmitatis, in Auth. de fid. instrum. § sed et si quis, coll. 6. Et talis scriptura dicitur authentica, ut hic patet. In reali vero actione instrumentum manu publica confectum praeponitur tali instrumento

privato, nisi privatum instrumentum habeat trium vel amplius subscriptionem testium, C. qui pot. in pign. hab., scripturas. Privata vero instrumenta valent in praeiudicium illorum qui ea scribunt, C. de non num. pecun., generaliter; et ff. deposi., publia § ulti. Ad commodum vero eorum minime, C. de probation., instrumenta; C. de probation., rationes; C. de probation., exemplo. Laur.

Per manum publicam
Id est, per notorium qui servus publicus dicitur, ff. rem pup. vel adul., si pupillus.

Appareant
Ratione subscriptionis, in Auth. de fid. instrum. § 2, coll. 6. Vincen.

Sigillum
Sed quod dicimus authenticum sigillum? Authenticum dicitur sigillum episcopi, et ei creditur quamdiu contrarium non ostendatur, supra, de probat., post cessionem; et 11. q. 3, curae. Item sigillum capituli, supra, de probat., ex litteris; 73. dist., in nomine patris, in fi. Item sigillum alicuius principis saecularis cui creditur de consuetudine, infra, de fide instrum., cum dilectus. Item arg. 19. q. 3, statuimus; et ff. de cust. reo., divus.

X 2.22.03 *Ex litteris*

Postulavit
Quod de iure petere potuit, cum sit commune instrumentum. Immo iudex tenetur illud patribus exhibere, supra, de dilat., praeterea. Quod si non fecerit, appellari poterit, infra, de fide instrum., G perpetuus. Nam et propria instrumenta tenetur quis alteri parti exhibere, ex quo utitur illis in iudicio, infra, de fide instrum., accepimus; et infra, de fide instrum., contingit; et C. de fid. instrum., cum quidam. Cum ea vult arguere falsitatis, ut ibi dicitur.

Abrasae sunt
Unde videbatur dubitandum, quoniam rescriptum debet apparere non vitiatum, non cancellatum, C. de edict. div. Had. toll., edicto. Et sine reprehensione bullae et chartae vel litterae, infra, de privileg., cum olim propter. Et hoc intelligo verum ubi est ius quaestionis, et ubi Papa respondet de iure. Sed in narratione facti possunt abradi, quia hoc ad ius non pertinet sed a quaestionem fidei, id est, facti, C. de testament., si unus. Quia non statur tali narrationi nisi illud probetur. Nec dicitur propterea vitiosum rescriptum, si de eadem manu rasura reposita est in loco non suspecto. Si vero litterae essent clausae, tunc non nocet, arg. C. de fid. instrum., comparationes; et C. de testament., si unus. Laur.

In possessionibus
Id est, in nominibus possessionum, sed in nominibus actoris vel rei vel iudicis ibi omnino rasura esset suspecta. Item si esset ibi falsum latinum, suspectae sunt litterae, supra, de rescript., ad audientiam 1. Ber.

X 2.22.04 *Accepimus*

Non valeant
Alias etiam nec redargui possunt, nec etiam sciri quod deberet servari per ipsa, quod totum ex ipsarum inspectione deprehenditur, infra, de privileg., dilecti; et infra, de privileg., porro; et infra, de fide instrum., contingit; 96. dist., bene quidem. Nec possumus iudicare de lege nisi ea perspecta, ff. de legib., incivile. Et qui privilegium vel instrumentum vult arguere falsitatis, primo iurabit quod calumniose hoc non dicat. Alias non audiretur nec daretur ad inspiciendum, C. de fid. instrum., cum quidam. Quae intelligitur cum agitur de falso criminaliter. Tunc inscribitur accusator, ut ibi dicitur. Quidam intelligunt legem istam cum agitur civiliter de falso, secundum quod haec decretalis intelligitur. Et secundum hoc bene probat id ad quod inducitur, cum quis civiliter vult arguere instrumentum de falso. Et hoc intelligo verum ubi de calumnia non est iuratum, et est ad hoc arg. supra, de testib., praesentium; et infra, de except., pastoralis.

Securo
Hoc iudex providere debet utrique parti, 3. q. 9, hortamur; 33. q. 2, sive; et infra, de appell., ex parte 1; et supra, ut lite non cont., accedens 2.

Arguendi
Nota tempus praefigendum accusare volenti ultra quod non auditur, ut 4. q. 5, quisquis; et infra, qui fil. sint legit., lator; infra, de accusat., licet; infra, de clan. despon., cum inhibitio; et infra, qui matrim. acc. poss., cum in tua; et C. de ing. manum., diffamari; et C. qui accus. non poss., si ea. Sic et ad exceptiones proponendas, infra, de except., pastoralis.

Vacillare
Arg. quod pendente accusatione contra aliquem interim remanet in statu ex officio suo pristino, 8. q. 4, nonne. Arg. contra supra, de testib., non debet, ubi de hoc.

Obtentu
Auctoritate enim privilegiorum sententia lata fuit super statu monasterii, absolvendo monasterium a subiectione archiepiscopi. Et ita patet quod licet dicatur sententia lata per falsa instrumenta sive testes, quousque de hoc constet in sua firmitate perdurat et ei statur, ff. de re iud., divus. Falsitate vero probata nullus erit momenti ipsa sententia, supra, de procurat., in nostra, in fi.; et C. de procur., licet.

Privilegiorum
Vel etiam in parte ipsorum, infra, de fide instrum., contingit; et ff. de edend., qua quisque § 2. Ber.

X 2.22.05 *Contingit*

Exhibere
Et nonne isti erant rei, quare ergo coguntur sua instrumenta parti alteri exhibere contra illud, supra, de probat., ex epistolae; et 4. q. 3, si testes § item in criminali, vers. qui intendit; et C. de edend., qui accusare. Sed non contradicunt illa, quia isti usuri erant in iudicio illis privilegiis. Et ideo adversario illa edere tenebantur, ff. de edend., qua quisque § edenda. Nam et actor reo, et reus actori tenetur edere omnia quibus usurus est, C. de edend., et quae. Et de hoc dicitur infra, de fide instrum., G perpetuus. Ber.

Suscitantur
Quod esse non debet. Immo potius iudex prospicere debet ne lites ex litibus oriantur, ff. de recepti., non distinguemus § quaesitum; ff. si cert. pet., quidam; et ff. de leg. 3, fideicommissa § si quis decem; et ff. de damn. infect., qui bona § ulti.; et C. de iud. apertissimi; et C. de sacro. eccl., ut inter divinum. Unde et ille qui petit sibi fieri editionem instrumentorum, iurare debet quod per calumniam hoc non faciat, ff. de edend., si quis ex argentariis § exigit; C. de testament., ex imperfecto. Ber.

Praesente iudice
Alias non tenetur. Nam coram iudice et praesente parte haec sunt facienda, arg. ff. de interrog. act., voluit § quod ait; et ff. de interrog. act., procuratore.

Illud
ff. de edend., argentarius § edi autem. Alia vero capitula non debent edi. Sic et quandoque recitetur clausula testamenti, quae alicui ingerit ignominiam, C. de testament., ex imperfecto; et ff. de testament., tabularum § 2. Ber.

X 2.22.06 *Inter dilectos*

Petebat
Habens mandatum a capitulo suo, alias non audietur, supra, de transact., contingit. Nisi cavisset de rato, supra, de offi. deleg., coram. De hoc dixi supra, de rescript., edoceri.

Procuratore tuo
Et ita est concipiendus libellus in personam procuratoris nomine ecclesiae, arg. C. de episc. et cler., omnes § hoc nihilominus. De hoc dictum est supra, de elect., querelam.

Cum honore
Et sic patet quod libellus generalis potest offerri, supra, de restit. spol., cum ad sedem, ubi de hoc plenius dicitur; supra, de libel. oblat., significantibus.

Obtinuerat
Sed si obtinuit in possessorio, qualiter modo petit cum habuerit possessionem? Dicas quod obtinuit in possessorio causa rei servandae, supra, de iudic., examinata. Sed archiepiscopus recuperavit possessionem infra annum offerendo cautionem coram episcopis Reginensi et Mutinensi. Et praeterea monasterium non stetit in possessione, sed archiepiscopus, supra, de sequestra., ad hoc.

Iure addendi
Dicunt quidam arg. huius litterae, quod verba ista semper sunt ponenda in libello, arg. Inst. de action. § si minus. Sed non est necesse quod ponantur, nisi quis velit ponere ad cautelam, quia usque ad litis contestationem potest mutari vel addi vel diminui libellus, C. de edend., edita actio. De hoc dictum est supra, de libel. oblat., significantibus.

Pertinere
Verbum istud pertinere latissime patet, ff. de ver. sig., verbum istud pertinere. Unde per hoc deduxit in iudicium quicquid iuris habebat in rebus illis, ex quo nullam causam adiecit, ff. de excepti. rei iud., et an eadem § actiones. Et de hoc dixi supra, de libel. oblat., significantibus; et 2. q. 8, per scripta § libellorum.

Conferebat
Tamquam dominus praedicti comitis, qui feudum alienare non posset sine licentia domini, ut in constitutione Friderici de feudis; et C. de iure emphyt., cum dubitabatur; arg. infra, de don. int. vir. et uxor., nuper. Sed haec collatio ad alia, et confirmatio ad alia refertur, ut infra sequitur eodem capitulo. Vincen.

Et supra
Hoc vult dicere littera ista: quidam testes dicebant quod monasterium possederat quadraginta annis citra. Alii dicebant quod per quinquaginta annos et supra. Sed vere non probant, quia si hoc fuisset probatum, obtinuisset monasterium, et ideo dicit: nitebatur probare.

Consumptum
Consumptio vel rasio obest in nominibus iudicum in data, in remotione appellationis, ut dictum est supra, de fide instrum., ex litteris.

Indictionis
Indictio enim consuevit poni in privilegiis et instrumentis, ut hic, et 23. dist., in nomine Domini; et 73. dist., in nomine Patris, in fi. Et anni Domini ponendi, et nomen imperatoris, et mensis et dies. Et hoc totum legitur in Auth. ut praep. imp. nom., coll. 5. Editio tamen instrumentorum debet fieri adversario sine die et consule et indictione et annis Domini, quia inspectio instrumentorum praestat materiam fabricandi falsum, ff. de testament., tabularum § diem autem. Nisi quis vellet agere de falso, ut hic, et C. de contrah. et comm. stip., optimam. Nota ergo quid sit indictio, ad hoc ut scias an instrumentum falsum ex indictione discernatur. Est enim indictio quidam numerus annorum constans ex tribus lustris, id est, quindecim annis. Et debet poni in principio cuiuslibet instrumenti, ut dictum est. Incipiens a prima indictione per totum annum dicit indictione prima. In secundo anno dicit indictione secunda, ut sic usque ad quindecim. Et quindecimo anno finito iterum incipit a prima indictione, et sic fiet perpetuo. Si ergo vis scire falsitatem instrumenti vel privilegii per indictionem, vide quotus annus Domini ponatur in instrumento, et quota indictio ibi ponatur, et illos annos Domini dividas per quindecim. Et quicquid superest a quindecim ita quod non compleat quindecim additis ibi tribus, talis debet esse indictio in instrumento. Et si non est ibi talis indictio, falsum est instrumentum. Et haec est regula ad inveniendum indictionem. Tres annos Domini

appone pro indictionibus regulariter, et partire per quindenium numerum, et quotus numerus remanet infra quindecim, tanta est indictio. Et si facta divisione remaneant quindecim tantum, quindena est indictio.

Videretur
Nota quod ex qualitate chartae falsitas deprehenditur, infra, de crim. falsi, licet § eos. Et hic fit comparatio chartae ad litteram, sicut alibi fit comparatio scripturae ad scripturam, C. de fid. instrum., comparationes.

Dimidia
Ad hoc enim ut sigillum sit authenticum, debent apparere characteres et orbita, ff. qui testam. fac. pot., ad testium § signum; et de poen. dist. 2, principium inquit, vers. quid namque boni etc.

Deletae
Non enim dicuntur litterae signatae ubi nomen deest, ff. qui testam. fac. pot., ad testium § si quis ex testibus. Et si quis non habet proprium sigillum, cum alieno signare potest, C. de testament., si unus. Sed exprimendum est hoc, vel forsitan non tenet hoc in contractibus praecipue magnarum rerum et etiam principum, infra, de appell., significavit. Et litterae illae deletae fuerant de ipsa cera sigilli.

Duae litterae
Scilicet v et i.

Publica manu
Sed nonne sufficeret privata habens subscriptionem trium testium, C. qui pot. in pign. hab., scripturas; et 16. q. 3, placuit § potest, vers. is autem? Respondent quidam quod non, nisi testes vivant, arg. supra, de fide instrum., scripta.

Magis
Poterat tamen alio modo probari utrum fuerit Henrici vel Ludovici, videlicet per chronicam imperatorum, ex annis Domini et indictione.

Liturae
Id est, cancellaturae sive rasurae. Alibi dicuntur interlita, C. de testament., si unus.

Profiteretur
Id est, confitebatur per se fecisse completionem instrumenti, in Auth. de tabell. § 1, coll. 5; et infra, de privileg., cum olim propter.

Mentio
Nota in privilegiis mentionem esse faciendam sententiae, ut hic videtur, et etiam compositionis, infra, de decim., ex multiplici. Sic etiam in rescriptis facienda est mentio de privilegiis, supra, de rescript., cum ordinem. Et unum rescriptum debet facere expressam mentionem de alio rescripto, ad hoc ut ipsum tollat, supra, de dolo et contu., ex litteris. Item unum privilegium de alio, infra, de praescrip., veniens.

Inter alios
Sed nonne quia sciebat causam suam agi, immo quia ipse iudex fuerat, et pro monasterio iudicavit, sibi praeiudicavit, ff. de re iud., saepe; ff. de pignorib., fideiussor, 2. resp.; infra, de re iudic., suborta? Dic quod tunc actum fuit solum possessorio, quod non praeiudicat in petitorio. Vel hoc ideo fuit, quia delictum personae etc., 16. q. 6, si episcopum.

Acta
Sic supra, de testib., veniens 2; 2. q. 5, interrogatum. Haec regula ponitur infra, de re iudic., quamvis, ubi de hoc.

Nocumentum
Illas enim posset approbare, sed cogi non poterat, arg. supra, de testib., cum causam quae; et supra, de testib., constitutus; et supra, de testib., veniens 2. Cum inter alias personas receptae fuissent, tunc tenetur illas ratas habere si sint publicatae, arg. C. de liber. caus., iubemus; et supra, de probat., cum bonae; et supra, de testib., causam quae 2. Et idem est si coram arbitro recepti sunt, cum distinctione tamen illius legis C. de testi., cum apud compromissarios; et supra, de testib., praesentata. Ber.

Petitionis
Arg. quod responsum conformandum est petitioni, ff. de interrog. act., de aetate. Item arg. quod ex forma petitionis formanda est sententia, quia ex petitione apparet qualiter et de quo sit actum, infra, de accusat., qualiter et quando 1; et infra, de simon., licet Heli. Et est arg. quod libellus sit dandus, alias de praedictis constare non posset.

Valere
Sic ergo facienda est interpretatio, ut res de qua agitur magis valeat quam pereat, infra, de verb. sign., abbate; infra, de privileg., in his; 12. q. 2, si quos de servis; et ff. de reb. dub., quotiens; et ff. de ver. oblig., quotiens in stipulationibus. Arg. contra supra, de offi. deleg., cum super; et ff. de iure cod., saepissime; et ff. de reb. dub., in ambiguo; et ff. de hered. instit., quotiens.

Nequivissent
Et ita talia debent esse subiecta, qualia permittunt praedicta. Laur.

Confirmari
Videtur quod idem non possit dare et confirmare, ff. de iuris., et quia. Sed contra videtur 63. dist., in synodo; et 23. dist., in nomine Domini; et supra, de elect., cum inter canonicos.

Quod meum est
Sic Inst. de action. § sic itaque; ff. de acq. poss., possideri § ex pluribus; et Inst. de legat. § sed si; C. de contrah. empt., cum res; et C. de contrah. empt., si mater; ff. de contrah. empt., sive rei; C. de iure dot., avia, arg. ubi dicitur quod cum patri iam provisum sit per legem, ut habeat actionem ad repetendam dotem si pactum faciat, non nascitur ex hoc

actio, cum iam eam habeat a lege. Ea tamen possessio pluribus ex causis habetur, ff. de acq. poss., possideri § ex pluribus. Licet enim unum sit genus possessionis, multae tamen sunt eius species, ut eadem lege de acq. poss., possideri § ulti. Licet ergo ex pluribus causis possit fieri traditio rei, arg. ff. de solut., cum quis § de peculio. Ex una tamen dominium acquiritur, arg. ff. ad leg. Falc., fundo; et ff. ad leg. Falc., si a me; et C. locat. et conduct., ad probationem. Praeterea ex hoc videtur quod si aliquis plures titulos sui dominii assignet, cum hoc esse non possit, succumbat, arg. infra, de concess. praeben., post electionem; et C. de contrah. empt., cum res; et C. de contrah. empt., si ancillam. Tamen licet ratione unius tituli competit exceptio, licet iste titulus nullus esse videatur, ff. de exception., nemo.

Nec accessorium

Istud regulariter verum est, ut si principale non tenet, nec accessorium, C. de legi. et const., non dubium; et infra, de don. int. vir. et uxor., etsi necesse; et supra, de for. compet., si diligenti; et supra, de elect., qualiter; et ff. de Maced., creditorem. Arg. contra infra, de iureiur., debitores; et C. si adv. vend., si minor; et ff. quib. mod. usus., quid tamen, in princ.; et ff. quib. mod. usus., praecedenti. Et illa specialia sunt. Item contra C. de episcopal. aud., authen. liberi furiosi, ubi tenet legatum et non tenet testamentum. Sed illud fit in odium filiorum qui negligunt patrem.

Locatio

Sed hoc falsum videtur, quia si ego locavi tibi domum, tu non potes mihi referre quaestionem dominii, ut ff. de pigner. act., si pignore; et melius C. locat. et conduct., si quis conductionis; ff. commodat., ita ut. Sed verum est quod non refertur quaestio dominii si agatur illa actione quae oritur ex pignoratitia vel commodati vel locati. Sed secus si agatur reali actione, quia illa non proponitur tamquam contra commodatarium vel inquilinum, sed quasi contra quemlibet possesorem, ff. ad exhib., de eo § 1. Et verba ista sunt sumpta C. locat. et conduct., ad probationem; et arg. ad hoc C. de praescri. trig. vel quad. ann., male agitur; C. de donation., censualis. Et conductor rem conductam locare potest, ff. locat. et conduct., qui insulam; et C. locat. et conduct., nemo.

Procuratorem

Hic ergo formatur sententia in personam procuratoris, contra supra, de probat., licet. De hoc notatur supra, de elect., querelam.

Qui petitor est

Quia cum obscura sunt iura partium, iudicandum est pro reo, ut hic dicit, et supra, de probat., ex litteris; et supra, de probat., in praesentia; et 3. q. 9, indicas; et ff. de act. et oblig., Arrianus; ff. de poe., respiciendum; Inst. de interdic. § commodum, nisi in liberali causa; ff. de manumiss., lege Iunia; et ff. de re iud., inter pares. Item si agatur de inofficioso testamento, potius pro testamento iudicatur, ff. de inoffic. testam., si pars iudicantium. Item pro matrimonio, 33. q. 1, si quis acceperit; et 30. q. 3, illud. Et istos tres casus et quartum habes infra, de re iudic., duobus. Ber.

Super his
Haec decretalis est pars illius infra, de voto et vot. redem., quod super his.

Absolutione
A voto peregrinationis.

Ignota
Cum vero sigilla ignota sunt, tunc eis non est standum, nisi sint quinque aut eo amplius, 98. dist., nullus; et 98. dist., transmarinos. Si vero obfuscata sunt, sunt suspecta, ut supra, de fide instrum., inter dilectos; ff. qui testam. fac. pot., ad testium § si signata. Tunc enim remittuntur ad consignatores, ut agnoscant sigilla sua, ff. quemad. test. ap., si quis ex consignatoribus. Et si quis non agnoscit suum sigillum, non ideo vitiatur, sed suspectum habeatur instrumentum, ff. quemad. test. ap., omnibus, in fi. Cum vero sigillum notum est, tunc creditur talibus litteris etiam in praeiudicium alterius, supra, de probat., post cessionem; et supra, de probat., proposuisti, quamdiu in contrarium non probetur, ut ibi.

Impedimentis
Cum votum nequeant adimplere.

Carere volumus
Quia veritatem debent litterae continere, quia votum revocant, sicut illae quae revocant alias litteras, ut supra, de offi. deleg., ex litteris; et supra, de dolo et contu., ex litteris; et supra, de rescript., caeterum; et infra, de re iudic., inter monasterium. Et ita seriem rei litterae continere debent, infra, de cohab. cler. et mul., super eo. Et ita patet hic quod litterae generales non absolvunt aliquem a voto nec a sententia excommunicationis, infra, de sent. excom., cum pro causa; et arg. supra, de offi. ord., ex parte.

Non obstantibus
Denegabit enim delegatus suam cognitionem, ubi delegans denegaret commissionem, supra, de rescript., super litteris.

X 2.22.08 *Pastoralis*

Dissona
Nota quod si aliquod recsriptum sit contra ius, statim est abiiciendum, 25. q. 2, rescripta. Non enim ratione rescripti recedendum est a iure communi, ut supra, de rescript., causam quae; et supra, de aetat. et qualit., eam te. Immo auferendum est de manibus tenentis, et dandum est principi, C. de pagan. et sacrif., sicut sacrificia. Sed si non est ex toto contra ius, sed alias sit iniquum, tunc expectandum est secundum mandatum, supra, de offi. deleg., si quando; et in Auth. ut nulli iudic. lic. hab. § si vero, coll. 9. Si autem aliqua decretalis est praeter ius, non statim eiicitur, sed consulitur superior, ut hic dicit. Et hoc ideo quia cum inter alias decretales allegatur, praesumitur quod sit decretalis, arg. 20. q. 1, quem progenitores. Obviat consuetudini, praevalet consuetudo, modo consuetudo sit probabilis et legitime sit perscripta, supra, de consuet., cum tanto; supra, de consti., cum omnes; et supra, de eo qui mitt. in poss. caus., cum venissent. Nisi princeps per suum

statutum intendebat tollere consuetudinem, ff. de sepulch. viol., praetor ait § divus. Alias succumbit consuetudo, infra, de re iudic., causam quae.

Consulat
Et interim pendente relatione iudex supersedeat causae, arg. supra, de offi. deleg., licet; et C. de relat., si quis; et 2. q. 1, nomen presbyteri.

X 2.22.09 *Cum dilectus*

Post publicationem
Dubitatio forte fuit illa, quia forte diu tacuit cum protestari vel edere debuisset, ff. de edend., qua quisque § edere; et ff. de edend., qua quisque § edenda. Vel illa erat dubitatio, quia post publicationem testium non licet producere alios testes. Unde videbatur quod non liceret producere instrumentum, quia nomine instrumentorum continentur et testes, supra, de testibus cog., pervenit 1; ff. de fid. instrum., instrumentorum. Sed non est ita, quia in instrumentis non timetur subornatio sicut in testibus, quia ex multis causis et facilius deprehenditur falsitas instrumentorum quam testium, ut supra, de fide instrum., inter dilectos; et supra, de probat., licet. Vincen.

Conclusum
Id est, renunciatum allegationibus et omnibus aliis probationibus, supra, de caus. poss. et propr., pastoralis; et supra, de procurat., auditis.

Approbata
Nota quod consuetudo facit aliquod instrumentum authenticum, quod alias non esset. Et consuetudo dat alicui iurisdictionem, qui alias habere non potest, supra, de arbitr., dilecti; et supra, de for. compet., cum contingat. Sic et consuetudo facit aliquem illegitimum, qui alias est legitimus ad promotionem, infra, de cleri. coniug., cum olim. Et personas legitimas ad matrimonium facit illegitimas, infra, de cognat. spir., super eo. Ber.

Honestatis
Nota quod ex qualitate personae approbatur instrumentum, ff. de edend., si quis ex argentariis § 1; et infra, de praescrip., ad audientiam; et infra, de praesump., illud.

X 2.22.10 *Cum Ioannes*

Compensare
Quae compensatio admittenda fuit, si causa ex qua postulabatur liquida erat, alias non admittitur compensatio, infra, de deposit., bona fides, in fi., ubi de hoc; et C. de compensat., compensationes.

Vacuam
Quod fieri debuit si pura fuit venditio, ff. de act. emp. et vend., si in emptione § 1; et ff. de act. emp. et vend., ratio; et arg. ff. de usuri., si stipulatus. Et sic restitutio possessionis plene ac libere facienda est, supra, de restit. spol., Pisanis. Ber.

Ad nostram audientiam
Hic adeo appellatur ad Papam, quod civitas Viterbiensis subest domino Papae etiam quo ad temporalem iurisdictionem. Alias non appellaretur ad ipsum, infra, de appell., si duobus.

Pendebat
Si enim capitulum ex toto esset novum, non penderet ex veteri, iudex appellationis non cognosceret nec testes reciperet, supra, de testib., fraternitatis; et C. de temp. appel., per hanc. Et sic patet quod in causa appellationis novae probationes possunt induci super nova exceptione, C. sent. rescind. non pos., peremptorias. Nec aliam causam possum prosequi in causa appellationis quam expresserim coram iudice a quo appellavi, ff. de appellat., scio, ad fi.

Nepotibus
Sed quare iste Ioannes emebat domum illam pro filiis ipsius Petri nepotibus eiusdem Ioannis, cum ipsi filii debebant illi Petro succedere, in Auth. de hered. ab intest., circa princ., coll. 9; et Inst. de hered. qual. et diff., circa princ.; et Inst. de hered. qual. et diff. § sed sui? Forte ideo facit, quia Petrus prodigus erat et consumebat bona sua. Unde ne domus illa perveniret ad alios, voluit Ioannes providere nepotibus suis.

Recordari
Et tamen valuerunt dicta eorum, quae alias non valuissent si de tempore ageretur, supra, de testib., ex tenore.

Quodlibet instrumentum
Et ita patet quod contra instrumentum quantumcumque publicum admittuntur testes, ut hic, quia secundum testes productos contra instrumentum sententiatur. Ad idem inducitur infra, de praescrip., ad audientiam; et C. de probation., cum precibus. Si quaeris quot testes praeiudicent instrumento potest dici quod quatuor vel quinque ad minus, quia auctoritas tabellionis videtur aequivalere duobus testibus, supra, de probat., quoniam. Et ipsum instrumentum valet duos testes, quia parem vim obtinet probatio testium vel instrumentorum, C. de fid. instrum., in exercendis, ut hic deciditur. Et sic patet quod ad minus per quatuor meliores vel quinque testes instrumentum reprobetur. De hoc dictum est supra, de probat., tertio. Sed in casu isto testes non reprobant instrumentum, sed addunt instrumento, quod notarius omiserat forte per oblivionem. Ber.

Exceptionis
Unde non videbatur pro ipso sententiandum, supra, de ord. cognit., cum dilectus; infra, de except., denique.

De certo
Propter quod probatio insufficiens videbatur, supra, de probat., in praesentia; arg. supra, de fide instrum., inter dilectos; et ff. de edend., qua quisque § editiones.

Postquam
Et sic patet quod iudex potest interrogare partes quandocumque visum fuerit, ff. de interrog. act., ubicumque; et 30. q. 5, iudicantem. Sic etiam potest interrogare testes post publicationem si obscure dixerint, quandocumque visum fuerit, supra, de testib., cum clamor. Quia veritas saepius examinata magis splendescit in lucem, 35. q. 9, grave. Quia officium iudicis est latissimum, ff. de iuris., ius dicentis. Sed ad petitionem partis non debet testes interrogare, arg. supra, de probat., in praesentia. De hoc dicitur 30. q. 5, iudicantem.

Pronunciavimus
Arg. quod super exceptione incidenti sit pronunciandum. Arg. contra supra, de ord. cognit., intelleximus, ubi de hoc. Sed ratio quare pronunciatur hic super hac, et non ibi, potest assignari. Hic opposita fuit exceptio post sententiam. Unde super exceptione nondum fuerat directe vel indirecte pronunciatum. Quare in causa appellationis debuit de ea pronunciari, quia de ea cognitum fuit. Et ad hoc ut sciretur quare sententia revocetur, sed cum opponitur ante sententiam, super ea pronunciatur indirecte, dum sententiatur super principali. Ber.

Huiusmodi exceptio
Per hoc patet quod exceptio peremptoria omissa ante sententiam, potest opponi post sententiam in causa appellationis, C. sent. rescind. non pos., peremptorias. Alias non posset nisi per beneficium restitutionis, ut in lege praedicta C. sent. rescind. non pos., peremptorias; et infra, de privileg., cum olim propter; supra, de in integ. restit., suscitata. Sic etiam in compensatione omissa ante sententiam, nihilominus actio remanet salva post sententiam citra aliquam appellationem, non obstante re iudicata in prima petitione, ff. de compensat., quod in diem § 1. Arg. tamen contra infra, de re iudic., inter monasterium. Solve ut ibi.

X 2.22.11 *Ex parte*

O. deerat
Ex hoc videtur satis quod non debuit valere, quia in litteris domini Papae nihil debet diminutum esse, arg. supra, de rescript., cum adeo. Et cum multa maturitate ac deliberatione traduntur, 35. q. 9, Apostolicae. Unde non est versimile, quod aliquod vitium possit ibi remanere. Sed propter tam modicum defectum non vitiatur, maxime si rescriptum in aliis appareat omnino legitimum, cum fuerit vitium scriptoris sive nimia occupatio, quod nocere non debet, arg. C. de testament., errore; et C. de testament., ambiguitates; et C. de testament., quoniam indignum; et C. de legat., in legatis. Secus si esset ibi falsum latinum, supra, de rescript., ad audientiam 1. Et sic est notabile quod propter defectum vitiatur, nec libertas minus debetur, licet erratum sit in syllaba, ff. de manum. test., qui habebat.

X 2.22.12 *G. perpetuus*

Super decimis
Sed nonne iste vicarius si conveniebatur pro decimis vicariae suae, debebat dominum in iudicium nominare? Ita videtur quia ipse dominus non est, supra, ut lite non cont., quoniam § penulti.; et C. ubi in rem act., si quis. Et ipse dominus debuit conveniri, arg. infra, de praescrip., auditis; et 16. q. 3, inter memoratos. Arg. quod teneatur respondere, cum ipse habeat ius in re, infra, de appell., ad audientiam. Sicut usufructarius tenetur ad refectionem domus et ad tributum, ff. de usufru., usufructu legato § ulti.; et ff. de usufru., usufructu legato § quamvis; et C. de usufruct. et habit., eum. De hoc dictum est supra, ut lite non cont., quoniam § penulti. Sed intelligo quod iste vicarius habebat mandatum generale vel speciale ad agendum et defendendum a rectore legitime factum, alias non fuisset admissus eo ipso quod esset vicarius, cum non habebat administrationem nec titulum sicut praelatus, nec praeiudicaretur ecclesiae per factum ipsius. Ber.

Super similibus
Et etiam super dissimilibus poterat eos reconvenire, et ei tenebantur respondere, supra, de mut. petit., ex litteris, ubi de hoc.

Communium
Nota circa exhibitionem instrumentorum. Et primo scire debes quod rescriptum et omnia acta causae, confessiones et responsiones et attestationes et quaecumque acta sunt in iudicio, peti possunt exhiberi vel condictione ex lege vel iudicis officio, C. de edend., is apud quem. Vel condictione ex illa decretali supra, de probat., quoniam. Et integraliter sunt exhibenda, quia communia sunt, C. de edend., non est novum; et C. de edend., et quae; et ff. de edend., praetor ait § 1; et ff. de edend., si quis § ratione; et ff. de edend., argentarius, 1. resp. Et hic est expressum. Sed si instrumenta propria sunt, et actor petat a reo instrumenta per quae intentionem suam probare vult, non est audiendus, quia apud seipsum debet habere probationes suas, supra, de probat., ex epistolae; et C. de edend., qui accusare. Et actore non probante reus debet absolvi, ut in lege C. de edend., qui accusare; et infra, ut eccl. ben., ut nostrum. Et ita nec reus actori nec actor reo tenetur exhibere instrumentum ad fundandam intentionem adversarii. Si vero actor vel reus utitur aliquo instrumento proprio, illud adversario edi debet sine die et consule, ne praestatur materia fabricandi falsum, supra, de fide instrum., contingit; et supra, de fide instrum., accepimus; et ff. quemad. test. ap., tabularum § diem autem; et ff. de edend., qua quisque § editiones. Nisi vellet alterutra partium arguere instrumentum de falso, quia tunc integrum instrumentum debet ei edi, ut supra, de fide instrum., inter dilectos; et C. de contrah. et comm. stip., optimam. Ber.

X 2.22.13 *Imputari*

Imputari
Haec decretalis sumpta est ex illa lege C. de fid. instrum., scripturae.

Contrarias
Hoc verum est sive directe contrariae sint sive indirecte. Directe ut si induco instrumentum in quo promisisti mihi solvere tali die decem, et aliud exhibeam in quo continetur quod ego feci tibi pactum de non petendo. Indirecte, puta si induco

instrumentum in quo continetur quod promisisti mihi solvere decem Bononiensi tali die. Item produco aliud in quod continetur, quod eadem die promisisti mihi solvere decem Romae. Istae scripturae licet non contradicant directe, tamen indirecte sive per obliquum contrariae sunt, et ideo una derogat alii. Sic quandoque scriptura et factum sibi adinvicem derogare videntur, vel saltem alterum alteri, supra, de elect., cum inter R. Sic ergo patet quod qui contraria allegat, non est audiendus, infra, de appell., sollicitudinem, circa fi.; 33. q. 7, quod autem; et 8. dist., quo iure. Et hoc locum habet quando ab eadem parte producutur. Secus si a diversis, quia tunc ei statur quae magis est sine suspicione et quae dignior est, C. de contrah. et comm. stip., optimam, in fi. Sed numquid est idem in testibus ab eadem parte productis? Dic quod non, quia in testibus non possum providere quid dicturi sunt, et ideo stabitur dignioribus. Sed per instrumentum bene potuit providere quod magis expediret producere, ut hic dicit in fi. Et sibi imputet quod minus diligens fuit, nam vigilantibus non negligentibus iura subveniunt, ff. ex quib. cau. maio., non enim; et ff. de edend., haec actio.

X 2.22.14 *Si cautio*

Si cautio
Haec decretalis sumpta est de lege illa ff. de probation., cum de indebito § ulti. Et dic cautio, id est, scriptura, sive sit privata sive publica. Ber.

Indebite
Quia dicis quod non teneris ad id super quo cautio exposita fuit.

Indeterminate
Id est, non exprimens ex qua causa debeatur.

Si causam
Puta quia confessus fuisti mutuo recepisse pecuniam promissam, vel ex aliquo alio contractu antecedenti. Tunc enim statur tuae confessioni, quae continetur in illa cautione. Alioquin si causa non sit inserta, non poteris conveniri ex illa cautione, C. de non num. pecun., generaliter. Cum satis sit indignum, ut quod quisque sua voce dilucide protestatus sit, in eundem casum proprio infringere valeat testimonio, supra, de probat., per tuas; et in lege praedicta C. de non num. pecun., generaliter, in fi. Et arg. 1. q. 7, saluberrimum; et 27. q. 1, omnes feminae. Quod si non promittat, sed confiteatur se debere mihi ex aliqua iusta causa praecedente, idem est ac si promittat, ut teneatur ex illa confessione, ut in lege praedicta C. de non num. pecun., generaliter, in fi. Et ita patet ex hoc quod confessio extra iudicium facta, causa adiecta bene praeiudicat ad probandum. De hac materia dictum est supra, de confess., ex parte. Item quid si me absente confiteatur se mihi debere? Talis confessio non nocet ad instar stipulationis, ut Inst. de inutil. stipul. § item verborum.

Confessioni
Sic ergo statur confessioni contra se. Fallit tamen quandoque, ut in pecunia confessata, quia tunc potest opponi exceptio non numeratae pecuniae infra biennium, C. de non num. pecun., in contractibus, in princ. Et in dote, C. de dote caut. non num., in dotibus; et in

authentica ibi posita, C. de dote caut. non num., authen. quod locum. Item fallit ubi statur secundae confessioni et non primae, C. ad Velleia., authen. si a me.

Indebite
Et ita admittitur probatio contra talem cautionem, licet causa subiecta fuerit, scilicet quod talis promissio indebita fuit, puta quia iam satisfecit ei. Sicut qui dicit pecuniam indebitam se soluisse, illud probare tenetur, infra, de solution., is qui; et ff. de probation., cum de indebito, 1. resp.

X 2.22.15 *Cum P*

Auctoritate ordinarii
Ordinarius ergo praestabit auctoritatem suam huic tabellioni, ad petitionem illorum quorum sunt instrumenta, ut ea redigat in publicam formam. Sic et si essent consumpta propter vetustatem aut aliam iustam causam, infra, de fide instrum., si instrumenta.

Perpetuam firmitatem
Ut hic dicit. Sic et testamentum auctoritate ordinarii in publicam formam redigitur, C. de testament., testamenta; et C. de testament., consulta. Et talis publicatio aequivalet testamento, C. de testament., publicati. Hoc tamen scire debes, quod tabellio dum vivit, non potest alteri committere completionem instrumenti. Sed ipsemet debet complere instrumentum, prout in protocolo continetur, ut in Auth. de tabell., coll. 4. Post mortem vero fiat prout dicitur hic, et C. de fid. instrum., contractus. Ber.

X 2.22.16 *Si instrumenta*

Vetustatem
Propter vetustatem instrumenta et privilegia renovanda sunt, ut hic, et infra, de confirm. util. vel inutil., cum dilecta. Alias si vetustate consumerentur, nulla fides eis adhiberetur, supra, de fide instrum., inter dilectos. Sic et testes ne probatio pereat, in publicam formam rediguntur, supra, de testib., significavit; et supra, ut lite non cont., quoniam, 1. resp.; et supra, ut lite non cont., quoniam § sunt et alii; et ff. ad leg. Aquil., in lege; C. de usuris pupil., pupillus, arg. Ber.

Iustam causam
Puta quia littera incipit deleri ex vitio chartae vel encausti, quamvis instrumentum de novo sit factum, vel alio modo quod possit contingere de facto. Ita tamen facienda est haec renovatio, si adhuc sint ita integra quod non sit dubitatio de ipsorum tenore, ut hic dicit. Vel si essent pro parte iam consumpta, ut ex inspectione non possit deprehendi de fide ipsorum, non sunt renovanda nisi prius per testes probaretur de integritate instrumentorum, infra, de privileg., cum olim essemus. Et haec innovatio debet fieri auctoritate ordinarii, ut hic dicitur. Sic supra, de fide instrum., cum P. Ber.

Publicam personam
Sic supra, de fide instrum., cum P; et supra, de fide instrum., cum dilectus. Quid si publica persona non possit haberi? Satis credo quod per aliquam personam honestam

auctoritate iudicis rescribi possunt, arg. supra, de probat., quoniam. Ita tamen quod sigillum authenticum apponatur, quod imponat fidem instrumento, supra, de fide instrum., scripta; et supra, de fide instrum., cum dilectus. Alias posset deperire ius illius, quod esse non debet. Immo curare debet iudex ut salva sit rerum probatio, ff. de testi., curent. Ber.

X 2.23 DE PRAESUMPTIONIBUS

X 2.23.01 *Sicut noxius*

In mortem
Id est, ut mortem inferat, licet res non habuerit effectum, ex quo processit ad actum, 51. dist., si quis post acceptum; et de poen. dist. 1, si quis cum telo.

Deprehensus
In opere nocivo.

Ludens
Licet hoc afferat, non excusatur, quia noxius ludus est culpa, ff. ad leg. Aquil., nam ludus. Cum dabat operam illicitae rei, 50. dist., clerico; et 50. dist., si quis voluntate. Nam omne maleficium prave praesumitur actum, C. ad leg. Corn. de sic., frater; C. de iniuri., si non convictus.

X 2.23.02 *Afferte mihi*

Ait
Scilicet rex Salomon, sed non diffiniendo, sed potius tentando causa inquirendi veritatem cuius filius esset. Nam non omnis vox iudicis auctoritatem continet rei iudicatae, C. de sent. et interloc. om. iud., ex stipulatione; et 3. q. 6, hoc quippe, in princ.

Commota
Interpositio est.

Nec mihi
Haec non fuit audienda, quae nocere tantum voluit et non prodesse. Unde malitiis eius non est indulgendum, ff. de rei vend., in fundo; et supra, de rescript., sedes; et infra, de privileg., ex parte tua 2; et infra, qui matrim. acc. poss., significante.

Date huic
Haec enim fuit sententia diffinitiva lata per solam praesumptionem. Sic 32. q. 1, dixit Dominus. Haec locum habent cum violenta est praesumptio.

Haec est enim mater eius
Id est, praesumitur ex dilectione unius et odio alterius, arg. 23. q. 4, ea vindicta, circa princ. Sed si utraque dixisset filium nolle interfici. Tunc illi quae erat in possessione adiudicaretur, nisi alia probatio intervenisset. Sed pone quod utraque moriatur lite

pendente, cui succedit iste? Videtur quod utrique, arg. ff. de reb. dub., qui duos; ff. de inoffic. testam., Papinianus § sed nec impuberis. Arg. contra quod neutri succedat, ff. de reb. dub., si fuerit. Quoniam ponit impossibile quod est contra naturam, scilicet se habere duas matres, unde non est audiendus, ff. de interrog. act., confessionibus § 1; ff. quae sent. sine appel., Paulus respondit impossibile. Item altera erat in possessione, ergo alteri incumbit probatio, ff. de probation., ei qui. Pro hac parte standum est.

X 2.23.03 *Ex studiis*

Intelligitur
Id est, praesumitur. Et est arg. per exteriora praesumi de interioribus, 32. q. 5, qui viderit; et 50. dist., si quis diaconus.

Intellige
Id est, praesume. Nam pro certo non possumus scire, quod post illa tria quae Salomon asserit difficilia, scilicet viam colubri super petram, viam aquilae super caeluni, viam navis super aquas, quartum quasi reputat impossibile, viam viri in adolescentia sua tamquam investigari non possit. Tamen ex his argumentis bonam colligimus opinionem quousque appareat in contrarium, infra, de praesump., dudum. Ber.

X 2.23.04 *Nullus dubitat*

Subterfugit
Qui enim iudicium refugit, apparet eum de iustitia diffusum, 11. q. 1, Christianus; et 3. q. 9, decrevimus; et 74. dist., honoratus. Ber.

Confitetur
Interpretative, 11. q. 3, rursus. Tripliciter dicitur quis confiteri: ore, 15. q. 6, si quandoque; et 15. q. 6, auctoritatem; rei evidentia, 28. dist., priusquam; contumacia, ut hic, et 3. q. 9, decrevimus.

X 2.23.05 *Nonne bene*

Nonne bene dicimus
Verba sunt Iudaeorum.

Duo quippe
Verba sunt Gregorii.

Illata
Id est, ignominiose dicta sunt vel iniuriose.

Unum negavit
Scilicet daemonium habes.

Alterum
Scilicet Samaritanus es, tacendo concessit.

Tacendo
Nota quod qui tacet, consentire videtur, 54. dist., si servus; et 27. dist., diaconus; et 28. dist., diaconi; ff. de condi. et demon., cum ita legatum, vers. quae enim Titio. Fallit haec regula in casibus, ff. de servitu. urb. praed., invitum; ff. de fur., qui vas § vetare; et ff. quib. mod. pig. vel hyp. sol., sicut § non videtur; ff. de procur., filiusfamilias § invitus. Alium casum habes 65. dist., si forte; et 74. dist., episcopus. Arg. contra ff. de regul. iur., qui tacet. Dicas quod qui tacet, non consentit ubi agitur de dominio rerum amittendo, nisi affinitas aliud inducat, ff. de donat. inter vir. et uxor., si servus communis. Vincen. Vel melius dicas quod ubi per prohibitionem meam possum prohibere quod fit et taceo, tunc taciturnitas pro consensu habetur, 54. dist., si servus. Si vero per prohibitionem meam non possum prohibere quod fit, tunc non obest mihi taciturnitas, puta me invito potes vendere rem meam, ff. de contrah. empt., rem alienam. Sic etiam videtur distinguere lex ff. de re iud., saepe; et 11. q. 3, quando; et infra, de re iudic., quamvis. Tamen fallit hoc in casibus praedictis. Item arg. quod de uno negatur de alio conceditur, 25. dist., qualis; 15. q. 3, ex eo; et ff. de iud., cum praetor; et 23. q. 2, lator; ff. de pac. dotal., ob res § 2, et econverso. Et quod de uno affirmatur de alio negatur, ff. de condi. et demon., cum ita legatum; et ff. de legib., cum lex; et C. de procur., maritus, ubi de hoc. Ber.

X 2.23.06 *Mandata*

Mandata caelestia
Scilicet alter alterius onera portate, 50. dist., ponderet; et supra, de offi. archipresb., ut singulae.

Partiamur
Nota arg. de officiis partiendis, 93. dist., diaconi, circa medium, ibi sufficit huic ordini etc.; C. de assessor., nemo; 16. q. 1, presbyteros; ff. de pacti., si plures; 89. dist., singula. Arg. contra ff. de adopt., si consul. Solutio: prima regula generalis est. Contraria tamen quandoque inveniuntur, aut causa necessitatis vel utilitatis concessa, 21. q. 1, relatio; 30. q. 1, ad limina; ff. de contrah. empt., fistulas § fundum; et ff. de stip. serv., cum servus stipuletur § communis servus.

Vices sedis Apostolicae
Et tamen non poterit extendere manum ad ea quae in signum universalis dominii sunt Romano pontifici reservata, supra, de translat., cum ex illo; et supra, de offi. legat., quod translationem.

Sed personae
Et ideo cum persona finitur, 7. q. 1, petisti; ff. de constit. princ., quod principi, in fi. Si vero loco concedatur privilegium, perpetuum est, 16. q. 1, hinc etiam; et 25. q. 2, privilegia ecclesiarum et sacerdotum; et 25. q. 2, privilegia ecclesiarum et monasteriorum; ff. de iure immun., immunitates; et infra, de instit., cum venissent.

X 2.23.07 *Quosdam*

Viciniores
Arg. quod ex vicinitate praesumitur pro aliquo vel contra aliquem. Et ideo scire praesumitur, unde facile non creditur in contrarium, 16. dist., quod dicitis; et infra, qui matrim. acc. poss., cum in tua; et infra, de praesump., quanto.

Credo
Id est, praesumo. Et est arg. quod ubi quis interrogatur an credit vel non, non est dandum tempus etiam ad liberandum, quia ex praesumptione informat suam credulitatem. Ber.

X 2.23.08 *Quanto*

Non potuit
Id est, praesumitur non potuisse. Immo contra praesumptionem iuris bene admittitur probatio in contrarium, ff. quod metus cau., non est versimile; et 82. dist., proposuisti; et infra, qui matrim. acc. poss., cum in tua; ff. de probation., qui testamentum. Arg. contra 11. q. 1, si qui clericorum. Circa huiusmodi praesumptionem dicendum est, quod temeraria repellatur, 6. q. 1, oves. Probabilis praesumptio inducit quandoque expurgationem, infra, de purg. can., per totum. Violenta praesumptio quandoque sufficit ad condemnationem, supra, de praesump., afferte; et 32. q. 1, dixit Dominus.

X 2.23.09 *Scribam*

Scribam eis
Ironice, quasi dicat non scribam, vel potest legi plane. Et est arg. inducias esse concedendas malitiose petenti ad convincendam malitiam, de poen. dist. 1, praedixerat; ff. de ver. oblig., si insulam; et ff. de ver. oblig., insulam; supra, de dolo et contu., prout; et supra, de dolo et contu., cum olim; et supra, de dolo et contu., veritatis.

Ex prius datis et neglectis
Quandoque ex praesenti praesumitur circa praesens, 6. q. 1, qui crimen. Quandoque ex praesenti praesumitur circa praeteritum, 34. q. 2, cum per bellicam. Quandoque ex praesenti circa futurum, 50. dist., si quis diaconus, vers. cum vero etc. Quandoque ex praeterito circa praeteritum, 28. dist., quia sunt culpae. Quandoque ex praeterito circa praesens, quotiens de fama quaeritur alicuius, 77. dist., quicumque; et 77. dist. monachus novitius. Quandoque ex praeterito circa futurum, ut hic, et 23. q. 5, si apud; et supra, de praesump., mandata.

X 2.23.10 *Quia versimile*

Concesserit
Quoniam de nemine praesumendum est quod bona sua iactet, supra, de renunciat., super hoc; et supra, de restit. spol., sollicite; et ff. de probation., cum de indebito.

Communis fama
Quae coadiuvat ad fidem faciendam, 4. q. 3, si testes § item saepe; et ff. de testi., testium § eiusdem quoque; et C. ne de stat. def., si mater; et infra, de praesump., illud.

X 2.23.11 *Illud quoque*

Scienter
Ex quo scienter cohabitavit, ei non potest opponere notam servitutis, infra, de coniug. serv., proposuit. Sed si hoc ignorasset, tunc sufficit bene, ut in eadem decretali, et 29. q. 2, per totum.

Vendicans
Id est, eam petens in suam uxorem.

Nominant
Ista nominatio praesumptionem inducit, 32. q. 4, dicat aliquis; ff. de probation., imperatores. Non tamen sufficientem probationem inducit, C. de probation., non epistolis; et C. de liber. caus., iubemus, praeterquam in casu C. de Lat. libert. toll., cum dediticii § simili quoque.

Donationem
Dos enim constitui non potest nisi liberis personis, C. de Lat. libert. toll., cum dediticii § sed et si quis hominum. Sic eadem ratione donatio non potest constitui nisi in liberam mulierem et a libero viro, unde praesumptionem inducebat tale instrumentum, ff. de iure dot., si mulier § eius nomine. Sed non plene hoc probat, quia non fuit factum instrumentum super matrimonio, C. de nupt., neque sine nuptiis. Et ita non probat hoc esse quod ab hoc contingit abesse, supra, de translat., inter corporalia; et C. und. cognat., non hoc.

Fraudaretur
Nota casus in quibus dominus fraudatur a servo, infra, de coniug. serv., licet; et infra, de nat. ex lib. ven., indecens. Item alius casus est C. de Lat. libert. toll., cum dediticii § sed et si quis homini. Tertius est in Auth. de nupt. § si vero ab initio, coll. 4. Alius casus est in Auth. const. quae de digni. lib. a pat. pot., in princ., coll. 6.

Desponsaturum
Haec assertio praesumptionem tantum faciebat, quia potuit postea mutare voluntatem.

Annulos
Nota quod si annulus datur etiam mulieri in ecclesia vel in domo, praesumptio est pro matrimonio, 30. q. 5, feminae. Si coram parentibus, praesumuntur sponsalia, 30. q. 5, nostrates. Hoc faciebat ad praesumptionem.

Fama loci
Nota quod in talibus fama plurimum consideratur, arg. 2. q. 5, presbyter si a plebe; ff. de testi., testium § eiusdem; et 4. q. 3, si testes § item in criminali, vers. item saepe; et 35. q.

6, si duo; C. ne de stat. def., si mater; et infra, de eo qui cog. consang., super eo. Item est hic arg. quod fama sufficit ad probationem, si aliae praesumptiones coadiuvent, ita quod cum fama faciunt probationem. Et ita quae non prosunt singula, multa iuvant, infra, de praesump., litteris; et infra, de praesump., tertio; et supra, de testib., praeterea.

Uxorem
Sed quare requiritur alia probatio, cum cohabitatio sufficiat ad matrimonium, ff. de ritu nupt., in liberae? Respondeo: illa est praesumptio legis, sed canon non praesumit esse matrimonium nisi probetur propter periculum animae, 30. q. 5, aliter.

Matrimonium
Haec diffinitio ponitur, 27. q. 2 § 1; et Inst. de patr. potest., in princ.

Praesertim
Id est, maxime, quia idem esset sine ullo instrumento, si sola fama cum aliis probatur.

Officium suum fideliter
Quod semper praesumitur, infra, de praescrip., ad audientiam. Nisi contra praesumatur vel probetur. Nam tunc de crimine falsi utrique incumbit probatio, C. ad leg. Corn. de fals., ubi. Ber.

X 2.23.12 *Litteris*

Separari
Quantum ad thoum et mutuam cohabitationem.

Accusatores
Id est, accusator. Sic 2. q. 1, in primis. Non enim plures accusatores admittuntur, quia posset contingere quod unus probaret, alter non. Ergo cum sint plures, iudex eligat magis dignum, ff. de accusation., si plures. Tamen qui semel apparuit inter accusatores, amplius testificari non potest, infra, de accusat., cum P.

Ut credebant
Non dicit ut sciebant, cum opus illud non plene pateat visui. Sufficit ergo ferre testimonium de eo quod inducit violentam praesumptionem, quae sufficit in hoc casu, ut hic patet, et 32. q. 1, dixit Dominus.

Latebris
Quae suspectis personis interdicuntur, 35. q. 6, ab isto die. Adeo ut si post trinam admonitionem inveniantur confabulari, excommunicentur, infra, de cohab. cler. et mul., si quisquam; et in Auth. ut liceat mat. et avi. § his quoque, coll. 8.

Divortii
Quo ad mutuam servitutem.

Spe coniugii
Propter incestum quem commisit, 27. q. 2, si quis sponsam, nisi timeretur de sua incontinentia. Tunc enim daretur sibi licentia contrahendi, 33. q. 2, in adolescentia. Ber.

X 2.23.13 *Tertio loco*

Impediendum
Id est, separandum.

Praecognitam
Et ita affinitas praecessit matrimonium et sponsalia. Quod si verum est, consanguineam illius postea habere non poterat, 35. q. 3, de incestis; et 35. q. 3, nec eam quam; et infra, de eo qui cog. consang., de illo, et in pluribus capitulis eiusdem tituli. Praeterea hic auditur allegans turpitudinem suam, infra, de spons., praeterea 2; 35. q. 3, extraordinaria. Arg. contra supra, de testib., sicut; et supra, de confess., cum monasterium; et 15. q. 3, nemini; et infra, de concess. praeben., cum super; et infra, de dona., inter dilectos. Illud verum est, quod allegans turpitudinem suam non est audiendus, tamen propter periculum animae suae audietur, infra, de re iudic., lator; et infra, de re iudic., consanguinei. Et in favorem libertatis pater auditur qui filium vendidit, C. de liber. caus., rem quidem; et ff. de liber. caus., si quando; et ff. de liber. caus., quoniam. Secus est contra libertatem, ff. de adopt., post mortem.

Certitudinem
Ad supplementum probationis, C. de reb. credit., in bonae fidei; infra de iureiur., iuramentum, in fi.; et supra, de probat., sicut. Sic infra, de despon. impub., attestationes.

Nollet ab ea
Unde praesumebatur quod non confiteretur falso se neptem illius praecognovisse.

Dicta sunt
Scilicet quod testes dixerunt, quod viderant illos per plana et nemora, et quod iuraverunt, et de fama viciniae et aliae praesumptiones quae in littera exprimuntur. Et sic est arg. quod quae non prosunt singula, multa simul considerata iuvant, arg. supra, de praesump., litteris; et supra, de testib., praeterea; et supra, de probat., cum causam, ubi de hoc; ff. ex quib. cau. maio., necnon § si quis saepius; et 35. q. 6, si duo; ff. de testi., ob carmen § si testes.

Sponsalibus
De facto. Quoniam de iure non tenuerunt, cum essent illegitimae personae ad contrahendum propter affinitatem prius contractam, infra, de eo qui cog. consang., discretionem; et infra, de eo qui cog. consang., quasi per totum.

X 2.23.14 *Litteras*

Arbitros
Et sic patet quod delegatus potest esse arbiter retenta etiam delegata iurisdictione. Sic infra, de praeben., nisi; et supra, de arbitr., cum olim; et supra, de arbitr., innotuit. Sic etiam ordinarius potest esse arbiter, arg. supra, de elect., causam quae; et supra, de arbitr., cum tempore. Sed contra videtur 3. q. 7, infamis § tria, in fi.; ff. de recepti., sed et si in servum § 2. Non sunt contraria, et iudex non potest iubere ut in eum compromittatur, sicuti ibi dicitur. Sed si partes volunt in ipsum compromittere, bene possunt, arg. ff. de tutor. et curat., praetor ait; et in Auth. ut differ. iudic. audi. § si vero contigerit, coll. 9. Item est arg. hic quod in arbitrium possit de crimine compromitti, unde signatur contra ff. de recepti., non distinguemus § Iulianus; et supra, de in integ. restit., causa, in fi., ubi de hoc. Item arg. quod possit, 5. q. 2, si primates.

Statuerunt
Cum agitur de crimine aut illud infamat, et tunc si agatur criminose, non potest compromitti, ff. de recepti., non distinguemus § Iulianus. Si civiliter ad confiscationem bonorum, bene compromittitur, ut hic. Aut non infamat, et tunc potest compromitti, ff. de his qui not. infam., quid ergo § ex compromisso.

Confessus
Poenitendo de ea et redeundo ad ecclesiam.

De fratre
Bene poterat testificari in hoc casu contra fratrem. Si enim frater tuus vel amicus tuus vel uxor tua, quae in sinu tuo dormit, depravare voluerit veritatem, sit manus tua super eos, 23. q. 8, legi; et 23. q. 5, si audieris. Et dicere debes patri et matri, non novi vos, 93. dist., diaconi; et infra, de iureiur., quemadmodum. Alias in magnis criminibus non auditur contra eum, C. qui accus. non poss., si magnum. In levibus bene C. qui accus. non poss., si sororem; et 4. q. 3, si testes § parentes.

Recognoverat
Id est, confessus fuerat.

Suspectum
Nam sola suspicione suspectus habetur, nisi se purget ad arbitrium sui episcopi. Quod si non fecerit, excommunicari debet, infra, de haeret., excommunicamus itaque § 1. Ber.

Purgando illum
Scilicet fratrem coram archiepiscopo Bituricensi, coram quo conveniebatur frater ille de haeresi. Et ei fuit indicta purgatio, ut per ipsum G. deberet se purgare, et ipse fratrem suum compurgavit. Propter quod episcopus dicebat ipsum periurum et haereticum, quia primo dixit illum haereticum, et postea eum compurgavit. Sed ipse G. dicebat quod licet de se confessus fuisset, de fratre tamen nihil dixerat. Sed contrarium probavit episcopus, unde isti iudices habentes suspectum ipsum, cum litteris suis remiserunt ad Papam.

Versimilius
De nemine praesumitur quod sit immemor suae salutis, 1. q. 7, sancimus.

Tam grave
Immo in ultimo articulo non semper praesumitur quod verum dicat aliquis, C. de probation., rationes; ff. de probation., qui testamentum; ff. de leg. 2, Lucius § quisquis mihi 2; et ff. de leg. 3, cum quis § Titia. Solutio: licet praesumatur quod verum dicat, non tamen fit sufficiens probatio iudici, arg. ff. de pigner. act., gravis. Et licet heredes necesse habeant stare religioni defuncti, non tamen creditores, C. de probation., authen. quod obtinet.

Praesertim in fratrem
Praesumitur aliquid ratione consanguinitatis vel affinitatis, supra, de praesump., afferte; infra, de testamen., requisisti; infra, de simon., sicut tuis; et supra, de aetat. et qualit., tuam; ff. de ritu nupt., non solum § 1; C. de rei uxor. act., rem § sileat; arg. 3. q. 5, accusatores vel testes. Io.

Purgavit
Hoc est notabile, quod semper est standum primo dicto alicuius, si postea contrarium dicat etiam in alio iudicio, supra, de testib., cum in tua. Et etiam extra iudicium, supra, de probat., per tuas. Et sic periurus reputatur qui unum uno iudicio vel eodem dicit, et postea aliud. Item hic una praesumptio praeponderat alteri, ff. de in int. rest., divus. Arg. contra supra, de elect., cum inter R.

Vehementem
Immo ex levi causa probatur quis haereticus, arg. C. de haeretic., omnes. Scilicet quantum ad hoc ut suspectus de haeresi habeatur, et ut procedatur quasi contra suspectum, sed non ut condemnetur de haeresi. Item vehemens praesumptio pro probatione accipitur, 32. q. 1, dixit Dominus; et supra, de praesump., afferte; 54. dist., fraternitatem; infra, de Iudae. et Sarrac., nulli. Respondeo quod non vehemens sed violenta tantum, de qua praedicta capitula loquuntur, et ff. de reb. dub., si mulier; et ff. de reb. dub., cum pubere. Nec etiam omnis violenta, si probetur contrarium, 27. q. 1, nec aliqua; supra, de probat., proposuisti; et 35. q. 3, extraordinaria.

Praeter iuratoriam
Hoc ideo dicit, quia postquam quis semel periurus est, amplius ad iuramentum non debet admitti, 22. q. 5, parvuli; et 22. q. 5, si quis convictus; et 2. q. 7, non potest; et 6. q. 1, quicumque; et supra, de testib., testimonium. Quia timor est ne incidat iterum in periurium, arg. infra, de cohab. cler. et mul., clericos. Ber.

X 2.23.15 *Cum in iuventute*

Honestum
Ex quo enim adeptus est tantam dignitatem, praesumitur quod ratione suae virtutis adeptus sit, 61. dist., sacerdotale; et 61. dist., miramur. Et is gradus caeteros antecellit, quem labor prolixior et stipendia meliora fecerint anteire, C. de off. magist. offic., nemo.

Ad senilem
Arg. quod ex quo quis honestus fuit, quod et postea fuerit honestus, supra, de praesump., mandata; et 2. q. 1, in primis, in fi.; ff. de re milit., non omnes § a barbaris. Item praesumitur pro senili aetate potius quam pro iuvenili, arg. 34. dist., fraternitatis; 20. dist., de quibus. Et iurisperitus ex verbis senum rusticorum argumentatur, ff. de leg. 3, si chorus § 1.

Frequentius
Non tamen semper, iuxta illud: stultitia est quae te non sinit esse senem // quod nova testa capit inveterata sapit. Et difficile continentiam servat qui illicito se concubitu maculare non metuit, 34. dist. § quod vero. Et peccator cum venerit in profundum vitiorum contemnit, 17. dist., nec licuit.

Naturale foedus
Infra, de cohab. cler. et mul., a nobis; et C. de episc. et cler., eum qui.

Detulisset
Denunciando, quoniam laicus non potest clericum accusare, infra, de accusat., cum P; et supra, de testib., de caetero. Nec praesens absentem, 3. q. 9, accusatori; et 2. q. 7, ipsi apostoli.

Caritatis radice
Unde non debuit admitti, infra, de accusat., cum oporteat; et infra, de accusat., meminimus.

Malignis delationibus
Id est, detractionibus. Et est arg. quod propter infamiam a malevolis ortam non est inquisitio facienda vel purgatio indicenda, infra, de purg. can., cum in iuventute, quae est pars illius, et 11. q. 3, in cunctis; infra, de accusat., qualiter et quando 2.

Rescripserunt
Bene debuit eis credi cum essent ad hoc deputati a domino Papa, arg. supra, de probat., post cessionem; et 11. q. 3, curae; supra, de fide instrum., scripta. Et praeterea per has litteras nulli fiebat praeiudicium.

X 2.23.16 *Dudum archidiacono*

Sufficiebant
Haec exceptio legitima est, quia tot sunt ponendi in ecclesia quot ex facultatibus ipsius possunt commode sustentari, infra, de instit., non amplius; et infra, de instit., auctoritate; et infra, de concess. praeben., ex parte. Sed quis probabit ecclesiam esse solvendo vel non esse? Respondeo: ille qui dicit non est solvendo, ostendendo facultates et redditus ecclesiae, ut hic innuitur, et arg. C. de inoffic. testam., omnium; et ff. de leg. 2, cum pater § rogo. Arg. contra C. de probation., ex persona.

Ex illa clausula
Quae et si non fuisset apposita, subintelligitur, supra, de rescript., cum adeo; et supra, de elect., causam quae; et ff. de servit., si cui; ff. de ritu nupt., quamquam.

Praesumatur idoneus
Sic supra, de scrutin., ex parte; et 86. dist., si quid. Sic praesumitur quis bonae fidei, nisi probetur contrarium, C. qui milit. poss., super servis, lib. 12; et C. de non num. pecun., authen. contra qui propriam. Vincen. Et sic videtur quod negativa probari debeat ex eo quod dicit, nisi aliud in contrarium ostendatur. Sed negativa probari non potest, supra, de elect., bonae 1, ubi de hac negativa satis dicitur. Sed qualiter probabit illum non esse idoneum? Si dicatur non idoneus ratione scientiae, tunc iudex illum examinabit an sit quantum ad hoc idoneus, supra, de aetat. et qualit., accepimus. Si ratione delicti vel irregularitatis, ille qui hoc obiicit, illud probet secundum illam regulam: ei qui dicit incumbit probatio, ff. de probation., ei incumbit.

X 2.24 DE IUREIURANDO

X 2.24.01 *Ex administrationis*

Iuramenta
Recepta a debitoribus pro persolvendis usuris creditoribus, quae in praeiudicium animarum quo ad creditores servari non possunt, et ideo ratione peccati compelluntur creditores relaxare huiusmodi iuramenta, supra, de iudic., novit. Sed quantum ad iurantes non est peccatum, infra, de iureiur., debitores. Unde solvere tenentur. Sed si iuravit non repetere, potest illud denunciare ecclesiae. Et sic compelleretur creditor restituere usuras quasi indirecte officio iudicis, infra, de iureiur., ad nostram 2; arg. infra, de cognat. spir., tua; et 2. q. 1, si peccaverit. Vel compellitur relaxare iuramentum, ut hic. Vel si nondum sunt solutae, compelluntur desistere ab exactione, infra, de usur., tuas dudum. Ber.

Districtione
Id est, suspensione vel excommunicatione, infra, de verb. sign., quaerenti.

Cogatis
Tamquam delegati auctoritate huius canonis, ut supra, de offi. ord., irrefragabili § caeterum; et infra, de haeret., ad abolendam, in fi. Vel etiam tamquam ordinarii, arg. infra, de usur., post miserabilem. Ber.

X 2.24.02 *Pervenit ad nos*

Rebus suis
Id est, ecclesiae suae. Nam si de rebus propriis iurasset, teneretur iuramentum servare, infra, de iureiur., si vero; supra, de his quae vi met. caus. fi., ad audientiam.

Posse constringi
Arg. est hic quod iuramentum metu extortum ipso iure non teneat, ut quidam dicunt ut Bazian. et Tanc. Alii dicunt et melius quod iuramentum metu extortum est obligatorium,

dummodo sine periculo animae possit servari. Et hic praestitum fuit iuramentum de rebus ecclesiae. Et ideo nullum fuit hic iuramentum de rebus ecclesiae praestitum quod servari non posset sine salutis aeternae interitu. De hoc plene dixi supra, de his quae vi met. caus. fi., abbas. Et tene quod ibi dicitur, et quod dicitur hic in fine.

Absolvimus
Intellige de facto ad cautelam. Sic 34. q. 1, audivimus; et 11. q. 3, excellentissimus; et infra, de appell., ad praesentiam. Vel expone absolvimus, id est, absolutum esse ostendimus, et sic concordat litterae praecedenti, scilicet nullis vinculis posse constringi.

X 2.24.03 *Pervenit ad nos*

Infringit
Sic non dicitur deierare, qui ex iusta causa iuramentum deserit, ff. qui satisda. cog., qui iurato; et 22. q. 4, mulier; et 22. q. 2, beatus; infra, de voto et vot. redem., scripturae; et infra, de voto et vot. redem., licet.

Paruisse
Arg. expressum hic fidem non servari ei qui contra fidem versatur, ff. pro soc., si convenerit; et 28. q. 2, si infidelis; ff. de inoffic. testam., si instituta; C. de pacti., cum proponas. Arg. contra 23. q. 1, noli aestimare; 33. q. 5, quod Deo; 22. q. 4, innocens. Solutio: prima rubrica vera est generaliter. Illud contra 23. q. 1, noli. Ubi dicitur hosti fides servanda est, intelligitur si promittatur et eidem servetur, et sic concordat priori. Sed aliud est in capitulo 33. q. 5, quod Deo, quia loquitur de voto communiter a viro et uxore facto, ubi nulli convenire licet. Quod postquam promissum est, omnino est servandum, ut 32. q. 8, non solum, ad fi.

X 2.24.04 *Ego N.*

Successoribus
Qui sic iuravit, non tenetur successori iurare, infra, de iureiur., veritatis.

Canonice
12. q. 2, alienationes; de conse. dist. 1, hic ergo.

Vitam perdat
Hoc non sufficit, immo ubicumque senserit dominum periclitantem, ad prohibendas insidias occurrere debet, C. de his quib. ut indign., talis; 22. q. 5, de forma. Quae hic minus dicuntur, ibi supplentur, et econverso.

Nulli pandam
Hoc intelligo de honesto concilio, quoniam consilium mali tenetur revelare illi cui posset prodesse et non obesse, 22. q. 5, hoc videtur.

Salvo ordine meo
Id est, secundum quod pertinet ad meum honorem, quia non cum armis.

Canonica
Ut 18. dist., si episcopus.

Tractabo
Si constiterit per litteras suae legationis, C. de mand. princ., si quis; et 42. dist., quiescamus, arg. Vel quia est honesta persona, 97. dist., nobilissimus.

Singulis annis
Vel rarius iuxta chirographum suum, 93. dist., iuxta. Et hoc intellige de archiepiscopis et episcopis qui subsunt domino Papae nullo medio, supra, de maior. et obed., dilecti filii. Ber.

X 2.24.05 *Nullus episcopus*

Iurare compellat
23. dist., quamquam, arg. contra. Sed illud intelligitur secundum istud, ut illi tantum quibus committitur administratio ecclesiae iurent. Alii vero non, supra, de maior. et obed., legebatur; arg. supra, de iureiur., ego. Sunt et alii casus in quibus iuratur pro pace, 22. q. 1, omne. Item pro fide, de conse. dist. 2, ego Berengarius; et 1. q. 7, quotiens. Pro fama, infra, de purg. can., quotiens, et in aliis pluribus capitulis ibi positis. Pro obedientia, ut hic, et supra, de iureiur., ego; et supra, de elect., significasti. Pro cautela dilapidationis, 28. dist., de Syracusanae. Pro veritate in defectum aliorum testium, 14. q. 2, quamquam. Unde versus: pax et fama fides reverentia cautio damni // defectus veri sibi quaerunt magna caveri.

X 2.24.06 *Debitores*

Cogi non debent
Quia nulla fuit obligatio de iure divino sive canonico. Tamen iuramentum super hoc factum est servandum, et sic patet quod licet non teneat principale, tenet tamen accessorium contra illud, supra, de for. compet., si diligenti; et C. de legi. et const., non dubium.

Cogendi sunt
Sed videtur quod non sunt cogendi. Nam debitor habet actionem ad repetendum usuras iam solutas, ergo multo fortius habet exceptionem contra agentem, ff. de regul. iur., invitus § 1; et ff. de superfic., ait praetor § plane. Item dolo petit quod statim restituere debet, ff. de dol. except., dolo; et ff. de regul. iur., in condemnatione § dolo facit. Item si solvitur debitum, non repititur; ff. de condi. indeb., Iulianus; et ff. de condi. indeb., si procurator; et ff. de condi. indeb., iudex. Et si indebitum scienter solvitur, non repetitur, quia donari videtur, ff. de regul. iur., cuius per errorem; et ff. de condi. indeb., nunc videndum; et C. de condi. indeb., indebitum. Item a iuramento non videtur liberatus qui sic solvit ut postmodum repetat, ff. de solut., qui sic solvit; et ff. de solut., qui hominem § ulti. Ad hoc dicas quod usurae indebitae sunt iure canonico, et in nullo casu conceduntur, etiam ut captivi redimantur, infra, de usur., super eo. Et ideo solutae peti possunt

tamquam indebitae, non obstat eo quod dicitur, indebitum scienter solutum non reperitur, quia hoc fit metu iuramenti, unde sibi non praeiudicat quod per metum facit. Vel sic, uno iure solvere tenetur propter iuramentum, sed alio iure repetit, quia indebite solutae sunt. Et sicut habet debitor actionem ad petendum solutum, ita habet actionem adversus creditorem ut eum liberet a iuramento, supra, de iureiur., ex administrationis; et infra, de usur., tuas dudum. Et quod dicit cogendi sunt, intellige cum non petunt absolvi a iuramento.

Reddere iuramentum
Arg. quod solvere usuras non est peccatum, alias non compellerentur, 22. q. 1, si peccatum. Sed ille qui recipit, peccat. Et in eodem facto alter peccat et alter non. Sic etiam in alio casu unus committit adulterium, alter non, 32. q. 5, proposito.

X 2.24.07 *Ad nostram*

Deductis expensis
Nullus casus est qui hoc genus deductionis impediat, ff. fam. ercis., fundus qui. Nisi in decimis, infra, de decim., cum homines; et infra, de decim., tua 2. Quando in decimis expensae sunt deducendae, legitur infra, de decim., pastoralis. Hoc solum computatur in fructu, quod superest deductis expensis, ut in lege praedicta ff. fam. ercis., fundus qui. De istis dicitur supra, de restit. spol., gravis.

Adstrinxisti
Quia non restituebat possessionem, sed dixit hic quod tacuit odio usurarum.

Sufficienti cautione
Nomine cautionis simplex promissio intelligitur, C. de ver. sig., sancimus; de conse. dist. 4, prima. Si autem dicatur idonea vel sufficiens, ut hic, intelligitur de pignoratitia vel fideiussoria, ff. mand. vel cont., si mandato Titii § ulti.; et ff. de fideicommi. liber., ergo § adiici.

Mandato
Hic remittitur ad excommunicatorem, quia non appellaverat, sed simpliciter denunciaverat Papae, et etiam cavet, quia erat excommunicatus pro contumacia.

Pecunia persolvatur
Scilicet sors sua quam dedit. Vel donec de ipsis fructibus fuerit satisfactum, quia in sortem sunt computandi, infra, de usur., plures; et infra, de usur., quoniam; et C. de pigner. act., quod ex operis; et C. de pigner. act., creditor qui praedium. Sed in casu isto propterea quod iuraverunt nullum super possessionibus illis gravamen inferre donec creditori fuerit satisfactum, tenentur timore iuramenti pecuniam restituere creditori, ut supra, de iureiur., debitores. Et postea repetere possunt quicquid percepit creditor ultra sortem tamquam indebitum.

Pecuniam
Scilicet totam. Partem enim recipere non tenetur, ff. de usuri., tutor § Lucius; et ff. de act. emp. et vend., Iulianus § offerri. Et hoc est verum si debitori totum confiteatur, alias secus. Et sic intelligitur lex ff. si cert. pet., quidam existimaverunt.

Ad restituendum
Sed videtur quod isti debitores deberent cadere a iure suo, quia dixerunt sibi ius, ff. quod metus cau., extat edictum; arg. C. und. vi, si quis in tantam; 16. q. 6, placuit. Dicunt quidam quod in causis ecclesiasticis rigor iuris non servatur, supra, de dolo et contu., ad haec; et supra, de iudic., dilecti, arg. Vel non fuit actum ad hoc, ff. si quis caut., vicena, 1. resp., in fi; supra, de ord. cognit., cum dilectus; et infra, de except., denique. Et quia auctoritate iudicis hoc fecerunt. Vel aliter nihil pertinet ad Papam de possessione, nisi quantum ad prohibitionem usurarum et periurii, et ideo propter iuramentum praecipit possessiones restituendas ratione peccati, supra, de iudic., novit. Ber.

X 2.24.08 *Si vero aliquis*

Iuramenti
Scilicet de non repetendo ulterius ipsum beneficium, et sic plana est responsio domini Papae.

Salutis aeternae
Idem est etiam si temporalis, 22. q. 4, innocens § ulti., vers. quisquis ergo, in fi. Hoc intellige si directe vergat in interitum, quoniam si occasionaliter servandum est, puta si aliquis ultramontanus, sive Gallicus iurat se moraturum Romae in Augusto, occasione tali iuramenti posset vita temporalis adimi, si tunc Romae moraretur. Idem est si in deteriorem exitum vergat, 22. q. 4, si aliquid; infra, de iureiur., cum quidam. Ala.

Ne auctores periurii
Simile dicit imperator, C. si adv. vend., si minor. Immo etsi negligenter ea quae male usurpantur amittimus, excessus viam aliis aperimus, 93. dist., pervenit; et 35. q. 9, loci; ff. de pac. dotal., convenire; et ff. de pacti., si unus § pacta; et arg. C. de indict. vid., ambiguitates, in fi. Vincen.

Meruerunt
De facto ad maiorem cautelam secundum illos qui dicunt quod tale iuramentum non obligat. Secundum nostram opinionem dicas, meruerunt in veritate cum essent obligati, et possent sine periculo animae servare.

Permissi sunt
Arg. est hic in alterius odium cum altero dispensandum, arg. 3. q. 5, de accusatoribus; et 6. q. 3, denique; et 79. dist., si quis Papa; et 6. q. 1, si quis cum militibus, in fi. Et hoc facit expresse pro nostra opinione. Ber.

X 2.24.09 *Ex rescripto*

Obsides dedit
Voluntate illorum, alias detineri non possunt. Sed qualiter liberi homines obsides erunt, contra illa iura C. quae res pign. oblig. poss., qui filios; et infra, de pignor., lator; C. de act. et oblig., ob aes; et in Auth. ut nulli iudic. lic. hab. § quia vero, coll. 9, ubi dicitur quod creditores qui filios debitorum in pignore recipiunt, cadunt a credito et aliam tantam quantitatem debitori persolvere debent, et verberibus subiici. Sed contra, canon docet obsides dandos, 23. q. 8, ut pridem; et ff. qui testam. fac. pot., obsides; et ff. de iure fisc., divus. Respondeo non tenet obligatio in libero homine, ut ius constituatur in eo tamquam in pignore, nec tenet alienatio, nisi in casu C. de patr. qui fil. distr., si quis. Nam cum teneat ibi venditio, multo fortius pignoris obligatio, sed detinetur liber homo qualitercumque, ut fiat quod convenit, ut hic factum narratur. Vel non potest obligari pro pecunia, sed pro pacto ineundae pacis vel consimili, supra, de arbitr., exposita.

Monachos
Nomine monasterii, cuius nomine contracta fuit obligatio. Et ideo compelli debent, ut eam fuerunt sicut iuraverunt, supra, de iureiur., ad nostram 1. Cum in ipsius utilitatem pecunia processerit.

Et uxorem
Sed quare mandat Papa mulierem istam puniri, cum iuvetur auxilio Velleiani, ff. ad Velleia., Velleiano; et ff. ad Velleia., et primo; et C. ad Velleia., mulieribus; et C. ad Velleia., quamvis. Potest dici quod non punietur, si excipiat quod non potuit fideiubere. Vel ipsa forsitan renunciavit beneficio dictarum legum. Vel potest aliter dici, etiam si non renunciavit, quod punietur propter iuramentum, quod servari potest sine periculo animae, supra, de iureiur., si vero; et infra, de iureiur., cum contingat. Ber.

Inhibeatis
Cum ipsi iuraverint eandem conventionem facere observari, compellendi sunt ad hoc si per eos steterit quominus observetur. Alioquin si darent operam quam possent ad ipsam observandam, non inciderent in periurium, quia hoc solum videntur iurasse se facturos et curaturos, quia simpliciter factum alterius iurare non poterant nec promittere, ff. de ver. oblig., stipulatio ista, in princ.; et Inst. de inutil. stipul. § si quis alium; et arg. 31. q. 3, si qui.

X 2.24.10 *Querelam*

Per biennium
Propter hoc solum privari debuit, etiam si non iurasset, 10. q. 2, hoc ius; et 10. q. 2 § qui rem; et infra, de loc. et cond., propter; et infra, de loc. et cond., potuit; et ff. locat. et conduct., quaero § inter locatorem.

Periurii irretiti
Sunt enim infames, 6. q. 1, infames; et 6. q. 1, quicumque; et 22. q. 5, si quis convictus; et arg. C. de transaction., si quis maior. Et infamibus portae dignitatis patere non debent, C. de dignitat., neque famosis, lib. 12; et C. de infam., infames, lib. 10; et infra, de

excess. praelat., inter dilectos. Nec amplius ad testimonium admittuntur, 6. q. 1, quicumque; et 22. q. 5, parvuli; et supra, de testib., testimonium.

Non necessitate

Nota quod necessitas excusat a periurio, 23. q. 8, si nulla; infra, de iureiur., brevi; et 50. dist., presbyteros. Quia necessitas legem non habet, de conse. dist. 1, sicut; et supra, de consuet., quanto; infra, de pignor., significante; et de conse. dist. 5, discipulos; et infra, de furt., si quis. Et iura subveniunt necessitate impeditis, ff. ex quib. cau. maio., non est; ff. locat. et conduct., cum in plures § vestimenta; et ff. si quis caut., non exigimus § 2. Et non dicitur deierare qui ex iusta causa deserit iuramentum, ff. qui satisda. cog., qui iurato. Ergo si iste sola voluntate cessavit, merito privari debet, cum sit infamis secundum canones, ut dicitur in proxima notula.

Removentes

Sed videtur quod iste non deberet removeri, quia civiliter agebatur de pensione videlicet. Unde etiam probato crimine civiliter deponi non debet, infra, de accusat., super his; et infra, de accusat., inquisitionis, 1. resp., nec amittere ecclesiam. Arg. contra supra, de ord. cognit., cum dilectus. Sed haec forte haberent locum, si iste praelatus esset et ageretur contra eum civiliter. Sed ipse erat conductor sive vicarius, qui certam debebat domino reddere pensionem. Unde probato qualitercumque eum fraudem commisisse, res est ei auferenda, ff. de lege comm., lege. Et in modum quasi denunciationis fuit haec querela. Et de hoc agebatur ut ecclesia privaretur. Et qui debitum non solvit ad quod iuramento est adstrictus, beneficio suo privatur, infra, de fideiuss., pervenit. Sic et iste privari debet ecclesia, tum quia per biennium canonem non solvit, tum quia periurus est voluntate non necessitate.

X 2.24.11 *Tua nos*

Primo praeiudicat

Neutrum tamen observabit, quia de ecclesia removetur. Et licet secundum non fecisset, primum servari non debet contrarium iuri, infra, de censib., prohibemus; et infra, de censib., gravis; et infra, de censib., cum clerici.

Pro periurio

Id est, temerario iuramento. Non enim habuit iustitiam secum, et alia quae debent in iuramento intervenire, 22. q. 2, animadvertendum; et 22. q. 4, in malis. Sicut enim in iuramento exceptum debet esse ius superioris, infra, de iureiur., venientes; et infra, de iureiur., ad nostram 3; et ff. ad municip., imperatores; et in constitutione Friderici de feudis, capitulo ultimo. Multo fortius ius canonicum intelligitur esse salvum in ipso iuramento, infra, de iureiur., veniens, arg.; et infra, de iureiur., ad nostram 3; arg. supra, de consti., quae in ecclesiarum; et ff. de pacti., iurisgentium § generaliter. Si vero quis falsum iurat ignoranter, credens verum esse quod iurat, nullum est peccatum, 22. q. 2, homines. In primo exemplo periurium est transgressio iuramenti, quod si licitum est, peccat mortaliter transgrediendo, supra, de iureiur., si vero; et supra, de iureiur., querelam. Si est illicitum, ita ut eius observatio vergat in dispendium salutis aeternae, non peccat conveniendo, sed peccavit iurando, 22. q. 4, si publicis; et 22. q. 4, est etiam;

et 22. q. 4, quod David. Item periurium quandoque dicitur indiscretum iuramentum. Istud ex deliberatione vel proposito factum mortale peccatum est, infra, de iureiur., sicut ex litteris; 22. q. 4, qui sacramento. Si vero quis iurat iocosa levitate vel incaute, veniale est peccatum, 25. dist., unum § criminis, alias ea demum.

X 2.24.12 *Cum quidam*

Dignitate
Sic patet quod dignitas delinquentis aggravat peccatum, 40. dist., homo Christianus; et 11. q. 3, praecipue; et 50. dist., quia sanctitas tua; et 19. dist., nulli fas; 32. q. 5, qui viderit; 25. q. 1, nulli fas; et infra, de haeret., excommunicamus itaque § credentes; et infra, de homic., sicut dignum, 1. resp. Arg. contra C. ut nemo privat., ne quis; et 24. q. 1, qui contra pacem; et 17. q. 4, nullus clericorum; et 35. dist., ante omnia; 45. dist., cum beatus; et ff. de poe., aut facta § persona. Solutio: contrarietas ista ita debet intelligi, nam in quantitate contemptus metitur Deus quantitatem reatus. Quantum enim infringitur iustus, tantum amat, 7. q. 1, adversitas § cum vero. Ergo a simili quantum contemnit, tantum peccat, arg. 11. q. 3 § cum ergo, in fi. Quanto vero quis maior est, sive in maiori dignitate, tanto magis praesumitur peccare et contemnere. Unde quod dicitur dignitas delinquentis aggravat peccatum, melius diceretur aggravat peccantem, quia praesumitur quod plus contemnat, unde ratione praesumptionis tantum maior poenitentia illi imponitur, quia ecclesia nescit conscientiam illius, tamen potest esse quod plus contemneret aliquis rusticus quam magnus praelatus. Unde Ovid: peius adulterio, turpis adulter obest. Et sic intellige primam rubricam. In pecuniaria poena plus puniuntur maiores quam minores, nobiles quam ignobiles. In poena corporali saepe puniuntur minores, et parcitur maioribus, 35. dist., ante omnia. Et sic intelliguntur contraria.

Absolvendi
Ad cautelam, 22. q. 4, inter caetera. Cum iuramentum non sit vinculum iniquitatis, ut ibi, et infra, de iureiur., quanto; et infra, de iureiur., Quintavallis.

Poenitentia
Unius anni, 22. q. 4, qui sacramenta.

X 2.24.13 *Sicut ex litteris*

Moraturus
Ubi vero se devovit, semper debet manere, 16. q. 1, qui vere. Et ideo male iuravit.

Temerarium
Immo nec licitum sine licentia superioris, 12. q. 1, non dicatis; 20. q. 4, monacho; supra, de iuram. calumn., inhaerentes, in fi.; et supra, de postuland., ex parte; et 16. q. 1, monachi. Et clericus non debet abiurare ecclesiam sine licentia superioris, supra, de renunciat., admonet; et infra, de regular., licet.

Frangeret
Servando iuramentum.

Pertimescat
Quia poena unius debet esse metus alterius, 2. q. 7, quapropter; C. ad leg. Iul. repet., ut unius; et ff. de poe., capitalium § famosos; et supra, de transact., sicut, in fi.

Poenitentiam
De illicito et temerario iuramento poenitentia debet imponi, supra, de iureiur., cum quidam. Et contra tale iuramentum salubriter veniendum est, 13. dist., duo mala; et 13. dist., nervi; 22. q. 4, per totum.

X 2.24.14 *Veritatis amica*

Simplicitas
Fides enim veritatis verborum adminicula non requirit, C. si min. ab hered. se abst., si vos. Sic ergo commendatur simplicitas, supra, de summ. trin. et fid. cath., firmiter, in princ.; et 3. q. 9, pura; et supra, de iudic., pastoralis.

Compellantur
Sed contra videtur. Libertus ecclesiae cuilibet successori tenetur professionem facere infra annum, 12. q. 2, saepe; et 12. q. 2, longinquitate. Et feudatarius investituram petere debet a domino infra annum, ut in constitutione Friderici de feudis § praeterea. Potest dici quod hic fuit specialis indulgentia. Vel dicas verius quod iurare successoribus potest si vult, sed non debet compelli si iuravit sub hac forma. Ego iuro tibi fidelitatem et successoribus tuis catholicis, ex quo semel iuratum est sub hac forma, non debet amplius iurare, quia istud iuramentum perpetuum est quo ad illum qui iuravit, et ita tenetur successoribus sicut illi cui iuravit.

X 2.24.15 *Verum in ea*

Absolvantur
Id est, absolutione indigeant an ipso iure sint absoluti.

Inviti
Per talem scilicet metum, qui possit cadere in constantem virum, supra, de his quae vi met. caus. fi., ad audientiam; et ff. quod metus cau., metus autem. Alias si sponte iurassent vel per vanum metum, non absolverentur a iuramento, immo illud necesse haberent servare, supra, de restit. spol., accepta; et supra, de restit. spol., sollicite; et ff. quod metus cau., metus autem. Quia contra vanum metum non auditur aliquis.

Antecessores
Scilicet Gelasius, Gregorius et Urbanus, 15. q. 6, alius; et in capitulo 15. q. 6, nos sanctorum iuratos; et Alexander, supra, de iureiur., si vero.

Absoluerunt
Quidam exposuerunt de facto, quia ipso iure non tenebantur si iusto metu iurarunt. Nos vero proprie intelligimus, ut dictum est supra, de iureiur., si vero; et supra, de his quae vi met. caus. fi., abbas.

Non servent
Id est, quod ad ea observanda non sunt adstricti, quia tenentur illa servare, dummodo sine interitu salutis aeternae servari possunt, supra, de iureiur., si vero. Verumtamen si illa non servant, non sunt puniendi tamquam pro directo periurio, et ita metus culpam attenuat, si iuramentum non servant.

Mortali
Arg. est hic quod iuramentum metu extortum parum obligat, supra, de his quae vi met. caus. fi., perlatum; et supra, de his quae vi met. caus. fi., abbas, ubi plene de hoc, et supra, de restit. spol., sollicite. Et de hoc dicitur supra, de iureiur., si vero.

X 2.24.16 *Veniens*

Mandato
Idoneo, scilicet sic fuit exaudiendum, supra, de elect., causam quae; et supra, de rescript., cum adeo; et ff. de oper. lib., si libertus; infra, de iureiur., Quintavallis. Iniquae tamen sententiae arbitri standum est, ff. de recepti., Labeo ait si compromisso; et ff. de recepti., diem § stari, dum tamen dolus absit; C. de recepti., arbitrorum; ff. de recepti., non distinguemus § cum quidam; et Inst. de mandat. § illud. Quare ergo non statur huic mandato? Respondeo: isti non fuerunt arbitri, sed fuerunt arbitratores, sive amicabiles compositores ut boni viri. Unde si male arbitrentur sive inique componant, eorum dictum reducendum est ad arbitrium boni viri, ff. pro soc., si societatem.

Praescivisset
Arg. iuramenta secundum intentionem iurantis fore interpretanda, 22. q. 5, humanae aures. Arg. contra 22. q. 5, quacumque arte; et 22. q. 5, ecce. De hoc dicitur infra, de spons., ex litteris 1. Sed numquid potuit ei praecipere, ut cederet bonis, vel ut ei daret bona sua? Non, quia iuramentum non extenditur ad illa de quibus non est cogitatum, infra, de iureiur., Quintavallis; infra, de decim., ex multiplici; arg. supra, de restit. spol., audita; 22. q. 2, ne quis arbitretur; de transaction., cum Aquiliana; ff. de pignorib., obligatione; ff. de peculi., peculii; et C. quae res pign. oblig. poss., alumnos. Et civili modo intelligendum fuit iuramentum, ut dictum est in prima notula, ff. de servit., si cui; ff. de ritu nupt., postquam. Sic et liberta si iuravit non nubere, de illicitis nuptiis intelligendum est, ff. de iure pat., adigere § ulti.

Repugnet
Et sic videtur quod si mandatum non repugnet priori iuramento, iuramentum sit servandum, cum possit servari sine interitu salutis aeternae, supra, de iureiur., si vero. Quod verum est, tamen si enormem laesionem in rebus temporalibus pateretur, obtinebit relaxationem iuramenti, supra, de his quae vi met. caus. fi., abbas; et 22. q. 4, innocens § illicitum, ultra medium, vers. quisquis ergo etc.

X 2.24.17 *Brevi sciscitatus*

Difficultas
Et ita difficultas excusat a periurio, ut supra, de iureiur., ego. Sic et necessitas, supra, de iureiur., querelam; ff. qui satisda. cog., qui iurato; arg. ff. de oper. lib., si libertus; ff. quar. rer. act., iusiurandum § quae onerandae. Licet non excuset a poena conventionali, ff. de ver. oblig., continuus § illud quoque.

Requisitus
Sed numquid tenetur ecclesiam iurare non requisitus? Videtur quod sic, 93. dist., si inimicus. Arg. contra ff. quod legat., hoc interdictum § 1; et arg. huius litterae. Si vero ecclesia non servavit ei fidem in suis necessitatibus, nec ipse tenetur ipsam iuvare, 22. q. 5, de forma; supra, de iureiur., pervenit 2. Vel si ecclesia subtraxit ei salarium suum consuetum, ff. locat. et conduct., quaero § inter locatorem. Vel si remordet eum conscientia quod habeat malam causam, 11. q. 3, vae qui dicitis. Nam et tunc advocatus non tenetur iuvare clientulum suum, C. de iud., rem non novam § patroni causarum. Sed ipse licet teneatur sequi conscientiam suam, ecclesia tamen habebit eum pro periuro, supra, de restit. spol., litteras; et infra, de sent. excom., inquisitioni.

X 2.24.18 *Quanto personam*

Defraudata
Qui enim falsat monetam principis exuritur, C. de fals. mon., si quis nummum. Qui autem falsat monetam civitatis punitur capite, C. de fals. mon., quoniam. Sed ille qui nummos radit vel tingit, si liber est, datur ad bestias; si servus, ultimo supplicio punitur, ff. de lege Corn. de fals., quicumque. Et sunt haec tria specialia, quia quilibet tenetur ad accusationem huius criminis. Item quia condemnatus non appellat. Item quod ille in cuius domo falsa moneta cuditur, licet illud ignoret, C. de fals. mon., quoniam.

Absolvi
Absolvere potest Papa quemcumque a sacramento ex iusta causa, puta propter scandalum intolerabile, ut si malum exemplum prorogetur in multos, clave tamen discretionis praecedente. Hug. tamen hoc negabat. Et omnia iura quae dicunt vel innuunt Papam posse absolvere a iuramento intelligebat de illicito, quia in his quae sunt de iure naturali, ut in voto et iuramento, Papa non dispensat, arg. ad hanc opinionem infra, de iureiur., et si Christus, ubi dicitur redde domino iuramenta tua. Quasi similem interpretationem habes infra, de iureiur., petitio; et infra, de voto et vot. redem., magnae, ubi dicitur: vovete et reddite, infra, de statu monach., cum ad monasterium, in fi. Laur. contradicebat. Tanc. dicit quod ex causa iusta potest quemlibet absolvere, 15. q. 6, auctoritatem. Et dispensare potest in voto, et illud commutare in aliud quod magis sit Deo acceptum, infra, de voto et vot. redem., magnae; infra, de voto et vot. redem., de peregrinationis; et infra, de voto et vot. redem., quod super his; et infra, de voto et vot. redem., ex multa. Et in iuramento etiam ex eisdem causis potest dispensare. Ubi vero aliquis vovet vel iurat, et illa licite vel honeste servari possunt nec subest causa, Papa illa immutare non potest, et sic intelligebat Hug. Et in hoc alii non discordant. Et sic etiam

intelliguntur illa verba, vovete et reddite domino iuramenta vestra. Et est arg. ad praedictum 25. q. 1 § si ergo, vers. ipsi namque soli etc.; et ff. de vulg. et pup., ex facto. Hic vero non fuit necessaria absolutio, sed interpretatio secundum quod sequitur in littera, et secundum interpretationem debet servari, quia fuit legitimum iuramentum.

Iniquitatis vinculum
22. q. 4, inter caetera.

Patris
Hoc ideo quia in forma iuramenti fuit hic expressum. Sed nonne tunc mentiretur inscriptio monetae? Immo videtur quod rex ipse falsarius esset, ff. de lege Corn. de fals., falsi nominis; et infra, de his quae fi. a prael., quanto. In moneta enim tria exiguntur: quantitas ponderis, materia et publica forma, ff. de contrah. empt., origo. Respondeo quod non semper inscriptioni monetae fides adhibetur, sicut nec inscriptioni sepulchri, C. de rel. et sump. fun., monumentorum. Immo pictura est quae largam habet licentiam. Semper enim fas fuit pictoribus et poetis novitates invenire, licet sit arg. contra 24. q. 2, sane, in princ. Io. Item si fur ex auro vel argento monetam publicam falsam faciat, illo punito pecunia in thesauro publico conservatur, 1. q. 1, quod quidam, circa medium, vers. si enim aliquid furtim etc.

Servari
Et sic si non possit expresse servari in omni, servatur tamen in illa quae fuerat defraudata. Et est arg. ad quaestionem propositam et solutam infra, de spons., ex litteris 2, in glossa isti erant.

Satisfactionem
Pro temerario iuramento imponitur poenitentia unius anni, 22. q. 4, qui sacramento. Sed pro directo periurio imponitur poenitentia septem annorum, 6. q. 1, quicumque; et 22. q. 1, praedicandum. Immo qui scienter deierat, secundum canones infamis est, ut 6. q. 1, infames. Et qui contra transactionem iuratam venerit scienter, infamis est, C. de transaction., si quis maior.

X 2.24.19 *Venientes*

Leges
2. q. 6, anteriorum; et 2. q. 6, non ita.

Plagiariis
Id est, fideiussoribus. Vulgare est illius terrae.

Iurarunt
In Auth. de iudicib. § quia vero. coll. 6; C. de iud., rem non novam; et 3. q. 7, iudicet.

Consuetudinem
Licite ergo iudicatur, secundum consuetudinem loci, supra, de eo qui mitt. in poss. caus., cum venissent. Quia consuetudo praeiudicat iuri, supra, de consuet., ex parte.

Interpositis
Ista civitas Tudertina subest domino Papae quo ad iurisdictionem temporalem, et ideo tenent appellationes ad Papam factae, alias non, infra, de appell., si duobus.

Ius
Unde pone: aliquis est receptus in canonicum et in fratrem. Iurat se servare laudabilem consuetudinem ecclesiae suae. Et talis est consuetudo in ecclesia, quod qui habet praebendam debet residere per sex menses, sed antequam faciat quod iuravit, accedit ad sedem Apostolicam, et supplicat domino Papae ut ipsum absolvat. Quaero utrum iste sit periurus? Et respondetur quod non, arg. istius litterae, quia videtur quod quando iuravit, quod debuit intelligi, nisi dominus Papa remittat ei iuramentum. Sed probo quod sit periuris, C. de transaction., si quis maior, ubi dicitur quod aliquis venit contra iuramentum tribus modis: iudicem interpellando, iudici supplicando, quod promisit non faciendo. Unde videtur quod iste sit periurus supplicando Romanum Pontificem ut absolvat, sed si petitione non praemissa ipsum absolvisset, non esset periurus.

Ius superioris
Nota quod in iuramento excipitur auctoritas maioris, ut hic patet, et infra, de iureiur., ea te; et supra, de rescript., constitutus. Arg. a contrario sensu, ff. ad municip., imperatores; et in constitutione Friderici de feudis § ulti. Et est ius canonicum, infra, de iureiur., ad nostram 3. Io.

Exceptum
Sed nonne possunt super hoc condere legem municipalem contra ius commune? Respondeo: possunt condere legem contra ius commune, quae tamen non sit in praeiudicium alterius, ut hic dicit, et supra, de consti., quae in ecclesiarum. Specialiter tamen non condendo legem bene possunt litigantes renunciare appellationi, C. de temp. appel., illud § ulti.

Executioni mandandam
Quod fieri non debuit, tum quia beneficio appellationis extinguitur pronunciatum, ff. ad Turpil., accusatorum. Tum quia interposita appellatione nihil innovari oportet, 2. q. 6, appellatione; et ff. nihil inn. appel., appellatione. Ber.

Possessionem ipsam
Cum appellatur a sententia diffinitiva. Si appellatione pendente fuit mandata executioni, iudex appellationis debet revocare in irritum quicquid factum est post appellationem, et antequam cognoscat an appellatio sit iusta vel iniusta. Sed secus est cum appellatur a gravamine, quia prius debet cognosci de meritis appellationis, quam revocari quod factum est post appellationem, supra, de dilat., dilecti, in fi., quia ibi dicitur: si est ita, revocato etc. Iudex ordinarius non potest exequi suam sententiam ex quo altera pars appellavit. Sed iudex delegatus potest non obstante appellatione alterius partis, supra, de offi. deleg., super eo, in fi.; et supra, de offi. deleg., pastoralis § praeterea. Certe istae duae ultimae concordantiae contrarium dicunt.

Restituatis
Arg. contra ff. de appellat., cum ex causa, ubi expectatur talis restitutio usque ad eventum confirmationis vel cassationis sententiae. Sed non est contrarium, quia non dicitur ibi quod non debeat expectari, sed ibi recitatur factum prout contingit. Unde patet quod pendente appellatione executio non debet fieri. Et si fiat, invito possessore restitui debet in pristinum statum antequam appellationis causa examinetur, arg. supra, de offi. deleg., pastoralis § praeterea. Et hoc est notabile.

X 2.24.20 *Ad nostram*

Pervenisse
Non dicit per quem vel a quo.

Repeterent
Si iuravit non repetere, denunciet illud ecclesiae. Quid si iuravit non denunciare? Respondeo: iuramentim fuit illicitum, et ideo non servandum, cum quilibet ad hoc teneatur, infra, de cognat. spir., tua; et infra, de haeret., cum ex iniuncto; infra, de iureiur., quemadmodum, in fi.; et 2. q. 1, si peccaverit. Sed si iuraverit solvere nec repetere, illud denunciet ecclesiae, ut dictum est. Vincen.

Probarent
Videtur iuramentum istud remissum esse ex testamento, nisi velis ita interpretari haec verba, ut scilicet illi de iure repetere non possint, qui iuraverunt non repetere. Sed tamen largius interpretabimur ultimas voluntates, infra, de dona., cum dilecti; ff. de trit. vin., si cui. Sic ergo iure legati possunt isti repetere usuras, quasi ex nova causa superveniente. Si enim aliquis abiurat beneficium, potest postea ipsum repetere ex nova causa superveniente, supra, de renunciat., cum inter; et ff. de succ. edict., successorium § quod dicimus, alias § sed videndum; et arg. supra, de his quae vi met. caus. fi., ad audientiam. Item cum iuro solvere aliquid, solutum possum repetere, supra, de iureiur., debitores. Non enim est cogitandum de novo iure, ff. de transaction., cum Aquiliana. Si vero ius novum non est mihi acquisitum, possum agere ut remittatur iuramentum, supra, de iureiur., ex administrationis. Et primo agendum est ut iuramentum remittatur, et tunc potest repetere secure. Ber.

Ad testimonium
Nota testimonium ferri lite non contestata. Sed hoc ideo contingit, quia hic procedebatur in modum inquisitionis sive denunciationis, ut patet per principium capituli. Vel Papa hic voluit extra ordinem procedi, et sine accusatore per denunciationem. Item quia ad ecclesiam vel episcopum spectat exequi voluntates defunctorum, infra, de testamen., si heredes; et infra, de testamen., Ioannes; et C. de episc. et cler., nulli; et C. de episc. et cler., si quis ad declinandam; et ff. de pet. hered., si hereditas § ulti. Et sic servant isti iuramentum suum hac via. Io.

Constiterit
Per inquisitionem, supra, de testibus cog., praeterea.

X 2.24.21 *Ad nostram*

Per extorsionem
Unde videbatur non teneri.

Observandus
Ex toto. Alias citari debet 2. q. 1, Deus omnipotens. Et sententia ferri, infra, de divort., porro; et infra, de appell., cum sit Romana, in fi. Et haec vera sunt in provincia in qua sunt notoria et iudici et aliis. Si vero non sunt notoria in hac provincia, sunt tamen notoria in alia, vel sunt hic notoria et iudex nescit. Tunc potest duobus modis procedere, scilicet ordine iudiciario ac si esset occultum, arg. supra, de elect., bonae 1; et 24. q. 1, pudenda; et 2. q. 1, Deus omnipotens. Vel cognoscere an sit notorium, et facta sibi fide super hoc procedet contra reum quasi crimen enim suspendere infamatum usque ad purgationem, 2. q. 5, presbyter. Vel inquisitionem facere ex officio suo, 2. q. 1, Deus omnipotens.

In mente
Arg. iuramenta et promissa non extendi, nisi ad ea de quibus cogitatum est, arg. 22. q. 2, ne quis; ff. de transaction., cum Aquiliana; et ff. de pacti., tres fratres.

Periurium
Supra, de iureiur., tua nos 1; et infra, de his quae fi. a maior. par. cap., cum in cunctis; et infra, de iureiur., sicut nostris.

Benignius
Sic supra, de testib., cum tu. Nam promptum est leges legibus concordare, C. de inoffic. donat., si ut adlegatis.

Servare
Iuxta illud: est in amore modus non habuisse modum.

Postulat
Infra, de verb. sign., cum olim; et infra, de usur., cum tu; infra, de cohab. cler. et mul., vestra.

Requirit
Sed nonne ordo iudiciarius potest servari sine peccato in notoriis? Arg. quod sic, supra, de elect., bonae 1. Et Augustinus probat id quod notorium est, scilicet ecclesiam non esse nullam, 24. q. 1, pudenda, in fi. Et ita videtur licitum sacramentum, ut in notoriis servetur. Sed certe hoc iurare quod in omni notorio servetur ordo iuris et illicitum, et multum laederetur ius actoris, cum ei incumberet onus probandi, et disciplina iudicialis laederetur, si iudex non posset punire nisi prius probaretur. Sed hoc non fieri debet, quia nullae sunt validiores probationes quam per evidentiam facti. In illa decretali supra, de elect., bonae 1, factum fuit ob scandalum ad cautelam, ut ibi dicitur, vel forsitan non erat notorium iudici. Laur.

In illis videlicet
Arg. quod verbum generale non est generaliter intelligendum, ut 1. q. 1, iudices, vers. omnia bona Damasci; et ff. de servit., is cui; et ff. de pignorib., obligatione; et de conse. dist. 2, re vera, vers. de operibus totius mundi, circa finem. Arg. contra 19. dist., si Romanorum; 31. q. 1, quod si dormierit; et 1. q. 1, sunt nonnulli; et infra, de privileg., quia circa; et supra, de maior. et obed., solitae.

Observandus
Hic est arg. ad illam quaestionem qua quaeritur. Pone: aliquis iurat quod de caetero non cognoscet concubinam suam, modo vult eam ducere in uxorem. Numquid potest non obstante iuramento? Dicas quod sic, quia intelligitur iurasse de fornicario coitu, et non de licito et debito. Unde potest cum ea contrahere non obstante iuramento.

X 2.24.22 *Ea te*

Augetur
Quoniam gravius solvi potest vero creditori quod alteri est solutum, et tamen non liberatur a debitore, ff. de constit. pecun., si vero mihi; ff. de solut., vero procuratori § 1; et infra, de homic., sicut dignum § eos, in fi.

Quod alii
Sic ff. de condi. indeb., in summa, in fi. Unde si alii solveris quod alii debes, non liberaberis, et ille furtum committit, ff. de fur., falsus § 1. Nisi ille ratum habeat, ff. de fur., si vendidero § si Titius. Unde patet quod peius est sive gravius latroni qui partitur spolia cum socio quam si non partitur, 22. q. 4, si quem ad peccatum. Io. Et expone quod dicit alii, tantum scilicet. Et sic non obstat quod solvitur uni ex pluribus, quorum cuilibet insolidum quid debebatur, ff. de duob. reis, in duobus.

Archiepiscopo
De hac materia tractatur infra, de praescrip., si diligenti.

Praestitum
Pisano archiepiscopo.

Contrarium
Quia si unum contrariorum est bonum, reliquum est malum, 8. q. 1, sciendum; et 32. dist., hospitolum.

Illud
Scilicet quod praestiti archiepiscopo.

X 2.24.23 *Quintavallis*

Iuramentum
Quod civili modo fuit intelligendum, ff. de servit., si cui; et supra, de iureiur., veniens, ubi de hoc.

Exheredaret
Ad hunc casum iuramentum non extendebatur, nec debuit extendi, arg. supra, de iureiur., quanto; et melius in capitulo supra, de iureiur., veniens; 22. q. 4, unusquisque; et ff. de oper. lib., si libertus; ff. de fideicommi. liber., Thais § sorore; et ff. de manumiss., is qui, in fi. Nisi in certis casibus qui continentur in Auth. ut cum de appellation. cog. § causas, coll. 8. Et ita turpe fuit mandatum. Item contra praeceptum domini fuit hoc mandatum, ut uxor separaretur a viro, 28. q. 1, idolatria; et 33. q. 2, quos Deus. Causae vero ingratitudinis propter quas pater potest exheredare filium sunt hae. Prima si filius parentibus manus intulerit. Item si gravem iniuriam eis fecerit. Si criminaliter eos accusaverit de causa, quae non sit adversus principem vel rem publicam. Si cum maleficiis versatur. Si maleficus efficiatur. Si vitae parentum fuerit insidiatus. Si uxori vel concubinae eius se immiscuerit. Si ex dilapidatione filii grave dispendium parentes sustulerint. Si pro persona vel debito eius inquantum potest fideiubere noluerit. Hoc tamen quod de fideiussione dicitur, ad filios masculos tantum pertinet. Item si prohibuit eos facere testamentum. Si contra voluntatem parentum inter arenarios et mimos perseveraverit, cum pater non fuerit illius professionis. Si filia vitam luxuriosam egerit, cum parentes vellent eam pro posse dotare, nisi neglexerint eam maritare usque ad viginti quinque annos. Si parentibus furiosis debitam curam non impenderit. Si parentem captum de carcere eripere neglexerit. Hoc totum habes in praemisso authentico.

X 2.24.24 *Tua nos*

Petituros
Temerarium fuit huiusmodi iuramentum, et ideo non fuit obligatorium, 22. q. 4, inter caetera; et C. de nupt., authen. quod eis permittitur. Et dicunt quidam poenitentiam imponendam tamquam pro veniali, arg. supra, de iureiur., verum; et 25. dist., unum § criminis. Immo ad minus unius anni poenitentia imponitur pro temerario iuramento, 22. q. 4, qui sacramento. Tanc.

Commorari
Non tamen in saeculo, ut quidam dicunt, arg. infra, de conver. coniug., ad Apostolicam. Sed videtur quod in saeculo, 33. q. 5, quod Deo pari. Sed si alter vellet intrare monasterium, haberet locum quod ipsi dicunt. Sed quid iuraverunt quod numquam divertent abinvicem, numquid est servandum iuramentum tale, cum possit servari sine interitu salutis aeternae? Non videtur, quia nec poenalis stipulatio teneret, ut si culpa alterius divortium factum fuerit, dabis centum, ff. de ver. oblig., si stipulatio facta fuerit. Sicut enim libera debent esse matrimonia in contrahendo, ita in dissolvendo, C. de inutil. stipul., libera; et C. de nupt., neque; arg. ff. de donat. inter vir. et uxor., ea quae; et ff. de ver. oblig., Titia; et infra, de spons., gemma. Io. hoc non determinat, sed credo si vellent intrare religionem, possent, quia non dicitur infringere iuramentum qui in melius illud commutat, supra, de iureiur., pervenit 2; et infra, de voto et vot. redem., scripturae. Et iuramentum illud benignius est interpretandum, supra, de iureiur., ad nostram 3; et supra, de iureiur., quanto.

Revertatur
Hic dicerem quod propria auctoritate debet redire ad virum, nec expectare superioris auctoritatem.

Utrimque
Sic infra, de regular., veniens; infra, de divort., significasti; infra, de adult., intelleximus; et infra, de adult., tua; infra, de except., cum ecclesiasticae; et 32. q. 6, nihil; et ff. de compensat., si ambo.

X 2.24.25 *Quemadmodum*

Dimittere
Nec etiam accusare, ff. de adulter., si uxor § si quis uxorem; et ff. de adulter., si uxor § ulti.; et C. de adulter., propter violatam.

Conditio
Nota quod plerumque intelliguntur conditiones in iuramentis, ut haec, si placet Papae, ut supra, de iureiur., venientes. Item haec si Deo placuerit, 22. q. 2, beatus § 1. Item haec si res in eodem statu permanserit, 22. q. 2, ne quis; ff. de solut., cum quis. Item si mihi servabitur fides, supra, de iureiur., pervenit 2; et ff. locat. et conduct., quaero § inter. Item honestae et possibiles, ut hic dicitur, et infra, de iureiur., sicut nostris. Item haec si mihi numeraveris pecuniam, C. de non num. pecun., indubitati. Item haec si nuptiae fuerint secutae, ff. de iure dot., stipulationem. Item haec si non immoderatum quid praecipiatur, supra, de iureiur., veniens; et supra, de iureiur., Quintavallis; et ff. de oper. lib., si libertus. Item facultas subintelligitur, supra, de iureiur., brevi. Item commoditas, ff. quar. rer. act., iusiurandum § quae onerandae. Speciales autem conditiones non subintelliguntur si non exprimantur, licet mente concipiantur, 32. q. 8, non solum, in fi.; C. de condi. ob turp. caus., si repetendi, nisi ubi lex exprimit aliquid tacite agi inter contrahentes, quia tunc illud pro expresso habetur, ff. si cert. pet., cum quid; et ff. de ver. oblig., triti cum. Et haec vera sunt in promissoriis iuramentis, sed in assertoriis nulla conditio subintelligitur, et de tali loquitur 32. q. 8, non solum; et C. de iure dot., si mulier a viro. Sed numquid dicemus omne iuramentum conditionale, si omnes praemissae conditiones subintelliguntur? Certe non, ff. de condi. et demon., conditiones.

Praecedentem
Quia ex quo semel probavit mores ipsius, non potest postea reprobare, 32. q. 5, horrendus. Nisi ex supervenienti causa, ut supra, de aetat. et qualit., accepimus; et supra, de offi. deleg., insinuante; et 4. q. 3, si testes § si quis testibus. Io.

Fortius
Nam cui damus actionem, multo fortius exceptionem, ff. de regul. iur., invitus § cui damus; et ff. de superfic., ait praetor § plane; et supra, de iureiur., debitores. Quandoque tamen sequimur excipiendo quod agendo petere non possumus, ff. de negot. gest., ait praetor § pupillus; et ff. de compensat., si cum filiofamilias. Quandoque quaedam consequimur agendo, quae non consequimur excipiendo, supra, de iureiur., debitores; et

supra, de his quae vi met. caus. fi., ad audientiam. Item potest depositum repeti sed non compensari, C. de compensat., compensationes; et infra, de deposit., bona fides § 1.

Non admittere sponsam
Nam et sponsus potest sponsam accusare de adulterio quasi matrimonio iam initiato, C. de adulter., propter violatam; nisi in casu ff. de adulter., miles § quaerebatur. Quia nec matrimonium nec spem matrimonii violare permissum est, ff. de adulter., si uxor § divus.

Eiicitur
Deterior namque dolus eius cognoscitur qui interruptam iterum litem deseruit, quam qui semel coeptam dereliquit, in Auth. de litigios. § omnem, in fi., coll. 8. Et minus malum est viam domini non agnoscere quam post agnitam retroire, infra, de apostat., quidam.

In alterutro
Id est, in uxore dimissa et sponsa non admissa.

Ad utrumque
Scilicet ut eam recipiat vel non recipiat.

Oculos vel nasum
Sic patet quod iuramentum quandoque potest servari sine interito salutis aeternae, et tamen non tenetur illud servare. Sed hoc ideo est, quia honestas intelligitur in hoc iuramento, ut si res in eodem statu permanet, id enim tacite agitur, 22. q. 2, ne quis; et ff. de solut., cum quis. Sed si iuramentum non posset servari sine interitu salutis aeternae, vel si esset contra leges vel bonos mores, servari non debet, supra, de iureiur., tua nos 2; et supra, de iureiur., Quintavallis; et ff. de leg. 3, si quis, in princ.; et ff. de iure pat., adigere. Secus esset si mulier laberetur in facultatibus. Sed quid si per violentiam opprimatur sponsa de futuro? Videtur quod nihilominus teneatur cum ea contrahere, arg. 32. q. 5, re vera; ff. de adulter., si uxor § si quis plane. Sed non est verum, 27. q. 2, raptor; et 27. q. 2, statutum; et 22. q. 4, finge; et 22. q. 4, ille. Et ita punitur sine culpa, sed non sine causa.

Teneretur
Quasi dicat non, quod verum est in sponsa de futuro, infra, de coniug. lepr., litteras. Sponsam vero de praesenti ducere tenetur, quia non reperitur casus nisi unus in quo possit eam dimittere, infra, de conver. coniug., ex publico.

Teneretur
Quasi dicat non tenetur eam admittere.

Quamvis
Istud quamvis non est adversativum sed causativum, et ponitur quamvis pro quia.

Impedit
Ut votum simplex, 27. dist., si vir. Sic 15. q. 1 § sicut ergo, ubi dicitur: non omnia quae impediunt ordinandum deiiciunt ordinatum.

Illud
Aliquis iuravit quod super nullo crimine accusaret uxorem suam. Quaeritur an istud iuramentum sit servandum? Ad quod respondet Papa, illud etc.

Crimine
Nam pactum illud non valet, si quis paciscatur ne alium accuset de crimine nondum perpetrato, ff. de pacti., si unus § pacta; et ff. de pacti., si unus § illud. Tamen de crimine iam commisso pacisci potest ne de eo agatur, ff. de pacti., si unus § pacta; et infra eodem capitulo, vers. non solum septies etc. Nec illud pactum tenet, ne dolus praestetur, ff. de regul. iur., contractus. Talia enim pacta contra publicam utilitatem esse videntur, quia per ea invitantur homines ad peccandum impune. Simile ff. de pac. dotal., convenire; et supra, de consuet., ex parte. Et quia publicae utilitatis est, ne crimina remaneant impunita, infra, de sent. excom., ut famae et ff. de solut., Stichum § 1; et ff. ad leg. Aquil., ita vulneratus, in fi.

Dimitteret
Quia frater aut soror non est servituti subiectus in huiusmodi, 28. q. 1, si infidelis; et infra, de divort., quanto. Iuxta illud: spernas spernentem vel blasphemare volentem // vel te credentem scelus ad mortale trahentem // nam sunt absque mora sic vincula rupta priora. Vincen.

Patronus
32. q. 1, sicut crudelis; et ff. de adulter., ex lege § 2; et ff. de fur., qui vas § 1; arg. infra, de adult., si vir.

Ethnica
Ethnos, id est, gens. Inde ethnica, id est, gentilis.

In hoc casu
Ultimo, scilicet ubi iuravit non accusare eam de adulterio, et ita potest se quis obligare pacto ad non accusandum, infra, de accusat., veniens. Arg. contra ff. de pacti., si unus § illud; et ff. de pacti., si unus § pacta; et ff. de pac. dotal., convenire. Hoc solutum est supra, in notula nam illud.

Desistat
Et ita pactum et iuramentum valet quatenus tangit rem familiarem, non in eo quod publicam, ut dixi in notula nam illud.

Denunciare
Sed quid si nollet corrigi, nec curaret de excommunicatione? Dicit Io. quod tunc licite potest eam deserere, quia iam est contumeliosa creatori suo, 28. q. 1, si infidelis. Et sic quandoque cui praecluditur una via, alia via ad idem admittitur, ut 4. q. 3, si testes § servi neque; et hic, quia licet non possit eam accusare, poterit tamen eam denunciare. Arg. contra ff. de tutor. et curat., scire; et ff. de condi. insti., quae sub conditione § si quis; et ff. de bon. libert., quaeritur; C. si manc. ita fuer. ut man., eam; et supra, de procurat., tuae.

Tanc. dicit quod non debet eam deserere, licet se non corrigat, etiam si vitae eius insidiaretur, 32. q. 5, quicquid mulier. Sed debet eam tenere in vinculis et castigare, cum hoc ei permissum sit, 33. q. 2, placuit; et 33. q. 5, haec imago; 23. q. 4, duo ista; et 7. q. 1, sicut alterius.

X 2.24.26 *Et si Christus*

Sit sermo vester
22. q. 1, ita ergo.

Non non
Istae duae negationes non faciunt hic unam affirmationem secundum quod alibi faciunt, ff. de ver. sig., duobus verbis.

Affirmatio
Ecce declaratio geminationis, id est, ut quod os affirmat et cor affirmet, et quod os negat et cor neget. Sic 23. dist., psalmista.

Creaturam
22. q. 1, clericum; et in Auth. ut non lux. cont nat. § et quoniam, coll. 6. Per creaturas licitum est iurare ubi exprimitur in iure, ut per crucem, 22. q. 5, qui iurat per Evangelium; 22. q. 1, si aliqua per ordinem; ut 1. q. 7, quotiens. Per salutem principis, ff. de iureiuran., qui per salutem; et ff. de iureiuran., ait praetor § ulti. Per altare, 22. q. 1, habemus, aliter enim iurare non debet. Unde non licet iurare per membra Dei, in Auth. ut non lux. cont nat., coll. 6.

Omnino
Id est, ex levi causa vel per omnia. Simile omnino habetur in lege, ut si fideiussor intercedat pro maiori summa quam principalis debitor, omnino non obligatur, ff. de fideiussor., graece § illud. Vincen.

Servandum
Qualitercumque iuratur, si licitum est quod iuratur, servandum est iuramentum, 22. q. 1, movet te; et ff. de iureiuran., non erit § 1. Quia multa fieri non debent, facta tamen tenent, 27. dist., si vir; et 17. q. 2, nos novimus. Sicut iudex ultima die suae iurisdictionis iudicare non debet, ff. de iuris., eum qui. Si tamen sententiam dixerit, tenet, ff. de off. procon., meminisse, in fi.; supra, de offi. deleg., consuluit.

Nolite
Id est, non habeatis voluntatem iurandi.

Necessitas
Et ita numquam iurandum est nisi in necessitate, sed haec necessitas includit etiam sub se utilitatem, 22. q. 1, tu malum; et 22. q. 1, ita ergo. Laur.

Tres comites
De quibus habes 22. q. 2, animadvertendum; et 22. q. 1, et iurabunt.

In veritate
Conscientiae.

Et iudicio
Id est, discretione vel deliberatione.

Iustitia
Id est, ut quod iuratur sit iustum et licitum. Et isti sunt tres comites qui debent intervenire in quolibet iuramento. Et si ista defuerint, non iuramentum sed periurium est dicendum, ut in capitulo 22. q. 2, animadvertendum.

Omnis controversiae
Quia post iuramentum delatum et praestitum nihil amplius quaerendum est, ff. de iureiuran., non erit § delatum. Et parem habet auctoritatem cum transactione, et maiorem quam res iudicata, ff. de iureiuran., iusiurandum speciem. Quod verum est, si est delatum a parte parti. Istud enim retractari non potest, ff. de iureiuran., admonendi.

Amen
Id est, sine defectu, et est nota assertionis.

Testis est mihi Deus
In veteri testamento iurabatur sic: vivit Deus, vivit anima mea. Sic iuravit quae erat in Sarrepta Sydoniorum Heliae prophetae. Tempore gratiae in primitiva ecclesia iurabatur: testis est mihi Deus, Deum invoco testem, 22. q. 1, si peccatum; et 22. dist., sacrosancta. Hodie iuratur per Deum, per Evangelium, 63. dist., tibi domino; et 1. q. 7, patet.

Morior
Hoc habes 22. q. 1, non est.

Quaedam
Posset aliquis quaerere ex quo licite iuratur, quare prohibuit Dominus iuramentum? Respondet Papa: quaedam etc.

Mala sunt
Quaedam enim illicita sunt in sui natura, quaedam civiliter, id est, iure positivo vel consuetudinario, ff. de ver. sig., probrum; arg. ff. de adulter., si adulterium. Sic quaedam sunt simoniaca ipso iure, scilicet quae in veteri testamento erant prohibita, ut vendere spiritualia, 1. q. 1, qui studet. Quaedam sunt prohibita per constitutionem ecclesiae, ut dare aliquid pro benedictionibus nubentium, pro baptismo, pro ponendis praelatis in sede. De his habes plura exempla, infra, de simon., cum in ecclesiae; et infra, de simon., sicut pro certo; et infra, de simon., ad Apostolicam. Et hoc est quod dici consuevit, quaedam sunt simoniaca, quia prohibita; quaedam sunt prohibita, quia simoniaca. Et de hoc dicitur supra, de offi. deleg., ex parte tua.

Ex causa
22. q. 1, ita ergo; C. si manc. ita ven. ne prost., praefectus; et C. si manc. ita ven. ne prost., eam.

Sequuntur
Nota quod aliquid prohibetur non quod ipsum sit malum, sed quia inde potest sequi malum, arg. 21. dist., denique; et 37. dist., ideo; 11. q. 3, nolite 2; 41. dist., quisquis; 2. q. 7, praesumunt; 24. q. 3, Deus quando maledicit; Inst. vi bo. ra. § sed nedum. Arg. contra ff. qui et a quib. man. lib., si non voluntate; et ff. de pacti., si unus § illud. Item arg. quod uno prohibito prohibentur omnia, per quae pervenitur ad illud, arg. infra, de cleri. coniug., diversis; et ff. de condi. insti., quae sub conditione § si quis eo; et ff. de sponsal., oratio; arg. ff. de tutor. et curat., scire; et ff. de bon. libert., quaeritur; et supra, de procurat., tuae. Item arg. quod aliquod prohibito omnia prohibentur quae sequuntur ex illo, supra, de consti., nam concupiscentiam.

Confirmatio
Sic falsitas est immutatio veritatis, in Auth. de fid. instrum., circa princ., coll. 6.

Ex causa
Arg. quod potius consideranda est causa facti quam ipsum factum, 15. q. 6, si quandoque, in fi.; 23. q. 8, occidit; infra, de accusat., cum dilectus; et ff. de fur., verum. Vincen.

Modico vino
de conse. dist. 5, sint tibi. Arg. quod licet habere curam corporis moderatam ad exercitium virtutum, arg. 44. dist., multis; alias incipit 44. dist., convivia; de poen. dist. 2, corporis, arg. modicum.

Cessante causa
Propter quam excludendam, scilicet periurium introductum est ne iuretur. Si enim causa esset propter quam habendam aliquid fieret, licet cessaret causa illa, non ideo cessaret id quod factum est propter illam causam, 32. q. 7, tantum; et 32. q. 1, dixit Dominus. Vel cessante causa odiosa et contra ius, cessat et eius effectus. Dixit Vincen. verum est circa alias personas, sed circa eandem personam non cessat, nisi privilegium vel concessio tenderet ad noxam. Et tunc expone verba illa, verum est ab initio. Sed si ex post facto incipit odium, non cessat effectus, id est, prohibitio, arg. infra, de decim., suggestum; et 63. dist., quia sancta § verum; et ff. de vulg. et pup., ex facto. Et sic plana est glossa. Alias verum est, et ita non respondet expositioni. Dic verum est circa alias personas quae non habent privilegia, sed circa eandem personam quae habet privilegium, non cessat privilegium, id est, non perditur, nisi privilegium ipsum vel concessio tenderet ad noxam, ut dicunt tres praedictae concordantiae, arg. infra, de decim., suggestum; 63. dist. § verum. De hoc qualiter intelligatur, dictum est supra, de renunciat., post translationem; et 61. dist., statuimus § his auctoritatibus. Vel dic cessante causa, id est, cessante periurio cessat prohibitio. Et instante necessitate pro re vera licita et honesta, licite iuratur. Et hic est sensus huius litterae quantum ad hunc casum.

Cessat effectus
Distingue, aut est causa finalis aut impulsiva. Si finalis, tunc cessante causa cessat effectus, verbi gratia, prohibetur ne presbyteri gerant tutelas aliorum hac de causa, ut melius vacent divinis officiis. Et sic ista causa finalis est, unde cessante causa cessat effectus. Unde si non vacent divinis officiis, poterunt gerere tutelas, C. de episc. et cler., authen. generaliter. Sed causa impulsiva cessante non cessat effectus, verbi gratia propter Calfurniam fuit statutum ne mulieres essent advocatrices, quia Calfurnia posteriora dorsi sui ostendebat iudici. Unde Calfurnia fuit causa impulsiva ne mulieres advocarent. Unde ea mortua mulieres non advocabunt, hoc tamen habetur in ff. de postulan., hunc titulum.

Indulgemus
Id est, indultum esse ostendimus iam olim, 14. q. 2, super prudentia; et supra, de testib., tuis quaestionibus.

X 2.24.27 *Sicut nostris*

Incauta
Sic patet quod aliquis in mortali peccato existens si promotus fuerit, non removetur, supra, de temp. ord., ex parte; et 50. dist., quicumque. Et episcopus qui committit mortale peccatum non removetur, ut qui sine causa vult renunciare, supra, de renunciat., nisi. Et est contra illud 81. dist., quicumque; et 81. dist., prece; et 24. dist., si quis; et 50. dist., ex poenitentibus. Et sic huiusmodi temeraria iuramenta non repellunt a promotione nec a testimonio, supra, de testib., intimavit; et supra, de testib., constitutis 1; et supra, de testibus cog., venerabilis. Vel dic quod potius consulitur ecclesiae quam personae, supra, de ord. cognit., cum dilectus. Item in mortali peccato existens admittitur ad accusandum, 5. q. 1, quidam. Et hoc fuit ad declarandam innocentiam illius infamati per libellum occulte proiectum. Sed isti sic promoti non removentur, quia huiusmodi crimina deiiciunt ordinatos, 68. dist., sicut. Pro quibus imponitur solummodo poenitentia saltem unius anni, ut 22. q. 4, qui sacramento. Quae autem crimina inducant depositionem et quae non, notatum invenies supra, de temp. ord., ex tenore; et supra, de temp. ord., quaesitum; et 15. q. 8, in summa.

In damnum
Et sic patet quod vacante ecclesia canonici nihil possunt disponere de rebus episcopatus in ipsius praeiudicium, 12. q. 2, si qua de rebus; et infra, ne sede vac. nih. inn., per totum. Nec redditus episcopales possunt diminuere, infra, de rebus ecc. non alien., ut super, immo nec episcopus ipse, ut ibi dicitur. Unde quicquid factum fuerit in praeiudicium episcopatus, totum debet in statum pristinum revocari.

Reducas
Immo et ipse idem Tudertinus episcopus posset revocare, 12. q. 2, non liceat; et 35. q. 9, quod quis commisit. Et si consensit tamquam canonicus potest postea tamquam episcopus revocare, quia quasi ante aditam hereditatem consensit, arg. ff. quod legat., hoc interdictum § quod ait praetor. Nam quaedam facit aliquis tamquam alius, supra, de elect., quod sicut; et supra, de elect., cum inter canonicos; et ff. de adopt., si pater § qui duos; ff. de adopt., si consul.

X 2.24.28 *Cum contingat*

Sanctiones
Ut ff. de fund. dot., Iulianus, quae prohibet alienationem fundi dotalis, et C. ad Velleia., authen. sive a me.

Debent
Contra id quod hic dicit, signantur multa contraria, quia regula utriusque iuris dicit, quod contra leges fit, pro infecto habendum est, 10. dist., vides. Nec iuramentum valet contra hoc factum, supra, de for. compet., si diligenti; et C. de legi. et const., non dubium. Et ubi principale non tenet, nec accessorium, supra, de fide instrum., inter dilectos, cum suis concordantiis. Item cum talis contractus sit a iure damnatus, ff. de fund. dot., lex Iulia; et C. ad Velleia., authen. sive a me. Qualiter iuramentum praestet robur contractui, cum iuramentum non sit vinculum iniquitatis, 22. q. 4, inter caetera; et supra, de iureiur., quanto? Nec enim illud sufficit quod sine interitu salutis aeternae possit servari, quia illud fallit in temerariis iuramentis, supra, de iureiur., ex litteris. Et fallit quandoque licet non sit temerarium, supra, de iureiur., quemadmodum; et supra, de iureiur., Quintavallis. Item ubi quis iurat se soluturum pecuniam spe futurae numerationis, potest venire contra iuramentum, si ei non solvatur. Et tamen potest servari sine interitu animae, C. de non num. pecun., indubitati. Sed illud habet tacitam conditionem si pecunia fuerit ei numerata. Item si iurat illud quod sit turpe vel contrarium legi, iuramentum est nullius momenti, ff. de leg. 1, si quis inquilinos, in fi. Item ubi per iuramentum indicitur alicui perpetua viduitas, istud non tenetur servare, ff. de iure pat., adigere. Ad hoc dicas quod lex consideravit quid si utile corpori et honestum. Nam expedit mulieribus salvas habere dotes suas, ut inveniant aliquos quibus nubere possint, ff. solut. matrim., dotium causa. Sed canon considerat utilitatem animae. Vel dic quod tunc praeiudicat ei mulieri iuramentum quando aliunde potest consuli mulieri, ut dicitur in C. ad Velleia., authen. sive a me. Io. Ita solvit has contrarietates. Aliter potest dici quod sive mulier possit consulere aliunde sibi sive non, non potest venire contra iuramentum sponte praestitum et sine dolo vel metu. Et licet contractus talis non videatur obligatorius, quantum est de sui natura, tamen sine aliqua turpitudine potest servari iuramentum super eo praestitum. Unde hic consideramus potius accessorium quam principale propter periculum animae, ut hic dicitur, sicut alias obligatio non tenet, tamen iuramentum super hoc praestitum debet servari, supra, de iureiur., debitores. Praeterea prohibitio huiusmodi alienationis fundi dotalis non est perpetua, quia si secundo post biennium consentiat mulier, bene tenet in authentica praedicta C. ad Velleia., authen. sive a me. Unde multo fortius iuramentum potest confirmare quod prius non valebat, ut quasi pro consensu secundo habeatur. Et illa contraria superius inducta intelliguntur de illis quae perpetuam habent causam prohibitionis, et in sua natura turpia sunt, ut patet ex contrariis. Unde si iuramentum ibi interveniat, non tenet, cum non possit servari sine interitu animae. Simile huic habes infra, de pignor., significante. Ibi dicitur quod pactum legis commissoriae in pignoribus non tenet, quod est verum, C. de pac. pign., si fundi; et C. de pac. pign., quoniam. Et tamen si iuramentum interveniat super pacto tenet, nec auditur volens venire contra, ut colligitur in decretali praedicta infra, de pignor., significante, arg. a contrario sensu, et sic intelligas istam et illam.

Sine vi
Arg. quod iuramentum metu vel vi praestitum non est servandum. Quid iuris sit, dixi supra, de his quae vi met. caus. fi., abbas. Et de hoc dicitur 15. q. 6, auctoritatem; et supra, de iureiur., pervenit 1.

Praeiudicium
Scilicet creditorum vel filiorum. Arg. a contrario sensu supra, de iureiur., venientes. Ber.

X 2.24.29 *Sicut*

Iniuste
Et ideo saltem indirecte ratione peccati spectat hoc ad iudicium ecclesiae, supra, de iudic., novit.

Restituat
Quia iniustum erat bellum. Sed si iustum fuisset bellum statim res sic occupatae essent suae, 23. q. 5, dicat.

Non ligat
Quia non servanti fidem fides non est servanda. Simile supra, de iureiur., pervenit 2; et supra, de iureiur., quemadmodum. Quia illa conditio subintelligenda est in hoc iuramento, ut notatur in capitulo supra, de iureiur., quemadmodum. Arg. contra 33. q. 5, quod Deo. Sed illud non tangit hoc.

X 2.24.30 *Nimis de iure*

Temporale
Si temporalia possidentur a laicis, in his sunt minores illis, supra, de maior. et obed., solitae; et 18. dist., si episcopus. Ber.

Fidelitatis
Immo nec clericis hoc iuramentum praestandum est, infra, de simon., ex diligenti; et infra, de re iudic., duobus; et supra, de iureiur., nullus, nisi in casibus notatis ibi.

Servus suo
Ut 2. q. 1, multi, ad fi. Si servus stat suo domino, remunderandus est ab ipso. Si cadit, puniendus, quasi dicat: si steterit, remunerabitur. Si ceciderit, iudicabitur a domino suo. Et sic est arg. quod laici nullam habent iurisdictionem in clericos, nec etiam per consensum clericorum, supra, de for. compet., si diligenti; et supra, de for. compet., significasti, ubi de hoc.

X 2.24.31 *Petitio*

Extorsit
Iuramentum per dolum sive metum extortum, cum de hoc constiterit, non est servandum, supra, de iureiur., cum contingat, in fi. Et sic confessio ex metu, 15. q. 6, si quandoque; et 31. q. 2, Lotharius. Sic et consensus taliter extortus non valet, infra, de privileg., cum olim propter. Sed videtur quod iuramentum in eo quod non tangit negotia ecclesiae vel etiam propria sit servandum, licet sit extortum, cum possit servari sine interitu animae, supra, de iureiur., si vero; et supra, de iureiur., ad nostram 2; et supra, de iureiur., cum contingat; et 22. q. 4, si aliquid. Et ita per tale iuramentum tenentur, quod nullam conspirationem vel aliquod aliud, quod sit contra statum principis procurabunt. Et ad hoc alias de honestate tenerentur etiam sine iuramento, et ita servare tenentur iuramentum illud quantum ad hanc partem iuramenti, licet fuisset extortum. Et sic est arg. quod pro parte tenet iuramentum et pro parte non. Et simile supra, de maior. et obed., dilecti filii; et 22. q. 4, inter caetera. Sic et factum alicuius pro parte valet pro parte non, infra, de praeben., dilectus filius 1. Similem declarationem habes supra, de iureiur., quanto.

Declaramus
Declaratio iuramenti sive interpretatio cum de ipso dubitatur, pertinet ad Papam, supra, de iureiur., quanto. Sic infra, de eccl. aedif., tua; supra, de elect., venerabilem, ad finem. Sic et in omni sacramento intelligitur excepta auctoritas Papae, supra, de iureiur., venientes; et supra, de rescript., constitutus. Similiter et imperatoris, ff. ad municip., imperatores; et in constitutione de feudis § ulti. Et idem cum dubitatur utrum sit licitum, supra, de elect., venerabilem.

Specialibus
Et nota quod licet quis aperte teneatur alicui per sacramentum, tamen contra se non tenetur vel contra ecclesiam suam, vel etiam contra communitatem suam, ut hic patet aperte, arg. supra, de postuland., cum sacerdotis, in fi. Nam et in generali sermone persona loquens intelligitur excepta, ut hic, et ff. de senat., consulari § 1; et ff. locat. et conduct., qui insulam § ulti.; et C. de solut., inquisitio; C. de constit. pecun., authen. sed ita; et ff. de condi. et demon., qui heredi § Plautius. Et est arg. quod si promisi tibi dare turrem meam vel castrum contra omnem hominem, non tamen teneor dare contra me. Nam nemo tenetur alium plus diligere quam seipsum, quia ordinata caritas a seipso incipit, 23. q. 5, si non licet. Et primo debet facere sibi eleemosynam, deinde proximo, de poen. dist. 3, sane cavendum. Arg. contra ff. de pacti., cum in eo esset; et ff. si serv. vend., altius; et ff. de negot. gest., si pupillus § ulti.; in Auth. ut differ. iudic. audi. § si vero refutaverit, coll. 9; ff. de pignorib., Paulus § ulti.; et infra, de nat. ex lib. ven., indecens. Contraria ista specialia sunt. Ber.

X 2.24.32 *Ex litteris*

Veritate
Iuramentum istud de dicenda veritate praestatur solummodo in spiritualibus causis. Sic supra, de elect., dudum ecclesia. Iuramentum enim de calumnia in talibus non praestatur, supra, de iuram. calumn., litteras. Requiritur etiam a praelato ecclesiae de consuetudine, praecipue cum de facto suo agitur. Alias non videtur quod praelatus sit interrogandus. De hoc dixi supra, de elect., dudum ecclesia. Et per istud iuramentum respondetur

tantum de eo quod scit. Unde debet simpliciter respondere, scio vel nescio. Sed per iuramentum de calumnia respondetur de eo quod credit vel existimat, C. de iureiuran., cum et iudices. Hoc iuramentum de veritate dicenda praestat hodie praelatus in causa ecclesiae in animam suam, et capituli sui in spiritualibus causis, ut habetur in quadam decretali extra compilationem, qua incipit praesentium, supra, de testib., extravag. praesentium.

Ex fama

Et ita patet quod qualitercumque aliquid sit divulgatum per famam, seu quasi notorium, non sufficit ad probationem, 4. q. 3, si testes § item sit saepe. Sed cum aliis adminiculis sufficit, supra, de testib., praeterea. Tamen sola fama sufficit ad matrimonium impediendum, infra, de cons. et affin., super eo; et infra, de spons., cum in tua.

Amplius

Omne quod percipitur de rebus titulo pignoris obligatis, totum debet computari in sortem, et quod superest debet restitui, infra, de pignor., cum contra; et infra, de usur., plures; et infra, de usur., quoniam, deductis primo expensis, ut ibi dicitur, quia fructus tantum intelliguntur deductis expensis, C. de fruct. et lit. exp., hoc fructuum; et ff. solut. matrim., fructus, quia nullus casus potest intervenire qui hoc genus deductionis impediat, ff. fam. ercis., fundus. Quinimmo fructus percepti ipso iure pignus liberant, C. de distract. pign., fundum. Et quicquid percipitur ex pignore, computatur in sortem, C. de pigner. act., quod ex operis; et C. creditor qui praedium; et infra, de pignor., significante.

Occultata veritate

Haec est causa quare hoc iuramentum exigitur, ut scilicet veritas reveletur timore iuramenti. Sic ex eadem causa testes compelluntur, qui alias non compellerentur, 14. q. 2, quamquam; et supra, de testibus cog., venerabilis; supra, de testibus cog., per totum. Et quia mortale peccatum est occultare veritatem, 11. q. 3, quisquis; et infra, de crim. falsi, falsidicus. Et quia causa usurarum est quasi spiritualis cum sit ecclesiastica, iuramentum de veritate dicenda exigitur et non de calumnia. Nec colligitur hic quod iuramentum de calumnia hic praestitum fuisset, ut quidam dicunt. Si tamen de calumnia et veritate simul iuraretur, non crederem esse peccatum tam in civili quam in spirituali. Nec offenderetur ordo iuris, immo utile esset. Et si hic iuratum fuisset de calumnia, superfluum non esset iuramentum postea de veritate praestitum, quia ad diversa referuntur, quia aeque praeiudicat confessio de credulitate sicut de veritate. Dubitatio huius iuramenti fuit forte, quia non fuit praestitum debito tempore, scilicet statim post litis contestationem, sicut iuramentum de calumnia praestatur. Unde quaesitum fuit an postea debeat praestari, et sic patet quod tunc potest praestari iuramentum de veritate, sive de calumnia antequam sit in causa conclusum, nec est de substantia ordinis iudiciarii, quod statim lite contestata praestetur. Ber.

X 2.24.33 *Intellecto iamdudum*

Regni sui

Sic et episcopi iurant in sua consecratione, quod iura sui episcopatus non alienabunt, infra, de eccl. aedif., tua; et infra, de rebus ecc. non alien., ut super. Et quod de novo non

infeudabunt, infra, de feud., ex parte. Immo et si suspectus esset de dilapidatione, debet cautionem praestare, 28. dist., de Syracusanae. Sic ergo patet quod iuramentum istius regis in coronatione sua licitum et honestum fuit. Ergo secundum in contrarium praestitum fuit illicitum, supra, de iureiur., tua nos 1. Quia contra canonica statuta fuit praestitum, et ideo non servandum. Sic supra, de for. compet., si diligenti; et supra, de iureiur., ea te. Quia si unum contrariorum est bonum, reliquum est malum, 8. q. 1, sciendum; et 32. dist., hospitiolum. Quandoque tamen utrumque contrariorum bonum est, ut nubere et non nubere, 28. q. 1, sic enim neque, ultra unam columnam. Huiusmodi enim iuramenta quae fiunt in damnum suae dignitatis, non iuramenta sed periuria sive temeraria sunt censenda, supra, de iureiur., sicut nostris. Unde ille qui praestitit, sua auctoritate potest venire contra et revocare male alienata, ut ibi dictum est. Immo tenetur ad hoc ex iuramento prius praestito et ex officio sibi commisso, 35. q. 9, quod quis commisit. Et sic est arg. quod iuramentum factum per metum super rebus ecclesiae non repetendis non obligat, supra, de iureiur., pervenit 1.

Non servandum
Quia in malis promissis rescinde fidem, 22. q. 4, in malis; et 22. q. 4, per totam.

X 2.24.34 *Mulieri*

Absolutio
Quia actore non probante reus debet absolvi, infra, ut eccl. ben., ut nostrum; et supra, de caus. poss. et propr., cum ecclesia; et C. de edend., qui accusare; et infra, de iureiur., iuramentum § 1. Quid si mulier ista habuisset unum bonum testem, numquid deferretur ei iuramentum? Videtur quod sic, supra, de probat., sicut; et C. de reb. credit., in bonae; et infra, de iureiur., iuramentum. In tali casu non dico iuramentum deferendum quantumcumque honesta sit persona, quia hic agitur quasi de statu hominis, cum per hoc servitus constituatur in ipso. Nec causa dicitur modica, quia iuramentum defertur inspectis circumstantiis causae et personarum, infra, de iureiur., iuramentum.

Periurii
Sic supra, de iureiur., si vero; et C. si adv. vend., si minor. Nec debet ecclesia viam periuriis aperire, quae periuria vetat, C. de indict. vid., ambiguitates, in fi.; et supra, de iureiur., cum contingat. Ne inde iniuriarum nascatur occasio, unde iura nascuntur, infra, de accusat., qualiter et quando 1; et C. und. vi, meminerint. Et ecclesia non debet alicui laqueum iniicere, 27. q. 1, de viduis 2. Quod faceret si daret ei licentiam contrahendi contra id quod iuravit. Immo ecclesia debet ei suadere, ut contra proprium non veniat iuramentum, arg. praedicti capituli 27. q. 1, de viduis 2, ratione huius praesumptionis, quia de nemine praesumendum est, quod sit immemor suae salutis, 1. q. 7, sancimus. Sed non debet ei expresse prohibere propter aliam praesumptionem, quae posset esse in contrarium, quia potuit esse quod falsum iuravit, cum legitime possit contrahere si falsum fuit quod iuravit, quia periuri et criminosi et Iudaei qui sunt extra ecclesiam possunt contrahere matrimonium, 26. dist., deinde opponitur; et infra, de divort., gaudemus; et infra, de cons. et affin., de infidelibus. Et sic duae praesumptiones contrariae hic concurrunt, et neutra praeponderat alteri. Simile supra, de elect., cum inter R. Quandoque tamen una praesumptio elidit aliam, supra, de praesump., litteras; et ff. de in

int. rest., divus. Quid ergo faciet ecclesia? Taceat. Sic infra, de cognat. spir., super eo, in fi. Sicut spiritualis homo tacet, quia mentiri timet. Timet etiam ne ille qui ad mortem quaeritur, occidatur, 22. q. 2, ne quis arbitretur. Relinquatur ergo conscientiae suae. Ipsa enim scit an contrahere possit, si verum est quod iuravit nullum potest contrahere matrimonium quo ad Deum. Sed si falsum est, bene potest contrahere, ut est probatum. Laur. dicebat in hac quaestione quod bene poterat contrahere et dari licentia contrahendi. Et hoc tali argumento, nam qui vendicat rem, dicit per consequentiam alium possidere, supra, de iudic., examinata. Tamen potest redire ad interdictum uti possidetis, ff. de acq. poss., naturaliter § nihil. Sed errabat. Qui enim rem vendicat, hoc facit ratione dominii, quod habet vel credit se habere. Sic et mulier quae petit aliquem, hoc facit ratione servitutis, quam in eo acquisivit per consensum mutuum de praesenti. Et hoc notavit Laur. de clandestino matrimonio in antiqua compilatione capitulo primo.

X 2.24.35 *Clericus qui iuravit*

Quod promisit

Iste clericus iuravit se servaturum statuta tunc edita in ecclesia sua, et post praestitum iuramentum promisit per idem iuramentum servare statuta, quae postea statuerentur. Ex hoc patet quod iuramentum non extenditur nisi ad ea tantum de quibus est cogitatum, ut dictum fuit, et non ad ea quae postea accidunt, arg. supra, de iureiur., quemadmodum; et supra, de iureiur., ad nostram 2. Sic et transactio ad ea tantum de quibus actum est, et pactum extenditur, ff. de transaction., cum Aquiliana; et ff. de transaction., qui cum tutoribus; et ff. de pacti., tres fratres; et C. de transaction., si de certa; et supra, de testib., de testibus. Sed licet ex debito illius iuramenti non teneatur servare statuta postmodum edita, tenetur tamen servare illa ex sua promissione, quia inter simplicem loquelam et iuramentum non facit Deus differentiam, 22. q. 5, iuramenti. Nec refert quantum ad observationem an per iuramentum, an per solam fidem promissam sit adstrictus. Et aeque etiam puniretur si non servaret promissum, infra, de fideiuss., pervenit; et supra, de his quae vi met. caus. fi., ad aures. Credo tamen quod maior poenitentia imponetur ei qui venit contra iuramentum, quam ei qui venit contra fidem tantum sine iuramento, quia magis contemnere videtur.

X 2.24.36 *Iuramentum*

A te

Loquitur iudici. Nota quod iuramentum aliud est voluntarium, aliud necessarium aliud iudicale. Voluntarium est, quod pars defert parti extra iudicium. Et dicitur voluntarium quod voluntarie defertur, et voluntarie suscipitur nec refertur, id est, is cui refertur, non potest cogi subire iuramentum. Sic ergo exponitur in sequenti concordantia, ff. de iureiuran., iusiurandum quod. Sed de hoc non dicitur hic. Necessarium dicitur quod defertur a iudice in defectum probationis, nec potest referri nec recusari nisi iusta de causa, ut hic in prima linea, et C. de iureiuran., generaliter § sin autem. Et potest appellari nisi recusatio admittatur, ut ibi dicitur. De hoc habes supra, de procurat., ex insinuatione; et supra, de probat., sicut; et C. de iureiuran., in bonae fidei. Iudicale dicitur a iudicio quod pars defert parti in iudicio, quod non est necessarium subire vel referre, ut hic, vers. quamvis quod, et lege praedicta C. de iureiuran., generaliter § sin autem. Sed si

reus retulerit iuramentum actori, necesse habet iurare. Alias praetor denegabit ei actionem, ff. de iureiuran., iusiurandum § ait praetor. Immo procedetur quasi iurasset reus, C. de iureiuran., generaliter § omne. Olim non poterat recusari, ff. de iureiuran., manifeste; et C. de iureiuran., delata. Sed illud potest intelligi cum iam susceptum est iuramentum, vel hoc novum ius, illud vero vetus. Et nota quod post iuramentum a iudice delatum parti, et praestitum a parte parti, potest recedi ab eo propter novas probationes, sed post iuramentum delatum a parte parti, et praestitum ab eo non potest recedi, ff. de iureiuran., admonendi. Item procurator, nisi sit universorum bonorum vel nisi specialiter mandatum sit, iusiurandum deferre non potest, ff. de iureiuran., iusiurandum § procurator.

Nisi iusta de causa
Puta quia dubitabat quod hoc iuramentum est de veritate, ff. de iureiuran., iusiurandum; et ff. de iureiuran., ad personas, 1. resp.; ff. de act. rerum amot., Marcellus § ulti. Et sic praeter iuramentum de calumnia iuratur de veritate ab altera parte in isto casu. Simile supra, de testib., ultra. Ber.

Famosa actione
Ut in actione furti et aliis famosis actionibus. Et actione rerum amotarum non refertur iuramentum, ut ff. de act. rerum amot., Marcellus § ulti., et legibus sequentibus. Et idem est ubicumque lex defert iusiurandum, C. de fideicomm., quaestionem; et C. de iure delib., scimus § licentia; et C. de iure dom. imp., vetustissimam; et C. de his qui ad eccl. confug., praesenti § sicubi; et C. de bon. auct. iud. poss., cum apud § ulti. Nisi eadem lege permittatur referendi potestas. Item et illud scias, quod qui iusiurandum defert, primo iurabit quod per calumniam non defert, ut in lege praedicta ff. de act. rerum amot., Marcellus; et C. de fideicomm., quaestionem; et ff. de iureiuran., iusiurandum § qui iusiurandum.

In probatione
Nota quod si actor omnino nihil probat, nec habet praesumptionem. Reus etsi nihil praestiterit, absolvitur. Sic supra, de caus. poss. et propr., cum ecclesia; et infra, ut eccl. ben., ut nostrum; et supra, de iureiur., mulieri; et C. de edend., qui accusare. Si vero actor habet praesumptionem pro se et contra reum, tunc contra talem praesumptionem defertur a iudice reo iuramentum ad purgandum innocentiam suam, ut hic dicit expresse, et C. de his qui ad eccl. confug., praesenti § sicubi; et C. de iureiuran., in bonae fidei. Quae intelligitur secundum istum § ut quandoque deferatur reo, quandoque actori, quia non distinguitur ibi. Et actori quandoque defertur iuramentum in defectum probationis, puta cum habet unam bonam praesumptionem sive unum bonum et honestum testem. Tunc habito respectu ad quantitatem causae et qualitatem personae, ut non sit praesumptio quod pro tanto debeat deierare, defertur iuramentum ipsi actori. Ad hoc praestat optimum arg. ff. de legit. tutor., legitimos; et supra, de renunciat., super hoc, in fi.; et supra, de procurat., ex insinuatione. Et sic intelligitur supra, de probat., sicut.

Pro illo
Scilicet pro actore. Ber.

X 2.25 DE EXCEPTIONIBUS

X 2.25.01 *Denique*

Obiiciuntur
Hanc decretalem intellige secundum tenorem illius decretalis supra, de testib., testimonium. Et secundum tenorem illius decretalis supra, de testib., praesentium.

Accusati
Si enim accusati et confessi vel convicti fuissent, indistincte repellerentur, etiam sine alia probatione si hoc constaret, ut supra, de testib., testimonium; et supra, de testib., super eo 1. Item arg. contra 4. q. 3, si testes § item lege Iulia. Solutio: aliud secundum leges, ubi non repellitur ab obiectu criminis nisi condemnatus fuisset et infamis effectus. Secundum canones sufficit si probetur criminosus.

Exhibenda
Statim vel infra terminum competentem a iudice statuendum, supra, de probat., licet; et supra, de offi. deleg., prudentiam § sexta, arg. Servata distinctione illius authentici C. de testi., authen. si dicatur. Ber.

Per sententiam
Quidam dicunt, ut Tanc., quod hoc est verum de illa exceptione quae obiicitur in personam testis, quae ante sententiam debet probari. Illa vero quae in dicta testium opponitur, scilicet cum testis arguitur de falso, vel actor usus fuerit falsis testibus vel instrumentis, usque ad vigesimum annum potest opponi, C. ad leg. Corn. de fals., querelam; et infra, de except., cum venerabilis. Sed in causa matrimoniali in infinitum posset agi de falso, quia sententia lata contra matrimonium non transit in rem iudicatam per tractum temporis, infra, de re iudic., lator; et infra, de re iudic., consanguinei; infra, de eo qui dux. in matr. quam pol. per adult., cum haberet; et 35. q. 9, loci nostri § his ita respondetur. Sed si de falso ante sententiam fuerit obiectum et non probatum, post sententiam opponi non potest nisi appellatum fuerit, C. de fid. instrum., cum quidam. Et idem videtur dicendum ut alii dicunt de hac exceptione, quae opponitur in personas testium, scilicet quod in causa appellationis iterum posset opponi. Nam in causa appellationis potest opponi exceptio peremptoria, quae debuit proponi ante sententiam, C. sent. rescind. non pos., peremptorias. Sed haec est exceptio peremptoria, saltem per obliquum sive indirecte, quia probato quod testes sint periuri vel alias criminosi non debent admitti, alias videretur quod haec exceptio esset dilatoria, quod non est verum. Et praeterea potuit esse quod ista ignorabat in priori iudicio, et post appellationem didicit quod modo obiicit. Unde saltem cum iuramento, si hoc ante aperturam non fuit protestatus, debet admitti, supra, de testib., praesentium. Quod hic dicitur antequam causa per sententiam terminetur, supple: nisi fuerit appellatum. Alias verum est quod hic dicitur, quod citra appellationem non audiretur.

Cum sicut
Supple: quae scilicet crimina obiecta, si probata fuerint, testes repelluntur, et subdit causam cum, id est, quia testes absque ulla etc., sicut canonica etc. Et sic lege hanc litteram.

Absque ulla
2. q. 7, testes; et 2. q. 4, praesul. Et illa sunt canonica instituta de quibus hic loquitur.

Convicti vel confessi
Unde repelluntur si haec ostendantur sine aliqua probatione, supra, de testib., testimonium. Idem erit etsi modo convincantur, ut in praedicto capitulo supra, de testib., testimonium. Et intellige istum § secundum tenorem istius capituli supra, de testib., testimonium, ut ibi dixi, ut scilicet si in crimine perseverant, repellantur et in civili et in criminali. Si sunt emendati, admittantur in civili et criminali cum civliter agitur, dummodo ipsos non comitetur infamia. Et hoc est quod sequitur in fine § nisi prius etc. In criminali vero nullo modo, quantumcumque egerint poenitentiam, ut ibi.

Stephanus
3. q. 11, neganda est accusatis licentia; 3. q. 11, neganda est accusatis qui; et 3. q. 11, non est.

Innocentes
Si fuerint convicti per testes, non videtur quod possint probare se non esse tales, quia talis negativa non admittitur contra testes, supra, de probat., ad nostram. Et si fuerint confessi, non possunt probare contrarium. Quod enim quisquis sua voce dilucide protestatus est, in eundem casum proprio testimonio infirmare non potest, supra, de probat., per tuas; et C. de non num. pecun., generaliter. Quia confessioni primae standum est, supra, de praesump., litteras. Et expone innocentes, scilicet per poenitentiam, supra, de testib., testimonium. Littera ista, nisi prius se probaverint innocentes, sic debet intelligi, id est, nisi probaverint se emendatos de crimine et egisse poenitentiam. Et hoc si fuerit innocentes reputantur, et ita demum admittuntur, ut dictum est in notula proxima. Unde non obstante eo quod confessi vel convicti fuerint. Et hoc probare possunt per sacerdotem suum, 50. dist., in capite; et 2. q. 1, si peccaverit, in fi.; et infra, de simon., nemo.

Caeterum
Responsio tacitae quaestionis, posset aliquis quaerere an testes quibus crimina probantur in modum exceptionis sint propter hoc puniendi. Respondetur quod non.

Sive confessi
Ex eo quod dicit confessi, est optimum argumentum quod testes tenentur respondere an sint criminosi, quia si tenentur confiteri cum opponitur exceptio contra eos, ut innuit haec littera, multo fortius quando examinantur. De hoc dixi supra, de testib., cum causam quae. Et quod dicit confessi, et hoc intellige quando examinabantur, et interrogati fuerunt a iudice super crimine. Et ipsi sunt confessi, licet respondere non tenerentur. Et ideo non creditur eis cum iaceant in crimine. Vel dic quod debent interrogari quando crimina in

modum exceptionis testibus opponuntur, ut dictum est, cum in littera ipsa hoc dicat. Sed illud numquam vidi fieri. Et est argumentum quod si iudex recusetur coram arbitris, potest ab eo quaeri, et debet inde dicere veritatem, et hoc vidi fieri saepe.

Poena
Ut supra, de ord. cognit., cum dilectus, ubi de hoc; ff. de his qui not. infam., Lucius.

Contingere
Si enim crimen quod obiicitur testi contingit causam de qua agitur, non solum repellitur sed etiam punitur. Sicut cum vir accusat uxorem de adulterio, et ipsa excipit de lenocinio, quod ipse tradidit eam adulterandam, ff. de adulter., ex lege § si publico. Sic et testis qui in testificando vacillaverit, sive falsum dixerit, punitur, C. de testi., nullum; et 4. q. 3, si testes § item qui falso. Simile supra, de confess., cum super; et supra, de elect., super eo; et supra, de elect., per inquisitionem, arg. Alias puniri non debet, quia non agitur de hoc, ut hic dicit, sed in eo in quo agitur, scilicet quia repellitur a testimonio.

X 2.25.02 *A nobis*

Accusatione
Dubitatio fuit in hoc, cum enim prius communicaverit ei, non videbatur postea ei obiicere posse excommunicationem, cum approbaverit mores illius, infra, de accusat., nulli; supra, de iureiur., quemadmodum; et ff. de adulter., si uxor, in fi.; et ff. de negot. gest., Pomponius 1; 8. q. 2, dilectissimi; 32. q. 5, horrendus; et 4. q. 3, si testes § item si quis testibus; et infra, de his quae fi. a maior. par. cap., ex ore. Item non debet alii obiicere quod ipse noluit servare, infra, de praeben., pro illorum; et infra, de except., cum ecclesiasticae; et infra, de appell., an sit; et supra, de elect., bonae 1. Sed his omnibus potest responderi cum Augustino: nonnullos sustinemus, quos inviti toleramus, 24. q. 1, quisquis. Praeterea alia est solutio. Praedicta locum habent in accusationibus, ut infra, de sent. excom., in praesentia. Ut si aliquis participaverit excommunicato, non potest ei postea opponere excommunicationem vel ipsum denunciare, cum ipsum non duxerit evitandum. Sic loquitur illa decretalis infra, de sent. excom., in praesentia. Secus in exceptionibus, ut hic, quia licet reus sit excommunicatus minori excommunicatione sive etiam maiori, potest excipere contra actorem, cum quaelibet legitima defensio sit ei reservata, ut infra, de except., cum inter; et infra, de except., dilecti filii. Contra innuitur hic ubi dicit: secundus vero etc. Quod si accusatus esset maiori excommunicatione notatus, non posset suum accusatorem repellere a sua accusatione. Quod non est verum, ut dicunt iura proxime dicta et alia plura, ut patet infra, de except., dilectae; et infra, de except., significaverunt. Quia nec infamis infamem nec criminosus criminosum potest accusare, 32. q. 6, nihil iniquus; et 3. q. 7, iudicet; et infra, de adult., intelleximus; et infra, de adult., tua; et C. de adulter., quoniam Alexandrum. Unde supple ibi maxime. Secundus vero a sacramentorum communione maxime, quia idem esset si esset remotus a communione fidelium, licet Gratian. esset in contraria opinione per id quod legitur 2. q. 7, alieni, quod patet in hoc § qui est contra. Sed illud est speciale. Fallit tamen ubi prosequitur quis iniuriam suam, 4. q. 7, omnibus. Item fallit in episcopo, ut infra, de accusat., nulli. Et illud fuit statutum in odium episcoporum, quia non debent habere pravos homines et viles in familia sua, 2. q. 7, cum pastoris.

A sacramentorum
Infra, de sent. excom., significavit, contra. Sed illud videtur esse speciale in excommunicatis a Papa, vel potest habere locum quando communicat ei pro quo excommunicatus est, infra, de sent. excom., nuper; et infra, de sent. excom., si concubinae. Vel ibi fuit excommunicatus cum omnibus fautoribus suis, 11. q. 3, excellentissimus.

X 2.25.03 *Cum ecclesiasticae*

Opponere
Vincen. dixit in hoc loco quod nomine collegii vel ecclesiae poterant opponere hanc exceptionem, et illi qui non habebant plura beneficia nomine suo et ecclesiae. Sed hoc non profuit, quia Papa Celestinus scienter contulerat illi Ia. beneficium, et ideo non poterant opponere. Arg. supra, de offi. deleg., pastoralis § praeterea; et infra, de relig. dom., constitutus. Et dic quod bene admitteretur exceptio nisi iam fuisset missus in possessionem, et confirmatus prout hic fuit, ut patet in antiqua, et hoc ubi dicit: pacifica possessione gaudere. Tanc. et Io. dicebant quod nomine ecclesiae non poterant illam opponere, quod enim in suis personis aequum putabant, in aliis non poterant reprobare, supra, de consti., cum omnes; 19. dist., si Romanorum; 32. q. 6, nihil iniquius; 4. q. 3, si quis testibus; ff. de regul. iur., cum par; et infra, de adult., intelleximus; et infra, de adult., tua. Sed videtur quod nomine ecclesiae poterant obiicere, quia delictum personae etc., 16. q. 6, si episcopum; et infra, de except., cum venerabilis. Sed non debent propter hoc admitti, quia sic alia via consequerentur id quod volebant, quod esse non debet, supra, de procurat., tuae. Et quia non expedit ecclesiae hanc exceptionem opponi, immo expedit ecclesiae plures habere divites clericos, ut eam possint melius defendere, et imperium et fiscus abundabit utens subiectis locupletibus, in Auth. ut iudic. sine quoq. suffr. § 1, coll. 2. Sed pone quod aliqui sint qui non habent plura beneficia, numquid possunt opponere? Dicunt praedicti Tanc. et Io. quod non sunt admittendi, quia sic alii essent consecuti per istos quod per se non poterant, quod esse non debet, ff. de bon. libert., quaerit; arg. 46. dist., sicut non suo; ff. de admin. rer., non utique, in princ. Item isti non habentes plura beneficia qui obiiciunt hanc exceptionem, aut elegerunt alios aut electi sunt ab illis. Si alios elegerunt, tali exceptioni renunciasse videntur, ut supra, de consti., cum accessissent; et infra, de praeben., pro illorum. Si vero electi sunt a talibus, non possunt hoc obiicere, cum habeant causam ab illis qui hoc opponere non possunt, arg. 16. q. 3, si sacerdotes, in fi.; et ff. de iure dot., cum in fundo. Et indignum est ut illi admittantur ad repulsionem illorum quorum repellerentur auctores, supra, de testib., licet ex quadam. Et ex hoc sequitur, quod si aliquis non facit mentionem in rescripto de beneficio suo, quod capitulum non potest ei obiicere de falsitate rescripti, cum eis non competat talis exceptio, et tamen rescriptum non valet, sed tamen valet quantum ad hoc, infra, de praeben., pro illorum. Plerumque enim datur actio ei qui non potest agere, ideo quia reo non competit exceptio, ff. si serv. vend., loci § penulti.; et supra, de his quae vi met. caus. fi., ad audientiam; et supra, de iureiur., debitores. Mihi videtur quod Vincen. melius dixit, non obstantibus rationibus assignatis. Et ideo illi saltem qui non habent alia beneficia, bene possunt hanc exceptionem opponere et defendere ecclesiam, infra, de concess. praeben., ex parte; et infra, de except., dilecti filii. Immo unus solus potest se

opponere, ut 12. q. 2, non liceat. Quia utilitas ecclesiae in hoc procuratur, et ideo audiendus est, infra, de his quae fi. a maior. par. cap., cum in cunctis; et 31. dist., Nicaena. Quin isti qui se opponunt procurent utilitatem ecclesiae non dubitatur, quia si isti qui plura beneficia habeat reciperetur, laederetur ecclesia, cum non possit continuam residentiam facere. Ad quam de iure communi tenetur, et ita non posset ecclesiae deservire. Favore enim ecclesiae et propter utilitatem ipsius ecclesiae statutum fuit ut clerici debeant in ecclesia residere. Nec ob quod dicitur quod isti receperunt alios habentes plura beneficia, ergo non possunt amplius hanc exceptionem opponere. Hoc non est verum. Si enim semel male fecerunt, non sequitur quod postea idem facere debeant. Et licet renunciaverint exceptioni suae contra unum, non renunciant contra alios. Et quae res inter alios acta non prodest aliis nec nocet, infra, de re iudic., quamvis, cum suis concordantiis. Arg. ad hoc infra, de privileg., si de terra; et infra, de privileg., accedentibus

X 2.25.04 *Pastoralis*

Dilatoriae
Secus de peremptoriis et de exemptione excommunicationis, quam possunt proponi quandocumque de his dicitur infra, de except., exceptionem.

Ex tunc
Id est, post terminum statutum a iudice et finitum.

Protestatae
Supra, de testib., praesentium. Et intellige protestatae nominando expresse exceptiones quae scribi deberent, supra, de probat., quoniam, ut si velit proponere exceptionem recusationis, illam primo debet proponere et super illa tantum procedere. De aliis potest protestari sic, salvis aliis dilatoriis quae tales sunt, et debet nominari probandis suo loco et tempore postquam cognitum fuerit de suspicione. De hoc dixi supra, de probat., quoniam. Nec sufficit dicere in genere, salvis aliis exceptionibus, quia per hoc nulla videretur provisio huius decretalis infra, de confirm. util. vel inutil., bonae; arg. supra, de dolo et contu., ex litteris.

Audiantur
Sic enim dicit lex, quod si aliquis proposuit unam exceptionem et succubuit, si vult aliam postea proponere, hoc faciat infra terminum constitutum, Inst. de excusat. § quod autem. Et hoc verum est quod simul possunt proponi cum alicui competunt plures exceptiones, quae non sunt contrariae. Sed in contrariis secus, unde si primo proposuit unam et succubuit, volens postea ire ad aliam, bene admittitur, C. de inoffic. testam., contra maiores; et infra, de praescrip., auditis. Et ita patet quod hic perditur exceptio si non proponatur infra terminum constitutum, sed actio non perditur. Simile in accusatore, quia si non prosequitur accusationem suam infra terminum, postea non auditur, infra, de accusat., veniens; et C. qui accus. non poss., qui crimen; et 4. q. 5, quisquis. De hoc dictum est supra, de probat., licet. Immo punitur in libra auri qui exceptionem dilatoriam post litis ingressum proponit, C. de exception., si quis.

De novo
Scilicet post terminum statutum idem esset, si etiam post litem contestatam extorta sit, supra, de offi. deleg., insinuante. Quia quae de novo emergunt, auxilio indigent, ff. de interrog. act., de aetate § ex causa. Et nova res novum consilium et remedium exigit, ff. de ven. inspic., temporibus, in princ. Et si nova causa allegetur, puta quia fideiussor mortuus sit, iterum aequum erit praestare cautionem, ff. ut in poss. legat., plane. Et novis morbis nova convenit antidota praeparari, supra, de iuram. calumn., caeterum; 50. dist., ut constitueretur.

Postmodum
Scilicet post terminum constitutum, infra quem omnes dilatoriae proponantur. Sic supra, de testib., praesentium. Et ita iuramentum est hic, et ibi legitima probatio. Sed quid si post litem contestatam vellet iurare, quod post ipsam contestationem ad notitiam ipsius pervenit, quae tamen non est exorta de novo sed erat ab initio, puta consanguineus erat iudex impetrantis vel impetrans vassalus iudicis vel aliqua alia consimilis, sed hoc reus ignorabat, numquid debet audiri? Dicunt quidam quod sic. Mihi videtur quod amplius non audiatur, quia ab initio debet inquirere de huiusmodi dilatoriis, quia vigilantibus et non negligentibus iura subveniunt, ff. ex quib. cau. maio., non enim; ff. de edend., veluti. Et facilitati et negligentiae suae imputet. Neque enim oportet per singula momenta onerari actorem, ff. ut in poss. legat., si is a quo § ulti. Sic enim non esset litium finis. Et hoc quod dicit hic locum habet in exceptionibus facti et non iuris, quia nemini licet ius ignorare, ff. de iuris et fact. ignor., regula.

X 2.25.05 *Cum inter priorem*

Legitima defensio
Hic manifeste patet quod excommunicatus potest excipere et defendere se in iudicio, ut infra, de except., dilecti filii; et infra, de except., dilectae; et infra, de except., significaverunt. Et potest appellare et appellationem prosequi, infra, de except., venerabilem. Et eadem defensio competit excommunicato, quae competit non excommunicato, sicut eadem defensio competit servo quae libero, ff. de accusation., servos. Et libertus qui alias patronum accusare non potest, in ipsum patronum retorquere potest accusationem, si a patrono accusetur, ff. de bon. libert., qui cum maior § si libertus. Quia ignoscendum est illi qui provocatus voluit se ulcisci, ut ibi. Et sic potest excipere de pacto de non petendo et exceptionem probare, non obstante quod lex dicit quod reus in exceptione fiat actor, ff. de probation., in exceptionibus. Quia quicquid facit, ad sui defensionem facit. Item qualiter praestabit sacramentum calumniae, cum sibi non liceat ingredi sacra, multo minus et tangere, 5. dist., ad eius vero; et 44. dist., nulli clerico? Et quibus caetera sacramenta negantur, quomodo unum genus sacramenti putatur posse concedi, 95. dist., illud? In illo casu concessum est a iure in odium potius excommunicati, quod omnia possit facere quae ad causam pertinent, et sic iurabit, et omnes participantes sibi occasione litis non incidunt in canonem, cum talis communio sit potius ad damnum suum quam ad commodum. Sed quid si excommunicatus convenitur super eo pro quo fuit excommunicatus iniuste, numquid poterit excipere quod non tenetur respondere nisi restituatur ei communio hominum, qua fuit iniuste privatus? Dicit Io. quod sic, nec tenetur ante respondere, dummodo ostendat quod iniuste fuit

excommunicatus, 3. q. 2, quanto; et 2. q. 5, super causa, in fi. Quia omnia iura sunt restituenda corporalia et incorporalia, 2. q. 2, nullus potest; et 3. q. 2, si episcopus. Et sic nota quod qui remotus est a quolibet actu legitimo, tamen excipere potest.

Suspecto
Ut 3. q. 5, quod suspecti; C. de iud., apertissimi.

Conscientia
Arg. quod sentenia lata a iudice suspecto possit retractari, si detecta fuerit suspicio, quia litterae sic obtentae nullam videntur conferre iurisdictionem. De hoc dictum est supra, de rescript., ad audientiam 2. Et nota quod omne rescriptum habetur suspectum quod de conscientia Papae non emanavit, supra, de rescript., cum dilecta; et infra, de confirm. util. vel inutil., porrecta.

Claudicare
Nota aequalitatem servari in iudiciis, supra, de iudic., novit; et 4. q. 4, nullus introducatur; et 3. q. 9, necesse. Nec debet actori licere quod reo non licet, ff. de regul. iur., non debet 2.

Remedium
Quia sicut potest excipere, ut dictum est, sic potest appellare, ut 3. q. 9, re vera; et infra, de except., venerabilem.

Legitima
Arg. quod qua ratione unum alicui conceditur, et omnia quae sunt eiusdem censurae sunt concedenda, arg. 4. dist., denique, in fi.; et 5. dist., ad eius vero.

Reconventione
Sic ergo patet quod licet possit excipere et appellare, non potest tamen reconvenire. Ratio redditur in littera sequenti. Quandoque tamen admittitur reconventio ubi non admittitur conventio, 3. q. 8, cuius in agendo; et ff. de iud., consensisse § sed si agant. Sed numquid potest excommunicatus compensare? Dico quod non, quia qui compensat, quodammodo agit. Sed si ageret, repelleretur per exceptionem, ergo non potest compensare, ff. de compensat., quaecumque. Immo etsi vellet compensare, et ab adversario admitteretur, iudex ex officio suo ipsum debet repellere, infra, de except., exceptionem, in fi. Quia quod una via prohiberetur, alia consequeretur, quod esse non debet, supra, de procurat., tuae. Ber.

Extendatur
Simile infra, de eccl. aedif., cum dicat, in fi., 1. resp.

X 2.25.06 *Cum venerabilis*

Ex permutationis
Similem casum habes supra, de transact., praeterea quarto.

Responsionem
Factam per procuratorem monasterii, scilicet ubi dixit: praepropere sic respondit. Sed in hoc non bene allegabat episcopus pro se, quia huiusmodi repentina litis contestatio non praeiudicabat monasterio, in Auth. de exhib. et intro. § illud, coll. 5; arg. 32. q. 1, apud; et 5. q. 5, qui ambulat § sed aliud, ibi: qui autem inconsiderate loquitur, sentiet mala; 50. dist., ponderet. Et merito, quia litis contestatio directe debet fieri per interrogationem et responsionem directam affirmando vel negando simpliciter, supra, de litis contest., olim; et supra, de elect., dudum ecclesia. Sed hic procurator sub forma exceptionis sub conditione respondet, ut patet ex ipsa responsione et per id quod postea sequitur in littera, ubi dicit: vel per procuratoris responsionem.

Bonae fidei
Quae sint actiones bonae fidei habetur Inst. de action. § actionum. Et conumerantur ibi septendecim, scilicet actio ex vendito, empto, locato et conducto, negotiorum gestorum, mandati, depositi, pro socio, tutelae, commodati, pignoratitia, familiae erciscundae, communi dividundo, praescriptis verbis, quae de aestimato proponitur, ut si rem meam do tibi, et aestimo ut eam vendas pro decem aut decem reddas mihi aut rem, ff. de aestim., actio. Et permutatio de qua fit hic mentio, et hereditatis petitio. Aliae vero dicuntur actiones stricti iuris, ut actio ex mutuo, arbitrium, et consimilia. Nec dicuntur bonae fidei, quia in eis tantum servari debeat bona fides, quia in contractibus stricti iuris servari debet bona fides. Et in quocumque contractu bona fides intervenire debet, C. de act. et oblig., bonam. Ideo dicuntur stricti iuris, quia non venit in eis nisi quod stricte exigit actionis natura. Unde non veniunt usurae ex mora in contractibus stricti iuris, nisi specialiter sint promissae, ff. de negot. gest., quia tantumdem; et C. de usuri., quamvis usurae. Sed in contracitibus bonae fidei veniunt usurae ex tempore morae, ff. de act. emp. et vend., Iulianus § ex vendito; et ff. de usuri., mora § in bonae fidei. Nota in actionibus stricti iuris non venit interesse, si rem dari mihi est in obligatione. Secus in rem tradi vel factum, ff. de ver. oblig., ubi autem § ulti.; et ff. de ver. oblig., si fundum; et ff. de re iud., si quis ab alio § ulti. Sed omnia ista accessoria veniunt in bonae fidei iudiciis, ff. de act. emp. et vend., si res vendita, in princ. Sed non veniunt in contractibus stricti iuris. Item in bonae fidei actionibus quandoque veniunt ea de quibus nihil est cogitatum, ut ruta caesa et similia, ff. de act. emp. et vend., fundi § si ruta; et supra, de caus. poss. et propr., cum ecclesia, et ibi quaedam de his tanguntur. In actionibus bonae fidei multum exuberat officium iudicis, et pinguius quam in actionibus stricti iuris, et istis rationibus dicuntur bonae fidei et aliae dicuntur stricti iuris.

Loco domini
Hoc ideo dicit, quia qui dat alienam rem, non contrahit permutationem, ff. de rer. perm., sicut, in fi.

Confessus
Haec regula sumpta est ff. de exception., non utique. Sed nonne ex eo quod confessus fuit permutationem factam, per consequens est confessus quod sit factum de meo tuum, quia illud dicitur permutatio, ff. de rer. perm., sicut, in fi. Et qui confitetur unum, per consequens confitetur id quod sequitur ex illo, 8. dist., quo iure; et supra, de offi. deleg., cum super; et supra, de dolo et contu., cum dilecti. Praeterea tacita confessio habetur pro

contestatione, supra, de dolo et contu., prout. Item interrogando fit confessio sive negatio, 22. q. 2, quod ait; et 32. q. 7, quid in omnibus; et infra, de homic., cum iuramento; ff. de ver. oblig., stipulatio non potest § si quis ita. Ad hoc dicas quod excipiendo de permutatione non confitetur de intentione adversarii, ut hic dicit, quia potest esse quod de facto fuit permutatio et non de iure. Similiter in exceptione pacti de non petendo debitum, quia per hoc non confitetur debitum, quia potest esse quod non de iure debuit. Qui excipit debet ita dicere: frater non confiteor hoc quod dicis, sed si fecissem, pactum factum est mihi de non petendo. Et sic iste etiam respondet dicendo, et si dudum fuerit etc., quia sic non asseruit simpliciter sed sub conditione, et ideo non praeiudicavit talis confessio ipsi monasterio, quia non fuit confessio sed exceptio. Vel si pertinuit ad ecclesiam Sabinensem, permutatio intercessit. Item si quis dicat se perscripsisse, et adversarius dicat: ego interrupi praescriptionem tuam, nonne per hanc exceptionem dicendo: ego interrupi praescriptionem tuam, confitetur de intentione adversarii? Quare ergo postea auditur probatio praescriptionis post talem exceptionem, per quam confitetur de intentione adversarii, ut supra, de testib., ex tenore; infra, de praescrip., illud? Sed dicas quod non fatetur de praescriptione qui excipit de interruptione, nec confitetur de intentione adversarii. Et ideo debet probare praescriptionem qui eam opponit, supra, de probat., ex litteris; et infra, de praescrip., illud. Et sic debet dicere: non credo te praescripsisse, sed si hoc verum est, dico quod interrupi praescriptionem tuam, quam interruptionem probare debet, ut dicit decretalis infra, de praescrip., illud. Idem est dicendum cum aliquis petitur in virum, dicat: non confiteor me esse virum tuum, sed si esset, consanguinitas est inter me et te, ut supra, de testib., ex tenore. Nam sic respondendo non confitetur de intentione adversarii, nec onerat se aliqua probatione, sed adversarium, nisi tunc demum cum actor fundaverit intentionem suam, quia tunc exceptio probanda est, ut notatur infra, de except., exceptionem.

Per vitium
Hoc ipso debuit succumbere monasterium, supra, de rescript., olim.

Licet autem
Responsio quasi tacitae quaestionis. Posset quis dicere: si instrumentum falsavit, ergo hoc ipso debuit succumbere monasterium quod exhibet instrumentum falsum? Respondet Papa delictum ipsius qui ipsum falsavit non debet in damnum monasterii redundare, 16. q. 6, si episcopus. Vel intellige potius quod allegabatur contra monasterium ex parte episcopi, ut per hoc amitteret causam, ut supra, de rescript., olim. Propter consimilem falsitatem tulit Eugenius Papa sententiam contra ecclesiam Oseenensem, supra, de in integ. restit., tum ex litteris. Sed quare non hic Papa tulit sententiam contra monasterium? Quia non constitit capitulum fuisse in culpa, ut bene innuit littera ista, delictum personae etc.

Ad viginti annorum
C. ad leg. Corn. de fals., querelam. De hoc dictum est supra, de probat., licet.

Veritate comperta
Sed utrum talis sententia teneat ipso iure, dubitari consuevit, quod non videtur, quia exceptio non datur ex ea, ff. de exception., quae agnitis. Sed si nulla est ipso iure, qualiter incipit valere etiam post annum vigesimum, quia quod ab initio non valet, tractu temporis non convalescit, ff. de regul. iur., quod initio; et ff. de regul. iur., quae ab initio; 16. q. 3, placuit § potest, vers. quod si privatus; et supra, de elect., auditis? Dicas quod talis sententia tenet, et in suo robore durabit, et servari debet quousque falsitas revelata fuerit, supra, de fide instrum., accepimus § interim. Quamvis articulus ille dubitabilis est, durabit sententia. Revelata vero veritate tunc primo apparet quod nulla fuit. Et ideo tunc pronunciabitur nulla. Sic infra, de frig. et malef., fraternitatis, in fi. Et quicquid occasione talis sententiae perceptum vel obtentum est, non cassabitur. Sicut per sententiam ius non constituitur, sed si quod erat declaratur cum sententia profertur, ff. si serv. vend., sicut § sed si quaeritur. Et hoc dicit littera ista, valeat retractari veritate comperta, sicut est in sententia lata per falsum procuratorem, quia falsitate probata iudicium nullum tunc primo apparet, supra, de procurat., in nostra; et C. de procur., licet.

In diocesi
16. q. 7, omnes; et 18. q. 2, monasteria.

X 2.25.07 *Olim*

In tali loco statuerit
Ex eo quod dicit, patet quod si adversarius meus impetravit litteras ultra duas dietas extra diocesim meam, et iudices volunt venire usque ad locum illum qui non distat ultra duas dietas, non possum propterea eorum iudicium declinare, quia non trahunt me ultra quam provisum est per concilium generale, et ita non faciunt contra concilium, ut hic littera probat, et infra ubi dicit se in causam trahi ultra duas dietas. Et hoc idem dicit constitutio illa supra, de rescript., nonnulli. Sed numquid iste reus procurabit illos veniendo ad locum? Non credo. De hoc dixi in constitutione illa supra, de rescript., nonnulli.

Probare potuerit
Sic videtur quod ille qui appellat ante sententiam diffinitivam a gravamine, quod in causa appellationis necesse habeat probare coram iudice appellationis, causam suae appellationis veram fuisse. Sic supra, de testib., ex parte. Sed contra videtur quod sufficit probare coram iudice appellationis, quod iudex inferior exceptionem admittere noluit, supra, de offi. deleg., cum causa; et infra, de appell., ut debitus; et melius infra, de appell., dilecto filio. Illud contrarium supra, de testib., ex parte, solvitur in illa decretali. Alias vero contraria solvuntur per decretalem infra, de appell., interposita, 1. resp. Cum enim quis probabilem causam exponit, quam dicit se probaturum, si iudex ipsum repellat et propter hoc appellatur, tunc in causa appellationis non est necesse probare causam veram esse, sed sufficit probare quod non fuit admissus. Si vero non obtulit se probaturum, sed illam tantum allegavit, tunc in causa appellationis probabit causam illam veram fuisse, alias ad priorem iudicem remittetur secundum tenorem illius decretalis infra, de appell., interposita. Et secundum illam hodie procedendum est, et ideo in hac decretali debet probare quod trahebatur ultra duas dietas, quia cum proposuit suam exceptionem, non obtulit se illam probaturum, sed in decretali illa infra, de appell.,

dilecto filio, non obtulit se probaturum, et tamen sufficit probare quod non fuisset admissus ibi, iam constabat de exceptione per confessionem presbyteri factam coram auditore. Sed dubitabatur an propter illam vel alias legitimas fuerit appellatum, et ideo sufficit probare quod proposuerat illas eis, et quod non fuisset admissus et eodem modo respondeas ad illam, supra, de offi. deleg., cum causa, quia iudices ibi certi erant de exceptionibus, quia bene sciebant utrum habuissent subdelegationem iudicis vel excusationem ipsius. Hodie enim servandum est prout dicit illa decretalis infra, de appell., interposita.

Supersedere curetis
Supple: abbatem sancti Laurentii et eius coniudices ad quos G. litteras impetraverat contra ipsius adversarium super prosecutione appellationis suae procedere permittentes iuxta traditam sibi formam. Alioquin isti procedent iuxta traditam sibi formam, non obstantibus litteris impetratis ad abbatem sancti Laurentii et eius coniudices. Si vero G. non probaverit se trahi ultra duas dietas extra diocesim, abbas iste sancti Huberti et eius coniudices procedere in negotio sibi commisso non omittant ad petitionem adversarii, et iuxta mandatum ad ipsos directum, non obstantibus litteris impetratis ad abbatem sancti Laurentii et eius coniudices, sicut continetur in antiqua decretali. Alias esset manifesta contrarium, infra, de appell., ut debitus, cum similibus. Sed isti quibus scribitur non erant iudices appellationis, sed dati erant ad exequendum quasdam sententias suspensionis contra istum G. interpositam, et cognoscere debent de appellatione G., quia hoc eis mandatur per litteras istas. Et si G. non probaverit exceptionem, procedent postea ad exequendas sententias suspensionis latas ab archiepiscopo praedicto.

X 2.25.08 *Dilecti filii*

A defensione
Sic patet quod quilibet admittitur ad defensionem ecclesiae suae etiam periurus, quia etiam ad agendum sive ad accusandum admitteretur prosequens suam vel suorum iniuriam, 3. q. 11, neganda 2; et 4. q. 6, omnibus. Ergo multo fortius ad defendendum, cum ad defendendum admittitur quia alias ab agendo repellitur, supra, de except., cum inter; et infra, de except., dilectae.

Defendendo
Et ex hoc patet quod excommunicatus tam se quam ecclesiam suam defendere potest, agere vero nequaquam, ut hic, et supra, de except., cum inter; et infra, de except., Apostolicae.

Interlocuti fuerunt
Et male, quia si hoc esset probatum, non repelleretur, quia excommunicato vel criminoso licitum est defendere tam se quam ecclesiam suam, supra, de except., cum inter. Et est arg. quod non debet quis admitti ad probandum, quo probato non prodest, C. de probation., ad probationem; supra, de offi. deleg., cum contingat, ad fi., ubi de hoc.

Si res ita se habet
Hic habes quod contra exceptionem doli non datur replicatio de dolo, ff. de dol. except., apud Celsum § Marcellus. Sed contra habes supra, de except., cum ecclesiasticae; et infra, de divort., significasti; et infra, de adult., intelleximus; et infra, de adult., tua; et 32. q. 6, nihil iniquius; ff. solut. matrim., viro. Sed veritate inspecta non sunt contraria quo ad finem, quia unus est finis sive effectus, sive replicatio doli detur sive negetur, scilicet ne alter de dolo suo commodum habeat. In casu praesenti non datur replicatio ad hoc ne alter scilicet actor agere possit, cum sit excommunicatus. Sed admitteretur hic replicatio si actor excommunicatus admitteretur ad agendum, quod esse non debet. Et ita commune delictum noceret uni et alteri non. Unde non obesset ei excommunicatio. Et ita intelligitur lex praedicta ff. de dol. except., apud Celsum § Marcellus. Ideo ibi non datur replicatio, ne scilicet communis malitia alteri sit lucro, alteri vero damno verbi gratia. Dolo induxi te ad aliquid promittendum, deinde induxisti me dolo ad remittendum, et sic uterque est in dolo. Quo casu si ago contra te ad id quod promisisti mihi per dolum meum, mihi poteris opponere doli exceptionem, quam exceptionem non potero removere per meam replicationem. Si enim daretur haec replicatio, repelleretur reus, et actor remaneret in lucro de dolo, quod esse non debet. Et ideo in lege illa non datur replicatio. Et in contrariis datur replicatio propter eandem causam, ut patet in adulterio viri et uxoris. Verbi gratia, mulier repetit virum suum, ipse opponit ei adulterium excipiendo contra eam, et ipsa replicat contra eum quod et ipse similiter est adulteratus. Hic admittitur replicatio mulieris, et ideo scilicet ne ille lucrum habeat de suo adulterio, si replicatio mulieris non admitteretur. Et sic remaneret maritus in lucro de dolo suo, et uxorem repelleret. Et ita uni noceret adulterium, alteri vero non, quod esse non debet. Et sic intellige supra, de except., cum ecclesiasticae. Et ita patet quod idem est replicationem dare, quod denegare. Et sic eadem ratio est utrobique, et hic est ratio alia quae redditur in littera, et melius supra, de except., cum inter.

X 2.25.09 *Apostolicae*

Constitutis
Ut cum tractaretis de electione facta vel facienda.

Ordinationem
Quae in praesentia domini Papae fieri debebat per istos. Et ne impediretur, absoluit eos ad cautelam.

Contingeret retardari
Ex hoc videtur quod suspensus ab officio et beneficio non posset agere tamquam excommunicatus esset maiori excommunicatione, arg. supra, de consuet., cum dilectus; et supra, de elect., cum inter R. Ibi suspensus non potest eligi. Et sic electus non posset agere pro sua electione. Arg. contra infra, de cleri. excom., si celebrat, ubi habes quod suspensi eligere possunt. Et sic possunt agere pro sua electione, sic et exercere ea quae sunt iurisdictionis, supra, de elect., illa. Solutio: contraria ista loquuntur in diverso casu. Hic enim loquitur de suspensione iudicis, et in concordantia contraria loquuntur de suspensione canonis, et canon mitius agit quam minister iuris, ff. de recepti., Celsus; et ff. de recepti., utique, in fi. Cum ergo isti suspensi dicantur per sententiam hominis ab

officio et beneficio, iam non interest ipsorum agere pro ecclesia, cum ab ipsius beneficio privati sint, et praecipue cum agunt pro re spirituali, scilicet pro ordinatione ecclesiae, a qua privati sunt per suspensionem. Unde cum non possent eligere vel eligi, non possent prosequi causam electionis, quia non possent agere pro eo quod possidere non possunt pro se vel pro alio, arg. infra, de cleri. excom., si celebrat. In aliis autem negotiis propriis vel ecclesiae, quilibet si mandato ecclesiae agerent, bene admitterentur, quia non sunt privati communione hominum, supra, de except., a nobis. Sed quia privati sunt communione sacramentorum, ad sacramenta spiritualia non admittuntur, nisi prius fuerint restituti. Et ideo fuerunt absoluti ne contingeret ordinationem ecclesiae impediri, quae in praesentia domini Papae fieri debebat per istos. Et ideo ne ordinatio sive electio ecclesiae impediretur, absoluit eos ad cautelam.

Ad cautelam
Sic supra, de testib., veniens 2, in fi.; et infra, de appell., ad praesentiam; et infra, de sent. excom., per tuas; et 24. q. 1, audivimus.

X 2.25.10 *Dilectae in Christo*

Ex sufficienti
Sic supra, ut lite non cont., accedens 1. Sed dic de gravamine, scilicet expresso coram iudice, alias appellatio non admittitur nisi causa probabili allegata. Quae si esset probata, debeat legitima reputari, infra, de appell., ut debitus; et infra, de appell., interposita; et infra, de appell., cum speciali; et infra, de appell., cum causam; et infra, de appell., dilecto filio.

Denegarunt
Et bene, ut sequitur infra in fine. Quia licet excommunicatae essent etiam ab initio, et ab aliis iudicibus nihilominus poterant appellare si gravarentur et litteras impetrare, supra, de except., cum inter; et infra, de except., significaverunt; et infra, de except., venerabilem. Unde litterae super hoc impetratae valuerunt, ut infra sequitur.

Reciperent
Et male fecerunt, quia debebant illam admittere. Quia ut saepius dictum est, excommunicati a sua defensione repelli non debent, quod isti facere nolebant. Et ideo quicquid fecerunt post appellationem in pristinum statum revocatur.

Si est ita
Scilicet quod prior de Gernemoe non receperat exceptionem priorissae.

Priorem de Gernemoe
Quod fuit primum respectu istius mandati, sed fuit tertium mandatum respectu primi directi ad abbatem sancti Benedicti. Et iste Linconiensis decanus postquam constiterit sibi de appellatione priorissae interposita coram priore de Gernemoe pro eo quod exceptionem priorissae non recipiebat, debet cognoscere super eo de quo prior de Gernemoe debuit, scilicet an appellatio monachorum fuerit legitima vel non. Et si iste invenerit monachos legitime appellasse, procedet. Si minus legitime, condemnabit

priorem et conventum ad expensas restituendas priorissae, et remittet partes ad priorem de Angles, prout hic dicit. Quia ea est forma appellationis quae interponitur a gravamine, infra, de appell., cum in ecclesia; et infra, de appell., ut debitus. Et ille prior de Angles postea cognoscet de appellatione sibi commissa interposita ab abbate sancti Benedicti. Et si prior de Angles invenitur minus legitime appellasse, remittet partes ad abbatem sancti Benedicti. Si autem appellatio fuerit legitima, procedet in negotio iuxta mandatum infra, de appell., interposita.

X 2.25.11 *Significaverunt*

Renuens confirmare
Quod facere potuit, si non erat idoneus, et illos potuit privare iure eligendi. Unde si hoc fuit verum, tenebat archiepiscopi institutio, supra, de elect., nihil est; et supra, de elect., quia propter. Ad ipsum enim pertinet examinare et confirmare dictum electum vel reprobare, ut ibi dicitur. Alias iusta fuit appellatio clericorum, quod patuit postea per sententiam. Vel ideo hic eam noluit confirmare, quia dicebat archiepiscopus ad ipsum spectare ius eligendi archipresbyterum in plebe, et hoc apparet per sententiam iudicis delegati, qui confirmavit electionem capituli et pronunciavit ius eligendi ad ipsum capitulum pertinere.

Absoluit
Super quo fuit haec absolutio hic non dicitur. Potuit esse quod capitulum petebat a parte adversa expensas, vel forte petebat fructus perceptos ab illo instituto qui peti poterant, vel quod ulterius non haberet vocem contradictionis in electione, et super hoc appellavit capitulum quantum ad confirmationem electionis. Quantum ad ius eligendi appellavit pars altera, et sic ab eadem sententia potest utraque pars appellare. Sic infra, de testamen., Raynutius; et infra, de testamen., Raynaldus. Quia sunt in sententia plura capitula, alias non haberet locum duplex appellatio ab utraque parte.

Excludi
Ut supra, de except., dilectae; et supra, de except., cum inter; et infra, de except., venerabilem.

Defensio
Ex hac littera videtur quod isti de capitulo erant rei ex eo quod dicit, legitima defensio. Sed apparet ipso facto quod erant actores, quia petebant electionem suam confirmari, et ius eligendi ad se spectare dicebant. In istis duabus obtinuerunt. In tertia portione succuberunt, super qua appellaverunt, et ex eo etiam quod dicit, partem adversam non esse cogendam ad respondendum illis de capitulo. Et sic erant actores, sed actor excommunicatus non admittitur ad agendum, infra, de except., exceptionem. Qualiter ergo isti admittuntur? Et sic est arg. quod excommunicatus admittitur ad agendum. Dicas ergo quod in eo quod condemnati fuerunt, quasi rei intelliguntur. Ne ergo suum ius amittant per iniquam sententiam, admittuntur ad defensionem iuris quod amiserant per sententiam. Et sic quicquid faciunt, totum est ad sui defensionem. Et ideo admittuntur non obstante exceptione excommunicationis, quia praetextu excommunicationis non est aliquis condemnandus iniuste aut etiam absolvendus. Per talem enim sententiam iniquam

amitterent isti ius suum si non admitterentur contra sententiam. Et sic transiret in rem iudicatam, quia ex eadem ratione non possent appellare. Sed quilibet condemnatus potest appellare, ut supra, de except., cum inter, et prosequi appellationem suam, infra, de except., venerabilem. Secus videtur si esset lata pro eo sententia, quia tunc non videtur valere sententia, si est excommunicatus actor. Sed causa propterea non periret, quia eo absoluto agere posset. Sic ergo isti sunt audiendi. Quid facient iudices si invenerint sententiam iniquam? Debent eam cassare. Sed numquid condemnabunt alteram partem ipsi excommunicato? Videtur quod sic, quia hoc ad officium eius qui cognoscit de appellatione pertinet. Et sic fertur sententia pro actore excommunicato ex certa scientia. Sed contra infra, de except., exceptionem, in fi. Forte posset dici quod condemnatio differtur in tempus absolutionis, ex quo iam relevatum est gravamen. In casu illius capituli credo quod capitulum fuit excommunicatum post appellationem pro alia causa et ab aliis iudicibus, et sic minus contineret dubitationis. Sed non est verum quod feratur sententia pro excommunicato, quia non constat illum excommunicatum esse. Immo repellitur excipiens, nec auditur volens reprobare excommunicationem. Et sic potest iudex ferre sententiam pro tali. Sed si post sententiam latam vellet probare quod actor erat excommunicatus, audiretur forte, quia exceptio excommunicationis in qualibet parte litis admittitur, ut infra, de except., exceptionem. Sed sententia quae praecessit non minus robur obtinet firmitatis, et executio sola impeditur si post rem iudicatam excommunicatio probetur, ut in decretali Inno. iiii quae sic incipit infra, de except., extravag. pia, in fi.

Procedatis

Hic remittitur causa ad eos a quibus fuit appellatum. Sed hoc voluit appellans, alias non remitteretur, infra, de appell., accepta; et infra, de appell., interposita § 2.

X 2.25.12 *Exceptionem*

In dilatoriis

Ad intelligentiam huius nota quod exceptionum alia est dilatoria alia peremptoria. Item dilatoriarum exceptionum alia est declinatoria iudicii alia est dilatoria solutionis. Declinatoria iudicii triplex est, sive proponatur contra iudicem sive contra rescriptum sive contra impetrantem, inter quas primo loco proponenda est recusatio iudicis, arg. supra, de probat., quoniam, ubi de hoc. Et qui illam omittit transeundo ad alias, ad illam postea non videtur posse reverti, quia litigando coram ipso super aliis, personam iudicis approbare videtur. Item aliae dilatoriae ante ingressum litis debent proponi, infra, de re iudic., inter monasterium; et C. de exception., praescriptiones; et infra, de appell., cum causam; et C. de procur., ut demum. Ad hoc etiam facit C. de iud., sancimus, in fi. Unde post litem contestatam aut etiam post terminum statutum ad dilatorias proponendas proponi non possunt, supra, de except., pastoralis. Nisi de novo orta fuerit, ut ibi dicitur, et supra, de offi. deleg., insinuante. Dilatoria solutionis ante litem contestatam proponi debet, sed proponenda est postquam actor fundaverit intentionem suam, C. de probation., exceptionem; et 3. q. 6, si quis episcoporum § exceptionem. Et quandoque potest proponi etiam in causa appellationis, supra, de fide instrum., cum Ioannes; C. de exception., si quidem. Exceptio vero peremptoria proponi potest quandoque ante sententiam, sive etiam antequam sit in causa conclusum, et potest etiam proponi ante litem contestatam, ut

hic, et C. de exception., exceptionem; et infra, de praescrip., auditis; et supra, de testib., de testibus, in fi. Et post sententiam in causa appellationis, C. sent. rescind. non pos., peremptorias. Et est alia dilatoria, quae partim accedit ad naturam verae dilatoriae, et partim ad naturam peremptoriae, sicut est exceptio excommunicationis, quia proponi potest quandocumque et ante ltem contestatam et post sententiam, et etiam si non appellaretur, quia quandoque facit retro iudicium nullum, ut hic, et infra, de re iudic., ad probandum. Et vere dilatoria est, quia ea probata iudicium sive processus est nullus, sed actio remanet salva, ut in praedicta decretali infra, de re iudic., ad probandum. Quandoque tamen non facit iudicium nullum, ut in decretali infra, de except., extravag. pia, ut dicitur in noutula etiam si. Et est speciale in hac exceptione propter periculum animae, ut hic dicit. Item quodam modo similis est huic exceptio falsi procuratoris, quia et illa potest proponi quandocumque etiam post sententiam, supra, de procurat., in nostra; et C. de procur., licet.

Qui si eam omiserit

Nota quoddam speciale in hac exceptione quod in aliis non servatur, quia si ex certa scientia illam omittat, nihilominus potest eam opponere quandocumque postea, sed in aliis non est ita, supra, de offi. deleg., insinuante; et infra, de re iudic., inter monasterium; et 3. q. 5, quod suspecti. Puniuntur tamen in expensis litis propter dolum suum. Item est hic arg. manifeste quod nemo iuri publico potest derogare seu renunciare, supra, de for. compet., si diligenti, ubi de hoc; et supra, de fer., conquestus; et arg. infra, de sent. excom., contingit 1.

Condemnandus

Etiam si excommunicatio probata fuerit et processus habitus, non valebit. Et hoc innuit littera ista, ut actor laboribus et sumptibus fatigetur, alias quare puniretur in expensis reus si processus teneret? Sed per decretalem novam infra, de except., extravag. pia, si instantia iudicii durante excommunicationis exceptio proponatur ut probetur, processus habitus valebit. Sed in sequentibus actor non auditur donec fuerit absolutus. Et per hoc obviatur malitiis eorum qui scienter omittunt excomunicationis exceptionem ab initio dolose, et sic bona fuit provisio illius decretalis infra, de except., extravag. pia. Et idem intelligo etiam si per malitiam non omittatur. Secus credo de illa exceptione, quae proponitur contra iudicem publice excommunicatum, in quem nulla cadit iurisdictio. Unde dum sit excommunicatus, non tenet processus illius infra, de re iuric., ad probandum. De hoc notavit in decretali infra, de except., extravag. pia, in glossa quae incipit sed mirum.

Publice

Nota etiam istud quod in hoc est arg. quod nulli liceat ignorare quod publice factum est, 16. dist., quod dicitis; et supra, de postul. praelat., ad haec. Et ideo non prodest alicui si dixerit se ignorasse, ut in proximo capitulo infra, de except., adversario. Simile de iudice excommunicato publice, infra, de re iudic., ad probandum. Unde collige si occulte quis excommunicetur, quod postea non revocaretur sententia sive processus. Optimum argumentum infra, de cleri. excom., Apostolicae, ubi de hoc. Quia de occultis non cogitur divinare, infra, ut eccl. ben., ut nostrum; et ff. ad leg. Aquil., si putator; et ff. mand. vel cont., si fideiussor § si cum debitor. Quia nec tenemur ad eius observationem

nisi post publicationem, supra, de consti., cognoscentes. Ubi dicitur rem quae culpa caret, 82. dist., proposuisti. Et dico eam publice latam si iudex tulerit sententiam illam in loco ubi publice iudicare consuevit praesentibus officialibus suis et partibus, vel altera absente per contumaciam, C. quom. et quan. iud. sent. prof., si ut proponis 2; et C. quom. et quan. iud. sent. prof., non semper. Alias si occulte non obesset. Quantum ad hoc multa argumenta possunt induci contra ea quae occulte fiunt, 19. dist., Anastasius; et supra, de offi. deleg., consuluit; ff. de ritu nupt., palam; et ff. de off. praet., Barbarius.

Officio iudicis

Sic praelatus ex officio suo examinare debet electum sibi praesentatum, supra, de elect., nihil est; et supra, de elect., cum nobis; et supra, de elect., venerabilem. Et praetor quos prohibet in totum prohibet in toutum prohibet, etiam si pars non opponat, ff. de postulan., quos prohibet; et ff. de procur., filiusfamilias § veterani. Sic etiam iudex admittit compensationem, licet pars hoc non petat, ff. de pet. hered., filius; et ff. de iniuri., apud Labeonem § si quis. Alias ius publicum offenderetur, quod esse non debet, supra, de for. compet., si diligenti; C. de procur., militem; et C. locat. et conduct., milites. Iudex enim qui scit actorem excommunicatum, non debet ei participare. Et sic tam pro se quam pro aliis illum repellat ex officio suo. Sic et quaedam possunt obiici post sententiam, C. de iuris et fact. ignor., quamvis cum causam; et ff. de Maced., cum tamen.

X 2.25.13 *Adversario*

Tempore motae litis

Nota quod ad hoc ut sequatur condemnatio, reus debet possidere tempore litis contestatae, et quod possideat cum res iudicatur. Sed si tempore litis contestatae possideat, cum res iudicatur sine dolo malo amisit possessionem, absolvitur, ff. de rei vend., sin autem § 1. Vel sufficit possidere cum res iudicatur, ut ibi dicitur.

Sine dolo

Sed quis probabit quod sine dolo? Lex dicit quod idem qui desiit possidere, ff. de excepti. rei iud., si rem meam; ff. de excepti. rei iud., si a te, 1. resp. De qua lege sumpta est haec decretalis. Sed contra videtur quod adversarius. Nam qui dolum allegat, dolum probare debet, ff. de probation., quotiens operae § qui dolo. Qualiter respondebis legi praedictae, quae dicit quod ipse debeat probare? Responde quod hoc ipso quod contrarium non probat, satis probat ipse quod sine dolo desiit possidere, C. qui milit. poss., super servis, lib. 12; et C. de testament., omnium. Sic probatur benemeritus eo ipso quod non probatur demeritus, ff. de leg. 2, cum pater § rogo. Ideo dicit sine dolo, quia si dolo desiit possidere, condemnabitur tamquam possideret, quia dolosus pro possessore habetur, ff. de regul. iur., qui dolo; et ff. de regul. iur., parem; et ff. de rei vend., quod si dolo; et ff. de rei vend., sin autem § sed et is; ff. de pet. hered., nec ullam § is autem; et ff. de pet. hered., etiam § item si quis; et ff. de pet. hered., sed et si lege § sin autem; et ff. sed et si lege § perinde. Vel dic quod eo ipso quod tempore litis contestatae possidebat, si postea dicit se non possidere ad hoc ut absolvatur, praesumitur contra ipsum quod dolo desiit possidere. Et ideo tenetur probare quod sine dolo desiit possidere ad hoc ut absolvatur, ut dicit lex praedicta ff. de excepti. rei iud., si rem meam. Alias condemnaretur tamquam possideret. Item si quis non possideat, et offerat se liti actore

ignorante, non condemnabitur ac si possideret, ff. de rei vend., sin autem, in princ.; et ff. de rei vend., is qui se liti. Sed si actor sciret illum non possidere, secus esset, ut lex ff. de rei vend., is qui se liti. Item si agat ad exhibendum si absolvatur reus qui non possidebat, et interim incipiat possidere, tamen obstat exceptio rei iudicatae, ff. de excepti. rei iud., si quis ad exhibendum, ad hoc ut exceptio rei iudicatae obstet, oportet ad minus quod tria concurrant, scilicet quod idem sit corpus sive eadem quantitas, idem ius sive causa petendi, et eadem conditio personarum, ff. de excepti. rei iud., cum quaeritur; et ff. de excepti. rei iud., quantitas; et ff. de excepti. rei iud., cum de hoc. Item quod ille qui absolvitur, possideat rem tempore sententiae, ut hic dicit, et ff. de excepti. rei iud., si rem meam; et ff. de rei vend., sin autem § 1. Ber.

X 2.25.14 *Venerabilem*

Ex sufficienti
Sic supra, de except., dilectae. Et intellige quod expressit causam gravaminis coram iudice a quo appellavit, ut ibi dixi. Alias non admittitur appellatio, infra, de appell., ut debitus.

Tempore impetrati rescripti
Nota quod supra saepius dictum est, quod reus excommunicatus sive a iudice suo sive ab aliis tempore impetrati rescripti non prohibetur prosequi appellationem et appellare, 3. q. 9, re vera; et infra, de sent. excom., per tuas; et supra, de except., cum inter; et supra, de except., dilecti filii; et supra, de except., significaverunt. Et litteras impetrare et omnia facere quae pertinent ad suam defensionem, ut hic omnia patent per iura praedicta, licet non faciant mentionem de sua excommunicatione, et super ipsa appellatione potest litteras impetrare, ut dicit in fi.

X 2.26 DE PRAESCRIPTIONIBUS

X 2.26.01 *Placuit*

Per ipsum triennium
Signatur contra 16. q. 3, placuit ut quicumque, ubi dicitur quod qui post sex menses negligit plebes convertere ad catholicam unitatem. Qui postea potuerit eas convertere, habeat ipsas. Solutio: illud capitulum et istud sunt eiusdem concilii, et illud debet intelligi per suppletionem istius et econverso, scilicet ut vicini episcopi admoneant episcopum, ut plebem suam convertat ad fidem catholicam. Et si negligens fuerit per sex menses a tempore admonitionis computandos, quo potuerit eam postea convertere, habeat eam computato isto triennio post illos sex menses, et sic habet sex menses primo et postea triennium, et sic nullum contrarium. Et ita habes hic praescriptionem trium annorum, et sex mensium contra ecclesiam, quod est contra illud infra, de praescrip., de quarta; et 16. q. 3, placuit § quas actiones. Sed hoc introductum fuit favore fidei catholicae.

Si autem non fuerit
Et ita vacante ecclesia non currit ei praescriptio. Item si episcopus fuerit haereticus, non currit ecclesiae praescriptio, ut in § sequenti, quia tunc ecclesia quasi vacare intelligitur. Sed videtur quod debeat currere, quia ecclesia vacante ipsius oeconomus potest convenire et conveniri, ut arg. 12. q. 2, Vulteranae; et 12. q. 2, vobis. Ergo videtur quod currit praescriptio. Sed non est verum quod oeconomus possit agere vel conveniri vacante ecclesia, quia tunc caret legitimo defensore, infra, ne sede vac. nih. inn., per totum. Et ideo non currit, immo dormit interim praescriptio.

X 2.26.02 *Nihil prodest*

Nihil cum scandalo
Arg. quod propter scandalum desistendum est a iure suo, supra, de temp. ord., ad aures, ubi de hoc; et 10. q. 3, cavendum; et 11. q. 3, nolite. Et sic dominus cum sciret non debere se solvere tributum, tamen propter scandalum soluit. Et Apostolus ne aliquem scandalizaret, propriis manibus victum sibi quaerebat, 28. q. 1, iam nunc, vers. fi. Et propter scandalum consuetudo loci servanda est, ut fecit mater Augustini, 12. dist., illa, in fi.; arg. infra, de reg. iur., qui scandalizaverit.

De causis pauperum
Et sic bona ecclesiae pauperum sunt, 16. q. 1, quoniam quicquid; et 23. q. 7, quod autem; et 23. q. 8, convenior, circa princ. Et ideo pauperum esse dicuntur, quia tempore necessitatis omnia sunt communicanda, 47. dist., sicut hi; et 12. q. 1, dilectissimis. Et victu et vestitu his contenti simus, 10. q. 2, episcopus; et 12. q. 2, aurum.

Vobis scripsisse meminimus
Et ideo forte creditis quod res pauperum retinere possitis, quasi vobis videamur fecisse pactum de non petendo, quod falsum est, ut sequitur.

Futuris
Arg. quod negligentia vel taciturnitas praelati non praeiudicat successori, quia delictum personae etc., supra, de except., cum venerabilis; et 16. q. 6, si episcopum. Sic et tempore praelati male alienantis non currit praescriptio, 16. q. 3, si sacerdotes. Et praelatus conditionem ecclesiae deteriorem facere non potest, infra, de dona., fraternitatem. Arg. contra supra, de praescrip., placuit; et infra, de praescrip., auditis, in fi. Solutio: negligentia praelatio sive taciturnitas bene praeiudicat ecclesiae, quoniam propter taciturnitatem currit praescriptio, ut infra, de praescrip., quasi per totum; et supra, de praescrip., placuit. Et ideo hoc intellige quantum ad centenariam praescriptionem, quae sola currit ecclesiae Romanae, 17. q. 4, nemo; et infra, de praescrip., cum vobis. Quia non potuit praescribere tempore suo per centum annos, et in Auth. ut eccl. Rom. cent. § 1, coll. 2. Vel potest intelligi de re invasa, quam ista patricia invaserat violenter in qua non currit praescriptio, 16. q. 3, licet in regulis; et 93. dist., illud. Et haec protestatio fuit quasi quaedam interruptio, quam fecit princeps principi. Sed hoc non facit illa, quam habes 16. q. 3, placuit § potest, vers. is autem cuius; et C. de annal. except., ut perfectius; supra, de offi. ord., pastoralis, in fi.

X 2.26.03 *Sanctorum*

Sanctiones
Ut 16. q. 3, per singulas; et 16. q. 3, praesulum; et 16. q. 3, quicumque; et 16. q. 3, placuit.

Quiete
Id est, sine interruptione aliqua et sine molestia, de qua notatur infra, de praescrip., illud.

Syncere
Id est, bonae fide. Quod praesumitur eo ipso quod non probatur contrarium, arg. C. qui milit. poss., super servis. Et qui malam fidem allegat, eam probare debet, arg. 16. q. 4, volumus; ff. de probation., quotiens operae § qui dolo. Et quod dicit de triginta annorum praescriptione, quae non tenet hodie, verum est in rebus ecclesiae. Tenet tamen in rebus privatorum, infra, de praescrip., de quarta; et infra, de praescrip., ad aures.

Absque synodali proclamatione
Per istam synodalem proclamationem fit interruptio praescriptionis, si alias non posset litem contestari, C. de annal. except., ut perfectius. Alias non videtur, C. de praescri. trig. vel quad. ann., sicut in rem.

X 2.26.04 *De quarta*

Quadragenaria
Hodie vero iure communi sola quadraginta annorum praescriptio currit contra ecclesiam nulla distinctione facta inter ecclesias et monasteria, ut hic patet, et infra in pluribus capitulis, et 16. q. 3, placuit ut quicumque § potest, vers. quas actiones. Prout distinxit Gratian. et male in illo 16. q. 3, placuit ut quicumque § potest, vers. fi. per unam columnam, vers. in canonibus vero etc.

Se posse tueri
Sed videtur quod non posset se tueri, quia illa quarta decimarum de iure communi videtur ad episcopum pertinere, 10. q. 3, unio. Unde si clericus iste cessavit in solutione illius quartae, fuit malae fidei possessor, et ideo non praescripsit, infra, de praescrip., vigilanti; et infra, de praescrip., quoniam; et infra, de praescrip., si diligenti. Intellige quod ab isto clerico non incoepit praescriptio, nisi habuisset titulum talem qui dedisset ei causam praescribendi, de quod dicitur infra, de praescrip., si diligenti. Sed ab aliquo praedecessorum fuit inchoata. Et ipse inveniens ecclesiam in possessione habuit bonam fidem, credens quod aliqua iusta causa possideret. Unde complevit praescriptionem, quia qui in locum alterius succedit, iustam habet ignorantiae causam, ff. de regul. iur., qui in alterius. Vel potuit habere titulum, scilicet concessionem episcopi tantum. Unde praescripsit occasione illius tituli tantum, licet minus iustus esset, ut dicitur infra, de praescrip., si diligenti.

Caruisset
Quia ecclesia tunc caret legitimo defensore, infra, ne sede vac. nih. inn., novit; et infra, ne sede vac. nih. inn., constitutis, et hic quare non currit praescriptio, supra, de praescrip., placuit. Et sic istud tempus subducitur de praescriptionibus infra, de praescrip., auditis; et infra, de praescrip., cum vobis.

X 2.26.05 *Vigilanti*

Possessores
Sic infra, de praescrip., quoniam; et infra, de praescrip., si diligenti; et infra, de praescrip., veniens, in fi.; et 16. q. 3, licet; et 34. q. 2, si virgo; et 33. q. 5, quod Deo. Et hoc ideo etiam contingit, quia sicut tempus non tollit obligationem, sic nec inducit, ff. de act. et oblig., obligationum § placet. Et hoc secundum canones, secus secundum leges, C. de praescri. trig. vel quad. ann., si quis emptionis; et 16. q. 3 § potest.

Noverit
Quod est intelligendum si ante impletam praescriptionem habuerit malam fidem. Quoniam qui mala fide possidet, non praescribit, ut dictum est. Sed pone quod post completam praescriptionem incipiat habere malam fidem, numquid tenetur ipsam rem restituere vero domino? Videtur quod sic, quia iam scit quod res non est sua, et non dimittitur peccatum nisi restituatur ablatum, 14. q. 6, si res; et infra, de usur., cum tu. Sed contra videtur, quod completa praescriptione iam tutus est secundum utrumque ius, supra, de praescrip., de quarta; et infra, de praescrip., quoniam, et in pluribus aliis. Ergo iure possidet; si iure, ergo iuste et bene, ut 14. q. 4, quid dicam. Nec iam dicitur aliena, ut ibi. Praeterea iura faciunt hoc meum, illud tuum, 8. dist., quo iure. Item conditor canonis vel legis potest mihi dare rem alienam et tutus ero, ff. de evict., Lucius; et C. de quadrien. praescr., bene a Zenone; et C. de quadrien. praescr., per totum. Et sic multo fortius potuit inducere hanc praescriptionem in odium negligentium. Quidam dicunt quod quandoque habet conscientiam rei alienae, tenetur eam restituere, alias peccat. Alii dicunt quod videtur verius, quod non tenetur eam amplius reddere, quia iam non esset aliena, immo sua, et iuste eam possidet quia iure, 14. q. 4, quid dicam. Sicut qui auctore praetore possidet, iuste possidet, ff. de acq. poss., iuste. Ala. dixit quod si ex causa lucrativa rem habuit, semper eam reddere tenetur, arg. ff. quae in fraud. cred., qui autem § si quid cum pupillo. Si vero ex causa non lucrativa, puta quod emit ab eo quem credebat dominum, non tenetur, arg. 14. q. 1, quod debetur.

Ephesinus
Imperator forsitan fuit vel iurisperitus, qui hanc legem primus edidit.

Segnitiem
Vitandam scilicet, ne rerum dominia essent incerta, ff. de usucap., bono publico; et Inst. de usucapion., in princ.

Cognitis
Ipsi domino, quod ab aliis possideantur.

Latentibus
Quia verus dominus rem illam nescit ad se pertinere.

Placuit
In malae fidei possessore, qui praescribere non potest, sive verus dominus sciat rem illam ad se pertinere sive ignoret, ut 34. q. 2, si virgo; et ff. de pet. hered., sed et si lege § si de eo.

X 2.26.06 *Ad aures nostras*

De iure
Canonico et etiam civili, supra, de probat., ex litteris; et infra, de iure patron., quod autem; 14. q. 5, non sane; et C. de rei vend., quotiens; ff. de regul. iur., cum par; ff. de condi. ob turp. caus., si ob turpem.

Quadragenalis
Sic patet quod una ecclesia potest praescribere decimas in parochia alterius, licet titulum non ostendat, arg. supra, de praescrip., de quarta; infra, de praescrip., veniens. Arg. contra infra, de decim., dudum, ubi dicitur quod titulus est necessarius. De hoc dicitur infra, de praescrip., si diligenti.

Actionem
Arg. quod actio secundum canones sit proponenda. De hoc dicitur supra, de iudic., dilecti; et supra, de iudic., examinata. Et quod dicit, omnem actionem excludit, intellige quod talis actio quae possit praescribi, quia quaedam sunt quae praescribi non possunt, infra, de praescrip., causam quae; et infra, de praescrip., accedentes; et infra, de praescrip., cum non liceat, ubi notatur in quibus casibus non currit praescriptio. Ber.

X 2.26.07 *Cum causam*

Concessione
Supple: facta post Lateranense concilium in quo cavetur quod laici sine animarum periculo decimas detinere non possunt, ut infra, de decim., prohibemus; et melius infra, de decim., quamvis. Unde hodie episcopi decimas laicis in feudum concedere non possunt, quia ius decimarum cum sit spiritulae, non cadit in laicum, ut hic in fine satis patet. De hoc dicetur in decretali infra, de decim., quamvis.

Saecularisve
Infra, de decim., tua 2; et infra, de decim., dudum.

Detinere
Sic 16. q. 7, decimas quas in usum. Et dic detinere scilicet civiliter. Naturaliter autem de facto possident laici et in periculum animarum. Exigitur ergo civilis possessio ad praescriptionem in huiusmodi spiritualibus, id est, ut persona sit talis, in quam possit cadere huiusmodi possessio de iure. In laicum enim ius spirituale non cadit, supra, de elect., sacrosancta; et supra, de elect., Massana; et 96. dist., bene quidem. Talis quidem

possessio germinat prolem, id est, fructum parit, acquirit dominium secundum Io., ut arg. Inst. per quas pers. nob. acq. § sed bonae fidei. Et ideo quia non possident, non praescribunt, quia sine possessione praescriptio non procedit, ff. de usucap., usucapio est; et melius in lege ff. de usucap., sine possessione. Et praescriptionem obiicere non potest nisi quis possideat, supra, de probat., ex litteris, in fi. Ergo laici non possunt nobis obiicere praescriptionem in huiusmodi spiritualibus, quia non possident civiliter decimas subaudi, nisi allegent alium titulum et concessionem factam.

X 2.26.08 *Illud autem*

Quadraginta
Supra, de praescrip., de quarta; et supra, de praescrip., ad aures; et infra, de praescrip., quia indicante.

Canones
16. q. 3, decimas quas in usum; et 16. q. 3, congregato; et 16. q. 3, quicumque; et 16. q. 3, placuit, quae hodie non tenent, supra, de praescrip., sanctorum.

Adversus ecclesiam
Hoc ideo dixit, quia adversus privatum bene tuetur se ecclesia spatio triginta annorum, ut supra, de praescrip., sanctorum. Quae in isto casu habet intellige, ne quod in eius favorem noscitur indultum, ad eius laesionem retorqueri contingat, C. de legi. et const., quod favore.

Inconcusse
Id est, quiete et sine aliqua interruptione, infra, de praescrip., auditis; et infra, de praescrip., cum ex officii. Vel sine aliqua synodali proclamatione per quam interrumpitur praescriptio, supra, de praescrip., sanctorum.

Parte
Super praescriptione et interruptione, ut infra, de praescrip., auditis.

Interruptio
Nota quod interruptio fit pluribus modis: naturaliter et civiliter. Naturaliter duobus modis: per inundationem maris et fluminis, ut ff. de acq. poss., qui universas § item quod a mari; et ff. de acq. poss., possideri § Labeo. Item per deiectionem et expulsionem, ff. de usucap., naturaliter § 1. Civiliter vero multis modis interrumpitur praescriptio. Et primo per libellum principi oblatum in annali actione, C. quan. lib. princ. dat., temporales. Item per litis contestationem quod habet locum in perpetuis actionibus, 16. q. 3, placuit § potest, vers. is autem; et 16. q. 3, placuit § quod si 2. Et coram suo iudice, C. ne de stat. def., si pater. Si non potest litem contestari, sufficit iudicem adire et libellum offere contra absentem vel contra eum quo conveniri non potest aliqua de causa, et in querimoniam deducere ius suum, vel coram publicis personis, vel ad domicilium rei cum iudex haberi non potest proponat, et sic interrupta est praescriptio, C. de annal. except., ut perfectius; et praedicto 16. q. 3, placuit § potest, vers. is autem. Item per sacrum oraculum oblatum principi. Et per executorem si postea subsecuta fuit conventio,

C. de praescri. trig. vel quad. ann., sicut in rem, in fi. Item per solutionem usurarum, C. de praescri. trig. vel quad. ann., si quis emptionis, in fi. Item per synodalem proclamationem, supra, de praescrip., sanctorum. Item per secundam cautionem a debitore factam, C. de praescri. trig. vel quad. ann., cum notissimi § sed et si quis. Item per denunciationem factam colono, supra, ut lite non cont., quoniam § quod si super; et C. ubi in rem act., si quis. Ber.

X 2.26.09 *Quia indicante*

Agrimensoris
Qui tenetur de modo finium actione in factum, si male renunciaverit, dummodo dolose hoc faciat, de culpa enim vel negligentia non tenetur, ff. si mens. fals., si duobus § 1. Laur.

Ad loca
Ut loca dividenda subiiciat oculis, ff. fin. regund., irruptione, in fi.; C. fin. regund., si quis. Et hic potest sumi arg. quod iudex potest iudicare secundum quod novit et non secundum allegata. Et nota quod iudex qui contra conscientiam vel contra iustitiam in gravamen alterius aliquid fecerit, per gratiam vel sordes, per unum annum noverit se suspensum. Et si durante suspensione ingesserit se divinis, irregularis efficitur. Cum quo solus Papa dispensat, et in veram litis aestimationem condemnabitur, ut in decretali Inno. iiii infra, de re iudic., extravag. cum aeterni.

Quadraginta
Sic ergo videtur quod fines praescribi possunt, ut 16. q. 4, volumus; et 16. q. 3, inter memoratos; et supra, de praescrib., ad aures; et supra, de probat., ex litteris. Sed contra videtur quod fines praescribi non possunt, ut 16. q. 3, licet in regulis; et infra, de paroch., super eo; 16. q. 3, quicumque; et 16. q. 3, inter memoratos. Super hoc dicas ubi fine diocesum sive parochiarum constat distinctos fuisse, vel etiam potest probari per libros antiquos et testes et famam et alia adminicula, ut supra, de probat., cum causam. Fine diocesis sive parochiae aut provinciae non possunt praescribi, et sic loquuntur capitula ista 16. q. 3, licet in regulis; et 16. q. 3, quicumque; et infra, de paroch., super eo. Et ratio est, scilicet ne provinciarum termini confundantur, 16. q. 3, quicumque. Et sic limes praescribi non potest, nec ea quae limitibus adhaerent, ff. de rei vend., quae religiosis; et ff. de contrah. empt., in modicis. Ubi vero non constat nec potest probare de divisione, limes et ea quae sibi adhaerent bene possunt praescribi. Et sic distinguit illud capitulum 16. q. 3, inter memoratos. Fines vero praediorum bene praescribuntur, in quo casu loquitur illud capitulum supra, de probat., ex litteris, in quo casu potest intelligi illud capitulum 16. q. 4, volumus, et illud quod hic dicitur. Si vis intelligere hic de finibus parochiarum, intellige hic quod fines non erant distincti. Unde habet locum praescriptio, ut dicit capitulum 16. q. 3, inter memoratos. Illud scias quod licet limes praescribi non possit, tamen ea quae sunt infra limitem, limiti non adhaerentia praescribuntur spiritualia et temporalia. Et sic loquuntur supra, de praescrip., ad aures; et infra, de praescrip., auditis, ubi una ecclesia praescribit decimas in parochia alterius, et tunc necessarius est titulus, ut notatur infra, de praescrip., si diligenti; et in quadam decretali Gregorii infra, de praescrip., extravag. venerabilium, ut notatur infra, de praescrip., si diligenti.

X 2.26.10 *Ex transmissa*

Ecclesia de Camenone
Quae parochialis erat ecclesia et matrix pertinens ad monachos, si aliae erant sub illa. Et ita istae ecclesiae pertinebant ad monasterium mediante matrice ecclesia, et ita maior ecclesia potest agere pro iure subditarum ecclesiarum. Sic infra, de praescrip., auditis; et 16. q. 3, inter memoratos.

Minutatim
Frustatim lupus comedit agnum, 13. q. 1, ecclesias § his ita, ultra unam columnam. Et est quasi quaedam species alluvionis quae praediorum statum immutat, alii auferendo paulatim, alii dando latenter, C. de alluv., quamvis; et C. de alluv., hi quos.

Funerandi
Ius funerandi consistit in sepulturis mortuorum et exequiis et oblationibus inde provenientibus. Et istud ius non subtraxerant matrici ecclesiae. De hoc iure habes infra, de sepult., per totum.

Decimas
Et sic patet quod de iure communi matrix ecclesia debet percipere decimas infra confines suae limitationes, et sic capellae nihil debent habere. Quod est verum nisi per specialem indulgentiam vel praescriptionem, infra, de decim., cum contingat; et 16. q. 1, de decimis.

Non currente
Tempus hostilitatis non currit. Immo illud subducitur de praescriptione. Sic et 16. q. 3, prima actione; ff. de capt. et de post. et red., postliminium; et C. de capt. et de post. et red., ab hostibus; et in aliis casibus supra, de praescrip., placuit.

X 2.26.11 *Accedentes*

Ab omnibus
Arg. quod omnes tangit, ab omnibus est approbandum, 66. dist., archiepiscopus; et supra, de temp. ord., si archiepiscopus; ff. de aqua pluv. arc., in concedendo; et C. de aucto. praestan., veterem. Item ubi onus, ibi emolumentum, 12. q. 2, caritatem; et 12. q. 2, ecclesiasticis; et Inst. de legit. patron. tut. § 1; et C. de furti. et serv. cor., manifestissimi § sin autem; et melius C. de caduc. toll., et nomen § pro secundo.

In talibus
In procuratione quae debetur ratione visitationis, non currit praescriptio, infra, de praescrip., cum ex officii, et hic patet. Sed in illa quae datur ratione institutionis bene currit, de qua loquitur 18. q. 2, Eleutherius. Item in illa quae datur ratione consuetudinis, ut 18. q. 2, servitium.

X 2.26.12 *Cum non liceat*

Recedere

Nisi ubi incidit in haeresim, 24. q. 2, sane 2. Vel in schisma, supra, de elect., quia diligentia. Et in crimine notorio fornicationis, et in simoniaco in ordine si possint probari, 32. dist. § verum; et 1. q. 1, si quis a simoniacis. In aliis autem criminibus etiam si sint notoria, expectanda est sententia, 15. q. 8, sciscitantibus; 8. q. 4, nonne; et supra, ut lite penden., laudabilem; et supra, ut lite penden., a memoria; et infra, de divort., porro. Et est ratio, quia fornicarii notorii et simoniaci sunt suspensi ipso iure, 1. q. 1, reperiuntur. Sed nonne pro aliis criminibus prohibetur quis a perceptione dominici corporis, de conse. dist. 2, quotidie. Et ab immolatione, ut 6. dist., testamentum. Quare ergo potius circa ista crimina hoc dicitur? Solutio: canon dicit quod istos simoniacos et fornicarios vitare possumus iure mero sed alios non, nisi essent excommunicati et suspensi vel depositi. Vincen.

Suae diocesis

Eo enim ipso debent sibi subesse, 16. q. 7, omnes basilicae; et 18. q. 2, monasteria. Nisi ostendant se exemptos, infra, de confirm. util. vel inutil., cum dilecta, ad fi. Et hoc ideo, quia possessor non cogitur probare titulum suae possessionis, C. de rei vend., res alienas; C. de pet. hered., cogi; et 2. q. 5 § 1, quia ius istud de communi iure pertinet ad episcopum in omnibus clericis suae diocesis, ut hic patet.

Non obstante

Nota hic casus in quibus non currit praescriptio. Primo in obedientia, ut hic. Item in procuratione ratione visitationis debita, supra, de praescrip., accedentes. Item in decimis a laicis possessis, supra, de praescrip., causam quae. Item in matrimonio, infra, de cons. et affin., non debet. Item in tributis sive publicis functionibus, C. de praescri. trig. vel quad. ann., comperit. Et liber homo non praescribitur, 16. q. 3, placuit § potest, vers. quod si privatus; et 16. q. 3, placuit ut quicumque § potest, vers. unde si liber. Item tempore vacantis ecclesiae non currit praescriptio. Nec tempore schismatis, supra, de praescrip., accedentes; et supra, de praescrip., de quarta; et infra, de praescrip., cum vobis. Item tempore hostilitatis non currit, supra, de praescrip., ex transmissa; et 16. q. 3, prima. Item nec contra nervum ecclesiasticae disciplinae, supra, de consuet., cum inter. Item in re quae de iure communi possideri non potest, 93. dist., illud; et 100. dist., contra morem. Item limes, 16. q. 3, licet; et infra, de paroch., super eo. Item nec in re spirituali iniusto titulo acquisita, supra, de transact., praeterea quarto. Item nec via publica, ff. de via public., viam. Item nec contra ius publicum, C. de oper. pub., praescriptio. Item res sacra et res fiscalis, Inst. de usucapion. § 1; et Inst. de usucapion. § res fisci. Item res praesidi data contra legem Iuliam repetundarum, ff. ad leg. Iul. repet., quod contra legem. Item res pupillaris, ff. de acq. rer. dom., bonae. Item fundus dotalis, ff. de fund. dot., si fundus. Item res peculiaris, ut videtur C. ne de stat. def., repetitio. Item pupillo non currit praescriptio, C. in quib. caus. in int. rest., sancimus. Item uxori durante matrimonio non currit praescriptio, nisi maritus vergat ad inopiam, C. de iure dot., in rebus § omnes. Item in rebus quae sub conditione debentur, non currit praescriptio, nisi a tempore coditionis extantis, C. de praescri. trig. vel quad. ann., cum notissimi § illud autem. Item tempore suspensionis praelati non currit praescriptio, infra, de concess. praeben., quia diversitatem. Item filiofamilias non currit praescriptio, dum est in potestate patris, C. de annal. except., super annali, in fi. § ulti.; et C. de bon. quae liber., quaecumque, ad fi.; et

C. de bon. mat., res quae, in fi.; et supra, de postul. praelat., bonae 2, in fi. Item quidam sunt qui praescribere non possunt, ut precario tenentes, 10. q. 3, quia cognovimus. Item colonus, 16. q. 3, clerici; et 16. q. 3, si episcopus; C. de praescri. trig. vel quad. ann., male agitur. Item qui nomine alieno possidet, infra, de praescrip., si diligenti. Item usufructuarius, Inst. per quas pers. nob. acq. § fructuarius. Nec creditor praescribit pignus, ff. de usucap., non solum § qui pignori; et C. de pigner. act., nec creditores. Et hoc intellige de longa praescriptione secundum leges, non de longissima. Arg. est quod contra obedientiam praescribitur, infra, de privileg., cum olim propter. Sed ibi habuit privilegium ratione cuius praescripsit, et praeterea suberat Romanae ecclesiae quae ipsam obedientiam contra episcopum potius praescripsit. Sic infra, de praescrip., cum ex officii.

X 2.26.13 *Ad audientiam*

Comestiones
Id est, albergarias seu procurationes, quas a singulis seu certis percipere poterat.

Banna
Id est, ius indicendi bannum vel edictum.

Placita
Id est, iurisdictionem causarum.

Forisfacta
Id est, pecuniarias poenas delinquentium, arg. infra, de poeni., presbyteri.

Scriniarius
Scriniarii appellantur tabelliones et est vulgare Romanorum.

Magis auctoritatem
Arg. contra C. de fid. instrum., in exercendis; supra, de fide instrum., cum Ioannes. Solutio: illud generale, et istud speciale propter antiquitatem facti, ff. de probation., census. Et sunt semper specialia ista obviantia illi generali, scilicet ubicumque scriptura est necessaria, 97. dist., nobilissimus, C. de mand. princ., si quis; supra, de offi. deleg., cum in iure; C. si min. se maior. dix., si alterius. Et ubicumque privilegium allegatur, arg. infra, de privileg., porro. Quaedam enim melius probantur per instrumenta quam per testes, ut dictum est. De hoc supra, de probat., tertio, ut hic sequitur ubi dicit: considerantes etiam librum consualem etc.

Censualem
Sic enim per libros antiquos probatur divisio diocesum, supra, de probat., cum causam. Et instrumento producto de archivo publico creditur, C. de fid. instrum., authen. ad hoc. Arg. 30. q. 1, pervenit. Publicum testimonium dicitur habere, ex quo magistratus confitetur illud de archivo publico esse, ut hic, et si manu commentariensi ei signa imposita sunt consueta, arg. ff. de iure fisc., in fraudem § quotiens; et C. de fid. instrum., plures; ff. de probation., census; C. arb. tut., veteris. Et sufficit quod in libro authentico scriptum est, 6. q. 3, scriptum est; et ff. qui et a quib. man. lib., prospexit.

Iuratus
Sic ergo praesumitur pro aliquo rationem iuramenti, 1. q. 7, sancimus; supra, de praesump., illud. Item ratione honestatis suae, supra, de fide instrum., cum dilectus.

Principaliter
Secus si secundario, infra, de re iudic., quamvis; arg. infra, de privileg., si de terra; et infra, de privileg., accedentibus. Postea tamen iste castellanus praescribere ut teneret terram, et esset feudatarius ecclesiae Romanae et non ille, quia per hoc non praeiudicatur ecclesiae. Sic 16. q. 4, volumus; arg. C. de praescri. trig. vel quad. ann., competit; et C. de praescri. trig. vel quad. ann., iubemus; 16. q. 3, placuit § potest; et supra, de praescrip., sanctorum.

Centenaria
16. q. 3, nemo; et infra, de praescrip., cum vobis; et C. de sacro. eccl., ut inter divinum; et melius in authentica ibi signata C. de sacro. eccl., authen. quas actiones, in fi.

Tamquam
Arg. quod aliquis facit aliquid non tamquam ipse, sed tamquam alius, supra, de elect., cum inter canonicos; et ff. de adopt., si pater § qui duos; ff. de inoffic. testam., Papinianus § sed neque impuberis; ff. quan. appel. sit, si quidem § solent; et infra, de rebus ecc. non alien., si quis. Sic aliquis facit aliquid in eo quod homo, et aliud in eo quod rex, 23. q. 4, si ecclesia, in fi.

X 2.26.14 *Cum vobis*

Legali
C. de sacro. eccl., ut inter divinum; et in Auth. ut eccl. Rom. cent. § quod autem, coll. 2.

Canonica
16. q. 3, nemo; et supra, de praescrip., ad audientiam; et infra, de praescrip., si diligenti, in fi.

Centum annorum
Haec praescriptio obtinet in rebus et possessionibus, sed in privilegio praelationis, quo super aliis ecclesiis obtinet principatum, nulla currit ei praescriptio, 93. dist., qui cathedram; 24. q. 1, quia ex sola; et 24. q. 1, rogamus; et 24. q. 1, schisma. Quia hoc esset praescribere obedientiam, quod esse non potest, supra, de praescrip., cum non liceat, quia nemo debet esse sine capite, 93. dist., nulla. Vincen. Sed videtur certe impossibile probari praescriptionem centum annorum. Idem est ac si diceret Papa: nolo quod currat praescriptio contra Romanam ecclesiam. Simile 2. q. 4, praesul. Sed qualiter probabit se possedisse spatio centum annorum? Per instrumenta non posset hoc probari, quia per intrumenta non probatur possessio, supra, de fide instrum., inter dilectos. Per testes non posset probari, nisi testes ad minus haberent centum et quatuordecim annos. Unde videtur quod sufficiat probare per tempus cuius non extat memoria, quia tanto tempore res aliae praescribuntur, quae alias non praescriberentur, ff. de aqua quot. et aest., hoc

iure § aquaeductus. Vel quod testes dicant se semper audivisse a suis maioribus, et nemo sit qui viderit vel audierit aliud. Sic enim probatur de antiquitate, ff. de probation., si arbiter; et ff. de aqua pluv. arc., in summa § idem. Io. Sed non recedendum est a verbis istis, et sic necesse est probare centenariam praescriptionem, et sufficit quod ita placuit legislatori, ff. qui et a quib. man. lib., prospexit; et 6. q. 3, scriptum est.

Scismatum
Quando currat praescriptio et quando non, dicitur supra, de praescrip., cum non liceat.

Deduci
Tempus enim schismatis deducitur de praescriptione si primum sit, medium ultimumve, C. de praescri. long. temp. dec., authen. quod si quis quibusdam; et C. de rest. milit., quod tempore; ff. ex quib. cau. maio., necnon § si quis saepius.

X 2.26.15 *Auditis*

Diocesana
Haec diocesana lex comprehendit etiam legem iurisdictionis. De his dicitur supra, de offi. ord., dilectus; et supra, de offi. ord., conquerente.

Abbas autem
Sic ergo cum agitur de subiectione aliquorum, non illi, sed ille qui dicit illos sibi subiectos esse, conveniri debet, 16. q. 3, inter memoratos; et supra, ut lite non cont., quoniam § quod sic; et ff. de liber. exhib., ut si; ff. de servit., quotiens 2, in fi.; et ff. si serv. vend., is cuius familia. Sic et pro illis agere potest, supra, de praescrip., ex transmissa. Et subditus etiam convenitur, supra, de elect., querelam. Sed si petere vellet procurationem vel censum a capellanis, eos poterit convenire, arg. ff. de usufru., si pendentes § penulti.; et ff. de usufru., usufructu relicto; et ff. de usufru., usufructu legato § hactenus; et infra, de censib., cum instantia.

Exemptas
Primo per privilegium Romani ponitificis, supra, de in integ. restit., auditis. In illa littera ubi dicit cognovimus etc., quae dicitur pars illius. Secundo per praescriptionem, ut sequitur in vers. verum etc. Et hoc intelligitur sub hoc infra. Unde praedicta decretalis fuit decisa ab isto loco, quia faciebat ad titulum de in integrum restitutione. Et haec decretalis continuatur in integra.

Ius episcopale
Hic manifeste patet, quod iura episcopalia praescribuntur, ut infra, de praescrip., cum olim. De hoc dicitur 16. q. 3, quicumque. Sed videtur quod abbas non potuerit praescribere huiusmodi exceptionem contra illud, supra, de praescrip., cum non liceat; et supra, de consuet., cum inter. Sed bene potuit praescribere illas ecclesias, si legitimo tempore illas possederit, ut supra, de praescrip., de quarta. Et sic abbas illas habebat pleno iure, sed abbas suam propriam libertatem praescribere non posset. Sed alius cuius nomine ipsam allegaret, infra, de praescrip., cum ex officii, si super hoc habuit tale quale privilegium, arg. supra, de consuet., cum dilectus; et infra, de privileg., cum olim propter.

Item patet quod omnia iura quae abbas potest possidere, potest praescribere, infra, de praescrip., cum olim. Sed non alia quae enumerantur, 68. dist., quamvis corepiscopis. Unde ea quae ad utramque legem spectant, potest praescribere, ut hic patet. Cognitio enim causarum matrimonialium tantum de iure communi spectat ad iurisdictionem episcopi, infra, de excess. praelat., accedentibus. Quam praescribit abbas, ut infra sequitur. Ius episcopale genus est, et habet multas species sub se, quae enumerantur supra, de offi. ord., conquerente; et supra, de offi. ord., dilectus. Et infra quaedam enumerantur, ut ibi dixi circa possessionem, et caetera quae sequuntur.

Praescripsisse

Sic ergo abbas iste tuebatur se duplici iure, scilicet exemptionis et iure praescriptionis, quae iura sunt contraria, infra, de praescrip., veniens. Quia si tutus erat iure privilegii, non potest praescribere, quia quod meum est ex una causa, ex alia meum fieri non potest, supra, de fide instrum., inter dilectos. Sed dicas quod simul non proposuit ista duo, sed de una exceptione transivit ad aliam, quod fieri potest, arg. 24. q. 1, quisquis; ff. de exception., nemo; C. de transaction., interpositas; supra, de caus. poss. et propr., pastoralis; et supra, de testib., significaverunt; et ff. de acq. poss., naturaliter § nihil. Et generaliter licitum est de una defensione transire ad aliam, arg. bonum supra, de probat., licet; et infra, de praescrip., cum olim. Nisi ubi ius contrarium prohibet, ff. de regul. iur., nemo ex his. Vel sub disiunctione simul proposita fuerant, ut si hoc vel illud probaverit abbas obtineat, et nisi forte per tantum temporis spatium ecclesia vacasset. Ber.

Si per illa

Celestinus exemerat a iurisdictione episcopi loca quae isti reges donaverant libertati. Cum autem per privilegia Celestini non constaret, quod vallis de Heuescam, in qua episcopus petebat ius episcopale, esset de illis locis donatis libertati ab illis regibus. Mandat Papa inspici privilegium illorum regum, et si per illa privilegia constiterit quod vallis de Heuescam sit de illis locis, apparet quod Celestinus exemit locum, scilicet vallem de Heuescam. Et sic abbas obtinebit, nec habet locum postea probatio vacantis ecclesiae. Et sic prius cognosci debet de hoc articulo tamquam praeiudicali.

Subducto

Sic supra, de praescrip., placuit; et supra, de praescrip., de quarta; et supra, de praescrip., cum vobis. Quia tunc defensore carebat. Sic C. quom. et quan. iud. sent. prof., si praesens. Sic et absenti adiiciuntur tot anni quot fuit absens, C. de praescri. long. temp. dec., authen. quid si.

Interruptionem

Sed contrarium videtur quod si interrumpit quo ad quaedam, ergo quo ad omnia ex iure episcopali provenientia. Nam qui aurem hominis tetigit, totum hominem tetegisse videtur, de poen. dist. 1, vulgaris; arg. C. de duob. reis, cum quidam. Hoc tamen ut sciens se habere ius episcopale, uno tantum utitur, arg. ff. de servitu. rust. praed., una est via; et ff. quemad. serv. amit., si stillicidii § ulti.; et ff. de servit., ut pomum, ad fi. Sed non est ita, ut hic patet, et infra, de capell. monach., dilectus. Licet enim praescribatur in uno capitulo, non praescribitur in alio. Vel si fiat interruptio in uno, non prodest in alio.

Sancti Petri
Forte percipiebantur nomine Romanae ecclesiae, arg. infra, de praescrip., si diligenti. Sed abbas allegabat ad se pertinere ministerium perceptionis, supra, de praescrip., ad audientiam.

Imponentes
Sibi imputet episcopus qui tanto tempore gesta taciturnitate firmavit, C. de his qui a non dom. man., si non a dominis, in fi. Et sic patet quod negligentia praelati nocet ecclesiae. Arg. contra quia taciturnitas non videtur nocere successori, supra, de praescrip., nihil, ubi de hoc. Arg. ad hoc ff. de pet. hered., si quidem possessor § si quid autem. Sed numquid ei qui non potest agere currit praescriptio? Videtur quod sic, sed restituitur, ff. de itin. act. priv., praetor ait § si quis propter; et ff. de servitu. rust. praed., et Attilicinus. Sed contra videtur arg. infra, de appell., ex ratione; et C. de annal. except., super annali, in fi. Quia ubi nulla petitio, nulla mora, ff. de ver. oblig., si pupillus; et ff. si cert. pet., lecta. Dicas ergo quod praescriptio semper currit. Sed si laeditur quis, restituitur ex iusta causa, ff. ex quib. cau. maio., huius edicti, in fi.; et ff. ex quib. cau. maio., ait praetor § 1; et ff. ex quib. cau. maio., ait praetor § 2, nisi lex impediat cursum praescriptionis, ut in C. de annal. except., super annali, in fi., et in casibus qui notantur supra, de praescrip., cum non liceat; et ff. de iud., consensisse § penulti. In casu tamen non fit restitutio quando currit praescriptio, cum potest habere recursum contra impedientem, cuius dolo res periit, ff. de dolo mal., arbitrio § dolo. Et hoc si solvendo est ille dolosus. Alias fit restitutio contra adversarium, ff. de dolo mal., et eleganter § si dolo. Illud tamen scias quod ubi quis laeditur in praescriptione, restitutionem petere debet infra quadriennium, C. de temp. in int. rest., supervacuam. Ubi vero non currit, semper servatur illaesus, nec est aliqua restitutio ibi facienda. Laur. tamen super hoc dicit ut notatur supra, de in integ. restit., auditis, in notula secunda illa ecclesia etc.

X 2.26.16 *Cum ex officii*

Negaverunt
Quia tenebatur ad hospitalitatem, 42. dist. § 1; et 42. dist., quiescamus.

Allegantes
Et male, quia tempus non est modus tollendae obligationis, ff. de act. et oblig., obligationum § placet. Arg. contra C. de agric. et cens., litibus, lib. 11.

Petitam
Propter quod archiepiscopus eos excommunicavit.

Penitus
Quidam notaverunt in loco isto, quod licet procuratio non possit praescribi, tamen si episcopus visitat, quod nullam recipiat procurationem, tunc potest praescribi procuratio. Arg. ad hoc infra, de censib., sopitae. Cum enim procuratio talis possit commutari, ut 10. q. 3, relatum, ergo et remitti. Sed non est verum, quia expresse non potest episcopus procurationem illam remittere, infra, de censib., cum venerabilis. Arg. contra infra, de dona., pastoralis. Item ratio legis obviat eis, nam quamdiu quis habet haustum, et iter

debet habere, ff. de servitu. rust. praed., item sic § ulti. Et licet ager sit sterilis ita quod nihil inde percipiat, tamen retineo usumfructum in eo, ff. de usufru., arboribus § ulti. Io.

Procurationem
ff. de off. praes., plebiscita; et ff. de off. procon., solet § ulti.; et ff. de off. procon., observare.

Ratione visitationis
Simile supra, de praescrip., accedentes, ubi de hoc.

Visitationem
Istud esset praescribere obedientiam, quod esse non potest, supra, de praescrip., cum non liceat; et supra, de consuet., cum inter. Et sic patet quod idem iuris est in accessorio quod in principali, ut si principali, scilicet visitatio non praescribitur, nec procuratio quae accedit visitationi. Simile supra, de for. compet., si diligenti; et supra, de offi. deleg., prudentiam, ad fi. Et contra correctionem non licet suffragium quaerere, infra, de appell., reprehensibilis; et infra, de appell., ad nostram.

Consuetudine
Praescripta, 9. q. 3, conquestus. Immo de iure communi, infra, de censib., sopitae. Cum de iure communi debuerat visitare, cum episcopus est negligens, 9. q. 3, cum simus. Et de iure communi debet habere tunc procurationem, ut hic patet. Quia nemo suis stipendiis cogitur militare, ut hic dicit, et 10. q. 2, precarie; et 13. q. 1, ecclesias § his itaque; et 28. q. 1, iam nunc, in fi.; et infra, de simon., cum sit Romana.

Aliud
Ut si haberent privilegium, supra, de praescrip., accedentes. Vel si aliquando absoluti fuissent, arg. infra, de censib., sopitae.

X 2.26.17 *Si diligenti*

Tota Sardinia
Arg. quod eodem privilegio censetur membra et caput, supra, de praescrip., cum non liceat; 12. dist., de his; et 12. dist., non licet; et infra, de cognat. spir., super eo.

Confessionem
Quae sibi praeiudicavit in hoc, supra, de confess., cum super; et supra, de confess., ex parte, ubi de hoc. Unde praescribere non poterat, cum sciret rem ad alium pertinere, ut infra dicitur.

Confessionem
De qua habuisti in parte decisa.

In quasi
Hoc ideo dicit, quia incorporalia non possidentur, sed qua si possidentur, supra, de caus. poss. et propr., cum ecclesia; et ff. de usucap., sequitur § si viam.

Nomine possidetur
Et ita ille possidere intelligitur, cuius nomine alius possidet, supra, de restit. spol., cum venisset; et ff. de acq. poss., quod meo; ff. quemad. serv. amit., usu retinetur.

Nomine tuo
Hoc non potest habere locum, nisi quando sciret vel crederet hoc iuramentum pertinere ad Romanam ecclesiam. Et hoc ipse archiepiscopus confitebatur, quod antecessores sui nomine Romanae ecclesiae receperant huiusmodi iuramentum. Unde sequitur quod si dicat quod nomine suo recepit iuramentum, sic fecit contra fidelitatem usurpando ius Romanae ecclesiae. Et ideo dicit quod praescribere non posset, cum non ostendat titulum, et habeat malam fidem. Qui enim scit rem ad alium pertinere vel credit, non potest praescribere, nisi habeat titulum cuius nomine praescribat. Sed iste non ostendebat auctoritatem sedis Apostolicae, unde non poterat praescribere. Finem huius notulae intellige prout notatur in glossa sequenti ex hoc.

Bona fides
Illud generaliter verum est, quod secundum canones bona fides praescribentis necessaria est, sive de re spirituali sive civili, infra, de praescrip., quoniam; et supra, de praescrip., vigilanti; et 34. q. 2, si virgo. Et bona fides intelligitur cum aliquis credit tradentem esse dominum, vel habere ius distrahendi, licet erret in facto, ff. de ver. sig., bonae fidei. Et haec bona fides semper praesumitur, nisi probetur contrarium, cum lex dicat praesumi ignorantiam nisi probetur scientia, ff. de probation., verius. Quandoque tamen praesumitur contrarium propter denunciationis vigorem, C. de rei vend., si fundum. Vel quia mercatur aliquid contra leges, C. de agric. et cens., quemadmodum, lib. 11. Vel si emit a procuratore meo per collusionem, vel quia emit a prodigo vel luxurioso, cui bonis interdictum est, cum sciret protinus illum consumpturum pecuniam, ff. pro empt., qui fundum § qui sciens; et ff. pro empt., si quis. Quandoque tamen quis habet conscientiam rei alienae, et tamen usucapit, ut si decretum iudicis intervenit, ff. de noxal. act., et generaliter; et 16. q. 3, placuit; et 16. q. 3, quicumque; et supra, de praescrip., placuit. Illud tamen scias quod non obstat accipienti mala fides tradentis, ff. de diver. temp. praescr., an vitium. Arg. contra C. de praescri. long. temp. dec., authen. malae fidei. Sed illud intelligitur de praescriptionibus decem vel viginti annorum. Ubi bona fides ab utraque parte exigitur, sed in triginta vel quadraginta annorum praescriptione secundum leges non nocet, 16. q. 3, placuit § potest; et 16. q. 3, placuit § quod si mala fide; C. de praescri. trig. vel quad. ann., si quis emptionis; supra, de praescrip., vigilanti. Item dicitur bona fides, licet quis erret in iure, arg. infra, de iure patron., cura. Sed illud intelligitur aliter, ut ibi dicitur, et ff. de pet. hered., sed et si § scire. Licet secus sit in usucapione, ff. de usucap., numquam 2. Item et si habeat conscientiam dubiam, bona fides dicitur, ff. de usucap., qui scit § bonae fidei.

Iustus titulus
Ex hoc videtur quod bona fides non sufficiat sine iusto titulo. Sic infra, de decim., dudum. Quia ex solo cursu temporis ius non constituitur, sicut nec tollitur, ff. de act. et oblig., obligationum § placet. Sed contra videtur quod bona fides tantum sufficiat in huiusmodi praescriptionibus, infra, de praescrip., quoniam; et supra, de praescrip.,

vigilanti; et supra, de praescrip., de quarta; et supra, de caus. poss. et propr., cum ecclesia. In quibus tantum sufficere videtur bona fides, cum de titulo ibi nulla fiat mentio. Immo videtur quod ista contraria sint. Si enim aliquis habet iustum titulum, puta privilegium sive concessionem, iam securus est. Unde postea non est ei necessaria praescriptio. Vel si iam praescripsit, non est necesse impetrare privilegium, immo impetrando unum, alii renunciare videtur, infra, de praescrip., veniens. Et quod semel meum est, ex alia causa meum fieri non potest, supra, de fide instrum., inter dilectos; et Inst. de action. § sic itaque; et ff. de acq. poss., possideri § ex pluribus. Ad hoc potest dici quod titulus pro tanto dicitur iustus, quia dat causam praescribendi, licet in veritate non sit iustus. Quia tunc nulla est praescriptio necessaria, ff. de usucap., sequitur § si ex lana. Unde minus iustus titulus dat causam praescribendi, si adsit bona fides, ut ille credat talem titulum sufficere, et credat tradentem esse dominum. Et sic potest intelligi quod dicitur supra, de praescrip., de quarta; et supra, de consuet., cum dilectus; et infra, de empt. et vend., pervenit; ff. pro empt., quod vulgo; et ff. pro legat., pro legato potest; et ff. pro legat., pro legato usucapit. Sed cum in casu isto non ostenderet aliquem titulum, et sciret rem ad alium pertinere, ut patet per confessionem illius, non poterit praescribere. Ideo dicit quod bona fides et iustus titulus requiruntur in praescriptione rei ecclesiasticae. Io. dixit quod circa incorporalia non est necesse allegare titulum, ut notatur secundum eum, supra, de caus. poss. et propr., cum ecclesia. Sed hoc exemplum contradicit ei. Ut ergo scias quando sit necessarius iustus titulus et quando sufficiat bona fides, inspiciendum est an iura illa super quibus allegatur praescriptio, iure communi valeant ab ipso possideri necne. Si enim iure communi possint possideri, sufficit bona fides ad praescribendum. Et sic intelliguntur quasi omnia iura istius tituli, et 16. q. 3, per totum; et 16. q. 4, per totum, eo salvo quod dictum est de limite supra, de praescrip., quia indicante. Si vero iure communi possideri non possunt ab eo qui obiicit praescriptionem. Quantumcumque habeat bonam fidem, non praescribit, quia praescriptio ius creatum avocat, novum autem ius non creat, ut 100. dist., contra morem; 93. dist., illud. Sic ius decimarum non cadit in laicum, et ideo nulla valet ibi praescriptio, 16. q. 1, quoniam quicquid; et 16. q. 3, placuit § potest, vers. quod si privatus; et 16. q. 7, decimas quas in usum; et supra, de praescrip., causam quae, ubi non prodest titulus, et 1. q. 3, quaesitum. Sic ius eligendi non cadit in laicum, supra, de elect., sacrosancta; et supra, de elect., Massana; et infra, de iure patron., nobis. Et sic intellige infra, de decim., dudum, quia et illi Hospitalarii de iure communi decimas possidere non possunt. Unde compelluntur titulum ostendere ex quo habuissent causam praescribendi. Sic et in monasterio, si monachi nollent subesse episcopo, quia allegarent praescriptionem, cum de iure communi subiectionem evitare non possunt. Et generaliter obtinet hoc in his et aliis omnibus, quae iure communi possideri non possunt ab his qui ea detinent. Et hoc patet ex eo quod talia impetrantur per privilegium, ergo de iure communi non possidentur, 100. dist., contra morem. Sic episcopus in parochia alterius episcopi non potest decimas et ecclesias possidere de iure communi. Unde si allegaret praescriptionem in decimis et ecclesiis in diocesi alterius, allegare debet titulum et hunc probare. Et hoc probatur in quadam decretali nova Gregorii quae incipit infra, de praescrip., extravag. venerabilium. Et causa de hoc fuit inter archiepiscopum Rothomagensem et episcopum Exoniensem. Et idem est de aliis parochiis inferioribus, ut una ecclesia in parochia alterius non praescribat sine titulo. Et sic intelligitur supra, de praescrip., ad aures, nisi illa ecclesia quae praescribit, habeat titulum. Sed videtur quod olim sufficiebat bona fides, supra, de praescrip., ad aures. Ber.

X 2.26.18 *Cum olim*

In diocesi tua
16. q. 7, omnes basilicae; et 18. q. 2, monasteria; et supra, de praescrip., cum non liceat.

Praesumptione munitum
Et ita patet quod nisi abbas praescripsisset praedicta, praeiudicatum fuisset ei per arbitrium circa privilegia. Et sic abbas potest praescribere iura episcopalia contra episcopum, ut supra, de praescrip., auditis, ubi de hoc. Et sic abbas, quae amisit per arbitrium, recuperavit in praescriptione. Et intelligo quod abbas ignorabat arbitrium, alias non praescriberet, cum haberet malam fidem, infra, de praescrip., veniens. Sed obedientiam non posset abbas praescribere in sua persona, sed illius cuius nomine allegaret praescriptionem, supra, de praescrip., cum ex officii.

Tenorem
Et ita sententiat pro abbate in his tantum in quibus praescripsit. In aliis statur arbitrio, et fertur sententia pro episcopo. Nec immerito, quia per arbitrium recessum fuit a privilegio Gregorii ad minus in his quae faciunt pro abbate. Sed libertati non potuit abbas renunciare per arbitrium sine licentia Papae, supra, de arbitr., cum tempore. Alias vero non valuerunt tamquam per mendacium impetrata post arbitrium, infra, de decim., ex multiplici. Tanc. intelligit quod arbitrium non tangit capitula illa, super quibus fertur sententia pro abbate, et in quibus praescripsit contra episcopum, alias non potuisset praescribere praedicta, quia praesumeret habuisse malam fidem propter arbitrium, quia habens malam fidem non praescribit, infra, de praescrip., quoniam. Et hoc probatur per litteram sequentem, ubi dicit: iuxta tenorem arbitrii etc. Ber.

X 2.26.19 *Veniens*

Impediat
Intentabat abbas uti possidetis. Ber.

Regis
Arg. quod reges possunt dare privilegium decimarum, et de rebus spiritualibus, 96. dist., Constantinus imperator. Sed contrarium verum est, infra, de decim., tua 2; et infra, de decim., dudum.

Postulavit
Super libellis istis non formatur sententia. Sed super secunda parte libelli ipsius abbatis, in qua petiit ut clerici ecclesiarum monasterii libere possint recipere sacramenta, quae enumerantur in vers. chrisma etc. Et ibi incipit formare sententiam. Super aliis libellis nihil dicit in hac decretali, quia non pertinent ad hunc titulum. Ber.

Et infra
Haec non est nisi pars sententiae. Super isto infra defalcata fuit pars sententiae, scilicet super decimis petitis. Vel sic: et infra, supple etiam quod episcopus petebat quod abbas

et clerici reciperent ab eo, sicut a diocesano ecclesiastica sacramenta, sed ad elidendam intentionem suam abbas ostendit privilegium Paschalis Papae et Alexandri Papae, in quibus continebatur quod abbas reciperet ecclesiastica sacramenta ab episcopo si esset catholicus, vel gratiam sedis Apostolicae haberet, et ipse ea sine pravitate vellet conferre. Item ostendit aliud privilegium Clementis Papae, in quo indistincte fuerat monasterio indultum, ut a quocumque possent ecclesiastica recipere sacramenta. Quod non valuit, quia de praedictis privilegiis Paschalis et Alexandri non faciebat aliquam mentionem. Insuper praescriptionem legitimam allegavit, unde Papa pronunciat ut sequitur. Sed quid de decimis petitis, quia in sententia de ipsis mentio non est facta? Sed quomodo de ipsis pronunciavit non habemus. Sed si abbas probavit de iure suo super ipsis obtinuit, alias succubuit, quia actore non probante reus absolvitur, supra, de iureiur., iuramentum.

Chrisma
Hic incipit sententia.

Gratiam sedis Apostolicae habuerit
Id est, quod non sit excommunicatus, suspensus aut interdictus, supra, de offi. ord., quod sedem.

Paschalis
Idem videtur de iure communi, quod ab alio posset petere. Etsi illa clausula non esset apposita, quia propter malitiam, sive desidiam iudicis delegati, devolvitur potestas ad eum, qui in causa illa iudex non est, supra, de offi. ord., significavit; et supra, de for. compet., ex transmissa; et supra, de for. compet., ex tenore; et 65. dist., si forte.

Clementis
Dato super praedictis articulis, ut illa sacramenta reciperent a quo vellent, quod non valuit.

Nullam
Sic patet expresse quod secundum privilegium debet facere mentionem de primo, ad hoc ut revocet illud. De hoc dictum est plene supra, de rescript., sicut Romana. Quidam tamen dicunt aliud esse in privilegio quam in rescripto, cum privilegium sit lex privata, 3. dist., privilegia. Et una lex non debet de alia facere mentionem. Sed illud obtinet in legibus communibus, quas princeps habet in scrinio pectoris sui, C. de testament., omnium. Secus in legibus privatis, quarum non habet memoriam, supra, de offi. deleg., ex parte N. Sicut nec habet memoriam rescriptorum.

Opponebat
Super praemissis sacramentis recipiendis ab alio episcopo.

Renunciasse
Nota quod privilegium et praescriptio contraria sunt, ex quo simul haberi non possunt, ut dixi, supra, de praescrip., si diligenti; et supra, de praescrip., auditis. Quia ingressus unius, alterius operatur egressum. Simile 32. q. 1, cum renunciatur; et 100. dist., contra morem; ff. de separat., sciendum § illud sciendum; ff. de minor., in causae 2, in princ.; et

ff. ad municip., municipem; ff. de leg. 1, si quando; C. de thesaur., nemo, lib. 10. Sicut econverso utendo iure communi renunciatur privilegio, supra, de consti., cum accessissent; et infra, de praeben., pro illorum; et infra, de privileg., si de terra; et infra, de privileg., accedentibus; et C. de iure dom. imp., si creditor; et ff. rem rat. hab., cum minor § falsus procurator. Sed videtur quod iure communi et privilegio possit quis simul uti, supra, de consuet., cum dilectus. Nec renunciat quis iure militari, licet utatur iure communi, ff. de testam. milit., si miles qui; et 23. dist., quamquam, in princ.; et ff. de reb. auct. iud. poss., Antiochensium. Sicut iuri communi et consuetudini aliquis innititur, 95. dist., olim; et infra, de censib., sopitae. Potest dici quod hic recessum fuit a iure communi, scilicet praescriptione, quia impetravit abbas privilegium donationis. Et ex diversis causis non potest habere dominium, supra, de fide instrum., inter dilectos; et ff. de acq. poss., possideri § ex pluribus. Sed si ipse impetrasset privilegium confirmationis, illud non obstaret, quia confirmaret ius quo utebatur, scilicet praescriptione.

Intentioni
Dicebat abbas quod licebat clericis ecclesiarum suarum recipere sacramenta ab episcopo a quo vellent iure praescriptionis, et privilegium Alexandri dicebat, quod primo a diocesano suo postulare tenebantur. Et ita privilegium istud quantum ad hunc articulum contradicit, et ita impetrando contrarium privilegium renunciavit praescriptioni, et praecipue quia usus est in iudicio privilegio Alexandri. Et idem esset si privilegio non fuisset usus, quia eo ipso quod impetravit privilegium, renunciabat praescriptioni, et ita habebat malam fidem, et ideo non poterat praescribere post impetratum privilegium si nondum erat completa praescriptio, ut littera dicit. Sed si nullum privilegium allegasset, sed solam praescriptionem, numquid alter episcopus posset praescribere collationem istorum sacramentorum? Ex hac littera videtur quod sic. Contra videtur supra, de praescrip., si diligenti, quia in talibus quae sunt contra ius commune, titulus necessarius videtur, ut ibi dicitur, et infra, de decim., dudum; et infra, de praescrip., extravag. venerabilium

Contradicit
Simile infra, de concess. praeben., ex tenore; et supra, de fide instrum., imputari.

X 2.26.20 *Quoniam omne*

Ex fide
Id est, ex conscientia. Sic exponitur ad fi. de poen. dist. 3 § illud, quasi ad medium; et supra, de restit. spol., litteras; 28. q. 1 § ex his.

Bona fide
Arg. contra infra, de iure patron., cura. Quando quis dicatur habere bonam fidem, dictum est supra, de praescrip., si diligenti, in notula illud generaliter. Et quilibet praesumitur habere bonam fidem. Sed quid si adversarius etiam vellet probare ipsum nullo titulo possedisse, sed potius per violentiam. Et sic mala fide incoepit possidere? Videtur quod debeat audiri ex quo vult probare originem praescriptionis vitiosam, C. de pignorib., authen. ne creditores; et C. de pignorib., authe. ne creditores; et C. de praescri. long. temp. dec., authen. malae fidei; C. de distract. pign., et qui sub imagine; et 16. q. 3, si

sacerdotes; et 16. q. 3, clerici; et 16. q. 3, licet; et 16. q. 3, per singulas, in fi.; et 93. dist., illud; C. de praescri. trig. vel quad. ann., si quis emptionis § sed haec. Arg. contra supra, de praescrip., ad aures, quia ut ibi dicitur, quadragenalis praescriptio omnem tollit actionem, et C. de praescri. trig. vel quad. ann., si quis emptionis; et C. de praescri. trig. vel quad. ann., saepe. Ad hoc potest dici quod bene debet audiri qui vult probare malam fidem ab initio habuisse, quia postea praescribere non potuit, supra, de praescrip., veniens, in fi.; et supra, de praescrib., vigilanti; et supra, de praescrip., si diligenti, et hic. Sed numquid hic tenetur docere de titulo, cum hic tantum dicatur de fide? De hoc dictum est supra, de praescrip., si diligenti, in notula ex hoc videtur.

Quam civilis

Ex eo quod dicit, tam canonica quam civilis, videtur quod Papa voluit praeiudicare praescriptioni laicorum, quae praescriptio locum habet ubi etiam habent malam fidem in praescriptione triginta vel quadraginta annorum, supra, de praescrip., vigilanti; et 16. q. 3, placuit § potest; et 16. q. 3, placuit § quod si mala. Dicebat Io. quod ratione peccati statuit hoc Papa de praescriptionibus laicorum, quia omnis causa ratione peccati saltem indirecte pertinet ad ecclesiam, supra, de iudic., novit. Et secundum hoc omnia civilia iura quae tractant de praescriptione triginta vel quadraginta annorum in malae fidei possessoribus non tenent hodie. Sed hoc non credo, quod per istam constitutionem Papa voluerit praeiudicare legibus. Sed quo ad ius divinum verum est illud quod sine peccato mortali laicus malae fidei praescribens talem rem retinere non potest, 14. q. 6, si res. Et littera ista sic intelligitur tam canonica, id est, tam de re spiritualia quam civili. Et hoc vult dicere, ille qui praescribit bonam fidem habere debet, sive res quam praescribit spiritualis sit vel civilis secundum iura canonica, et sic nihil statuit contra leges. Vel dicas secundum quod dixit Io. quod lex aliud consideravit quam canon. Lex enim consideravit negligentiam non petentis rem suam, supra, de praescrip., vigilanti. Sed canon consideravit peccatum praescribentis mala fide, quod non excusat negligentiam non petentis rem suam. Et ideo dicit hic quod nulla valet praescriptio sive canonica vel civilis, quae sine peccato mortali conservari non potest. Unde potius standum est canoni quam legi in hoc casu, quia praescribens non excusatur a peccato per rationem legis. Et ideo canon voluit propter periculum animarum in hoc leges corrigere, licet non servetur in iudicio saeculari. Sicut dicitur de legibus permittentibus usuras, quae hodie non tenent, ut notatur infra, de usur., quia in omnibus. Et constitutio ista tantum respicit futura, cum de praeteritis nihil dicat, supra, de consti., quoniam, ubi de hoc. Sed quid dices ubi ecclesia habet utramque iurisdictionem, numquid iudicabit super laicos secundum canones de huiusmodi praescriptione? Videtur quod sic auctoritate illius constitutionis. Et quia non debet impugnare quod statuit observandum, et quod alias prohibet, infra, de nat. ex lib. ven., indecens. Et quod exigitur in aliis, multo fortius in se exigere debet, ff. de negot. gest., si pupilli § ulti.; et ff. de admin. tut., quotiens § item si temporali.

Nulla temporis

Scilicet ipsius praescriptionis. Si enim post completam praescriptionem sciat rem alienam, non dicitur ideo mala fide possidere. De hoc dicitur supra, de praescrip., vigilanti. Sed quid si tempore praescriptionis habuerit conscientiam laesam, postea incipiat habere non laesam. Numquid propter hoc est interrupta praescriptio? Non videtur, quia erronea fuit, unde eam deponere debet, infra, de simon., per tuas 2; et 11. q.

3, cui est illata. Item quid si dubitat an res sit sua, et habet iustam causam dubitationis? Adhuc dicitur bonae fidei possessor, et utitur fructibus, ff. de usuri., qui scit § bonae fidei. Et in hoc casu praescribit, licet habeat conscientiam dubiam non tamen laesam, quia nescit adhuc an res sit aliena, debet inquirere ab aliis de re illa, ut sic perveniat ad veritatem, arg. 37. dist. § ut itaque; 23. q. 8, occidit. Item quid si praelatus habeat laesam conscientiam alicuius rei quam possidet, licet ecclesia habeat bonam fidem, numquid tenetur dimittere illam? Respondeo non, sed significabit illi cuius est, ut petat. Et sic purgabit conscientiam suam. Nec in hoc videtur fraudem facere, ff. de negot. gest., at qui natura § cum me absente; et ff. mand. vel cont., Quintus Mucius. Sed si ille veniat et petat in iudicio, et praelatus confiteatur, numquid praeiudicat ecclesiae, qui habet bonam fidem? Si enim praelatus constitutus a collegio ad defendendum confitetur tamquam syndicus in iudicio, bene praeiudicabitur ecclesiae, quia tunc sustinet personam totius capituli. Alias non credo quod confessio praelati praeiudicet ecclesiae, nisi forte confiteretur de eo, quod ipsemet fecisset, arg. 25. q. 2, postquam. De hac materia dixi supra, de elect., dudum ecclesia. Tu dic ut ibi.

X 2.27 DE SENTENTIA ET RE IUDICATA

X 2.27.01 *Sententia*

Sententia

Decretalis ista loquitur de materia illa 16. q. 1, frater noster. Et ex illa littera potest colligi casus huius decretalis.

Contra leges

Quae dicunt quod sententia a non suo iudice lata non tenet, C. si a non comp. iud., iudex; et C. si a non comp. iud., si militaris; et C. si a non comp. iud., et in privatorum; et 2. q. 1, in primis, vers. de persona; 11. q. 1, in clericorum; et supra, de iudic., at si clerici; et 16. q. 1, frater noster, ut hic patet. Item sententia lata contra leges, id est, ius constitutionis, ita quod hoc in sententia exprimatur, nulla est ipso iure et citra appellationem rescinditur, ut hic patet, et infra, de re iudic., cum inter vos, in fi.; et infra, de re iudic., inter caeteras; et 2. q. 6, ei qui § diffinitiva, vers. item si sententia contra ius scriptum; et ff. de appellat., si expressum. Item si calculi error in sententia sit expressus, sententia non tenet, ff. quae sent. sine appel., illud § 1; et infra, de sent. excom., per tuas. Nec efficitur aliqua per appellationem, ff. rem rat. hab., cum minor § falsus; et ff. de iud., licet verum. Sed non est ita. Ibi enim sententia lata est in persona falsi procuratoris, unde ab initio tenet sententia quamdiu constet de falso procuratore. Et si dominus recurrat ad commune auxilium appellationis, intelligitur approbare factum falsi procuratoris, et ideo per appellationem efficitur aliqua, quae per exceptionem poterat irritari. Secus ubi ab initio nulla est, ubi est defectus in iurisdicitione, ibi per appellationem non firmatur, ut hic, et in concordantiis ibi positis. Sed in ff. rem rat. hab., cum minor § falsus; et in ff. de iud., licet verum, non fuit defectus in iurisdictione.

X 2.27.02 *Iurgantium*

Celeri
Simile 2. q. 1, sicut; et C. de iud., properandum, in princ.; et supra, de dolo et contu., finem; et supra, de dolo et contu., venerabilis. Arg. contra 11. q. 3, cum apud. Illud intelligitur quando sententia lata est ad mortem, et ibi differtur executio ex causa, ut ibi dicitur. Nec tamen cum nimia festinatione ferenda est sententia, antequam iudex possit esse instructus, supra, de in integ. restit., tum ex litteris. Quia ipsum oportet cuncta rimari, 30. q. 5, iudicantem. Aliter enim ad veritatem pervenire non posset, 23. q. 8, occidit. Sed moratoria cunctatione causam examinabit, ff. de admin. tut., tutor qui § 1.

X 2.27.03 *Non potest*

Sacerdotum
Id est, episcoporum trium in causa diaconi. In causa presbyteri sex ad minus, 15. q. 7, si autem; et 15. q. 7, felix. Sed numquid debent omnes concordare ad hoc, ut teneat sententia? Videtur quod sic ex eo quod dicit concors, supra, de translat., inter corporalia. Sed sufficit quod maior pars concordet in unam sententiam, et satis dicetur tunc concors, quia quod maior facit pars, valet, ff. ad municip., quod maior; 65. dist., sane; 65. dist., non debet; et 65. dist., episcopus. Sed in causa episcopi non tenet sententia nisi omnes concordaverint iudices, quibus causa per Papam committitur, 6. q. 4, si quis episcopus criminaliter accusatus; et 6. q. 4, si quis episcopus criminaliter in iudicio. Et est speciale in causa episcopi. Aliud speciale ubi non tenet sententia plurium notatur supra, de rescript., pastoralis, in princ.

X 2.27.04 *Ea quae*

Morem
Id est, secundum canones.

Roborentur
Si postulatum fuit ea roborari, ut 35. q. 9, omnimodis; et 2. q. 1, sicut; et supra, de pact., quotiens; supra, de transact., sicut. Et haec quidem confirmatio si facta fuerit ex certa scientia, et cum causa cognitione, non poterit postea inferior iudex de illa iudicare, infra, de confirm. util. vel inutil., si quis; et infra, de confirm. util. vel inutil., de confirmationibus, ubi de hoc.

X 2.27.05 *De caetero*

Fraus
Scilicet circa negotium principale, quia obtinet sententiam per fraudem, puta per falsos testes vel per falsa instrumenta. Si haec obiiciantur coram executore, ut executio differatur, non est ei facultas de hoc cognoscnedi, ut hic dicit. Quia sic assumeret partes iudicis, quod esse non debet, C. de execut. rei iud., si ut proponis. Nec sententiam debet mandare executioni, sed haec referre debet superiori, ut hic dicitur, et infra, de crim. falsi, super eo. Arg. contra hoc habes, quod iste executor posset de huiusmodi cognoscere, 25. q. 2, si non cognitio. Solutio: hoc capitulum de mero executore intelligitur, qui nullam habet cognitionem annexam nisi solam executionem. Sic intelligitur infra, de crim. falsi,

super eo. Lex praedicta intelligitur de illo executore, qui habet cognitionem. De hac materia plene tractatur supra, de offi. deleg., pastoralis § quia vero.

X 2.27.06 *Cum aliquibus*

Pignora
Sic ff. de constit. pecun., promissor § constitutio; et ff. de pigner. act., non est, ubi dicitur pignus non aliter constituitur nisi ventum fuerit in possessionum. Simile ff. de acq. poss., possideri, in princ. Et hoc ideo ne lites ex litibus oriantur, ff. de re iud., si se non § ait praetor.

X 2.27.07 *Lator*

Insinuatione
Modo collige ex hoc loco, quod in causis in quibus vertitur periculum animae, potest quis venire contra factum suum, ut revocetur sententia quam ferri procuravit. Et si constiterit ecclesiam fuisse deceptam, revocabitur sententia, infra, de re iudic., consanguinei; et supra, de testib., sicut; et 35. q. 9, loci § his ita, in fi. Alias turpitudinem suam allegans non auditur, infra, de dona., inter dilectos; et infra, de concess. praeben., cum super.

Renitentem
Haec violentia transivit postmodum in consensum per carnalem copulam subsecutam, infra, de spons., ad id quod.

Aetatis
Et hoc contradicit ei quod praemisit de carnali copula, et sic fuit allegatio et ex alia causa fuit matrimonium separatum.

Permanere
Non obstante sententia prius lata, quia contra matrimonium non currit praescriptio, 33. q. 5, quod Deo, etiam si ab illa sententia non fuit appellatum, quia sententia lata contra matrimonium non transit in rem iudicatam, quin revocetur sententia quandocumque error sententiae detectus fuerit, ut hic patet, et infra, de frig. et malef., fraternitatis; 35. q. 9, grave; et 35. q. 9, loci § his ita. Sic nullo tractu temporis matrimonium confirmatur in gradu prohibito contractum, infra, de cons. et affin., non debet. Et quod dici consuevit, sententia contra matrimonium non transit in rem iudicatam, verum est ubi bene coniuncti indebite separantur, quia quos Deus coniunxit, homo separare non potest. Et ideo quandocumque contrarium legitime constiterit, sententia retractabitur. Idem est cum in gradu prohibito aliqui sunt coniuncti vel aliquo alio perpetuo impedimento, quia nullum est ibi matrimonium, unde nullus consensus potest matrimonium inducere inter eos. Sed ubi sententia fertur pro matrimonio ubi nullum subest impedimentum, si ab ea non fuerit appellatum, transit in rem iudicatam, quia iudicatis acquievisse videtur, infra, de re iudic., quod ad consultationem. Unde postea non audietur, immo compelletur alter alteri adhaerere.

X 2.27.08 *Cum causa*

Arripueras
Ex quo aliquis non prosequitur appellationem infra terminum sibi praefixum, ex tunc iudex procedere potest, tamquam citatus peremptorie non venisset, infra, de appell., saepe. Quia perinde est ac si non appellasset, infra, de appell., cum sit Romana. Unde in hoc non peccavit iudex. Ber.

Promulgavit
Ecce hic obtinuit consuetudo bis in contradictorio iudicio. Ergo debuit valere, ff. de legib., cum de consuetudine; et infra, de verb. sign., abbate. Solutio: haec consuetudo fuit contraria iuri, et mala in praeiudicium ecclesiae, et ideo non fuit servanda. Unde ad ultimum cassatur sententia. Alias si bona fuisset consuetudo, servaretur, supra, de eo qui mitt. in poss. caus., cum venissent. Forte talis erat consuetudo illa, quod si quis emit a praelato ecclesiae solo, tenet venditio, licet non probet pretium in utilitatem ecclesiae versum esse contra illud 10. q. 2, hoc ius porrectum; 12. q. 2, sine exceptione.

Consuetudinis
Sic 11. dist., consuetudinis; et supra, de consuet., cum tanto, ubi exponitur haec auctoritas.

Praeiudicat
Verum est quod consuetudo non praeiudicat legi nisi sit rationabilis et legitime sit praescripta. Nam tunc bene praeiudicat legi, supra, de consuet., cum tanto, ubi plene de hac materia dicitur. Et haec consuetudo non fuit rationabilis nec praescripta. Ber.

X 2.27.09 *Inter caeteras*

Evacuari
Cum sententia tenuerit et appellatum fuit ab ea. Vel evacuetur de facto, cum est nulla. Simile infra, de rebus ecc. non alien., si quis.

Manifestam
Puta quia lata est contra ius scriptum, scilicet contra leges vel canones, supra, de re iudic., sententia. Ita quod in ipsa sententia continebatur error, 2. q. 6, ei qui § diffinitiva, vers. item si sententia contra ius scriptum; et infra, de confirm. util. vel inutil., examinata; et infra, de sent. excom., per tuas, et hic in fine. Et ita ipso iure nulla est talis sententia, ut supra, de re iudic., sententia, ubi de hoc. Aliud est cum lata est contra ius litigatoris, quia tunc transit in rem iudicatam nisi fuerit appellatum, infra, de re iudic., cum inter vos. Et si per iniuriam iudicis damnatus fuit, poterit agere contra iudicem qui fecit litem suam ad interesse, ff. de iud., filiusfamilias; et ff. de evict., si per imprudentiam; et infra, de empt. et vend., si venditori. Et infamis efficitur, C. de po. iud. qui mal. iud., de eo. Ber.

X 2.27.10 *Tenor litterarum*

Infirmitate
Quod si verum fuisset, iusta erat excusatio, supra, de procurat., querelam; et 5. q. 3, si aegrotans. Immo nec tunc res iudicata censetur, ff. de re iud., quaesitum, 1. resp.; et ff. de iud., quaesitum, 2. resp. Nec mandanda est sententia executioni infirmitate praetenta, ff. de iud., si praetor, in fi. Sed hoc falso allegabat, ut bene declarant sequentia.

Promulgasti
Et merito tamquam contra contumacem, cum ex facto sequenti appareat quod malitiose praetendebat infirmitatem, et ita sequens praesumptio elidit primam. Sic ff. de in int. rest., divus.

Subarrasset
Id est, fidem consensus de praesenti dedisset. Alias si loqueretur de consensu de futuro, non mandaret Papa virum separari ab illa, cum qua postea contraxit per verba de praesenti, quia sic soluta erant priora sponsalia, infra, de spons., si inter; et infra, de spons., adolescens; et infra, de matr. contrac. con. int., litterae; et infra, de matr. contrac. con. int., ex litteris. Et est vulgare loci illius. Sic 27. q. 2, si quis uxorem. Vel potest dici quod subarratio fit per immissionem annuli interveniente consensu tacite vel expresse, ut hic dicit. Et dic tacite ut in muto, expresse ut in loquente. Et stabitur huic subarrationi, quamvis nihil dicat, quamdiu contrarium non probabitur, quia praesumitur pro matrimonio, arg. 27. dist., quod interrogasti; 30. q. 5, nostrates; et 30. q. 5, feminae. Nihil enim interest an facto vel verbo quis declaret voluntatem suam, 43. dist., sit rector; et 41. dist., quisquis; et de poen. dist. 1, in actione; et infra, de poenit. et remiss., omnis § ulti.; et ff. de legib., de quibus. Nisi probet se animo non contrahendi id fecisse, arg. 22. q. 2, quod ait; et ff. de act. et oblig., obligationum substantia.

Absolutione
Facta contra mulierem absentem, ut superius patet. Et ita sententia lata contra absentem non contumacem nulla est in quocumque negotio, quia ea non obstante citra aliquam appellationem cognoscitur de causa. Et hoc probatur 3. q. 9, caveant; 3. q. 9, omnia; 3. q. 9, absente; 3. q. 9, re vera; 3. q. 9, absens. Et si citatus esset aliquis ad sententiam et iusta de causa impeditus venire non posset, revocatur sententia, infra, de re iudic., cum Bertholdus. Alias si fuisset contumax, non revocatur, 24. q. 3, de illicita; 3. q. 9, absens § nisi; et in Auth. ut omn. obed. iud. § si vero neque, coll. 5.

Accedat
Sed qualiter mulier illa secunda privatur iure suo ante finem causae, contra illud supra, ut lite penden., laudabilem; et 8. q. 4, nonne? Solutio: cum aliquis cum aliqua contraxit in facie ecclesiae approbante ecclesia, si postea matrimonium accusetur, locum habet illa decretalis supra, ut lite penden., laudabilem, et similia alia iura. Sed cum aliquis contrahit lite pendente cum aliqua vel contra prohibitionem ecclesiae, tunc locum habet quod hic dicitur, et infra, de matr. contrac. con. int., litterae; et infra, de matr. contrac. con. int., de muliere. Quia cum res facta est litigiosa, non debet in aliam transferri personam, 11. q. 1, qui res; C. de litig., censemus.

X 2.27.11 *Consanguinei*

Legitime
Quo ad ordinem iuris, non quo ad veritatem.

Rationabiliter
Et illud referas quo ad ordinem tantum.

Probaretur
Per legitimos et idoneos testes, et non per illos qui primum falsum tulerunt testimonium, cum periuri sint, ff. de testi., sicut. Sic supra, de re iudic., lator, ubi de hac materia. Nam ad confessionem mulieris et etiam viri non revocatur sententia per ecclesiam lata secundum ordinem iuris, sicut nec ad eorum confessionem matrimonium separatur, infra, de eo qui cog. consang., super eo. Ber.

X 2.27.12 *Cum olim*

Duplici sibi voce
Forte hoc dicebat se habere de consuetudine ratione dignitatis unam ratione praepositurae et aliam ratione canoniae. Sed non videtur quod propter pluralitatem stipendorum plures habeat voces, cum vox unius potior sit quam alterius ratione dignitatis, sicut in testibus, supra, de testib., in nostra. Vel aliquis forte commiserat ei vices suas, quod licet hodie secundum tenorem illius constitutionis, supra, de elect., quia propter.

Ad diaconatus
Haec allegatio non valebat si erat subdiaconus, supra, de aetat. et qualit., praeterea; et supra, de aetat. et qualit., a multis. Sed assumit illam non causam ut causam, supra, de elect., causam quae.

Circumventus
Nota quod praesumitur circumventus qui mutat interlocutoriam suam, quam tamen cum in praeiudicium alterius partis inique interloquitur, mutare debet, infra, de appell., cum cessante, ubi de hoc. Item videtur quod si aliquis impetrat occulte litteras cum adversarius est praesens, quod non valeant tamquam tacita veritate impetratae, supra, de rescript., caeterum. Arg. contra quia licitum est cuilibet vigilare pro commodo suo, licet in hoc alteri praeiudicetur, ff. quae in fraud. cred., pupillus; et C. deposi., supervacuam. Sed quare tenebatur quaerere adversarium, cum eius factum cassatum fuerit? Io. dixit quod forte ideo quod erat constitutus procurator ad revocandum cassationem. Haec non est ratio, sed haec potuit esse, quia cum Papa pronuniciasset, quod scriberet aliquibus quod monerent episcopum et capitulum ut eligerent, iam intereat episcopi et canonicorum ne aliquae litterae in contrarium impetrarentur. Et ideo videbatur quod procurator illorum debuit requiri. Vel illa fuit potior causa: quia ille in impetratione litterarum tacuit de pronunciatione domini Papae, quam si dixisset, non habuisset litteras, quin fecissent mentionem de illa pronunciatione. Et sic circumvenit Papam. Sed quod aliquis teneatur requirere adversarium suum non est verum, immo sibi imputet quod non contradixit in audientia, in qua debuit esse quando litterae transiverunt.

Donationis
Haec forte potuit esse, quia fecit sibi concedi ipse G. archidiaconatum ab episcopo post concessionem sibi factam a Papa, ut sic obtineret archidiaconatum potius per episcopum quam per Papam. Et ideo dicit in elusionem domini Papae.

Absenti
Sic supra, de elect., dudum ad audientiam. Arg. contra supra, ut lite non cont., ad hoc, ubi lite non contestata non proceditur contra absentem. Solutio: potest dici quod hic fuit lis contestata, ut dicunt quidam. Sed ex littera non colligitur. Vel hic fuit citatus vel expectatus. Vincen. arg. ad hoc supra, de dolo et contu., cum olim. Et si fuit citatus et noluit venire, recte potuit procedi contra eum lite non contestata, quia de electione praelati agebatur, supra, ut lite non cont., quoniam § porro. Vel quia Papae constitit de subreptione, ergo ei absenti licet non citato imponit silentium propter fraudem suam, quia decipit Papam.

Subreptione
Quae per subreptionem fuerunt impetratae, valere non debet, supra, de elect., cum dilectus; et 35. q. 9, sententiam.

Praesentes
Immo et absentes vocandi sunt, si commode vocari possunt, supra, de elect., quod sicut; et supra, de elect., quia propter. Nisi consuetudo esse in contrarium, quod absentes non vocarentur. Ideo forte dicit, qui praesentes fuerint. Et quod dicit omnium vestrum vel maioris partis, supple quia quod maior pars et sanior facit, valet et canonicum reputatur, supra, de elect., quia propter; infra, de his quae fi. a maior. par. cap., cum in cunctis.

X 2.27.13 *Cum inter vos*

Pleno iure
In spiritualibus et temporalibus, 16. q. 2, visis; et infra, de privileg., quoniam.

Similibus
Et ita abbas huiusmodi iura episcopalia possidere in ecclesiis potest et praescribere, supra, de praescrip., auditis; et supra, de praescrip., cum olim.

Testimonio
Alias non valeret, quia patriarcha vel archiepiscopus in diocesi suffraganei sui nihil disponere possunt, nisi quantum canones illis concedunt, infra, de excess. praelat., sicut; et supra, de offi. ord., pastoralis, ubi de hoc; et 9. q. 3, conquestus.

Sua vice
Potest enim quis subscribere per se vel per alium, arg. ff. de admin. tut., ita tamen § gessisse; arg. C. de testament., hac consultissima, in princ. Sed illud est cum ipsi sciunt scribere. Sic etiam cum alieno annulo possunt signare testamentum, C. de testament., si unus.

Cardinalem
Qui delegatus fuit ad causam, sed forte fuit appellatum ab ipso.

A quo
Hic corrigitur textus decretalis, quia ista est littera registri: a quo fuerat iudicatum, quod vel archipresbyter ecclesiam dimitteret aut abbati obedientiam repromitteret. Credens etiam quod testes vera deposuerint coram eo, qui de fidelitate manifestum protulerant testimonium, idem et ipse sententialiter diffinivit.

Donationis
Quia donatio non valebat, quae non fuit facta secundum formam iuris, 12. q. 2, sine exceptione; infra, de dona., pastoralis. Et ideo confirmationes vel privilegia, quae illam donationem confirmabant, non valebant. Quia si principale non tenet, nec accessorium, supra, de fide instrum., inter dilectos; et C. de legi. et const., non dubium.

Ad litigantes
Secus quo ad alios, C. de exception., pro portione; et infra, de re iudic., cum super; et supra, de testib., veniens 2; et infra, de re iudic., quamvis. Nisi in casibus in causa filiationis, ff. de liber. agnosc., senatus § ulti.; et ff. de liber. agnosc., in omnibus; et ff. de liber. agnosc., sive. Item in causa testamentaria, ff. de inoffic. testam., qui repudiantis; et ff. de inoffic. testam., posthumus § 1. In causa liberali, ff. de statu hom., ingenuum.

Iudicatam
Hoc est post decem dies, infra, de re iudic., quod ad consultationem; et supra, de elect., cum dilectus, in fi.; et 2. q. 6, ei qui § diffinitiva; ff. de condi. indeb., eleganter § 1. Unde postea retractari per appellationem vel supplicationem non potest. Laur.

Contra ius constitutionis
Illa enim nec transit in rem iudicatam. Nec est necesse appellare ab ea, 2. q. 6 § diffinitiva. Et sic intellige quando in sententia error exprimitur, ut infra, de sent. excom., per tuas; et ff. de appellat., si expressum; et supra, de re iudic., inter caeteras, ubi de hoc; et supra, de re iudic., sententia; et in 2. q. 6 § diffinitiva.

Sermonibus praevalente
Forte hoc ideo dixit, quia res aliter fuit narrata quam gesta. Sic ff. de re iud., actorum. Et veritas rerum errore gestorum non vitiatur, ff. de off. praes., illicitas § 1. Hoc vult dicere secundum Io. Quia verba sive sermo donationis non concordabant sententiae. Sensus huius litterae talis est: sententia hic appellatur veritas gestorum, quia res iudicata pro veritate accipitur, ff. de statu hom., ingenuum. Sermones hic appellat alia quae allegabantur, scilicet donationes, privilegia, confirmationes super donatione, quae nihil valebant. Et ita veritas gestorum, id est, sententia quae lata fuit auctoritate gestorum, quae in prima causa probata fuerunt, quae praesumuntur legitime acta, praevalent sermonibus, praedictis donationibus, et confirmationibus nihil valentibus. Et ita Papa sententiat secundum primam sententiam tantum in duobus articulis qui continebantur in sententia, et hunc intellectum probat lex praedicta, ff. de off. praes., illicitas § 1. Ber.

X 2.27.14 *Causam quae*

Mandati
Si hoc probatum fuisset, sententia non valeret, supra, de rescript., cum dilecta; et supra, de offi. deleg., venerabili; et infra, de confirm. util. vel inutil., examinata. Aliud esset si praeter formam, supra, de offi. deleg., ex parte tua; et supra, de elect., in causis; et ff. iudi. solv., iam tamen § penulti.; et ff. mand. vel cont.; et ff. de procur., ad rem; et ff. de procur., ad legatum. Et iudex cui commissa est inquisitio, primo debet inquirere de fama, licet hoc non dicatur in litteris, infra, de accusat., cum oporteat.

Nitebatur
Et ita qui appellat, probare debet de iniquitate sententiae, infra, de appell., cum in ecclesia; et C. de appellat., qui ad civilia. Sed contra videtur dicere Auth. de his qui ingred. ad appel. § illud, coll. 5. Dic ut dictum est supra, de renunciat., in praesentia.

Speciem
Sic supra, de renunciat., in praesentia; supra, de testib., in nostra; 4. q. 3, si testes; et ff. de testi., ob carmen § ulti. Et nota quod plura hic videntur facere pro ipsa sententia, scilicet quod nihil continebat iniquum, quia de communi consensu partium fuit causa commissa. Et quod requisitus fuit ille iudex ab utraque parte ut sententiam ferret, quorum quaedam nihil operantur ad hoc ut teneat sententia vel non teneat, sive de communi consensu causa fuerit commissa sive non. Hoc nihil facit ut sententia magis valeat vel non, nec etiam quod fuerit iudex requisitus, nisi cum causa esset commissa infra certum tempus, et prorogata iurisdictione infra tempus, et post tempus requisitus consensit, ut ferret sententiam. Tunc enim videtur prorogare iurisdictionem, supra, de offi. deleg., de causis. Quia istis non obstantibus posset appellare, si alias sententia esset iniqua. Primum ergo faciebat pro confirmatione sententiae, scilicet quod non continebat iniquum. Et quia ille A. sententiam illam non potuit impugnare, quod esset lata contra formam statuti vel mandati ut allegabat. Unde merito debuit confirmari, quia semper statur sententiae, quamdiu contrarium non ostendatur, ut in decretali praedicta supra, de renunciat., in praesentia. Ber.

X 2.27.15 *Quod ad consultationem*

Causam non exprimens
Cum appellatur a gravamine ante sententiam, causa gravaminis propter quam appellatur semper est exprimenda, infra, de appell., ut debitus; et infra, de appell., dilecto filio; et infra, de appell., constitutus. Sed cum quis appellat a diffinitiva, tunc sufficit dicere: appello ab iniqua sententia, ff. de minor., praefecti; et 2. q. 6, post appellationem § forma; et 2. q. 6, anteriorum. Sed in casu praesenti non valebat appellatio, sive expressisset causam sive non, cum terminus appellationis esset elapsus.

Locus
Hoc ideo dicit, quia petendo inducias videtur approbasse sententiam, supra, de offi. deleg., gratum; et supra, de testib., cum venisset; C de re iud., ad solutionem; ff. de pacti.,

tale pactum § 1; C. de iure dom. imp., si creditor; et 2. q. 6 § biduum, in fi. Et hic expresse dicitur arg. contra 3. q. 3, offeratur.

Sententiae
Non ipsius de qua mentio facta est, scilicet de purgatione praestandat, sed alterius latae in pecuniaria causa secundum quod dicitur in casu.

Arctari
Sic ff. de re iud., qui pro tribunali. Simile infra, de appell., oblatae. Contra ff. de re iud., si se non § si quis condemnatus. Solutio: quod dicitur hic et infra, de appell., oblatae; et ff. de re iud., qui pro tribunali, intelligitur quando ex iusta causa prorogatur, vel etiam arctatur tempus quadrimestre. Lex contraria quando iudex nulla causa assignata arctat tempus, quod facere non debet. Unde tunc tempus suppletur a lege.

Excedatur
Sic 2. q. 6, ei qui § sunt etiam quorum; et 2. q. 6 § ab executore; et C. quor. app. non rec., ab executione; et supra, de offi. deleg., super quaestionum § nos etiam. Sed qualiter excedit modum? Quia aut facit quod mandatur, et tunc non excedit, aut facit aliud, et tunc nulla est sententia. Unde non est necesse appellare, supra, de re iudic., sententia. Quia non servat formam mandati, supra, de rescript., cum dilecta; et infra, de confirm. util. vel inutil., examinata? Solutio: iudex potest excedere mandatum faciendo quod mandatur, et plus aggravando illum contra quem fit executio. Et tunc tenet sententia, unde necessaria est appellatio. Item in alio casu si vendicaverit partes iudicis, C. de execut. rei iud., si ut proponis. Et tunc sententia nulla est, ut ibi. Item si obiicitur excommunicatio, 11. q. 3, cum excommunicato; supra, de except., cum inter; et in decretali Inno. iiii supra, de except., extravag. pia. Item si innovatio facta esset post rem iudicatam. Tunc mutatur ordo executionis, ff. de re iud., si se non § si ex conventione. Item si velit praevenire tempus quadrimestre, ff. de re iud., si se non § si quis condemnatus. Item si male interpretaretur sententiam, ff. de appellat., ab executore. Item si obiiciatur quaestio falsi, supra, de re iudic., de caetero; C. si ex fals. inst. vel test., iudicati; et infra, de crim. falsi, super eo. Item si fiat exceptio per quam retro nullum fiat iudicium, supra, de procurat., in nostra. Arg. contra ff. mand. vel cont., diligenter, in princ., ubi dicitur: qui excessit mandatum, aliud quidem facere videtur.

X 2.27.16 *Sicut nobis*

Absolutus
Exceptio de re iudicata impedit litem contestatam, supra, ut lite non cont., quoniam. Unde non tenebatur litem contestatri presbyter iste, si hoc opposuisset, ut dicit decretalis praedicta supra, de litis contest., extravag. exceptionis peremptoriae. Ber.

De causis
Videtur quod testis debeat assignare causam sui testimonii, ut supra, de testib., cum causam quae, ubi de causis mandatur inquiri, et 4. q. 3, si testes § item solam. Aliter enim non pervenitur ad veritatem, 23. q. 8, occidit. Nec sufficit testi dicere se scire, nisi assignet causam scientiae suae, cum multa sint genera sciendi, 22. q. 5, hoc videtur.

Quod verum est si testis interrogatus fuerit. Si vero interrogatus non fuerit, bene valet dictum eius, licet fuerit nude prolatum, ut hic, arg. ff. de novi operis nunc., de pupillo § qui opus.

Exprimantur
Sed numquid iudex tenetur assignare causam, quae ipsum movit in sententia proferenda? Arg. quod sic, 21. dist., in tantum; ff. de his qui not. infam., ait praetor § ignominiae; C. de iud., properandum § illo, circa fi.; ff. de curat. fur., si furioso § 1. Quia oportet ut sciatur quid moverit iudicem ad sententiam proferendam ad hoc, ut emptor possit agere de evictione, ff. de evict., hoc iure; et ff. de evict., sed si ex utriusque. Ad hoc potest dici quod iudex potest opponere causam quae ipsum movet. Si tamen non apponitur, bene tenet sententia, infra, de re iudic., cum Bertholdus, in fi., et hic ubi non fuit apposita. In causa vero appellationis bene debet apponi causa quare revocatur prior sententia, ut per hoc prioribus iudicibus non imputetur. Sic supra, de fide instrum., cum Ioannes, in fi.; et infra, de privileg., cum olim propter. Et sufficit rem fuisse redhibitam, sive fuerit in causa redhibitionis sive non, ff. de aedil. edict., quod si nolit § in factum. Et ita statur sententiae iudicis sive causa fuerit apposita sive non. Similiter in instrumentis aliorum praesumuntur omnia esse solemniter acta, ut Inst. de fideiussor. § ulti.; et Inst. de inutil. stipul. § si scriptum; et Inst. de inutil. stipul. § praeterea; et ff. de ver. oblig., sciendum. Sed in hoc est differentia, quod si in instrumentis tabellionum non exprimitur causa, non praesumitur pro ipso instrumento, supra, de fide instrum., si cautio; et ff. de probation., cum de indebito § sin autem. Alias autem qui allegat solemnitatem sive circa sententiam sive circa instrumentum, ipsam probet, 31. q. 2, Lotharius, in princ.; ff. de probation., quigenta, in fi. Ubi licet per verba instrumentorum non appareant instrumenta solemniter acta, possunt probari per testes, C. de usuri., si interrogatione; et supra, de testib., significavit; et supra, de testib., Albericus. Et sic in maleficiis praesumitur potius iniuste factum quam iuste, supra, de praesump., sicut; et C. de iniuri., si non convicii. Sed numquid contra talem praesumptionem admittitur probatio? Dico quod sic, ff. de pacti., iurisgentium § quod fere; ff. de probation., cum de indebito § ulti.; et supra, de fide instrum., si cautio. Io.

Debet
Sic supra, de re iudic., cum inter vos; et supra, de elect., bonae 1; et supra, de renunciat., in praesentia. Arg. contra supra, de probat., quoniam, ubi de hoc dicitur ad finem.

X 2.27.17 *Cum super*

Monasterium
Et ita tenet sententia quo ad unam personam et non quo ad aliam, sic et ultima voluntas defuncti destituta solemnitate iuris tenet quo ad filios et non quo ad extraneum, C. fam. ercis., inter omnes; et C. de testament., hac consultissima § ex imperfecto. Arg. contra infra, de dona., inter dilectos; et infra, de capell. monach., dilectus; infra, de re iudic., suborta; et supra, de arbitr., cum tempore; et 49. dist., sacerdotes.

Interpositam
Sed quare iste compellitur probare se iuste appellasse, cum non magis oneraretur si contra eum lata sententia? Sed si hoc probabit, numquid cassabitur sententia? Dicas quod non cogitur plene probare causam appellandi, sed sufficit probare quod aliquod modo sua intersit, supra, de testib., veniens 2. Nec cassabitur statim sententia, sed differetur executio sententiae, si probabit quod iuste appellaverit, et postea admittetur tam super principali quam super sententia. Sic supra, de testib., veniens 2. Quia per sententiam non fit adhuc magnum praeiudicium, sed per executionem. Sic supra, de offi. deleg., super eo. Et ita sententia inter alios lata non obstat alii. Tamen tale quale praeiudicium fit alii, ut hic patet, arg. C. de liber. caus., iubemus. Sed non videtur quod a sententia lata inter alios possit appellari, ff. de appellat., a sententia, in princ. Immo potest, ut hic patet, ut per appellationem executio differatur. Sed pone quod sententia mandetur executioni pro episcopo, numquid episcopus praestabit cautionem ecclesiae de Cella quod ipsam defendat contra Ovetensem episcopum? Videtur quod sic, quia si duo petant rem ab uno, victori praestabit cautionem, quod defendat victum contra alium, ff. de rei vend., is a quo; ff. de pet. hered., cum idem. Sed hic non est ita, quia hic agit modo tantum ecclesia Ovetensis. Io.

Non noceat
Littera ista contradicit superiori, ubi dicit: ne circa possessionem etc. Quod hic dicit, non noceat, verum est quantum ad proprietatem. Sed ibi loquitur de praeiudicio quo ad possessionem, et ita non contradicit. Simile C. de liber. caus., iubemus.

Canonicas
Supra, de fide instrum., inter dilectos; infra, de re iudic., quamvis; et infra, de dona., inter dilectos.

Civiles
C. inter al. act. vel iudic., per totum; et ff. de re iud., saepe.

X 2.27.18 *Cum Bertholdus*

Cum universitate
Infra, de iure patron., ex litteris; ff. de contrah. empt., si aquaeductus; et ff. de contrah. empt., dolia.

De consensu episcopi
Aliter non posset, supra, de offi. archidiac., cum satis. Nisi haberet hoc de praescripta consuetudine, supra, de offi. archidiac., dilecto; infra, de excess. praelat., ad haec.

Adversus
Sed qualiter potuit iste T. agere, cum sola praesentatione nihil habeat iuris. Immo videtur quod contra episcopum deberet agere ad interesse, infra, de iure patron., pastoralis? Respondeo: bene acquiritur ius praesentato a vero patrono, licet episcopus eum non admittat, dummodo suam voluntatem patronus non mutet, et sic potest agere ut sua

praesentatio confirmetur, ut hic patet. Sicuti electus potest agere ut sua electio confirmetur, supra, de elect., postquam; et supra, de elect., publicato.

Remisissent
Assignando terminum peremptorium ad sententiam audiendam, ut patet in antiqua. Alias non tenuisset sententia lata contra absentem, ff. quae sent. sine appel., illud § ex eo edicto. Et ea quae adversus absentes non per contumaciam statuuntur, non tenent, C. quom. et quan. iud. sent. prof., ea quae. Sed hic tenuit sententia, ut patet per sequentia et propter terminum peremptorium statutum ad sententiam. Sed quia probavit iustam causam absentiae, revocatur sententia, ut 3. q. 9, caveatur. Ber.

Breve tempus
Et ita videtur quod mora possit purgari in iudiciis, ff. si quis caut., si post tres. Quod locum habet ante litem contestatam, et ubi ius actoris non est factum deterius, ut dicit illa lex. Sed hic non fuit sententia retracta propter breve tempus. Sed quia probavit iustam causam absentiae, fuit auditus.

Iustam causam
Alioquin non fuisset auditus. Arg. contra supra, de in integ. restit., ex litteris. Sed illud fuit in favorem matrimonii, et quia non poterat habere recursum contra dolosum, cum in eo casu fuerit non solvendo, supra, de procurat., querelam; et 5. q. 3, si aegrotans. Et ita revocatur sententia si iuste impeditus venire non potuit, ff. de damn. infect., si finita § si forte. Nec dicitur iudicatum ubi iusta de causa detentus praesens esse non potuit, ff. de re iud., quaesitum. Nec mandari debet talis sententia executioni, ut ff. de iud., si praetor, in fi. Et est notabile istud quod revocatur sententia cum interesse non potuit. Et sic est arg. quod iudex non debet nimium festinare ad sententiam, ut dicit lex praedicta ff. de damn. infect., si finita § si forte.

Decernerent
Sed qualiter potuit iste legatus retractare sententiam suam, cum nullus iudex possit hoc facere, dummodo non sit lata contra ius constitutionis C. sent. rescind. non pos., neque. Respondeo quod non potest retractari nisi per in integrum restitutionem, ff. de minor., in causae 2 § ulti.; et ff. de minor., praefecti. Vel nisi ipso iure sit nulla, C. de accusation., si accusatoribus. Unde hic fuit retractata per in integrum restitutionem. Et improprie ponitur hic, nullus momenti, quia talis sententia bene tenet quousque fuerit revocata.

Committentibus
Sed qualiter delegatus ab alio quam a principe committit alii vices suas contra illud, supra, de offi. deleg., super quaestionum § si vero; et C. de iud., a iudice? Quidam dicunt quod hic erat lis contestata coram delegatis. Unde cum videantur facti quasi domini litis, possunt alii committere vices suas ad similitudinem procuratoris, arg. C. de procur., nulla; et C. de procur., neque tutores. Vel dic quod hic non fuit oppositum. Et ideo taliter de facto processum fuit, et hodie stari debet praedictis iuribus, C. de iud., a iudice; et supra, de offi. deleg., super quaestionum. Et est expressum infra, de appell., cum causam. Unde non valet hodie quod hic dicitur.

Minus sufficienter
Et tamen admissus fuit per talem probationem, ne veritati opinio praevaleret, ut sequitur. Et sic arg. colligitur hic quod minus sufficiens probatio admittitur. Ex pluribus aliis causis fuit iste auditus, quia circumventus fuit iste legatus ex pluribus causis, quae in sententia continentur. Primo dicitur quod ille erat in possessione iuris patronatus, et hic falsum fuit. Item dicebatur in sententia, quod T. defecerat in probatione, et hoc fuit falsum, ut infra dicitur. Item quia causa non fuit sufficienter instructa ad legatum remissa, quia attestationes illius T. non fuerunt remissae ad legatum, prout ipse mandaverat. Unde manifeste apparet legatum circumventum fuisse. Ber.

Quodam iure
Sed videtur quod propter hoc quod fuit in possessione partis, quod etiam fuit in possessione totius, ff. de servitu. rust. praed., una est via. Et qui minimam partem fundi possidet, totum possidere videtur, ff. de acq. poss., possideri. Sed non est ita, supra, de praescrip., auditis, ubi de hoc; et infra, de capell. monach., dilectus. Quia perceptio pensionis nec possessionem probat nec dominium, supra, de fide instrum., inter dilectos, in fi.; et ff. de acq. poss., quamvis § 1. Quia alia est perceptio pensionis, et alia possessio praesentationis. Et ideo erravit legatus in sententia, credens hoc sufficiere. Et haec pensio sive census potest constitui a patrono in fundatione ecclesiae de auctoritate episcopi, 18. q. 2, Eleutherius; et infra, de iure patron., praeterea quoniam, et hoc ante consecrationem ecclesiae. Post consecrationem non potest ei aliquod onus imponi, quia rei consecratae non imponitur servitus, ff. de servit., servitutes § ulti. Et quod humani iuris esse desinit, servitutem non recipit, ff. comm. praed., caveri. Io. Et per talem perceptionem non fuit in possessione iuris patronatus, cum hoc non fuerit de fructibus iuris patronatus, sed praeter ius patronatus potest talis census constitui a patrono in ipsa fundatione, ut in capitulo praecedenti 18. q. 2, Eleutherius; et infra, de iure patron., praeterea quoniam. Quid intelligitur nomine iuris patronatus colligitur infra, de iure patron., nobis. Ber.

Intentionem
Scilicet quod fuerat praesentatus a vero patrono, ut dicit in fine.

Patrono
Per hoc patet quod patronus de obligatione quam fecit, excepit ius patronatus, alioquin transisset cum universitate, infra, de iure patron., ex litteris; arg. ff. de contrah. empt., in modicis. Sic et in fundo vendito accedunt servitutes et alia iura, ff. de contrah. empt., si aquaeductus; et ff. de contrah. empt., licet extra; et ff. de contrah. empt., dolia. Et sic fundus dotalis transit cum universitate, ff. de fund. dot., interdum. Sed alia ratio est in emptore vel feudatario qui directum et utile dominium habent in re, et aliud in creditore. Quia si ius praesentandi consistit in fructu, eo ipso quod creditor utitur tali fructu, exonerari debet quantitas debiti, C. de pigner. act., quod ex operis; et C. de pigner. act., creditor qui praedium; et infra, de usur., plures; et infra, de usur., quoniam. Sed talis fructus aestimari non potest, et ideo non diminuit quantitatem debiti. Item nec aliis iuribus utitur creditor, nisi hoc convenerit, ff. de pigner. act., sed an viae. Item quia soluto pignore omnia iura tolluntur, ff. quib. mod. pig. vel hyp. sol., debitoris; et C. si pig. pignor. dat., etiam; C. si pig. pignor. dat., si creditor. Et sic praesentatus soluto debito

esset de ecclesia removendus, quod est contra illud, 16. q. 7, inventum; et 56. dist., satis perversum; et infra, de excess. praelat., tanta. Item quia creditor peccat utendo pignore, ff. de fur., creditor; alias incipit ff. de fur., si pignore. Licet enim creditor rem sibi obligatam possit locare, ut ff. de pigner. act., creditor. Tamen fructus computabit sibi in sortem, infra, de pignor., cum contra. Licet enim in venditione omnia iura transeant, arg. ff. de off. praef. urb., omnia § 4, vers. cum urbem nostram. Non tamen in obligatione generali veniunt quae specialiter non obligarentur, ff. de pignorib., obligatione; et ff. de pignorib., vel quae; ff. de peculi., qui peculium; et C. quae res pign. oblig. poss., alumnos. Arg. contra ista, scilicet quod fructus non diminuant sortem, quia servitus quandoque inutilis est, ff. de servit., ei qui fundum. Sed ius patronatus bene transit cum universitate, nisi specialiter excipiatur, infra, de iure patron., cum saeculum; et infra, de iure patron., ex litteris.

X 2.27.19 *In causis*

In similibus
Et sic patet quod diffinitiva sententia principis trahenda est ad consequentiam, ex quo alii similiter iudicare debent. Sed interlocutoria non, C. de legi. et const., leges 1, circa fi.; et C. de legi. et const., si imperialis. Arg. contra quod interlocutoria vim legis habet, ff. quod metus cau., metum § sed quod praetor ait. Quod verum non est, nisi interlocutoria in corpore iuris claudatur. Et est simile huic 16. q. 3, licet. Ber.

X 2.27.20 *Inter monasterium*

Litis
Supra, de except., pastoralis; 3. q. 6, si quis episcoporum § exceptis; et C. de iud. apertissimi; et C. de iud., cum specialis. Ber.

Subeundo iudicium
Quicumque habet plures exceptiones dilatorias debet primo opponere illam de iudice suspecto. Illa enim praecedit naturaliter, ut patet supra, de probat., quoniam, ut ibi dictum est. Si enim primo opponeret exceptionem contra personam adversarii, puta quod ipse sit excommunicatus post litteras impetratas, quia modo non est admittendus et sententia pro ipso feratur, sic approbat personam iudicis. Unde ipsum postea reprobare non potest, 4. q. 3, si testes § item si quis testibus; et 3. q. 8, cuius in agendo. Qui enim aliis defensionibus usus est, non potest redire ad istam, ut ff. de iud., sed et si susceperit,. Et praeterea specialiter cavetur de hac exceptione, quod usque ad viginti dies proponatur, 3. q. 3 § offeratur. Et si iudex absens sit quem volo recusare, illud debeo protestari, C. de iud., cum specialis. Sed contra videtur per hoc quod non consenserit in iudicem, licet enim quis dederit fideiussorem standi iuri, adhuc potest iudicem recusare, ut 3. q. 3 § offeratur. Praeterea videtur quod excommunicationis exceptio vel de falsitate rescripti naturaliter praecedat, quia nisi rescriptum teneat, non potest iudex aliqua iurisdictione uti, supra, de iudic., de Quodvultdeo. Item si adversarius esset excommunicatus, non potest eligere arbitros pro iudicis recusatione vel etiam alios iudices eligere. Unde videtur quod primo inquiratur de rescripto sive de excommunicatione adversarii antequam ad alia procedatur. Super hoc dicunt quidam, sicut Tanc., quod si omissa exceptione de iudice

suspecto proposuit alias, sive succumbat sive obtineat, non potest postea redire ad eam de suspecto iudice, quia per hoc videtur tacite approbare personam iudicis, ex quo consentit litigare sub ipso. Arg. contra supra, de offi. deleg., insinuante. Maxime nulla protestatione praemissa, quod praeterea non renunciat exceptioni de suspecto iudice. Io. innuebat, sed non praecise distinguendo. Si succubuit in aliqua exceptione, adhuc potest redire ad illam de suspecto, quia ad hoc intendit ut declinet iudicium. Unde non plene consentit in iudicem, arg. C. de inoffic. testam., contra maiores. Secus esset si obtineret in aliqua exceptione, quia tunc approbavit sententiam iudicis. Unde illum postea reprobare non poterit, ut dicitur in principio notulae. Et hoc satis aequum videtur, tamen credo standum opinioni Tanc., quia litigando sub ipso approbat personam iudicis. Semel enim consentit etc., sive pro eo sive contra eum sententiaverit, ut hic patet. Ber.

Renunciasse

Arg. quod tacite sive ipso facto renunciat quis iuri suo. Sic supra, de offi. deleg., gratum; et supra, de offi. deleg., insinuante; et infra, de his quae fi. a maior. par. cap., ex ore, ubi argumenta plura invenies de hoc. Ber.

De privilegiis

Per quae ius eligendi de suo monasterio se habere dicebatur, supra, de consuet., cum dilectus. Quod non debuit taceri, supra, de rescript., cum ordinem.

Et processu

Nam de processu negotii et exceptione, si qua proponitur, mentio fieri debet, supra, de procurat., in nostra.

Non obstante sententia

Quae non tenebat forte lata a iudice non suo vel non servato ordine iudiciario. Unde sequitur quae si fuisset ostensa, contrarium statuissent. Ber.

Posthabita

Exponitur haec littera per Tanc. ea habita, id est, ea visa; post, id est, postea contrarium statuissent quam statuerunt. Quasi dicat si iudices illam vidissent, statuissent contrarium eius quod fecerunt, quia non confirmassent electionem. Et ideo dicit alioquin, id est, si non fuisset illis ostensa, imputent sibi qui debuerunt ostendere. Sed haec expositio contradicit notulae Laur. proximo positae. Unde secundum notulam Laur. sic expone posthabita, id est, postposita, C. de sport., quisquis, ut sit una dictio. Sic exponitur 32. q. 3, dixit Sara, ibi coniugalem posthabuit torum, id est, postposuit coniugalem torum, et accessit ad ancillam. Sic C. de excoct. et trans. mil., in excoctione, lib. 12. Quasi dicat si sententia fuisset iudicibus ostensa, illam postposuissent sive sprevissent, et statuissent contra ipsam sicut statuerunt, quia non tenebat.

Alioquin

Id est, si tenuisset et non eam opposuerunt, imputetur eis. Vel alioquin, id est, si non fuisset postposita sive spreta, quia sententia tenebat, imputatur eis, quia ammodo praetextu novorum instrumentorum, id est, repertorum de novo sententia non retractabitur. Et iste est verior intellectus, et haec expositio probatur infra, de re iudic.,

suborta, vers. nimirum; et ff. de negot. gest., si autem § 1; et ff. de compensat., quod in diem § 1.

Novorum
Id est, de novo repertorum, infra, de re iudic., suborta.

Confirmantes
Et ita tenet hic sententia contra res prius iudicatas, quia hic monachi eam omiserunt, post sententiam ea uti non possunt, quia praetextu novorum instrumentorum non retractatur sententia, ff. de re iud., imperatores; et C. de transaction., sub praetextu. Nec exceptio peremptoria locum habet post sententiam, nisi appellatum sit, C. sent. rescind. non pos., peremptorias; et supra, de fide instrum., cum Ioannes. Item iure minoris subvenitur ecclesiae in hac exceptione, supra, de in integ. restit., requisivit; et supra, de in integ. restit., auditis. Sed hoc non fuit petitum. Item non potest opponi sententia si fuit ostensa iudicibus, et ipsi eam reprobaverunt veluti nullam, infra, de re iudic., suborta; ff. de compensat., quod in diem § 1. Item etiam in alio casu tenet sententia contra res prius iudicatas, si quaestio sit an sit iudicatum vel non. Et si iudex pronunciavit iudicatum non esse, rescinditur prima sententia, ff. quae sent. sine appel., illud, in princ. Item in alio casu tenet sententia contra res prius iudicatas, ut in negotio publico, ff. de re iud., imperatores. Et in alio casu ff. de iureiuran., admonendi. Item ubi vertitur periculum animae tenet sententia contra primam, etiam si non ostendatur sententia in iudicio, supra, de re iudic., lator; et supra, de re iudic., consanguinei. Vincen. Sed videtur quod iniuria facta fuit istis monachis, qui obiiciebant sententiam, quia non fuerunt admissi. Isti monachi appellaverunt a iudicibus qui tulerunt sententiam. Sed in causa appellationis, ut dictum est, potest opponi exceptio peremptoria omissa in prima causa, ergo isti debebant audiri in sua exceptione. Io. dixit quod haec decretalis loquitur in eo casu cum scit aliquis se habere exceptionem rei iudicatae, et in fraude et dolo eam omittit volens fatigare adversarium suum. Alias si ignorabat hanc exceptionem sibi competere, bene potest eam tunc opponere quandocumque, quia tunc non retractatur secunda sententia, immo nulla pronunciatur. Hoc quod dicit Io. non colligitur aliquomodo ex ista littera, vel indecisa nec prodest. Unde dicas quod non audiuntur monachi ut obiiciant sententiam, etiam si vera fuerit, quia monachi appellaverunt a iudicibus ante sententiam occasione litterarum quae non valebant, auctoritate quarum volebant post litem contestatam iudices recusare, secundum quod satis patet per hanc decretalem in principio, et in parte decisa colligitur, ubi hoc expresse dicitur quod monachi isti appellaverunt, quia iudices secundas litteras valere, et ita recesserunt contumaciter non expectata sententia, et talis appellatio nulla fuit. Sed a sententia diffinitiva non fuit appellatum, nec etiam poterant, quia contumax non auditur appellans, 2. q. 6, ei qui § sunt quorum. Et haec est causa quare non admittuntur, et imputent sibi qui non opposuerunt sententiam coram iudicibus si valebat. Et quia beneficium restitutionis non petierunt, quia admissi fuissent, ut dictum est supra. Et quod dicit: sententia contra res prius iudicatas non tenet, locum habet quando in iudicio allegatur et ostenditur sententia. Tunc si iudices nolunt admittere sententiam, dum tamen teneat sententia, et iudicant contra primam sententiam, nulla est ipso iure nec est appellare necesse. Et sic loquitur 2. q. 6 § diffinitiva, vers. item si sententia fuerit etc.; C. quan. pro. non est nec., datam. Et ibi Io. intelligit aliter hanc decretalem et illam legem ut supra dixi. Sed tu intellige hanc decretalem et illam legem

ut diximus. Et ita plana littera erit, et ita intelligit Vincen., ut in principio istius notulae. Et ita sive scienter sive ignoranter eam omiserint, non potest postea opponi ex quo non est appellatum. Et tunc praetextu novorum instrumentorum non instaurantur lites finitae. Praeterea hic non fuit ostensa sententia domino Papae, sed allegata fuit tantum, nec etiam fuit ostensa primis iudicibus.

X 2.27.21 *Suborta*

Per confessionem
Nota confessionem procuratoris domino praeiudicare. De hoc dictum est supra, ut lite non cont., ad hoc.

Quasi possessionem
Hoc ideo dicit, quia incorporalia non possidentur, sed quasi, arg. supra, de praescrip., si diligenti; et supra, de caus. poss. et propr., cum ecclesia; et ff. de usucap., sequitur § si viam; et ff. de acq. rer. dom., si servus § incorporales.

Restituto
Nota quod licet causa liberalis sit praeiudicalis, tamen quaestio possessionis ei praeiudicat, ut hic patet, et C. de ordi. cog., si quando § ulti. Agebat ipse episcopus possessorio de quo constitit per confessionem partis adversae. Unde Papa mandat ipsum restitui petitorio, sed de hoc non probavit episcopus coram Papa, sed pars adversa per privilegium Innocentii. Unde mandat Papa imponi silentium episcopo, nisi contra privilegium aliud probetur. Et ita qui obtinet in proprietate obtinet finaliter in possessione, licet alter probet de possessione, supra, de caus. poss. et propr., cum dilectus. Et hoc cum utroque iudicio actum est. Sed quare Papa non tulit sententiam pro monasterio, cum per privilegium Innocentio probatum esset quod erat liberum et exemptum, et ex parte episcopi nihil ostensum esset contra privilegium, et actum esset ab episcopo petitorio et possessorio, supra, de caus. poss. et propr., cum ecclesia? Respondeo: episcopus coram Papa prosecutus fuit tantum possessorium, petens inducias ad probandum contra privilegium Innocentii. Vel ipse ex officio suo voluit providere episcopo. Alias non recte processisset Papa. Vel si possessorio tantum actum fuit, abbas petiit causam committi quantum ad petitorium, cum per privilegium intentio eius probaretur, quod melius videtur.

Prosequatur
Arg. de protestatione praemittenda. Simile infra, de dona., inter dilectos, in fi.; et 9. q. 3, salvo; supra, de elect., Cumana § 1.

Nimirum
Responsio tacitae quaestionis. Diceret aliquis: nonne privilegium Innocentii debuit tueri monasterium? Respondet Papa quod non, secundum quod sequitur in littera.

Alexandro
Qui super eadem quaestione sententiavit pro episcopo, ut habetur in parte decisa, quam sententiam episcopus coram iudicibus exhibuit et coram Papa, de qua hic fit mentio. Ber.

Reprobasse
Nota quod instrumentum dicitur reprobatum eo ipso quod cum iudici ostenditur, contrarium iudicat. Sic testis reprobatur eo ipso quod iudex contra eum iudicat, arg. supra, de ord. cognit., cum dilectus, in fi.; et ff. de his qui not. infam., Lucius. Sic ex quo quaestio falsi movetur, et iudex contrarium iudicat, eam intelligitur reprobasse, C. si ex fals. inst. vel test., si tabulas. Secus est in compensatione, quia ubi iudex non admittit compensationem, post sententiam potest opponi. Sed si expresse eam reprobat, postea opponi non potest, ff. de compensat., quod in diem § 1; et ff. de negot. gest., sin autem § si quocumque modo. Ita hic, quia Alexander reprobavit privilegium Innocentii si fuisset ostensum in iudicio. Sic supra, de re iudic., inter monasterium. Item hic est arg. quod ipso facto et sine verbo perditur privilegium, supra, de offi. deleg., gratum; et infra, de his quae fi. a maior. par. cap., ex ore.

Retractari
Supra, de re iudic., inter monasterium; ff. de re iud., imperatores; C. de transaction., sub praetextu, in fi. Nisi in casu ut in lege praedicta ff. de re iud., imperatores; ff. de iureiuran., admonendi. Et sic tollitur privilegium per sententiam, sicut per conventionem, infra, de decim., ex multiplici. Et per arbitrium, supra, de praescrip., cum olim.

X 2.27.22 *Cum I. et A.*

Infamatus
Post hunc textum corrigitur littera decretalis per registrum sic: et cum super his et aliis cum procuratore ipsius abbatis aliquamdiu litigassent, nos Cathalanenses.

Personaliter
In hoc casu non possent isti committere vices suas, ut supra, de offi. deleg., quoniam Apostolica § is autem cui. Et in casibus aliis qui ibi ponuntur, et in loco ipso debet fieri inquisitio ubi morantur illi de quorum vita quaeritur, 47. dist., de Petro; et 2. q. 1, Deus omnipotens; 24. q. 1, pudenda; et 23. dist., illud; et supra, de elect., postquam.

Recipientes
Secundum formam quam habes infra, de accusat., qualiter et quando 1 § formam; et infra, de accusat., cum dilectus.

Dilata
Per hoc patet quod licet inquisitor de quibusdam tulerit sententiam de quibusdam non, non ideo expirat officium eius quin de aliis possit cognoscere et pronunciare, et idem est in ordinario, ff. de dol. except., apud § item quaeritur; et ff. de negot. gest., sin autem § penulti., alias incipit ff. de negot. gest., nam et Servius. In arbitro idem est, nisi dictum sit ut de omnibus simul pronunciet, et si tunc de quibusdam pronunciavit, nihil egit. Et de novo potest pronunciare, ff. de recepti., quod tamen.

Lite non contestata
Haec exceptio efficax non est, quia in inquisitione potest procedi lite non contestata, ut supra, ut lite non cont., quoniam § sunt et alii. Si contumaciter se absentet, tamen citari debet, et exponenda sunt sibi omnia quae contra ipsum obiiciuntur, infra, de accusat., qualiter et quando 2 § debet. Et hoc intelligitur cum aliquis prosequitur inquisitionem. Sed cum ex officio tantum inquirit, ibi proprie contestari non potest. Ber.

Conspiratorum
Qui nullo modo recipiendi sunt, infra, de simon., per tuas 1.

Nec ostensis
Et illud ei non debuit denegari, immo omnia quae sibi obiiciuntur, et dicta testium sunt danda eidem, infra, de accusat., qualiter et quando 2 § debet; et infra, de accusat., olim § si vero. Et ita tam ex hac causa quam ex praecedenti tenuit appellatio. Papa tamen retulit se ad illum articulum de conspiratione, quia de aliis ei constitit.

Conspiratores
Qui enim malo zelo moventur, ad testimonium admitti non debent, infra, de accusat., cum oporteat; et infra, de simon., per tuas 1; et 11. q. 1, conspirationum; et 11. q. 1, coniurationum, et hic.

Iuramenta
Sed non videtur quod sufficiat hoc, nisi hoc fuisset obiectum coram iudicibus, et quod abbas probare voluerit, ut dicit littera ista. Item nec sufficit quod fuerit obiectum, et quod obtulit se probaturum, nisi modo probentur conspiratores. Et ita non cassatur sententia, nisi probetur quod causa exposita fuit vera. Sic supra, de testib., ex parte, ubi de hoc. Sed contra infra, de appell., interposita. Sed illud solvitur in capitulo supra, de testib., ex parte. Et est hic arg. quod exceptio, quae proponitur contra personam testis, obiicienda est, et probanda ante sententiam, nisi per iudicem steterit, ut hic satis innuitur. Sic supra, de except., denique, ubi de hoc.

Secuti
Sic patet quod non sufficit probare coniurationem vel conspirationem vel falsitatem testis vel instrumenti, nisi probetur iudicem secutum fuisse dicta falsorum seu conspiratorum testium seu instrumentorum, C. si ex fals. inst. vel test., falsam; arg. supra, de testib., sicut.

Constaret
Ex hoc patet quod per appellationem non revocantur, nisi ea quae minus legitime facta sunt, ut supra, de restit. spol., audita. Et est miserabile quod sententia tenet lata post appellationem legitime interpositam. Et ubi causa legitima et probabilis opposita fuit, quod est contra illud supra, de offi. deleg., super quaestionum, in fi. Sed appellatio ista licet fuisset legitima prima facie, quia causa sufficiens erat, tamen non probavit, quia debuit probare omnes testes qui contra eum deposuerunt, conspiratores fuisse, ut hic patet. Et si modo apparet, quod appellatio non fuit legitima. Unde non revocatur sententia, sed confirmatur, ut supra, de testib., ex parte.

Potuerunt
Hic videtur quod minus idonei testes admittantur in causa inquisitionis, sicut in causa compurgationis, supra, de praesump., litteras; et infra, de purg. can., constitutus. Sed hoc ideo est, quia de facto suo agitur, quia et servi responso creditur cum de facto suo interrogatur, 4. q. 2, si testes § item servi responso. Sed nonne alii de ecclesia qui forte sunt idonei possunt illos repellere, cum sint criminosi, nec debeant convinci per criminosos? Potest dici quod sic. Et quod hic dicitur quod tales admitti possunt, intelligo non quantum ad plenam fidem faciendam sed ad praesumptionem. Et quia si dicta ipsorum debilitentur in aliquo, non tamen evacuantur in toto, et sic cum aliis adminiculis probabunt, infra, de simon., per tuas 1, in fi. Vel potest dici quod praeiudicatur aliis qui hucusque toleraverunt eos, nec aliquod crimen obiecerunt eis, infra, de accusat., nulli. Hoc tamen verum est quod contra extraneum non possent induci testes de ecclesia, nisi essent idonei, 14. q. 2, super prudentia; et 2. q. 1, Deus omnipotens. Io. Et praeterea eo tempore quo recepti fuerunt non constabat eos conspiratores fuisse, ut hic in fine dicit. Unde haec exceptio potest opponi contra istos ab aliis, quia hoc probato cum sint criminosi, contra alios testificari non possunt, nisi quo ad praesumptionem, ut dictum est supra, de testib., testimonium. Ber.

X 2.27.23 *Cum te*

Infamia
Actio enim iniuriarum infamat, sive civiliter sive criminaliter agatur, ff. de his qui not. infam., athletas § ulti. Si quis conveniat te actione famosa, si vis visitare infamiam, constitue procuratorem, ff. de his qui not. infam., furti § si quis alieno.

Minima
Quia non omnia talia verba sunt per iniuria habenda, ut si ex repentino animo hoc dixit, 2. q. 3, si quis iratus; de poen. dist. 1, divortium. Quoniam nec lubricum linguae ad poenam facile trahendum est, ff. ad leg. Iul. maiest., famosi § nec lubricum. Et inconsultus calor calumniae vitio caret, 2. q. 3, si quem § notandum. Item illud requiritur quod sit contra bonos mores, ff. de iniuri., item apud § 1; et ff. de iniuri., item apud § adiicitur. Et ita habes arg. hic quod pro modico non datur actio iniuriarum. Sicut nec actio de dolo datur pro modico, ff. de dolo mal., si oleum, in fi.; et ff. de dolo mal., id est. Et restitutio pro modico non datur, ff. de in int. rest., scio. Sed actio furti pro modico datur, 14. q. 6, fur; et Inst. de rerum div. § gallinarum.

Volumus
Si isti erant clerici, planum est. Sed ex littera non videtur unde potuit Papa talem infamiam, si qua fuit, removere, 2. q. 3, si quem § notandum, in fi. Sed si erant laici, non videtur quod Papa potuerit infamiam per civilem iudicem irrogatam removere, quia quamquam animas etc. Infamiam tamen absolvere non possumus, 2. q. 3, Euphemium § hic colligitur. Sed dic quod subsunt quo ad temporalem iurisdictionem domino Papae, et sic planum est.

X 2.27.24 *Ad probandum*

Innodatus
Sic supra, de except., exceptionem, ad fi., ubi de hoc. Aliud si occulte, quia tunc nec ipse nec alii ipsum tenebantur vitare, quia divinare non poterant, infra, ut eccl. ben., ut nostrum. Unde cum communi opinione liber et absolutus habeatur et credatur, quicquid interim facit, valet, ut 3. q. 7, infamis § tria, vers. verumtamen si servus; et ff. de off. praet., Barbarius; C. de testament., testes servi; et infra, de iure patron., consultationibus; et infra, de cleri. excom., Apostolicae. Ber.

Per metropolitani litteras
A quo dicitur excommunicatus. Et ita est arg. quod litteris episcopi creditur, supra, de probat., post cessionem, ubi de hoc.

Ex alia iusta causa
Puta quia ipsa electa similiter esset excommunicata. Vel si per simoniam electa fuisset, aut quia inutilis et insufficiens esset, infra, de appell., constitutis 1; supra, de elect., per inquisitionem; et 1. q. 1, si qui episcopi § ecce cum honoris; et supra, de aetat. et qualit., ut abbates; et supra, de offi. custod., custos ecclesiae. Vel quia non fuit servata forma, supra, de elect., quia propter; et supra, de elect., cum post petitam. Vel quia non fuisset servatus ordo iuris, quia non fuisset lis contestata, supra, ut lite non cont., accedens 1. Quod melius videtur, ut per hoc non praeiudicetur principali negotio, sed tantum processus cassetur, supra, de elect., dudum ecclesia.

Cassata
Id est, cassa et irrita nunciata. Et sic patet quod retractetur sententia si detegatur impedimentum post sententiam, arg. 8. dist., veritate; 29. q. 2, si quis ingenuus. Et est hoc contra illa iura, 3. q. 7, infamis § tria, vers. verum, cum aliis concordantiis suis ibi positis supra in prima notula; et 1. q. 1, si quis a simoniacis. Sed aliud inconveniens videtur, quia retractatur sententia quo ad alios iudices qui legitimam personam habebant. Sic supra, de offi. deleg., cum super. Ideo retractatur sententia, quia impedimentum erat notorium per sententiam publice latam. Unde nulla in eum potuit cadere iurisdictio. Et ita cum sibi et aliis communiter causa commissa fuisset, et duo sine ipso iurisdictionem non poterant exercere, unde propter connexitatem revocatio fit quo ad omnes, quia non potuit tenere sententia quo ad quosdam et non quo ad alium, cum illi per se non habuissent iurisdictionem. Simile ff. de recepti., Pedius, in fi. Arg. contra ff. quod fals. tut., huius edicti § 1; et supra, de elect., cum Wintoniensis. Item arg. hic quod utile per inutile vitiatur, supra, de offi. deleg., cum super; et supra, de offi. deleg., super quaestionum § si vero, ubi de hoc.

Iterum cognoscatis
Et sic patet quod licet sententia sive processus cassetur, actio tamen salva remanet. Unde iterum cognoscetur ex integro de causa, quia pro non iudicato habetur. Simile C. quom. et quan. iud. sent. prof., si ut proponis. Haec exceptio excommunicationis in qualibet parte litis potest opponi, etiam si fuerit omissa scienter, supra, de except., exceptionem. Ber.

X 2.27.25 *Quamvis regulariter*

Res inter alios

Haec regula: res inter alios acta aliis non nocet habetur C. inter al. act. vel iudic., inter alios res; et in ipsa rubrica supra, de fide instrum., inter dilectos; et supra, de re iudic., cum super; et C. quib. res iud. non noc., si neque; et C. quib. res iud. non noc., res. Haec regula fallit in multis casibus, scilicet cum causae sunt connexae, 81. dist., tantis Daniel; et 3. q. 6, haec quippe; et infra, de accusat., ad petitionem; infra, de purg. can., cum dilectis. In his enim res inter alios acta aliis nocet. Item in causa libertatis, ff. de statu hom., ingenuum. Item in causa filiationis, ff. de liber. agnosc., senatus, in fi.; et ff. de liber. agnosc., in omnibus; et ff. de liber. agnosc., sive contra, in princ. Item res inter alios acta aliis prodest, ut in querela inofficiosi testamenti, ff. de inoffic. testam., Papinianus § meminisse. Haec res inter alios acta prodest fisco. Item in re indivisibili, ff. si serv. vend., loci § si fundus. Item in re communi cum pupillo, ff. quemad. serv. amit., si communem; et 2. q. 6, ei qui § diffinitiva, vers. quandoque plures; et infra, de appell., una, et in his tribus concordantiis res acta inter alios prodest alii. Et ubi res communis est cum fisco, C. de commun. rer. alien., multum. Item fallit in casibus hic contentis, ubi praeiudicatur alii per factum alterius, puta si actio vel defensio primo loco pertineat ad aliquem, et ipse scienter patiatur sequentem experiri de illa re, intelligitur iuri suo renunciasse, verbi gratia, si debitor passus est creditorem experiri de proprietate pignoris et succubuit, debitori obstabit res iudicata, si postea agere velit. Vel econverso si creditor passus sit debitorem, vel si maritus patiatur experiri socerum vel uxorem de proprietate rei in dotem acceptae. Vel si emptor patiatur venditorem experiri de proprietate rei venditae a quo causam habet vel emphyteuta proprietarium. Et haec probantur ff. de re iud., saepe, unde sumpta est haec decretalis. Et in eadem lege ubi dicit: si creditor debet esse debitor, secundum litteram Pisanam. Et secundum Pisanam litteram ponitur hoc exemplum de debitore et creditore, et secundum hoc non contradicunt leges illae, ff. de pignorib., si superatus; et C. de pignorib., praeses, illi legi ff. de re iud., saepe. Secundum aliam litteram signatur pro contrario. Sed leges illae intelliguntur quando debitor superatus est ignorante creditore. Sic ergo ista regula est intelligenda, res inter alios acta non nocet aliis. Exemplum habes quando non nocet in principio illius legis ff. de re iud., saepe. Quando nocet aliis, habes in eadem lege et hic. Quandoque etiam prodest, ut patet supra. Sed verbum istud experiri, quo ad exempla de uxore et socero et venditore ponitur improprie, scilicet pro defendere. Sic ponitur supra, de iudic., de Quodvultdeo, quia illis non datur rei vendicatio, C. de rei vend., doce. Hoc secundum eos qui dicunt quod uxor constante matrimonio non est domina rei dotalis, unde non competit ei rei vendicatio, ut in lege praedicta C. de rei vend., doce. Et quod experiri ponatur pro defendere, potest colligi per legem praedictam ff. de re iud., saepe, vers. cur autem etc. Sic ergo econverso defendere ponitur pro agere, C. de testi., si tibi; et ff. de alien. iud. mut. caus., cum miles. Vel potest poni proprie, quia etsi agere non poterant, tamen praeiudicat mihi sententia lata contra eos, quia potui prohibere quo minus agant, et quia ex voluntate mea iudicatum videtur de iure quod habui ex persona agentis. Sed in persona debitoris et creditoris verbum experiri ponitur proprie et improprie, cum uni rei vendicatio, et alteri hypothecaria competat. Arg. quod res iudicata aliis non noceat, habes supra, de testib., veniens 2.

X 2.27.26 *Duobus iudicibus*

Diversas sententias proferentibus
Hoc intellige cum omnes sunt praesentes, alias uno absente alius sententiam ferre non posset, immo nulla est si feratur, supra, de offi. deleg., causam matrimonii; et 2. q. 6, ei qui § diffinitiva, vers. item si plures. Distinctio illa quae habetur in 2. q. 6, ei qui § diffinitiva, super vers. item si plures; et in decretali praedicta de offi. deleg., causam matrimonii, ponitur tota in decretali praesenti. Si ergo plures sunt iudices, sive sint ordinarii sive delegati sive arbitri, et omnes praesentes sunt, tenet sententia maioris partis, 65. dist., sane; et 65. dist., non debet; ff. de re iud., duo ex tribus; et ff. de recepti., si in tres; et ff. de recepti., sicuti; et ff. de recepti., diem § si plures. Fallit in casu ubi non valet sententia maioris partis, supra, de rescript., pastoralis, 1. resp. Item fallit in causa criminali episcopi secundum quosdam, quia non valet ibi sententia, nisi omnes concordent, 6. q. 4, si quis episcopus criminaliter in iudicio; et 6. q. 4, si quis episcopus criminaliter accusatus. Cum vero iudices aequali numero discordant in sententia, puta unus ex una parte et alius ex alia, vel duo ex una et duo ex alia, locum habet decretalis praesens. Si ergo sint ordinarii et praedicto modo discordant, tenet sententia pro reo, ut hic dicit, quia promptiora sunt iura ad absolvendum quam ad condemnandum, supra, de probat., ex litteris; et supra, de fide instrum., inter dilectos, in fi.; et ff. de act. et oblig., Arrianus, nisi in quatuor casibus hic contentis. Primo favore matrimonii, ut 33. q. 1, si quis acceperit; et infra, de despon. impub., continebatur. De libertate autem habes in praedicta decretali supra, de probat., ex litteris, circa finem; et ff. de re iud., inter pares. De testamento habes ff. de inoffic. testam., si pars iudicantium. Alius casus de dote inducitur favore dotis, ut hic dicit, quia mulieribus multum favoris debetur in dotibus suis, infra, de don. int. vir. et uxor., nuper; infra, de pignor., ex litteris. Et sic isti quatuor casus propter favorem excipiuntur.

Ex delegata potestate
In delegata iurisdictione secus quam in ordinaria, quia utraque pendet a superiore, arg. ff. de re iud., duo iudices. In compromisso vero neutra valet, ut ff. de recepti., diem § si plures. Sed quae est ratio diversitatis quare sententia ordinariorum teneat et non delegatorum, sed pendet a superiore et sententia arbitriorum nulla? Dicas quod in ordinaria iurisdictione non est superior ad quem recurratur nisi lex mortua, et ideo lex voluit sine alio remedio, quod talis sententia teneret pro reo in favorem ipsius. In delegatis potest haberi recursus ad delegantem, ut ipse approbet quam viderit compromandam, et ideo remanet in pendenti. In sententia arbitrorum non est quis superior, nec habet iurisdictionem a lege, et ideo nulla est.

X 2.28 DE APPELLATIONIBUS, RECUSATIONIBUS ET RELATIONIBUS

X 2.28.01 *Dilecti filii prior et clerici*

Gravem querimoniam
Propter quam deberet deponi archiepiscopus, qui non detulit appellationi, 2. q. 6, decreto.

X 2.28.02 Inter caeterea (rev. 9/23)

Post appellationem
Quae si legitima fuit, sententia suspensionis vel interdicti postea lata non tenuit, infra, de sent. excom., per tuas.

Si eidem
Si canonici appellant ante conditionem extantem, suspensa erit excommunicatio, infra, de appell., praeterea requisiti.

Per idoneas
Hoc solum sufficeret sine fama loci per duos vel per tres testes, supra, de testib., licet universis.

Famam
Fama per se non sufficit, 4. q. 3, si testes § item saepe fit. Sed cum aliis adminiculis, puta cum teste uno aut aliis legitimis, arg. supra, de probat., cum causam; et supra, de praesump., illud; et supra, de praesump., ex studiis; et supra, de testib., praeterea.

Factas
Post appellationem praemissam a priore.

Distulerint
Ultra sex menses, si eis elapsis concessiones factae fuissent, valerent, quia potestas ad archiepiscopum est translata, infra, de concess. praeben., nulla. Et ita per negligentiam perdit quis ius suum. Sic infra, de iure patron., quoniam; et infra, de iure patron., cum propter. Et propter culpam, supra, de elect., cum in cunctis; et supra, de elect., cum Wintoniensis; et supra, de elect., quia propter.

X 2.28.02 *Inter caeterea*

Appellationem
Generalis appellatio non valet, ut hic patet, nec etiam specialis, nisi causa probabilis sit exposita, qua non admissa tenet appellatio, infra, de appell., ut debitus. Arg. contra infra, de appell., consuluit 2, ubi appellatio generalis valet. Solve ut ibi. Et est arg. quod non valet in genere, valet in specie, ff. de pacti., si unus § pacta; et ff. de pacti., si unus § illud. Et est arg. quod non licet in genere, licet in specie, ff. comm. praed., in tradendis; ff. si quis caut., sed et si quis § quaesitum. Arg. contra supra, de offi. ord., si sacerdos; et infra, de praeben., relatum. Item a futuro gravamine non est appellandum, ut hic patet, nisi a gravamine comminato vel illato, infra, de appell., cum cessante. Nisi apparuerint alia indicia, ut infra, de appell., consuluit 2.

X 2.28.03 *Ad nostram*

In sua nequitia
Appellatio enim non est inventa ut sit iniquitatis vinculum, sed oppressorum levamen, infra, de appell., cum speciali § porro; et ff. de minor., praefecti. Et sic iuramentum non

est iniquitatis vinculum, supra, de iureiur., quanto; et 22. q. 4, inter caetera. Item nota quod utendum est aliquo ad eum usum ad quem istud fuit institutum, 22. q. 2, is autem; et 45. dist., licet 2; et supra, de translat., inter corporalia; et infra, de appell., suggestum, in fi.

Minus
A correctione enim non appellatur, infra, de appell., reprehensibilis; et infra, de appell., cum speciali, in fi.; et supra, de offi. ord., licet. Nisi excedat modum in corrigendo, infra, de appell., de priore; et supra, de offi. deleg., super quaestionum § nos autem. Sic appellatur ab executore cum modum excedit, supra, de re iudic., quod ad consultationem, in fi. A quo alias appellari non potest, infra, de appell., novit; et 2. q. 6, ei qui § sunt quorum, vers. ab executore. Et ideo non admittitur appellatio a correctione, quia fit ad poenitentiam et extra formam iudicii, arg. 27. q. 1, si homo; 45. dist., cum beatus. Nec admittitur recusatio, infra, de appell., cum speciali, in fi. Et haec locum habent in omnibus regularibus, ut in constitutione infra, de appell., cum speciali, in fi.

X 2.28.04 *Personas ecclesiarum*

Praefixerit
Et sic appellans potest sibi statuere terminum ad appellationem prosequendam, iudex eodem modo, infra, de appell., oblatae; et infra, de appell., cum sit Romana; et infra, de appell., ad haec cum; et infra, de appell., pervenit 1.

Tu ei diem
Hic statuitur dies ad praesentandum se iudici, infra, de appell., cum sit Romana. Quandoque statuitur ad iter arripiendum, infra, de appell., pervenit 2; et supra, de re iudic., cum causa. Quandoque statuitur terminus a lege annus, vel ex iusta causa biennium, infra, de appell., cum sit Romana. Terminum vero statutum a parte vel a iudice neutra pars potest pervenire, dum tamen appellatus dolose non praeveniat appellantem, ut infra, de appell., oblatae. Et de termino dato a lege potest intelligi, infra, de appell., ex insinuatione, ut dixit Io. Quod non est verum, ut ibi dicitur.

Ex tunc
Post terminum elapsum. Et procedere potest ac si peremptorie vocatus non venisset, infra, de appell., saepe; et infra, de appell., consuluit 1, in fi. Ber.

X 2.28.05 *Cum sit Romana*

Indulgetur
2. q. 6, ei qui; et C. de temp. appel., authen. ei qui appellat. Et si iusta causa intervenerit, biennium indulgetur, ut ibi dicitur. Alias non daretur, infra, de appell., constitutus. Immo et triennium datur, infra, de appell., ex ratione.

Distantia
Omnia ista sunt consideranda ad moderandum tempus, scilicet locorum distantia, 63. dist., cum longe; et 13. q. 2, ubicumque. Et qualitas personarum et negotii, ff. de damn.

infect., qui bona § ulti.; et ff. de damn. infect., in causae; et ff. de damn. infect., si finita § 3; et ff. de iud., nonnumquam; et ff. de re iud., qui pro tribunali.

Recisius tempus

Arg. quod iudex potest abbreviare inducias datas a lege. Sic ff. de re iud., qui pro tribunali; et infra, de appell., oblatae; et supra, de re iudic., quod ad consultationem. Arg. contra quod non possit, 28. dist., de his; et ff. de re iud., si se non § si quis condemnatus; et 3. q. 3, de induciis. Immo arbitrio iudicis ista videntur committi, arg. 5. q. 3, si aegrotans; 3. q. 2, si episcopus; ff. de iud., nonnumquam. Solutio: induciae quae dantur a lege vel canone servandae sunt, nisi iusta causa intervenerit quare sint abbreviandae. Et tunc committitur arbitrio iudicis, ut hic, et ff. de ver. oblig., continuus § 2. Et magis hoc potest officio iudicis discerni quam aliqua locutione exprimi, ff. de solut., ratum; et ff. rem rat. hab., quo enim § Iulianus; et infra, de dona., Apostolicae. Et ita ex causa hoc faciendum est, supra, de re iudic., quod ad consultationem; et ff. de re iud., qui pro tribunali; et supra, de dilat., dilecti. Quaedam tamen induciae sunt statutae in iure, quae diminui sive mutari non possunt nec augeri, ut est tempus decem dierum datum ad appellandum. Item etiam tempus infra quod peti debet in integrum restitutio et etiam terminari, scilicet quatuor annorum, ut 2. q. 6, anteriorum; et C. de temp. in int. rest., supervacuam. De hac materia dictum est supra, de dilat., praeterea. Sed numquid est illud ita intelligendum simpliciter, ut iudex possit diminuere de anno appellationis, ut appellans teneatur causam appellationis finire infra minus tempus anno vel biennio? Quidam dicunt quod bene potest iudex imponere hanc necessitatem appellanti, ut ipse debeat finire causam appellationis quantum est in se. Sed si remaneret per iudicem vel per aliam iustam causam, non est ei imputandum, infra, de appell., ex insinuatione; et 2. q. 6, anteriorum § ad hoc. Et sic intelligunt quod dicit, nisi iudex forte recisius tempus fuerit moderatus infra quod finiat causam suam. Verius dicas quod iudex non potest istud tempus abbreviare quantum ad hoc, ut appellans teneatur causam finire infra tempus statutum a iudice, immo annum integrum habebit, vel biennium ex iusta causa ad finiendum causam, quo elapso rata manebit sententia, ut hic dicit, et C. de temp. appel., cum anterioribus. Sed pro tanto dicitur iudex posse recisius tempus moderari, quia iudex posset compellere appellantem sive terminum statuere illi, ut se repraesentet in termino illo coram superiore ad quem appellavit, vel iter arripiat ad prosequendam appellationem coram illo ad quem appellavit. Quod si non fecerit, si lata est sententia, potest illam mandare executioni, quia statim tenet ac si appellatum non fuisset. Sed si appellaverit ante sententiam, postea tunc procedat in causa, quia terminus talis tunc obtinet vicem peremptorii, infra, de appell., saepe; et supra, de re iudic., cum causa; et supra, de appell., personas. Et quantum ad hoc solum potest iudex recisius tempus moderari. Si vero nullum terminum statuit appellanti, tunc habet annum a lege, et iudex tunc per totum annum non potest procedere ad exequendam sententiam. Vel super principali anno elapso potest, secundum quod potest cum terminus statuitur. Et hoc satis colligitur infra, de appell., reprehensibilis § 1; et infra, de appell., consuluit 1, in fi. Et hoc statuitur propter malitiam appellantium, qui malitiose appellant causa impediendi executionem vel processum iudicis, et per hoc ei consulitur contra quem appellatur.

X 2.28.05 Cum sit Romana (rev. 9/23)

Si vero a gravamine

Si ante litem contestatam a gravamine quis appellat, tunc si statuto termino non prosequatur appellationem, iterum potest appellare. Et sic intellige illam decretalem infra, de appell., sua nobis; et infra, de appell., directae. Si vero post litem contestatam appellet, et infra terminum non est prosecutus, non auditur appellans, quia iam fuit contumax, 2. q. 6, ei qui § sunt quorum.

A gravamine

Causa gravaminis probabilis allegata, quae si probata esset, reputaretur legitima, alias non auditur, infra, de appell., ut debitus.

Ante litis

Hoc potest intelligi cum appellatur super aliqua exceptione dilatoria coram iudice, infra, de appell., ex parte 1. Et etiam post, infra, de appell., super eo 2; et 2. q. 6, non ita. Secus secundum leges, ut ibi.

Passim

Id est, quandocumque etiam gravamine non expresso. Et sunt illi canones, 2. q. 6, ad Romanam ecclesiam omnes; et capitulis sequentibus 2. q. 6, si quis putaverit 1; 2. q. 6, ad Romanam ecclesiam ab omnibus; 2. q. 6, placuit ut a quibuscumque; et supra, ut lite non cont., accedens 1. Hodie necesse est allegare causam probabilem, quae si esset etc., quaecumque sit causa, infra, de appell., ut debitus; et infra, de appell., cum speciali § porro.

Nec solent

Proprie sumpto vocabulo, quia appellatio non fit nisi a iudice, supra, de offi. deleg., super quaestionum § nos autem. Vel prout dicitur appellatio continet querelam iniquae sententiae, ff. de minor., praefecti. Loquitur ergo de appellationibus quas aliqui quandoque faciunt cum dicunt: ego appello te ad curiam, vel venias ad iudicem ut faciat mihi iustitiam. Sed ille non tenetur ire, sicut denunciatio facta ipsi domino in foro non tenet, sed in re ipsa debet fieri, ff. de novi operis nunc., de pupillo § si quis forte. Vel dicas quod loquitur de appellationibus quae fiunt extra iudicium ab adversario, ne faciat aliquid in praeiudicium appellantis, super eo pro quo appellat. Et tales appellationes quasi provocationes sunt ad causam, et talibus appellationibus est deferendum, infra, de appell., bonae. Et tales appellationes faciunt clerici frequenter inter se, et in electionibus et pro aliis negotiis ecclesiae, supra, de elect., consideravimus; et supra, de elect., bonae 1; et supra, de elect., auditis; infra, de his quae fi. a maior. par. cap., cum in cunctis.

Ante sententiam

Post litis ingressum, ut differat a praecedenti vers.

Cogitur

Sed non videtur quod sit compellendus, C. de appellat., eos, in fi., ubi dicitur quod nemo compellitur prosequi appellationem, immo potest poenitere, 2. q. 6, ei qui § si quis libellos. Sed debet compelli alternative, infra, de appell., consuluit 1; et infra, de appell., saepe.

X 2.28.06 Ad haec si (rev. 9/23)

Audiri
Infra, de appell., pervenit 1.

Manifestus
Id est, notorius, infra, de appell., pervenit 1. In notoriis enim non admittitur appellatio, ut ibi.

Irrequisitum
Arg. quod in notoriis non est aliquis vocandus in ius, arg. 2. q. 1, de manifesta; 11. q. 1, statuimus. Arg. contra 12. q. 2, indigne. Et nemo est excommunicandus, nisi legitima admonitione praemissa, infra, de sent. excom., sacro. Dic quod non fuit requisitus per edictum peremptorium ad iudicium. Admonit tamen eum ad poenitentiam. Et quia crimen notorium erat, non vocavit eum, quia nec expediat ex quo nolebat se corrigere, vel irrequisitum illa vice, vel requisivit eum per Apollinem discipulum suum.

X 2.28.06 *Ad haec si*

Tamquam suspectum
Infra, de appell., pervenit 1. Sed videtur quod non possit eum vitare tamquam suspectum, quia non potest hoc praetendere quasi habeat eum offensum, ff. ap. eum a quo app., si quis. Secundum leges non recusantur iudices ita indistincte. Tamen si aliquod crimen enorme interim et manifeste committat, non poterit ipsum vitare, infra, de appell., proposuit; et infra, de appell., praeterea de his, cum sit eius ordinarius. Sed quid fiet tunc de causis illis super quibus convenitur pendente appellatione? Episcopus tunc delegabit causam aliis, sicut fit cum alias tamquam suspectus recusatur, 11. q. 1, pervenit; et infra, de appell., cum speciali; et supra, de for. compet., si quis contra. Ber.

X 2.28.07 *Si duobus*

Ad nostram
Quod fieri potest omisso quolibet medio, 2. q. 7, metropolitanum. Arg. secus secundum leges, ff. de appellat., imperatores.

Ad sui iudicis
Hoc potest intelligi dupliciter, ut litigarent coram archidiacono, et alter ad suum iudicem, scilicet episcopum appellavit, alter ad Papam. Vel coram episcopo, et alter appellavit ad archiepiscopum, qui ipsius iudex est per appellationem. Et alter ad Papam, qui omnium est iudex ordinarius, infra, de sent. excom., per tuas; et supra, de offi. legat., cum non ignoretis.

Tenebit
Sed videtur quod non teneat, quia lata est post appellationem, unde non tenet, infra, de sent. excom., per tuas. Et iam non erat suus iudex. Unde non potest illum excommunicare, 9. q. 2, nullus alterius. Item quia vocabatur ad maius tribunal, ff. de re iud., contra pupillum § 1. Solutio: hic tenet sententia propter contumaciam, ut hic dicit,

quia debuit ire et allegare privilegium suum, infra, de appell., cum parati; et ff. de re iud., si quis ex aliena. Ex quacumque enim causa quis vocetur, ire debet ad praetorem, ff. si quis in ius voc. non ierit, ex quacumque.

Nisi cognoverit
Ergo si notum illi erat, quod non esset de sua iurisdictione, non tenet sententia. Et ille non tenebatur venire ex quo sciebat iudicem hoc scire, arg. ff. si quis in ius voc. non ierit, ex quacumque. Quia qui scit, certiorari non debuit, ff. de act. emp. et vend., si res vendita; et supra, de elect., cum inter universas.

Nostra temporali
Ut supra, de iureiur., venientes; et supra, de fide instrum., cum Ioannes.

Credimus
Et ita patet quod iurisdictio temporalis non pertinet ad ecclesiam, nec de ea debet se intromittere in praeiudicium iudicis saecularis, supra, de iudic., novit, in princ.; et infra, qui fil. sint legit., lator; et infra, de privileg., sicut. Nisi cum vacat imperium, supra, de for. compet., licet ex suscepto. Tunc enim propter defectum iudicis saecularis bene appellabitur ad Papam, arg. 32. q. 5, administratores; et supra, de for. compet., ex tenore. Ber.

X 2.28.08 *Ex rationes*

Impotentiam
Haec impotentia pluribus modis potest intelligi, ut per propriam impotentiam, quia fuerunt impediti iusta de causa, vel per iudicem stetit. Unde non imputatur eis, 2. q. 6, anteriorum § ad hoc; 2. q. 6, anteriorum § biduum; et 2. q. 6, anteriorum § si forte; et infra, de appell., ex insinuatione. Idem esset etiam si in medio tempore arbitros elegerunt partes, C. de temp. appel., authen. si tamen. Et in his casibus servatur appellans illaesus ipso iure, nec currit tempus nec indiget restitutione. Si vero dolo alicuius privati circumventus appellat, et appellationem non fuit prosecutus, tunc currunt tempora appellationis, sed habet recursum contra dolosum ad interesse, ff. de dolo mal., arbitrio § dolo cuius . Quod si solvendo non fuit, restituitur appellans ad prosecutionem suae appellationis, ff. de eo per quem fac. erit, ex hoc edicto; ff. de dolo mal., et eleganter § si dolo. Dicunt tamen quidam quod isti auditi fuerunt beneficio restitutionis, quia illud biennium cuilibet currit etiam impedito agere, si non poterit habere copiam iudicis, vel quia noluit procedere, vel quia non potuit facere quod compelleretur iudex, C. de temp. appel., cum anterioribus § ulti. Sed hoc ex littera non colligitur, ut hic. Et hoc non stetit per negligentiam iudicis, sed ex propria impotentia. Unde non habet hoc locum lex illa, C. de temp. appel., cum anterioribus. Et ita nota hic illud generale, quod si per me non stat, mihi non imputatur. Et ipso iure isti servantur illaesi.

X 2.28.09 *Meminimus*

Post citationem
Vel etiam post sententiam ante citationem, infra, de appell., suggestum. Ber.

X 2.28.10 Super eo (rev. 9/23)

Ante citationem

Vel ante scientiam litterarum impetratarum contra eum, infra, de appell., suggestum; et infra, de appell., ad haec sicut. Sed hodie ista non habent locum, quia non prodest allegare, quia praemiserit nuncium ante, etiam si dixerit se super hoc litteras habere, quae non sint iudici praesentatae, infra, de appell., ut debitus; et 2. q. 6, non solent § eius qui. Sed quid si non misit nuncium, sed in propria persona ivit, numquid procederetur contra eum si conveniatur coram ordinario vel delegato super eo pro quo ivit? Credo quod si non sit qui defendat eum, cum debuerit dimisisse procuratorem, procedetur contra eum non obstante quod iverit propter hoc, quia etsi iam cum litteris reversus esset, non prodesset tamquam ab adversario iam praeventus, infra, de appell., ut debitus; et supra, de for. compet., proposuisti. Arg. contra infra, de appell., dilecti filii 2; et infra, de appell., ut nostrum. Quia plus est facto appellare quam verbo, ut ibi. Sed ibi ante iter arreptum litigabant, unde iter ibi habetur quasi pro appellatione. Sed hic ivit ad curiam nulla causa mota vel comminata pro litteris impetrandis. Unde si adversarius eum praevenerit, sibi imputet qui debuit esse diligens et ipsum praevenisse. Tanc. dixit quod non debet procedi contra ipsum, nisi iverit fraude vel dolo. Tunc enim propter dolum suum non expectabitur.

X 2.28.10 *Super eo*

Appellationem fieri

Hoc potest habere locum tam ante litem contestatam quam postea, ut si ante litem contestatam obiiciatur aliqua exceptio rationabilis, quae si esset probata deberet legitima reputari etc., et iudex eam admittere nolit, si propter hoc appelletur, iudex vel non debet procedere vel removere gravamen, infra, de appell., ut debitus; et infra, de appell., cum cessante. Alias revocabitur totum quod fecerit. De hoc habes multa exempla infra, de appell., ex parte 2; et infra, de appell., significavit; et infra, de appell., significantibus, ubi infinita exempla invenies super hoc post litem contestatam. Et eodem modo pone exemplum supra, de ord. cognit., intelleximus.

Et si principalis causa

Et ita non proceditur super principali, et in praeiudicialibus exceptionibus hoc habet locum. Plura exempla ponuntur 3. q. 11, non est § aliquando.

Sine illa

Puta pactum de non petendo, praescriptio et consimiles.

Terminari

Ergo videtur quod si principalis causa possit expediri sine illa, quod non obstante illa appellatione procedere possit in principali. Et ita videtur quod teneor litigare sub illo, qui etiam me gravavit a quo appellavi iusta de causa contra illud infra, de appell., ad haec quoniam; et infra, de appell., proposuit. Satis crederem quod vacat hic argumentum a contrario sensu, quia cum iam certa ratione me gravavit, quomodo poterit procedere postea me invito? Non videtur, 3. q. 5, quod suspecti.

X 2.28.11 De appellationibus (rev. 9/23)

De falsi suggestione

Hoc intelligunt quidam cum probare nolebat, sed allegabat tantum, et ideo non valet appellatio. Vel dicas quod haec exceptio de falsi etiam suggestione non est admittenda post litem contestatam, cum sit dilatoria et sic erat lis contestata, quia sola sententia erat ferenda. Unde non debet differri sententia propter talem appellationem interpositam occasione exceptionis, quae ab initio fuerat proponenda, supra, de re iudic., inter monasterium. Simile C. ad leg. Corn. de fals., satis aperte; et C. de legat., si in fraudem, ubi non differtur executio propter suggestionem falsi. Ber.

X 2.28.11 *De appellationibus*

Minimis

Minima causa potest dici duorum aureorum, quia pro ea non datur actio de dolo, ut de dolo mal., si oleum; et ff. de dolo mal., id est. Vel etiam decem aureorum, ff. si cui pl. qu. per le. Fal., nisi § quamvis. Vel quinquaginta solidorum, et C. de defensor. civit., si quis. Vel illa dicitur minima quae ad sumptus iudiciales non sufficit, 2. q. 6, anteriorum § illud etiam. Et ita pro qualibet causa appellatur, quia ita potest quis gravari in parvo sicut in magno. Quantitas causae non facit, quare introducta sit appellatio, sed iniquum gravamen, supra, de appell., ad nostram; et infra, de appell., cum speciali § porro. Sic etiam in minima re furtum committitur, 14. q. 6, fur. Quia non furtum sed furantis affectus consideratur, ut ibi dicitur.

X 2.28.12 *Super eo*

Litis contestationem

De appellatione quae fit ante sententiam, intellige secundum illam decretalem infra, de appell., ut debitus. Post sententiam vero indifferenter appellatur nulla causa expressa, sed sufficit dicere ab iniqua sententia appello, 2. q. 6, post appellationem § forma 2.

In casibus

Ut 2. q. 6 § ante sententiam.

Sicut appellationi

Sicut appellatio causa probabili non expressa non admittitur, infra, de appell., ut debitus. Sic nec recusatio admittitur causa recusationis probabili non expressa, infra, de appell., cum speciali; et melius infra, de appell., novit.

Recepisse

Die receptionis non numerata, ff. si quis caut., vicena; ff. de requir., annus; et 4. q. 5, quisquis. Sic dies in quo excommunicationis exceptio proponitur, quae infra octo dies probari debet, non computatur in illis octo diebus, supra, de except., extravag. pia, quae est Inno. iiii; et supra, de restit. spol., extravag. frequens. Arg. contra ff. de ver. oblig., continuus § qui praesens.

X 2.28.13 *Pervenit*

X 2.28.14 Consuluit (rev. 9/23)

Notorius
Quia si esset notorius, iudex debet procedere contra ipsum, supra, de iureiur., ad nostram 3. Et nullam appellationem admittat, supra, de appell., cum sit Romana § ulti.

Compellas
Alternative scilicet, ut vel prosequantur appellationem in termino constituto a iudice, vel eo elapso coram eo respondeant. Sic infra, de appell., consuluit 1; et infra, de appell., ad haec cum. Et sic intellige supra, de appell., cum sit Romana, vers. si vero ante. Alias nemo potest compelli prosequi appellationem, ut C. de appellat., eos, in fi.

Notorius
Supra, de appell., cum sit Romana; et infra, de appell., consuluit 1. Et habes ex hac decretali arg. quod excommunicatus appellare potest, 3. q. 9, re vera; et supra, de except., cum inter.

Praetermittas
Supra, de testibus cog., pervenit 2, ubi videtur quod iudex potest compellere testes super hoc. Solve et dic quod non videtur prodesse talis iurisdictio, nisi haberet correctionem, supra, de offi. deleg., ex litteris. Unde dic quod bene potest hic compellere testes. Nomine enim rerum ecclesiasticarum intelliguntur clerici. Nam ut hic videtur quod possit ex hoc sententiare, ergo idem cognoscere, quia qui potest de causa cognoscere., potest inde sententiare et econverso, supra, de offi. deleg., quia quaesitum; et supra, de offi. deleg., praeterea.

Donec passis
In hoc casu cum iniuria est manifesta, primo debet satisfacere quam absolvatur, infra, de verb. sign., ex parte in Christo; et infra, de verb. sign., cum olim. Simile infra, de sent. excom., parochianos.

X 2.28.14 *Consuluit*

Aliquatenus
Sic supra, de appell., pervenit 1; supra, de appell., cum sit Romana, in fi.

Notoria
Notorium dicitur tribus modis, infra, de cohab. cler. et mul., quaesitum, ubi de hoc.

Cogere
Sub alternatione, ut vel prosequantur appellationem in termino statuto, vel eo elapso respondeant coram eo, ut supra, pervenit 1; et supra, de appell., cum sit Romana; et infra, de appell., saepe; et infra, de appell., ad haec cum.

X 2.28.15 *Suggestum*

BOOK II **X 2.28 DE APPELLATIONIBUS, RECUSATIONIBUS ET RELATIONIBUS**

X 2.28.16 Ad praesentiam (rev. 9/23)

In vocem appellationis

Arg. hic quod aliquis possit appellare in absentia iudicis, arg. supra, de alienat. mut. iud., ex quorundam. Quia ex quo quis scit, appellandum est, 2. q. 6, biduum; et C. quom. et quan. iud. sent. prof., ab eo; et ff. quan. appel. sit, si quidem § si adversus. Unde videtur quod si episcopus meus vellet me excommunicare et absens appellem, si ferat sententiam, non tenet. Tamen in hoc casu tenet, quia ignorat me appellasse, et ideo non punitur per 2. q. 6, decreto; et 34. q. 3, de illicita. Laur. Et est hic arg. quod talis appellatio valet, dummodo non fiat malitiose, sed hodie non valet appellatio talis, infra, de appell., ut debitus; et infra, de appell., cum speciali.

Deprehensus

Sed quis probabit istum malitiose appellasse? Adversarius qui hoc obiicit, ff. de probation., ab ea; et ff. de probation., in exceptionibus. Quia qui fraudem allegat, eam probet, ff. de probation., quotiens operae § qui dolo. Ipso facto videtur quod sit probata malitia.

Epistolam

Supra, de appell., meminimus; et infra, de appell., ad haec sicut.

Removendum

Supra, de appell., ad nostram; et infra, de appell., cum speciali § porro. Quod enim provisum est ad concordiam, non debet vergere ad noxam, 45. dist., licet 2. Et iuris occasio ad iniquum dispendium trahi non debet, C. de usuca. pro empt., eum qui; et infra, de privileg., quod nonnullis, in fi.; supra, de rescript., nonnulli.

X 2.28.16 *Ad praesentiam*

Absolvi

Ad cautelam. Sic supra, de testib., veniens 2, in fi. Et istud saepe fit, licet excommunicatio de iure non teneat, infra, de sent. excom., per tuas; et infra, de sent. excom., venerabili; et infra, de sent. excom., extravag. solet; et supra, de offi. deleg., cum contingat; 24. q. 1, audivimus. Simile ff. de remission., ait praetor; C. de ing. manum., ingenuam; et in quadam decretali Inno. iiii infra, de sent. excom., extravag. solet.

Statum

Sic infra, de appell., bonae; et supra, de offi. deleg., super quaestionum, in fi.; et 2. q. 6, appellatione interposita; et ff. nihil inn. appel., appellatione; et supra, de iureiur., venientes; et supra, de elect., cum inter canonicos.

X 2.28.17 *Cum teneamur*

Reformare

Per servum etiam turbata possessio potest recuperari absente domino, C. si per vi. vel al. mod., iudices.

X 2.28.18 Consuluit (rev. 9/23)

Praetermisso

Et sic videtur quod in eo tantum articulo super quo appellatur, exemptus est a iurisdictione iudicis sui ordinarii, infra, de appell., proposuit; et supra, de appell., ad haec si in. Et contrarium ex illis decretalibus colligitur. Et ad hoc est arg. ff. ap. eum a quo app., si quis. Unde potest possessionem illam reformare, nec per hoc intelligitur renunciare appellationi, ut hic patet. In delegato secus, quia ex quo appellatur ab ipso ex legitima causa, nulla remanet ei iurisdictio, infra, de appell., ut debitus. Unde si rediret ad legatum, renunciare intelligitur appellationi, supra, de offi. deleg., gratum; supra, de testib., cum venisset.

X 2.28.18 *Consuluit*

Generalis

Hic admittitur generalis appellatio contra supra, de appell., inter caetera, ubi non admittitur. Secundum quod dicit hic in una causa solvit. Contra ibi loquitur de generali appellatione, quae fit in qualibet causa. Sed nec istud tenet, quia causa probabilis semper est exponenda, aliter non admittitur appellatio, sive generalis sit sive specialis, infra, de appell., ut debitus; et infra, de appell., cum specialis § porro.

X 2.28.19 *Cum parati*

Promulgavit

Propter contumaciam, ut 11. q. 3, certum; et supra, de appell., si duobus.

In legatione regis

Arg. quod excusaret eum auctoritas regis, si in legatione regis inventus fuisset, arg. 18. dist., si episcopus; 63. dist., Salonitanae; et in Auth. quom. oport. episc. § illud, coll. 1; 23. q. 8, si vobis. Arg. contra quod non excusat, 23. q. 8, quo ausu; et 23. q. 8, reprehensibile; 25. q. 1, omne; et 12. q. 2, quicumque militum. Solutio: si mandatum regis praeveniat mandatum cuiuslibet praelati post dominum Papam, tunc regi obtemperandum est, si ab ipso teneat regalia, 23. q. 8, si in morte § ecce. Quod si Papa vocat eum postea, exemplo Petri relictis omnibus etiam regalibus sequatur Papam. Unde iste etiam si ibi fuisset, debuit venire ad cardinalem exemplo Petri, qui vicem Papae gerebat, 93. dist., praecipimus; et 94. dist., valde.

Suus nuncius

Arg. quod simplici nuncio credendum est etiam in alterius praeiudicium, ff. de reb. eorum qui sub tut., magis § illud. Arg. contra supra, de offi. deleg., prudentiam. Quia dicitur ibi per certum nuncium litteratorie destinatum, et uni testi in alterius praeiudicium credi non debet, supra, de testib., veniens 1; et supra, de testib., licet universis. Nuncio tamen publico iurato fideliter exequenti officium suum bene creditur circa citationes, aliter non crederetur, arg. supra, de praesump., illud; supra, de praescrip., ad audientiam; et arg. praedictae legis ff. de reb. eorum qui sub tut., magis § illud.

X 2.28.20 Ad haec (rev. 9/23)

Obtentu appellationis

Et sic duplici defensione defendebatur iste auctoritate regis et per appellationem, quia nemo prohibetur pluribus defensionibus uti, ff. de exception., nemo; et supra, de praescrip., auditis. Praeterea si appellatio tenuit et cardinalis scivit illum appellasse, sententia cardinalis non tenuit, supra, de appell., si duobus. Quare ergo Papa non admittit talem appellationem? Quia non constabat quod appellasset, vel quia iusta fuisset appellatio licet allegaret. Et potius debuit credi cardinali et nuncio quam illi qui hoc tantum allegabat, et praeterea debuit ire et allegare privilegium suum, ff. de re iud., si quis ex aliena; et supra, de appell., si duobus. Maxime si in una legatione inveniebatur, ff. de iuris., extra territorium.

Ostensurus

Sed quare Papa mandat quod veniat ad curiam, cum cardinalis excipiat contra eum, ut videtur per id quod dicit in principio quod paratus erat petitiones illius admittere, sed per exceptionem repelli tamen debuit, non puniri, supra, de ord. cognit., cum dilectus. Cardinalis non excipiebat etiam simpliciter, immo denunciabat domino Papae contumaciam suam et excommunicationem suam, ut inde puniretur et repelleretur a petitionibus suis tamquam excommunicatus, quare Papa ipsum non audivit propter excommunicationem, et propter contumaciam et contemptum sedis Apostolicae vocat ipsum ad sedem Apostolicam, infra, de accusat., veniens, in fi.

X 2.28.20 *Ad haec*

Appellant

Sed quare non compelluntur praecise etiam stare iudicio ecclesiae, secundum quod iuraverunt? Ideo non compelluntur, quia gravabantur. Aliter non admittitur hodie appellatio, infra, de appell., ut debitus. Et ideo non videtur deserere iuramentum, cum ex iusta causa dimittat illud, ff. qui satisda. cog., qui iurato.

Infra quadraginta dies

Non arctatur ad hoc nisi secundum quod visum fuerit iudici, ut supra, de appell., cum sit Romana.

Iter arripere

Hic praefigitur terminus ad iter arripiendum. Sic supra, de appell., personas, ubi de hoc.

Prosequendam

Contra infra, de appell., quaestioni. Sed solvitur ibi.

X 2.28.21 *Quaestioni*

Deferendum

Supra, de appell., ad haec praeterea. Contra ibi iusta de causa appellavit, hic causa subterfugii, ut littera dicit. Et littera solvit contrarium. Vel sic intellige diversitatem istarum decretalium. Ibi iuravit stare iudicio ecclesiae, quia propter contumaciam fuerit excommunicatus, et licet appellet ex causa probabili, iudicio stare intelligitur, quia facit

X 2.28.22 Praeterea de his (rev. 9/23)

quod ius sibi permittit, infra, de appell., ut debitus; arg. ff. iudi. solv., cum apud; et ff. rem rat. hab., cum minor § falsus. Hic erat excommunicatus pro aliquo delicto in quo iacebat, quia forte idem retinebat uxorem alterius, et super hoc iuravit stare mandatis ecclesiae, sed statim ante mandatum vel mandato facto quod illam ulterius dimitteret, incontinenti appellavit. Tali appellationi non est aliquatenus deferendum, quia praeiudicat iuramento suo. Et hoc satis potest colligi ex ipsa littera, ubi dicit: appellationi quae iuramento eius debeat derogare. Quia sine iuramento tali appellationi non est deferendum, per quam in sua iniquitate remaneat, infra, de appell., praeterea de his; et supra, de appell., consuluit 1; et supra, de appell., cum sit Romana, in fi.

Reducendus

Sic infra, de sent. excom., sacro, vers. fi.; supra, de offi. ord., ad reprimendam, in fi. Sed numquid iterum recipietur iuramentum ab eo standi mandato ecclesiae, cum iam semel deieravit? Laur. dixit quod sic, et est arg. optimum supra, de maior. et obed., cum in ecclesiis. Arg. contra 22. q. 5, parvuli; et 6. q. 1, quicumque; et supra, de praesump., litteras. Sed ibi non admittitur ad iuramentum ut possit testificari pro aliquo, in opprobrium ipsorum qui periuri sunt. Sic supra, de testib., testimonium. Item arg. contra 2. q. 7, non potest. Sed illud intelligitur antequam poeniteat. Tanc. dicebat quod aliam cautionem debeat ab isto recipere praeter iuramentum, scilicet fideiussoriam cautionem vel pignoratitiam, ff. mand. vel cont., si mandato § ulti.; et ff. de fideicommi. liber., ergo § adiici; arg. illius decretalis supra, de praesump., litteras. Sed illud loquitur cum suspectus est de haeresi. Unde ecclesia recipit fideiussoriam cautionem ad damnum illius. Et Ala. hoc idem sentiebat, arg. supra, de procurat., alia; et supra, de praesump., scribam. Dico cum Laur. quod iterum isti iurabunt in confusionem ipsorum, et quia forma est talis, quod cum iuramento absolvatur, infra, de sent. excom., ex tenore; et infra, de sent. excom., cum desideres, in fi.; et infra, de sent. excom., super eo quod.

Pro posse

Alias non compellitur, 14. q. 6, si res; et 24. q. 8, pessimam; infra, de usur., cum tu. Quia impossibile praeceptum non obligat, ff. quae sent. sine appel., Paulus. Sic supra, de pact., pactiones. Ber.

X 2.28.22 *Praeterea de his*

Gravia

Maxime quoniam si super articulo aliquo appellatio factum est, ad ea quae postea emergunt, non extenditur, quia in aliis remanet iurisdictione iudicis sui, infra, de appell., proposuit; et supra, de appell., cum teneamur. Ergo multo fortius appellatio illos non defendit in enormibus, ut infra, de appell., proposuit.

Iniquitate

Sic supra, de appell., ad nostram; et supra, de appell., cum sit Romana, in fi.; et supra, de appell., pervenit 1; et supra, de appell., consuluit 1.

X 2.28.23 *Constitutis*

X 2.28.24 Proposuit (rev. 9/23)

Excommunicationis

Idem esset si suspensus esset. Nam suspensi et excommunicati nec eligere nec eligi possunt, supra, de consuet., cum dilectus; et supra, de elect., cum inter R; et 9. q. 1, nos in hominem. Arg. contra infra, de cleri. excom., si celebrat. Sed ibi solvitur.

Nominationem

Si fuit simplex nominatio, nullum ius fuit acquisitum nominato, supra, de elect., quod sicut; et 2. q. 6, ei qui § nominationes. Unde nullum potuit impedimentum praestare sequenti electioni.

Maioris

Supra, de elect., quia propter; et supra, de elect., ecclesia vestra 2, ubi de hoc.

Non obstante appellatione

Quia frustra implorat legis auxilium qui committit in legem, infra, de appell., an sit; infra, de usur., quia frustra; ff. de minor., auxilium, in fi.; supra, de elect., bonae 1; infra, de immun. eccl., immunitatem; et C. de reb. credit., generaliter § 1. Arg. contra supra, de elect., consideravimus; et supra, de elect., auditis. Dicas quod hic prior nominatio sive fuerit electio sive nominatio, nulla fuit tribus de causis. Quia post appellationem interpositam et post denunciationem excommunicationis, cum excommunicati electio ipso iure nulla sit, et a longe minori parte. Alia vero quasi a tota ecclesia, unde merito praevaluit. Et appellationem obiicere ille non poterat, cum ipse appellationi non detulerit, ut supra, de elect., bonae 1; et infra, de appell., an sit.

X 2.28.24 *Proposuit*

In aliis

Et ita patet quod appellatio non eximit appellantem a iurisdictione iudicis, nisi in eo tantum super quo appellatur, supra, de appell., cum teneamur; et supra, de appell., ad haec si in; et infra, de appell., pastoralis; et infra, de appell., extravag. Romana § cum vero.

Non debet

Hoc verbum debet necessitatem importat. Simile 11. q. 4, debent. Unde si appellans vult eum recusare, potest, quia suspectus est, ut hic dicit, et supra, de appell., ad haec si in. Alioquin si nollet eum recusare, tenetur coram illo respondere, quia suus iudex est. Sed quid si appellavi a delegato et pendente appellatione iterum datur iudex contra me in alia causa. Numquid potero ipsum recusare propter ipsam appellationem? Dicas quod sic, arg. istius capituli. Dicas quod haec recusatio pendente priori appellatione est in pendenti. Nam si pronuncietur appellationem tenuisse, apparet quod eum gravavit. Et sic admittitur recusatio in secunda causa, arg. infra, de appell., postremo. Si autem pronunciatur male appellatum, apparet quod illum non gravavit. Unde remittitur ad primum iudicem, infra, de appell., cum in ecclesia; et infra, de appell., ut debitus. Et sic non poterit eum recusare in alia causa.

X 2.28.25 Qua fronte (rev. 9/23)

Manifesto

Habes hic quod in notoriis non est locus recusationi sicut nec appellationi, supra, de appell., cum sit Romana; et supra, de appell., consuluit 1. Arg. contra 2. q. 5, quia suspecti. Sed illud de manifestis non notoriis. Hic vero de manifesto, quod est notorium.

X 2.28.25 *Qua fronte*

Pervertere

Nam iure posset ei dici: peccasti, quiesce, arg. 3. q. 7, infamis § tria; et 3. q. 7 § sunt autem, vers. idem testatur.

Canonicum

Quia huiusmodi spiritualia in ecclesia sive capitulis ad hoc deputatis fieri debent, 23. dist., in nomine Domini; et 2. q. 2, praeceptum; et 23. q. 8, convenior; et supra, de elect., cum terra; et supra, de elect., quod sicut; et infra, de immun. eccl., ut in domibus; et infra, de immun. eccl., cum ecclesia, arg. contra.

Contra debitum iuris

Confirmatio enim causae cognitionem desiderat, ut 23. dist., illud; 47. dist., de Petro. Et ideo de plano expediri non potest, 3. q. 3, induciae § spatium; et 3. q. 3, induciae § a iudice; et 2. q. 3, si quem § notandum, vers. item pro tribunali. Et non de plano, et ff. de off. procon., nec quicquam; C. de sent. et interloc. om. iud., cum sententiam; ff. de regul. iur., omnia quaecumque. Et talia fieri non debent nisi praemissa diligenti examinatione tam personae quam de modo electionis, supra, de elect., nihil est. Et fieri non debent sine consilio capituli sui vel maioris partis, infra, de his quae fi. a prael., novit; et supra, de his quae fi. a prael., quanto.

Contumacia vel alia

Id est, de verb. sign., ex parte in Christo.

Decedat

Quia propter peccatum homo citius etiam mori praesumitur, 11. q. 3, episcopi si sacerdotali, in fi.; et arg. 12. q. 1, dilectissimis. Tollit Deus malos de medio, ne peccatum eorum augeatur, 23. q. 4, ea vindicta, vers. magni sancti viri. Sicut tollit bonos ne malitia mutet intellectum eorum, de poen. dist. 4, si ex bono. Et ideo propter periculum mortis non admittitur haec appellatio, nec in his quae dilationem non capiunt, ut ff. de appellation. recip., si res; et 2. q. 6, ei qui § diffinitiva; et 2. q. 6, ei qui § sunt quorum, vers. si quis ausus; C. de sepulch. viol., cum sit; et ff. de feri., ne quis messium § 2; et ff. de feri., solet. Praeterea nihil deperiit adversario si absolvatur et ei prodest, quo casu non est eius malitiae indulgendum, ff. de rei vend., in fundo; et ff. de aqua pluv. arc., in summa § item variis. Sic propter periculum mortis citius absolvitur, infra, de sent. excom., sacro; et infra, de sent. excom., nuper.

Cautione

Ergo non iuratoria, quia nomine cautionis simplex promissio intelligitur, C. de ver. sig., sancimus. Immo iuratoria cautio praestatur in absolutione, cum illa sit forma ecclesiae

generaliter statuta, infra, de sent. excom., ex tenore; et infra, de sent. excom., cum desideres; et infra, de sent. excom., super eo quod. Immo in casu isto cum excommunicatur quis quia non paret iuri, non debet absolvi, nisi praestita cautione sufficienti quod iuri parebit. Sicut cum restituitur possessio, supra, de sequestra., ad hoc, in fi. Sed in aliis excommunicationibus sufficit iuratoria. Alias videtur fieri iniuria adversario.

Conqueruntur
Coram superiore excommunicatoris, qui per simplicem querelam de excommunicatione cognoscere potest, supra, de offi. ord., ad reprimendam; et infra, de sent. excom., sacro.

Illud idem
Quod absolvatur scilicet non obstante appellatione illius, qui ipsum excommunicavit. Arg. contra infra, de appell., sollicitudinem. Solvitur ibi.

X 2.28.26 *Reprehensibilis*

Canonica commonitione
Trina scilicet. Illa enim dicitur canonica, 16. q. 7, omnes decimae; et 17. q. 4, de presbyterorum. De canonica admonitione habes supra, de iudic., novit; et 2. q. 1, si peccaverit. Et si quis ea omissa aliquem excommunicaverit, per unum mensem ingressum ecclesiae sibi noverit interdictum, infra, de sent. excom., sacro. Et in odium praelatorum, qui excommunicabant non praemissa admonitione contra istud concilium emanavit illa constitutio infra, de sent. excom., sacro; et infra, de sent. excom., extravag. cum medicinalis, quae imponit ipso iure poenam illam praelatis.

Proferant
Tenet tamen, licet contra hoc faciant, 11. q. 3, sententia pastoris. Nisi in duobus casibus infra, de sent. excom., per tuas, ubi habes duos casus. Tertium habes in capitulo infra, de sent. excom., extravag. statuimus. Et quartum habes 24. q. 1, audivimus. Et sic sunt quatuor casus in quibus non tenet sententia pastoris.

Ipso suo genere
Id est ipso facto, supra, de appell., proposuit, in fi.; ut 17. q. 4, si quis suadente; 81. dist., si quis sacerdotum; et 81. dist., si quis ammodo; 1. q. 1, reperiuntur; et infra, de sent. excom., si concubinae; et infra, de sent. excom., nuper. Tunc enim possunt puniri sine admonitione et sine poena illius constitutionis infra, de sent. excom., sacro.

Nec subiecti
Quia subiecti constitutionem illam non servabant, immo indifferenter appellabant, non expectata aliqua admonitione et nulla causa praemissa. Alia etiam constitutio edita est contra ipsos quae illis imponit silentium, infra, de appell., cum speciali. Et sic patet quod subditi contra ecclesiasticam disciplinam non appellant, nisi gravarentur iniuste secundum tenorem illius constitutionis infra, de appell., cum speciali.

X 2.28.27 Ad haec cum (rev. 9/23)

Competens

Secundum tenorem illius decretalis supra, de appell., cum sit Romana. Si exposuit causam probabilem suae appellationis ante sententiam, infra, de appell., ut debitus. Post sententiam est necesse allegare aliquam causam.

Tunc episcopus

Quia perinde est ac si non appellaverit, supra, de appell., cum sit Romana; et infra, de appell., saepe.

Si quid proprium

Punitur appellans qui non prosequitur appellationem in expensis alteri parti, ex eo quod ipsum ad iudicium provocavit et non venit. Et si prosecutus fuisset per procuratorem non ad tractandam litem sed ad impetrandas litteras, adversario legitime prosequente ad totam causam similiter condemnatur, quia non venit sufficienter instructus, infra, de appell., Nicolao. Sed si non habeat proprium, alias punietur secundum arbitrium iudicis, 14. q. 6, si res; et supra, de dolo et contu., finem. Simile ff. de iud., eum quem temere; supra, de rescript., caeterum; et supra, de rescript., quia nonnulli.

Regularem

Simile supra, de appell., ad nostram, ubi de hoc.

X 2.28.27 *Ad haec cum*

Compellere

Sub alternatione, ut dictum est supra, de appell., consuluit 1; et supra, de appell., pervenit 1. Sic alternative compellitur quis ad continentiam, ut 27. q. 2, multorum.

Suspectum

Et ita ordinarius potest recusari. De hac suspicione tene quod dicitur infra, de appell., cum speciali; et supra, de for. compet., si quis contra. Ber.

X 2.28.28 *Pervenit*

Residentiam

Quam quilibet clericus de iure communi facere debet, 7. q. 1, si quis in clero; et 91. dist., Eleutherius; infra, de cleri. non residen., ex tuae; et infra, de cleri. non residen., quia nonnulli. Nisi iusta causa excusentur, puta infirmitate, vel si abest de licentia praelati sui, infra, de cleri. non residen., relatum.

Frustratoriae

Et ita admittitur haec frustratoria appellatio, quae hodie non recipitur, nisi causa probabilis exponatur in appellatione, infra, de appell., ut debitus; et infra, de appell., cum speciali; et infra, de appell., interposita.

X 2.28.29 Consuluit (rev. 9/23)

Arripiat

Terminus iste datur ad iter arripiendum non ad praesentandum se iudici. De hoc dictum est supra, de appell., personas. Ad hoc tamen praecise non potest compelli, C. de appellat., eos, in fi. Sed sub alternatione, ut saepius dictum est.

Assignes

Sed ex quo appellatio eius admittitur, quare dicit Papa quod beneficia illius alii interim assignentur, cum appellatione interposita quae recipitur, nihil innovari oportet, 2. q. 6, post appellationem § appellatione? Hoc ideo fit, quia ecclesia interim non debet carere suffragio clerici, et ideo ne servitium ecclesiae propter appellationem illius diminuatur, subtrahitur illi beneficium, et assignatur alii qui interim officiet ecclesiam vice sua, quia frustratoria videbatur appellatio. Ber.

Prives

Ex hoc patet quod qui in ecclesia sua non vult facere residentiam, potest a praelato suo ea privari, nisi iusta causa fuerit impeditus, quare residere non posset, infra, de cleri. non residen., inter quatuor; et infra, de cleri. non residen., clericos. De hac materia dictum est supra, ut lite non cont., quoniam.

X 2.28.29 *Consuluit*

Pro huiusmodi appellationibus

Huiusmodi appellationibus non est deferendum contra canonicas sanctiones, 54. dist., mancipia. De quo decreto fit hic mentio, et infra, de Iudae. et Sarrac., multorum; et infra, de Iudae. et Sarrac., Iudaei sive; et infra, de Iudae. et Sarrac., cum sit. Et sic patet quod appellatio quae fit contra leges vel canones non est aliquatenus admittenda, infra, de cleri. non residen., relatum. Ber.

X 2.28.30 *Ad haec sicut*

Delegatio

Id est, cognitio delegationis factae.

Ad sedem Apostolicam

Hodie non admittitur talis appellatio, quia si haberet litteras super eodem negotio, non prodesset si nondum essent iudici praesentatae, infra, de appell., ut debitus. Similter habes supra, de appell., meminimus, ubi de hoc.

X 2.28.31 *De priore*

Contempsit

Ex hoc patet quod si praelatus modum excedat in correctione, quod bene admittitur appellatio a tali correctione, supra, de offi. ord., licet. Alias a correctione non appellatur, supra, de appell., ad nostram; et infra, de appell., reprehensibilis, ulti. resp.; et infra, de appell., cum speciali, in fi.

X 2.28.32 Quia nos (rev. 9/23)

De tanto excessu

Et sic patet quod qui non defert legitime appellationi, debet puniri, ut si clericus fuit, deponi debet, 2. q. 2, ut decreto. Si laicus triginta pondo auri mulctetur, C. de appellat., quoniam iudices.

X 2.28.32 *Quia nos*

Ut abbates

Supple statuimus.

Infamia

De qua purgare se nequeunt, 2. q. 5, presbyter. Simile infra, de simon., de hoc.

Convicti

De plano etiam ordine iudiciario per omnia non servato, infra, de accusat., olim. Quia regulares huiusmodi de facili possunt a suis administrationibus amoveri et ex levibus causis, infra, de accusat., qualiter et quando 2, in fi.; et infra, de simon., per tuas 1, in fi.

In communi capitulo

Quod facere debent abbates et priores de triennio in triennium, infra, de statu monach., in singulis. Et si sponte cedere noluerint, tunc praesidentes capitulo denuncient episcopo diocesano qui ipsum removeat, infra, de statu monach., in singulis; et infra, de statu monach., ea quae § 1. Et in tali casu non habet locum haec appellatio contra huiusmodi correctionem, maxime cum publice sint infamati, ut per talem appellationem remaneat infamia. Simile supra, de appell., consuluit 1. Sic et a poena legis appellari non potest, ff. de ver. sig., si qua poena.

X 2.28.33 *Ad aures*

Terminus

Hoc iam saepius dictum est supra, de appell., personas; et infra, de appell., cum sit Romana; et infra, de appell., saepe; et infra, de appell., oblatae. Quia perinde est ac si non esset appellatum.

X 2.28.34 *Ad audientiam*

Ecclesiae

Quae est propria Compostellanae ecclesiae.

Ex simplicitate

Unde ei parcendum fuit, 86. dist., tanta; et ff. de iuris., si quis id § doli; et ff. si quis in ius voc. non ierit, ex quacumque § 1; C. de testament., et ab antiquis; et supra, de rescript., super litteris.

BOOK II **X 2.28 DE APPELLATIONIBUS, RECUSATIONIBUS ET RELATIONIBUS**

X 2.28.35 Accepta (rev. 9/23)

Nostrae protectioni

Arg. contra infra, de privileg., ex parte tua 1, ubi non eximitur, licet aliquis habeat litteras protectionis domini Papae a iurisdictione sui iudicis. Solutio: ibi loquitur de generali protectione, hic specialis protectio fuit, quae obtinuit vicem appellationi. Et praeterea ibi constat illos subesse suis praelatis. Hic sacerdos iste non erat de iurisdictione Zamorensis episcopi, immo dicebat se subesse ecclesiae sancti Iacobi Compostellanae. Et erat in possessione libertatis, et allegabat super hoc privilegium Compostellanae ecclesiae, quare sententia Zamorensis non tenuit. Unde sine causae cognitione ius sibi dicere non debuit in presbyterum illum, ipso enim facto appellavit, arg. infra, de appell., dilecti filii 3; et infra, de appell., ut nostrum.

Cognitione

Delegata a Papa, quia ipse non posset cognoscere de hoc, an iusta causa fuisset huiusmodi protectio vel non, et an haberet iurisdictionem in ipsum, quia nemo ius sibi dicere potest, C. ne quis in sua caus. iud., generali. Ber.

Denuncies non tenere

Et sic nulla fuit sententia tamquam a non suo iudice lata pro huiusmodi protectione, ac si verbum appellationis expressisset. Sic infra, de sent. excom., per tuas.

X 2.28.35 *Accepta*

Ad eos

Ut 2. q. 6 § si vero is; et 2. q. 6, si quis episcopus accusatus; et C. de appellat., eos qui; et infra, de sent. excom., per tuas.

Nisi partes

Id est, pars appellans, quia non obstante contradictione alterius partis potest appellans redire ad priorem iudicem, infra, de appell., interposita § 1. Tamen condemnabitur appellans adversario in expensis alteri parti, si contradicente adversario revertitur ad eum iudicem, ut ibi dicitur.

X 2.28.36 *Postremo*

Consanguineus

Sed usque ad quem gradum intelligimus istam consanguinitatem? Videtur quod usque ad septimum, quia usque ad illum gradum succederet illi aliis deficientibus, 35. q. 5, ad sedem, in 1. colum. Unde cum remaneat affectio, potest recusari usque ad illum gradum in quo posset ei succedere. Arg. contra quia hodie consanguinitas ultra quartum gradum non extenditur, infra, de cons. et affin., non debet. Arg. illius constitutionis infra, de cons. et affin., non debet, posset dici quod ultra quartum gradum non posset recusari ut suspectus. Sed certe honestius reputo, quod in superioribus adhuc repellatur, quia semper affectio et dilectio prima remanet et succederet ei, ut dictum est. Modica enim causa repellit iudicem, puta familiaritas, supra, de offi. deleg., insinuante. Et periculosum est sub iudice litigare suspecto, 3. q. 5, quia suspecti; et C. de iud., apertissimi. Quid si iudex aequaliter esset consanguineus utriusque? Tunc par affectionis causa suspicionem

removet, ff. de ritu nupt., non solum § de uno. Item removeretur iudex si esset dominus impetrantis, supra, de offi. deleg., causam quae, ubi plures casus notantur. Item de hoc plures casus invenies supra, ut lite non cont., accedens 1. Item si ab ipso appellatur in alia causa, supra, de appell., ad haec si in; et supra, de appell., proposuit. De eo quod hic dicitur, et supra, de offi. deleg., causam quae; et in decretali praedicta supra, ut lite non cont., accedens 1, plane invenies de hoc. Ber.

Advocati officio
Qui enim fuit advocatus in causa, postea in ea iudex esse non debet aut assessor, ne actiones suae vel advocationis memor incorrupti iudicis non possit nomen praeferre, C. de assessor., nemo, in fi. Et qui similem causam habet, removetur, supra, de iudic., causam quae inter. Ber.

X 2.28.37 *Ad haec quoniam*

Interdictum
Nota quod excommunicatio et interdictum aequiparantur in hoc, quod sicut excommunicatio post appellationem non tenet, infra, de sent. excom., per tuas, ita et interdictum emissum per appellationem subsequentem non suspenditur, ut hic patet, et econverso, infra, de appell., pastoralis. Nisi sub conditione ponatur interdictum, sive sententia feratur medio tempore potest appellari, infra, de appell., praeterea requisiti; et infra, de appell., dilectis filiis § quia. Sed quid si aliqua ecclesia interdicta est, et episcopus suspendat ad tempus interdictum, ut in ea celebretur. Si quis tunc appellat, numquid valet appellatio? Videtur quod non, licet relaxetur interdictum ad tempus ut in ea celebretur, infra, de privileg., cum et plantare § quod si; et infra, de privileg., ut privilegia; supra, de offi. ord., irrefragabili. Et excommunicatus etiam potest praedicari, infra, de sent. excom., responso; et infra, de sent. excom., cum voluntate, 1. resp. Non enim est novum interdictum, licet eius executio suspendatur, arg. ff. de preca., sed si manente; ff. de peculi., peculium § si aere. Et ita appellatio non suspendit interdictum, et sic episcopus potest suspendere suum interdictum, nec prodest appellare medio tempore. Et hoc dicunt Laur. et Vincen. et Tanc., infra, de appell., dilectis filiis § quia. Et alii dixerunt, sicut Naso, quod episcopus numquam potest suspendere suum interdictum quin tollat illud ex tot. Unde si tunc appelletur et iusta sit appellatio, defendetur per appellationem. Et illud quod inducunt praedicti doctores ad hoc probandum, non probat haec decretalis infra, de privileg., cum et plantare. Quia illud fit auctoritate speciali domini Papae, unde alii ad consequentiam trahere non possunt, ut possint facere quod celebretur in ecclesia interdicta. De facto tamen servatur opinio praedictorum doctorum, et quod hoc possit fieri, probatur infra, de appell., dilectis filiis § quia, ubi de hoc. De appellatione facta dum suspenditur interdictum, dic ut notatur in praedicto infra, de appell., dilectis filiis § quia. Dixit Tanc. quod si ecclesia interdicatur, tale interdictum non potest suspendi quin tollatur in totum, quia non potest esse in ecclesia et extra eodem tempore. Sed non credo quod episcopus possit dare alicui privilegium celebrandi in ecclesia interdicta, quia illud pertinet ad Papam.

Declinare
Infra, de appell., pastoralis.

X 2.28.38 *Cum in ecclesia*

Observare
Quod de iure facere non possunt nisi per appellationem, et in aliis certis casibus qui notantur supra, de offi. ord., pastoralis. Loquitur Papa archiepiscopo Cantuariensi.

A gravamine
Expresso in appellatione, in quo casu tantum tenet appellatio ante sententiam, infra, de appell., ut debitus; et infra, de appell., cum causam, in fi.; et infra, de appell., dilecto filio.

Iniusta condemnatione
In casu isto cum appellatur a diffinitiva sententia, non est necesse causam exprimere, nisi quod dicat: appello ab iniusta sententia. Et tunc debet superior cognoscere vel alii committere secundum arbitrium suum.

Alioquin
Id est, si appellatio non sit legitima, remittitur ad illum a quo appellavit, ut procedat in causa cum appellavit a gravamine, vel quod exequatur sententiam quam ipse superior confirmavit. Et sic est hic optimum argumentum quod iudex appellationis qui confirmat sententiam quam alius tulit, non debeat ipsam mandare executioni, sed primus. De hac materia tractatur supra, de offi. deleg., pastoralis § praeterea.

Remittas
Alias causa ad eum a quo appellatum est, remitti non debet nisi de consensu appellantis, supra, de appell., accepta; et infra, de appell., interposita § 2.

Eius iudicio
Ita quod omne ius salvum sit ei contra quem fuit appellatum, ut si tunc fuit minor, nunc autem factus maior iure minoris utetur, ff. de minor., intra utile, 1. resp.

Pariturum
Nam archiepiscopi non habent iurisdictionem super subditis suffraganeorum suorum nisi in certis casibus, supra, de offi. ord., pastoralis; et supra, de offi. ord., duo.

X 2.28.39 *Directae*

Renunciante
Supra, de offi. deleg., gratum. Ipso enim facto renunciavit appellationi testes producendo sic, infra, de his quae fi. a maior. par. cap., ex ore; infra, de privileg., si de terra; et infra, de privileg., accedentibus.

Lateranensis concilii
Supra, de appell., reprehensibilis; et infra, de appell., saepe. Sic C. de temp. appel., cum anterioribus § ulti.

X 2.28.40 Praeterea requisiti (rev. 9/23)

Appellare secundo

Sic 2. q. 6, si autem § si quis in quacumque; et C. ne lic. in una ead. caus., si quis. Et quod dicit, appellare secundo, intellige a diffinitiva sententia a qua secundo appellare permissum est et non ultra, infra, de appell., sua nobis, et ut dicunt iura praedicta. Et hoc idem locum habet ante sententiam, si gravaretur quis pluries super uno articulo. Secundo posset appellare etiam super illo, immo ante sententiam si gravaretur quis posset appellare pluries quam secundo vel tertio vel quarto, quotiens super diversis articulis gravaretur, quia super unoquoque articulo licitum est appellare si gravaretur.

Res favorabilis

Infra, qui matrim. acc. poss., videtur. Ber.

X 2.28.40 *Praeterea requisiti*

Satisfeceris

Quid sit satisfacere habes ff. qui satisda. cog., satisdatio; et ff. de pigner. act., si rem alienam § omnis. Laur.

Impedire

Et ita suspenditur sententia quae nondum tenet. Non enim tenebit nisi extante conditione, infra, de sent. excom., a nobis fuit. Ex quo autem teneret, non suspenderetur eius effectus per appellationem, infra, de appell., pastoralis, in fi. Arg. contra quia ubicumque conditio extiterit, perinde habetur ac si ab initio pure contrahatur, ff. qui pot. in pign. hab., potior. Et ita sententia excommunicationis sub conditione potest ferri, et statim currunt tempora appellationis, unde statim appellandum est ante diem conditionis, ut hic patet. Sic et aliae sententiae sub conditione possunt ferri. Sed ibi infra decem dies est appellandum. Post decem dies non auditur appellans, licet adhuc non extet conditio, 2. q. 6, biduum. Et illud notatur quod si pendente conditione efficiatur de alieno foro, is in quem lata est huiusmodi sententia, puta quia transtulit domicilium alio loco, nihilominus ligatus erit existente conditione, nisi ante conditionem appellaverit, arg. C. de testam. manum., statuliberis. Arg, optimum ad hoc supra, de for. compet., proposuisti. Laur.

X 2.28.41 *Secundo*

Intentioni

22. q. 5, humanae; et infra, de verb. sign., intelligentia.

In omnibus

Infra, de appell., inquisitioni, contra. Solve: hoc contra quod dicit hic, locum habet cum est unum negotium principale, sed plures articulos continet pendentes ex negotio principali. Exemplum pone supra, de rescript., cum dilecta; et supra, de offi. deleg., venerabili. Illud autem quod dicitur in decretali Gregorii infra, de appell., inquisitioni, loquitur cum plura sunt negotia omnino diversa in una commissione contenta. Exemplum pone de hoc 2. q. 1, in primis. Tunc licet sit prohibita in uno. Non tamen est prohibita in alio, nisi hoc dicatur in decretali Gregorii infra, de appell., inquisitioni. Arg.

ad hoc ff. de minor., etiam § 1; C. de repud., consensu. Sed hodie ipso iure remota est appellatio, infra, de appell., ut debitus.

Utriusque iuris

Canonici et civilis, 32. q. 7, Apostolus; ff. de pacti., item quia § ulti.; et ff. de ver. oblig., Titia § 1; C. fam. ercis., quotiens; C. de pacti., petens; ff. si cert. pet., lecta est; ff. de leg. 1, si servus plurium, in fi.

Coram eodem allegare

Nota quod haec decretalis loquitur de iudice delegato. Sed infra, de appell., cum speciali, loquitur in ordinario. Unde nota quod qui iudicem recusare intendit, causam iustae recusationis debet allegare coram ipso, ut hic dicit. Talem videlicet, quae si esset probata, deberet legitima reputari, infra, de appell., cum speciali. Sicut in appellatione, infra, de appell., ut debitus. Et recusatio danda est in scriptis, supra, de probat., quoniam. Et ante litem contestatam debet proponi, cum sit dilatoria, 3. q. 3 § offeratur; et supra, de re iudic., inter monasterium; et C. de iud., apertissimi. Vel saltem infra terminum statutum a iudice ad dilatorias proponendas, supra, de except., pastoralis. Nisi ex nova causa superveniente post litem contestatam proponi non potest, supra, de offi. deleg., insinuante. Secundum leges potest proponi usque ad viginti dies, ut in praedicto 3. q. 3 § offeratur, et C. de sent. et interloc. om. iud., authen. et consequenter. Causa vero suspicionis coram arbitris a partibus electis est probanda, supra, de offi. deleg., suspicionis; et infra, de appell., cum speciali; et supra, de for. compet., licet ex suscepto. Causa vero recusationis non probata delegatus in causa procedat. Ea vero probata supersedere debet iudex, ne amplius se intromittat, cum apparet ipsum non habere iurisdictionem post pronunciationem arbitrorum. In ordinario secus est, quia potest committere causam illam personae non suspectae, vel illam causam remittere ad superiorem, infra, de appell., cum speciali. Et ibi de hoc etiam invitis partibus, quod non potest delegatus, ut ibi notatur.

In aliquos

Id est, arbitrum vel arbitros. An tales arbitri veri dicantur, dictum est supra, de offi. deleg., suspicionis.

Debent cogi

Arg. contra ff. de iud., si quis ex aliena. Sed ibi dubitatur an iudex sit, hic autem non, cum constat de iurisdictione, sed praetenditur recusatio. Laur.

Terminum competentem

Terminum istum non iudex sed arbitri statuere debent, supra, de offi. deleg., suspicionis. Hodie vero debet iudex assignare terminum, ut in decretali Inno. iiii infra, de appell., extravag. legitima.

Supersedere

Contradicit lex, quia licet iudex delegatus recusetur, potest causam alii delegare, C. de iud., cum specialis. Ibi non probatur causa suspicionis, sed allegata suspicione delegatur causa alii. Et quia non gravatur in aliqua probatione, permittitur a lege ut delegatus alii

deleget. Sed hic necesse habet probare causam suspicionis. Et ideo quia in hoc gravatur, relevatur probata suspicione, ut amplius non committat invito recusatore, et nos aliud servamus secundum canones. Certe lex illa non dicit quod committere possit causam, et sic non contradicit.

Suspecti et inimici
Sic 3. q. 5, quia suspecti; et C. de iud., apertissimi. Ber.

X 2.28.42 *An sit*

Incontinenti
Sed qualiter intelligis illud incontinenti, an usque ad triduum, C. de error. advoc., sententiis; an sine intervallo, supra, de testibus cog., praeterea; et supra, de elect., quia propter; et supra, de restit. spol., litteras; et supra, de testib., veniens 2; an quam cito potest, ff. de statulib., si peculium § ulti.; et ff. ad Tert., in successionem § confestim. Solutio: hoc potest committi arbitrio iudicis, ut dixit Ala. Ego dico quod hic supplendum est, maxime, quia idem esset si congruo tempore hoc probaret, quia frustra auxilium legis implorat, qui committit in legem, supra, de appell., constitutis 1; et supra, de elect., bonae 1; et ff. de minor., auxilium, in fi. Et hic expresse dicitur, nisi ipse se sponte obligaret, ut hoc probaret incontinenti, quia posset renunciare iuris suo. Simile supra, de restit. spol., licet.

Indignum
Numquid ille qui non detulit appellationi in una causa, repelli debet in alia a beneficio appellationis? Arg. quod sic, supra, de except., cum ecclesiasticae; et supra, de elect., bonae 1, in fi.; et infra, de usur., quia frustra; ff. quod quisque iur., si quis § haec poena. Respondeo quod non debet in alia causa ab illo vel alio repelli, et sufficit quod semel punitus est, arg. supra, de elect., cum in cunctis § clerici; et supra, de elect., cum Wintoniensis. Et sic habes quod quis punitur in eo in quo deliquit. Sic infra, de iure patron., pastoralis; et supra, de temp. ord., litteras.

X 2.28.43 *Novit*

Non edidit
Sed dominus Papa tulit sententiam illam.

Publicavit
Sic et Achatius non fuit dictator novi erroris sed veteris imitator, 24. q. 1, Achatius non est; et 12. dist., praeceptis; et infra, de feud., ex parte. Simile infra, de privileg., quia intentionis. Qui enim rem perducit in lucem, potius rem declarat quam aliquid novi faciat, ff. de acq. rer. dom., adeo quidem § si quis, in fi.; ff. qui testam. fac. pot., heredes palam § 1; ff. si serv. vend., sicut § distant, alias ff. si serv. vend., sicut § sed si quaeritur.

Secundum ius
Tam canonicum quam civile, supra, de re iudic., quod ad consultationem; et 2. q. 6, ei qui § sunt quorum, vers. ab executore; et C. quor. app. non rec., ab executore.

X 2.28.44 Saepe (rev. 9/23)

Ab executoribus
Hoc intelligendum est de mero executore, qui nullam habet cognitionem sed tantum executionem, supra, de offi. deleg., pastoralis § quia vero, ubi de hoc; et supra, de re iudic., de caetero. Talis fuit iste.

Modum excederent
Sic supra, de re iudic., quod ad consultationem, ubi de hoc.

Debuisset
Ex hoc videtur quod sicut non posset appellari a mero executore, ita non potest recusari, supra, de appell., super eo 2; et supra, de appell., inter caetera § 3. Sed si non esset merus executor, bene posset appellari ab ipso et recusari. Io. Sed videtur potius dicere littera ista, quod si quis appellat a suspecto, quod propterea non debet dimittere quin procedat, quia primo recusatio est proponenda. Et si iudex illam non admittat, si sit iusta, tunc est appellandum, quia tunc ipsum gravat. Suspicio enim proponenda est secundum formam illius decretalis supra, de appell., secundo; et infra, de appell., cum speciali. Ber.

X 2.28.44 *Saepe*

Alterius
Scilicet appellantis.

Responsalis
Sic videtur quod negligentia sive dolus procuratoris noceat domino. De hoc dictum est, supra, ut lite non cont., ad hoc.

Iuris quaestio
De hoc potes habere plura exempla, scilicet utrum laicus in minoribus ordinibus constitutus eligi possit ad dignitatem vel minor viginti quinque annis vel aliquis possit habere plura beneficia de iure communi. De hoc nulla probatio apud Papam est necessaria, cum ipse habeat ius in scrinio pectora sui, C. de testament., omnium.

Facti quaestio
Quaestio facti quandoque praesentibus partibus de levi posset probari, puta per confessionem partium vel per instrumenta quae haberent vel per testes praesentes.

In Lateranensi concilio
Supra, de appell., reprehensibilis.

Appellaverit
Istud nota quod qui appellat, si appellatio sua recipiatur a iudice vel ab adversario approbetur. Tenetur illam prosequi sufficienter, quantum ad totum negotium. Alias si nuncium mittat ad impetrandum tantum vel nullum mittat parte altera prosequente, condemnabitur in expensis alteri parti, infra, de appell., Nicolao; et infra, de appell., interposita § 1. Alias si non approbetur appellatio a iudice aut ab adversario, sufficit

mittere procuratorem ad impetrandum, licet altera pars sit praesens, ut in decretali infra, de appell., interposita § 1. Secus est de appellato, quia ei non imponitur prosequendi necessitas, nisi venire velit vel solus vel cum adversario, 2. q. 6, ei qui § appellatore. Et potest negligere causam si vult, cum sine ipsa possit causa appellationis tractari si contumax fuerit, C. de temp. appel., cum anterioribus § illud; eo prius citato, infra, de appell., per tuas. Et nota quod qui appellat a gravamine, causam in scriptis assignare tenetur, et petat apostolos in quibus iudex causam exprimat appellationis, et cur appellatio non sit admissa. Vel si forsitan appellationi sit delatum, postea statuat terminum appellanti. Et si appellatus voluerit, partes debent per se vel per procuratores instructos ad causam tractandum accedere. Quod si appellans non fecerit, reputabitur non appellans et ad primum iudicem remittetur et in expensis parti alteri condemnabitur. Et si appellatus hoc contempserit, ipse in expensis condemnabitur, ut in decretali Inno. iiii infra, de appell., extravag. cordi.

Obtineat

Ipsa appellatio sive terminus statutus a iudice ad ipsam prosequendam erit loco peremptorii, ut eo elapso procedat iudex in causa, si non fuerit appellationem prosecutus.

Absentem

Hoc potest intelligi de appellante et appellato.

Ac si peremptorie

Ut si lis non est contestata, excommunicetur reus absens qui appellavit, vel mittatur actor in possessionem causa rei servandae. Si lis est contestata, potest ferri diffinitiva sententia si liqueat de causa. Vel si non liqueat, constituatur verus possessor, supra, de dolo et contu., prout; supra, ut lite non cont., quoniam § in aliis. Si actor est absens, qui appellavit procedatur contra ipsum ad testium receptionem et ad diffinitivam sententiam, ut supra, de dolo et contu., causam quae; prout notatur in decretali supra, de dolo et contu., prout. Item in alio habet appellatio similitudinem cum citatione peremptoria, ut sicut peremptorie citatus qui non venit non auditur appellans, 34. q. 3, de illicita. Similiter nec appellans, qui non prosequitur appellationem, supra, de appell., personas; et supra, de appell., cum sit Romana. In hoc tamen differunt, quia peremptorie citato iudex potest facere gratiam, supra, de offi. deleg., consuluit. Sed si quis non prosequitur appellationem, statim tenet sententia, ut supra, de appell., cum sit Romana. Nec amplius auditur appellans, ut ibi dicitur, et hic, vers. salvis etc. Et hoc intellige cum notum est hoc iudici, quod appellans non est prosecutus appellationem in termino constituto, et ipse non comparet in praesentia iudicis in ipso termino. Alias non potest procedere contra absentem.

Salvis constitutionibus

Hoc respicit id quod dixi supra, vers. ex tunc in absentem procedatur etc. Sed hic post sententiam statim rata manet sententia, et procedit iudex ad executionem tantum. Sed tunc ante sententiam alius est modus procedendi, ut dictum est in notula illa, ut si lis non est contestata etc.

X 2.28.44 Saepe (rev. 9/23)

Rata manet sententia

Sic supra, de appell., cum sit Romana; et 2. q. 6, ei qui § appellatore. Qui enim non prosequitur appellationem, fingitur non appellasse, C. de temp. appel., cum anterioribus § ulti. Unde etiam retro notatur infamis, ff. de his qui not. infam., furti. Sed numquid est idem in sententia excommunicationis, ut si aliquis fuerit excommunicatus post appellationem et eam non prosequitur, an tunc rata maneat sententia excommunicationis, ut fingatur non appellasse? Videtur quod sic, quia retro notatur infamia qui condemnatur de furto, nec prosequitur appellationem, ut in lege praedicta ff. de his qui not. infam., furti. Sed hoc non est verum in sententia excommunicationis, quia aut appellatio tenuit aut non. Si tenuit excommunicatio lata postea ipso iure nulla fuit, infra, de sent. excom., per tuas. Et ita sive prosequitur appellationem sive non, non efficitur postea aliqua, ff. de regul. iur., quod initio; et 16. q. 3, placuit § potest, ultra unam colum. Si appellatio non tenuit, ergo excommunicatio postea facta statim tenuit. Et aliud est in sententia excommunicationis quam in aliis, quia effectus aliarum sententiarum suspenditur si appelletur, ff. ad Turpil., accusatorum. Sed effectus excommunicationis non suspenditur per appellationem, infra, de appell., pastoralis. Ex hoc sequeretur absurditas si aliquis retro esset excommunicatus. Sequeretur enim quod aliquis canonice electus esset, et tamen cassanda esset electio eius facta medio tempore. Io. Sed pone aliquem episcopum depositum, statim post sententiam appellat. Appellatione pendente excommunicat subditum suum, numquid talis excommunicatio tenet? Vincen. dixit quod si episcopus non appellavit, vel si appellavit et non fuit appellationem prosecutus, excommunicatio non tenuit. Arg. lege praedicta ff. de his qui not. infam., furti, quia fingitur non appellasse, C. de temp. appel., cum anterioribus. Si fuerit prosecutus, sive confirmetur sententia sive non, tenuit excommunicatio. Tanc. dixit et melius quod ex quo appellavit, remansit in officio suo, quia qui appellat, non dicitur condemnatus, ff. de poe., rei capitalis § ulti. Et integer est status eius, ut interim fungatur honoribus, ff. de appellat., interposita; ff. nihil inn. appel., appellatione § integer. Et ideo sive prosequatur sive non prosequatur appellationem, excommunicatio tenuit, et hoc secundum praedictam rationem quam Io. assignavit. Si vero non appellavit, acquievit sententiae. Et sic per sententiam amisit omnem iurisdictionem. Unde si tulit postea sententiam, nulla fuit.

Absente proponi

Hoc vult dicere littera ista. Sicut absens peremptorie vocatus, qui non potuit venire iusta de causa detentus, auditur allegans impedimentum suum, ita quod revocatur quod contra eum factum est, supra, de re iudic., cum Bertholdus; et ff. de iud., si praetor; et 4. q. 5, quisquis. Sic appellans, si non potuit appellationem suam prosequi infra terminum constitutum, auditur volens probare impedimentum, supra, de appell., cum sit Romana; et supra, de appell., ex ratione; et C. de temp. appel., cum anterioribus § illud.

Praeveniens

Hoc intelligitur de termino statuto a iudice vel ab appellante. Secus est in termino statuto a lege, quem potest quis praevenire, 2. q. 6, ei qui § appellatore. Dum tamen appellatus nimium non praecurrat, ut appellantem in commissione impetranda supplantet, infra, de appell., oblatae.

X 2.28.45 Constitutus (rev. 9/23)

Tacita veritate
Quia tacuit impetrando quod terminus statutus fuisset a iudice vel a seipso.

Careat impetratis
Iste cui praefigitur tempus ab homine, non potest ante terminum illum impetrare. Numquid illud tempus currit in anno appellationis? Non videtur, quia tunc non est in mora, quia si vellet procedere, non potest, ut hic dicit. Et ei qui agere non potest, non currit tempus, ut dicit lex C. de annal. except., super annali § ulti.

Poenam contumaciae
Quia punitur in expensis, supra, de appell., reprehensibilis. Et iudex cui fit commissio, illum condemnabit ad expensas, infra, de appell., ut debitus.

In litibus
Et ubi non servatur iuris ordo, ut in notoriis, supra, de iureiur., ad nostram 3. Et in causa inquisitionis, supra, ut lite non cont., quoniam. Et ubi crimina patent et corriguntur, supra, de appell., reprehensibilis; et supra, de appell., cum sit Romana, in fi.

X 2.28.45 *Constitutus*

Constitutus
Haec decretalis loquitur de materia illius supra, de testib., veniens 2.

Transtulerunt
Et quidam alii retinuerunt penes se potestatem eligendi, hoc acto in ipsa translatione, quod episcopus sine aliis ad electionem non procederet, ut infra dicitur.

Praeter assensum omnium
Id est, praeter assensum omnium requisitorum, quia omnes sunt vocandi, supra, de elect., quod sicut; et supra, de elect., quia propter; et supra, de elect., bonae 2. Si velles intelligere praeter assensum omnium, scilicet habitum in electione, non valuisset appellatio, quia non est necesse quod omnes consentiant in electione, quia sufficit consensus maioris partis et sanioris capituli in electionibus, ex quo vocati sunt omnes, ut dicit illa constitutio supra, de elect., quia propter, et multa alia iura eiusdem tituli; et infra, de his quae fi. a maior. par. cap., cum in cunctis, servata forma illius capituli supra, de elect., quia propter.

Derogaret
Quia nec posset si vellet, ex quo appellatum est ad superiorem vel delegatum, supra, de offi. legat., licet; et supra, de postul. praelat., bonae 2.

Delegavit
Sed qualiter potuit iste legatus delegare causam alii, cum iam esset delata ad Papam per appellationem contra id supra, de offi. legat., studuisti; et supra, de offi. legat., licet. Io. dicit quod speciale est in causa ubi appellatur ab electione, quod alter cognoscere possit. Tanc. dixit et melius quod hoc facere non potest nisi de consensu partium, quem credebat

X 2.28.46 Constitutis (rev. 9/23)

hic intervenisse, ad hoc ut causam magis instructam remitteret ad Papam per iura praedicta C. de relat., si quis; et C. de relat., super delictis; et infra, de appell., intimasti.

Indulgendum
Quia indulgeri non debet nisi ex iusta causa, supra, de appell., cum sit Romana; et supra, de appell., ex ratione.

Potuissent
Sic supra, de elect., bonae 1; et supra, de dolo et contu., cum dilecti.

Exceptiones
Duas videlicet quas statim subiungit, quas iudex ex officio suo decurso tempore appellationis admittit, et de eis mandat inquiri ne per surreptionem promoveatur, arg. supra, de elect., cum dilectus. Sic C. de temp. appel., tempora, in fi. In huiusmodi electionibus praecipue valet officium iudicis, supra, de elect., cum nobis; et supra, de elect., nihil est.

Renunciasse
Quod ei licuit, 7. q. 1, quam periculosum; et C. de pacti., si quis in conscribendo. Unde amplius non est audiendus, arg. infra, de instit., cum venissent.

Processisse
Excedendo fines compromissi, et ita nihil egit, supra, de elect., cum dilectus; et de confirm. util. vel inutil., examinata; ff. de recepti., Pedius.

Praetermissis
Praedictis undecim canonicis. Et sine quibus procedere non debebat, prout expressum fuit in translatione voluntatum, ut dicit haec littera.

Factam de alio
Ab illis undecim pendente electione decani. De qua etsi dubitaretur an teneret, non est alia facienda, arg. C. qui dar. tut., cum tibi. Secus si notorium esset, supra, de appell., constitutis 1; et infra, de iure patron., illud. Vincen.

X 2.28.46 *Constitutis*

Metem
Ex una parte.

Adiuravit
Talis adiuratio loco iuramenti habetur, 2. q. 5, si quis presbyter; infra, de purg. can., nobilis.

Magis utilem
Ad hoc quidem de iure tenentur. Ille enim qui est doctior et sanctior est eligendus, 8. q. 1, licet ergo. Cuius comparatione caeteri grex dicantur, 25. dist., unum oratorium § nunc

autem; et 1. q. 1, vilissimus; et 61. dist., in sacerdotibus. Licet talis sit eligendus, sufficit tamen si est idoneus, quia conveniens scientia toleratur in praelato, supra, de elect., cum nobis. Et sufficit quod non sit malus, 16. q. 7, monasterium; supra, de praesump., dudum.

Cantor
Sancti Salvatoris.

Maiori et saniori
Quasi a duabus partibus electus. Unde merito debuit praevalere, quod semper obtinet in electionibus, supra, de elect., quia propter. Et in aliis etiam negotiis ecclesiae, nisi a paucioribus aliquid rationabile ostendatur, infra, de his quae fi. a maior. par. cap., cum in cunctis.

Impotentiam
Impotentia praeveniens ex nimia senectute vel corporis debilitate bene nos repellit a promotione, 85. dist., archidiaconum. Sed hic non obiiciebatur talis impotentia, ut patet ex littera. Sed numquid est habenda ratio potentiae in electionibus sive divitiarum sive nobilitatis, sicut habetur ratio dignitatis? Arg. quod sic, 4. q. 3, in testibus; 30. dist., hoc scripsimus; 97. dist., nobilissimus; 41. dist., non cogantur; 24. q. 1, qui contra pacem; in Auth. de defensor. civit. § 1, coll. 3; et infra, de praeben., de multa; ff. de cust. reo., de custodia; et ff. fam. ercis., si quae sunt; et ff. de fid. instrum., mandatis; et C. qui bon. ced. poss., cum solito. Sed contra videtur ut paupertas praeferatur, 12. q. 2, gloria episcopi; et 12. q. 2, Socrates; 15. q. 1, illa, in fi.; ff. de var. et extraord. cog., praeses § est enim res quidem sanctissima. Solutio: si omnes aliae circumstantiae pares essent hinc inde, satis potest recurri ad divitias seu potentiam, ut per eas sublevetur ecclesia per iura praedicta. Item patet hic quod non recurritur ad dignitatem, cum numerus est longe maior ab alia parte, supra, de elect., dudum ad audientiam.

Explicare
Advertendum est quod hic deficit totus iste textus sequens secundum quod compertum est in registro, et incipit: nec appellatio quam post confirmationem obiecerat, confirmationis factum debuit impedire, quoniam a minori parte contra constitutionem maioris et sanioris nulla rationabili causa obiecta vel ostensa interposita fuerat, quia et decanus opponens rationabilem causam suae appellationis, nec opposuit nec ostendit. Nos ergo etc.

Rationabilem non fuisse
Ex hoc patet quod episcopus non tenebatur deferre appellationi praedictae, quia licet alius sit potentior, non fuit iusta causa appellandi, dum tamen alter sit idoneus. Et sic potentia huiusmodi vel nobilitas non praefertur. Sed ideo detulit, quia dicebat se velle aliam proponere coram Papa.

Aliam vellet obiicere
Ex hac littera satis colligitur quod aliam exceptionem, sive aliam causam possum proponere coram iudice appellationis, quam expresserim coram illos a quo appellavi, arg. ff. de appellat., scio. Et nova instrumenta et allegationes possum inducere in causa appellationis, C. de temp. appel., per hanc. Sed contra infra, de appell., dilecto filio; et

X 2.28.46 Constitutis (rev. 9/23)

infra, de appell., ut debitus. Quia non admittitur appellatio, nisi sit rationabilis causa expressa, ut ibi dicitur. Ergo si illam non expressit, postea non potest aliam exprimere propter quam non appellavit. In casu praesenti dico quod coram iudice appellationis possum opponere quacumque causam rationabilem volo, sive illam expresserim in appellatione sive non, ut supra, ut lite non cont., accedens 1; et supra, de fide instrum., cum Ioannes; et de hoc supra, de except., denique. Et multo fortius si protestatus sum me velle tunc aliam proponere, ut hic. Et si decanus aliam proposuisset, bene fuisset auditus. Sed nullam proposuit, quia non habebat quid obiiceret vel mutavit consilium suum, et superior tenetur illam admittere, quia si nihil opponeretur, ipse ex officio suo tenetur inquirere de ipsa electione et meritis electi, supra, de elect., cum nobis; et supra, de elect., nihil est; et supra, de elect., venerabilem. Immo si adversarius negligens esset, superior debet inquirere de exceptionibus peremptoriis, supra, de appell., constitutus, ne per surreptionem aliquis adipiscatur honores, supra, de elect., cum dilectus; et supra, de elect., cum nobis. Quid iuris sit in aliis casibus ab isto dicetur infra, de appell., dilecto filio. In hac sententia quantum ad casum praesentem erat Tanc. Alii, ut Io. et Dama. colligebant ex hac littera quod in casu isto non potest opponi alia exceptio quam fuisset expressa, cum succubuit in una nec licet variare, ne ecclesia diu vacet. Vel hic non fuit admissus, quia cum succubuit in una, praesumitur calumniose aliam proponere, 3. q. 10, placuit. Quod prius dixi teneas. Ber.

In modum exceptionis

Simile infra, de concess. praeben., post electionem, in fi. Sed cum isti detur actio ad impugnandam electionem, multo fortius exceptio debet dari ad impediendum, supra, de iureiur., quemadmodum. Quia turpius eiicitur etc., ut ibi. Et cui damus actionem, multo fortius et exceptionem, ff. de superfic., ait praetor § is autem; et ff. de regul. iur., invitus § cui damus. Praeterea qualiter potest iste electus pendente lite recipere dignitatem contra id 81. dist., tantis; infra, de accusat., omnipotens; et supra, de testib., non debet; et ff. de re milit., qui status? Io. dixit quod hoc ideo statuitur, quia praesumitur quod calumniose et differendi causa obiiciat, arg. supra, de elect., cum dilectus; et supra, de restit. spol., litteras. Immo videtur quod cum in modum exceptionis obiicitur crimen electo, nisi electus publice sit infamatus de illo crimine, quod differenda sit exceptio, infra, de accusat., accedens. Arg. C. de edict. div. Had. toll., quamvis; C. ad leg. Falc., Falcidiae. Et sic videtur quod iste sub conditione recipiat dignitatem, si innocens repertus fuerit, ff. de tutor. et curat., ei qui. Item patet hic quod licet aliquis sit exclusus a iure excipiendi, non tamen a iure denunciandi vel accusandi. Sic supra, de iureiur., quemadmodum, in fi. Simile infra, de concess. praeben., post electionem, in fi. Sed quare iste etiam post confirmationem non potest obiicere crimen in modum exceptionis, ut infra, de accusat., super his? Respondeo: ratione praesumptionis oneratur duriori modo agendi, quia de facili repellitur quis a denunciando, ut si fuerit inimicus vel criminosus qui denunciare non potest, cum se non correxerit, vel si non praemonuit, similiter est durum agere criminaliter propter poenam talionis, sed excipere potest quilibet crimnosus et excommunicatus, supra, de except., dilecti filii, in fi. Io. Alia ratio verior est, quia ulterius non posset obiicere crimen in modum exceptionis per confirmationem quam iste habuit. Et possessionem corporalem, quam mandat Papa dari huic, consequitur iste plenum ius a quo repelli non potest, nisi per denunciationem vel accusationem. Unde exceptio locum non habet, quia per exceptionem repellitur quis ab obtinendo, ut dicit illa

decretalis infra, de accusat., super his. Et licet ibi sit confirmatus et habeat possessionem, nondum tamen plenum ius habet. Unde adhuc habet ibi locum exceptio. Sed hic non est ita. In decretali infra, de accusat., accedens, erat ille iam institutus per Papam, et non deerat sibi nisi sola executio quam Papa mandat fieri, nisi publice infamatus esset, quia executio differri non debet praetextu exceptionis oppositae, nisi opponeretur de falso, supra, de re iudic., de caetero; et infra, de crim. falsi, super eo.

X 2.28.47 *Ex parte*

Periculosum est ire
Nota quod ibi iudex diem praefigere debet, ubi partes sine periculo possint accedere et omnes sui sive testes sive advocati, 33. q. 2, sive de coniugii; et 3. q. 9, hortamur; 2. q. 2, praeceptum; et ff. de iud., si locus. Immo nec altera pars, quae non potest venire honeste, tenetur ire ad locum inhonestum, ff. de recepti., si cum dies § si arbiter. Item non solum dicitur locus incommodus propter inimicitias, sed etiam si excedat duas dietas, ut supra, de rescript., nonnulli. Item nec extra provinciarum terminos est facienda citatio, 3. q. 6, neminem, nisi ex speciali iussione principis, C. de episc. et cler., authen. sed hodie; C. de appellat., cum post; in Auth. ut omn. obed. iud. § 2, coll. 5. Et ubi citatur quis ad locum periculosum, non sufficit praestare ducatum, ut supra, ut lite non cont., accedens 2.

Nisi iudices
Nota arg. iudicem posse revocare gravamen, ut appellans cogatur recedere ab appellatione legitima, infra, de appell., cum cessante.

X 2.28.48 *Significavit*

Ad citationes
Faciendas scilicet. Quando capitulum citabat aliquos, sigillabat litteras illo sigillo. Sed per illud sigillum non debent constituere actorem ad causam, immo cum sigillo noto et authentico. Vel etiam cum citabantur, mittebant nuncium cum sigillo illo. Nec tamen sufficiebat sigillum ad litem totam. Ber.

Constituebat actorem
Adhuc poterat obiici huic actori, quod non erat constitutus de auctoritate archiepiscopi Eboracensis, quia si capitulum conveniat aliquem vel conveniatur, auctoritas praelati debet intervenire. Et si praelatus similiter agat vel conveniatur, debet habere consensum capituli, supra, de iudic., causam quae vertitur; et supra, de procurat., alia, ubi de hoc. Sed si capitulum agat contra praelatum suum vel conveniatur ab ipso, tunc dabitur capitulo actor ad litem auctoritate iudicis ad instar minoris, qui si vult litigare contra curatorem suum, dabit iudex minori actorem, ut Inst. de auct. tut. § ulti.; et Inst. de curator. § ulti. Cum enim ecclesia aequiparetur minori, et capitulum dicatur ecclesia, infra, de testamen., requisisti, ergo et capitulum aequiparatur minori. Sed hic agebat capitulum contra archiepiscopum et contra rectorem hospitalis qui per archiepiscopum fuerat institutus, qui dicebat ordinationem hospitalis ad se spectare. Capitulum vero contrarium dicebat. Unde in casu isto archiepiscopus non praestaret auctoritatem capitulo

contra se, et sic iudicis auctoritate potest constitui per capitulum iste actor sive procurator, ut dictum est.

Prius conventus
Haec allegatio est efficax, supra, de rescript., ex tenore; et supra, de for. compet., proposuisti; et infra, de appell., ut debitus.

Aliquam
Arg. quod qui plura narrat in libello suo quorum unum per se sufficeret, sufficit unum probare, infra, de praeben., cum iamdudum; et infra, de accusat., accedens; et supra, de rescript., inter caeteras; ff. de condi. et demon., falsa § 1; et infra, de privileg., ut privilegia. Arg. contra supra, de rescript., ex parte S, ubi de hoc; ff. de excusat., qui testamento; et supra, de rescript., olim; et supra, de probat., licet. Sed ibi se obligavit ad probandum utrumque, ut ibi dictum est. Et sic utraque istarum exceptionum legitima fuit ad appellandum.

Et caetera
Id est, ad vestram praesentiam convocetis et in causa procedatis.

X 2.28.49 *Significantibus*

Significantibus
Haec decretalis ponitur supra, de libel. oblat., significantibus, et ibi exponitur.

Denegarent
Et ita pronunciandum est super incidenti sive emergenti. Haec quaestio non erat incidens, sed potius emergens. De hoc plene dicitur supra, de ord. cognit., intelleximus. Ber.

X 2.28.50 *Ex insinuatione*

Advocatus
Ex hoc sumebant quidam arg. quod iudex possit recusari si advocatus alterius partis est commensalis ipsius. Sed non est sufficiens causa recusandi, supra, de offi. ord., perniciosa. Sed si altera pars esset commensalis sive familiaris iudicis, tunc potest recusari, supra, de offi. deleg., insinuante.

Reversa
Hoc facere non potuit, quia sic esset imponere legem domino Papae, ut hic dicit, et 2. q. 6, anteriorum § ad haec.

Potuerit
Simile 21. dist., inferior; et supra, de elect., innotuit; ff. de minor., minor; ff. ad Trebel., ille a quo § tempestivum; et supra, de maior. et obed., cum inferior. Ber.

X 2.28.51 Bonae (rev. 9/23)

Expectato

De termino constituendo dictum est supra, de appell., personas, quia triplex est terminus, ut ibi dicitur. Sed de quo termino intelligitur quod hic dicit? De anno appellationis non potest intelligi, quia terminus ille bene potest praeveniri, dummodo nimium adversarius non praecurrat, infra, de appell., oblatae. Io. intelligit terminum istum de termino legali, sed de illo non potest intelligi, quia si non prosequitur aliquis appellationem usque ad annum, postea non potest prosequi, quia rata manet sententia, vel iudex procedet in principali, supra, de appell., cum sit Romana. Et sic necesse est ut intelligatur de termino statuto a iudice, ut intelligamus quod usque ad festum Purificationis altera pars expectare debeat, nec antea debeat litteras impetrare. Quod cum non fecerit, non valent litterae ante terminum illum impetratae, ut hic dicit, et supra, de appell., saepe. Et sic terminus iste statutus fuit ad praesentandum se iudici, licet alia fuisset intentio statuentis terminum ipsum. Et sic quia non poterat statuere illum terminum, valeat quod statuere potuit, quia si non valet ut ago, valeat ut valere potest, ut C. plus val. quod agit., in contractibus; et C. plus val. quod agit., per totum. Et quod de tali termino intelligatur, patet ex littera ubi dicit: interim autem etc., quasi ante terminum statutum ab ipso iudice. Unde non valent litterae.

Audiatis causam

Ut si de his constiterit, litterae camerarii non valebunt, ut supra, de appell., saepe. Et iste procedet in causa secundum iuris ordinem, alioquin remittentur partes ad iudices camerarii, et punientur in expensis, supra, de rescript., caeterum; et supra, de dolo et contu., ex litteris. Ber.

X 2.28.51 *Bonae*

Ingressus

Videtur quod male, infra, de privileg., pastoralis. Quod verum est, nisi specialiter hoc esset ei concessum, ut in decretali infra, de privileg., pastoralis. Vel nisi clericus praemortuus eorum nomine possedisset, supra, de restit. spol., cum venisset. Vincen.

De iure communi

Hoc enim videtur spectare ad ipsum de iure, 63. dist., si in plebibus; infra, de instit., cum venissent. Immo potius ad archiepiscopum, ut ibi dicit, quia archidiaconus hoc habebat ex donatione archiepiscopi.

Nomine archidiaconi

Et ita archidiaconus intelligebatur possidere per alium, quia qui per alium possidet, possidere intelligitur, Inst. de interdic. § possidere; et supra, de praescrip., si diligenti; et supra, de restit. spol., cum venisset; et supra, de praescrip., si diligenti.

Unam procurationem

Haec ratio non fuit sufficiens, quia solutio pensionis nec dominium nec possessionum probat nec privat alium sua possessione, supra, de fide instrum., inter dilectos, ad fi.; et supra, de re iudic., cum Bertholdus; ff. de acq. poss., quamvis § 1.

X 2.28.52 Dilecti filii (rev. 9/23)

In eum statum

Sed cum abbas et monachi spoliati fuissent per laicos illos et non per archidiaconum, quomodo competit eis interdictum unde vi contra archidiaconum, nec etiam videtur fecisse contra appellationem monachorum. Et sic est contra supra, de restit. spol., cum ad sedem, in fi. Potest dici quod monachi restituuntur hic non ex vi interdicti, sed iudicis officio, arg. 2. q. 1, in primis. Ubi removetur tertius qui successerat iam defuncto, et forsitan constitit Papae quod abbas possidebat cum appellatio fuit ab ipso interposita. Vel forte haec facta fuerant per laicos mandante archidiacono vel ratum habente, unde tenetur unde vi, ut ff. de vi et de vi arm., praetor ait § deiecisse; et ff. de vi et de vi arm., praetor ait § sed et si quis; et supra, de restit. spol., saepe; et supra, de iudic., quia V. Et hoc verius puto, unde tenetur ad ipsam rem restituendam cum fructibus medio tempore perceptis, ut hic dicit, et non solum perceptis, sed et qui percipi potuerunt, supra, de restit. spol., gravis. Et quia post appellationem rem recepit ab illis laicis. Unde omnia restituuntur in pristinum statum tempore appellationis factae.

Ex versimilibus

Sufficit ergo quod sit probabilis causa appellationis, licet non sit vera vel necessaria. Talis videlicet debet esse, quae si esset probata, legitima esset. Tunc valet appellatio, infra, de appell., ut debitus.

X 2.28.52 *Dilecti filii*

Facto provocare

Quoniam plus est factis demonstrare quam verbis dicere, ff. de aedil. edict., si tamen § ei qui; et ff. de legib., de quibus, in fi.; supra, de appell., ad audientiam; et infra, de appell., ut nostrum. Et sic facto renunciat quis iuri suo, infra, de his quae fi. a maior. par. cap., ex ore; et supra, de offi. deleg., gratum. Et etiam factis mentimur, 22. q. 5, cavete. Et factis consentit quis, infra, de cond. appos., per tuas. Et ipso facto consentit quis malis, 43. dist., sit rector, vers. quid alium est quam tacendo terga praebuisse etc. Et factis quis probatur incontinens, 28. dist., priusquam; et 12. q. 2, quatuor. Factis etiam ratum habemus, ff. rem rat. hab., cum minor § falsus. Et factis negamus Deum, 11. q. 3, aestimant. Et ita sicut non tenet excommunicatio post appellationem, infra, de sent. excom., per tuas, sic non tenet excommunicatio post iter arreptum ad Papam. Sed non est ita in archiepiscopo, quia Papa vocatus est in plenitudine potestatis, alii in partem sollicitudinis, 2. q. 6, qui se scit; et supra, de auctor. et usu pal., ad honorem. Io. dixit aliam rationem, scilicet quia non itur ad archiepiscopum per querimoniam. Sed hoc est falsum, infra, de appell., sollicitudinem; et supra, de offi. ord., ad reprimendam. Sed videtur quod iter arreptum non sufficiat pro appellatione in iudicio, nisi iusta causa allegetur talis, quae si esset probata etc., infra, de appell., ut debitus. Cum aliter non valeat appellatio, sed post sententiam diffinitivam non sufficit iter arreptum, nisi viva voce appellaretur, quia ibi est opus facto, arg. infra, de sent. excom., a nobis est, ubi non prodest iter arreptum in parte decisa. Et in scriptis etiam appellandum est, 2. q. 6, formae; et infra, de appell., extravag. cordi; et ff. de appellat., a sententia § ulti. Alias iter arreptum nihil operatur nisi incontinenti quis appellet viva voce. Et aliud ante sententiam quam post, quia excommunicatur post appellationem, ut hic. Et praeterea archiepiscopus non poterat esse iudex in causa propria, cum inter ipsum et capitulum Eboracensem esset

controversia super capella ista, infra, de nov. oper. nunc., cum ex iniuncto. Pro qua controversia monachi isti ibant ad curiam. Unde excommunicatio non tenuit post iter arreptum, et sic non obstat quod dicitur. Iter arreptum non sufficit pro appellatione in iudicio, quia hic non erat iudex archiepiscopus, ut dixi. Et credo idem esse si capitulum habeat causam cum episcopo, ut si capitulum mittat ad archiepiscopum pro causa illa, et episcopus excommunicat nuncium post iter arreptum, quod sententia non tenet, cum archiepiscopus in hoc casu sit iudex episcopi. Vel dic quod secus est in archiepiscopo, ut dictum est. Ber.

X 2.28.53 *Pastoralis*

Expresse

Arg. quod omnia intelliguntur prohibita, quae non inveniuntur in iure concessa, supra, de translat., inter corporalia, ubi de hoc. Expresse indulgetur appellatio, etiam si remota sit appellatio in rescripto, si iudex denegat restitutionem spoliato, supra, de restit. spol., ex conquestione. Item si non vult admittere recusationem consanguinitatis, supra, de appell., postremo. Item si non facit exprimi res petitas in libello, supra, de appell., significantibus. Item si citat partes ad locum non tutum, supra, de appell., ex parte 1. Item si cogit partes litigare coram subdelegato suspecto, supra, de offi. deleg., super quaestionum, in fi. Multa exempla posses assignare in quibus recipitur appellatio, licet sit remota in rescripto. Ubicumque permittit ius appellare, secundum antiqua iura bene admittebatur appellatio, licet causa in iure non exprimeretur, dummodo non esset manifeste frustratoria, de qua intellige quod dicit, vers. nos igitur attendentes. Ubi per appellationem frustratoriam etiam si non esset manifeste etc., id est, manifeste frustratoria, alias si habebat qualemcumque excusationem, poterat appellare, dummodo enim constaret frustratoriam, 2. q. 6, ad Romanam, et pluribus aliis ibidem; et supra, de appell., personas; et supra, de appell., pervenit 2; et supra, de appell., cum sit Romana. Hodie vero sive sit remota appellatio sive non in rescripto, non potest appellari nisi probabilis causa fuerit allegata, talis quae si foret etc. Item sive sit expressa in iure sive non, causa propter quam appellatur, dummodo sit probabilis, bene tenet appellatio, infra, de appell., ut debitus. Et ita constitutio illa addit huic decretali hoc, scilicet quod si causa probabilis propter quam appellatur non sit expressa in iure, valet appellatio, secundum hanc decretalem non valebat. Quid operetur remotio appellationis hodie dicetur infra, de appell., ut debitus. Ber.

Emendari

Non enim debuit appellanti obesse quod non fuit suae appellationi delatum, cum appellatio eius iusta fuerit, 2. q. 6, ei qui § appellatore; et supra, de appell., saepe. Hodie vero non stamus huic, sed ei quod dicitur infra, de appell., ut debitus, ut videlicet appellatio teneat sive gravamen in iure sit expressum sive non, dum tamen sit probabile.

Ad tempus

Qui enim appellat a iudice ordinario super aliqua causa ad tempus, tantum exemptus est ab ipso quantum ad illum articulum, sed in aliis remanet iudex. Et tamen pendente illa causa potest illum si voluerit in alia causa tamquam suspectum recusare, supra, de

appell., ad haec si in; et supra, de appell., proposuit; et supra, de appell., cum teneamur; et infra, de appell., extravag. Romana § cum vero. In delegatis secus.

Casu
Hoc dicit propter crimina notoria in quibus non admittitur appellatio, supra, de appell., cum sit Romana; et supra, de appell., consuluit 1.

Dormitasse
Scilicet ne ulterius sit procedendum, quia appellatione interposita extinguitur pronunciatum, ut ff. ad Turpil., accusatorum, in fi.

Cum executionem
Haec ratio non est sufficiens, quia non appellatur a sententia excommunicationis. Nam cum quis absolvitur ab impetititione alicuius, huiusmodi sententia secum trahit executionem, et tamen ab ea appellatur, supra, de except., significaverunt. Ab executore appellatur si modum excedat, 2. q. 6, ei qui § ab executore; et supra, de re iudic., quod ad consultationem. Item sententia furti trahit secum suam infamiam, ff. de fur., non potest; et ff. de his qui not. infam., furti. Quae est ergo causa? Petr. Hisp. dixit quod Deus ligat et non homo, 11. q. 3, nemo, ubi de hoc. Et a principe non appellatur. Illa videtur verior ratio ut homo crescat per meritum parendo etiam iniquae sententiae. Arg. 8. q. 1, sciendum; et 11. q. 3, quid ergo. Et ut magis timeatur disciplina ecclesiastica. Laur. Io. dixit quod constitutio ecclesiae hoc facit ut magis timeatur, sicut constitutio hominum facit quod sententia quae cito ligat quo ad eius effectum tardius liget, 2. q. 6, anteriorum; et 11. q. 3, cum apud. Io. Sed videtur quod non sit differentia inter sententiam excommunicationis et alias sententias. Immo idem, verbi gratia, cum dico: excommunico te, statim es excommunicatus, ita quod nihil aliud est necesse. Idem est cum dico: condemno te ut solvas illi decem, quia statim es condemnatus. Et si appelletur ab ista sententia, condemnatio non removetur per appellationem, immo remanes condemnatus quantumcumque appelles, quod patet per sententiam appellationis, in qua dicitur: confirmo vel casso primam sententiam. Et sic sententia semper durat utroque casu. In aliis sententiis appellatio retardat id quod nondum extat, scilicet solutionem vel rei de qua condemnatio facta est traditionem, quia verum est istum condemnatum, sed non est verum istum adhuc soluisse. Et si statim condemnatus solveret et postea appellaret, nihil relevat talis appellatio, nisi in eventu causae appellationis, ff. de appellat., cum ex causa. In excommunicatione nihil est quod possit appellatio retardare. Verus effectus sententiae est quod condemnatus solvat, quia ad hoc agitur. Et finis excommunicationis est ut sit excommunicatus. Et ipsa prolatione sententiae statim pervenitur ad istum finem. Sed in aliis sententiis condemnationis non statim per sententiam consequitur finem, id est, iudicatum. Et appellatio impedit solam executionem, quia ad hoc est opus facto, licet condemnatio sit facta. Sed in sententia excommunicationis non est ita opus facto quo ad suum effectum, nisi ut publicetur.

Excommunicatio secum trahat
Ex hoc patet quod sententia excommunicationis vel statim ligat vel statim nulla est. Sed quid si aliquis excommunicatur post appellationem probabilem, aut iste est excommunicatus aut non. Probo quod non est excommunicatus, quia excommunicatus

X 2.28.53 Pastoralis (rev. 9/23)

est post appellationem probabilem, quae legitima est. Ergo non est excommunicatus, infra, de sent. excom., per tuas; et infra, de appell., dilectis filiis. Sed contra videtur quod sic, quia iudex appellationis pronunciat appellationem non tenere. Ergo per consequens pronunciat excommunicationem tenuisse. Respondeo quod si quis dubitat an talis excommunicatio teneat vel non, ex futuro pendet an teneat, sicut ex futuro eventu pendet an teneat matrimonium vel non, infra, de frig. et malef., fraternitatis, in fi. Unde haec argumentatio non valet, iste est excommunicatus post appellationem probabilem, quae si probata esset etc. Ergo excommunicatio nulla est, immo est inferendum. Ergo pro excommunicato non est habendus. Et tamen re vera excommunicatus est, quia statim ligat sententia excommunicationis, vel statim nulla est. Tamen si talis medio tempore adeptus esse ecclesiam, non videtur quod esset ea privandus, quia ipsum probabilis error excusat, infra, de sent. excom., sacro, cum interim licite communicetur ei in omnibus sacramentis, infra, de appell., dilectis filiis. Et quicquid tunc facit, valet, 3. q. 7, infamis § tria, vers. verum; et C. de testi., si tibi. Item quia medio tempore status eius integer est, ff. nihil inn. appel., appellatione § integer. Nec damnatus dicitur qui appellavit, ff. de poe., rei capitalis § 2. Io.

Subtrahuntur

Qui enim extra ecclesiam est, nihil nomine ecclesiae potest possidere, 8. dist., quo iure; et 23. q. 7, si de rebus; et 23. q. 7, quod autem; et 32. dist., eos; et 32. dist., praeter hoc. Si tamen non habet aliud unde vivat, dico ei interim providendum de bonis ecclesiae, et quia deposito providetur, 50. dist., studeat. Habenda est enim ratio ne egeat, ff. de re iud., inter eos, in fi., ne cogatur in cleri opprobrium mendicare, 93. dist., diaconi. Licet videatur quod male meriti publica egestate debeant laborare, ff. deposi., bona fides. Item illud potest intelligi in eo casu quando in sententia hoc exprimitur, quod bona ecclesiae subtrahantur ei, cum enim excommunicatum comparemus relegato, et relegato ad tempus non subtrahantur bona, nisi hoc in sententia exprimatur, C. de poe., deportatorum. Sic et in excommunicato idem videtur. Nam quamdiu quis aliis rationibus potest constringi, non sunt ei subtrahenda stipendia, C. de execut. rei iud., stipendia; 17. q. 6, illud. Qui autem excommunicatus est in una ecclesia, excommunicatus est quantum ad alias, 11. q. 3, si quis a proprio; et 11. q. 3, praecipue; et 4. q. 5, quisquis; supra, de offi. ord., ad reprimendam. Sed numquid est idem in suspenso, ut si suspensus est ab uno episcopo, quod suspensus habeatur quantum ad alios? Sic si est suspensus ab officio, quia sententia facit ius quantum ad omnes, 19. q. 2, duae sunt; et 7. q. 1, si quis presbyter; ff. de interdict. et releg., relegatorum § interdicere; et ff. de interdict. et releg., relegatorum § dubitatum. Posset forte distingui utrum suspensus esset pro crimine quod irrogat infamiam, ut tunc ubique suspensus sit. Si non irrogat infamiam, tunc non ubique est habendus pro suspenso, arg. ff. de postulan., ex ea. Sed prius dictum praevalet, quia suspensus ab officio nihil debet de officio ecclesiastico attrectare, alias est deponendus. Et in hoc aequiparatur excommunicato, infra, de cleri. excom., si quis presbyter; et infra, de cleri. excom., clerici. Sed si suspensus est a beneficio in uno loco, tunc dico quod in alio loco potest habere beneficium, ut 16. dist., placuit; 58. dist., si quis. Sed numquid absolutus potest recipere vel petere fructus medii temporis sibi sublatos? Distingue utrum iuste an iniuste si excommunicatus. Si iniuste, potest, 2. q. 5, super causis; et ff. de re milit., ex causa; et infra, de concess. praeben., quia diversitatem. Si fuit iuste excommunicatus, non potest, C. de re milit., cum allegatis, lib. 12. Ad hanc

distinctionem facit optimum argumentum infra, de sent. excom., sacro. Alioquin spe restitutionis facilius delinqueretur, 50. dist., si lapsis, quia facilitas veniae incentivum tribuit delinquendi, 23. q. 4, est iniusta. Poenae enim non solent repeti, ff. de condi. indeb., poenae; ff. de procur., qui proprio § ut in caeteris. Io. Ego credo quicquid dixit Io., licet deposito provideatur, ne in cleri opprobrium mendicare cogatur, quod excommunicato in nullo sit providendum, qui contemnit claves ecclesiae. Cui participandum non est, nisi forte fame periret. Tunc debet ei subveniri, quia poterit adhuc ad ecclesiam redire. Ber.

X 2.28.54 *Sollicitudinem*

Taliter respondemus
Responsio primae quaestionis, quae fuit utrum metropolitanus de huiusmodi quaestione valeat cognoscere.

Cognoscere
Dubitationis causa fuit haec, quia fuit haec nova iniuria. Unde opus erat nova querela, ff. de excepti. rei iud., si mater § eandem. Sed secus est, quia etsi sit nova iniuria, tamen pendet ex praecedenti facto, nec posset de illa cognosci, nisi cognosceretur de appellatione. Simile supra, de appell., cum teneamur. Et sic patet quod si suspenditur iurisdictio alicuius in principali, et in accessorio, infra, de appell., dilectis filiis § praeterea. Sicut delegato principali delegatur accessorium, supra, de offi. deleg., praeterea; et supra, de offi. deleg., prudentiam § sexta. Io. Arg. contra supra, de appell., pastoralis § 1.

De his quae
Sic nec de privilegiis domini Papae, supra, de iudic., cum venissent. Nec de causa ad Papam delata, supra, de offi. legat., licet. Nec de causa specialiter alii commissa, supra, de offi. legat., studuisti; et ff. de iud., iudicium. Vincen. Et est arg. quod idem iuris est in accessorio quod in principali. Simile infra, de appell., dilectis filiis.

In quo
Hic innuit solutionem tertiae quaestionis, quae fuit utrum si episcopus appellaverit ab archiepiscopo, an teneat appellatio.

Episcopus posset
Sed quare posset episcopus appellare, cum ipse dicat appellationem illius nullam, et excommunicaverit post illam appellationem? Solutio: ideo appellat, quia si appellatio est aliqua, per superiorem ad quem est appellatum debet cognosci et corrigi quod postea minus legitime factum est. Et quia si metropolitanus procederet et inveniret episcopum in culpa, puniret illum. Et ideo auditur appellans tamquam cuius interest. Vincen. Sed contra supra, de appell., qua fronte § de his, ubi non auditur episcopus appellans, ne absolvatur excommunicatus ab ipso. Illud intelligitur de eo qui petebat ab archiepiscopo absolutionem offerendo cautionem, et ideo non tenet ibi appellatio episcopi propter periculum, ne decederet in excommunicatione, et quia eius non interest, ne absolvatur. Hic vero appellat, ne cognoscat utrum sit iuste excommunicatus vel iniuste, et eius

interest, ne archiepiscopus de hoc cognoscat. Sunt enim omnino diversi casus. Et quia iste non vult recedere ab appellatione, unde non potest se intromittere archiepiscopus. Sed si vellet recedere ab appellatione, bene potest archiepiscopus interponere partes suas et cognoscere de illa excommunicatione et illum absolvet. Tanc. Sed quare iudex non potest cognoscere de appellatione ab ipso facta sicut cognoscit an sua sit iurisdictio, ff. de iud., si quis ex aliena; ff. si quis in ius voc. non ierit, ex quacumque; et supra, de appell., cum parati. Et ideo non potest cognoscere de appellatione, quia cum probabilis causa exposita est in appellatione, iam exemptus est a iurisdictione illius et est illi suspectus, ut supra, de appell., ad haec si in; et supra, de appell., proposuit. Et praesumptio est pro ipso quod semper vellet iudicare pro sua iurisdictione. Et eadem est causa quare arbitri cognoscunt de suspicione et non ipse iudex. Sed cum dubitatur de iurisdictione, secus est, quia de hoc ipso, an sit iudex, agitur, quia semper praesumitur pro iurisdictione quamdiu in contrarium ostendatur, ex quo apparet delegatio vel ordinaria iurisdictio, ut supra, de rescript., super litteris, in fi. Ber.

Si vero
Qui enim alias non habet iurisdictionem, si crimen est notorium, habet supra, de appell., pervenit 1.

Notorium
Hic innuit solutionem secundae quaestionis, quae fuit utrum archiepiscopus denunciare debeat istum absolutum si invenerit eum legitime appellasse.

Declarare
Sed numquid potest pronunciare sententiam episcopi iniustam vel denunciare illum non ligatum? Videtur quod sic, cum notum sit ei episcopum deliquisse. Sed non credo, quia sic pronunciaret appellationem fuisse iniustam, et sic usurparet officium superioris. Si autem vellet renunciare appellationi suae, tunc archiepiscopus posset pronunciare sententiam iniustam, immo pronunciaret sententiam nullam fuisse et denunciaret illum absolutum si legitima appellatio praecessit, supra, de offi. deleg., cum contingat.

Cum autem
Modo dat veram solutionem, quae perimit praedicta. Et est solutio primae quaestionis, quae fuit utrum metropolitanus cognoscere valeat de huiusmodi quaestione, quam iste appellans coram episcopo deposuit.

Quaestionem
Et ita magistratus potest facere iniuriam subdito, ff. ad leg. Aquil., quemadmodum § magistratus; et ff. quod metus cau., vis autem.

Renunciare tacite
Simile C. de iureiuran., si quis; et supra, de offi. deleg., gratum; et infra, de his quae fi. a maior. par. cap., ex ore, ubi de hoc; et infra, de privileg., accedentibus; et C. de iure dom. imp., si creditor.

BOOK II **X 2.28 DE APPELLATIONIBUS, RECUSATIONIBUS ET RELATIONIBUS**

X 2.28.55 Dilectis filiis (rev. 9/23)

Tamquam adversa

Nota quod non auditur proponens contraria, 23. q. 7, quod autem; et 13. q. 2, quam praeposterum; et supra, de praesump., litteras; 74. dist., gesta; C. de muner. patrim., professio, lib. 10. Arg. contra infra, de regular., sicut tenor; ff. de inoffic. testam., Papinianus § sed nec impuberis; supra, de praescrip., auditis. Et est hic arg. quod si aliquis contestatam litem, licet dicat illa verba salva lite contestata, nihilominus facta est litis contestatio, arg. supra, de consti., cum M. Arg. contra 9. q. 3, salvo; ff. quib. mod. pig. vel hyp. sol., si debitor § si in venditione; ff. de Sil., heres; ff. de acq. hered., pro herede; 7. q. 1, pontifices; supra, de elect., Cumana, ubi de protestatione tractatur.

X 2.28.55 *Dilectis filiis*

Faceret

In hoc enim non incidit in canonem latae sententiae, infra, de deposit., gravis; infra, de sent. excom., ut famae. Sed numquid licet laico taliter detinere clericum habentem administrationem ipsius? Arg. quod sic infra, ne cler. vel mon. saecul. neg., sacerdotibus. Sed non credo. Et expone ibi, deprehendantur in fraudem verborum, scilicet reddendo rationem administrationis. Ecclesia tamen illius qui taliter deprehenduntur in fraudem, non subvenit, quia post prohibitionem ecclesiae hoc fecerunt, ut ibi dicit, sicut volebant Iudaei capere Iesum in verbo, de poen. dist. 6, qui vult, vers. qui a Deo etc. Simile ff. de pigner. act., locum.

Interdictum huiusmodi

Hoc facere poterit decanus ex speciali consuetudine, ut civitatem vel ecclesiam maiorem supponeret interdicto. Nam de iure communi secus est, infra, de his quae fi. a maior. par. cap., quaesivit.

Tenebatur

Quia dum quis manet in crimine super quo appellat, non est audiendus, supra, de appell., consuluit 1; et supra, de appell., cum sit Romana.

Iudicavit irritum

Quod facere non debuit propter appellationem decani, ut infra sequitur. Et tamen interdictum non tenebat propter appellationem episcopi, quia qui facit quod ad ipsum non pertinet, etiam si bonum sit, improbatur, 96. dist., bene quidem. Tanc.

Diversos modos

Qui fuerunt illi, non dicitur hic. Forsitan dixit episcopus quod paratus erat dimittere sacerdotem praestita cautione de restituendis rebus ecclesiae, vel de conservando ecclesiam indemnem, vel si decanus ostenderet ecclesiam illam et sacerdotem ad se pertinere. Et ita fuit appellatio iusta. Unde secundum hos vel consimiles modos volebat ei facere iustitiam, et ideo non tenuit interdictum, quia non erat notorium captionem presbyteri iniuriosam esse, unde non obstat, supra, de appell., consuluit 1.

BOOK II **X 2.28 DE APPELLATIONIBUS, RECUSATIONIBUS ET RELATIONIBUS**

X 2.28.55 Dilectis filiis (rev. 9/23)

Legitime

Nota quod vocat appellationem legitimam propter probabiles causas quas expressit appellans, quod semper debet facere qui appellat, infra, de appell., ut debitus; et infra, de appell., cum speciali § 1; et supra, de elect., bonae 1; et infra, de appell., extravag. cordi.

Variando

Unde non debuit audiri, supra, de appell., sollicitudinem, in fi.; 4. q. 3, placuit § item in criminali, vers. qui falso; 74. dist., gesta; 23. q. 7, quod autem; infra, de poeni., super his; et infra, ut eccl. ben., ut nostrum.

Suspendendum

Sed non videtur quod sententia interdicti possit suspendi, cum enim interdictum et excommunicatio pari passu ambulent, supra, de appell., ad haec quoniam. Et excommunicatio non possit suspendi, supra, de appell., pastoralis, ergo nec interdictum. Sententia enim statim consequitur suum effectum. Nam facti quidem quaestio in arbitrio etc., 2. q. 3, Euthemium § notandum. Nec iudex potest efficere quin damnatum furti sequatur infamia, ut ff. de fur., non potest. Ad hoc dicas quod sententia interdicti quam tulit decanus, fuit sub conditione vel in diem prolata, quia suspendit ecclesiam quandocumque episcopus esset praesens. Simile ff. de hered. instit., quotiens § si quis ita. Et talis sententia bene potest suspendi per appellationem, supra, de appell., praeterea requisiti. Et ideo cum appellatio praecessit sententiam, non debuit postea nec potuit ferre nec exequi sententiam interdicti. Potius tamen dic quod quantumcumque purum sit interdictum, potest suspendi. Et in hoc differt ab excommunicatione sicut executio dignitatis alicuius suspenditur, 15. q. 8, si quis presbyter. Sicut effectus acceptilationis suspenditur, licet non ipsa acceptilatio, ut ff. de donat. inter vir. et uxor., cum hic status § sive autem. Unde si relaxatum est interdictum ad tempus, ipsum tamen manet, ff. de preca., sed si manente. Nec est opus ut iterum revocetur, 26. q. 6, qui recedunt; et C. de curat. fur., cum aliis. Et in casu isto si appelletur, non suspenditur interdictum, ut dictum est supra, de appell., ad haec quoniam. Sed littera sequens, cum interim etc., contradicit expresse. Unde si tempore suspensionis appelletur, non debet postea exequi interdictum, ut hic dicit, dummodo appellatio sit legitima. Contrarium tamen dixerunt Laur., Vincen. et Tanc., ut dictum est supra, de appell., ad haec quoniam. Sed ista littera obstat eis. Sed quod hic dicit, intelligitur quando interdictum positum fuit in diem vel sub conditione. Effectus vero excommunicationis suspendi non potest, quia quam cito quis est excommunicatus, est membrum diaboli, et est privatus sacramentis et communione fidelium. Unde ad hoc ut efficiatur membrum Dei, necessaria est absolutio, 11. q. 3, excellentissimus. Papa tamen posset eius effectum suspendere, infra, de sent. excom., si vero alicuius, quia de nulla sententia facit aliquam, 3. q. 6, haec quippe. Maius enim est de nihilo aliquid facere quam de aliquo aliud vel nihil, de conse. dist. 2, re vera, vers. sermo igitur Christi qui potuit facere ex nihilo quod non erat etc. Io.

Exequendam

Quia appellatione interposita nihil est innovandum, 2. q. 6, post appellationem § appellatione; ff. nihil inn. appel., appellatione. Ex hoc patet quod iudex post appellationem diffinitivam sententiam non debet executioni mandare, alioquin restituatur

possessio appellanti antequam de appellatione cognoscatur, supra, de iureiur., venientes. Et idem dicit hic inferius, quod appellatione interposita nihil debet innovari.

Perturbare
Qui perturbat divinum officium sine poena excommunicationis potest eiici de ecclesia, infra, de sent. excom., veniens; infra, de sent. excom., cum voluntate § si qui vero.

Deferendum
Primo non detulit, sed denunicavit interdictum nullum, ut supra dicitur. Postea detulit quo ad processum principalis causae. Et Apostolos concessit, ut hic dicit. Tanc.

Principale
Captio presbyteri fuit negotium principale, accessoria fuerunt interdictum et eius observatio. Et sic patet quod idem iuris debet esse in accessorio quod in principali, supra, de offi. deleg., praeterea; et supra, de offi. deleg., prudentiam, ad fi.; et ff. de iuris., cui iurisdictio; ff. de regul. iur., cum principalis; supra, de appell., sollicitudinem, vers. nos igitur.

Post appellationem
Huiusmodi appellationem dicit legitimam, et tamen factum decani fuit minus legitimum. Simile infra, de concess. praeben., constitutus, quantum ad partem decisam. Et sic videtur quod appellatio minus legitima impedit effectum excommunicationis. Hic satis potuit esse ut factum decani fuisset minus legitimum, et tamen decanus ex alia causa postea potuit legitime appellare.

Quam denunciationis
Hic videtur quod in dubio magis stetur appellationi quam denunciationi excommunicationis, et quam ipsi sententiae. Cum tamen potius praesumendum sit pro sententia quam pro appellatione, quia appellans tenetur probare sententiam iniustam, ut supra, de appell., cum in ecclesia. Et est simile ff. de minor., minor viginti quinque annis, in fi. Io. Credo quod cum dubitatur an teneat appellatio, potius vitandus est quam in dubio ei communicandum, arg. infra, de cleri. excom., illud. Ber.

X 2.28.56 *Ut nostrum*

Ut nostrum
Haec decretalis est pars illius quam habes infra, ut eccl. ben., ut nostrum. Et per illam intellige istam.

Revocavimus
Et ita quicquid postea factum fuit, non tenuit. Et ita traditio sigilli postea facta non valuit tamquam a non suo iudice. Simile supra, ut lite penden., ecclesia 2; supra, de offi. legat., licet; et supra, de postul. praelat., bonae 2.

X 2.28.57 Oblatae (rev. 9/23)

Cum plus
Sic ipso facto negat aliquis clericatum, infra, de sent. excom., contingit 2; et infra, de vit. et honest. cler., ex litteris. Et plus est revocare negotium ad se quam sit appellare. Sed post appellationem nihil est innovandum, supra, de appell., dilectis filiis; et supra, de appell., bonae. Ergo multo fortius postquam superior ad se negotium revocat, inferior nihil facere potest, 2. q. 1, nomen. Et si iudex dicat se velle referre negotium superiori, statim tenetur partibus tradere acta, infra, de appell., intimasti, si partes hoc approbaverint, C. de relat., super delictis. Simile supra, de appell., dilecti filii 2, ubi de hoc. Ber.

X 2.28.57 *Oblatae*

Biennium
Supra, de appell., cum sit Romana; et supra, de appell., constitutus.

A provocante
Supra, de appell., personas.

Prorogari
Nisi ex iusta causa, supra, de appell., ex ratione; et supra, de appell., cum sit Romana, et hic.

Appellatus
Idem est de appellante, supra, de appell., ex insinuatione; et supra, de appell., saepe.

Pars appellata
Pars appellata non potest praevenire terminum legalem, nisi secundum quod hic dicitur, et 2. q. 6, ei qui § appellatore. Terminum vero statutum ab homine neutra pars potest praevenire, infra, de appell., saepe. Pars appellans infra terminum legalem quandocumque potest. Et si vult, potest litteras impetrare, cum in eius favorem annus concedatur eidem, infra, de confirm. util. vel inutil., bonae. Item et illud scias quod infra terminum legalem debeat causa appellationis esse terminata, nec potest ultra protendi, 2. q. 6, ei qui; et C. de temp. appel., cum anterioribus § ulti.; et C. de temp. appel., nemo. Et nisi iusta causa prorogetur, supra, de appell., cum sit Romana; et supra, de appell., constitutus, et hic.

Praecurrat
Et sic nemo debet praevenire diligentiam alterius captiose. Simile 16. q. 3, placuit; et ff. ad Tert., sive ingenua sit mater § si mater 2.

Prosequi
Etiam altera parte absente, tamen prius citata, ut hic patet, et 2. q. 6, ei qui § appellatore; et supra, de re iudic., cum Bertholdus; C. de temp. appel., cum anterioribus § illud. Et est expressum infra, de appell., per tuas. Ber.

X 2.28.58 Per tuas (rev. 9/23)

Periculum

Ne ecclesia in spiritualibus vel temporalibus ex mora detrimentum incurrat, in quo casu posset etiam lite non contestata procedi, supra, ut lite non cont., quoniam § 1; arg. supra, de appell., constitutus.

Prioribus

Hoc intellige dum tamen priores litterae de alterius partis appellatione fecerint mentionem, alias non valerent veritate tacita impetratae, infra, de confirm. util. vel inutil., bonae; et supra, de rescript., ex parte S.

X 2.28.58 *Per tuas*

Liquebit

Nota quod si iudici non liquet de causa, tunc debet constituere praesentem possessorem, nec audiretur adversarius nisi de proprietate, ut C. quom. et quan. iud. sent. prof., consentaneum. Vel si liquet, procedat ad diffinitivam sententiam. Et hoc intellige in casu altero istius decretalis, cum fuit appellatum testibus publicatis ante sententiam, ut supra, de dolo et contu., prout, ubi de hac materia plene dicitur. Item si possessor est praesens et actor absens, tunc sive lis sit contestata sive non, potest dari diffinitiva sententia, si constet de meritis causae. Et sic intelligitur supra, de dolo et contu., causam quae. Et sic potest etiam intelligi supra, de restit. spol., audita; et C. quom. et quan. iud. sent. prof., authen. qui semel. Sed si non liquet ei de causa, absolvet reum ab observatione iudicii, et in expensis condemnabit sibi actorem, C. de iud., properandum § si quidem. Nec obstat quod dicitur, actore non probante, reus etsi nihil praestiterit, obtinebit, 6. q. 5, actor; et infra, ut eccl. ben., ut nostrum; et supra, de caus. poss. et propr., cum ecclesia. Illa regula locum habet, cum ambo sunt praesentes. Sed in alios casu huius decretalis, cum appellatur a sententia, debet illam confirmare vel infirmare, 2. q. 6, in fine. Sed pone quod iudices priores qui tulerunt sententiam condemnationis, crediderunt actorem bene probasse intentionem suam, cum in veritate non probasset in causa appellationis. Altera pars quae appellavit est absens per contumaciam, ut ibi dicit, et ille pro quo lata est sententia est praesens, iudicibus constat quod praesens non probavit. Unde sententiam confirmare non possunt. Credo quod cassanda sit sententia, et quia ille reus est contumax, adiudicabunt praesenti possessionem reservata quaestione proprietatis absenti, sicut facerent ante sententiam. Vel dic quod sufficit tantum infirmare sententiam condemnando absentem in expensis, 2. q. 6, ei qui § appellatore. Ber.

X 2.28.59 *Ut debitus*

Deferatur

Simile C. quan. pro. non est nec., omnem. Et sic est arg. quod iudices honorandi sunt propter suam dignitatem.

Coram idoneo

Hoc ideo dicit, quia si conveniatur coram non suo iudice, non obest ei, quia debet allegare privilegium fori. Nec praeiudicatur ei quod facit coram eo, supra, de iudic., at si clerici; et supra, de for. compet., si diligenti; et supra, de for. compet., significasti. Et est arg. ad

quaestionem, utrum interruptio facta sit per litem contestatm coram non suo iudice. Quod non sit interruptio facta, patet, C. ne de stat. def., si pater.

Ante sententiam

Nota quod dicit, ante sententiam, ergo de appellatione post sententiam nihil statuit, quia quod de uno dicitur, de alio negatur, 25. dist., qualis; et supra, de praesump., nonne, quod verum credo. Et idem dicitur in decretali nova infra, de appell., extravag. cordi. Et ita patet quod hodie idem iuris est in omnibus iudicibus delegatis et subdelegatis et ordinariis, a quibus non potest appellari, nisi causa rationabili allegata scripta vel non scripta, quia dicit coram idoneo iudice. Et sic non habet locum hodie decretalis illa supra, de offi. deleg., super quaestionum § si vero duo, ubi dicit quod si delegatus alii committat vices suas, ab illo poterit appellari, licet causa sit appellatione remota commissa, sed quantum ad alia bene tenet. Cum ergo remota sit appellatio ante sententiam ipso iure, ut hic probatur, quid operatur remotio appellationis, cum Papa semper scribat appellatione remota? Io. dixit quod remotio appellationis hoc hodie operatur, ut post sententiam appellari npon possit, quin iudex possit mandare sententiam executioni non obstante appellatione, nisi habeat causam probabilem appellandi. Sed si non est remota appellatio, tunc appellari potest post sententiam secundum quod appellabatur ante constitutionem istam, supra, de offi. deleg., super eo. Sed hoc non est verum, quia de appellatione post sententiam nihil statuitur per istam constitutionem, ut dixi. Et Io. etiam non persistit in hoc, immo dicit quod si remota est appellatio, non potest appellari nisi in casibus expressis a iure, supra, de appell., pastoralis. Et si non est remota, tunc appellatur quotiens habet probabilem causam appellandi, talem quae si esset probata etc. Unde potest dici quod illud idem operatur hodie remotio appellationis, cum apponitur in litteris quod olim operabatur, quia potest appellare in causis tantum expressis a iure. Licet sit remota appellatio in non expressis, non poterit appellare, ut supra, de appell., pastoralis, ubi notantur quidam de illis casibus. Et ita per remotionem appellationis non posset hodie appellari in casibus non expressis, sed in aliis posset. Ex vi huius constitutionis potest appellari ubicumque quis gravatur, licet gravamen non sit expressum in iure. Et quia iniquum erat quod aliquis evidenter gravatus non posset appellare, qui habebat probabilem causam appellandi, cum casus ille non esset expressus in iure, emanavit ista constitutio, qua cavetur quod quicumque habet probabilem causam appellandi, talem quae si esset probata etc., licet illud gravamen non sit expressum in iure, possit appellare. Et ita haec constitutio ad alia extenditur quam illa decretalis supra, de appell., pastoralis. Quotiens enim nova lex constituitur, ad eas species pertinere non videtur quibus specialiter ipsa lege poena addita est, ff. de poe., sanctio legum. Et ita constitutio ista permittit appellare ubi remotio appellationem prohibebat. Ergo sive sit remota appellatio in litteris sive non, idem iuris est. Si enim non est remota appellatio, potest appellare, ubicumque permittitur appellatio per iura specialia, ut supra, de appell., postremo; et supra, de appell., ex parte 1; et supra, de appell., significantibus, et in omnibus consimilibus. Ubi exprimitur in decretali quod possit appellari, et beneficio istius constitutionis potest appellari in omnibus aliis casibus non expressis ubi exprimitur talis causa, quae si foret probata, legitima esset, licet illa non sit scripta in iure. Et ita patet quod remotio appellationis quo ad veritatem nihil operatur, sed potius apponitur ad cautelam, quia plus timeri solet quod specialiter prohibetur, quam quod generaliter imperatur, 23. dist., quamquam, et consuetudo est ecclesiae. Et tam in principalibus

quaestionibus quam in incidentibus remota est appellatio per istam constitutionem, et coram quocumque iudice, nisi cum quis gravatur in casibus expressis vel non expressis, et sic Papa removet id quod iam remotum est de iure. Sic concedit Papa quod de iure communi concessum est, supra, de iureiur., et si Christus, in fi.

Absque rationabili causa

Sic ergo remota est per istam constitutionem quaelibet appellatio, quae absque rationabili causa apponitur. Quid ergo operatur clausula de remotione appellationis, quae tota die apponitur in rescriptis? Dicunt quidam quod nihil, sed apponitur ad cautelam, quia plus timetur quod specialiter iniungitur quam quod generaliter imperatur, infra, de haeret., si adversus; et 23. dist., quamquam. Sed contra istos opponitur quod secundum eos ista clausula frustra membranas occupat, contra illud quod legitur 19. dist., si Romanorum. Item pro nihilo est facta decretalis quae distinguit, an praedicta clausula ponatur in medio litterarum. Et secundum hoc tantum praemissa amplectitur, an ponatur in fine, ut sic omnia praemissa comprehendat, infra, de appell., inquisitioni, quae post hanc constitutionem emanavit. Idcirco alii dixerunt, quod haec constitutio etiam tantum in ordinario locum habet, contraria autem in delegato loquuntur, sed propter hoc non est soluta quaestio, quid praedicta clausula operetur. Tertii dicunt quod ante sententiam nihil operatur, quia remota est appellatio quaelibet, nisi ex causa probabili fiat per istam constitutionem, sed post sententiam impedit executionem etiam sententiae, si propter causam expressam in iure fuerit appellatum, supra, de appell., pastoralis. Pro ista sententia facit opinio supra, de offi. deleg., super eo, in fi. Ibi enim dicitur quod si ille cui est causa commissa appellatione remota suam sententiam velit executioni mandare in praeiudicium alterius partium, inter quas causa vertitur, poterit appellari. Unde tenet ibi ratio, quia non illis, scilicet episcopo vel archidiacono, sed partibus inter quas causa vertitur, appellationis remedium est sublatum. Et sic auditur ibi episcopus vel archidiaconus appellans, quia non est eis appellatio interdicta. Ergo per oppositum partes inter quas causa certitur non poterunt appellare, quia eis appellationis remedium est sublatum, et sic non obstante partium appellatione sententia mandabitur executioni, quia prohibitae sunt appellare, cum alias appellatione pendente nisi esse praedicta clausula, non posset sententia executioni mandari, supra, de iureiur., venientes; et supra, de appell., dilectis filiis. Istorum sententia impugnatur in eo quod dicunt, quod ante sententiam nihil operatur. Est enim reperire casum in quo habet necessario operari. Nam secundum canones omissis omnibus mediis potest ad Papam appellari, supra, de appell., sollicitudinem; et supra, de appell., si duobus; 2. q. 6, ad Romanam omnes; 2. q. 6, omnes episcopi; 2. q. 6, si quis vestrum; 2. q. 6, si quis putaverit; 2. q. 6, ad Romanam ecclesiam ab omnibus. Pone ergo quod mihi a Papa est causa commissa appellatione remota. Committo tibi litis contestationem tantum, mihi caeteris reservatis. Facta litis contestatione coram testibus, tu vis testes recipere, et sic fines mandati excedis, et sic potest a tua audientia appellari. Sed ad quem appellabitur, numquid ad Papam, cum ad eum omnibus omissis mediis appellari valeat, ut dictum est supra? Certe non. Et si sic fieret, appellatio non valeret, quia ex virtute praedictae clausulae ad me est tantummodo appellandum, quia mihi de iurisdictione reservavi, supra, de offi. deleg., super quaestionum § porro, vers. si causa sit ei appellatione remota commissa etc. Ergo a contrario sensu si causa non esset appellatione remota commissa, posset appellari ad Papam per iura praedicta. Nec opponas de praesenti constitutione, quia non potest nisi ex

causa probabili ibidem appellari, quia ego posui quod ex causa probabili appellatur, quia fines mandati excedis. Et sic secundum hanc constitutionem appellatur. Sed non potest appellari ad Papam, quia inhibita est appellatio in rescripto. Et appellatur hic ante sententiam diffinitivam. Unde per istum § tam ista sententia quam prima etiam impugnatur. Unde dicunt quarti quod ante senentiam et post sententiam idem operatur, videlicet quod non possit appellari nisi ex causa in iure expressa. Pro istis est casus decretalis supra, de appell., pastoralis, quem intelligo quod non possit appellari nisi ex causa expressa in iure, quantum ad hoc quod processus iudicis per appellationem valeat impediri, sed gravatus ex causa probabili poterit appellare. Et si de gravamine constiterit, poterit per superiorem removeri, ut ibi dicitur. Nec obstat haec decretalis. Nam haec dicit quod ex causa probabili appellari potest, et illa dicit idem. Sed dicit illa quod iudex non tenetur appellationi deferre, ex quo causa non est expressa in iure, nec ista dicit quod teneatur, et ideo non contradicunt. Patet ex praemissis quod omnibus omissis potest appellari ad principem. Et tamen recipit instantiam in praeallegato § porro. Unde ut illa materia planius et plenius pateat, ita est distinguendum, quia appellatur quandoque ab ordinario, quandoque a delegato, quandoque a subdelegato. Si ab ordinario, planum est quod ad proximum superiorem est appellandum, 2. q. 6, placuit; et 2. q. 6, canonizata; 2. q. 6, anteriorum § ad hoc, cum concordantiis. Tamen nihilominus omissis mediis potest appellari ad Papam, supra, de appell., si duobus; et supra, de appell., sollicitudinem; 2. q. 6, ad Romanam omnes; 2. q. 6, omnes episcopi; 2. q. 6, si quis vestrum; 2. q. 6, si quis putaverit; 2. q. 6, ad Romanam ecclesiam ab omnibus. Si autem appellatur a delegato, subdistingue: quia aut est delegatus ad universitatem causarum, aut ad unam causam tantum. Si ad universitatem causarum, ut est vicarius episcopi, non appellabitur ad episcopum, sed ad eum ad quem appellaretur ab episcopo, scilicet ad archiepiscopum, ut in constitutione Inno. iiii infra, de appell., extravag. Romana. Tamen omisso archiepiscopo et aliis mediis posset appellari ad Papam, ut dictum est supra. Si autem appelletur a delegato ad unam causam tantum, si est delegatus a principe, tantum ad principem appellabitur. Si est delegatus ab alio, appellabitur ad eum qui ipsum delegavit, ff. quis a quo appel., quod dicitur, in princ. Sed ei illo omisso appellari posset ad principem, ut dictum est supra. Si vero appelletur a subdelegato, subdistingue: quia aut est subdelegatus delegati a principe, aut subdelegatus delegati a non principe. Si est subdelegatus delegati a principe, aut ille delegatus subdelegavit totam causam, et tunc potest appellare tantum ad principem, aut sibi aliquid de iurisdictione retinuit. Et tunc si sit remota appellatio in rescripto, non potest appellari ad Papam vel ad principem, sed ad delegatum tantum qui subdelegavit. Sed si non est remota appellatio, posset appellari ad delegatum qui subdelegavit, et nihilominus ad Papam eo omisso, ut supra, de offi. deleg., super quaestionum § porro. Et per iura praemissa, quibus probatur quod omnibus omissis potest appellari ad Papam, si autem appellatur a subdelegato delegati a non principe, potest appellari ad eum qui delegavit, ff. quis a quo appel., quod dicitur, in princ.; et ff. quis a quo appel., dato. Et nihilominus eo omisso ad Papam, ut per iura praeallegata patet. Si queras quomodo delegatus a non principe potest alii causam delegare, contra id quod legitur in decretali supra, de appell., cum causam, respondeo: illud intelligo quando alicui causarum universitas est commissa, sicut est vicarius episcopi, qui potest alii causam delegare, ff. de iud., cum praetor; et constitutione Inno. iiii supra, de for. compet., extravag. Romana § nec a contrario sensu. Quod autem saepius dictum est, quod omnibus omissis potest ad principem appellari, intelligo secundum canones esse verum,

sed secundum leges si fuerit omisso medio ad principem appellatum, remittit princeps causam appellationis ad eum ad quem debuit appellari, ff. de appellat., imperatores. Item quod dictum est supra, quod a subdelegato delegati a principe, qui totam causam subdelegavit vel cui erat causa appellatione remota commissa, potest appellari ad principem, intellige secundum canones non secundum leges, ut in utroque casu appellaretur ad delegatum qui subdelegavit, C. qui pro sua iur. iud., in causarum, ad fi. Vel solve contrarietatem illius legis ut notatur in praedicti decretali supra, de offi. deleg., super quaestionum § porro.

Si dicat

Et si propterea appellaverit, eius appellatio non est admittenda, 2. q. 6, non solent § eius qui; ff. de appellation. recip., eius qui. Et sic correcta sunt iura illa supra, de appell., meminimus; et supra, de appell., ad haec sicut; et supra, de offi. deleg., cum causa. Quia non prodest nuncium praemisisse ad superiorem, nec prodest etiam habere litteras quod plus est, quae nondum sunt iudici praesentatae, ut hic dicit. Ratio huius constitutionis fuit, ne quis sine causa declinet examen ordinarii iudicis, ut proprius honor debitus iudicibus deferatur, C. quan. pro. non est nec., omnem. Unde sicut non potest declinari iudicium eius per appellationem frustratoriam, sic nec per missionem nuncii, quia per missionem nuncii non intelligitur provocasse facto vel verbo, cum causa nondum esset mota nec comminata nec ad iudicem aliquo modo insinuata. Unde licitum est adversario ad iudicium provocare et ius suum prosequi coram ordinario. Et ita praevenire adversarium, nec prodest illi litteras allegare, si nondum sint iudici praesentatae. Et ita quasi praeventus oportet eum coram ordinario respondere, quia iudices illius non prius dicuntur iurisdictionem recepisse cum effectu, nisi cum eis litterae praesententur, supra, de appell., super eo 2, in fi. Sic cum quis citatur, si postea pendente citatione mutaverit domicilium quasi praeventus, oportebit eum respondere, supra, de for. compet., proposuisti. Sic et iste qui iam habebat litteras in archa sua praeventus est. Praeterea si per secundum rescriptum non tollatur iurisdictio delegata, nisi de ea fiat mentio, multo fortius videtur quod non tollatur ordinaria, nisi de ipsa fiat mentio. Facilius enim tollitur extraordinaria quam ordinaria, 3. q. 3, induciae § ei autem. Super hoc dicas quod si iurisdictio ordinaria iam coepta est per solam citationem, ammodo non potest tolli quantum ad causam illam per litteras Papae, nisi de hoc fiat mentio in rescripto sicut et in delegata. Sed si ordinaria iurisdictio non est coepta per citationem, praevenitur bene per rescriptum prout quotidie fit, nec est necesse fieri mentionem in rescripto de ordinaria. Et hoc ideo, ut dicit Io., quia ordinaria iurisdictio generalis est. Unde tollitur per specialem, quantum ad illam speciem quae delegatur, supra, de rescript., pastoralis, arg.; et supra, de rescript., sicut Romana. Et eo ipso quod Papa scienter committit causam, eam transfert a potestate ordinarii, supra, de offi. deleg., pastoralis § praeterea. Et tu dicas aliam rationem meliorem, cum enim dominus Papa sit iudex ordinarius omnium hominum, ut 9. q. 3, cuncta. Potest quilibet eum adire per simplicem querelam re integra. Et ipse potest cognoscere vel delegare. Nec est necesse quod faciat mentionem de iurisdictione minoris, et per appellationem itur ad ipsum, sicut in delegato contingit, de quo minus videtur, supra, de offi. deleg., quia quaesitum. Item et hic corrigitur istud supra, de rescript., plerumque, ut statim quis possit alium praevenire habentem priores litteras quae non sunt iudici praesentatae. De hoc tamen dixi supra, de rescript., sicut Romana. Et ita patet quod ille qui primo suas litteras exhibet iudici sive praevenit alium in citatione

X 2.28.59 Ut debitus (rev. 9/23)

facienda per ordinarium vel per delegatum, ille obtinebit. Ad hoc facit supra, de rescript., capitulum. Et ita non refert quae sint primae vel secundae re integra existente. Et sic intelligitur constitutio ista, re non integra existente. Locum habent alia iura in quibus cavetur quod non valet secundum rescriptum, nisi faciat mentionem de primo.

Delegato

Et ita videtur quod si primae litterae delegato sint assignatae, non potest praeveniri ab ordinario vel delegato per secundas nisi fiat mentio de primis. Sed quid si non procedant primi iudices, numquid valebunt secundae? Vel quamdiu debent expectare secundi, si non possunt primi procedere impediti iusta de causa? Potest dici quod in hoc casu locum habeat decretalis illa supra, de rescript., plerumque, ut si non procedant primi iusta causa cessante, valeant secundae. Sed si non curant procedere, tunc moneantur per ordinarium vel per secundum delegatum, ut procedant infra terminum competentem, quia unus iudex propter negligentiam amittit iurisdictionem, et alter postea procedit in causa, supra, de offi. ord., significavit; et supra, de offi. deleg., prudentiam, in fi.; supra, de for. compet., licet ex suscepto; et supra, de for. compet., ex tenore, ne de dolo et malitia pars altera commodum consequatur, quia dignum est ut per negligentiam sive dolum perdat iurisdictionem. Ista notula intelligitur cum primae litterae sunt iudici praesentatae, nulla citatione facta per eas. Sed non est curandum de his quae in illa dicuntur, quia littera ista priusquam etc., debet intelligi prout dicitur in secunda notula, quae incipit: sed numquid, et in fine illius notulae. Et si propterea quia non dicitur praeventa iurisdictio per solam praesentationem, licet littera ista hoc innuat.

Assignatae

Sed numquid sola praesentatio litterarum sive assignatio sufficit, ut non possit praeveniri ab ordinario sive ab alio delegato? Ex hac littera videtur quod sola praesentatio sive assignatio non sufficiat. Quoniam video quod si duo sint ordinarii, possum adversarium meum convenire coram altero quem voluero eligere, non obstante si adversarius dicat quod volebat et deliberaverat me convenire coram alio cum quo tractaverat, nisi ipsius citatio praevenisset. Et idem credo in legatis sive delegatis, sive in delegato et ordinario re integra. Rem intelligo integram ante citationem per quam iurisdictio perpetuam est, et non per praesentationem, supra, de offi. deleg., gratum. Unde quod dicit, prius etc., supplendum est maxime, quia idem est post praesentationem et ante citationem, nisi aliud viderem. Et hoc dicitur in fine illius notulae. Et si propterea per solam praesentationem vel additionem ordinarii nulla esset, facta citatione non est praeventus adversarius, sed per citationem praeventus est, supra, de for. compet., licet ratione. Et per solam citationem iurisdictio perpetuatur et non per solam praesentationem. Si alibi inveneris ubi dicatur quod sola praesentia sufficiat, reducas illa ad id quod hic dicitur. Ber.

Ex rationabili

Colligiter evidenter ex hac littera quod semper causa appellationis talis, quae si esset probata legitima esset, proponenda est coram iudice a quo appellatur, ut infra, de appell., cum causam, in fi., ubi dicitur de hoc. Sed potest quaeri quae causa dicatur probabilis, utrum illa quae videtur iudici vel aliis? Videtur quod hoc non sit referendum ad opinionem iudicis, infra, de sent. excom., sacro. Sicut nec ad opinionem iudicis refertur quid dicatur manifestum, sed ad ipsam rei veritatem, infra, de verb. sign., cum olim. Ad

X 2.28.60 Cum cessante (rev. 9/23)

idem facit 3. q. 7, iudicet. Sententiabit enim iudex in hoc secundum quod sibi videtur, habita tamen collatione sapientum si non esset certus, arg. ff. de recepti., qualem. Et iudex aestimabit ex opinione animi sui ea quae proponuntur, arg. 4. q. 3, si testes § item saepe sit. Si vero iudex non potest certificari an sit probabilis vel non, in tali dubio deferat appellationi, infra, de sent. excom., sacro, ad fi. Quicumque enim appellat a gravamine sive in iudicio sive extra, causam rationabilem debet allegare in scriptis secundum tenorem constitutionis Inno. iiii infra, de appell., extravag. cordi. Alias reputabitur non appellans, ut ibi dicitur.

Rationabiliter

Quia causa quam proposuit in appellando non fuit probabilis, ut ex eventu causae apparet. Quid autem debeat probare appellans in causa appellationis dicitur infra, de appell., interposita, ubi de hoc. Sed qualiter remittitur ad illum a quo appellavit, cum habeat eum suspectum, supra, de appell., ad haec si in? Sed non potest dicere illum suspectum cum ex propria culpa processerit illa suspicio, sicut ille qui non prosequitur appellationem, supra, de appell., personas; et supra, de appell., cum sit Romana.

In expensis

Hoc generaliter obtinet quod qui deficit in appellatione, punitur in expensis, supra, de testib., significaverunt. De expensis istis plene dicitur supra, de dolo et contu., finem; et supra, de rescript., quia nonnulli.

Alioquin

Hic patet quod si iudex appellationis pronunciat appellationem tenere, quod per hoc non expirat eius officium, sed incipiet postea cognoscere de causa principali, C. de reb. credit., generaliter § sin autem; et in Auth. de sanct. episc. § si quis contra aliquem, in 1. constitutione, coll. 1. Dicas quod hoc locum habet quando appellatur a gravamine ante sententiam, quia tunc iudex datur quasi sub conditione quo ad principalem causam, unde primo cognoscit de gravamine. Et si inveniat legitimam appellationem, tunc pronunciat legitime appellatum fuisse, et postea procedit super principali. Si male appellaverit, pronunciabit male appellatum, et remittet partes ad priores iudices in expensis appellantem condemnando, ut hic dicitur. Et sub hac forma semper rescribitur quando appellatur a gravamine. Si vero appellatur a sententia diffinitiva, tunc iudex debet cognoscere de meritis causae, et videre an bene vel male sit iudicatum. Et si bene sit iudicatum, confirmabit sententiam, vel cassabit si male iudicatum fuit, ut 2. q. 6, in fine; et C. de appellat., eos. In quibus dicitur quod iudex tantum pronunciare debet sententiam iustam vel iniustam. Si vero plura capitula sint in sententia sive plures articuli, iudex pro parte potest confirmare et pro parte cassare et reformare sententiam secundum quod iustum fuerit, infra, de testamen., Raynutius; et infra, de testamen., Raynaldus.

Causis

Illae enim semper sunt referendae ad sedem Apostolicam, infra, de bapt. et eius effect., maiores. Quae dicantur maiores causae notatur supra, de offi. legat., quod translationem.

X 2.28.60 *Cum cessante*

X 2.28.61 Cum speciali (rev. 9/23)

Comminando

Videtur ergo quod si iudex comminatoria verba proferat parti, quod ex hoc possit appellari, nisi de hoc satisfaciat iudex. Quod tamen non est verum, quia ex officio suo comminari debet, ff. de iud., in peremptorio; et supra, de in integ. restit., tum ex litteris, in fi. Nec etiam debet statim quis moveri propter asperitatem verborum, supra, de rescript., si quando. Sed qualiter iudex potest mutare consilium suum in alterius iniuriam contra regulam istam, ff. de re iud., nemo? Sed certe eodem modo quo appellans potest mutare consilium, ut 2. q. 6, ei qui § si quis libellos, sic et iudex. Et intellige si appellans adhuc non fecit sumptus ad prosequendam appellationem, ff. de condi. caus. dat., si pecuniam, in princ. Sed si sumptus vellet reficere, potest adhuc revocare gravamen, quia iam non interest illius, infra, de appell., interposita § 2. Sed numquid iudex post decem dies potest mutare suam interlocutoriam? Videtur quod non, quia postea transit in rem iudicatam, sicut etiam in diffinitiva, supra, de elect., cum dilectus; et supra, de testib., significaverunt, ad fi. Arg. contra ff. de re iud., quod iussit. Potest dici quod licet transeat in rem iudicatam quo ad hoc quod post decem dies non possit appellari, non tamen quo ad iudicem, quin possit revocare suam interlocutoriam, quia et appellans post decem dies potest renunciare appellationi, quia ipso facto renunciat quis eo quod non prosequitur ipsam, supra, de appell., personas. Advertat tamen qualiter corrigat suam sententiam sive errorem, quia si ita dicat: ego revoco sententiam meam, sive corrigo errorem meum, sic fatetur se errasse. Et sic ille habuit probabilem causam appellandi, et sic videtur iurisdictio ab illo translata sit. Et sic canon non posset reddere sibi iurisdictionem, cum fateatur causam a se translatam. Curialius ergo dicat: non credo te gravasse, sed si gravavi te in aliquo, illud revoco. Arg. colligitur ex hac decretali quod interlocutoria non transeat in rem iudicatam. Sed verum est quod non transit, ut dictum est, quin iudex bene possit illam revocare re integra. Sed quantum ad illum contra quem lata est sententia, si non appellet infra decem dies, bene transit. Et sibi imputetur quod non appellavit, quia sententiae acquievisse videtur, arg. supra, de re iudic., quod ad consultationem. Io. Item hic est arg. quod actio semel extincta non reviviscit, arg. ff. de bon. poss. sec. tab., qui ex liberis § qui testamento. Et est contra illud de conse. dist. 4, quaeris; et ff. de solut., qui res § aream. Sed hoc est beneficio huius constitutionis, et quia iudicis est corrigere quod minus legitime fecerit, infra, de accusat., qualiter et quando 1. Alia iura plura hoc dicunt.

X 2.28.61 *Cum speciali*

Prohibitione

Quam habes infra, de sent. excom., sacro.

Competenti

Trina scilicet, ut 16. q. 7, omnes decimae; 17. q. 4, de presbyterorum; et 24. q. 3, de illicita.

Coram eodem

Supra, de appell., secundo.

X 2.28.61 Cum speciali (rev. 9/23)

Iustae suspicionis

Quid si dubitetur an sit iusta, quia non est in iure expressa et alias dubitaretur? Respondeo: arbitri electi de hoc cognoscant, primo an sit iusta, quia omnia quae ad hunc articulum pertinent, ad arbitros pertinent, supra, de offi. deleg., suspicionis.

Cum iudice

Hoc intellige quando iudex ordinarius procedit ex officio suo contra aliquem ad famam vel clamorem, infra, de accusat., qualiter et quando 2. Et sic loquitur ista constitutio in ordinario, ut bene declarant sequentia. Aliter intelligi non potest. Et ita tam in ordinario iudicio quam extraordinario, scilicet inquirendo potest iudex recusari.

Tertium

Sub hac forma non posset compromitti in duos, ut si dissentiant tertium eligant, supra, de arbitr., innotuit; et ff. de recepti., item si unus § si in duos. Sed si in duos simpliciter compromittatur, si dissentiunt, praetor eos cogere debet ut concordent vel tertium assumant, ff. de recepti., item si unus § principaliter; et supra, de offi. deleg., suspicionis § 1. Item arg. quod arbiter quantum ad hunc casum posset egredi fines iniunctos, quod verum est auctoritate huius constitutionis, alias non potest, supra, de arbitr., cum dilectus; ff. de recepti., non distinguemus § ulti. Ber.

Districto praecepto

Et sic videtur quod idem faciat praeceptum canonis, quod facit praeceptum iudicis, ut beneficio huius canonis teneantur concordare vel alium eligere. Sed quia canon iste poenam istam non imponit, iudex recusatus compellat illos et poenam eis imponat si non concordant, supra, de offi. deleg., suspicionis, in fi. Quae sit potestas istorum arbitrorum dicitur supra, de offi. deleg., suspicionis, in fi.

Terminum

Ab ipso iudice praefigendum, infra quem arbitri suspicionis negotium terminare procurent, infra, de appell., extravag. legitima, in concilio Lugdunensi, quae corrigit illam supra, de offi. deleg., suspicionis, in hoc tantum. Et merito iudex recusatus arbitris iterum terminum praefigere debet, infra quem causam suspicionis determinent, sicut iudex a quo appellatur potest et debet praefigere terminum appellanti, infra quem causam appellationis prosequatur. Alioquin in causa procedat, ut in § sequenti, et supra, de appell., saepe. Et eadem ratio est in utroque casu, scilicet ne praetextu frivolae appellationis vel recusationis negotium prorogetur. Ideo decretalis illa supra, de offi. deleg., suspicionis, corrigitur quantum ad hunc articulum. Ber.

De recusatoris

Nota ergo quod haec constitutio loquitur in ordinario, quod ex eo probatur quod iudex recusatus committit alii negotium illud, quod non potest facere delegatus invito recusatore, supra, de appell., secundo. Immo statim suspensa est potestas ipsius, ut ibi dictum est, quae loquitur in delegato tantum. Sic supra, de for. compet., si quis contral et 11. q. 1, pervenit; et supra, de appell., ad haec si in; et infra ubi ordinarius recusatus committit alii causam, probata primo suspicione secundum tenorem huius constitutionis. Sed contra supra, de for. compet., licet ex suscepto, ubi ordinarius recusatus non

X 2.28.61 Cum speciali (rev. 9/23)

committit negotium, immo ibi recurritur ad alium iudicem. Sed illa loquitur secundum consuetudinem loci, cum vacat imperium, nec continetur ius commune. Et sic patet ex hac constitutione quod ordinarius potest recusari, et causa suspicionis probanda est coram arbitris. Et secundum determinationem istius intellige iura praedicta, quae loquuntur de recusatione ordinarii. Et nota quod haec clausula de recusatoris assensu, secundum Io. si determinet totalem disiunctam, committat negotioum vel ad superiorem remittat, in optione recusatoris est, an velit negotium committi, an ad superiorem referri. Et dicit Io. quod intellectus iste probabilis est. Si determinat primam partem tantum, tunc littera vult quod secundum voluntatem recusatoris eligenda sit persona cui committat negotium, dum tamen non sit suspecta. Intellectus iste non videtur probabilis, immo improbabilis. Iniquum enim esset quod actor ad voluntatem ipsius rei ipsum conveniat. Nam pro modica causa quandoque traheret eum ad Papam, ut illum fatigaret laboribus et expensis. Et sic posset saepe contingere, quod potius renunciaret liti quam vellet taliter laborare. Vel posset eligere talem, licet illum recusare non possit, quia causam suam male tractaret. Unde dicas de recusatoris assensu et etiam de assensu actoris, ut de utriusque partis assensu, committat negotium recusatus, quod probatur supra, de for. compet., si quis contra; et supra, de appell., ad haec si in; et infra ubi dicitur: te insistente iudicem eligant ipsae partes. Partes enim communi consensu iudices eligere debent cum ordinarius recusatur, 11. q. 1, pervenit. Si partes non concordaverint, tunc iudex committat alicui personae neutri parti suspectae, et quod dicit de recusatoris assensu, praecipue intellige quod requirendus est assensus recusatoris, ne iterum recuset illum ex quo consentit in illum, supra, de offi. deleg., insinuante; et supra, de offi. deleg., super quaestionum § nos; et supra, de offi. deleg., super quaestionum § verum; et 3. q. 3, induciae § offeratur. Et similiter consensus actoris requirendus est, ne ipsum postea recuset, quia licet sit actor, posset eum recusare, ut supra, de for. compet., si quis contra. Numquam fuit intentio domini Papae, quod potestas committendi resideret penes recusatorem, et in potestate iudicis est remittere negotium ad superiorem vel committere de assensu recusatoris et etiam actoris, ut dictum est. Et haec determinatio de assensu recusatoris determinat tantum hoc verbum committat.

Confessione

Ita patet quod non admittitur appellatio contra confessionem, vel si excessus sit manifestus evidentia rei vel alio legitimo modo, puta per sententiam. Istis tribus modis factum dicitur notorium, infra, de cohab. cler. et mul., quaesitum. Confessus non auditur appellans, 2. q. 6, quicumque. Consuevit tamen dici quod sola confessio non impedit in criminali, quin possit appellari, 2. q. 6, ei qui § sunt quorum. In civili tamen si vellet probare errorem, auditur, ff. de confes., cum fideicommissum; supra, de confess., ex parte. Sed hic non admittitur, quia a correctione non appellatur et extra ordinem agitur hic.

Infra terminum

Nota quod triplex est terminus, ut notatur supra, de appell., personas. Et ibi illud videas.

Procedat

Ad petitionem adversarii, ut differat a sequenti, quando iudex ex officio suo procedit.

X 2.28.62 Cum causam (rev. 9/23)

Coram superiore
Sed qualiter procedet superior, quando episcopus procedit ex officio, numquid vocabitur episcopus? Credo quod sit vocandus, ut defendat processum suum si voluerit, sicut vocaretur adversarius in alio casu, cum est ibi actor et reus. Nec tunc necesse est iudicem esse praesentem, qui tulit sententiam, quia ius eius non laeditur, arg. 2. q. 6, hoc etiam.

Defecerit
Et sic videtur quod appellans teneatur probare se iuste appellasse, quod est verum si appellatio recipitur, alias non, infra, de appell., interposita. Et sic praesumitur pro sententia iudicis, supra, de renunciat., in praesentia. Arg. contra supra, de probat., quoniam. Sed dic quod praesumitur pro sententia iudicis, ex quo apparet de actis, sed pro processu non praesumitur, si dubitaretur de ipso, nisi quatenus constiterit, ut in constitutione illa supra, de probat., quoniam.

Has constitutiones
Scilicet praesentem et illam infra, de sent. excom., sacro.

Regulares
Supra, de appell., reprehensibilis; et supra, de appell., inter caetera.

X 2.28.62 *Cum causam*

Ad proponendum
Quod iudex ex officio suo etiam facere debet, supra, de re iudic., inter monasterium; et supra, de except., pastoralis.

Pacifice
Propter quod petitio adversae partis fieri non debebat. Et sic fuit lis contestata.

Litis contestationem
Quod verum est, ut 3. q. 6, si quis episcoporum § exceptio; et supra, de re iudic., inter monasterium; et C. de exception., si quis.

Iudices
Delegati.

Testium
Quibus receptis iudices delegati examinationem quorundam testium commiserunt quibusdam, qui vices suas aliis commiserant, et illi quosdam testes receperunt. Primi iudices delegati approbaverunt receptionem illorum testium, cum de iure talis receptio non valeret, propter quae gravamina extitit appellatum.

Eadem die
Sed numquid est istud necessarium, ut eadem die debeat revocari vel quandocumque ante sententiam? Videtur quod quandocumque ante sententiam, ut supra, de confess., ex parte; C. de iuris et fact. ignor., error facti; et infra, de censib., olim, ubi de hoc. Vel

saltem usque ad triduum, C. de error. advoc., sententiis. In casu isto videtur quod eadem die debeat revocari, vel saltem antequam fiat aliquid in causa, per quod videatur approbare huiusmodi confessionem, puta si producerentur testes, vel si aliquid aliud fiat quod tantum post litem contestatam fieri debet.

Lis contestata

Ergo videtur quod si non probabit, quod confessio eadem die fuerit revocata, per consequens lis fuit contestata. Et sic per indirectam confessionem advocati etiam fit litis contestatio. Simile supra, de dolo et contu., prout. Arg. contra supra, de elect., dudum ecclesia; et supra, de litis contest., olim, ubi dicitur quod per narrationem et responsionem fit litis contestatio.

Delegatus

C. de iud., a iudice; et supra, de offi. deleg., super quaestionum § si vero. Per hoc patet quod reprobata est opinio illorum qui dicunt quod subdelegatus post litem contestatam potest alii vices suas subdelegare ad instar procuratoris qui post litem contestatam factus est dominus litis, unde potest postea dare alium procuratorem, C. de procur., nulla; et C. de procur., neque. Et sic volunt intelligere illam decretalem supra, de re iudic., cum Bertholdus, quae expresse contradicit huic. Sed illa non continet ius quantum ad hoc nec fuit obiectum. Et ita per patientiam toleratur, infra, de praeben., cum iamdudum, in fi. Quod ius non contineat, patet per hoc quod hic dicit, quod non nisi delegatus a principe causam potest alii delegare, non distinguendo ante litem contestatam vel post, et ita ibi non potuit de iure delegari. Est ergo tenendum quod subdelegatus alii subdelegare non potest, quia sic et illi possent iterum subdelegare, quod esse non debet. Et est simile in excommunicatione, quae non transit in tertiam personam. Et quod dicitur delegatus ab alio quam a principe non potest alii causam delegare, intellige de eo qui est delegatus ab alio ad unam causam tantum. Nam si esset ei delegata universitas causarum, bene posset unam causam alii subdelegare, ff. de iud., cum praetor § 1. Alias non potest, ff. de off. procon., legatus, quia quasi ordinarius videtur.

Dummodo haec

Sed numquid possit in causa appellationis proponere aliam causam quam non expressit in appellando? Videtur quod sic, supra, de appell., constitutis 2. Item et nova causa potest opponi in causa appellationis, et nova instrumenta et allegationes, supra, de fide instrum., cum Ioannes; ff. de appellat., scio; supra, de testib., fraternitatis; et C. de temp. appel., per hanc; et supra, ut lite non cont., accedens 2. Sed contra videtur expressa supra, de appell., ut debitus, ubi dicitur quod qui appellat, causam appellationis propter quam appellat, debet allegare coram iudice. Et hic expresse idem dicit littera ista, dummodo haec in appellationis causa expressa fuerint, et infra, de appell., dilecto filio. Super hoc ita distingue: aut appellatur a gravamine ante sententiam diffinitivam aut a sententia diffinitiva. Si a gravamine ante sententiam, tunc necesse est allegare coram iudice appellationis causam sui gravaminis, talem quae si esset probata, esset legitima, vel quae esset expressa in iure. Et tunc in causa appellationis non potest aliam allegare, ut hic dicit, et supra, de appell., ut debitus. Et est ratio, quia non appellatur nisi a gravamine. Sed propter hanc causam quam vult de novo proponere coram iudice appellationis, non gravabatur, nec propter hoc appellavit. Et iudex appellationis cognoscere debet tantum

super eo pro quo appellavit. Et Papa semper ita rescribit in appellationibus ante sententiam: si est ita. Si vero aliquis appellat a diffinitiva, tunc non est necesse aliquam causam allegare cum appellat, sed sufficit dicere: appello ab iniqua sententia. Et tunc in causa appellationis potest opponere novam causam et nova instrumenta. Et sic loquitur supra, de fide instrum., cum Ioannes; et ff. de appellat., scio; et per hanc decretalem illa supra, de appell., constitutis 2, specialiter intelligitur in causa electionis, ut ibi dicitur. Et decretalem illam supra, ut lite non cont., accedens 2, intellige ut ibi dicitur. Item in aliis appellationibus extra iudicium faciendis exprimenda est causa propter quam appellatur, infra, de his quae fi. a maior. par. cap., cum in cunctis; et supra, de elect., bonae 1; et supra, de elect., cum nobis; et supra, de appell., dilectis filiis. Et in scriptis proponenda est, alias repubtabitur non appellans in decretali Inno. iiii infra, de appell., extravag. cordi.

X 2.28.63 *Dilecto filio*

Propositas coram ipsis
Sic patet quod causa propter quam appellatur proponenda est coram iudice a quo appellatur. Et sic fuit causa ista legitima, quia non est versimile quod Papa ex certa scientia mandasset illum recipi contra iuramenta canonicorum. Immo videtur Papa circumventus, supra, de rescript., constitutus, in parte decisa. Idem esset etiam si statum canonicorum confirmatum fuisset solummodo per sedem Apostolicam sine iuramento, supra, de consti., cum accessissent; et arg. infra, de privileg., ex parte abbatissae; et supra, de rescript., cum ordinem. Item patet hic quod licet exceptio etiam legitima proposita non admittatur, si non sit appellatum propter istam, licet appellatum sit, non debet retractari praetextu illius exceptionis. Quod factum est, quia sententia contra ius litigatoris bene tenet a qua non est appellatum, licet non teneat contra ius constitutionis lata, supra, de re iudic., cum inter vos; 2. q. 6, ei qui § diffinitiva, vers. item si sententia; C. quan. pro. non est nec., si cum inter; et ff. quae sent. sine appel., illud § 1. Item ex hoc patet quod si quis appellat a gravamine, non tamen exprimit causam illam in appellatione propter quam appellavit sed aliam, illam prosequi non potest, quia propter illam non appellavit de hoc dictum est, supra, de appell., cum causam. Item videtur quod in causa appellationis sufficiat probare causam probabilem fuisse propositam coram iudice a quo appellavit et non admissam. Sed hoc intelligendum est secundum quod dicitur, infra, de appell., interposita.

X 2.28.64 *Nicolao*

Appellationi
Potest enim quis appellationi suae statuere terminum ad ipsam prosequendam, supra, de appell., personas; et supra, de appell., oblatae. Et si talis appellatio a iudice vel ab adversario fuerit probata. Tunc appellans tenetur prosequi causam per sufficientem procuraorem ad causam, parte altera eam prosequente. Alias in expensis appellator condemnabitur, ut hic dicit. Et idem intellige in diffinitiva, ut cum appellans statuit terminum ad prosequendam appellationem suam, tenetur appellans mittere sufficienter ad causam suam defendendam. Alias procedetur ad confirmandam vel infirmandam sententiam, etiam altera parte non prosequente, ut supra, de renunciat., veniens. Si vero

appellans non praefixit terminum appellationi suae prosequendae, nec a iudice nec ab adversario appellatio fuit approbata, tunc sufficit appellanti mittere procuratorem ad impetrandum et contradicendum, altera parte etiam prosequente, infra, de appell., interposita § 1. Ad hoc facit infra, de appell., extravag. cordi, ubi dicit si appellatus voluerit prosequi, quia approbat appellationem. Et sic ideo uterque tenetur mittere sufficienter, ut ibi dicit. Sed si appellatus noluerit prosequi appellationem, quia eam non approbat, tunc sufficit appellanti mittere simplicem nuncium ad impetrandum et contradicendum a contrario sensu horum verborum, si appellatus voluerit. Et ita haec decretalis et illa infra, de appell., interposita § 1, loquuntur in diverso casu et non contrario. Et nota quod terminus statutus ad prosequendam appellationem a iudice vel ab adversario vicem obtinet peremptorii, supra, de appell., saepe. De hac materia plene notatur supra, de renunciat., veniens, in glossa quae incipit: sed non videtur. Ber.

A tempore appellationis factas
Quia ex tunc fuit contumax, ex quo non misit sufficientem procuratorem, quia ex tunc videtur citatus ad causam. Simile supra, de dolo et contu., cum dilecti; supra, de appell., reprehensibilis; et supra, de appell., saepe.

X 2.28.65 *Sua nobis*

Iterum
Haec vox iterum duas res significat. Et exponitur iterum, id est, quotiens opus erit, ff. de edend., veluti.

Tertio appellare
Bene interlocutus fuit, ut 2. q. 6, si quis in quacumque; et C. ne lic. in una ead. caus., si quis. Ex hoc et in praedictis iuribus patet, quod non licet ter appellare. Sed contra videtur 2. q. 6, quotiens, ubi dicitur: quotiens putaverint se gravari, ad Romanam sedem appellent, ut 3. q. 6, pulsatus. Sed dic quotiens, id est, secundo, et non ultra in diffinitiva sententia, sive super eodem capitulo. Sic supra, de appell., directae, ubi de hoc. Et sic illud quotiens restringitur, verbum enim generale saepe restringitur, 18. dist., placuit; 75. dist., quod die, in fi.; et 12. q. 2, sine exceptione, in princ.; et supra, de rescript., sedes. Item arg. contra 31. q. 2, Lotharius, ubi dicitur quod Teberga ter appellavit. Sed exponi consuevit ter appellavit, id est, ter vocem appellationis emisit dicendo ter appello. Ber.

X 2.28.66 *Dilecti filii*

Monstrarunt
Ex una parte, et quendam militem Claremontensis diocesis ex altera super quodam nemore.

Post huiusmodi appellationem
Ex hoc patet quod gradatim est appellandum, arg. 2. q. 7, metropolitanum; arg. 2. q. 6, anteriorum § illo videlicet; et supra, de offi. deleg., super quaestionum § porro; et ff. de appellat., imperatores; C. de appellat., praecipimus; ff. quis a quo appel., quod dicitur, 1. resp. Sed contra infra, de praeben., referente, ibi: appellatum fuit ad archiepiscopum

X 2.28.66 Dilecti filii (rev. 9/23)

ommisso episcopo; et ff. quis a quo appel., quod dicitur § 1; et infra, de nov. oper. nunc., significantibus, ubi omittitur medius et melius. Dicas quod gradatim est appellandum de iure, secundum canones tamen si omittatur medius, et non opponatur exceptio coram isto superiore, bene valet quod per ipsum fit. Sic intelliguntur praedictae decretales infra, de praeben., referente; et infra, de nov. oper. nunc., significantibus. Vel forte illud obtinet de consuetudine praescripta, ut ad illos archiepiscopos appelletur omissis mediis. Si vero opponatur exceptio, non valet quod postea fit, si propter hoc appelletur si consuetudo non obstat. Et ita intellige quod hic dicitur. Sed ex ista lege ff. quis a quo appel., quod dicitur § 1, multum contradicit, quia dicitur quod generaliter debet appellari ad primum delegantem et non ad illum qui delegavit. Sed intellige legem illam in subdelegatis, ut si appelletur ab aliquo subdelegato cui commissa fuit tota causa, a delegato ad universitatem causarum appellari debet ad primum delegantem. Et sic intellige legem illam secundum illam decretalem supra, de offi. deleg., super quaestionum § porro. Sed si appelletur a delegato tantum, sive sit delegatus ad universitatem causarum sive sit delegatus ad unam causam tantum, semper de iure appellandum est ad suum delegantem. Et sic intellige quod dicit hic, et in lege praedicta ff. quis a quo appel., quod dicitur. Aliae vero leges loquuntur in ordinariis, et 2. q. 7, metropolitanum. Illud generale est, quod ad Papam potest appellari, omisso medio propter plenitudinem potestatis, 2. q. 6, quotiens ad Romanam, et in pluribus capitulis ibidem, quia per simplicem querelam potest Papa adiri, cum ipse sit iudex ordinarius singulorum, 9. q. 3, cuncta; et 9. q. 3, principalem. Nisi in casu illius decretalis supra, de offi. deleg., super quaestionum § porro. Et sic omnia plana sunt. De appellationibus interponendis ab officialibus episcoporum vel archidiaconorum vel aliorum inferiorum dicas quod cum idem sit auditorium, sive curia episcoporum et eorum officialium, si appelletur ab officialibus episcoporum, appellandum est ad archiepiscopum de iure, non ad episcopum. Et si appelletur ab archidiacono vel eius officiali, appellandum est ad episcopum et non archiepiscopum. Tamen si est consuetudo quod appelletur ab archidiacono vel eius officiali ad archiepiscopum omisso episcopo, valet appellatio. Et hoc totum habes in quadam decretali Inno. iiii infra, de appell., extravag. Romana. Et idem credo quod si consuetudo sit quod appelletur ab officiali episcopi ad episcopum, quod teneat appellatio, non obstante quod dicitur in illa decretali supra, de appell., extravag. Romana. Ne a seipsis ad eosdem videatur appellatum, 17. dist., multis, ubi appellatur ab aliquo ad seipsum cum aliis, id est ab archiepiscopo ad synodum, ubi ipse est tamquam caput. Et est simile ff. quan. appel. sit, si quidem § solent, ubi appellatur ab ordine et praeside ad ipsum praesidem. Et decretales praedictae infra, de praeben., referente; et infra, de nov. oper. nunc., significantibus, loquuntur de consuetudine, cum illa decretali infra, de appell., extravag. Romana, quia ibi admittitur appellatio ab archidiacono ad archiepiscopum omisso episcopo, et hic non tenet. Sed haec decretalis videtur contraria praedictis tribus decretalibus, ubi tenet appellatio omisso episcopo, et hic non tenet. Sed tu dicas quod debuit hic appellari ad episcopum et non ad archiepiscopum, quia hic non fuit appellatum ab officiali episcopi, sed a quodam magistro R. canonico Claremontensis, cui episcopus specialiter causam commiserat, qui non erat de curia diocesani episcopi. Et ideo ad episcopum qui commisit causam, gradatim fuerat appellandum. Et haec habentur in antiqua decretali in parte decisa. Ber.

X 2.28.67 *Ex parte M.*

Sub potestate et tutela
Filius non dicitur esse in potestate matris, sed patris quantum ad ius patriae potestatis, Inst. de patr. potest. § ius autem. Quia filius familiam patris sequitur et non matris, Inst. de legit. agnat. tutel. § 1; et infra, de conver. infid., ex litteris. Sed per officium tutelae bene recidit filius in potestatem matris. Illud tamen regulariter est verum, quod femina tutrix esse non potest, quia virile officium est, C. quan. mul. tut. off. fun. pot., matres; et ff. de regul. iur., feminae; et supra, de arbitr., dilecti. Nisi a principe tutelam impetraverit, ut ff. de tutel., feminae. Tamen si mater maior est et nullus tutor legitimus sit, vel datus non sit impuberi in testamento vel si sit excusatus, potest repetere tutelam filii. Et ipsa iurabit quod ipsa non transibit ad secundas nuptias, et renunciet Velleiano sub hypotheca rerum suarum, C. quan. mul. tut. off. fun. pot., matres; et C. quan. mul. tut. off. fun. pot., si pater. Olim sic observatur. Hodie tamen per authenticam praefertur mater omnibus tutoribus legitimis et dativis sed non testamentariis, renunciando simplici verbo secundis nuptiis et non per iuramentum et Velleiano et omni alio auxilio, ut si obligaverit se pro pupillo, non iuvetur, C. quan. mul. tut. off. fun. pot., authen. matri; et in Auth. de hered. ab intest. § ex his, coll. 9; et in Auth. ut sine prohib. mat. deb. § quia vero, coll. 7; et C. quan. mul. tut. off. fun. pot., authen. sacramentum. Et quam cito ad secundum matrimonium convolaverit, soluta est tutela quasi mortua esset, ut in Auth. ut sine prohib. mat. deb. § quia vero, coll. 7. Et ita patet quod mulier ista bene excipiebat, quia tutrix esse desierat transeundo ad secundas nuptias. Item si transeat ad secundas nuptias non reddita ratione tutelae, omnia bona sua et mariti secundi tacite sunt filiis obligata, C. in quib. caus. pign., si mater; et in Auth. de nupt. § si ante tutelam, coll. 4. Item in principio debet facere inventarium et satisdare rem pupilli salvam fore, ut in Auth. ut sine prohib. mat. deb. § ulti., coll. 7. Ber.

X 2.28.68 *Intimasti*

De inquisitionis
Hic processum fuit super excessibus istorum praelatorum puniendus in modum inquisitionis, et ideo sive causa sit criminalis sive civilis, potest iudex referre causam superiori, si iudex dubitat qualiter in causa debeat iudicare. Talis relatio approbatur. Si vero vult evitare onus iudicandi, tunc non debet admitti relatio, in Auth. de iudicib. § ulti., coll. 6; ff. de iud., eum quem temere § 1. De iure quaeri debet et non de facto, ut ibi dicit. Quia non crimina sed vindicta potius ad nos debuit pervenire, C. de off. praef. praet. Orien., si quos, in fi.; et 27. q. 1, si custos; et 27. q. 1, si homo. Si vero iudex dubitate de iure et vult referre negotium superiori, exemplum consultationis illico tenetur edere partibus, ut si forte minus plene referat vel contrarium quam debeat vel in praeiudicium alterius partis, partes contradicere possunt et appellare, C. de relat., si quis; et C. de relat., super delictis, et hic. Si autem tunc non appellaverit postea cum princeps rescripserit, non poterit appellare, 2. q. 6, biduum, in fi. Quia approbasse videtur relationem, ut ibi, et ff. quan. appel. sit, si quidem, 1. resp. Et quia Hospitalariis ignorantibus relatio facta fuit, non tenuit relatio, quia exemplum relationis ostendi debet litigatoribus, ut dicunt leges praedictae, de quibus hic fit mentio. Ber.

X 2.28.69 *Significante*

Post citationem
Certe nec ante citationem nec post debuit episcopus molestari super possessione carnificii lite pendente si ipse possidebat, cum capitulum super hoc conveniret episcopum, unde patet quod erat in possessione. De qua non debuit eiici lite pendente, supra, ut lite penden., a memoria; et supra, ut lite penden., laudabilem; 16. q. 4, volumus. Unde male petebat capitulum. Vel si capitulum possidebat agens contra episcopum ne inquietaretur, adhuc non poterat implorare officium iudicis lite non contestata, ut infra sequitur, quod magis videtur. Ber.

Praesertim
Id est, maxime, quia nec post litem contestatam debuit ei auferri possessio si ipse possidebat. Sed verius videtur quod capitulum possidebat, ut dixi.

Praevenire
Quod facere non poterant, quia pendente dilatione, iudicis officium conquiescit, nisi partes consentiant, C. de dilation., sive. Ex causa tamen mutatur dilatio quandoque, ff. de recepti., dicere autem, in fi. Et arg. ff. de re iud., quod iussit; et supra, de appell., cum cessante, arg. Et est notabile quod iudex data dilatione nihil facere possit ante terminum altera parte invita.

Super his
Nota scilicet quod iudices lite non contestata reducere volebant capitulum in pristinum statum, ut carnifices non venderent carnes alibi quam in stallis capituli, quod facere non debebant, cum adhuc possent recusari lite non contestata, 3. q. 3, induciae § offeratur. Et ita ante litem contestatam iudex delegatus circa principale negotium nihil facere potest, arg. supra, de rescript., super litteris. Et super eo quod pendente dilatione procedere volebant, quod facere non poterant, unde valuit appellatio. Arg. contra supra, de offi. iud., iudicis, in fi. Potest dici quod illa loquitur in ordinario, cuius iurisdictio fundata est, cuius etiam officium ante litem contestatam et post implorari potest tempore competenti, sed non dilatione pendente adversario contradicente, ut hic dicit, et C. de dilation., sive, in fi. Hic loquitur de delegato cuius iurisdictio non est firma ante litem contestatam. Quare eius officium implorare non potest ante litem contestatam, et maxime dilatione pendente, ut hic patet. Vel verius dicas quod ibi loquitur de alio officio iudicis quod petitur incidenter favore minoris vel alterius qui utitur iure minoris, hic de alio quod quasi respicit principale factum quod immutatum est ab adversario, et quod etiam competeret maiori post litem contestatam coram delegato, sed non ante pendente dilatione, ut dictum est.

De inhibitione
Et sic patet quod procurator non potest excedere fines mandati, alias non nocet domino. C. de procur., si procurator; et supra, de offi. deleg., cum olim abbas. Si vero simpliciter constitutus fuisset, nulla forma data sibi de iudicibus impetrandis, non posset eos recusare quos procurator impetrasset, supra, de caus. poss. et propr., cum olim, et hoc a contrario sensu, ubi de hoc. Sed videtur quod non sit amplius audiendus post annum, et sibi

imputet quod tali commisit negotia sua, ff. de minor., cum mandato, in fi. Agat ergo episcopus contra procuratorem vel contra eum qui circumvenit procuratorem ipsum, ff. de dolo mal., et eleganter § si dolo. Hic procurator circumventor forte non erat solvendo. Et ita restituitur contra adversarium, ff. de eo per quem fac. erit, ex hoc, 1. resp. Vel auditus fuit episcopus ex generali clausula: si qua iusta causa mihi videbitur, in intergum restituam, ff. ex quib. cau. maio., huius edicti, in fi. Arg. supra, de in integ. restit., ex litteris; arg. infra de pignor., significante. Quantum enim in ipso fuit, bene prosecutus fuit appellationem, et ita auditur episcopus triplici ratione. Quod auditur post annum, hoc fuit propter factum procuratoris, quod fuit iusta causa quare indulgetur biennium, ut supra, de appell., cum sit Romana. Ex aliis duabus causis praemissis tenuit appellatio, aut ex altera earum. Et est arg. quod quando plura mandantur coniunctim, quorum alterum per se sufficit, alterum sufficit probare. De hoc dictum fuit supra, de rescript., ex parte Conventrensis. Ber.

X 2.28.70 *Interposita*

Probabili
Tali quae si foret probata, reputaretur legitima, supra, de appell., ut debitus; et supra, de appell., cum speciali § 1.

Esse veram
Simile supra, de testib., ex parte. Quia ille Adam obtulit se probaturum, nec fuit admissus ante sententiam, et tamen in causa appellationis debet probare causam appellationis veram fuisse. Solve hoc secundum quod ibi dixi. Ex hoc enim apparet apertum gravamen, quod oppono causam probabilem, et eam offero me probaturum, si non admittor. Et ideo sufficit hoc probare in causa appellationis, quia hoc probato satis probatur gravamen, quia perinde habetur, ac si causa allegata quam volo probare esset vera, et me repelleret. Secus est cum simpliciter causam allegat, quia tunc videtur id quasi malitiose fecisse. Unde illam causam tenetur probare veram fuisse, arg. supra, de appell., super eo 1 § si autem adversa. De hac materia plene dictum est in decretali supra, de testib., ex parte; et supra, de except., olim. Ber.

Eidem
Scilicet appellanti.

Recipere iudicium sit parata
Sibi imputet quod non approbavit appellationem, ex quo eam apud sedem Apostolicam prosequi voluit. Et si appellationem approbasset ipse vel iudex, tunc enim tenetur sufficienter prosequi, alias punitur in expensis, supra, de appell., Nicolao. Sit ergo cautus qui appellat circa duo. Primo quod cum appellat ex causa probabili, quod offerat eam se probaturum, quia in appellatione relevabitur, quia non oportebit eum probare causam esse veram. Item in alio quod cum recipitur appellatio a iudice vel ab adversario suo, prosequatur causam suam per sufficientem procuratorem ad totam causam, ne condemnetur alteri parti eam prosequenti in expensis.

X 2.28.71 Inquisitioni (rev. 9/23)

Ad petitionem eiusdem

Sic supra, de appell., accepta. Alias enim non debet causa remitti ad eum a quo est appellatum, C. de appellat., eos; et 2. q. 6, ei qui § ab eo; et infra, de sent. excom., per tuas.

Contradictione partis alteris

Pars appellata contradicere non potest, quia non habet iudicem suspectum qui pro ea tulit sententiam, cum ipsum per hoc approbaverit. Unde ipsum reprobare non potest, 4. q. 3, si testes § si quis testibus. Et in favorem tantum appellantis statutum fuit, quod ad eum non remittatur a quo appellavit huic favori, qui pro eo introducitur, potest renunciare. Cum hoc licitum sit cuicumque, C. de pacti., si quis in conscribendo; infra, de regular., ad Apostolicam. Condemnatur tamen alteri parti in expensis tamquam contumax, quia malitiose ipsum traxit in appellando ipsum ad Papam, quia perinde est ac si ipse non fuisset prosecutus altero prosequente, supra, de appell., reprehensibilis.

Lite non contestata

Hic habes novum casum in quo potest procedi lite non contestata. Alium habes supra, de offi. iud., iudicis. Alii notantur supra, ut lite non cont., quoniam. Ratio redditur in littera, quia agitur de iniquitate iudicis, non de negotio principali vel de facto adversarii. Unde aequum fuit ut de hoc cognoscatur non obstante absentia adversarii. Et ita colligitur ex hac littera a contrario sensu, si esset praesens, quod super exceptione deberet lis contestari, quod verum credo, ut notatur supra, de offi. deleg., prudentiam § sexta.

Rigor iuris

Argumentum quod in negotiis ecclesiasticis rigor iuris non sit servandus, sed potius aequitas. Sic supra, de dolo et contu., ad haec; et supra, de restit. spol., saepe; et supra, de iudic., dilecti. Rigor est ut non procedatur lite non contestata. Talis rigor in hoc casu non est servandus, cum principaliter agatur de iniquitate iudicis, sed in aliis causis ubi agitur principaliter de iniquitate adversarii, propter ipsius contumaciam ponendus est actor in possessionem causa rei servandae vel excommunicandus. Hoc non debet fieri in hoc casu, quia de iniquitate iudicis agitur, sed propter hoc pars puniri non debet, unde si non posset cognosci de hoc gravamine lite non contestata, esset quasi quaedam perplexitas, quia cum non constet adhuc utrum appellatio sit legitima, non potest se intromittere de principali quaestione. In quo casu tantum et non ante habet iurisdictionem super principali. Quare non potest procedere in principali, nec poenam imponere adversario, cum ipse non peccaverit. Et si puniret illum faceret contra conscientiam, sed propter contumaciam videtur puniendus. Et ideo ut haec perplexitas evitetur, potest iudex cognoscere de hoc gravamine lite non contestata, scilicet de iniquitate iudicis. Probato vero gravamine revocabitur gravamen, et postea iudex citabit absentem. Et si citatus non venerit, propter ipsius contumaciam procedetur contra ipsum. Et sic nulla perplexitas est. Si vero appellatio non valuit, remittitur illum a quo appellavit.

X 2.28.72 Una sententia (rev. 9/23)

Praemissa

Arg. contra supra, de appell., secundo, 1. resp., ubi dicitur quod non refert an ponatur in medio, principio, vel fine remotio appellationis, quia ad omnia refertur. Solutio est ibi, quia hic sunt diversa negotia non se tangentia; ibi unum negotium, licet habeat plures articulos. Item est argumentum quod determinationes respiciunt tantum praecedentia et non sequentia. Arg. contra ff. de leg. 1, si servus plurium § ulti.; et 32. q. 7, Apostolus. Ber.

X 2.28.72 *Una sententia*

Una sententiam

Sententiam huius decretalis habes 2. q. 6, ei qui § sunt quorum; et 2. q. 6, ei qui § quandoque; et C. si un. ex plur. app., si iudici; et C. si un. ex plur. app., si in una. Unde ut intelligas quod hic dicitur, nota diversitas facti separationem recipit, ut in duobus correis debendi. Si omnes condemnati sint et unus appellavit, victoria unius omnibus prodest, ut hic dicit, et 2. q. 6, ei qui § quandoque; et C. si un. ex plur. app., si in una. Et sint tales qui non invenitur beneficio restitutionis. Si vero unus favore minoris aetatis impetraret contra sententiam beneficium restitutionis, hoc non prodest aliis, ut in lege praedicta C. si un. ex plur. app., si in una; et 2. q. 6 § quod et si aetatis. Et ideo dicit hic si iure communi iuventur. Si vero res sit incorporalis, et communis, et individua, tunc victoria minoris prodest maiori, ff. quemad. serv. amit., si communem, 1. resp., ut servitus individua sit, tamen ususfructus licet servitus sit, dividi potest, ff. ad leg. Falc., lex Falcidia lata § si usufructus.

Eadem causa

Pone exemplum: tres erant tutores habentes administrationem indivisam gerentes condemnati sunt. Unus appellavit et obtinuit. Caeteris prodest, quia idem est negotium commune et eadem causa defensionis. Si autem unus gessit et alter non, si ille qui non gessit, appellavit, iniquum esset ut eius appellatio prodesset ei qui gessit, ut ff. de appellat., si qui § penulti. Ex quo § sumitur versiculus iste, et C. si un. ex plur. app., si iudici; et 2. q. 6 § quandoque. Et idem est si habent diversas administrationes, quia tunc non prodest unius appellatio alteri. Arg. ad hoc C. de divers. rescr., falso.

X 2.28.73 *Si iustus*

Excusat

Arg. quod ea quae per metum fiunt non obligant. De hoc dixi supra, de his quae vi met. caus. fi., abbas. Et ita pro appellante habetur. Sed illud non sufficit, nisi et illud protestetur, C. de his qui per met. non appel., his qui; ff. de appellat., cum quidam. De quibus legibus sumpta est haec decretalis. Et ita currit tempus ei qui agere non potest, nisi istud protestetur. Simile supra, de offi. ord., pastoralis, in fi.; et 16. q. 3, placuit § penulti., vers. is autem; et supra, de elect., his quibus; et C. de annal. except., ut perfectius; et C. de episcopal. aud., sancimus. Et ita interrumpitur praescriptio per protestationem.

Coram iudice a quo
Nota quod si potest habere copiam iudicis a quo debet provocare, non debet coram alio protestari, sed tunc demum cum iudicem illum habere non potest, ut hic dicit. Et sic ex ordine verborum argumentandum est, arg. 43. dist., sit rector, in fi.

Exprimendas
Sed quare compellitur exprimere causas appellationis cum sufficiat dicere: appello, 2. q. 6, post appellationem § forma? Hoc intelligo quando appellatur ante sententiam ab aliquo gravamine, quia tunc causa appellationis debet exprimi supra, de appell., ut debitus; et supra, de appell., cum causam, ubi dicitur quando sit exprimenda causa appellationis et quando non. Vel dic quod idem est in diffinitiva, C. de his qui per met. non appel., his qui. Et supple maxime, quia non est necesse causas appellationis exprimere nisi velit, ff. de appellat., scio. Vel quod dicit causas, intellige in genere sic: iniqua sententia lata est contra me, nec audeo appellare, et hoc protestor coram vobis. Ber.

X 2.29 DE CLERICIS PERIGRINANTIBUS

X 2.29.01 *Conquerente*

Non posuerit
Expressa voce, sed expressit ipso facto, quod plus est, supra, de appell., dilecti filii 2; et supra, de appell., ut nostrum; et supra, de appell., ad audientiam.

Ad praesentiam nostram
Causa peregrinationis supple, ut faciat ad hunc titulum. Quia interim sub Apostolica protectione constitutus, 24. q. 3, si quis Romipetas; 24. q. 3, paternarum. Illi canones qui ad hunc titulum pertinent C. si per vi. vel al. mod., iudices; et C. de emancip. lib., iubemus; ff. de tutor. et curat., si peregre.

Faciatis
In hoc casu quando possessio absentis taliter turbatur, servus, amicus, proximus, colonus petere possunt ut possessio restituatur, ut in lege praedicta C. si per vi. vel al. mod., iudices. Ber.

X 2.30 DE CONFIRMATIONE UTILI VEL INUTILI

X 2.30.01 *Si quis rei*

Litigiosae
Res litigiosa est de cuius dominio causa movetur inter petitorem et possessorem iudiciaria conventione, ut traditur C. de litig., authen. litigiosa res. Et sic controversia super possessione orta non facit rem litigiosam, quod verum est. Et super res litigiosas novum privilegium impetrari non potest, supra, de testib., causam quae 2; et supra, ut lite penden., a memoria; et supra, ut lite penden., dilectus; et infra, de confirm. util. vel inutil., bonae. Nec ad aliam potest transferri personam, 11. q. 1, quia res; et supra, ut lite

penden., ecclesia 1; et in Auth. in med. lit. non fier. sac. § si vero nondum, coll. 8. Et non obstante privilegio tali sive indulgentia iudex procedere debet.

Confirmationem

Nota quod confirmatio impetrata sub forma communi sive etiam innovatio nihil novi iuris tribuit, sed solummodo vetus conservat, 12. dist., praeceptis; arg. 30. q. 3, illud; et infra, de confirm. util. vel inutil., cum dilecta, et capitulis sequentibus; et infra, de privileg., quia intentionis. Unde per talem confirmationem vel innovationem non impeditur petitio alterius vel iudicis cognitio, infra, de concess. praeben., quia diversitatem; infra, de confirm. util. vel inutil., bonae; arg. 9. q. 3, conquestus; 9. q. 3, nunc vero; et supra, de offi. ord., licet; et ff. ne quid in loc. pub., praetor ait § si quis a principe. Quia hoc facit Papa sine praeiudicio alicuius, ut patet per iura praedicta. Quid ergo valent huiusmodi confirmationes? Parum valent, nisi quis solet plus timeri quod specialiter etc., 23. dist., quamquam.

De quaestione postea exorta

Quia dicit hic non esse licitum iudici cognoscere de quaestione exorta sine mandato Papae. Dicit Vincen. quod si post confirmationem moveatur ei quaestio, an licite obtineat beneficium an non, non est licitum iudici de hoc cognoscere sine mandato Papae. Sed si ei obiicitur crimen, non impeditur propter confirmationem iudicis cognitio. Sed certe non est verum, si confirmatio sit facta in forma communi sine causae cognitione. Si autem cum causae cognitione confirmatio sit facta, tunc verum est quod dicit Vincen. Et idem dicit quod Tanc. et Laur. dicit, quod si moveatur quaestio an talis confirmatio valeat vel non, de hoc non potest cognoscere iudex inferior, quod verum est. Tanc. distinguit et melius: aut enim confirmatio facta fuit sine causae cognitione in forma communi, et tunc non impeditur petitio alicuius vel cognitio, in quo casu loquuntur iura superius assignata. Si vero confirmatio fiat de beneficio alicuius vel de aliqua sententia cum causae cognitione, et hoc cognito Papa ex certa scientia confirmat tibi beneficium tuum vel sententiam latam de quaestione illa, si postmodum quaestio suboriatur, nullus poterit iudicare sine speciali mandato Papae. Et hoc intelligitur ex ipsa confirmatione, quia tunc simpliciter confirmat nulla conditione apposita. De tali confirmatione habes supra, de offi. deleg., quoniam abbas; et supra, de transact., sicut; et supra, de pact., quotiens; et supra, de testib., veniens 1; et supra, de offi. deleg., coram, in fi.; et infra, de testamen., Raynutius; et infra, de testamen., Raynaldus; et infra, de instit., ex frequentibus; et infra, de confirm. util. vel inutil., venerabilis. Et in aliis confirmationibus cum dicitur: confirmamus sicut iuste possides. Sicut exponitur, id est, si, infra, de concess. praeben., quia diversitatem. Et istas duas decretales intelligebat Tanc. de confirmatione, quae fit cum causae cognitione ex certa scientia Papae. Tamen si certum esset quod per falsi suggestionem confirmatio sit obtenta, non valebit huiusmodi confirmatio, infra, de confirm. util. vel inutil., de confirmationibus. Et sic possunt intelligi istae duae decretales. Ber.

Iudicandum
Nisi per eum qui concessit vel successorem, ut notatum est in glossa pracedentis decretalis supra, de confirm. util. vel inutil., si quis.

X 2.30.03 *Bonae memoriae*

Mandarunt
Quod facere non debuerunt, quia appellatione interposita nihil est innovandum, 2. q. 6, appellatione; et ff. nihil inn. appel., appellatione. Immo revocari debet executio antequam de appellatione cognoscatur, supra, de iureiur., veniens; et supra, de appell., dilecti filii 1.

Caute praeveniens
Quod facere praemature non debet, ut appellantem in commissione impetrata supplantet, supra, de appell., oblatae. Secus si non praeveniat diligentiam appellantis, infra eodem capitulo § verum, quia tunc valent primae, ut ibi.

Mentio habebatur
Et ideo non valuerunt, supra, de rescript., ex parte S, ubi de hoc.

Generare
In hoc scilicet, quod non obstantibus primis litteris confirmationis iudices dati ad appellationem cognoscent de ea, supra, de confirm. util. vel inutil., si quis; arg. infra, de confirm. util. vel inutil., cum dilecta, ad fi. Arg. simile supra, de testib., ex parte; et supra, de testib., causam quae 2; et infra, de privileg., dudum. Ber.

Si dicatur
In secundis litteris impetratis ab appellante. Et quod dicit, si dicatur, supple maxime.

Nullis litteris
Per hanc generalitatem nihil revocatur, supra, de dolo et contu., ex litteris; et ff. de lege Corn. de fals., divus. Nec valet legatum vel stipulatio fundi in genere facta, nullo fundo demonstrato, ff. de iure dot., cum post divortium § gener a socero; et ff. de iure fisc., ita fidei. Expressam enim debent facere mentionem de primis ad hoc, ut primae revocentur, supra, de offi. deleg., ex litteris.

Forma
Id est, in forma communi.

Nil diceretur
Quod eas revocaret.

Tamdiu
Ista littera multum videtur contradicere priori, quae dicit quod posteriores debent praeiudicare prioribus. Et hic innuitur quod valent litterae confirmationis primae, ergo non est opus ut in prioribus fiat mentio de appellatione, et ita non refert utrum in secundis

fiat mentio de primis vel non. Unde debet intelligi § iste in eo casu cum primae valent, cum appellatus non praevenit diligentiam appellantis, sed expectavit legitimo tempore, et sunt litterae sine aliquo vitio, et sic procedent primi iudices ad confirmandam vel infirmandam sententiam, ut supra, de appell., oblatae, ad fi. Quia per talem generalitatem non revocantur primae legitime impetratae, ut dicitur in proxima notula. In primo casu non valent primae litterae, quia appellatus praevenit diligentiam appellantis, nec fecit mentionem de appellatione, ut patet ex ipsa littera. Vel dic quod iudices dati super appellatione debent cognoscere de iniquitate sententiae, et litterae confirmationis tamdiu valebunt, quousque constet de iniqua sentencia. Et si sententia confirmetur, remanebit confirmatio in statu suo. Si vero cassetur, confirmatio non valebit, arg. supra, de fide instrum., accepimus § interim; et infra, de confirm. util. vel inutil., cum dilecta, in fi. Arg. ad hunc sensum littera ista competentius adaptatur. Et ista fuit simplex confirmatio sententiae quam fecit Papa in forma communi commissa impetranti. Alias quare fuisset posita haec decretalis in titulo isto? Potius debuisset poni in titulo de appellationibus, si deberet intelligi secundum illam decretalem supra, de appell., oblatae. Et ex littera utriusque decretalis patet intellectus iste. In illa supra, de appell., oblatae, dicit quod Plebanus de Sambro super observatione sententiae litteras ad iudices impetravit commissionis, sicut rationabiliter lata erat. Et hic dicitur quod rescriptum confirmationis fuerat assecutus, quia Papa eam confirmavit in forma communi. Et sic non intelligitur ista secundum illam, et litterae confirmationis non mittuntur hic iudicibus, sed illis qui confirmationem impetrant. Ber.

X 2.30.04 *Cum dilecta*

Non videremus

Nec poterat videri quod non erat, ut 35. q. 5, ad sedem, ultra unam columnam, vers. hic ergo evigilent etc. Et hoc ideo non poterant videre, quia innovatio nihil novi iuris tribuit, infra, de privileg., ex parte abbatissae; et infra, de privileg., quia intentionis. Et si originale cassatur, similiter et innovatio sive confirmatio, ut supra, de fide instrum., inter dilectos; et supra, de re iudic., cum inter vos.

Iure sit civili

In Auth de testi. § quoniam multae, coll. 7; et in Auth de testi. § haec vero, coll. 7; et ff. ad leg. Aquil., in lege Aquilia; ff. de in int. rest., divus; et C. de usuris pupil., pupillus. Et iure canonico supra, ut lite non cont., quoniam, 1. resp.; et supra, de testib., significavit; et supra, de testib., cum olim.

Similitudine provocati

Similis enim aequitatis ratio similia iura suadere videtur, arg. supra, de consti., nam concupiscentiam; et C. ad leg. Falc., cum certum; ff. ad leg. Aquil., illud; et supra, de translat., inter corporalia; et C. de constit. pecun., divi Hadriani. Item arg. eandem esse rationem in testibus et instrumentis, C. de fid. instrum., in exercendis; et supra, de testibus cog., pervenit 1.

X 2.30.05 Ad nostram audientiam (rev. 9/23)

Duximus innovanda
Ne si vetustate consumantur, nulla fides eis adhibeatur, arg. supra, de fide instrum., inter dilectos. Arg. contra quod instrumentis vetustate consumptis vel a muribus rosis sit adhibenda fides, ff. de bon. poss. sec. tab., tabulas § si rosae; et supra, de fide instrum., si instrumenta.

Novum ius
Simile 12. dist., praeceptis.

Procuratricem
Sic ergo femina potest esse procuratrix, sic et arbiter, supra, de arbitr., dilecti. Similter et iudex, 12. q. 2, cum devotissimam. Nam et monachus de mandato abbatis potest esse procurator, 16. q. 1, monachi. Vel dic quod ratione administrationis potest esse procuratrix, sicut et abbas, supra, de transact., contingit; et infra, de censib., sopitae. Vel ideo potuit esse procuratrix ecclesiae suae, sicut miles in causa connumeri sui, ff. de procur., filiusfamilias § veterani. Vel dic quod verius est quod Papa ex certa scientia constituit eam procuratricem, unde de hoc non est disputandum, 16. q. 4 § qui autem; et C. de crim. sacr., disputari; et ff. de re iud., quidam consulebant; et supra, de offi. deleg., cum vigesimum. Alias femina non potest esse procuratrix, 3. q. 7, infamis § tria; et C. de procur., alienam; ff. de regul. iur., feminae. Sed si Papa in sua persona vellet agere, coram quo agere debet? Debet super hoc arbitros eligere vel delegare causam alii, arg. ff. de iuris., qui iurisdictioni. Vel posset esse iudex in causa ecclesiae suae. De hoc dictum est supra, de iudic., cum venissent.

Ad interruptionem
Sic supra, de praescrip., illud; et supra, de praescrip., auditis, ubi de hoc.

Legitimam
Scilicet centum annorum, quae sola currit contra Romanam ecclesiam, supra, de praescrip., cum vobis.

Diocesi
Ut 16. q. 7, omnes basilicae; et 18. q. 2, monasteria; et infra, de relig. dom., constitutus.

X 2.30.05 *Ad nostram audientiam*

Personaliter
Scilicet tacita veritate quod sit regularis. Et si exprimeretur, sunt falsae litterae, quia in talibus personis administratio non confirmatur, infra, de confirm. util. vel inutil., porrecta. Secus esset si realiter aliqua concedantur seu confirmetur, quia tunc valent. Favore enim religionis multa eis conceduntur, infra, de privileg., ex parte tua 2; et infra, de privileg., pastoralis; et infra, de privileg., dudum. Et summa est ratio quae pro religione facit, ff. de rel. et sump. fun., sunt personae.

X 2.30.06 *Porrecta nobis*

Impetrasse
Tacita veritate, quia tales prioratus non confirmatur, supra, de confirm. util. vel inutil., ad nostram.

Non credamus
Quia omnium habere memoriam et in nullo peccare potius est divinitatis quam humanitatis, C. de vet. iure enucl., tanta § si quid autem.

Confirmantur
Licet enim prioratus aliquando perpetui sint, infra, de statu monach., monachi. Nec possunt removeri sine ordine iuris, ut ibi, non tamen confirmantur, ut hic, et supra, de confirm. util. vel inutil., ad nostram. Similiter nec episcopatus confirmari consueverunt, licet sint perpetui. Est enim ratio quare non confirmantur, quia regulariter verum est quod non sunt perpetui, infra, de statu monach., cum ad monasterium § tales. Unde removentur pro voluntate abbatis, ut ibi dicitur, quia de facili huiusmodi regulares, etiam si sint perpetui, removentur, infra, de simon., per tuas 1, in fi. Sed si administratio ex certa scientia et cum causae cognitione esset alicui confirmata, non posset inde removeri sine mandato Papae, ut supra, de confirm. util. vel inutil., si quis; et supra, de confirm. util. vel inutil., de confirmationibus; et 16. q. 1, pervenit. Sed si confirmentur et in litteris fiat mentio de ipsis prioratibus, non valent litterae. Immo sunt falsae, ut hic dicit, et sunt puniendi tamquam falsarii, nisi evidenter appareat quod ex certa scientia domini Papae hoc processerit. Si vero non fiat mentio de prioratibus, tacita veritate sunt impetratae, et ita utroque casu non prosunt, ut hic patet.

Falsitatis
Qualiter falsarii puniendi sunt, habebis infra, de crim. falsi, ad falsariorum.

X 2.30.07 *Examinata causa*

Iuris et compromissi
Duplici ergo ratione non valuit arbitrium. Primo quia contra ius fuit latum arbitrium, forte per sordes vel per gratiam, et ideo nullum, C. de recepti., arbitrorum. Sic etiam obtinet in aliis iudicibus, si ferant sententiam contra ius scriptum, non tenet, 2. q. 6, ei qui § diffinitiva, vers. item si contra ius. Sed contra ius litigatoris lata bene tenet sententia a qua non est appellatum, ut ibidem dicitur, et supra, de re iudic., cum inter vos, in fi. Et idem intellige in arbitrio, quia contra formam compromissi nihil potest facere arbiter, supra, de arbitr., cum dilectus; ff. de recepti., pedius, in fi.; et ff. de recepti., non distinguemus § de officio.

Non obstante confirmatione
Et ita patet quod confirmatio nihil vel modicum operatur, quia si aliquid invenit, confirmat illud, alias nihil operatur, infra, de concess. praeben., quia diversitatem. Et sic patet quod confirmatio sub forma communi non impedit petitionem alterius nec cognitionem iudicis. De hoc dictum est supra, de confirm. util. vel inutil., si quis. Arg. quod si principale cassatur, et accessorium, supra, de fide instrum., inter dilectos; et supra, de re iudic., cum inter vos.

Sicut provide
Haec enim verba, sicut provide, in confirmationibus posita conditionaliter intelliguntur, ut hic patet, et infra, de concess. praeben., quia diversitatem. Arg. contra infra, de confirm. util. vel inutil., venerabilis. Secus si ponuntur in privilegio, quia cum privilegium sit lex privata, certum debet ibi poni, ut aliquid concedat privilegium, infra, de verb. sign., abbate. Alias esset inutile, infra, de privileg., in his; arg. supra, de offi. deleg., quoniam abbas; et supra, de elect., cum monasterium. Io.

X 2.30.08 *Venerabilis frater*

Amicabilis compositio
Bene dicit amicabilis compositio, quia transactio super decimis ut aliquid temporale detur pro decimis non valet, infra, de rerum perm., exhibita. Nec super alio spirituali, supra, de transact., constitutus. Sed compositio bene intervenit in decimis et aliis spiritualibus, supra, de transact., statuimus; et supra, de transact., de caetero; et infra, de decim., ex multiplici.

Tenor compositionis insertus
Ut per hoc appareat quod compositio legitima fuerit, et non possit de ea dubitari, arg. supra, de confirm. util. vel inutil., si quis; et supra, de confirm. util. vel inutil., de confirmationibus. Unde non posset alius iudex ulterius de quaestione suborta cognoscere, ut ibi dicitur, quia Papa ex certa scientia cum eam viderit, confirmavit. Immo si compositio alias non valeret, ex quo Papa ex certa scientia confirmat, valet, supra, de transact., sicut; et supra, de transact., veniens. Si vero tenor compositionis non esset ibi insertus, nec ipse vidisset compositionem, sicut provide facta est, nihil operaretur, ut supra, de confirm. util. vel inutil., examinata; et ut dictum est supra, de confirm. util. vel inutil., si quis. Sed numquid neccesarium erit de caetero ostendere instrumentum compositionis, postquam ostenditur confirmatio Papae, in qua continetur tenor compositionis? Arg. quod sic supra, de fide instrum., si scripturam; C. de edend., authen. si quis in aliquo. Sed non credo quod de caetero expediat ostendere instrumentum compositionis de necessitate, cum auctoritate Papae transcriptum sit et redactum in publicam confirmationem, C. de testament., publicati; et infra, de privileg., cum olim essemus; et arg. supra, de fide instrum., si instrumenta. De hoc nota infra, de verb. sign., abbate.

Sicut sine pravitate
Per ista verba quae in confirmationibus conditionaliter intelliguntur, ut dictum est supra, de confirm. util. vel inutil., examinata. Dubitabatur an teneret compositio, quia non videbatur eam confirmasse simpliciter, unde eam servare timebant. Sed errabant, quia illud intelligitur cum Papa confirmat ea quae non videt, et ideo dicit in confirmationibus, sicut sine pravitate. Sed quando cognoscit de compositione et videt ea quae confirmat, tunc licet illa verba ponantur in confirmatione, non intelliguntur conditionaliter sed causative, et sic intelligitur. Sicut sine pravitate facta fuit compositio, id est, quia sine pravitate. Ber.

Si praemissis veritas suffragatur
Id est, si compositio taliter fuit facta et confirmata tenore compositionis inserto, quia per hoc apparet quod ipsam approbavit, unde mandat eam servari.

X 2.30.09 *Sua nobis*

Minui
Quia non debet inde procedere iniuriarum occasio, unde iura nascuntur, C. und. vi, meminerint; infra, de accusat., qualiter et quando 1. Et quia si sua iura unicuique episcopo non servantur, quid aliud est quam ut ordo ecclesiasticus confudatur, ut 11. q. 1, pervenit. Nec fuit intentio domini Papae per confirmationem huiusmodi aliquid subtrahere episcopo diocesano nec etiam per collationem cardinalis, immo remanet ius salvum diocesano episcopo, infra, de relig. dom., quia monasterium. Et dicit Papa: nec honorem meum reputo in quo fratres meos honorem suum perdere cognosco, ut 99. dist., ecce. Et sic patet quod per confirmationem huiusmodi ius alterius non tollitur. Sic etiam licet Papa recipiat aliquem sub sua protectione, non propterea eximitur a iurisdictione sui episcopi, infra, de privileg., ex parte tua 1. Sic licet aliqui assumantur in confraternitatem Hospitalariorum sive Templariorum, non eximuntur a iurisdictione suorum episcoporum, infra, de privileg., cum et plantare; et infra, de privileg., tuarum; et infra, de privileg., quidam. Ber.

BOOK III

X 3.01 DE VITA ET HONESTATE CLERICORUM

X 3.01.01 *Ut laici*

Ut laici
Supple maxime.

Secus altare
Laici enim ibi stare non debent, sed tantum clerici ut liberius intendant divinis officiis, ut de conse. dist. 2, sacerdotum. Consecratae etiam mulieres incensum circa altare portare non debent, 23. dist., sacratas; et 23. dist., non liceat; et de conse. dist. 1, in sancta; et infra, de cohab. cler. et mul., inhibendum, in fi.

Sed pars illa
Id est, chorus in quo morantur clerici ad cantandum, qui dividitur ab altari per cancellos, ut patet per exemplum in ecclesia Bononiensi. Et locus infra cancellos appellatur sacrarium. Unde insacrati homines ibi sacrata vasa contingere non debent, de conse. dist. 1, in sancta. Et appellatur sacrarium diaconium eo quod diaconus ministrat ibi altari, 23. dist., non oportet. Dicitur etiam presbyterium, de conse. dist. 2, sacerdotum.

Sicut mos est
Et ita est hic arg. pro consuetudine.

Sancta sanctorum
In qua summus sacerdos intrabat. Sed hodie laici et feminae ad orandum et communicandum tantum possunt intrare. Alii exponunt sancta, id est, maior pars ecclesiae sive corpus.

X 3.01.02 *Clerici*

Clerici arma
Clerici arma portare non debent, 23. q. 8, clerici; et 23. q. 8, quicumque, sine iusta causa. Iustam causam intellige si per loca periculosa transitum faciant. Tunc possunt portare arma ad terrorem latronum licet percutere non debeant, arg. 23. q. 3, Maximianus. Aliter portare non debent. Et si tertio admoniti non destiterint, perdunt privilegium illius canonis, 17. q. 4, si quis suadente; et infra, de sent. excom., in audientia; et infra, de sent. excom., contingit 2.

Usurarii
Hoc intellige de laicis qui sunt excommunicandi nisi restituant usuras, infra, de usur., praeterea. Et clerici ab officio et beneficio suspendendi ut ibi dicitur, et repellendi sunt etiam a dignitatibus, infra, de excess. praelat., inter dilectos. Et etiam deponi debent si de hoc convincantur, 47. dist., quoniam multi. Et nihilominus excommunicandi sunt si eas non restituant.

X 3.01.03 *Ut quisque*

Plebem
Id est, populum. Quaecumque sit ecclesia, sive plebs sive capella, ut supra, de fil. presbyt., proposuit.

Clericum habeat
Arg. quod ecclesia dedicari non debet nisi dos pro duobus ad minus sufficiat clericis, 1. q. 2, placuit; et de conse. dist. 1, nemo.

Epistolam
Sic acolythus debet legere epistolam, contra 34. dist., si subdiaconus. Hoc intellige in necessitate in ecclesiis illis ubi non sunt subdiaconi, alias intellige secundum illud 49. dist., quoniam videmus. Nec diaconus etiam epistolam legere debet, quia videretur ab ordine suo recedere, 74. dist., si qui clerici; arg. de conse. dist. 1, consecrationem; et de conse. dist. 1, tabernaculum, in fi.; et 92. dist., in sancta. Sed pone quod ibi non sit subdiaconus sed presbyter, diaconus et acolythus, quis dicet epistolam? Acolythus et diaconus dicat Evangelium, quod est eius officium. Sed acolythus dixit prophetiam, diaconus dicat epistolam. Vincen.

Scholas
Docendo pueros Psalterium et cantare.

Ad fidem
Id est, symbolum. Id est, credo in Deum patrem, quod antiquitus ante baptismum didicerant baptizandi, de conse. dist. 3, ante viginti; et 10. q. 1, placuit.

X 3.01.04 *Si quis ex clericis*

Si quis ex clericis
Istud capitulum habes 23. dist., si quis ex clericis.

Relaxaverit
Habitum semel susceptum non debet dimittere, 20. q. 3, proclivis, nisi ex iusta causa, infra, de vit. et honest. cler., clerici officia. Unde cum quidam reprehenderetur a Papa, respondit: tutius ut peterem laici sub imagine Romam // fas fuit ut sinerem luxuriare comam. Ber.

Anathema sit
Id est, fiat. Non enim est excommunicatus ipso iure, 30. dist., quasi per totum.

X 3.01.05 *Clericus neque comam*

Nutriat
Nisi ex iusta causa, ut dictum est in proximo capitulo supra, de vit. et honest. cler., si quis; et infra, de vit. et honest. cler., clerici officia. Immo detonso capite et patentibus auribus incedere debet, 23. dist., non liceat 2.

X 3.01.06 *Clericus si tonsura*

Sine gradu
Sacro. Simile 32. dist., si quis eorum.

Traditus
Si enim traditus fuisset ita quod monachus esset, non posset habere uxorem quam postmodum accepisset. Alias non prohibetur redire ad saeculum, infra, de regular., cum simus; et 20. q. 1, quam progenitores; et 32. dist., placuit; et 32. dist., seriatim; et 32. dist., si quis vero.

Tondeatur
Arg. est hic quod clericus coniugatus debet portare coronam. Arg. ad hoc 20. q. 3, eos qui; et 20. q. 3, proclivus. Sed arg. contra infra, de cleri. coniug., Ioannes, ubi de hoc.

X 3.01.07 *Clericis*

Inviti
Arg. quod aliquis cogendus est ad bonum et ad id praecipue quod iam suscepit, 45. dist., de Iudaeis, in fi.; et infra, de bapt. et eius effect., maiores, vers. fi. Alias nemo debet compelli ad bonum ut ibi dicitur, et 23. q. 5, ad fidem. Item arg. quod beneficia conferuntur in invitos, 45. dist., et qui emendat; et 23. q. 5, non vos, circa medium; et 23. q. 4, displicet; et 74. dist., placuit; et 74. dist., consuluit.

X 3.01.08 *Monasteria*

Rationabili
18. q. 2, perniciosam; et 18. q. 2, diffinimus; et 91. dist., clericus. Nec sufficit causa rationabilis nisi sit manifesta, ut hic videtur.

Frequentare
Solam frequentiam reprobare videtur. Sed frequentia videtur ex duabus vicibus, 25. q. 2, ita nos. Arg. optimum 26. dist., una tantum. Nec repetita, quia remissionem veniae crimina nisi semel commissa non habent, C. de episcopal. aud., nemo. Sic ergo ultra unam vicem sine manifesta et rationabili causa, nullus illuc ire debet, quia statim malum praesumitur.

Non destiterit
Arg. quod admonitio semper praecedere debet vindictam, ut se corrigat quis antequam puniatur, 12. q. 2, indigne.

X 3.01.09 *Quoniam*

Et expensis
Istud notabile est quod in facultatibus aestimandis habenda est ratio expensarum quae sint in hospitalitate, ad quam tenetur ecclesiae. Item in episcopalibus persolvendis, infra, de praeben., de monachis. Et recipere nuncios et legatos Apostolicae sedis, infra, de censib., cum instantia. Et arg. ad hoc 2. q. 5, nobilis. Illi enim fructus aestimandi sunt qui supersunt deductis expensis, C. de fruct. et lit. exp., hoc fructuum. Et ita tot sunt ponendi in ecclesiis quot ex fructibus illis possint honeste sustentari, ut hic evidenter patet, et infra, de instit., non amplius; et infra, de instit., auctoritate; et infra, de concess. praeben., ex parte, in fi.; et supra, de consti., cum M; et infra, de verb. sign., transmissae. Et haec exceptio legitima est cum facultates non sufficiunt, sive sint distinctae praebendae in ecclesia sive non.

In una domo
Sic 32. dist., praeter; et de conse. dist. 5, in omnibus; et 12. q. 1, necessaria. Arg. contra 12. q. 1, quia tua; et 32. dist., si qui vero. Solutio: quod dicitur hic et in concordantiis signatis ius commune est et honestum esset ut servaretur. Sed derogatur huic iuri per contrariam consuetudinem quam Papa scit et tolerat. Capitula contraria loquuntur secundum antiqua tempora de quibusdam clericis coniugatis, quibus dabantur beneficia extra consortium aliorum potius de gratia quam de iure. Quia de novo conversi fuerant, et loquitur in utroque capitulo de episcopo Anglorum. Sic 35. q. 3, quaedam lex; et 35. q. 3, quod scripsi. Si vis intellligere capitulum istud de regularibus planum esset, quia non dicitur hic de quibus loquatur. Et hoc videtur ex eo quod dicitur infra, indulgemus, ut si quisquam eorum qui simul etc., qui simul in eodem refectorio comedere et dormitorio dormire debent, infra, de statu monach., cum ad monasterium.

Qui simul vivunt
Ex hoc videtur quod loquatur hoc capitulum de regularibus qui simul vivunt et dormiunt, quibus tamen concessum est ut a suis praelatis absolvi possint, infra, de sent. excom., monachi; et infra, de sent. excom., cum illorum. Et hoc idem privilegium concessum est Hospitalariis Hierosolymitanis, ut per suum priorem qui sacerdos est absolvantur, infra, de sent. excom., canonica. Alii vero praelati saecularium ecclesiarum hoc privilegium non habent, quia cum regularibus tantum concedatur, ut patet per iura praedicta, aliis denegatur, 25. dist., qualis. Et arg. supra, de praesump., nonne; et ff. de iud., cum praetor. Non enim quod uni personae per privilegium sigillatim conceditur, aliis convenit denegari, 16. q. 1, hinc est etiam, in fi.; et 7. q. 1, petisti. Omnibus enim illud beneficium est prohibitum nisi specialiter sit concessum. Et sic intelligitur hoc capitulum tantum de regularibus. Ber.

Atrocitas
Hoc semper excipitur, infra, de sent. excom., cum illorum.

X 3.01.10 *Cum ab omni*

Abstinere
Nisi ubi quis redimit ius suum, ut 1. q. 3, quaesitum. Arg. infra, de simon., dilectus 1, ubi de hoc. Semper tamen praesumitur esse malum, ut 1. q. 1, nullus 2, nisi manifeste probetur contrarium. Videtur enim corrumpere iudicem, licet sit arg. contra 14. q. 5, non sane. Vincen.

More saecularium
Mos iste de decima parte litis exigenda contra legem est, ut in Auth. de iudicib. § ne autem, coll. 6. Ubi delegatus etiam a principe non habet nisi duos aureos in principio litis et duos in fine, et hoc cum causa excedit centum aureos, alias nihil ut ibi dicitur, arg. C. de testament., consulta. Ordinarius autem non debet habere nisi sportulas, 3. q. 3, induciae § offeratur; arg. C. de episc. et cler., authen. generaliter. Sed ibi decima pars datur adversario sed non iudici, unde non contradicit. Advocatus etiam super certa parte litis cum clientulo pacisci non debet, C. de postulan., si quis advocatorum.

Praeter expensas
Delegati enim iudices debent habere expensas quando proficiscuntur extra domicilium suum sicut testis, 4. q. 3, si testes § venturis, quia nemo cogitur suis sumptibus militare, infra, de simon., cum sit Romana; et supra, de praescrip., cum ex officii; et 28. q. 1, iam nunc. Et de suo non tenetur quis facere beneficium, 10. q. 2, precariae. Munera enim non sumptus prohibentur, 1. q. 1, iudices. Et modica xenia recipere possunt, ff. de off. praes., plebiscita. Xenia enim non sunt lucra, ff. de off. procon., solent § ulti. Ea tamen moderatione ne perducantur ad nimia quantitatem, ut ibi, et ne litigatoribus enorme damnum infligant, arg. 10. q. 3, illud. Immo si pauperes sunt litigantes, debent etiam a sumptibus abstinere, quia tunc nec ordinarius habet sportulas, in Auth. de mandat. princip. § si tibi quoque, coll. 3. Ordinarius autem numquam debet habere expensas, nam ideo stipendia sunt ei constituta, 23. q. 1, militare. Immo et cum de mandato principis ad aliam provinciam proficiscitur, debet expendere illa quae domi expenderet, in Auth. de mandat. princip. § illud tamen, coll. 3. Quandoque tamen ordinarius recepit expensas cum ecclesiam consecrat, infra, de simon., cum sit Romana. Et cum visitat provinciam suam, infra, de censib., cum Apostolus; et infra, de censib., sopitae; et infra, de censib., cum nuper. Item si ordinarius dat delegatum, tunc ordinarius debet ei facere expensas, supra, de offi. ord., inter caetera. Licet quidam contrarium faciant, quod tamen facere non debent. Unde posset ab eis repeti tamquam indebitum, arg. infra, de magistrat., prohibeas; et infra, de censib., procurationes, in fi.; et 18. dist., quoniam; et 18. dist., de eulogiis.

Gratis studeatis
Gratis ergo debet iudex iudiciarium ordinem impertiri, non tamen propterea reprobantur expensae. Testis enim gratis debet ferre testimonium, et tamen recipit exepnsas, 4. q. 3, si testes § venturis. Sic et procuratori non prohibentur sumptus, sed pacisci de certa parte litis prohibetur, ff. de pacti., sumptus. Et fideiussori prohibetur de certa parte pacisci qui fideiusserat iudicatum solvi, ff. mand. vel cont., si remunerandi § maritus. Ber.

Nomine assessorum
Assessor enim bene potest petere mercedem, quia suis sumptibus ad hoc non cogitur, 28. q. 1, iam nunc. Nemo enim de suo beneficium facere cogitur, 10. q. 2, precariae; et supra, de praescrip., cum ex officii. Et merces sibi pro labore suo constitui debet, 12. q. 2, caritatem. Et iurisconsultus bene potest vendere rectum consilium, 11. q. 3, non licet; et 14. q. 5, non sane. Et dicit lex quod spe praemiorum invitandus est assessor, C. de assessor., studiorum.

Reprobentur
Ita quod non sit opus appellare, 2. q. 6 § venales; et C. quando pro. non est nec., venales. Si autem fuerit sententia arbitri, tenet. Sed agens ex ea repellitur doli exceptione, C. de recepti., arbitrorum. Ber.

X 3.01.11 *Deus qui ecclesiam*

Professi
Arg. quod sicut in quolibet iuramento auctoritas Papae intelligitur excepta, ut supra, de rescript., constitutus, a contrario sensu; et supra, de iureiur., venientes. Ita et in professione, arg. infra, de regular., quia in insulis. Hoc verum intellige quantum ad solemnitates. Secus tamen est in his quae sunt de substantia ordinis, ut infra, de statu monach., cum ad monasterium, in fi. Cum autem isti sunt diversarum professionum, simul non possunt esse in una ecclesia, quia dicit canon: homines diversae professionis non sociabis in uno eodemque officio, 16. q. 7, in nova. Quia quilibet se confirmare debet moribus eorum inter quod vivit, ut 41. dist., quisque. Nam ex diversitate habitus generatur scandalum, 33. q. 5, quod Deo pari. Conformabunt autem isti se in superiori habitu, sed interius ferant vestes congruentes suae religioni. Et est hic arg. pro opinione Hug. quod canonicus regularis possit fieri canonicus in ecclesia saeculari, arg. 74. dist., quorundam; et 58. dist., si quis. Sicut monachus potest esse episcopus in ecclesia saeculari, 18. q. 1, statutum. Io.

X 3.01.12 *Cum decorem*

Monstra larvarum
Prohibitum est etiam causa ludibrii uti habitu monachali vel alio religiosi. Et graviter punitur qui hoc facit, in Auth. de sanct. episc. § ulti., coll. 9; et arg. C. de episcopal. aud., minime. Non tamen hic prohibetur repraesentare praesepe Domini, Herodem, Magos et qualiter Rachel plorabat filios suos, et caetera quae tangunt festivitates illas de quibus hic fit mentio, cum talia potius inducant homines ad compunctionem quam ad lasciviam vel voluptatem, sicut in pascha sepulchrum domini et alia repraesentantur ad devotionem excitandam. Et quod hoc possit fieri est arg. de conse. dist. 2, semel; et dist. 4, quaeris, vers. fi. Et quodlibet festum est signum et repraesentatio praeteritarum rerum, 75. dist., quod die dominico.

Festivitatibus
Scilicet sancti Stephani, sancti Ioannis et Innocentum.

Corruptelam
Turpis consuetudo potius dicitur corruptela quam consuetudo, quae citius est extirpanda, 8. dist., mala consuetudo; et supra, de consuet., cum inter; et supra, de consuet., cum venerabilis; et infra, de excess. praelat., inter dilectos.

X 3.01.13 *Ut clericorum*

Ira Dei
Ut infra, de excess. praelat., clerici; et 32. q. 7, flagitia; et in Auth. ut non lux. cont nat., coll. 6. Et tales ultimo supplicio puniuntur, C. de adulter., cum vir.

Facilitas
23. q. 4, est iniusta. Et si ea quae male usurpantur omittimus, excessus viam aliis aperimus, 35. q. 9, loci; et 93. dist., pervenit.

Poena
Simile dicit lex, quos ad vitae decora domesticae laudis exempla non revocant, correctionis saltem medicina compellat, C. de emend. prop., in corrigendis; et supra, de elect., cum in cunctis, in fi.; et 62. dist., docendus. Et necesse est ut ferro abscindantur vulnera quae etc., 82. dist., plurimos, in fi. Et ferrum quippe nostrae mentis etc., 7. q. 1, adversitas § cum autem.

Deponatur
Ecce quanta est poena illius qui celebrat suspensus, infra, de cleri. excom., clerici; et infra, de cleri. excom., latores.

Regionis
Hoc dicitur propter Orientales qui utuntur matrimonio iam contracto, etiam in sacris ordinibus, infra, de cleri. coniug., cum olim; 31. dist., aliter. Ber.

X 3.01.14 *A crapula*

A crapula
4. dist., denique. Crapula dicitur quantum ad superfluitatem ciborem. Et dicitur crapula quasi cruda epula, ebrietas quantum ad potum. Et dicitur ebrietas ab e, quod est sine, et bria, quod est mensura. Unde ebrius est qui sine mensura bibit, unde Horatius: fecundi calices quem non fecere disertum?

Vel beneficio
Hoc relinquitur arbitrio superioris, ut delinquentem suspendat ab officio vel beneficio. Quid si dicat iudex, suspendo te ab officio vel beneficio? Dic super hoc ut notatur infra, de cleri. excom., latores, in notula quae incipit, etiam. Ber.

X 3.01.15 *Clerici officia*

Non exerceant
Quod qui fecerint, ab officio suo degradentur, 91. dist., clericus. Immo numquam de manu sua exeat psalterium, de conse. dist. 5, numquam, in princ.

Et tabernas
44. dist., clerici.

Ad aleas
Hic prohibetur clericis non tantum ludere sed ne intersint ludo, in tantum quod qui publice aleator est, repellitur a promotione, infra, de excess. praelat., inter dilectos. Nec debent esse inspectores ludi huiusmodi, in Auth. de sanct. episc. § interdicimus, coll. 9. Et tribus annis arceantur a ministerio, ut ibi dicitur. Sed videtur quod primo sit admonendus antequam puniatur, ut 35. dist., episcopus. Sed hoc credo in beneficio obtento. Secus in obtinendo, quia multa impediunt promovendum quae non deiiciunt, 15. q. 1 § ulti.; et supra, de iureiur., quemadmodum; et infra, de excess. praelat., inter dilectos. Sed numquid potest repeti quod perditur in alea? Dicunt quidam quod non, sed pauperibus est eroganda pecunia illa, arg. 14. q. 5, non sane. Nam cum turpitudo versatur ex utraque parte, melior est conditio possidentis, ff. de condi. ob turp. caus., si ob turpem § porro; et ff. de condi. ob turp. caus., ubi autem. Haec fuit opinio Placen. Alii dicunt et melius quod possit repeti, ff. de aleat., quod in convivio, in fi., ubi dicitur quod si servus vel filiusfamilias amiserit in ludo, patri vel domino dabitur repetitio et etiam usque ad quinquaginta annos, ut dicit graeca constitutio. Et si quis existens in alea rem suam vendidit, non tenetur de evictione, ff. quar. rer. act., si filio § 1; et C. de rel. et sump. fun., authen. alearum usus. Servandum est quod ibi dicitur.

Congruentem
Ut videantur differre a monachis.

Non notanda
Arg. pro medio spectando, supra, de offi. deleg., quaerenti; ff. de acq. rer. dom., adeo § cum quis.

Deauratis
Hoc sine licentia principis etiam laicus habere non debet, C. de vest. holov., nemo, lib. 11. Tamen conformabunt se in vestibus consuetudini regionis, ne videantur hypocritae, ut 30. dist., si quis virorum; et 4. dist., erit autem; ne vilescat dignitas clericalis, 80. dist., episcopi. De hac materia dicitur 21. q. 4, in summa. Io.

Causa
Tunc enim habitus monachalis propter hoc susceptus non praeiudicat, supra, de his quae vi met. caus. fi., perlatum. Et ita clericus iusta de causa potest postponere habitum clericalem, nec censetur apostata.

Annulos
Per annulum enim praesumitur matrimonium, arg. 30. q. 5, feminae; et supra, de praesump., illud, in fi.

Nisi monachi
Arg. quod monachus factus episcopus non penitus absolvitur a regula monachali. De hoc nota 16. q. 7, inventum. Arg. contra 18. q. 1, statutum. Ber.

X 3.01.16 *Ex litteris Pontini*

Se tuentur
Cum isti statuta patriae approbant pro se, tenentur ea recipere contra se, 19. dist., si Romanorum; et 4. q. 3 § si quis testibus; et 3. q. 8, accusatores § cuius in agendo. Et si illa reprobant, non debent ex eis commodum habere, infra, de censib., cum olim; C. de reb. credit., generaliter, 1. resp., in fi. Arg. contra 10. dist., lege; et 37. dist., si quid veri; et 2. q. 7, si haereticus; et arg. supra, de except., cum venerabilis.

Tertio
Haec est canonica admonitio, 17. q. 4 § si quis domum; et 17. q. 4, de presbyterorum; et 24. q. 3, de illicita. Post quam admonitionem nisi destiterint, perdunt privilegium illius canonis, 17. q. 4, si quis suadente; et infra, de sent. excom., in praesentia; et infra, de sent. excom., contingit 2. Admonitio enim semper praecedere debet vindictam, 12. q. 2, indigne; 16. q. 7, omnes decimae; infra, de sent. excom., sacro, in princ. Verumtamen non loquitur hic de illo privilegio 17. q. 4, si quis suadente.

Negotiationibus
Talia enim clericis sunt prohibita, supra, de vit. et honest. cler., clerici officia; et 88. dist., fornicari; et 14. q. 4, clerici; et infra, ne cler. vel mon. saecul. neg., per totum.

Cum facto
Nota quod ipso facto amittit quid privilegium suum, ut hic patet, et infra, de sent. excom., contingit 2. Unde frustra implorat ecclesiae auxilium qui committit in eam, ut in eo capitulo infra, de sent. excom., contingit 2. Quia frustra implorat legis auxilium qui committit in legem, infra, de usur., quia frustra. Et seipsos reddunt indignos privilegio suo. Simile infra, de immun. eccl., immunitatem. Et simile 17. q. 4, frater et coepiscopus. Sic ipso facto appellatur, supra, de appell., dilecti filii 2; et supra, de appell., ut nostrum. Et facto renunciat quis appellationi, supra, de offi. deleg., gratum; et infra, de his quae fi. a maior. par. cap., ex ore. Sed ipso verbo clericus privilegio suo renunciare non potest, supra, de for. compet., si diligenti; et infra, de sent. excom., contingit 1.

Suis facultatibus
Bene dicit, suis, quia propter hoc facultatibus ecclesiae non fit praeiudicium, quia delictum personae etc., 16. q. 6, si episcopum. Et nota quod dicit: dum his se implicant. Quasi dicat: si non implicat se his, privilegio ecclesiastico gaudebunt in rebus suis, sicut in rebus ecclesiae, quod est bene notandum quod res clericorum et ecclesiarum eodem privilegio gaudent, 12. q. 2, ecclesiarum servos; et 16. q. 1, similiter. Si vero se implicant, tunc cessat privilegium, et ita suspenditur privilegium alicuius ad tempus propter delictum, 15. q. 6, iuratos; et 15. q. 6, nos sanctorum. Simile C. de curat. fur.,

cum aliis; et infra, de sent. excom., sacro; et 81. dist., si qui sunt; et 81. dist., si quis ammodo. De eodem privilegio dicit decretalis quod clericus uxoratus etiam tonsuratus privilegio clericali gaudere non potest, infra, de cleri. coniug., Ioannes.

X 3.02 DE COHABITATIONE CLERICORUM ET MULIERUM

X 3.02.01 *Inhibendum est*

Retineat
Ut 32. dist., interdixit; et 32. dist., nullus; et 32. dist., praeter; et 81. dist., cum omnibus.

Canones
32. dist., interdixit; 81. dist., cum omnibus. Videtur quod canon iste corrigat omnes illos canones, cum illi permittant huiusmodi mulieres cum clericis habitare matrem, sororem et amitam. Et idem permittit Innocentius infra, de cohab. cler. et mul., a nobis, concordans prioribus canonibus. Sic solve hanc contrarietatem quod dicitur hic, intellige de suspectis clericis et iuvenibus et de mulieribus suspectis, quia si suspectae sunt, non debent secum manere, 34. dist., quorundam. Contraria loquunter de illis mulieribus de quibus nulla est suspicio mali, quia in talibus naturale foedus nihil saevi criminis suspicari permittit, infra, de cohab. cler. et mul., a nobis; et C. de episc. et cler., eum qui; et supra, de praesump., cum in iuventute. Item in linea transversali usque ad secundum gradum possunt habere clerici consanguineas, ut 81. dist., cum omnibus. In descendentibus vel ascendentibus videtur quod usque ad quartum gradum ibi, amplius potest extendi permisso quam in collaterali.

In illis
Id est, occasione illarum quandoque aliae commorantur cum illis vel veniunt ad illas. Unde dicit Augustinus: non omnes quae cum mea sorore sunt, sorores meae sunt, 81. dist., legitur. Vel intellige proprie ut littera dicit. Et hoc vult littera sequens aut in pedissequis illarum.

Subministrent
Et sic patet quod clerici possunt sustentare consanguineos pauperes de quibus capitulum hoc intelligitur, quibus potius quam extraneis tenentur, 86. dist., non satis. Alias non, si divites sunt vel ut divites eos faciant, ut eodem capitulo et 12. q. 2, quisquis; ad idem 31. dist., omnino.

Ad altare
Ut 23. dist., sacratas; et de conse. dist. 1, in sancta.

X 3.02.02 *Si quisquam sacerdotum*

Sacerdotum
Nomine sacerdotis intelliguntur inferiores ut patet hic, quia inferiora intelliguntur in superioribus, ut 93. dist., legimus, in fi.; et 14. q. 5, poenale; et ff. de regul. iur., in toto.

Simile 52. dist., sollicitudo. Et econverso appellatione clericorum superiores vel maiores intelliguntur, 11. q. 1, de persona, ad fi.

Admonitionem
Sic in Auth. ut liceat mat. et avi. § penulti., coll. 8; et in Auth. ut liceat mat. et avi. § ulti., coll. 8; et infra, de sent. excom., in audientia; et infra, de sent. excom., contingit 2; et supra, de vit. et honest. cler., ex litteris.

Canonice
Id est, in monasterio ponatur, 33. dist., fraternitatis. Alii exponunt id est, in servitutem redigatur, ut 32. dist., eos. Immo et ipsa concubina si hoc publicum est, debet excommunicari, infra, de sent. excom., si concubinae. Ber.

X 3.02.03 *Clericos in sacris*

Publice
Quae sunt excommunicandae ex quo publicum est, infra, de sent. excom., si concubinae.

Abiurandas
Ne contempto iuramento revertantur ad eas propter praesumptionem, ut sequitur. Arg. contra infra, qui cler. vel vov. matr. contr. poss., ex litterarum, ibi: abiurare. Sed ibi contraxerat matrimonium cum ea, licet de facto tunc esset subdiaconus. Et quando quis ab uxore separatur, sic debet iurare, 35. q. 6, ab isto die. Vel hoc intellige de suspectis. Et illud capitulum infra, qui cler. vel vov. matr. contr. poss., ex litterarum, de non suspectis de quibus versimile est quod debeant iuramentum servare.

Redeuntes
Arg. colligitur ex hac littera quod non est iniungendum alicui per iuramentum, quod versimile sit quod non debeat illud observare, arg. 22. q. 1, ita ergo; et 22. q. 1, non est contra; et infra, de sent. excom., ex tenore; et supra, de praesump., litteras; et C. de indict. vid., ambiguitates. Et haec ratio est etiam quare iuvenibus non iniungatur solemnis poenitentia, 50. dist., poenitentes. Ber.

Perpetuam
Id est, donec resipiscant. Sic Inst. locat. et conduct. § adeo; et ff. de peculi., id vestimentum; et infra, de matr. contrac. con. int., de muliere. Simile 10. q. 1, quia sacerdotes; ut caeteri timeant, ut ibi dicitur.

Exemplo
Poena unius debet esse metus alterius, ut ff. de poe., capitalium § famosos; 45. dist., sed illud; et 2. q. 7, quapropter; et infra, de excess. praelat., tanta; et 10. q. 1, quia sacerdotes, in fi.

X 3.02.04 *Sicut ad extirpanda*

Et supra
Alii nihilominus sunt compellendi, sed non cum tanto rigore ut vel contineant vel beneficia dimittant, infra, de cohab. cler. et mul., si autem; et 32. dist., lectores.

Suspendatis
Ita isti non sunt suspensi ipso iure. Videtur contra 32. dist., nullus; et 32. dist., praeter. Solutio: quod dicitur hic, et infra, de cohab. cler. et mul., si autem, intelligitur de his qui adhuc tolerantur ab ecclesia, quia illi ipso iure non sunt suspensi. Quod dicitur in contrariis locum habet quando factum est notorium vel quando sunt condemnati per sententiam. Alias quantumcumque sit aliquis criminosus non est vitandus, infra, de cohab. cler. et mul., vestra; et 28. dist., consulendum; et infra, de cohab. cler. et mul., quaesitum.

Curetis
Quia crescente contumacia crescere debet et poena, supra, ut lite non cont., quoniam, in fi.; et ff. de poe., relegati.

X 3.02.05 *Super eo vero*

Suspensum
Ab episcopo suo.

Seriem
Scilicet quare fuit excommunicatus vel suspensus pro focaria. Vel si ex alia causa, ut exprimat omnes causas excommunicationis et suspensionis, alias non habetur pro absoluto, infra, de sent. excom., cum pro causa; et supra, de offi. ord., ex parte. Alias litterae essent impetratae tacita veritate, unde non valerent, supra, de rescript., super litteris; et supra, de rescript., dilectus filius 1.

X 3.02.06 *Si autem clerici*

Portionibus
Cum habeant partem in ecclesia praebendata.

Spoliare
Quae spoliatio perpetua intelligitur, ex quo sine temporis praefinitione hic dicitur, C. de poe., servus. Sed contra videtur supra, de cohab. cler. et mul., sicut, ubi post admonitionem suspenduntur antequam priventur ecclesiis, et hic statim post admonitionem spoliantur. Solutio: hoc intellige secundum illud, ut primo suspendantur. Et si se non corrigunt post trinam admonitionem, recte possunt spoliari beneficio. Et quod ibi suspenduntur, intelligo quod fiat ex gratia, ut sic expectentur adhuc. Ber.

X 3.02.07 *Vestra duxit devotio*

Nullus audiat
32. dist., nullus; et 32. dist., praeter.

Quantumcumque
Ut 15. q. 8, sciscitantibus, usque ibi: caeterum.

In Christi fide
Id est, per fidem Christi. Hucusque sunt verba capituli quod inducit. Tanc.

Caeterum
Hic incipit respondere distinguendo inter crimen notorium et occultum.

Notorium
Ad intelligentiam eorum quae hic dicuntur, nota quod aliud est fama aliud manifestum et aliud notorium. Fama sic consuevit describi: fama est illaesae dignitatis status, vita et moribus comprobatus et in nullo diminutus, ff. de var. et extraord. cog., cognitionum § existimatio. Et qui talem famam negligit, crudelis est, 12. q. 1, nolo. Fama vero quandoque ex scientia quandoque ex suspicione procedit, quandoque ex certo auctore quandoque ex incerto, de conse. dist. 4, sanctum est. Manifestum dicitur quod ex scientia et certo auctore procedit et quod potest probari, ff. qui testam. fac. pot., heredes palam; et 11. q. 3, eorum qui. Item etiam quandoque dicitur occultum quod potest probari, C. de appellat., eos § si quis autem. Sed et manifestum dicitur quandoque de quo constat per confessionem vel probationem vel per evidentiam facti, infra, de verb. sign., cum olim. Sed tale manifestum potius dicitur notorium, infra, de cohab. cler. et mul., quaesitum. Circa notorium distingue: aliud est notorium facti, aliud iuris, aliud praesumptionis. Notorium facti est quod ita exhibet se conspectui hominum, quod nulla potest tergiversatione celari, infra, de cohab. cler. et mul., tua; et infra, de cohab. cler. et mul., quaesitum. Et de tali hic intellige: in quo nullus auditur appellans, supra, de appell., cum sit Romana, in fi.; et supra, de appell., pervenit 1. Et in tali notorio creditur simplici officiali, 4. q. 4, nullus § aliquando. Nec requiritur scientia omnium sed plurimum, ut quando omnes admissum scelus proclamant, ut 2. q. 1, scelus; et 2. q. 1, de manifesta. Notorium iuris est de quo aliquis condemnatur vel est in iure confessus, ut hic, et ff. de statu hom., eum qui. Et in hoc notorio quandoque requiritur probatio si negetur, supra, de re iudic., sicut. Notorium praesumptum est, ut paternitas, filiatio, ff. de in ius voc., semper; et supra, de fil. presbyt., conquerente. Et consanguinitas dicitur notoria praesumpta, infra, de divort., porro § 1. Quod aliquis sit filius alterius non posset vere probari, ff. de condi. et demon., Lucius.

Condemnatur
Hoc est notorium iuris.

Occultum
Quod non habet vindictam, quia latentia peccata vindictam non habent, 32. q. 5, Christiana. Et tamdiu reputatur occultum, licet plures sciant, quamdiu ab ecclesia toleratur, ut hic dicitur, et 15. q. 8, sciscitantibus.

Non diffitetur
Immo confitetur in iure, et sic notorium iuris. Et sic duobus modis dicitur notorium iuris per confessionem et per sententian, infra, de cohab. cler. et mul., quaesitum, ut dicitur in notula: ad intelligentiam, et hic. Ber.

Canonice condemnatus
In quo casu nullus debet audire officium illius, quo etiam casu loquitur prima auctoritas, nullus audiat etc. Ber.

Occultum
Hic distinguitur prout sequitur.

Talium
Scilicet qui pene occulti sunt seu ab ecclesia tolerati ab officiis talium abstinere bono zelo, ut per hoc ad poenitentiam revertantur, permittitur, sed ex contemptu abstinendum non est, quia licet in fornicatione iaceant, non sunt contemnendi, ut sequitur. Aliud est si tamquam tacentium etc., quia illud non licet.

Tolerantur
In quo casu loquitur secunda auctoritas, non potest aliquis etc. Ber.

Operis evidentiam
Hic explicat notorium facti, in quo casu et duobus praemissis, scilicet cum sunt condemnati vel confessi in iure, officia ipsorum sunt respuenda, infra, de cohab. cler. et mul., quaesitum.

X 3.02.08 *Tua nos*

Conveniuntur
Id est, interrogantur.

Testimonio
Simpliciter dato sine iuramento. Ber.

Inter quos
Et ideo magis praesumitur quod vitam illorum agnoverunt, 23. q. 1, paratus; supra, de praesump., quosdam; et supra, de praesump., quanto; et 12. q. 2, qui et humanis; et 16. dist., quod dicitis.

Nec accusator
2. q. 1, de manifesta; infra, de accusat., evidentia; et supra, de iureiur., ad nostram 3.

Celari
Quia et si vellet celare, negatio nulla esset, C. de poe., qui sententiam; ff. de trib. act., illud § penulti.

Ex evidentia
Si constet aliquem habere suspectam mulierem secum in domo, eo ipso videtur probata fornicatio, supra, de cohab. cler. et mul., si quisquam; et supra, de cohab. cler. et mul., clericos. Et si publice eam detineat, eo ipso convictus est, ut in capitulo supra, de cohab. cler. et mul., clericos. Alias enim non posset esse certum nisi per huiusmodi praesumptionem supra, de praesump., litteris; et supra, de praesump., ex studiis. Ergo si haec notoria non sunt, sed tamen fama sit, testimonia requiritur, ut sequitur in littera.

Testimoniis
ff. de testi., testium § item divus; et 4. q. 3, si testes § alia est fides; et in Auth. de fid. instrum. § si vero, coll. 6. Valent tamen talia testimonia ad infamiam alicuius, arg. de conse. dist. 1, iubemus; 24. dist., nullus acolythorum; et 2. q. 7, cum pastoris.

Scandalum
Ex hoc videtur quod propter solam suspicionem sive famam non est indicenda purgatio nisi scandalum oriatur, arg. 2. q. 5, presbyter; et 3. q. 2, audivimus; et 2. q. 1, nomen; et infra, de accusat., qualiter et quando 2. Ber.

X 3.02.09 *A nobis tua*

Mulierculas
32. dist., interdixit; et 81. dist., cum omnibus.

De illis personas
Arg. contra supra, de cohab. cler. et mul., inhibendum. Dic super hac materia ut ibi notatum est.

Naturale
Sic supra, de praesump., cum in iuventute; et C. de episc. et cler., eum qui. Ber.

X 3.02.10 *Quaesitum est*

Ad seipsum
Nota quod aliquis dicitur suspensus quo ad se tantum, et non quo ad alios, ut quilibet in peccato mortali constitutus, ut 6. dist., in testamentum; et 1. q. 1, sacerdotes, in fi.; supra, de temp. ord., quaesitum; et hic; et supra, de cohab. cler. et mul., vestra. Quandoque tamen quantum ad se et quantum ad alios, 32. dist., nullus; et 32. dist., praeter; et infra, de simon., tanta; et hic, in fi.; et supra, de cohab. cler. et mul., vestra. Quandoque aliquis dicitur suspensus quo ad alios et non quo ad se, ut cum civitas vel villa est interdicta propter delictum civium vel saecularis potestatis. Tunc clerici non sunt suspensi quo ad se, quia in alio loco possunt celebrare non interdicto. Sic supra, de cleri. peregri., tuae fraternitatis.

Evitari
Et ita licet aliquis sit criminosus, non debet in officiis evitari quamdiu ab ecclesia toleratur, ut supra, de cohab. cler. et mul., vestra; et 15. q. 8, sciscitantibus. Nisi in tribus

casibus sequentibus, cum quis de hoc sit condemnatus vel in iure confessus vel evidentia rei sit factum notorium. De hoc satis dictum est supra, de cohab. cler. et mul., vestra.

Proposito
Bene dicit in casu proposito, scilicet de fornicatione, ut in principio capituli. In isto enim casu magis videtur vitandus, cum in aliis non sit quis ipso iure suspensus quantumcumque crimen fuerit notorium, excepto simoniae crimine ubi suspensus est ipso iure etiam si crimen sit occultum, 32. dist., praeter § verum; 1. q. 1, reperiuntur; infra, de simon., tanta. Et sic notavit Vincen.

Per sententiam
Diffinitivam, supra, de ord. cognit., cum dilectus; et supra, de except., denique.

X 3.03 DE CLERICIS CONIUGATIS

X 3.03.01 *Si qui clericorum*

Relinquenda
Et merito compellendi sunt ut ea dimittant, quia vacare intelliguntur ipso iure. Unde quo ad factum solum sive possessionem retorquetur ista compulsio. Sic infra, de concess. praeben., litteras; et infra, de concess. praeben., cum nostris. Contrario enim facto iuri suo renunciaverunt, arg. C. de furti. et serv. cor., si pecunia; arg. ff. de trib. act., quod in herede § eligere. Sicut quis ipso facto renunciat privilegio clericali, supra, de vit. et honest. cler., ex litteris; infra, de sent. excom., cum non ab homine; et infra, de sent. excom., contingit 2. Arg. contra 32. dist., si qui vero; et 12. q. 1, quia tua. Illa contraria intelliguntur de misericordia, et hodie non tenent ipso iure. Ergo clericus coniugatus beneficium amittit, ut dictum est, nec alicui coniugato potest conferri. Et si conferatur, debet privari ipso iure, infra, de cleri. coniug., sane 1; et infra, de cleri. coniug., quod a te; et infra, de cleri. coniug., sane 2; et infra, de cleri. coniug., diversis. Et ita ius commune est quod hic statuitur.

Dimittere
Quia non tenuit matrimonium et privandi sunt beneficiis suis nisi cum eis dispensetur, infra, de cleri. coniug., sane 2; et 28. dist., presbyterum.

X 3.03.02 *Sane*

Ad sacros
28. dist., nullum; et 31. dist., ante triennium. Ber.

Castitatem
Sequestrato mansionis cubiculo, 77. dist., episcopus benedictionem. Et hoc intelligo cum ambo processerint in dies suos, ut sine omni suspicione possint separatim manere. Alias si essent iuvenes, non possent promoveri nisi pariter ad religionem transirent, infra, de conver. coniug., cum sis; et infra, de conver. coniug., ad Apostolicam. Vel dic prout notatur infra, de conver. coniug., coniugatus, in fi. glossae quae incipit: sed numquid.

Virginem
Arg. quod qui corrupit uxorem suam antequam eam duceret, promoveri non potest, 24. dist., curandum; et 24. dist., praecipimus. Et desponsata debet esse in virginitate, 30. q. 5, qualis. Arg. contra 34. dist., Valentino; et supra, de bigam., debitum. Quidam dicunt quod iste non potest promoveri, sed verius est quod potest promoveri, quia causa impedimenti cessat, quia iste non divisit carnem suam in plures. Unde bene potest promoveri, arg. praedicto capitulo 34. dist., Valentino; et supra, de bigam., debitum. Ber.

X 3.03.03 *Quod a te*

Non valentes
Propter consuetudinem, quia difficile continentiam servat qui illicito concubitu se maculare non desinit, 34. dist. § quod vero.

Immunditiam
Quae tamen castitas est cum propria uxore, 31. dist., Nicaena. Sed hic appellatur immunditia quo ad obsequium ecclesiae. Unde illi quibus licitum erat habere uxores tempore vicis suae non discedebant de templo, ut non inungerentur uxoribus, 31. dist., tenere. Sed hodie semper est abstinendum, ut 31. dist., ante triennium § causa; et 31. dist., sacerdotibus; et 31. dist., eos.

Privandi
Supra, de cleri. coniug., si qui; et supra, de cleri. coniug., sane 1; et infra, de cleri. coniug., diversis.

Redire
Simile 16. q. 6, de lapsis; 16. q. 6, cognovimus; et 16. q. 6, illud; supra, de renunciat., ex transmissa; 17. q. 4, quicumque vult; ff. de colleg., mandatis, in fi. Arg. contra quod non debeant ad eum redire, 12. q. 2, nulli liceat; 17. q. 4, sunt qui opes; infra, de cond. appos., verum; in Auth. de monach. § si vero relinquens, coll. 1. Super hoc diversae solutiones recitari consueverunt. Aliud est cum quis sua sponte recedit, et tunc nihil ei restituitur, in quo casu loquuntur contraria. Aliud cum iudicis auctoritate, in quo casu intelligitur hoc capitulum et concordantiae hic assignatae. Sed huic solutioni opponitur: iste culpa sua ad hunc casum pervenit, ergo debet sibi imputari, supra, de aetat. et qualit., ut abbates. Propter hoc dicunt quidam quod omnis donatio facta ecclesiae vel monasterio tempore ingressus tacitam habet conditionem, ut duret eo ibidem perseverante ad instar dotis, C. de rei uxor. act., rem § cum autem; et infra, de don. int. vir. et uxor., nuper. Et sic clerico recedente quocumque modo restituuntur ei sua. Et idem in monacho, ut illa transferat secundo monasterio ad quod transit. Secus est ubi aliquis donat ecclesiae ad illam non transiens, quia tunc non revocatur donatio, quia perfecta donatio amplius non revocatur, 32. q. 1, non enim; C. de revoc. donat., si apud; et C. de revoc. donat., possessionem; et C. de revoc. donat., generaliter; et C. de donat. quae sub mod. vel cond., perfecta. Nisi aliqua conditio in donatione expressa fuisset, infra, de cond. appos., verum. Verius videtur quod istud dictum sit de benignitate, et caetera consimilia contraria de iure stricto. Vel potest dici quod si expresse res donatae sunt tempore ingressus, numquam sunt

postea restituendae, arg. C. si pend. appel., si is; et C. si reus vel accus. mort., si quis; nisi gratiam vellet facere clericis. Si vero tacite, tunc sequuntur personam, et sic potest intelligi quod hic dicitur, quia bona sunt accessoria, et ideo principale sequuntur.

X 3.03.04 *Sane sacerdotes*

Contubernia
Improprie. Inter servos proprie dicuntur contubernia, C. de incest. nupt., cum ancillis. De poena filiorum talium habes 15. q. 8, cum multae.

Officio
Arg. contra 28. dist., presbyter. Solutio: illud de rigore et ante poenitentiam, et hoc de gratia et post poenitentiam peractam.

Ex indulgentia
Et sic episcopi possunt cum talibus sacerdotibus dispensare, qui contrahunt in sacerdotio. Arg. contra supra, de bigam., nuper. Sed illud intellige de eo qui primo in laicali habitu habuerit uxorem, et postea sacerdos contraxit, ille tamquam bigamus reputatur propter intentionem cum opere subsecuto. Unde non possunt ibi episcopi dispensare. Hic vero de his tantum qui contrahunt post ordinem sacrum et cum virgine.

X 3.03.05 *Diversis fallaciis*

Cithara
Per citharam intellige vitam activam seu laicalem. Per psalterium intellige vitam contemplativam sive clericalem. Sed aliquis non posset esse simul contemplativus et activus. Et sic coniugatus ecclesiam habere non debet, quia non bene conveniunt, supra, de cleri. coniug., quod a te. Contra supra, de renunciat., nisi, ubi quis potest esse contemplativus pariter et activus. Sed de alia contemplatione dicitur hic.

Divisus
Quia pluribus intentus minor est ad singula sensus. Et dum ad utrumque festinat, neutrum bene perficit, 16. q. 1, presbyteros; C. de assessor., nemo.

Deperire
28. dist., de Syracusanae.

Scienter
Secus si ignoranter, quia tunc posset eos privare, supra, de elect., cum Wintoniensis.

Non per te
Arg. quod nemo potest venire contra factum suum. Simile supra, de fil. presbyt., veniens; 12. q. 2, monemus; ff. de adopt., post mortem; et ff. de servitu. rust. praed., per fundum. Arg. contra supra, de elect., nosti; infra, de praeben., cum non ignores; infra, de rebus ecc. non alien., si quis; 55. dist., poenitentes; et 35. q. 9, quod quis commissit; et C. de agric. et cens., quemadmodum, lib. 11. Ad hoc dicit Io. quod ubi agitur de revocatione

rei male alienatae, idem qui alienavit, potest repetere. Quoniam quilibet in alienatione rei ecclesiasticae auditur, volens contradicere 12. q. 2, non liceat Papae. Tum in favorem ecclesiae, tum in odium illius qui recipit rem ecclesiae minus legitime. Ubi vero agitur de repetitione beneficii, secus est. Et hoc ideo ne detur via male volentibus revocare liberalitates suas, ut 16. q. 2, visis; et C. de donation., si quis argentum § fi. Et quia hic est tantum favor et non odium. Laur. dixit quod ubi factum reprobatur a iure, ille idem qui fecit potest venire contra factum suum, nisi in poenam ei interdicatur, ut hic. In verecundiam episcopi hoc fit, qui scienter talibus contulit beneficia. Ubi autem factum non tenet ex alia causa, puta in re communi, ibi qui concessit non potest venire contra, ut in lege ff. de servitu. rust. praed., per fundum. Quia quod suum proprium erat, concessit. Capitulum illud supra, de fil. presbyt., veniens, loquitur dispensative, et illud solvitur ibi. Capitulum 12. q. 2, monemus, intelligitur postquam iam depositus est alienator, ne sit contra capitulum illud 35. q. 9, quod quis commissit.

Spoliandos
Sed quis conferet illa beneficia post spoliationem? Credo quod conferri debeant secundum distinctionem illius capituli supra, de elect., cum in cunctis, in fi.; et supra, de elect., nihil est, ut si canonici consenserunt episcopo, per archiepiscopum conferantur. Si non consenserunt, per capitulum conferantur. Et hoc in illis beneficiis in quibus devolvitur potestas a capitulo ad episcopum et econverso, in aliis per archiepiscopum per quem isti removentur.

X 3.03.06 *Cum olim*

In minoribus
Ut 32. dist., si quis eorum.

Votum continentiae
31. dist., Nicaena; et 31. dist., quoniam; et 31. dist., aliter. Et sic est arg. ex hoc quod occidentales clerici ex voto ad continentiam tenentur, quod quidam negant dicentes quod tantum ex constitutione ecclesiae hoc fit, arg. 84. dist., cum in praeterito. Unde dicunt quod Papa potest dispensare, ut aliquis contraheret in sacro ordine, etiam si concederetur quod contra votum dispensare non posset. Vincen. dixit quod ubi clericus in ordinum promotione exprimit votum, tenetur ad id. Et si Papa dispensaret in hoc, contra votum dispensaret. Si vero non exprimit, si promovendus est iurisperitus eodem modo teneretur. Si vero est iuris inscius, non tenetur ex voto sed ex constitutione. Et si Papa dispensat cum tali, non intelligitur dispensare contra votum sed contra constitutionem ecclesiae. Tamen non dispensat quod aliquis in sacro ordine contrahat. Illud verum est quod ex constitutione ecclesiae introductum est, ut qui ad sacros ordines vult promoveri, prius continentiam debeat profiteri expresse, 28. dist., nullum. Aut etiam tacite, ut 28. dist., diaconi. Arg. eo enim ipso quod quis promovetur ad sacrum ordinem, tacite intelligitur vovere continentiam, et si nulla fiat mentio de voto continentiae.

Repugnet
Sic ergo consuetudo facit aliquem ineligibilem, qui alias eligibilis est. Sic et qui legitimus est ad matrimonium contrahendum, per consuetudinem fit illegitimus, infra, de

cognat. spir., super eo; et 32. dist., placuit. Et sic consuetudo arctat et ampliat iurisdictionem, supra, de offi. legat., quod translationem; ff. quod vi aut cla., prohibere § non tantum. Et sic consuetudo in electione praecipue consideratur, supra, de caus. poss. et propr., cum ecclesia; et supra, de consuet., cum dilectus; et 24. q. 1, pudenda; arg. ff. de decur., non tantum. Arg. contra supra, de consuet., cum venerabilis.

X 3.03.07 *Ioannes*

Non potest

Arg. contra quod clericus etiam non tonsuratus gaudet privilegio clericali usque ad trinam admonitionem, infra, de sent. excom., si vero aliquis; et infra, de sent. excom., in audientia; et infra, de sent. excom., contingit 2. Immo nec posset renunciare, ut infra, de sent. excom., contingit 2; et supra, de for. compet., si diligenti. Ergo multo fortius tonsuratus retinet privilegium, et clericus uxoratus tenetur portare coronam, supra, de vit. et honest. cler., clericus si tonsura. De quo ergo privilegio intelligitur? Dicas quod non loquitur de illo privilegio, 17. q. 4, si quis suadente, quia clericus tonsuratus volens uti privilegio clericali etiam uxoratus habens intentionem redeundi ad clericatum, illi privilegio non potest renunciare, praecipue si recipiat beneficium ecclesiasticum, ut patet per iura praedicta. Et talis tenetur portare tonsuram, supra, de vit. et honest. cler., clericus si tonsura. Cum clericus etiam depositus teneatur vivere secundum regulam ecclesiasticum, 81. dist., dictum. Ubi clericus coniugatus nullum percipit beneficium ecclesiasticum, et qui nullam spem habet redeundi ad clericatum, nullo privilegio clericali gaudere debet, nec est compellendus aliquid de clerico ostendere, ut ille qui contrahit cum vidua, 84. dist., quisquis. Unde iste non erat compellendus ad tonsuram, cum nullum beneficium ecclesiasticum habuit, infra, de cleri. coniug., ut consultationi. Quod ergo dicit, etiam tonsuratus privilegio non potest clericali gaudere, intellige de privilegio quod clerici habent, ne vexentur aliquibus exactionibus in persona vel rebus propriis, et C. de episc. et cler., omnis. Hoc privilegium perdit clericus post trinam admonitionem, supra, de cleri. coniug., ut consultationi; infra, de cleri. coniug., ex parte. Ergo multo fortius coniugatus et tonsuratus qui exercet negotia saecularia, isto privilegio gaudere non potest, sicut iste de quo loquitur decretalis. Privilegium clericorum in multis consistit, et licet in uno amittatur, in alio adhuc retinetur.

Beneficium ecclesiasticum

Clericus coniugatus ex dispensatione Papae potest beneficium habere. Vel secundum Host. intelligitur de clerico coniugato habente stipendium ab ecclesia non tamen in titulum. Nam si consuetudo est, tonsuram ferre debet.

X 3.03.08 *Cum decorem*

Non admittatis

Sic supra, de cleri. coniug., sane 1.

X 3.03.09 Ex parte (rev. 9/23)

Dimissis
Quia coniugati simplicia beneficia possidere non possunt, et ideo eis sunt privandi, supra, de cleri. coniug., si qui; et supra, de cleri. coniug., diversis; et supra, de cleri. coniug., quod a te; et supra, de cleri. coniug., sane 1. Ber.

Scandalo
Ob hoc solum quandoque repellitur quis a beneficio, infra, de praeben., cum teneamur. Quia nihil cum scandalo faciendum est, supra, de praescrip., nihil; supra, de temp. ord., ad aures.

X 3.03.09 *Ex parte*

Consuetis iustitiis
Praetextu huiusmodi clericatus declinant subire iudicium reginae, nec volunt ibi respondere alicui conquerenti.

Obsequiis
Id est, angariis et perangariis a quibus clerici debent esse immunes, infra, de immun. eccl., non minus; et C. de episc. et cler., omnis; et 16. q. 1 § novarum.

Quae sunt Dei Deo
Verba ista sunt 23. q. 8, convenior, in fi.; et 23. q. 8, tributum. Unde ecclesia de agris suis tributum solvit imperatori, 11. q. 1, si tributum; et 11. q. 1, magnum; et 23. q. 8, tributum; et 23. q. 8, convenior.

A talibus
Et sic patet quod clericus coniugatus et tonsuratus non gaudet privilegio clericali, ut supra, de cleri. coniug., Ioannes. De hac materia dic ut ibi. Immo et clerici non coniugati perdunt hoc privilegium post trinam admonitionem, dum se immiscent negotiis saecularibus, ut supra, de vit. et honest. cler., ex litteris. Item arg. contra infra, de sent. excom., contingit 2. Solve ut ibi.

X 3.03.10 *Ut consultationi*

Constitutus
Ob hoc sumunt quidam arg. quod propter minorem aetatem excusetur ne portet coronam. Sed hoc non est verum. Unde dicas maxime, ut supra, de cleri. coniug., Ioannes, ubi de hoc.

Non est cogendus
Quia licitum est ei renunciare huic privilegio clericali, cum nullum recipiat beneficium ecclesiasticum, ut dicit decretalis supra, de cleri. coniug., Ioannes.

X 3.04 DE CLERICIS NON RESIDENTIBUS IN ECCLESIA VEL PRAEBENDA

X 3.04.01 Non liceat episcopo (rev. 9/23)

X 3.04.01 *Non liceat episcopo*

Transire
Sine licentia domini Papae, ut 1. q. 1, si quis. Alias perderet habitam et ambitam, supra, de translat., inter corporalia; et supra, de translat., quanto. Nec alii inferiores sine licentia sui episcopi, supra, de renunciat., admonet.

Manifesta est enim causa
Scilicet ambitio maioris dignitatis. Et est hic arg. dubia in peiorem partem esse interpretanda, supra, de elect., Osius. Arg. contra infra, de reg. iur., estote; et ff. de reb. dub., quotiens 2.

Ad minorem
Nec tamen illud est faciendum, quia qui crescit de minori ad maius crescere debet, 93. dist., legimus, in fi.; et supra, de translat., cum ex illo; et 74. dist., gesta, arg. Facilius enim dispensatur, ut quis transeat ad maiorem quam ad parem vel ad minorem propter maiorem utilitatem, supra, de translat., licet. Ber.

X 3.04.02 *Ex gestis*

Ab omnibus
Id est, omnibus approbantibus suam depositionem, quoniam solus Papa ipsum deposuit.

Depositus
Id est, a dignitate sua remotus, eo primo monito legitime ut rediret, infra, de cleri. non residen., inter quatuor; et infra, de cleri. non residen., clericos. Et alias non debet privari quantumcumque vagabundus discurrat, infra, de cleri. non residen., ex tuae.

X 3.04.03 *Quia nonnulli*

Dignitates
Dignitas dicitur quandoque quaedam praerogativa in ecclesia, quae alio nomine personatus appellatur, ut hic, et supra, de rescript., ad aures; et infra, de praeben., de multa. Quandoque enim accipitur pro saeculari praerogativa, 23. q. 5, administratores; et 43. dist., sit rector. Interdum pro potestate accipitur, ff. de off. quaest., origo, in princ. Interdum pro ordine, 4. dist., denique. Quandoque pro conditione accipitur. Vestire enim debet fructuarius servos secundum dignitatem eorum, id est, conditionem, ff. de usufru., sed et si quid § 1. De poena istorum qui retinent plures dignitates habes infra, de praeben., de multa; et supra, de elect., dudum ecclesia; et infra, de cleri. non residen., conquerente. Vincen.

Instituta
Ut 21. q. 1, per totum; et 10. q. 3, unio; et 16. q. 7, per laicos; et 89. dist., singula; et supra, de aetat. et qualit., eam te; et infra, de cleri. non residen., conquerente.

X 3.04.04 Relatum est (rev. 9/23)

Vix
16. q. 1, presbyteros; et C. de assessor., nemo.

Per seipsam
Hoc quidem ius commune est, ut in ea ecclesia in qua intitulatus est, debeat deservire, 21. q. 1, clericus; et 70. dist., sanctorum; et 71. dist., clericos; et 91. dist., Eleutherius. Quandoque tamen in casu potest quis servire per vicarium, ut cum parochialis ecclesia annexa est dignitati vel praebendae, infra, de praeben., extirpandae § qui vero; et infra, de praeben., exposuisti. Sunt autem quaedam quae per alios fieri non possunt de iure, ut officium in ecclesia, nisi in casibus ut dixi, ut hic patet, ff. de solut., inter artifices; et supra, de offi. deleg., quoniam Apostolica § 2; arg. 2. q. 3, si quem § abolitio. Quaedam vero sunt, quae per alios fieri possunt, C. de caduc. toll., et nomen § sin autem.

Privetur
Infra, de praeben., de multa; et supra, de elect., cum in cunctis. Et ibi augetur poena et dic, privetur ea vice. Ber.

X 3.04.04 *Relatum est*

Lateranensi concilio
Supra, de cleri. non residen., quia nonnulli.

Contradicunt
Ipso facto recedendo scilicet.

Cum effectu
Nota quod verba cum effectu sunt accipienda, de poen. dist. 1, haec autem verba; et ff. ne quis eum qui in ius voc., si per alium § docere; ff. quod quisque iur., hoc edictum § hoc autem; C. commun. de legat., omne; et 17. q. 4, si quis suadente; et 23. dist., psalmista; et 16. q. 1, in canonibus, vers. custodes chartarum etc.; 9. q. 2, instituti. Ex quo enim intitulati sunt, debent ibi perpetuo permanere, 70. dist., sanctorum; et 71. dist., clericos; et 21. q. 1, clericus.

Amoveri
Infra, de praeben., quia in tantum; et infra, de praeben., cum non ignores, praemissa tamen admonitione, infra, de cleri. non residen., inter quatuor; et infra, de cleri. non residen., clericos; et infra, de cleri. non residen., ex tuae.

Praelatorum
Clericus enim sine licentia sui praelati abesse non debet etiam ex iusta causa sive causa studiorum, ut hic patet, sive aliis iustis causis, puta causa peregrinationis, de conse. dist. 5, non oportet; vel pro negotiis suis, 7. q. 1, praesentium. Ergo multo minus abesse debet ex non iusta causa.

X 3.04.05 Fraternitati (rev. 9/23)

Diffugium
Arg. contra supra, de appell., pervenit 2. Solutio: hic loquitur de eo qui habet curam animarum et qui expresse promisit residere, ibi de simplici beneficio. Et de eo qui expresse non promiserat residere, ibi tantum pendente appellatione per alium deservitur in ecclesia de beneficio illius.

Decreti
De hoc notatur supra, de cleri. non residen., quia nonnulli. Ber.

X 3.04.05 *Fraternitati*

Commendatitiis
Litterae commendatitiae sive dimissoriae dicuntur, quibus dimittitur et absolvitur a potestate sui episcopi in quibus perhibetur testimonium de vita et ordinibus illius. De istis litteris satis habes 71. dist., primatus; et 71. dist., extraneo; et 71. dist., hortamur; 71. dist., nullum. Et sine istis litteris episcopus non debet recipere clericum alterius episcopi, ut ibi dicitur, nec ordinare nec retinere, ut 72. dist., per totum. Et clericus sine licentia sui episcopi ecclesiam suam dimittere non debet, supra, de renunciat., admonet. Item dicuntur dimissoriae, quae dantur appellantibus quae vulgo apostoli dicuntur, ff. de ver. sig., dimissoriae.

X 3.04.06 *Conquerente*

Vitae
Verbo victus, vestis etiam continetur, ff. de ver. sig., verbo victus.

Necessaria
Unde potius fuit sibi subveniendum, arg. infra, de censib., licet; et C. vect. nov. inst., non quidem; et 10. q. 3, unio.

Percipere
Ad hanc non se refert Papa in sequentibus, et hoc ideo quia tempore collectionis potest illud opponi, non postea, 8. q. 2, dilectissimi. Ex quo consentit in eum, licet paupertate laboret, non potest dissentire, 91. dist., clericus. Vincen.

Sufficientia
In hac sufficientia considerantur plura: nobilitas, scientia, quia tales personae maioribus redditibus sunt honorandae, infra, de praeben., de multa, in fi. Dignitas consideranda est, ff. de usufru., sed et si quid § 1. Ita quod possit sufficere sibi et suis, et hospitalitatem servare et iura episcopalia solvere, infra, de praeben., de monachis.

Deserviat
Quodcumque istorum constiterit, sufficit ad repulsionem, arg. supra, de rescript., inter caeteras. Et sic patet quod clericus residentiam facere debet in ecclesia sua. Alias potest ea de iure communi privari, supra, de appell., pervenit 2; et infra, de cleri. non residen., inter quatuor; et infra, de cleri. non residen., clericos. Et praecipue cum habet in ecclesia

aliquam dignitatem, infra, de cleri. non residen., ex parte vestra. Nec in absentia aliquid percipere debet, infra, de cleri. non residen., de caetero. Arg. nisi consuetudo in contrarium se habeat, supra, de consti., cum omnes; et infra, de cleri. non residen., ad audientiam. Arg. quia ibi ius commune fuit iuramentum firmatum. Et est arg. quod de iure communi nullus potest habere plura beneficia quorum altera sufficiat, infra, de praeben., cum teneamur; et supra, de rescript., cum adeo.

X 3.04.07 *De caetero*

In servitio
Nota quod qui est in servitio episcopi pro praesente reputatur quo ad perceptionem beneficii, et ecclesiae servire intelligitur, arg. 7. q. 1, scire; et 16. q. 1, similiter; et 12. q. 2, haec huius placiti; et infra, de cleri. non residen., ad audientiam; arg. ff. de excusat., iurisperitos; et C. de excus. et temp., viros. Et qui est in servitio Papae pro praesente habetur, infra, de cleri. non residen., cum dilectus.

Victualia
Huiusmodi victualia sive distributiones non dantur studentibus in theologia, infra, de praeben., licet.

X 3.04.08 *Ex parte*

Per decem annorum
Et ita videtur ecclesiam habere pro derelicto. Per minus spatium privari potuit, supra, de cleri. non residen., ex gestis; et 7. q. 1, praesentium. Tamen primo debet moneri ut redeat, infra, de cleri. non residen., qualiter; et infra, de cleri. non residen., inter quatuor; et infra, de cleri. non residen., clericos. Alias non debet privari iure suo non citatus, non covictus vel confessus vel per contumaciam absens, supra, de maior. et obed., inter quatuor. Immo et si esset vagabundus, primo ad ecclesiam suam citari debet, infra, de cleri. non residen., ex tuae. Et sic patet quod quantocumque tempore aliquis sit absens ab ecclesa sua semper est monendus ut redeat. Tamen si alibi se intitulati permisit, secundum beneficium recipiendo ipso iure vacare primum, potestque privari ipso iure quantum ad possessionem, infra, de concess. praeben., litteras; et infra, de concess. praeben., cum nostris.

Officio
Quod sit officium decani ex consuetudine potius colligitur. Et sic decanus ad residentiam tenetur. Alias privatur decanatu, ut hic patet.

Ex tunc
Id est, nisi redierit ad terminum sibi praefixum ex tunc, id est, post terminum eligant.

Concedimus
Nisi iustam causam ostenderit, quare venire non possit, infra, de cleri. non residen., inter quatuor; et infra, de cleri. non residen., clericos

X 3.04.09 *Qualiter archiepiscopus*

Quadriennium
Immo ultra annum abesse non debet, nisi iussio imperialis eum detineat, in Auth. quom. oport. episc. § et illud etiam diffinimus, coll. 1; et in Auth. de sanct. episc. § interdicimus, coll. 9. Tamen quamdiu non renunciat, clericus semper est. Et licet vagetur, non habet ecclesiam pro derelicto nisi contrahat contrariam negotiationem, ut si fiat miles vel si contrahat matrimonium, ut supra, de cleri. coniug., si qui. Vel nisi admonitus non redierit, ut infra, de cleri. non residen., inter quatuor; et infra, de cleri. non residen., clericos; et 7. q. 1, pervenit.

Redierit
Sufficit si reversus fuerit tempore receptionis litterarum vel usque ad mensem revertatur post receptionem, quod est notabile ut tempus receptionis consideretur, arg. supra, de for. compet., licet ratione; et supra, de appell., super eo 2; et infra, de praeben., dilectus filius 2, ubi de hoc; supra, de rescript., eam te; et infra, de usur., quia frustra. In litteris contra usurari3os consideratur tempus subsequens, non tempus datae. Arg. contra supra, de rescript., eam te; et supra, de rescript., constitutus.

Post mensem
Adhuc indulget ei unum mensem post receptionem litterarum si non sit reversus.

X 3.04.10 *Inter quatuor*

Sine iusta causa
Quod facere non debet. Immo si iusta causa subsit, debet petere licentiam ab episcopo suo, supra, de cleri. non residen., relatum; et de conse. dist. 5, non oportet. Et sic non est arg. a contrario sensu, scilicet ut iusta causa possint esse absentes sine licentia praelati. Unde est arg. quod bonum non est faciendum sine licentia praelati, supra, de cleri. non residen., relatum; et 16. q. 1, monachi. Et hoc ideo est ne obedientia contemnatur, quia propter obedientiam etiam bonum debet intermitti, 11. q. 3, quid ergo.

Deserunt
Huiusmodi clerici qui ita deserunt ecclesias suas, desertores appellantur in canone, 21. q. 2, placuit. Et capi possunt ab his quorum consortium declinare nituntur, arg. 18. q. 2, abbates.

Congruo tempore
Hoc ad arbitrium episcopi refertur consideratis circumstantiis viarum et distantiae, supra, de appell., cum sit Romana.

Iuste privari
Nisi redierint in termino eis constituto post admonitionem, infra, de cleri. non residen., clericos; et supra, de cleri. non residen., qualiter, in fi. Iusto impedimento cessante ut dicit littera sequens.

X 3.04.11 Ex tuae devotionis (rev. 9/23)

Impedimento
Quo probato sunt restituendi, 7. q. 1, praesentium; et infra, de cleri. non residen., clericos. Ber.

X 3.04.11 *Ex tuae devotionis*

Publicari
Sic supra, de dolo et contu., causam quae; et supra, de dolo et contu., venerabilis; ff. de damn. infect., dies § praetor; ff. de liber. agnosc., senatus, 1. resp. nec ob; ff. quae sent. sine appel., illud § item cum ex edicto, quia ibi non solemniter positum est edictum.

Sex menses
Arg. contra supra, de cleri. non residen., ex gestis; et supra, de cleri. non residen., qualiter; et in Auth. de sanct. episc. § interdicimus, coll. 9. Arg. contra solutio: hoc tempus statutum ab homine interpellat et loco admonitionis habetur, infra, de loc. et cond., potuit; 16. q. 3, placuit. Unde in casu isto mora non purgatur, arg. 20. q. 2, puella. Nisi iustum impedimentum ostenderit quare venire non potuit, ut 7. q. 1, praesentium; et infra, de cleri. non residen., clericos. Arg. contra quod mora purgetur, 100. dist., quoniam; et arg. 88. dist., perlatum.

Spoliari
Id est, suspendi iuxta canonicas sanctiones ab administratione temporalium, procedendo postea contra eos prout sequitur in littera.

Ut ipsos
Scilicet vagabundos praelatos, quia hic loquitur littera de praelatis tantum ex eo quod dicit, ab administratione removeat et quibus praesunt ecclesiis. Qualiter sit procedendum contra istos et alios absentes, plene dictum est supra, ut lite non cont., quoniam § porro.

A spiritualium
Alias a spiritualium, alias ab episcopali vel melius ab episcopatuum. Et ita est in registro, ut dicit Inno. iiii.

Removeat
Ex isto mandato speciali si sunt episcopi, alias non posset legatus ex generali mandato, supra, de offi. legat., quod translationem. Quo ad alios praelatos potest ex generali mandato etiam lite non contestata privantur ecclesiis suis, supra, ut lite non cont., quoniam. Secus si de crimine ageretur, ut notatur supra, de dolo et contu., veritatis, in notula magna. Ber.

Agi possit
Sed numquid surrogati removerentur? Non credo, sed dispensabitur cum eis si necesse fuerit, ut in ordinibus toleretur. Arg. est hic quod ille qui deposuit, non possit restituere, arg. de poen. dist. 6, placuit, in fi.; et ff. de quaest., in criminibus, in fi.; et ff. de poe., divi fratres. Arg. contra 11. q. 3, episcopus; 46. dist., clericus. Ber.

X 3.04.12 Tuae fraternitatis (rev. 9/23)

X 3.04.12 *Tuae fraternitatis*

Indultum
Ab episcopo suo, supra, de cleri. non residen., relatum. Vel dic indultum a Papa.

Ad villas
In regiis enim civitatibus et non in parvis villis sive in castris iura docenda sunt, ut in proemio digestorum. Arg. contra 12. q. 2, gloria episcopi; et ff. de off. praes., sed licet.

Studiorum
Licet indeterminate dixerit studium, de meliori intelligendum est arg. supra, de iureiur., quanto. Arg. contra supra, de elect., cum nobis; infra, de censib., ex parte; ff. de regul. iur., semper in stipulationibus. Item arg. quod idem est esse minus competens et esse nullum, arg. supra, de translat., inter corporalia. Sic ff. de auct. tut., nulla; et ff. qui satisda. cog., quotiens; et ff. ad Velleia., quamvis § si convenerit. Sed sufficit si sit studium conveniens sive mediocre, ff. de aedil. edict., sciendum § illud; et ff. de aedil. edict., si quid § venditor.

Committunt
ff. de fur., itaque fullo § sed nemo; et ff. de recepti., ita demum; supra, de rescript., sedes.

X 3.04.13 *Ex parte*

Residens
Quandoque censetur residens qui non est, ut hic, et infra, de cleri. non residen., cum dilectus. Sic ff. de capt. et de post. et red., retro dicitur. Quandoque dicitur praesens qui in hortis est, ff. de procur., praesens. Et qui est in eadem provincia pro praesente reputatur, C. de praescri. long. temp. dec., cum in longi. Sic quandoque fingitur monachus qui non est, arg. infra, de regular., vidua; et 27. dist., quod interrogasti.

Periurium
Vide qualiter benigne interpretatur iuramentum ne de periurio notetur. Simile supra, de testib., cum tu. Ita tamen quod fraudulenter se non absentet, quia tunc periurium incurreret. Simile infra, de sent. excom., relatum. Et si esset in servitio episcopi, periurium non incurrit, supra, de cleri. non residen., de caetero. Quia pro praesente censetur, quia ecclesiae tunc servire intelligitur, 7. q. 1, scire. Et idem esset si revocaretur a Papa, quia eius auctoritas in iuramento illo intelligitur excepta, infra, de cleri. non residen., cum dilectus; et supra, de iureiur., venientes; et 9. q. 3, per principalem. Item habes hic arg. quod iuramentum extenditur ad ea de quibus dictum non fuit vel cogitatum. Arg. contra supra, de iureiur., clericus. Item quod pro negotio proprio potest esse absens nec incurrit periurium, supra, de iureiur., petitio; et 2. q. 1, prohibentur, ubi milites propter iuramentum accusare prohibentur, tamen non obstante iuramento causam suam vel suorum prosequi possunt. In hoc enim iuramento exceptum intelligitur proprium factum, quia in generali sermone persona loquentis intelligitur excepta, C. de solut., inquisitio; et ff. de condi. et demon., qui heredi § plautius. Quia ordinata caritas a seipso incipit, 23. q. 5, si non licet; et de poen. dist. 3, qui vult.

X 3.04.14 *Cum dilectus*

Constitutione
Nisi hoc dictum fuisset, non valuisset rescriptum, supra, de rescript., constitutus; supra, de offi. deleg., ex parte N; et infra, de decim., ex multiplici.

Fructus
Numquid victualia quae tantum praesentibus consueverunt dari, debent habere, notatur supra, de cleri. non residen., de caetero; et infra, de praeben., non liceat. Nam si de illis Papa intellexisset, mandasset ut tamquam uni ex residentibus provideret eis, infra, de verb. sign., olim; arg. supra, de translat., inter corporalia; infra, de decim., ad audientiam; et C. de caduc. toll., et nomen § si vero nemo, in fi. Arg. C. de rei uxor. act., rem § sciendum.

Cum familiares
Nam et ipsi pars corporis eius esse intelliguntur, 6. q. 1, si quis cum militibus, vers. nam et ipsi; C. ad leg. Iul. maiest., quisquis.

Obsequiales
Ex eo enim eorum conditio deterior esse non debet, immo tunc gaudent privilegio, quia excusantur a tutela, ff. de excusat., iurisperitos; et C. de excus. et temp., viros. Et sic dicuntur praesentes qui in servitio Papae sunt, sic qui etiam in servitio episcopi sunt, supra, de cleri. non residen., de caetero.

X 3.04.15 *Ad audientiam*

Constitutio
Isti constituerunt quod ius commune statuit, et iuraverunt servare ius commune. Absentes enim nihil percipere debent nisi sit de consuetudine approbata, supra, de consti., cum omnes.

Infirmitas
Hoc ipso satis puniuntur quia non debet addi afflictis afflictio, 7. q. 1, cum percussio; et infra, de cleri. aegro., cum percussio; et infra, de cleri. aegro., ex parte. Non enim debet ei poena in culpam verti, dist. 5, cum enixa, in fi.; et dist. 5, ad eius vero. Immo potius est miserandum et compatiendum, 3. q. 9, indicas; et infra, de censib., licet. Nec duplici damno debet aliquis affici, ff. de iure dot., iure succursum est; et ff. de condi. ob turp. caus., si pecuniam § sed si acceperit. Unde praelatus infirmus non repellitur, sed datur ei coadiutor, 7. q. 1, quamvis. Et famuli aegri quos curamus, nobis servire intelliguntur, ff. de statulib., statuliberos § Stichus. Et tempore infirmitatis pascendi sunt, ff. commodat., in rebus § possunt.

In Apostolicae
Et si hoc non fuisset appositum, nihilominus intelligeretur quia praesens censetur, supra, de cleri. non residen., cum dilectus; et supra, de cleri. non residen., ex parte tua. Ubi

X 3.04.16 Cum ad hoc (rev. 9/23)

absens praesens censetur nec periurium incurrit, ut infra, ubi dicit: cum absentes dici etc. Et eius auctoritas semper intelligitur excepta, supra, de iureiur., venientes; ff. ad municip., imperatores; et supra, de cleri. non residen., ex parte tua.

Ut duo

Per hoc intellige supra, de cleri. non residen., de caetero, ut duo ex canonicis possint esse in servitio episcopi ita quod non priventur beneficio suo interim. Si vero plures essent, privarentur. Ex eo quod concedit de duobus, intelligitur prohibere de pluribus, arg. 25. dist., qualis; et supra, de praesump., nonne. Et credo hoc statutum fuisse ne in fraudem hoc aliqui procurent. Et ecclesiae servitium diminueretur propter illorum absentiam. Et ex hoc videtur quod ultra duos non posset cogere episcopus ut in servitio suo essent.

Integre

Non tamen percipiunt victualia, quae tantum praesentibus dantur, supra, de cleri. non residen., de caetero, ubi de hoc; et infra, de praeben., licet.

Commorantur

Et ita qui est in servitio episcopi, servire ecclesiae intelligitur, ut supra, de cleri. non residen., de caetero, ubi de hoc.

X 3.04.16 *Cum ad hoc*

Destituta ministris

Haec est iusta causa revocandi eos, ut 21. q. 2, placuit. Et quia in eo manere deberent in quo vocati sunt, 21. q. 1, clericus; et 70. dist., sanctorum.

Non obstantibus

Nisi hoc diceretur, non posset illos praetextu istarum litterarum revocare, cum inde indulgentia concessa non facerent mentionem, supra, de praescrip., veniens.

Indulgentiis

Similis revocatio est, infra, de decim., suggestum.

Et praedecessorum tuorum licentia

Et si de hoc non fuisset facta mentio, nihilominus valuissent litterae quia indulgentia non extendebatur post mortem illorum. Unde statim expiravit, cum in praeiudicium ecclesiae nil facere possit. Quod si fecerit, successor poterit revocare, infra, de dona., fraternitatem; et infra, de dona., Apostolicae.

Assisios

Vocat assisios beneficiatos qui non sunt canonici, qui servire debent ecclesiae, nec vocantur ad communes tractatus cum canonicis. Et dicuntur assisii quasi assidui. In multis ecclesiis sunt plures tales qui mansionarii dicuntur.

Venerint
Arg. contra supra, de cleri. non residen., inter quatuor; et supra, de cleri. non residen., ex tuae; et supra, de appell., pervenit 2; et 7. q. 1, praesentium, ubi ex toto privantur si non redeant ad terminum sibi praefixum. Hic Papa mitius voluit agere cum eis propter indulgentiam, unde non privantur statim sicut illi qui non habent indulgentiam, infra, de cleri. non residen., clericos. Et satis privantur quia beneficia eis subtrahuntur ex toto, ut sic indirecte fiant volentes per amissionem beneficiorum. Sic supra, de aetat. et qualit., quaeris. Tamen si diu perdurarent in sua contumacia, poterit illos ex toto privare per iura praedicta, infra, de cleri. non residen., clericos.

X 3.04.17 *Clericos in ecclesiis*

Licentia
Sine licentia episcopi clericus se absentare non debet, supra, de cleri. non residen., inter quatuor; etiam de iusta causa, supra, de cleri. non residen., relatum; et de conse. dist. 5, non oportet 2. Ber.

Redierint
Nota quod clericus sive de licentia sui episcopi sive sine licentia sit absens, prius est monendus ut redeat quam privetur beneficio suo, ut hic patet, et supra, de cleri. non residen., inter quatuor; et supra, de cleri. non residen., ex tuae. Super hoc tamen distingue, quia aut habet ecclesiam pro derelicto aut non. Si habet eam pro derelicto, puta quia contraxit matrimonium vel factus est miles vel ioculator, cum de hoc constiterit, episcopus statim potest ecclesiam illius alii conferre, supra, de cleri. coniug., si qui; et 63. dist., si quis. Vel si recepit aliam ecclesiam habentem curam animarum, cum prius talem haberet, infra, de praeben., de multa. Si vero non habet eam pro derelicto, monendus est. Si comparet, tunc fiat prout hic dicit. Si non comparet quia vagabundus discurrit, tunc fiat quod dicitur supra, de cleri. non residen., ex tuae. De hac materia plenius dictum est supra, ut lite non cont., quoniam § porro, vers. si vero.

Excusationem rationabilem
Puta quia erat infirmus, quare venire non potuit, 7. q. 1, praesentium. Vel quia habet ibi capitales inimicitias, ita quod illuc venire non audet, supra, de elect., bonae 1. Vel alia quacumque iusta causa, ita quod venire non possit. Tunc si procederetur contra ipsum, non praeiudicaretur ei, arg. supra, de testib., in nomine. Et arg. est hic semper rationem esse reddendam de omnibus, sic supra, de rescript., si quando.

X 3.05 *DE PRAEBENDIS ET DIGNITATIBUS*

X 3.05.01 *Ut nullus*

Pueri
Supple statuimus.

Iure consanguinitatis
Hoc intellige de bonis ecclesiasticis ut dicit littera, vel de his quae intuitu ecclesiae quaesita sunt. Illa enim neque ex testamento nec ab intestato transeunt ad consanguineos, sive sint bona mobilia sive non, sed ecclesiae remanent. Alia vero bona quae intuitu personae vel de hereditate alicuius pervenerunt ad eos, transeunt ad consanguineos ab intestato vel ex testamento secundum dispositionem clericorum, infra, de testamen., quorundam; et infra, de testamen., cum in officiis; et infra, de testamen., ad haec; et infra, de testamen., relatum est 2. Et ita hereditaria successio in ecclesia locum non habet, 8. q. 1, Apostolica; et supra, de fil. presbyt., praesentium; et supra, de fil. presbyt., conquerente; et supra, de fil. presbyt., ex transmissa; et infra, de decim., ad haec; et infra, de iure patron., consuluit; et infra, de instit., ad decorem.

X 3.05.02 *Non liceat*

Clericos
Indistincte dicit de omnibus. Et ideo videtur quod omnibus teneantur in quibusdam ordinibus. Arg. supra, de fil. presbyt., proposuit; et 28. dist., de his. Appellatione enim clericorum omnes in minoribus ordinibus et maioribus constituti continentur, 11. q. 1, de persona; 21. dist., cleros; et 21. dist., clericos. Nisi habeat de suo unde vivere possit, infra, de praeben., episcopus; et infra, de praeben., tuis quaestionibus. Ecclesia tamen Romana non consuevit cogere episcopos nisi pro his qui sunt in sacris ordinibus, infra, de praeben., cum secundum Apostolum.

Vivere
Arg. contra 70. dist., neminem; et 70. dist., sanctorum. Illud corrigitur in odium episcoporum, infra, de praeben., cum secundum Apostolum.

X 3.05.03 *Ratio nulla*

Applicetur
Id est, approprietur, scilicet ut tamquam proprium reputet quod est ecclesiae. Et sic non obviat quod hic dicitur, divisioni praebendarum. Sic exponitur 25. q. 1, quae ad perpetuam; 12. q. 1, nulli § si ergo.

X 3.05.04 *Episcopus*

Diaconum
Id est, de subdiacono, infra, de praeben., cum secundum Apostolum. Et idem videtur de minoribus ordinibus, supra, de praeben., non liceat.

Necessaria
Consideratis facultatibus ecclesiae et dignitate ipsius clerici, arg. ff. de alim. vel cib. leg., cum alimenta; et ff. de iure dot., quaero; et supra, de vit. et honest. cler., quoniam; et ff. de usufru., sed et si quid § 1; et infra, de praeben., de multa.

Subsidium
Innuitur hic quod aliquis sine titulo ecclesiastico possit ordinari, ex quo habet de suo unde vivere possit, et est verum, infra, de praeben., tuis quaestionibus. Et facit ad hoc 12. q. 1, illi qui; et 16. q. 1, quoniam quicquid; et 1. q. 2, clericos; et 1. q. 2, pastor. Quia intelligitur ordinari ad titulum sui patrimonii, et talis censetur in persona et rebus gaudere privilegio clericali, 12. q. 2, ecclesiarum servos; et 16. q. 1, sunt. Quia de foro ecclesiae factus est, licet non habeat ecclesiam.

X 3.05.05 *Quia in tantum*

Plures
Quid iuris sit de hoc plene dicitur supra, de elect., dudum ecclesia. Sed quid si aliquis habetur plura beneficia per dispensationem, numquid vocabitur ad capitulum utriusque ecclesiae pro negotiis sive electionibus? Credo quod sic, si est in tali loco unde commode vocari possit, nisi consuetudo ecclesiae approbata faceret in contrarium. Quia ex quo cum eo dispensatur in ecclesia, per consequens in omnibus accessoriis dispensatur. Et sic servatur supra, de elect., in Genesi. Et coram uno episcopo convenietur tantum de his quae ad unam pertinent ecclesiam, sicut convenitur quis ratione possessionis ubicumque res sit rei vendicatione, licet non habeat domicilium, C. ubi in rem act., actor; et supra, de for. compet., sane; et supra, de for. compet., licet ratione. Et sic qui habet duas ecclesias in diversis episcopatibus, utrobique intelligitur habere domicilium, arg. supra, de rescript., dilectus filius 2.

Nec duabus
Sic supra, de cleri. non residen., quia nonnulli; et 16. q. 1, presbyteros.

Canonibus
Quos habes 70. dist., sanctorum; et 21. q. 1, clericus, per totam quaestionem.

Animarum
Nisi per dispensationem obtineant illas, ut supra, de elect., dudum ecclesia.

X 3.05.06 *Cum teneamur*

Aliud beneficium
Et ita si quis habeat aliud beneficium, potest excipi contra eum, supra, de rescript., cum adeo; et supra, de rescript., si proponente, ubi de hac materia plene tractatur. Nisi excipiens similiter habeat plura beneficia, supra, de except., cum ecclesiasticae.

Commode sustentari
Ergo videtur quod si non potest commode sustentari, non oportet fieri mentionem, quod satis videtur aequum. Sed tutius est quod de ipso faciat mentionem quantumcumque sit modicum, quia videtur dolose tacuisse ut citius obtineat litteras, quia simpliciter se clericum appellavit. Si vero dixisset se nullum beneficium assecutum, cum habuerit tenue, non valent litterae, supra, de rescript., si proponente.

Si non potest
Arg. id solum fieri posse quod commode vel iure fit, etiam sine scandalo, ff. de ver. sig., nepos; ff. de usufruct. et habit., non aliter; 22. q. 2, faciat homo. Et sic propter scandalum quandoque receditur a iure, arg. supra, de cleri. coniug., cum olim.

Aequanimiter
Arg. quod mandatum superioris non est necesse adimpleri ubi ratio non adimplendi potest reddi, arg. supra, de rescript., si quando; arg. supra, de cleri. non residen., clericos.

X 3.05.07 *Referente*

Assignavit
Quod hic dicitur, videtur de iure communi spectare ad episcopum, 16. q. 7, nullus; et supra, de offi. archidiac., cum satis. Nisi hoc habeat archidiaconus de consuetudine praescripta. Arg. infra, de excess. praelat., ad haec; et supra, de offi. archidiac., dilecto.

Archiepiscopum appellavit
Et sic omittitur medius. Sic infra, de nov. oper. nunc., significantibus. Arg. contra supra, de appell., dilecti filii 3, dic ut ibi. Laur. dixit quod ideo quia omisit medium, non tenuit appellatio. Unde postea tenuit sententia excommunicationis lata ab archidiacono in presbyterum. Sed hoc non est verum, quia appellatio illa finita erat postquam fuit restitutus sacerdos in pristinum statum, et de consuetudine appellatur ab archidiacono ad archiepiscopum. Sed archidiaconus post illam restitutionem iterum vocavit presbyterum ad se. Et quia non venit, ipsum excommunicavit. Et sic tenuit sententia non obstante appellatione quae diu terminata erat et finita.

Astrinxit
Sic patet quod archidiaconi possunt excommunicare, infra, de eo qui furt. ord. recep., veniens.

Quam voluerit
Iste volebat utramque tenere, sed videtur quod utraque debuit spoliari, 7. q. 1, si quis episcopus. Quod concedebat Ala. et dispensative reservatur ei altera. Quod non credo, quia illud decretum specialiter loquitur in episcopo. Et licet non debuerit iste recipere secundam, tamen non debebat propterea perdere utramque secundum illa tempora sed altera tantum, ut infra, de praeben., praeterea. Hodie vero illud verum est, quod qui recipit secundam habentem curam animarum, cum prius talem haberet, ipso iure vacat prima. Et si utramque retinere contenderit, spolietur utraque, infra, de praeben., de multa. Alias nihil adiiceret constitutio illa.

Ecclesiastico carenti
Arg. quod qui habet unum beneficium, non potest obtinere secundum vel litteras impetrare, nisi de primo faceret mentionem, supra, de praeben., cum teneamur; et supra, de rescript., cum adeo; et supra, de rescript., si proponente. Quia habenti dare nihil aliud est quam perdere, ut 1. q. 2, pastor, nisi per dispensationem, supra, de elect., dudum

ecclesia. Et qui unum beneficium habet, non reputatur idoneus ad aliud, infra, de praeben., super inordinata.

X 3.05.08 *Maioribus ecclesiae*

In minimis
Arg. quod idem iuris est in parvis quod in magnis, 14. q. 6, fur; supra, de appell., de appellationibus. Et ita magnum iudicabis ut parvum, supra, de iudic., novit. Item est arg. quod idem est iuris in parte quod in toto, arg. 1. q. 1, si quis episcopus. Ber.

Divisionem
Sine iusta causa, infra, de praeben., cum causam. Ex iusta causa potest una praebenda dividi in duas cum vacat, si facultates sufficiant, infra, de praeben., vacante; arg. infra, de praeben., significatum; et infra, de eccl. aedif., ad audientiam 1. Et sic erunt duo iura, sed duo ad unam praebendam eligi non possunt, ut unus unam medietatem habeat et alter alteram, vel quod unus expectet quousque alia vacabit, immo talis electio est cassanda, infra, de praeben., tuae fraternitatis; et infra, de praeben., dilecto. Ber.

Dignitatum permutationem
Permutatio dignitatum aut etiam praebendarum, sine auctoritate superioris fieri non potest. Quod si fecerint, eisdem sunt spoliandi, infra, de rerum perm., cum olim. Nisi dispensatum fuerit cum illis, infra, de rerum perm., cum universorum. Superior vero si viderit expedire hoc facere potest, ut infra, de rerum perm., quaesitum. Ber.

X 3.05.09 *Relatum est*

In promissis
Arg. quod ea quae promittuntur, sunt opere adimplenda, supra, de pact., qualiter; et 12. q. 5, quia Ioannes; et 32. q. 8, non solum. Sed videtur quod talis promissio non teneat, quia beneficium non potest promitti vel concedi antequam vacet, infra, de concess. praeben., nulla. Solutio: dicas quod haec promissio licita fuit, quia hic primo receptus fuit in fratrem et canonicum, et eo pure recepto promisit ei episcopus conferre primam praebendam vacaturam. Et hoc non est contra ius, immo ad hoc tenebatur episcopus de iure, quia eo ipso quod dedit canonicatum per consequens obligavit se ad praebendam etiam sine promissione expressa, quia alterum sine altero diu esse non potest, 1. q. 3, si quis obiecerit; ff. de decur., Herennius. Unde iste taliter institutus potest agere contra episcopum, ut conferat ei praebendam in ecclesia illa in qua est receptus, ut dicitur in fine. Promissio vero sive collatio beneficii non vacantis nulla est, et sic loquitur capitulum, infra, de concess. praeben., nulla; et infra, de concess. praeben., relatum; et infra, de concess. praeben., ex tenore. Et iste nullam habet petitionem ex tali promissione seu collatione.

Vacaverit
Arg. contra infra, de praeben., dilectus filius 1, ibi solvitur.

Liberaliter
Immo videtur quod ex necessitate, quia episcopus non habet liberalitatem necessariae electionis. Arg. ff. de leg. 2, unum ex familia. Et in necessitate non est liberalitas, ff. de adimen. leg., rem legatam; et ff. de donat. inter vir. et uxor., si quis pro uxore. Quia nec eam potest sibi retinere, supra, de offi. archipresb., ut singulae. Solutio: liberalitas est ut ei provideat sine coactione. Et licet necesse habeat conferre beneficium, non tamen habet necesse conferre isti vel illi. Et ita si conferat tibi gratiam facit, cum eam tibi non teneatur conferre. Et sic liberalitas et necessitas circa diversa referuntur, sed hic necesse habebat conferre cum iam esset institutus, et promiserit ei conferre primam praebendam quae vacaret ibidem.

X 3.05.10 *Avaritiae*

Idolorum
28. q. 1, idololatria; et 47. dist., bonorum; et in Auth. ut iudic. sine quoq. suffr. § cogitatio, ultra medium, coll. 2.

Portiones
Hoc potest intelligi quando monachi certam portionem assignant presbyteris et totum quod superest appropriatur usibus suis.

Redditus
Hoc intellige quando monachi certam partem percipiunt et totum aliud dimittunt capellanis. Et tunc in nullo diminuere debent quod relinquunt capellanis suis sine consensu archiepiscopi sui vel episcopi sui. Et idem esset si clerici certam partem percipiunt et monachi totum aliud. Et ex eo quod dicit, sine consensu archiepiscopi, videtur quod de consensu ipsius hoc facere possint et diminuere et parochias dividere, quod verum est de iusta causa, infra, de eccl. aedif., ad audientiam 1; et infra, de excess. praelat., sicut; et 16. q. 1, praecipimus § sicut duo; et arg. infra, de his quae fi. a prael., cum Apostolica; et infra, de censib., quanto. Et sic possunt dividere parochiam iusta de causa, ut patet per iura praedicta. Possunt etiam redditus diminuere, puta si ecclesiae facultates essent ampliatae, ut sic de augmento et monachis sentiant utilitatem, cum huiusmodi ecclesiae subsint eis quo ad temporalia, quia de huiusmodi videtur loqui capitulum, et infra, de praeben., de monachis.

X 3.05.11 *Significatum*

Ita quod
Arg. consuevit hic notari quod in spiritualibus potest intervenire pactio sive conditio, supra, de elect., significasti; arg. supra, de transact., statuimus. Arg. contra supra, de pact., pactiones; et 1. q. 2, quam pio. Solutio: ut nulla sit dubitatio, sic intellige quod nulla conditio sive pactio hic apposita fuit cum aliqua persona. Sed praepositus et capitulum vacante illa praebenda constituerunt, ut qui ad illam praebendam eligeretur, onus istud subiret, ut sic res transiret cum suo onere, ff. de pigner. act., si convenerit § 1; et infra, de pignor., ex litteris; et ff. de usufru., usufructu legato; et ff. de usufru., si pendentes § penulti.; et optimum arg. infra, ut eccl. ben., ut nostrum, ad fi. Et haec

conditio licita est et honesta pro divino culto apposita. Quidam etiam dicunt quod similiter posset eligi tali conditione apposita. Sed quid esset si conditio esset illicita? Videtur quod conditione facta collatio sive institutio teneat, arg. Inst. de hered. instit. § heres et pure; et infra, de praeben., dilecto. Et turpis conditio pro non adiecta habetur, infra, de cond. appos., si conditiones. Haec vera essent, nisi obstaret simonia. Vincen. ita arg. quod sacerdos potest recipere pecuniam ut celebret divina, quia sic operas suas videtur potius locare, arg. 10. q. 3, relatum; et 12. q. 2, caritatem; et 12. q. 2, quicumque 2; infra, de simon., cum sit Romana; et 1. q. 2, clerici. Quia suis stipendiis hoc facere non cogitur, supra, de praescrip., cum ex officii. Arg. contra infra, de simon., cum in ecclesiae. Si nullum habet beneficium ecclesiasticum ratione cuius ad hoc teneatur, potest locare operas suas ad certum tempus et recipere mercedem pro labore suo, nec simoniam committit. Alias si habet beneficium, non licet ei hoc facere.

Quam capituli
Istud praeter ius fuit appositum, quoniam sufficit consensus praelati, supra, de renunciat., admonet.

Delegare
Id est, non potest committere alicui officium suum, et dic anniversarium, id est, officium.

Salva honestate sua
Hoc ideo dicit, quia non esset honestum, ut bis vel ter missam in die celebraret, de conse. dist. 1, sufficit; et infra, de celeb. miss., te referente. Vel salva, id est, sine peccato mortali, quod esset inhonestum.

Voluptatis
Tamen religionis causa posset ad aliam ecclesiam se transferre petita licentia quamvis non obtenta, infra, de regular., licet.

X 3.05.12 *De monachis*

Hospitalitatem
Ad quam clerici praecipue tenentur, et 62. dist. § 1; et 85. dist., Florentinum. Quia quicquid habent clerici pauperum est, 16. q. 1, quoniam quicquid.

De proventibus
Per hoc patet quod loquitur de ecclesiis quae sunt monachorum quo ad temporalia, in quibus possunt monachi sibi omnia appropriare reservata honesta sustentatione presbytero, ut hic dicit. Multo magis ubi habent ecclesias quo ad spiritualia et temporalia. Si vero habent ecclesiam ex concessione laici vel confirmatione episcopi, idem est, quia temporalia tunc habent, arg. 15. q. 1, si quis non iratus; et infra, de privileg., cum et plantare § in ecclesiis. Si non accedit consensus episcopi, nihil valet concessio laici, infra, de iure patron., quod autem, in fi.; et infra, de iure patron., illud. Si habent ecclesiam ex concessione episcoporum, si certa forma fuit apposita, illa servetur, ff. de pacti., in traditionibus. Si pleno iure ipsam contulit, pleno iure habent eam. Si simpliciter contulit ecclesiam, cathedraticum et coerctionem retinet episcopus, infra, de

dona., pastoralis. Si vero ex fundatione monachi ecclesias obtinent, habent eas tantum quo ad temporalia, 16. q. 2, visis; et 16. q. 2, sane; et 16. q. 2, statuendum. Nisi essent privilegiati cum omnibus capellis habitis et habendis. Et si non habent privilegium, habebunt temporalia reservata sufficienti sustentatione presbytero, et episcopus habet ibi institutionem ad praesentationem monachorum, et ei subest presbyter quo ad spiritualia. Et sic potest intelligi haec decretalis, et infra, de privileg., cum et plantare § in ecclesiis. Quandoque monachi habent ius patronatus tantum, et tunc nihil habent nisi solam praesentationem, infra, de iure patron., cum saeculum, cum transeat cum universitate, ut ibi. In quo ergo casu locum habet quod dicitur quod censualis pensio non augeatur, supra, de pact., cum clerici; et infra, de censib., prohibemus; et supra, de praeben., avaritiae? Potest dici quod ubi monachi habent ecclesias ex donatione episcoporum quo ad temporalia, census prius impositus non debet augeri. Vel cum ex donatione laicorum ius tantum recipiunt patronatus, census qui ab initio fuit impositus augeri non debet, infra, de censib., scientes, sine iusta causa et rationabili et de consensu episcopi, ut dictum est supra, de praeben., avaritiae. In aliis vero casibus, puta cum pleno iure habent ecclesias quo ad temporalia et spiritualia, possidere eas possunt pleno iure. Quandoque tamen monachi totum applicant usibus suis, reservata honesta sustentatione presbytero, ut hic. Quandoque certam partem recipiunt, sive certam dimittunt presbytero, aliud totum sibi retinent, ut supra, de praeben., avaritiae. Et hoc secundum consuetudinem diversorum locorum. Dic de hoc ut 16. q. 2, in summa. Ber.

X 3.05.13 *Ad haec*

In una
Infra, de praeben., de multa, in fi. Idem in diversis, ut ibi; et infra, de praeben., praeterea; et supra, de praeben., quia in tantum; et supra, de cleri. non residen., quia nonnulli.

Singula officia
Id est, dignitates vel personatus, 89. dist., singula; et 21. q. 2, sicut; et infra, de praeben., cum non ignores; et infra, de praeben., de multa, nisi per dispensationem Apostolicae sedis, ut ibi, et supra, de elect., dudum ecclesia.

X 3.05.14 *Praeterea*

Regulariter
Arg. quod canonicus regularis potest fieri archidiaconus, arg. 58. dist., nullus; et 74. dist., quorundam; et infra, de statu monach., quod Dei timorem. Sic nec monachus in diversis monasteriis esse potest nec abbas praefici, infra, de relig. dom., ne nimia. Sic non potest quis habere plures personatus in eadem ecclesia aut etiam in diversis, infra, de praeben., de multa; et supra, de praeben., ad haec.

Maluerit
Sic supra, de praeben., referente. Et sic habuit optionem secundum ista iura. Hodie non habet optionem, immo recipiendo secundum dignitatem ipso iure vacat prima. Et si contenderet retinere utramque, privaretur utraque, infra, de praeben., de multa. Cum enim militiae sint distinctae, et personae illis deputatae debent esse distinctae. Unde

nemo potest esse in duobus collegiis simul, ff. de colleg., mandatis § ulti. Nec duas militias habere, C. qui milit. poss., omnes, lib. 12; et C. qui milit. poss., eis quidem § in posterum, lib. 12; nec duos honores, ff. ad municip., libertus § praescriptio. Ergo multo fortius haec sunt in spiritualibus honoribus observanda.

X 3.05.15 *Cum non ignores*

Una ecclesia
Hoc generaliter verum est, quod unus debet esse sacerdos unius, ut supra, de praeben., praeterea; et infra, de praeben., de multa. De hac materia dicitur supra, de elect., dudum ecclesia.

Contendit
Unde hodie privari debet utraque, infra, de praeben., de multa.

Contentum
Supra, de praeben., praeterea; et supra, de praeben., ad haec.

Consenserint
Si semper consenserunt in eum, non possunt amplius dissentire, supra, de elect., cum inter canonicos; et 8. q. 2, dilectissimi; et 32. q. 5, horrendus. Quid est ergo quod dicitur eis nunc dissentientibus. Et sic contradicit haec decretalis praedictis iuribus. Solutio: sic intellige quod dicitur hic quod sacerdos ille electus fuit ad curam animarum, et simul ad continuam residentiam ad quam de iure tenetur, supra, de cleri. non residen., quia nonnulli. Sed ipse volebat retinere priorem ecclesiam cum illa ad quam electus erat secundo ab archiprebytero et clericis. Unde cum ipse nollet primam dimittere, licitum fuit archipresbytero et clericis ab electione ipsius recedere. Et merito quia utramque de iure habere non poterat. Si autem vellet dimittere primam et secundam recipere, tunc non possent archipresbyter et clerici ab electione eius discedere, ex quo semel in eum consenserunt, et sic intelliguntur praedicta iura.

Scandalo
Arg. quod propter scandalum quandoque receditur a iure, supra, de praeben., cum teneamur; et supra, de temp. ord., ad aures.

X 3.05.16 *Cum secundum Apostolum*

De altari
12. q. 1, ex his.

Repelli
Ad quem spectat onus et emolumentum, 12. q. 2, caritatem; et 12. q. 2, quicumque; et 12. q. 2, ecclesiasticis. Et econverso non est ferendus is qui lucrum amplectitur, onus autem subire recusat, C. de caduc. toll., et nomen § pro secundo.

Obsequio
Non tibi sed domino gravis est cui servit egestas, arg. 93. dist., diaconi, vers. mendicat. Laur.

Nominis ratio
21. dist., cleros; et 21. dist., clericos; et 16. q. 1, si cupis. Et nomina debent esse consonantia rebus, Inst. de donation. § est et aliud.

Sors
12. q. 1, cui portio.

Assumuntur
Ut qui ordinantur sine beneficio vel assumuntur ut habeant hereditatem domini.

Assequuntur
Scilicet qui ad beneficium recipiuntur, isti in sua ordinatione statim consequuntur hereditatem domini.

Dignum
12. q. 2, ecclesiasticis.

Praedecessores
70. dist., neminem; et 70. dist., sanctorum.

Ordinationes
Nisi promotus sit ad titulum patrimonii sui, infra, de praeben., tuis quaestionibus; et supra, de praeben., episcopus.

Irritas
Quo ad executionem non quo ad veritatem, quia ordinem non admittunt.

Successores
Sed quare convenitur hic successor ex delicto defuncti, cum regulariter crimina morte extinguantur, 23. dist., quorundam; et C. si reus vel accus. mort., si is. Et successor non convenitur ex delicto defuncti, C. ex delict. defunct., post litis? Respondeo: ne in cleri opprobrium mendicare cogantur, 93. dist., diaconi; arg. supra, de cleri. coniug., Ioannes, in fi. Vel dic quod non tam successor quam ecclesia punitur in hoc casu, quae non resistit episcopo in tali promotione. Nam sine consilio ecclesiae non facit ordinationem, 24. dist., episcopus. Unde punitur si ei delinquenti non resistit, 2. q. 7, qua propter. Et hoc intelligo quando ipse episcopus examinavit. Si autem alii examinaverunt, ipsi tenebuntur, 54. dist., si servus; 24. dist., quando. Et hoc innuit quod dicitur infra nullo praesentante. Et in hac provisione dignitas promoti est attendenda, arg. 41. dist., non cogantur; ff. de iud., sed et si susceperit § 2; ff. de usufru., sed et si quid § 1; et infra, de praeben., de multa; et ff. de donation., si filiusfamilias. Item considerantur facultates ecclesiae, arg. ff. de admin. tut., cum plures § cum tutor; et ff. de rel. et sump. fun., si quis sepulchrum § sumptus; et hic inferius. Ber.

Liceat
Si scriberetur ordinatori, ipse non posset aliquis obiicere nisi hoc litteris contineretur, quia quos idoneos reputavit ad ordines, debet reputare idoneos ad beneficium, supra, de aetat. et qualit., accepimus. Sed successor potest, et ita semel approbatus iterum probatur et reprobatur, sicut medicus, ff. de muner. et honor., ut gradatim § reprobari. Et virgo semel probata iterum probatur, 27. q. 1, nec aliqua; et melius supra, de probat., causam matrimonii; et supra, de probat., cum bonae; et 2. q. 5, habet hoc proprium; et 2. q. 5, Mennam. Sed hoc totum gratia est, quia de facto unius saepius quaeri non debet, ff. naut. caup. stab., licet, in fi. Sed nonne praesumi debet pro ordinato? Sic arg. supra, de probat., post cessionem, nisi probetur contrarium. Item qualiter cognoscitur postea de eius idoneitate, cum sententia episcopi qua pronunciavit ipsum idoneum transivit in rem iudicatam a qua non fuit appellatum, supra, de elect., cum dilectus, in fi. Respondeo: totum fit de gratia. Vel dicas quod tantum quaeritur de nova causa postea emergente, arg. supra, de aetat. et qualit., ut abbates.

Donec per te
Quid si episcopus ordinavit eum ad aliquem titulum et ille est evictus ab eo, numquid episcopus tenetur de evictione? Arg. quod non, quia donator non tenetur de evictione, ff. de aedil. edict., ad res donatas. Arg. contra 7. q. 1, praesentium; et infra, de praeben., inter caetera. Dixit Vincen. quod episcopus specialiter non teneretur si dedit ei beneficium sufficiens, et factum sit insufficiens et exinanitum. Sufficit enim minori ab initio adire locupletem hereditatem, ff. de minor., verum § si locupleti. Tenetur tamen generali obligatione, quia tenetur providere et ordinare ecclesias omnes sui episcopatus, de conse. dist. 1, omnes. Tu dicas melius cum Tanc. Si fraudulenter contulit ei beneficium alterius quo alius non fuit iuste privatus sive alii debitum, et ipse cui contulit hoc ignoravit, tunc specialiter tenetur episcopus ei providere in aequivalenti beneficio, arg. 7. q. 1, praesentium; et infra, de praeben., inter caetera; et infra, de iure patron., pastoralis.

X 3.05.17 *Inter caetera*

Assignari debebat
Ex quo G. resignavit tali modo, ut daretur H. Et non fuit ei data sed magistro P. non videbatur ei renunciasse, nec videtur eam perdidisse, sicut non amittit possessionem qui eam sub modo alii tradidit, nisi modus existat. Videtur enim sub conditione eam tradidisse, supra, de restit. spol., olim causam; et ff. de acq. poss., qui absenti § si quis. Et qui sub conditione tradidit possessionem et recedit a possessione non perdit eam, ff. de acq. poss., si cum me. Unde iste non videbatur amisisse possessionem beneficii sui. Sed certe verum est quod amiserat per renunciationem, sed Papa postea ex officio suo utrumque restituit propter discordiam suscitatam.

Irritum
Simile C. de legi. et const., non dubium; et C. de reb. alien., sancimus; et 10. dist., vides. Si hoc verbum non contineretur in litteris et ipse conferet, videtur quod cessio teneret, licet esset facta contra mandatum Papae, infra, de praeben., dilectus filius 2, ubi de hoc.

Assignavit
Hic expresse habes quod si episcopus concessit mihi beneficium quod concedere non potuit, tenetur mihi ad aliud consimile, 7. q. 1, praesentium. De hoc dicetur supra, de praeben., cum secundum Apostolum; simile supra, de fil. presbyt., veniens; arg. ff. de pigner. act., eleganter § qui reprobos; ff. ad Velleia., quamvis § si convenerit; et ff. qui satisda. cog., quotiens; ff. de leg. 1, si filiusfamilias § si quid alicui; et ff. de leg. 2, mortuo § Labeo. Quia adiuvari beneficiis nos oportet, non decipi, ff. commodat., in commodato § sicut, in fi.; et infra, de commod., cum gratia, in fi. Et sic est contra id quod dicit lex, quod donator non tenetur de evictione, ff. de aedil. edict., ad res donatas. Sed hic in veritate non dicitur donare, quia necesse habet eam donare, et in necessitate nemo liberalis existit, ff. de adimen. leg., rem legatam, in fi. Et de hoc dictum est supra, de praeben., relatum. Et hoc intellige quando episcopus scivit quod eam donare non poterat, et ille qui recepit, ignoravit, ut dixi supra, de praeben., cum secundum Apostolum. Si enim recipiens hoc sciebat, non credo quod habeat petitionem contra episcopum ad aliam praebendam instar illius qui sciens emit liberum hominem, quia emptio nulla fuit. Secus si ignoranter emit, ff. de contrah. empt., liberi hominis. Io.

X 3.05.18 *Cum iamdudum*

Multitudo
Quae est canonibus inimica, supra, de praeben., quia in tantum.

Avaritiae
Qua a promotione repellit, 85. dist., Florentinum. Quam etiam dixit lex legitimis ictibus feriendam, C. de inoffic. testam., si quis suo. Et est servitus idolorum, supra, de praeben., avaritiae. Ber.

Nostrae diffinitionis
Quam non habes in compilatione, quae olim erat de instit., tua nuper.

Lateranensis concilii
Supra, de praeben., quia in tantum.

Confirmationem
Hoc ita intellige quod super hac electione fuit causa commissa ad petitionem illius electi, et iudices illi electionem confirmaverunt, et postea alii iudices quibus eadem causa fuit commissa confirmationem illam cassaverunt, sicut hoc totum habetur in compilatione Innocentii supra, de re iudic., sententia, de quibus hic fit mentio.

Praebendas
De hoc dictum est supra, de elect., dudum ecclesia.

Aliud praemissorum
Scilicet quod ante confirmationem ministravit, supra, de elect., qualiter. Vel quod ministravit post cassationem confirmationis, quia Papa etiam totum cassavit quicquid factum fuit per iudices priores et posteriores.

Ecclesiam
Et ita videtur quod ecclesia quae ipsum elegit sciens ipsum habere plures dignitates atque praebendas, non possit ipsum repellere, arg. supra, de praeben., cum non ignores. Arg. contra supra, de except., cum ecclesiasticae; et melius supra, de elect., cum inter canonicos; 8. q. 2, dilectissimi; et 32. q. 5, horrendus; infra, de concess. praeben., cum super; et supra, de cleri. coniug., diversis; et infra, de dona., inter dilectos. Sed haec locum non habent, quia iste non fuit electus ab ecclesia. Immo ecclesia se sibi opponebat et electus fuit a quinque solummodo aliis appellantibus prius et quibusdam absentibus, ut hic patet in decretali quae olim in compilatione Innocentii infra, de re iudic., sententia, de illa electione loquitur. Ber.

Per patientiam
Hic respondet tacitae quaestioni. Diceret aliquis multi sunt habentes plura beneficia, quare ipsum reprobatis domine Papa? Et ipse respondet, multa per patientiam etc. Et tamen per talem patientiam non fit dispensatio, arg. infra, de cognat. spir., super eo; et supra, de iureiur., mulieri. Arg. talis patientia voluntatem requirit, ff. de trib. act., huius quoque.

X 3.05.19 *Dilectus filius*

Percipere non deberet
Istud fuit contra concilium, infra, de concess. praeben., nulla. Sed contrarium videtur supra, de praeben., relatum, ubi tenet promissio vacaturae praebendae. Solutio: hic nihil perceipiebat, sed ibi sic, ut patet ex illo verbo, integritate praebendae gaudere, et ex eo quod dicit, quorum communis est usus. Et hic hoc solum additur quod percipiat ea quae de communi conferuntur, et ita non contradicit sed concordat. Et hic vitium fuit expressum.

Illicito
Arg. contra supra, de consti., cum M, vers. quatuor receperunt ad vacaturas etc. Solutio: Papa illud reprobavit. Unde praecipit quod eis provideatur ex superexcrescentibus etc. Et ita concordat cum ista, vel ibi recepti fuerunt simpliciter, ut ibi notatur.

Approbantes
Arg. quod sententia sive donatio tenet pro parte et pro parte non. Sic supra, de arbitr., cum tempore; 12. q. 2, si quos; et 17. q. 4, quaesti; et 22. q. 4, inter caetera; et infra, de testamen., Raynutius; et infra, de testamen., Raynaldus. Caveas tamen qualiter fiat electio. Si dicatur: eligimus te ad proximam vacaturam, nulla est electio, infra, de concess. praeben., nulla; et infra, de concess. praeben., relatum; et infra, de concess. praeben., ex tenore. Si vero dicatur: eligimus te in fratrem et socium, et promittimus tibi conferre beneficium cum primum vacaverit, tenet electio talis, supra, de praeben.,

relatum; et infra, de concess. praeben., cum super. Assignando eidem cotidianas distributiones, alias compellerentur ad hoc, ut dicitur hic in fine. Et ille intelligitur electus ad quoddam ius de novo creatum, infra, de praeben., dilecto. Et illud ius perit quam cito assignatur beneficium vacans. Non enim diu posset manere tale ius sine re corporali, 1. q. 3, si quis obiecerit. Et talis canonia auget numerum canonicorum, sed non praebendarum? Sed numquid plures possunt taliter eligi, si duo possunt eligi eadem ratione et plures, scilicet tres et quatuor et quotcumque? Dicit Io. quod secundum numerum praebendarum possunt plures vel pauciores eligi. Sed certe non videtur quod tot possunt eligi quot sunt ibi canonici propter diutinam expectationem. Sed sufficit quod pauci eligantur, saltem duo vel tres vel quinque, supra, de consti., cum M.

Defraudetur
Sic supra, de praeben., relatum.

Cum se facultas
Hoc idem erat ei promissum in illa compositione. Sed archiepiscopus auctoritatem praestare non potuit, immo illud solum cassatur quod nihil percipere deberet. Laur. Item ex eo quod dicitur hic, patet quod legatus non potest dispensare contra concilium, infra, de concess. praeben., nulla, sed solus Papa. Item aliud est dicere, cum facultas se obtulerit, et aliud cum beneficium vacaverit, ut hic patet, et infra, de concess. praeben., accedens.

Assignare
Hoc idem poterat consequi ex illa compositione, ut videtur. Dicit Io. quod non, quia tempore compositionis vacabant ibi beneficia, et volebant ipsum expectare proximam vacaturam. Item aliud additur compositioni, quod ipse habeat cotidianas distributiones sive victualia, quae de communi conferuntur quae tantum praesentibus dantur, supra, de cleri. non residen., de caetero; et infra, de praeben., licet. Perceptio enim talium praebendarum non facit canonicum, quia sola salarii perceptio non facit decurionem, ff. de decur., decurionem; ff. de decur., sola salarii; et infra, de praeben., dilecto.

X 3.05.20 *Tuae fraternitatis*

Importunitatem
Electio facta ad importunum clamorem non valet, supra, de elect., Osius; 61. dist., miramur. Et per importunitatem non concedenda saepe concedimus, dicit imperator, C. de petit. bon. sublat., quisquis, lib. 10.

Concilium Turonensem
Supra, de praeben., maioribus; et infra, ut eccl. ben., ut nostrum; et 1. q. 3, si quis praebendas.

Sectionem
Sed cum una parochia possit dividi in duas, 16. q. 1, praecipimus; et 10. q. 3, unio; de conse. dist. 1, omnes; infra, de eccl. aedif., ad audientiam 1. Quare una praebenda non potest dividi in duas? Respondeo: duae parochiae licite fiunt ex una iusta causa

interveniente, quod utraque sit parochia per se et habeat propriam limitationem. Sed quod duae sint sub una limitatione, non potest, 16. q. 1, plures. Et eodem modo una praebenda potest dividi in duas, ita quod sint ibi perpetuo duo canonici, dummodo facultates illius praebendae sufficiant competenter duobus, infra, de praeben., vacante. Sicut una domus potest dividi et de caetero erunt duae domus. Et unus fundus si dividaturc, erunt duo fundi, ff. comm. praed., si quis duas § 1. Sed praebenda dividi non debet, ut sub nomine unius praebendae censeatur uterque quasi dimidius canonicus, quia unitas non recipit divisionem, 24. q. 1, loquitur. Nulla enim servitus dividitur, licet ususfructus dividatur, ff. ad leg. Falc., lex Falcidia lata § si ususfructus; et ff. de usufruct. et habit., usus pars. Sed nonne hoc modo potest dividi praebenda quod idem ius apud utrumque remaneat, quia et iura incorporalia apud plures possunt insolidum residere, infra, de iure patron., perlatum; et ff. de servit., viae; et ff. de bon. libert., libertus, in fi. In praebenda hoc esse non potest, ut dictum est, infra, de praeben., dilecto. Licet enim dicatur idem ius esse apud plures, re vera tamen quilibet speciale et separatum ius habet, ff. quemad. serv. amit., aquam. Et nota quod sicut de una praebenda possunt duae fieri si facultates sufficiant, sic ex causa necessaria possunt et debent diminui praebendae, infra, de verb. sign., transmissae.

Lateranensis concilii
Infra, de concess. praeben., nulla.

De rigore iuris
Innuit quod de patientia possit tolerari et confirmari, quasi dispensando quod satis potest concedi, quia talis dispensatio non est perpetua sed ad tempus. Nec proprie dicitur facere contra concilium. Ad quid ergo diceret de rigore iuris? Alias simpliciter respondisset, dicendo quod talis est cassanda et multae tales electiones tolerantur, et ex causa posset iuris rigor relaxari, arg. optimum infra, de praeben., vacante; et infra, de praeben., cum causam, ubi tenetur integrare praebendam tali modo collatam nec mandatur cassari.

X 3.05.21 *Nisi essent viri*

Honesti
Ex qualitate personae praesumitur licitum quod alias esset illicitum, arg. 9. q. 2, Lugdunensis.

Ex arbitraria
Et ita potest aliquis simul uti arbitraria et delegata potestate, sic supra, de praesump., litteras. Sed istud non videtur posse constare, quia si ratione delegatae potestatis adiudicaverunt alteri prioratum, secundum hoc quod constabat eum canonice electum, qualiter per arbitrium poterunt ipsum condemnare ad solvendum alteri parti indebitum, cum alii solvi non possit quod est alii debitum, supra, de iureiur., ea te. Quia si prioratus fuit isti debitus, constat quod solutio pecuniae est indebita. Potest dici quod isti non fuerunt arbitri, sed arbitratores, id est, compositores quorum arbitrium si iniquum sit, auctoritate superioris retractatur, supra, de arbitr., non sine. Vel reducitur ad arbitrium boni viri, ff. pro soc., si societatem. Sed numquid ratione talis arbitrii possent ipsi adiudicare alteri prioratum? Arg. quod sic, supra, de transact., de caetero. Sed non est

verum, quia talia spiritualia possideri non possunt, nisi ex iusta institutione canonica, 2. q. 1, legum. Sic et in matrimonio non potest intervenire arbitrium, supra, de transact., ex parte; et supra, de in integ. restit., causa, in fi., et hic, vers. hoc ex iurisdictione delegata. Ber.

Ex iussione
Ex pactione partium non liceret, nec illam tolerasset Papa, ut supra, de pact., cum pridem. Sed quia iudicis auctoritate factum fuit et ad tempus sustinetur, supra, de transact., de caetero, sic enim excusatur ab infamia, quia iussu iudicis paciscitur de furto, ff. de his qui not. infam., furti § qui iussu. Et quod Papa hic toleravit huiusmodi compositionem, hoc fecit propter causas praedictas, scilicet pro bono pacis et utilitatis, quia placuit omnibus. Et si Papa compositionem non tolerasset, auctoritas iudicis non sufficiebat, quia de iure hoc facere non poterat. Unde dicit Papa: nos eam hoc adhibito moderamine toleramus et ad tempus tantum, ut sequitur. Et occasione huiusmodi provisionis assumunt quandoque aliqui causam malefaciendi.

Prioratus
Nisi hoc esset appositum, confirmatio talis sive tolerantia fuisset realis, arg. supra, de transact., veniens; et infra, de instit., cum venissent.

Proventus
Quoniam sicut ius dividi non potest, sic nec fructus, ut 1. q. 3, si quis praebendas; et infra, ut eccl. ben., ut nostrum; et 16. q. 1, si monachus.

X 3.05.22 *Pro illorum*

Ecclesiarum suarum
Sub hoc termino comprehenduntur omnes ecclesiae ipsius provinciae etiam episcopales, ut hic patet, et supra, de auctor. et usu pal., cum super, sive habeant ius conferendi sive non. Sed in aliqua praelatura per hanc formam providere non posset, infra, de praeben., cum olim. Et hoc in quibus ius habet, secus in aliis. Secus si dixisset in aliqua ecclesiarum tuae provinciae, quia tunc non refert utrum ius habeat vel non ratione ordinariae potestatis, cum auctoritas talis generalior sit quam alia. Tamen Papa in hic non reprobat factum archiepiscopi. Et sic large sumitur quod dicit, suarum.

Contradictores
Hac sententia non comprehenduntur nisi partes, et alii etiam quam de facto contradicunt et non de iure.

Elusionem
Multae enim viae sunt hominibus ad malitiam, in Auth. de nupt. § minores, in fi., coll. 4.

Praedictum magistrum
Inno. iiii dicit quod in registro sic habetur post ista verba: cum consensu et voluntate tua frater episcope de praebenda et canonicatu Xantonensis ecclesiae etc.

Investivit
Per talem investituram non adipiscitur quis possessionem, nisi corporaliter in possessionem mittatur, infra, de dona., per tuas. De tali investitura habes supra, de re iudic., cum olim; et infra, de his quae fi. a maior. par. cap., ex ore. Et hoc probatur per hoc quod Papa mandat quod solummodo sententia lata in eos observetur donec dictum magistrum recipiant in fratrem. Si enim in possessionem missus fuisset, Papa mandasset ut in possessionem inductus defenderetur. Et sic per hanc decretalem non probatur quod per hanc formam: mandamus ut talem facias recipi in canonicum et in fratrem talis ecclesiae, contradictores per censuram ecclesiasticam etc., vel facias competens beneficium assignari, quod possit mitti in possessionem ipsius ecclesiae, nec investiri, cum hoc ei non mandetur, cum certa forma secundum quam procedere debet, sit praefixa. Quidam tamen dicunt per hanc decretalem quod per talem formam potest mittere in possessionem sive investire, quod ego non credo, prout notatur infra, de concess. praeben., cum nostris. Arg. contra supra, de except., cum ecclesiasticae. Non est contra, quia ille iam fuit per Papam investitus et in corporalem possessionem de mandato ipsius inductus, ut patet in integra. Et quod dixit hic, investivit, fecit ultra formam sibi datam, quod patet per responsionem Papae quae de investitura nullam fecit mentionem, sed excommunicatione quam praecepit observari quousque ipsum reciperent, et ideo dicit, provide.

Provide
Excusavit eum Papa, sed re vera non bene processit investiendo. Sed refert utrum mandetur: facias provideri vel facias beneficium assignari, quia modo sibi est provisio reservata, et illi sic investio fructus postea debebuntur, supra, de praeben., dilectus filius 1; et supra, de praeben., relatum, et hoc, quia forma rescripti servanda est, supra, de rescript., cum dilecta, cum similibus.

Auctoritate propria recepisse
Et ita qui semel facit contra privilegium suum, sibi praeiudicat in illo, supra, de rescript., constitutus; et supra, de consti., cum M; et supra, de consti., cum accessissent, ubi de hoc. Arg. infra, de privileg., accedentibus; et infra, de privileg., si de terra § 1; et C. de excus. et temp., voluntaria. Et hoc attende quod dicit, auctoritate propria, quia si hoc auctoritate Papae fecissent, non intelligerentur venisse contra privilegium suum, etiam si esset iuramento firmatum, quia auctoritas Papae semper intelligitur excepta, supra, de iureiur., venientes; et supra, de elect., significasti. Sed quid si venissent contra indulgentiam auctoritate cardinalis legati Apostolicae sedis, numquid excusarentur? Non credo, quia non posset illos compellere ad hoc ut contra indulgentiam Papae aliquem reciperent.

In canonicum
Et ita ea quae faciunt excommunicati in eorum praeiudicium, bene valent. Et ita excommunicati recipiunt aliquem in canonicum, et valet talis receptio. Et ea quae faciunt excommunicati in eorum praeiudicium, bene valent, supra, de except., cum inter, cum suis similibus. Sicut excommunicatur quis ut in causa procedat, supra, de offi. ord., significavit. Et quia isti non debent absolvi nisi satisfaciant, ut supra, de offi. deleg., ex litteris. Sed satisfacere non possunt nisi ipsum recipiant, nec per talem participationem erit excommunicatus. Sic excommunicati admittuntur ad iuramentum quandoque

antequam absolvantur, infra, de sent. excom., ex tenore; et supra, de rescript., capitulum. Vel expone, donec dictum magistrum recipiant, id est, donec cautionem praestant quod iuri parebunt in hic, ubi habent causam defensionis. Sed in hac decretali non habebant iustam causam defensionis, immo falsam ut littera dicit.

Ad canonicatum

Mandat hic Papa dari huic illa quae pertinent ad canonicatum et non praebendam. Et sic dabunt ei cotidianas distributiones quousque vacabit praebenda vel quousque fructus fuerint augmentati. Et sic patet hic quod licet canonici aliquem recipiant ultra numerum, etiam sua auctoritate non augent numerum praebendarum, licet augeant numerum canonicorum, supra, de consti., cum M. Habuisti idem supra, de praeben., dilectus filius 1; et infra, de praeben., dilecto.

X 3.05.23 *Tuis quaestionibus*

De patrimonialibus

Habent ergo isti patrimonium pro titulo. Sic supra, de praeben., episcopus. Nec debuit ab episcopo beneficium petere, ex quo tali modo intitulati sunt. Et iudicium sibi manducant et bibunt, qui de suo habent et alienum recipiunt, 16. q. 1, quoniam quicquid; et 12. q. 2, et si illi; et 1. q. 2, clericos. Sed quid si patrimonium istorum periret chasmate vel alluvione, numquid tenebitur istis providere? Dominicalis quaestio consuevit esse, tamen satis videtur quod episcopus debeat eis providere in beneficio ecclesiastico, quia cum isti ad saeculum redire non possint, redundaret in opprobrium ordinis clericalis, arg. 93. dist., diaconi; et arg. supra, de cleri. coniug., Ioannes; et supra, de renunciat., ad supplicationem.

Congrue substentari

Alias non debet ipsum promovere. Quod si fecerit, tenetur ei ad supplementum, supra, de praeben., non liceat; et supra, de praeben., cum secundum Apostolum. Sed numquid tenetur solvere decimas de tali patrimonio ad quod est promotus quasi ad titulum? Arg. quod non, 16. q. 1, similiter; et infra, de decim., novum. Arg. contra 16. q. 1, si quis laicus. Dixit Vincen. quod tenetur solvere decimas, arg. illius capituli 16. q. 1, si quis laicus. Arg. contra quod non debeat solvere, ut infra, de simon., tua. Tanc. dixit quod si ab aliis clericis recipit divinum officium et alia sacramenta, debet eis solvere decimas. Alioquin contra, quia de beneficio suo non tenetur solvere decimas. Credo quod propter clericatum istius, licet sit ordinatus ad patrimonium suum, ecclesia quae primum decimas percipiebat praediales, iure suo non debeat defraudari, quia res semper remanet cum sua causa et sine culpa sua privari non debet, nec est etiam iusta causa quare privari debeat. Item quaeritur an iste possit transire ad aliam ecclesiam sine licentia episcopi? Dicas quod non, 71. dist., primatus. Sed numquid potest vendere patrimonium tale? Videtur quod non, quia inde vivere debet, et ecclesiasticum onus sustinere, quod confitetur Vincen. Sed Tanc. dixit quod potest vendere, quia qui pretio fruitur, rem habere videtur, ff. de usufru., quia qui pretio. Et potest illud donare, quia et beneficio ecclesiastico posset renuniciare, quod credo verius.

X 3.05.24 *Accedens*

Vel alius
Sicut unus nomine alterius possidet, ff. de acq. poss., quicquid. Uterque enim possidet, ff. de acq. poss., quod meo; et supra, ut lite non cont., quoniam § in aliis; et supra, de restit. spol., cum venisset; et supra, de praescrip., si diligenti. Ita et uterque potest dici investiri. Sed quae fuit dubitatio? Forte iste episcopus dubitabat an carnale matrimonium inter absentes contrahatur, et ideo dubitavit an et spirituale. Prima quaestio expeditur 32. q. 2, honorantur; et infra, de conver. coniug., ex parte tua; et ff. de ritu nupt., denique. Secunda dubitatio hic explicatur utrum clericus absens possit investiri per alium. Vel dubitatio fuit illa an investiretur quis pro absente et ignorante, et certe bene et acquirit ei possessionem. Et cum iste sciverit, habebit causam usucapiendi, C. de acq. poss., per liberam. Vincen. Vel ideo dubitavit quia sicut hereditas temporalis per procuratorem acquiri non potest, ff. de acq. hered., per procuratorem, ita videbatur quod hereditas spiritualis acquiri non potest. Sed non videtur quod dominium sit quaesitum per traditionem absenti, ff. de acq. rer. dom., res ex mandato. Item nec possessio videtur acquiri per investituram, infra, de his quae fi. a maior. par. cap., ex ore; et infra, de dona., per tuas. Dicas quod si vel dans vel accipiens intendit acquirere dominium absenti, tunc est ei quaesitum. Et sic loquitur ff. de acq. rer. dom., si procurator; ff. de donation., qui mihi donatum. Sed si neuter hoc intendit, non statim acquiritur dominium. Et sic loquitur ff. de acq. rer. dom., res ex mandato. Dominium tamen vel possessio non acquiritur per gestorem negotii, ff. de negot. gest., si ego. Io.

X 3.05.25 *Dilecto*

Resignavit
Pure sine aliqua conditione et modo, alias simoniacus fuisset, 1. q. 2, quam pio; et supra, de pact., pactiones.

Generalis
Unde videbatur quod dominus contra factum procuratoris venire non debebat, arg. supra, de offi. deleg., cum olim abbas. Quia factum procuratoris qui generalem habet administrationem domino praeiudicat, ff. de iureiuran., iusiurandum § ulti.; ff. de pacti., nam et nocere. Sed tamen secus est, quia generali mandato non videtur delegasse nisi id quod legitime fieri potest, ff. de condi. indeb., si procurator; et ff. quae in fraud. cred., si pater. Vel quia fraudulenter aliquid faciat, ff. mand. vel cont., creditor § Lucius. Unde cum talis institutio contra ius esset, non tenebatur episcopus illam ratam habere, supra, de praeben., tuae fraternitatis; et supra, de praeben., maioribus.

Recepisti
Per hoc videbatur consentire institutioni ipsius. Simile 63. dist., Hadrianus; et infra, de his quae fi. a maior. par. cap., ex ore; et infra, de privileg., cum olim essemus; arg. C. ad Velleia., authen. sive a me; et infra, de spons., ad id quod. Item quia in praesentia sua gessit se tamquam canonicum. Unde quia ipsum non removit, statim videtur ipsum approbasse, arg. supra, de offi. deleg., coram; C. de acq. poss., per liberam; C. de patr. potest., si filium; 20. q. 1, quem progenitores. Talis patientia non facit canonicum, sed

tantum canonica electio, ff. de decur., Herennius; et infra, de instit., ex frequentibus; et C. de liber. caus., non idcirco. Ber.

Molestatione
Et sic agebat interdicto uti possidetis.

Turonense concilium
Supra, de praeben., maioribus.

Lateranense concilium
Infra, de concess. praeben., nulla.

Dividi
Quia unitas non recipit divisionem, 24. q. 1, loquitur. De hoc dictum est supra, de praeben., tuae fraternitatis. Simile supra, de praeben., inter caetera.

Augmentare
Supra, de consti., cum M.

Huiusmodi clausula
Immo et si clausula illa non esset adiecta, tamen sine eius auctoritate non videtur quod possit contravenire ex quo confirmatio Papae accessit, supra, de confirm. util. vel inutil., si quis; et supra, de confirm. util. vel inutil., de confirmationibus. Nam ubi princeps confirmat, idem est ac si ferat sententiam, C. de vet. iure enucl., Deo auctore § sed neque, vers. omnia nostra facimus etc. Verius est quod non obstat eis talis confirmatio, cum eorum favore facta sit, quin possint contravenire si volunt, supra, de consti., cum M; et supra, de consti., cum accessissent, nisi clausula huiusmodi apposita: decernatis irritum et inane. Io.

Augmentare
Haec fuit sufficiens ratio, quia intendebat idem ius et eandem praebendam conferre pluribus, quare non valuit, supra, de praeben., tuae fraternitatis. Sed si intendisset utrumque eligere in canonicum, talis electio non valuisset, supra, de praeben., dilectus filius 1; et supra, de praeben., relatum. Quia ad duo iura intelliguntur eos elegisse, ita tamen quod facultates sufficerent duobus, infra, de praeben., vacante.

Non obsistat
Hanc regulam et eius expositionem habes supra, de re iudic., quamvis. Sed videtur quod causae istorum ita sunt coniunctae, quod sententia lata contra unum obstet alii. Sic 3. q. 6, haec quippe; et 81. dist., tantis. Simile infra, de accusat., ad petitionem; et 58. dist., ordinatos. Sed secus est hic, quia agendo contra unum, non agitur de iure alterius. Sed in praemissis casibus agitur de utroque, sic infra, de adult., significasti; ff. de adulter., denunciasse. Sed quid si postea agitur contra secundum, et ille secundus obtinet, numquid prodest alii, ut per hoc retractetur sententia lata? Videtur quod sic, quia sententia lata pro uno ex sociis prodest aliis, ut 2. q. 6, ei qui § diffinitiva, vers. quandoque; et supra, de appell., una; et ff. si serv. vend., loci § 2. Sed non est ita, quia

illa intelliguntur cum sententia processit contra omnes in communi causa. Lex illa ff. si serv. vend., loci § 2, loquitur de servitute quam communis est et individua, et pro parte quis agere non potest. Per decretalem istam bene videtur solvi illa quaestio qua quaeritur, duo fratres ex eodem patre et matre eadem contraxerunt matrimonium cum duabus sororibus ex eodem patre et matre eadem. Fuit lata sententia contra matrimonium inter unum virum et eius uxorem propter consanguinitatem. Quaeritur utrum sententia ista praeiudicet alteri fratri et eius uxori, qui non fuerunt in lite? Dicas quod non fit eis praeiudicium.

X 3.05.26 *Vacante*

Turonensis statuta concilii
Supra, de praeben., maioribus.

Integrare
Sed quare tenetur integrare, cum talis electio nulla fuerit, supra, de praeben., dilecto? Respondeo: isti duo simpliciter fuerunt electi in canonicos, unde tenuit electio, supra, de praeben., relatum; et supra, de praeben., dilectus filius 1. Io. dicit quod licet non valuerit talis electio, episcopus tamen tenetur integrare praebendam, cum ipse non possit revocare quod fecerit, arg. infra, de dona., inter dilectos; et infra, de concess. praeben., cum super; et supra, de cleri. coniug., diversis. Vel alia ratio potest reddi: isti electi fuerunt ad duo iura de novo creata et non ad unicum. Et non intendebat episcopus facere contra concilium, cum duas constitueret praebendas ex una credens sufficere facultates ad duos. Unde si reperiatur quod non sufficit duobus, tenetur integrare de vacantibus, infra, de praeben., cum causam. Et sic videtur quod episcopus possit tolerare si aliquando aliqui eliguntur ad unum beneficium, ut dicitur supra, de praeben., tuae fraternitatis.

Constitutae
Hic ergo patet quod de una praebenda possunt fieri duae. Et secundum hoc erunt duo nova iura, sicut una parochia potest dividi in duas, 16. q. 1, praecipimus; et infra, de eccl. aedif., ad audientiam 1. De hoc dictum est supra, de praeben., tuae fraternitatis.

X 3.05.27 *Dilectus filius*

Vacaret
Ergo videtur a contrario sensu quod si tunc nulla vacabat, non tenerentur ratione illius mandati eum recipere, et sic videtur tantum unum mandatum. Sed videtur quod duo, quia mandavit eum recipi in fratrem, quod unum mandatum est et praebendam conferri. Et unum est consecutivum alterius. Unde statim tenebantur illum recipere, et postea beneficium conferre vel statim vel quam cito possent.

Receperunt
Hic consideratur tempus receptionis litterarum et non datae. Sic supra, de for. compet., licet ratione; supra, de rescript., capitulum. Sic in litteris impetratis contra usurarios, infra, de usur., quia frustra. Sic quandoque consideratur tempus oblati libelli, licet tunc non recte agatur. Si tamen postea incipit ius competere, perfici potest iudicium, ff. de

pigner. act., si rem § ulti.; et ff. de rei vend., sin autem § 1. Arg. contra quia tempus datae est considerandum, supra, de rescript., eam te; et supra, de rescript., constitutus. Item arg. contra ff. ad exhib., tigni § ulti. Item arg. quod si iudex tempore impetrati rescripti sit excommunicatus et tempore receptionis absolutus, quod valeant litterae, arg. supra, de appell., super eo 2; arg. supra, de rescript., pastoralis, ad fi.; et ff. de iud., cum furiosus; et supra, de aetat. et qualit., praeterea; ff. de acq. hered., mutum. Io. Quod non credo. Immo litterae non valent, cum ab initio nullae fuissent. Unde postea per absolutionem convalescere non possunt. Quare ergo potius hic consideratur tempus receptionis, et in illa supra, de rescript., eam te; et supra, de rescript., constitutus, tempus datae? Hic consideratur tempus receptionis et non datae, quia quam cito vacat beneficium, pertinet collatio ad capitulum seu episcopum, cum statim possint beneficium conferre quousque interdicatur eis vel mandatum recipiant super hoc. Unde si vacat tempore quo litterae dabantur, non praeiudicat capitulo quousque ad ipsos mandatum perveniat, quia non tenentur divinare, infra, ut eccl. ben., ut nostrum. Unde collatio medio tempore facta legitima est, sed mandato recepto tunc primo praeiudicatur eis, unde postea non debent contrarium facere. Quod si fecerint, procederetur contra eos prout dicitur hic, nisi diceretur in mandato: quod si feceritis, illud decernimus irritum et inane, supra, de praeben., inter caetera; et supra, de praeben., dilecto. Sed in decretali supra, de rescript., eam te, consideratur tempus datae, quia tempore datae et tempore receptionis vacavit praebenda, et quia mandatum fuit capitulo de conferenda praebenda. Et capitulum non poterat conferre, quia non pertinebat ad ipsum sed ad episcopum, et archidiaconus fuit postea electus. Et sic mandatum sequitur ibi illum qui potuit conferre. Et satis mandabatur illi quando mandabatur capitulo, cum ipse tempore datae esset de capitulo. Unde ipse episcopus non poterat se excusare quod non recepisset mandatum. In illa supra, de rescript., constitutus, dicas quod cum aliquis impetrat litteras super beneficio, tunc si numerus statutus iuramento est firmatus in ecclesia contra quam impetrat, illud debet tunc dicere, alias non valerent litterae. Sed si tunc nullus esset statutus numerus, de eo quod non est mentio fieri non potest. Unde si postea medio tempore statuatur, non praeiudicat impetranti.

Duxerint conferandam

Videtur quod talis collatio non teneat, arg. infra, de concess. praeben., proposuit. Quia Papa ibi consimilem donationem cassavit. Item eo ipso quod Papa praecepit isti dari, prohibuit alii dare, ff. de condi. et demon., cum ita; et ff. de procur., Pomponius § sed et si qui. Item talis electio facta est contra legem animatam, quae durius agit quam inanimata, ff. de recepti., Celsus; et ff. de recepti., utique, in fi. Et ita nulla est, 10. dist., vides. Item ratione praecedentis denunciationis non valet quod factum est, C. de rei vend., si fundum; infra, de nov. oper. nunc., cum ex iniuncto; ff. ad leg. Falc., dolo; ff. de edend., quaedam § is autem. Sed verum est quod haec collatio tenuit licet contra mandatum Papae, ut satis patet hic, et infra, de concess. praeben., proposuit. Nec solum mandatum Papae sufficit ad hoc ut ius habeat, ff. de pigner. act., non est mirum § sciendum; et supra, de re iudic., cum aliquibus. Item licet canonici obligari videantur, ipsa tamen praebenda non est illi obligata, arg. ff. de poll., si quis rem; et ff. de contrah. empt., Titius. Et ita electio talis quantum ad canonicos non videtur canonica, sed quantum ad electum sic, sicut sacerdos in mortali existens quo ad se illicite celebrat, quo ad alios licite, supra, de cohab. cler. et mul., quaesitum. Sic donatio potest esse vitiosa, et

tamen donum tenet, arg. infra, de iure patron., cura; et C. de rei vend., quotiens. Vel licet peccent recedendo a mandato Papae, non tamen peccant alium eligendo. Simile 27. q. 1, nuptiarum. Et ideo puniuntur, quia compelluntur illum recipere pro quo mandatum receperunt. Et hoc verum est, licet Papa mandet beneficium vacans vel cum primum vacaverit alicui concedi. Valet tamen collatio alii facta nisi clausula illa adiecta fuerit: quod si contra feceritis, id decernimus irritum et inane, supra, de praeben., inter caetera; et supra, de praeben., dilecto.

Non habet sufficiens
Et ita si non habet sufficiens, non nocet si de illo non fecit mentionem. Arg. est hic, et supra, de praeben., cum teneamur; et supra, de rescript., postulasti. De hoc dixi supra, de rescript., si proponente.

Recipi
Et sic patet quod prior electus non removetur, ut dictum est, licet contra mandatum sit receptus. Sic infra, de his quae fi. a maior. par. cap., ex ore.

Assignari proventus
Sic supra, de praeben., dilectus filius 1, in fi. Istud additum fuit quod non erat in antiqua compilatione.

X 3.05.28 *De multa*

Lateranensi concilio
Supra, de cleri. non residen., quia nonnulli.

Contenderit
Id est, in iure contentiose retinere voluerit. Si enim ante litem contestatam destiterit, non privabitur utraque, sicut est in aliis statutis sub poena, ff. rem rat. hab., hoc amplius; ff. de in ius voc., quamvis. Sic ponitur 16. q. 1, statuimus. Et sic ipso iure hodie privatus est qui recipit secundum beneficium habens curam animarum, si prius tale obtinebat. Olim habebat optionem utrum primum vel secundum vellet retinere, supra, de praeben., referente; et supra, de praeben., praeterea.

Post receptionem
Fallit in episcopatu, quia non statim vacant priora beneficia nisi post tempus consecrationis, supra, de elect., cum in cunctis § cum vero. Nec per solam receptionem perdit primum. Sed per receptionem corporalem, ut hic dicit, et 21. q. 2, si quis iam translatus. Qui enim habet plures personatus sine dispensatione Apostolicae sedis ineligibilis est, supra, de elect., dudum ecclesia, ubi de hac materia satis dicitur.

Lateranensis concilii
Infra, de concess. praeben., nulla.

Proventibus
Bene dicit, de suis, id est, propriis si proprium habet, supra, de appell., reprehensibilis. Alioquin delictum personae etc., supra, de except., cum venerabilis; et 16. q. 6, si episcopum. Alias si proprium non habet, puniatur alia poena ad arbitrium iudicis, 16. q. 6, illud; et 14. q. 6, si res. Vel repetatur ab eo qui recipit illud tamquam indebitum, quia tamquam invasor possidebat, cum vacuerit ipso iure post receptionem secundi et mala fide, unde fructus omnes ab eo tempore restituere debet, C. de rei vend., certum; supra, de praeben., dilecto.

Hoc idem in personatibus
Quia de similibus simile debet esse iudicium, supra, de elect., dudum ecclesia, quae facit mentionem de hoc, et supra, de translat., inter corporalia; et supra, de confirm. util. vel inutil., cum dilecta.

In eadem ecclesia
Nota quod non facit mentionem de praemissa poena, unde videtur quod si quis in eadem ecclesia plures recipiat dignitates, non ideo perdit priorem, quia poenae potius sunt arctandae quam extendendae, de poen. dist. 1, poenae; et ff. de poe., interpretatione. Hoc confitebatur Io. Contrarium credo, quia idem iudicium est habendum de personatibus non habentibus curam animarum et habentibus, supra, de elect., dudum ecclesia. Et poena praemissa repetita intelligitur quae enim in praefationibus praemittuntur, in stipulationibus repetita intelliguntur, ff. de ver. oblig., Titia § 1; et 32. q. 7, Apostolus.

Sublimes et litteratas
Est ergo arg. quod secundum qualitatem personarum beneficia sunt conferenda, arg. 41. dist., non cogantur; et ff. de usufru., sed et si quid § 1; et 12. q. 2, Vulteranae; et 12. q. 2, concesso; et 74. dist., consuluit; et 1. q. 2, clerici. Et is gradus caeteros antecellat quem stipendia longiora et labor prolixior fecerint anteire, C. de off. magist. offic., nemo; et supra, de maior. et obed., statuimus, ubi de hoc. Arg. contra 16. q. 7, decimas quas in usum; et supra, de consti., cum omnes. Et ita scientia nobilitat hominem, quae pretio nummario comparari non potest, ff. de var. et extraord. cog., praeses § est quidam. Et si vis appellari philosophus, non debes esse avarus, C. de muner. patrim., possessio, lib. 10.

Per sedem Apostolicam
Ex eo quod dicit, per sedem Apostolicam, patet a contrario sensu, quod per alios in talibus non potest dispensari, quia quod de uno conceditu de alio negatur. Sicut quod de uno negatur de alio conceditur, 25. dist., qualis; et supra, de praesump., nonne; arg. 95. dist., illud; et infra, de his quae fi. a prael., cum Apostolica; ff. de condi. et demon., cum ita. Et sic restricta est potestas episcoporum circa dispensationem huiusmodi beneficiorum, immo praeter istam constitutionem videbatur quod dispensare non possunt, quia episcopus conferendi illud beneficium, qui illud conmferebat habenti consimile, supra, de cleri. non residen., quia nonnulli. Unde sequitur quod non poterat dispensare, quia si posset, non puniretur. Et sic planum est dicere quod solus Papa potest in talibus dispensare. Et quod ita sit intelligenda ista constitutio, probatur aperte supra, de elect., dudum ecclesia, ubi de hoc. Io. notavit hic quod episcopi adhuc poterant in talibus beneficiis dispensare, et vaga et indiscreta dispensatio tantum prohibetur episcopis per

hanc constitutionem, ut dixit. Et posuit hic magnam notulam quae non multum est hic necessaria. Olim enim per antiqua iura bene dispensabant episcopi, ut aliquis haberet plura beneficia curam animarum habentia, 70. dist., sanctorum. Sed illud hodie recepit immutationem per hanc constitutionem. Et hoc mutatum fuit propter indiscretas et stultas dispensationes episcoporum. Item et illud notabis, quia hic prohibetur tantum dispensare in personatibus et beneficiis curam animarum habentibus, et ita circa alia beneficia possunt episcopi dispensare sicut prius, quia unum negando aliud concedere videtur, supra, de praesump., nonne. De hoc dixi in decretali praedicta supra, de elect., dudum ecclesia. Alii dicunt et idem in beneficiis intelligendum. Nam canon antiquus prohibet ne dispensent episcopi in praebendis, 70. dist., sanctorum. Et nisi expresse vetus ius corrigatur, remanet simul cum novo, C. de appellat., praecipimus, in fi. Et quotiens nova actio inducitur, vetus non tollitur, ff. de act. et oblig., quotiens. Et arg. supra, de praeben., cum iamdudum, ubi dicit Papa cum multa per patientiam tolerantur etc. Sic infra, de concess. praeben., litteras, quae satis facit de hoc.

X 3.05.29 *Grave*

Inquisitio
Cum per famam seu clamorem de hoc ad superiorem pervenerit, immo ex officio suo potest inquirere superior semiplene inquirendo, ut infra, de accusat., sicut.

Correctionem
Cum ergo in hoc casu possit se episcopus corrigere, non videtur quod eo ipso quod confert beneficium indigno, perdat ius conferendi, et sic est contra supra, de elect., nihil est; et supra, de elect., cum in cunctis. Io. dixit quod illa constitutio intelligenda est cum dicto istius. Sed tu solve ut dixi in illa constitutione, quia legitur de maioribus dignitatibus curam animarum habentibus. Haec et illa in diversis casibus loquitur, et circa maiora maius periculum vertitur, ff. de Carb., si cui controversia § si quis vero; 43. dist., quiescamus. Et ideo plus ibi puniuntur.

Suspendatur
Et etiam ordinati qui non sunt idonei, removentur ut videtur, licet hoc non dicatur. Sed verius videtur quod isti non removeantur, nisi forsitan essent irregulares. Alias non haberet locum admonitio.

Persona
Arg. contra infra, de concess. praeben., nulla, ubi transfertur potestas ad capitulum. Sed illud contingit propter negligentiam, quia non eligunt infra tempus statutum. Istud propter culpam praelatorum, quia eligunt indignum infra tempus. Sed propter culpam praelati non transfertur potestas ad capitulum, ut infra, de concess. praeben., quia diversitatem; sicut nec vacante sede, infra, ne sede vac. nih. inn., illa. Item arg. supra, de elect., cum in cunctis, in fi. Vel in alio casu loquitur ibi quam hic, istud in dignitatibus, hoc in beneficio simplici.

Relaxetur
Ex hoc patet quod ubi conditor canonis non reservavit sibi absolutionem, caeteris indulsisse videtur, infra, de sent. excom., nuper.

X 3.05.30 *Extirpandae consuetudinis*

Personae
Scilicet episcopi. Et alii quo habent ius restituendi, ut infra sequitur.

Triturantis
Ut 13. q. 1, ecclesias, vers. item non alligabis.

Sufficiens
Sic infra, de praeben., exposuisti. Talis ut sufficiat sibi et suis, ut 50. dist., studeat. Et unde honeste et sufficienter se possit procurare, et hospites recipere, supra, de praeben., de monachis. Tamen haec sufficientia perpenditur ex qualitate personarum, supra, de praeben., de multa, in fi. Quia minus sufficit pauperi quam divit, 41. dist., non cogantur.

In ordine
Supra, de cleri. non residen., quia nonnulli; et supra, de elect., cum in cunctis; et supra, de aetat. et qualit., ut abbates; et 24. dist., presbyteri.

Praebendam
Ex hac littera colligitur quod si quis habet curam animarum et recipiat talem praebendam, quod ipso iure non vacat prima, immo licite potest utramque habere ex dispensatione episcopi, ut hic dicitur. Et hoc concedunt quidam quia cessat ratio prohibitionis, ut hic quidam dicunt. Quia in tali ecclesia annexa praebendae non oportet residere. Et sic illa constiutio supra, de praeben., de multa, non habet locum in hoc casu, ut dicunt. Sed contrarium credo.

Maiori
Hic manifeste videtur quod non potest quis simul habere praebendam et ecclesiam, dummodo ecclesia sit sufficiens. De hoc dicitur supra, de elect., dudum ecclesia.

Perpetuum
Eo ipso intelligitur perpetuus quod auctoritate episcopi est institutus, supra, de offi. vicar., ad haec. In istis ergo casibus tantum licitum est constituere vicarium, alias non.

Privatum
Ipso iure. Simile supra, de praeben., de multa. Quod potest intelligi post admonitionem, alias contra supra, de cleri. non residen., inter quatuor; et supra, de cleri. non residen., ex tuae, cum suis similibus. Vel posset referri ad proxime dictum, de illis qui per vicarios servire debent, cum quibus durius est agendum. Vel dic et verius, alioquin, scilicet si non resideat per seipsum in ecclesia quae dignitati vel praebendae est annexa, sciat se privatum illa ipso iure. Et sic respicit principium § et non vers. nisi forte etc. Et ita sine aliqua admonitione privatus est. Et sic videntur correcta illa iura praedicta ubi dicitur

quod prius monendus est quis antequam privetur ecclesia, quod est honestius. Sed hoc est rigor quod hic statuitur, ut ipso iure sit privatus. Vel quod dicit, alioquin, potest respicere utrumque casum, scilicet quando per se debet servire, et quando per vicarium. Sed verum est quod tantum primum casum respicit et non secundum.

Pro beneficio
Hoc enim posset in posterum esse perniciosum ecclesiae. Simile supra, de arbitr., pervenit. Quia ecclesia videretur quasi censualis, et portio presbyteri diminueretur, quod esse non debet, supra, de praeben., avaritiae.

X 3.05.31 *In Lateranensi concilio*

Concilio
Infra, de privileg., cum et plantare.

Laici
16. q. 1, quoniam quicquid.

Sane
Hucusque sunt verba concilii, et ab hoc loco infra additur praedicto concilio.

Conversatio
Hoc ideo dicit, quia promovendus debet esse bonae famae et opinionis, ita quod in nullo vacillet eius opinio, 33. dist., laici. Ad idem facit 24. dist., quando.

Praelatorum
Et etiam ab his qui foris sunt, oportet promovendum bonum habere testimonium, 8. q. 1, licet ergo; et 63. dist., vota civium.

X 3.05.32 *Licet vobis*

Distributiones
Simile supra, de cleri. non residen., de caetero. Vide qualiter ista decretalis interpretatur illam constitutionem infra, de magistrat., super specula. Quia licet dicatur integre percipiant fructus suarum praebendarum, tamen non percipiunt integre, quia de huiusmodi distributionibus seu denariis, qui dantur illis qui intersunt horis statutis, non intellexit Papa. Sed de corpore praebendae suae quam alii de iure communi in absentia sua percipere non debent clerici. Arg. supra, de consti., cum omnes. Et sic intelligitur ista indulgentia. Et ita praetextu huiusmodi indulgentiae possunt habere integram praebendam ac si essent praesentes, nisi sint huiusmodi distributiones ut in quibusdam ecclesiis consuetudo servatur, ut praeter praebendam qui horis intersint, certum quid percipiant. Et ita quod hic dicitur, respicit consuetudinem ecclesiae. In quibusdam vero est talis consuetudo, ut qui non intersunt horis, non percipiant aliquid de huiusmodi distributionibus licet sint praesentes. Ergo multo fortius in absentia non debent talia percipere. Et sic potest intelligi haec constitutio, quia principis beneficium potius debet ampliari quam restringi, infra, de verb. sign., olim; ff. de constit. princ., beneficium.

Quia ubi Dominus largus est, non debemus esse tenaces, 26. q. 7, alligant, in fi. Sed quid dices si praebendae distinctae non sunt, sed omnia percipiunt de communi, nec datur aliquid illis qui non intersunt horis? Tunc credo quod integre debeant habere beneficia in theologia studentes, habita ratione victus cotidiani. Alias parum valeret talis indulgentia, quantum ad illos qui non habent beneficia distincta.

X 3.05.33 *Exposuisti nobis*

Concilii generalis
Supra, de praeben., extirpandae.

Ante fieri
Et intellige quod capellae istae non erant annexae praebendis, quia non fuissent privati canonici si annexae fuissent, sed de caetero erunt annexae, ut dicit littera in perpetuum annectendis. Ber.

Necessitas vel utilitas
Ista duo frequenter dispensationem inducunt, ut 1. q. 7, tali. Propter necessitatem licitum est alicui habere duas ecclesias, 10. q. 3, unio; et supra, de aetat. et qualit., eam te. Et propter hanc necessitatem adiunguntur capellae praebendis maioris ecclesiae, reservata congrua portione presbytero. Et credo quod canonici isti erunt praelati illarum capellarum, et sacerdos erit loco vicarii perpetui, ut supra, de praeben., extirpandae § 1. Et ita ex causa, capella sive parochialis ecclesia potest adiungi praebendae. Sic ex eadem causa una ecclesia unitur alteri, 10. q. 3, unio, cum suis concordantiis. Vel dic quod si clerici isti certam portionem percipiunt de capellis, nec exercent ibi iurisdictionem aliquam. Sed sacerdos habet ibi curam spiritualium, sacerdos erit praelatus et habet ibi curam animarum, et per episcopum instituetur. Nescio tamen quod istorum ibi observetur. Sed verius videtur quod sacerdos sit loco vicarii, ut in capitulo supra, de praeben., extirpandae.

Discretione
Quae est mater omnium virtutum, supra, de offi. custod., custos ecclesiae; et 1. q. 5, praesentium.

Augmentare
Et ita tenetur episcopus redintegrare praebendam, si fuerit diminuta vel divisa sine iusta causa, supra, de praeben., vacante; et infra, de praeben., cum causam.

Congrua
Unde iura episcopalia solvere possit et hospites recipere, supra, de praeben., de monachis, ubi de hoc. Ber.

X 3.05.34 *Dilectus filius*

Ex donatione regis

Haec ratio movit istos ad exceptionem huiusmodi proponendam, quia si rex conferret ratione iuris patronatus huiusmodi praebendas, non posset compelli per Papam ad hoc de iure, infra, de iure patron., cum dilectus. Unde decanus cum succedit in hoc iure regi, non deberet compelli ad hoc. Quia qui in locum alterius succedit, utitur eodem iure, C. de temp. in int. rest., ea quae, arg. Sed hoc non est versum in casu isto, quia ex quo collatio istorum beneficiorum incipit pertinere ad ecclesiasticam personam, statim res sortitur naturam aliorum beneficiorum, quia res ecclesiastica non debet duplici iure censeri, 12. q. 2, cognovimus, in fi.; et infra, de decim., cum in tua. Et ita ex hoc exceptio non valuit. Unde male interlocuti fuerint isti iudices.

Collatae

Arg. quod si Papa mandat alicui dari praebendam, et canonici eam alii conferant, tenet collatio licet sit contra mandatum Papae. De hoc dictum est supra, de praeben., inter caetera. Sic supra, de praeben., dilectus filius 2.

Frivolam

Et merito, quia iam incipit praesentare decanus ex donatione non tamquam laicus sed tamquam clericus, et ita subest domino Papae. Praeiudicatur patrono, si quandoque etiam per legatum sedis Apostolicae aliquis instituatur eo inconsulto, supra, de offi. legat., dilectus.

Exequi

Sed qualiter exequentur mandatum istud? Numquid dabunt huic aliquam de praedictis praebendis, quae alii sunt collatae? Non credo, sed exequentur mandatum, quia facient statim illum recipi in fratrem, et quam cito facultas se obtulerit, facient ei beneficium assignari secundum tenorem prioris mandati. De hoc dixi supra, de praeben., dilectus filius 1; et supra, de praeben., inter caetera, licet quidam contrarium dicant. Ber.

X 3.05.35 *Super inordinata*

Pueri

Sed quos dicimus pueros? Usque ad quartum decimum annum dicitur quis puer, 22. q. 5, pueri; et supra, de aetat. et qualit., indecorum; et supra, de aetat. et qualit., ex ratione. Sed tales bene possunt habere beneficia et ordinari usque ad sacros ordines. Simile 28. dist., de his; et 77. dist., in singulis; et 77. dist., quicumque. Quid est ergo quod dicit quod pueri non sunt idonei, quia servire non possunt. Dicas quod pueri hic appellantur quantum ad hoc usque ad septem annos, quia tunc servire non possunt, quia nec discretionem habent. Unde non reputantur idonei. Post septem annos bene reputantur idonei ad ordines minores, quoniam sunt doli capaces, infra, de delict. puer., pueris; et hoc per iura praedicta 28. dist., de his; et 77. dist., in singulis; et 77. dist., quicumque. Vel potest intelligi quantum ad dignitatem vel curam animarum ad quam non reputantur idonei, 1. q. 1, pueri; et 1. q. 1, estote; et supra, de aetat. et qualit., ex ratione; et supra, de aetat. et qualit., indecorum; et supra, de elect., cum in cunctis. Sed huic standum est tamquam posteriori, ut ad receptionem talium nulli sint compellendi, cum servire non possint, ut hic dicit, quia propter servitutem tantum datur beneficium.

Beneficiati
Nota quod qui beneficium habet sufficiens, non reputatur idoneus ad aliud beneficium primo retento, quia in utroque servire non potest, quia dum ad utrumque etc., 16. q. 1, presbyteros. Et sic patet quod in duabus ecclesiis de iure quis intitulari non potest, arg. supra, de praeben., extirpandae § 1; et 70. dist., sanctorum; et supra, de elect., dudum ecclesia, ubi de hoc. Et est hic argumentum quod qui non facit mentionem de beneficio suo, non valent litterae, supra, de praeben., cum teneamur; et supra, de rescript., si proponente. Ber.

X 3.05.36 *Cum causam quae*

Intentionis
Nota recurrendum esse ad intentionem mandatis, infra, de praeben., cum olim; supra, de procurat., petitio; supra, de arbitr., exposita; supra, de restit. spol., audita; et supra, de rescript., mandatum.

Integratione
Et ita praebenda dividi non debet sed integra conferri, supra, praeben., vacante; et 1. q. 3, si quis praebendas; et infra, ut eccl. ben., ut nostrum. Quod si fiat, ille qui hoc fecerit tenetur illam redintegrare de vacantibus, ut hic patet, et supra, de praeben., vacante. Et non aliud beneficium dividere, ut hic in fine dicit. Et est arg. quod si sectio aliqua fiat praebendarum, quod tolerari possit quousque integretur. De hoc dixi supra, de praeben., tuae fraternitatis.

X 3.05.37 *Venerabilis frater*

Consuetudinem
Haec consuetudo quantumcumque sit obtenta, et etiam antiqua non est observanda, quia in talibus nulla distinctio nobilitatis est consideranda. Sed undecumque nati fuerint legitime, dummodo honestae vitae fuerint, admittendi sunt, 40. dist., nos qui; et 56. dist., undecumque; et 56. dist., numquam; infra, de instit., ad decorem. Quia non sanguini sed vitae meritis beneficia sunt conferenda, 8. q. 1, Moyses, ut hic sequitur, vers. nos igitur.

Liberum
Haec fuit bona exceptio, quia servi promoveri non possunt nisi libertatem primo fuerint consecuti, supra, de serv. non ordin., instruendi; et supra, de serv. non ordin., de servorum; et 54. dist., nullus, et quasi per totum. Sed hic non assumit liberum eo quod ille fuisset servus. Quod si fuisset, bona fuisset exceptio.

Non generis
Ut 32. q. 4, recurrat § ita.

Non multos
Hoc dicit propter Paulum et propter beatum Bartholomeum, qui nobiles fuerunt. Alii vero Apostoli ignobiles et pauperes fuerunt, et tamen electi fuerunt ad regimen ecclesiae,

quia apud Deum non gradus elegantior, sed vitae melioris actio comprobatur, 23. q. 4, sicut excellentiam. Nec considerandum est quis maior sit in loco vel ordine, sed quis iustior, 40. dist., non loca; et 40. dist., multi, in fi. Arg. contra 60. dist., nullus in episcopum; et supra, de praeben., de multa, in fi.

Personarum
Supra, de iudic., novit; 32. q. 4, recurrat § ita; et 3. q. 9, necesse; et 4. q. 4, nullus introducatur.

Eminentis
Sufficit enim praelato quod sit sufficientis scientiae licet non sit eminentis, supra, de elect., cum nobis. Alias pauci ad dignitates promoverentur, ut hic dicit. Et ita multo fortius toleratur mediocris scientia in beneficiis, ut hic dicit. Merito ergo haec consuetudo et exceptio non fuit admittenda.

Contulit
Alias non potuit ei beneficium non vacans conferre, infra, de concess. praeben., nulla. Solus Papa hoc posset facere. Potest tamen donationi suae reservare primam vacaturam, infra, de iure patron., cum dilectus.

X 3.05.38 *Cum olim priori*

Diocesis
Nisi hoc adiunxisset, non posset ei providere nisi in ecclesia aliqua civitatis, supra, de rescript., Rodulphus.

Provideret
Cum mandatur alicui sub hac forma: provideas tali in aliqua ecclesiarum civitatis vel diocesis, vel conferas tali beneficium in aliqua ecclesiarum etc. Potestas providendi sibi data intelligitur, et per consequens Papa abstulit potestatem canonicis illius ecclesiae providendi, arg. illius decretalis infra, de concess. praeben., constitutus. Potest etiam talis iudex reservare sibi primam vacaturam, vel interdicere ne eligant et decernere irritum quod contra fieret, sicut video in generali legato, qui potest sibi reservare donationem primae vacaturae, infra, de iure patron., cum dilectus. Et quod dicit, abstulit potestatem providendi, hoc intellige postquam executor insinuaverat illi ad quem potestas pertinet conferendi quod velit conferre praebendam illi pro quo mandatur, collationem illius interdicendo vel decernendo irritum si secus fieret, ut hic probatur, et infra, de concess. praeben., extravag. quia in cunctis § ex parte, vers. non sic autem. Sed antequam hoc fiat per executorem, bene potest conferre praebendam ille ad quem collatio pertinet non obstante tali mandato, ut dicit decretalis infra, de concess. praeben., extravag. quia in cunctis § ex parte. Secus est si datus esset executor ad compellendum, tunc etiam non potest interdicere nec conferre nec investire, sed tantum per excommunicationem compellere. Et si canonici alium eligant, valet electio seu collatio illius beneficii, supra, de praeben., dilectus filius 2. De hoc nota supra, de rescript., abbatem, in glossa per hanc.

Ad talia
Scilicet ad dignitates vel rectoriam, quia nec intentio domini Papae talis fuit, ergo nec intentio iudicis seu executoris alia debet esse, supra, de praeben., cum causam; et supra, de arbitr., exposita. Et eadem ratio quae movet delegantem, moveat delegatum, supra, de rescript., super litteris, in fi. Et forma mandati diligenter servari debet, supra, de rescript., cum dilecta; et supra, de offi. deleg., cum olim abbas; et supra, de elect., venerabilem; et C. de procur., si procurator. Ergo quicquid factum est contra formam mandati non tenet. Et ita nec excommunicatio nec institutio talis tenuit, quia vires mandati non patiebantur. Et sic patet quod cum Papa mandat alicui provideri, de simplici beneficio tantum intelligendum est, nisi in litteris hoc contineatur, supra, de rescript., abbatem, in fi. Quia non omnis qui censetur dignus ad beneficium, dignus est ad dignitatem vel personatum vel rectoriam, quia pueri simplex beneficium possunt habere, non tamen dignitatem, supra, de aetat. et qualit., ex ratione; et supra, de aetat. et qualit., indecorum; et supra, de praeben., super inordinata, ubi de hoc dicitur. Et in dignitatibus is gradus caeteros antecellat, quem labor etc., C. de off. magist. offic., nemo; et 61. dist., miramur. Hoc quod dicitur hic, quod pueri possunt habere beneficium, intellige secundum quod notatur supra, de praeben., super inordinata, in fine illius glossae, sed quos etc.

X 3.06 DE CLERICO AEGROTANTE VEL DEBILITATO

X 3.06.01 *Cum percussio*

Impedire
Simile 7. q. 1, cum percussio; et 3. q. 9, indicas; et 5. dist., ad eius vero.

Militaret
23. q. 1, militare; et 1. q. 3, salvator, circa medium; C. de episc. et cler., authen. sed hodie.

Ordinem
Secundum ordinem cuiuscumque et dignitatem constituenda sunt beneficia, 12. q. 2, concesso. De hoc dixi supra, de maior. et obed., statuimus.

Aegrotanti
Quia famuli aegri quod curamus, nobis servire intelliguntur, ff. de statulib., cum heres § Stichus. Et tempore infirmitatis pascendi sunt, ff. commodat., in rebus § possunt. Sic et clerici in aegritudine stipendiis suis privari non debent.

X 3.06.02 *Presbyterum*

Non permittimus
Arg. quod ab initio valuit ex post facto informatur, 33. dist., usque adeo; et 33. dist., communiter diffinimus. Arg. contra quod enim factum est recte, ex superveniente delicto corrumpi non potest, ff. de itin. act. priv., nec enim. Ber.

Scandalo
Propter scandalum enim multa sunt dimittenda, infra, de cleri. aegro., de rectoribus; et supra, de temp. ord., ad aures; et supra, de praeben., cum teneamur.

Deformitatem
Ex hoc verbo apparet quae deformitas impediat ordinandum, cum suspendat ordinatum. Hoc tamen potest ipso facto melius perpendi quam aliquo statuto exprimi, infra, de dona., Apostolicae. Ber.

X 3.06.03 *De rectoribus*

Scandalo
Nota nihil cum scandalo esse sciendum, supra, de cleri. aegro., presbyterum. Dummodo sine peccato mortali possit omitti, infra, de nov. oper. nunc., cum ex iniuncto.

Coadiutor
Et ita videtur quod propter lepram non removeatur praelatus. Sed contra infra, de cleri. aegro., tua, ubi de hoc dicitur.

Curam animarum
Ergo ille coadiutor videtur esse praelatus, ex quo habet curam animarum, infra, de cleri. aegro., tua.

Portionem
Et sic providebitur ei de bonis ecclesiae, infra, de cleri. aegro., tua. Sed pone quod ecclesia non possit sufficere utrique. Respondeo: ille qui servit ecclesiae habebit redditus, et illi infirmo providebit episcopus, 82. dist. § 1; et 82. dist., episcopus. Et ex hoc verbo est arg. quod non sit praelatus.

X 3.06.04 *Tua nos*

Scandalo
Supra, de cleri. aegro., de rectoribus.

Administrationis
Ex hoc videtur quod propter morbum leprae sit removendus praelatus. Sed contra videtur supra, de cleri. aegro., de rectoribus. Et ita sine culpa punitur, quod esse non debet, 56. dist., satis perversum; et 16. q. 7, inventum. Super hoc est diversitas inter doctores. Hug. dixit quod numquam substituitur aliquis vivo nisi eo renunciante. Et in hoc opinione fuit Laur. Et dandus est ei coadiutor, ut supra, de cleri. aegro., de rectoribus; et infra, de cleri. aegro., ex parte; et infra, de cleri. aegro., consultationibus. Et quod dicit hic, ab administrationis officio debet removeri, dicit Laur. ab officio quod est in actu, sed quo ad ius retinebit officium. Bart. distinxit utrum morbus sit curabilis vel incurabilis. Dicas cum Vincen. et Tanc. quod quamdiu aliquis potest remanere in collegio suo sine scandalo et horrore, non substituitur ei aliquis. Alias alius erit substituendus, ut hic, qui erit praelatus in totum et infirmo providebitur de bonis ecclesiae, supra, de cleri. aegro., de

rectoribus. Ad idem satis concordat, quia talis coadiutor praelatus est ex toto. Et hoc patet ex eo quod dicit quod habet curam animarum, et est hoc speciale in lepra propter abominationem populi et scandalum, sicut etiam iudex mutatur si non potest dare operam iudicio, ut ff. de iud., si longius. Alias autem obtinet sententia Hug. et Laur. Et datur tunc coadiutor, infra, de cleri. aegro., ex parte. Et est casus ubi aliquis punitur sine culpa, sed non sine causa. Simile supra, ut lite non cont., quoniam § si vero aliter, in fi. In quibus casibus privatur quis sine culpa sed non sine causa dicitur infra, de privileg., antiqua.

Ministrentur
Supra, de cleri. aegro., de rectoribus. Ex quo cum infirmitas non crimen abduxit, ut 7. q. 1, quamvis triste, quia non est afflictis addenda afflictio, 7. q. 1, cum percussio. Criminosus enim dignus est ut egeat, ff. deposi., bona fides. Laur.

X 3.06.05 *Ex parte*

Cives
Sic 7. q. 2, nuper.

Non possis
7. q. 1, scripsit; et 7. q. 1, quamvis triste.

Afflictio
Simile 7. q. 1, cum percussio; 3. q. 9, indicas; et 5. dist., ad eius vero; ff. de lege Rhod. de iac., navis § cum autem. In leproso tamen secus consuevit dici a quibusdam, ut supra, de cleri. aegro., tua, ubi de hoc. Idem Io. dicit circa leprosum quod Hug. et Laur.

Coadiutorem
Sic infra, de cleri. aegro., consultationibus. Et ita patet quod propter infirmitatem supervenientem non privatur praelatus, quia ecclesiastica beneficia non sunt temporalia, 55. dist., praecepta; et ff. de adopt., si tibi; ff. de hered. instit., hereditas; ff. de regul. iur., actus legitimi. Sic ff. de manum. test., libertas; ff. de peculi., peculium § 2, quod est verum. Arg. contra ff. de off. praes., si forte; et 7. q. 1, pastoralis; 12. q. 2, nobis. Solutio: verum est quod beneficia ecclesiastica perpetua sunt. Et ideo propter casum supervenientem sine culpa non privatur praelatus. Sed datur ei coadiutor, ut hic patet, et infra, de cleri. aegro., consultationibus. In casu tamen alius viventi substituitur secundum quosdam, supra, de cleri. aegro., tua, ubi de hoc.; et 7. q. 1, pastoralis. Omni tamen casu providebitur infirmo de bonis ecclesiae, et coadiutor illi datur etiam invito, arg. infra, de eccl. aedif., ad audientiam 1.

X 3.06.06 *Consultationibus*

Officium linguae
Idem est si amiserit officium oculorum, arg. 55. dist., si Evangelica. Et quia est oculus episcopi, 94. dist., diaconi ecclesiae.

Coadiutor
Et de hoc dictum est in proximis duobus capitulis.

X 3.07 DE INSTITUTIONIBUS

X 3.07.01 *Non amplius*

Absque penuria
Semper enim considerandi sunt redditus ecclesiarum, ut secundum eos clerici instituantur in eis, supra, de vit. et honest. cler., quoniam, ubi de hoc. Ita etiam quod hospitalitatem servare possint et solvere iura episcopalia, supra, de praeben., de monachis; et supra, de supp. neg. prael., sicut. Et econverso tot sunt ponendi quot ex ipsis facultatibus possint commode sustentari, supra, de consti., cum M; et infra, de instit., auctoritate. A contrario sensu infra, de censib., cum instantia; arg. 12. q. 1, praecipimus; 16. q. 7, omnes basilicae. Tamen propter nimium incrementum non credo recedendum a numero consueto, arg. C. de alluv., hi quos; et C. de alluv., ea quae. Ergo tantum debet esse augmentum de quo alius aequale stipendium cum aliis habeat, vel saltem sufficiens et honestum, supra, de consti., cum M.

X 3.07.02 *In ecclesia*

Laici
Et merito, quia homines diversae professionis in eodem officio associari non debent, 16. q. 7, in nona actione; et supra, de elect., cum causam.

Differre
Ultra sex menses alioquin transfertur potestas ad superiorem, infra, de concess. praeben., nulla. Ber.

Idoneis
Qui dicantur idonei habes supra, de praeben., super inordinata.

Tales
Qui sunt idonei et morum honestate et litterarum scientia, supra, de praeben., grave; alias puniuntur, ut ibi dicitur. Haec fuit quaestio utrum laici intitulati in ecclesia ista possint computari in numero clericorum? Et dicitur quod non, quia non reputantur idonei, cum sint laici. Et ita ius canoniae non cadit nisi in clericum, sicut ius eligendi in ecclesia collegiata non cadit in laicum, supra, de elect., sacrosancta; et supra, de elect., Massana. Hoc tamen intelligendum est de laicis professione et habitu et non de conversis. Si enim conversus aliquis alicuius ecclesiae incedat tonsuratus volens esse clericus, cum iam destinatione animi sit clericus, ut 23. q. 1, paratus, iam ecclesiastica persona censetur. Unde tale ius cadit in eum, et ius conversi spirituale est. Unde qui emit illud simoniam committit, ut 1. q. 3, salvator.

X 3.07.03 *Ex frequentibus*

Officialium
Officiales dicuntur quibus episcopi committunt vices suas, qui possunt instituere vice episcoporum, ut hic dicitur.

Recipiunt
Si a laicis recipiant, suspensi ipso iure per canones antiquos videntur, 16. q. 7, si quis deinceps. Arg. contra infra, de iure patron., cura, cui stamus. Sic ergo patet quod auctoritas instituendi est penes episcopum, licet capitulum quandoque eligat, infra, de concess. praeben., nulla. Tamen de consensu capituli episcopus instituere debet, infra, de his quae fi. a prael., novit. Nec obstat 70. dist., sanctorum, quia ibi capellae subditae sunt praeposito quo ad sustentationem, non quo ad institutionem et administrationem. Laur.

Ex officio
Legationis quantum ad suffraganeos diocesis, supra, de offi. legat., cum non ignoretis.

Detinent
Unde nullam possunt habere excusationem quantocumque tempore ea tenuerint, quia diuturnitas temporis peccatum non minuit sed auget, infra, de simon., non satis; et infra, de simon., cum in ecclesiae; et 24. q. 1, schisma; supra, de consuet., quanto. Secus si ignoranter, quia ignorantia nisi sit crassa et supina tales excusat, supra, de ordin. ab ep. qui ren. epi., requisivit; et 8. dist., consuetudo.

Confirmantes
Post quam confirmationem archiepiscopus sententiam relaxare non posset, nisi illud quod sequitur fuisset appositum, arg. supra, de confirm. util. vel inutil., si quis; et supra, de confirm. util. vel inutil., de confirmationibus; et de conse. dist. 2, in altari; et supra, de temp. ord., cum in distribuendis. Ber.

X 3.07.04 *Auctoritate*

Facultates
Hae semper sunt considerandae, ut supra, de instit., non amplius; et supra, de vit. et honest. cler., quoniam, ubi habetur similiter de hoc.

Instituatur
Instituere est ius canoniae in ecclesia vel in ecclesiastico beneficio tribuere, infra, de haeret., cum ex iniuncto. Investire est quasi possessionem illius iuris conferre. Indifferenter tamen unum accipitur pro altero, verbi gratia: instituere est spiritualis beneficii vel dignitatis possessionem corporalem tradere, supra, de offi. archidiac., ad haec; et supra, de offi. archidiac., ut nostrum, quod spectat de iure communi ad archidiaconatum, ut ibi dicitur. Et sic intellige infra, de instit., cum venissent. Investire est ius canoniae vel dignitatis tribuere, quod potest fieri per annullum vel librum. Et sic intelligitur infra, de instit., cum venissent. Sed per hoc non adipiscitur quis possessionem nisi postea corporaliter instituatur, infra, de concess. praeben., cum nostris; et supra, de praeben., pro illorum.

Invitis
Nullus episcopus est dandus invitis, 61. dist., nullus, dum tamen iustam causam ostendat. Ergo eis volentibus potest dari, licet facultates non sufficiant. Et ita possunt sibi in hoc praeiudicare, et victum postea sibi quaerant, 91. dist., clericus victum; et 91. dist., clericus quantumlibet.

X 3.07.05 *Ad decorem*

Acceptus
32. q. 4, recurrat § his ita.

Hereditario
Sic 8. q. 1, Apostolica. Et sic videtur quod non solum filii, sed nec collaterales in ecclesiasticis beneficiis non succedant, infra, de iure patron., consuluit. Sed tamen possunt, arg. supra, de offi. deleg., ex parte N. Dummodo non fiat iure successionis, ut supra, de elect., venerabilem, vers. fi.

Undecumque
Arg. quod nihil refert de quo loco sit natus clericus vel de quibus parentibus, arg. 40. dist., nos qui; et 40. dist., non loca; et 56. dist., undecumque; et 56. dist., nasci; et 56. dist., dominus. Arg. contra supra, de serv. non ordin., instruendi; et supra, de fil. presbyt., ut filii; et supra, de fil. presbyt., ad praesentiam; et supra, de fil. presbyt., per totum; et 98. dist., aphros; supra, de elect., his quibus, ubi dicitur quod praelati quidam instituebant clericos de alienis episcopatibus ignorante episcopo, quod esse non debet. Sed hic omnes erant extranei tam Veneti quam alii, et ideo undecumque essent, debebant in ecclesia Constantinopolitana institui et non Veneti tantum. Verum est quod locus non obstat, dummodo constet de bonitate personae. Et illud capitulum 98. dist., aphros, de incognitis loquitur, supra, de elect., bonae 2, ad fi. Si autem ex damnato coitu natus sit aliquis, non obest ei quantum ad vitam aeternam, sed obest ei quantum ad obtinenda beneficia ecclesiastica, arg. supra, de elect., innotuit.

Indignum
Simile infra, de usur., quia frustra; et 2. q. 6, quis scit. Et est hic arg. culpam culpa compescandam, 95. dist., esto; ff. ad leg. Aquil., item Mela, 1. resp.; infra, de divort., significasti; infra, de adult., intelleximus; et infra, de adult., tua; et infra, de poeni., constitutus.

Compellatis
Et hoc primo petierat patriarcha a domino Papa.

Potestis
Id est, debetis. Sic 22. q. 2, faciat homo.

Promisisse
Quod esset iniquum, quia nullo pacto et nulla conditione ecclesiastica sunt conferenda, 1. q. 2, quam pio; supra, de pact., pactiones; infra, ut eccl. ben., ut nostrum. Unde simoniacum esset.

X 3.07.06 *Cum venissent*

Communis
Arg. ad hoc supra, de offi. ord., cum vos; et 70. dist., sanctorum; 1. q. 3, si quis episcopus praebendas; et 1. q. 3, res ecclesiae; et 1. q. 3, pervenit; et 16. q. 7, nullus omnino. Sed contrarium est verum, quia de iure communi institutio personarum et custodia vacantium ecclesiarum spectat ad archidiaconum, supra, de offi. archidiac., ad haec; et supra, de offi. archidiac., ut nostrum; et 63. dist., si in plebibus. Nisi consuetudo repugnet, ut hic videtur ad finem capituli. Et ex confessione archidiaconi hoc potest colligi, et hic loquitur de institutione corporali, quia collatio dignitatum et praebendarum pertinet ad archiepiscopum, infra, de concess. praeben., quia diversitatem; et infra, de concess. praeben., post electionem; et hic, ut patet ex confessione archidiaconi. Ber.

Custodias
Scilicet vacantium ecclesiarum.

Ipsum
Scilicet archidiaconatum.

Ipse
Scilicet archidiaconus.

Probatum
Sed quare incumbit onus probandi archiepiscopo, cum de iure communi haec spectent ad ipsum, ut hic videtur. Unde eo ipso videtur fundata eius intentio, 16. q. 7, omnes basilicae; C. de probation., sive; et infra, de censib., olim. Responderi potest quod hic duae fuerunt praesumptiones bonae pro archidiacono contra archiepiscopum, quia archidiaconus et ipsius antecessores fuerunt in pacifica possessione, unde praesumitur concessionem fuisse realem. Et quia archiepiscopus confessus fuit quod antecessores sui concesserunt illas dignitates, licet personaliter. Et archidiaconus dicebat concessionem fuisse realem. Unde praesumitur contra archiepiscopum, et ideo onus probandi incumbit archiepiscopo, quod concessio fuit personalis. Et licet persona inseratur pacto, non ideo est personale, sed ut ostendatur cum qua persona sit factum, ff. de pacti., iurisgentium § pactorum; et ff. de pacti., tale pactum. Plerumque enim consulimus successoribus nostris sicut et nobis, ff. de probation., si pactum. Sed transactio potius praesumitur personalis quam realis, nisi fuerit per superiorem confirmata, supra, de transact., veniens; et supra, de transact., de caetero; et supra, de praeben., nisi. Hoc tamen adiecto, quod si episcopus alicui personae det rem ecclesiasticam, potius praesumitur donatio personalis quam realis, 10. q. 2, hoc ius; 16. q. 1, possessiones. Sed si donat ecclesiae praesumitur realis donatio et perpetuo donasse, 16. q. 1, quoniam quicquid; infra, de his quae fi. a prael., cum Apostolica. Arg. hoc ideo est, quia ecclesia non potest mori, 12. q. 2, liberti 2. Sed hic

praesumitur concessionem fuisse realem, ut dixi, quia archidiaconus ille et antecessores sui fuerunt in quieta possessione. Io.

Fuisse
Praesumitur hic concessionem realem fuisse, ex quo est in possessione. Et ideo tuendus est in illa quousque probetur contra eum cessionem factam fuisse personalem. Immo si personae facta fuit, praesumi debet personalis; si dignitati, realis.

Abiurasse
Obiiciebatur archidiacono quod abiuraverat huiusmodi libertates, unde contra iuramentum non fuerat audiendus. Sed quare non auditur archidiaconus licet abiuraverit huiusmodi libertates, cum iuramentum illud temerarium fuerit et in praeiudicium archidiaconatus, et ideo non servandum, supra, de iureiur., sicut nostris; et supra, de iureiur., intellecto. Laur. dicit quatenus iuramentum tangit rem familiarem observandum est, ut nihil utilitatis vel honoris ad ipsum perveniat ratione illarum dignitatum, si eas abiuraverit, arg. supra, de iureiur., quemadmodum. Vel dic quod bene potuit renunciare et abiurare ius instituendi, ut numquam uteretur eo, et tamen dignitati propter hoc non praeiudicetur, quia ecclesia posset tunc uti iure suo ut hic colligitur. Et sic potest servari iuramentum sine praeiudicio ecclesiae et sine interitu salutis aeternae, supra, de iureiur., si vero § 1. Simile infra, de spons., commissum. Abiuratio talis sive renunciatio non tenet in damnum ecclesiae. Tria notabilia notantur hic. Primum quod factum praelati non praeiudicat ecclesiae. Secundum quod iuramentum praestitum a praelato in damnum ecclesiae servatur ab ipso praelato, quod est contra id supra, de iureiur., sicut nostris. Tertium est quod ecclesia habens praelatum sine ipso agere potest, quod est contra id quod dici consuevit, quia nec praelatus sine consensu capituli, nec capituli sine consensu praelati agere potest, supra, de procurat., alia; et supra, de iudic., causam quae vertitur. Et nota quod agenti interdicto uti possidetis, non potest opponi quod rem illam abiuraverit pro qua agit, sicut nec agenti interdicto unde vi, supra, de restit. spol., sollicite.

Ecclesiae
Arg. bonum quod ecclesia vacante capitulum fungitur vice praelati. Sed contrarium arg. colligitur.

Archidiacono
Sed non archidiaconatui.

Ad ipsum
Scilicet abbatem.

X 3.07.07 *Cum ad nostram*

Dantem et recipientem
Simile 24. q. 1, didicimus; infra, de iure patron., per nostras; infra, de bapt. et eius effect., debitum; ff. de auct. tut., quamquam; et ff. de tutor. et curat., ius dandi § praetor. Alias lex est, nemo enim vicem plurium personarum sustinet, 16. q. 1, presbyteros; et C. de assessor., nemo; 89. dist., singula; ff. de pacti., si plures; ff. de off. praes., praeses cum

congnoscat. Arg. contra ff. de adopt., si consul; et supra, de elect., cum inter canonicos. Sed quid si ipse conferret alii potestatem conferendi illam dignitatem, numquid posset ab illo illam recipere, ut sic non videretur eam recipere a seipso? Nota arg. supra, de testib., licet ex quadam; et arg. 18. q. 4, quaesti; ff. de auct. tut., pupillus; ff. de re milit., milites § 1; ff. de admin. rer., non utique § 2; supra, de praeben., de multa, in fi. Arg. contra quia multa possumus per alios, quae non possumus per nos, 88. dist., episcopus; 5. q. 3, quia episcopus; ff. quae res pign. vel hyp., Aristo, in fi.

X 3.08 DE CONCESSIONE PRAEBENDAE

X 3.08.01 *Qui in vivorum*

Communione
Id est, participatione corporis et sanguinis Domini, 7. q. 1, eum qui.

Pellendi
Et nihilominus deponendi, 2. q. 1, in primis; 7. q. 1, non furem; et 7. q. 1, eum qui. Nisi ignorans quis instituatur aliquo remoto, quo casu excusatur, ff. deposi., si quis inficiatus. Et episcopus tenetur ei in alio beneficio providere, 7. q. 1, praesentium; et supra, de praeben., inter caetera. Sed pone quod aliquis est iniuste depositus. Alius hoc ignorans in locum eius substituitur, et stetit ibi per quadraginta annos, et postea scit de iure ad alium pertinere. Numquid debet cedere et illis restituere? Videtur quod sic, supra, de praescrip., vigilanti; et supra, de praescrip., si diligenti; 34. q. 2, si virgo; et supra, de re iudic., consanguinei; et supra, de re iudic., lator. Arg. contra 16. q. 3, placuit § quas actiones; et supra, de praescrip., de quarta. Solutio: dicunt quidam theologi quod quandocumque scivero rem pertinere ad alium, teneor rem restituere. De hoc dictum est supra, de praescrip., vigilanti. Sed hoc non credo quod teneatur dimittere, quia eo ipso quod condemnatus non appellavit, acquievit sententiae, et ita transivit in rem iudicatam, supra, de re iudic., quod ad consultationem. Et sic alius iuste fuit institutus.

Vivis
Nisi iusta ratione depositis, 6. q. 1, eos; 50. dist., postquam. Ber.

X 3.08.02 *Nulla ecclesiastica*

Ministeria
Id est, officia sive dignitates.

Vacent
Nota quod beneficium antequam vacet, non potest promitti. Quod si fiat, non valet, infra, de concess. praeben., relatum; et infra, de concess. praeben., ex tenore. Et sic obligatio nulla contrahitur ex tali promissione, quia est contra ius. Arg. contra supra, de praeben., relatum, et ibi solvitur. Immo ibi receptus fuit statim in fratrem.

Condemnare
Quia pactum de futura successione non valet, C. de inutil. stipul., ex eo instrumento; C. de pacti., de quaestione. Nisi de consensu eius cuius est hereditas, ut in lege praedicta C. de pacti., de quaestione. Eodem modo non tenet promissio de praebenda non vacante, etiam de consensu eius qui tenet eam, cum nulli possit eam concedere, infra, de iure patron., quod autem, in fi. Simile in libro feudorum, tit. 1 § si vero archiepiscopus.

Infra sex menses
Tempus istud sex mensium incipit currere a tempore scientiae generaliter, et non a tempore vacationis, infra, de concess. praeben., quia diversitatem, in fi. Arg. ff. de calum., annus; C. qui admit. ad bon. poss., si bonorum. Et qui scit, certoriari non debuit, ff. de act. emp. et vend., si res vendita, in fi.; supra, de elect., cum inter universas, in fi. Et expressum est supra, de supp. neg. prael., licet; et supra, de praeben., de multa § 1, arg. Item tempus istud utile est, quia tempus illud non currit a tempore suspensionis sententiae quo eligere non possint, infra, de concess. praeben., quia diversitatem. Arg. contra quod currat, licet eligere non possint, supra, de elect., his quibus. Numquid possunt canonici eligere post tempus elapsum? Quidam dicunt quod sic. Sed contrarium est verum quod non possint, et si eligant, non tenet electio, supra, de supp. neg. prael., licet; et supra, de supp. neg. prael., dilecto; nisi de patientia toleretur, infra, de concess. praeben., litteras. Quia pro non dato habetur quod ab illo datur, qui non potest de iure donare, infra, de iure patron., quod autem, in fi. Arg. contra ff. si quis caut., et si post tres; ff. de recepti., Celsus. Et auctoritate huius canonis, semestri tempore statim elapso potest eligere ille ad quem devoluta fuerit eligendi potestas, nulla licentia a superiore petita. Et constitutio ista tantum locum habet ubi distinctae sunt praebendae, et certus est canonicorum numerus constitutus, infra, de concess. praeben., ex parte. Item locum habet in dignitatibus et personatibus omnibus. Sed in episcopatibus et archiepiscopatibus olim locum non habebat, infra, de concess. praeben., dilectus. Hodie locum habet in episcopatibus et archiepiscopatibus et abbatiis, ut potestas eligendi transferatur ad superiorem. Sed minus tempus datur in his, scilicet trium mensium, supra, de elect., ne pro defectu. Et ita in hoc aequiparantur et differunt a minoribus beneficiis et dignitatibus, quia minus tempus datur propter maius periculum, quia mora periculosa est in talibus, supra, de elect., cum inter universas; et supra, ut lite non cont., quoniam § porro.

Spectat
Infra, de his quae fi. a prael., ea noscitur; et supra, de elect., cum ecclesia, ad fi.

Capitulum
Supra, de elect., cum in cunctis. Simile 9. q. 3, cum simus.

Religiosorum virorum
Sic supra, de elect., ne pro defectu, ubi dicitur qualiter haec verba intelliguntur, et 63. dist., obeuntibus, ubi de hoc. Ber.

X 3.08.03 *Relatum est*

X 3.08.04 Proposuit nobis (rev. 9/23)

Lateranensi concilio
Supra, de concess. praeben., nulla.

Appellationis
Tali appellationi non est deferendum, cum eorum non intersit, 2. q. 6, non solent; et supra, de elect., cum inter R. Quia ex tali promissione nihil iuris acquiritur. Sic nec emptor habet actionem furti in re vendita subtracta, si ei res non fuit tradita, ff. de fur., eum qui emit. Ber.

X 3.08.04 *Proposuit nobis*

Assignatione
Facienda, cum vacaverit eidem presbytero. Et hoc probatur in antiqua compilatione, ubi est illud verbum, facienda. Unde videtur quod nihil valuit, supra, de praeben., inter caetera, ubi de hoc.

Executore
Dato forte sub hac forma: mandatum nostrum exequaris.

Investivit
Id est, assignavit, ut patet per hoc quod dicit supra eodem capitulo: assignatione praebendae etc. Executor hoc fecit et male, ut satis patet per litteram inferiorem: sed littera illa ratum volens etc., contradicere videtur. Sed Celestinus hoc ideo dicit, ut excusaret decanum et assumeret causam cassandi collationem capituli. Et hoc satis patet per verba Innocentii. Factum enim decani fuit causa quare Celestinus cassavit concessionem capituli, alias non debuisset cassasse, supra, de praeben., dilectus filius 2. Non est alia ratio nisi quia ipse voluit, quia de eo quod nihil est potest aliquid facere, de conse. dist. 2, re vera, vers. fi. Et simile supra, de praeben., pro illorum, ibi: quod de memorato magistro provide etc.

Assignastis
Unde videtur quod nihil valuit, supra, de praeben., inter caetera. Immo bene valuit, ut supra, de praeben., dilectus filius 2. Et hoc probatur per hoc capitulum, ut infra patet, ubi de hoc.

Ratum
Cum effectu.

Irritavit
Id est, irritum nunciavit. Io. Immo proprie tenetur, ut sequentia probant. Ber.

Investivit
Per talem investituram contulit ei ius canoniae, cum nihil prius habuerit per decanum.

X 3.08.04 Proposuit nobis (rev. 9/23)

De vacaturis

Innocentius et Celestinus videntur diversi. Innocentius non vult habere ratum factum Celestini. Celestinus videtur habere ratam investituram de praebenda vacatura facta per decanum, ubi dicit: ratum volens factum decani haberi, cum tamen decanus non haberet illud in mandatis. Innocentius voluit habere ratam investituram de vacatura, quia Celestinus investiverat presbyterum de vacante post cassationem concessionis. Et sic non poterat ratam habere institutionem de vacatura, cum iam esset investitus de vacante per Celestinum. Nec etiam Celestinus ratam habuit investituram de vacatura. Immo investivit illum de vacante. Ex hac decretali volunt quidam dicere quod si Papa mandat aliquem recipi in canonicum et alius recipiatur, quod debet cassari, ut hic fecit Celestinus. Unde signatur contra supra, de praeben., dilectus filius 2. Sed hoc fecit Celestinus ex plenitudine potestatis, et iniuriam fecit illi instituto quem cassavit, cum de iure teneret electio, ut hic colligitur.

Instituta

Supra, de concess. praeben., qui in vivorum; et supra, de praeben., dilectus filius 2.

Supra ius

Pro nihilo. Hoc dicit quia hic non dispensat. Sed propter hoc dicit, quia decanus illum investivit de vacatura. Et poterat illam eandem confirmare, et ita dispensasset supra ius, sed non habebat hoc locum hic, quia Celestinus illum postea investivit de vacante.

Dispensare

Nam contra Apostolum dispensat, 34. dist., lector. Et contra canones Apostolorum, 82. dist., presbyter. Item contra vetus testamentum in decimis non dandis, infra, de decim., ex parte canonicorum; et infra, de decim., non est. Item in voto, infra, de voto et vot. redem., de peregrinationis. Item in iuramento, 15. q. 6, auctoritatem; et supra, de rescript., constitutus. A contrario sensu de his duobus dixi supra, de iureiur., quanto. Tamen contra universalem ecclesiae statum dispensare non potest, 24. q. 1, memor sum. Nec potest dispensare quod monachus habeat proprium, infra, de statu monach., cum ad monasterium, in fi. Nec contra quatuor Evangelia, 14. dist., sicut. Nec contra praeceptum Apostoli, 25. q. 1, sunt quidam. Quod intelligo in his quae spectant ad articulos fidei. Item secundum quosdam non dispensat in secundo gradu consanguinitatis, supra, de restit. spol., litteras. Quod non est verum, infra, de divort., Deus, quod intelligo de collaterali.

Investitus

Per talem investituram contulit ei ius canoniae.

Post cassationem

Quo ad factum referas secundum Io.

Concessionis

Arg. expressum quod si Papa mandat alicui dari praebendam et detur alii, tenet collatio licet contra mandatum. De hoc dicitur supra, de praeben., dilectus filius 2.

Vacare
Sic ergo videtur quod per sententiam statim perditur dominium, Inst. de off. iudic. § ulti.; contra id ff. de rei vend., i0n fundo; et C. de pacti., traditionibus; et Inst. de rerum div. § per traditionem. Sed hoc ideo quia Papa cassavit concessionem illam, a qua sententia non appellatur, unde statim dominium perditur.

Assignetis
Id est, collatam dimittatis. Vel intellige assignetis, id est, conferatis iterum de facto. Sic infra, de iure patron., si vero. Vel istam assignationem potes referre quo ad possessionem, cum de iure eam habuerit per Celestinum Papam, et etiam per decanum de mandato Celestini. Unde dicitur supra: ratum volentes habere quod ab eodem decano factum fuerat, ut dicebat Io. Sed factum decani nullum fuit, ut dictum est supra.

X 3.08.05 *Quia diversitatem*

Diversitatem corporum
Quia quot sunt capita tot sunt sententiae, de conse. dist. 4, sicut in sacramentis; ff. de recepti., item si unus § principaliter. Et voluntates hominum sunt variae, ff. ad Trebel., quia poterat. Et illud: velle suum cuique est, nec voto vivitur uno. Item Ovidius: pectoribus mores tot sunt, quot in orbe figurae.

Aliis ecclesiis
Sic infra, de excess. praelat., ad aures; et 16. q. 7, nullus omnino.

Beneficiorum
Sic supra, de aetat. et qualit., quaeris; et 12. q. 1 § 1, circa fi., vers. ne dum quaeritis usurpare quod vestrum non est etc.

Forma communi
Per confirmationem enim non creatur ius novum, supra, de confirm. util. vel inutil., cum dilecta; et supra, de confirm. util. vel inutil., si quis; et supra, de confirm. util. vel inutil., quasi per totum. Sic et innovatio privilegii, infra, de privileg., quia intentionis. Quia qui confirmat, non donat, supra, de fide instrum., inter dilectos; et ff. de iuris., et quia. Verumtamen tria operatur confirmatio. Per confirmationem fit maioris auctoritatis res, 11. dist., quis nesciat. Et si fuerit minus valida, fit magis valida per confirmationem si ex certa scientia hoc fiat, supra, de transact., sicut. Item quia nullus praeter auctoritatem confirmantis potest de illo iudicare, supra, de confirm. util. vel inutil., si quis; et supra, de confirm. util. vel inutil., de confirmationibus. Qualiter hoc intelligatur, ibi exponitur.

Lateranensis concilii
Supra, de concess. praeben., nulla.

Suspensionis
Et ita tempus in quo quis eligere non potest, non currit. Sed contra supra, de elect., his quibus. Sic et impedito agere, non currit tempus, C. de annal. except., super annali § 1; et C. de iure dot., in rebus. Sic nec tempus deliberationis imputatur creditori, C. de iure

delib., scimus § donec, in fi. Arg. ff. quemad. serv. amit., si quis alia § ulti.; et ff. quemad. serv. amit., si locus. Quando non currat praescriptio, dictum est supra, de praescrip., illud; et supra, de praescrip., cum non liceat. Et hoc dicit littera ista. Sed si ante suspensionem vel post absolutionem capitulum supplevit negligentiam archiepiscopi, valebit factum capituli. Et hoc quod tempus istud non currit, intellige cum non est negligens in petenda absolutione. Sicut archiepiscopus non fuit negligens, quia statim post suspensionem suam ivit ad curiam pro absolutione, alias imputaretur ei, arg. 100. dist., quoniam; et supra, de rescript., si autem. Simile ff. de regul. iur., qui potest; et ff. de re milit., non omnes § qui captus. Laur.

Negligentes
Sicut caetera praescriptiones, supra, de praescrip., vigilanti; et 16. q. 3, placuit § potest.

Non tamen valuerit
Haec tamen bona ratio est, et ideo non praeiudicat ei, C. de annal. except., super annali § ulti.; et ff. de usuri., cum quidam § si pupillo. Arg. contra ff. ex quib. cau. maio., item ei. Item signatur contra quod suspensus eligat, infra, de cleri. excom., si celebrat, ibi solvitur.

A qua
Ex hoc loco colligitur quod archiepiscopus esset suspensus ab officio et iurisdictione, ut dicebant Laur. et Io. supra, de consuet., cum dilectus.

Suspensus
Sic patet quod licet culpa sua incidit in excommunicationem vel suspensionem, non imputatur ei quod ex illa culpa processerit, 15. q. 1, si concupiscentia; et 15. q. 1, inebriaverunt. Et est simile ubi culpa procedit. Et tamen non imputantur ea quae ex culpa sua processerunt, infra, de spons., veniens 2; ff. de fur., verum; et ff. de fur., qui iniuriae, in princ.; ff. de publican., sed his qui § sin autem. Arg. contra 50. dist., saepe; et 50. dist., studeat; ff. quod metus cau., si mulier. Io.

Accessit
Sic miles commeatu accepto, id est, stipendiis quibus commeare, id est, abire debeat reipublicae causa abesse videtur quousque in domum suam perveniat. Cum est in domo, non abest causa reipublicae. Quamdiu est in itinere habet privilegium, ff. ex quib. cau. maio., miles; et ff. ex quib. cau. maio., qui mittuntur, in fi. Sic et totum istud tempus quousque receperit se in domum suam non currit.

Notitiae
Sic supra, de supp. neg. prael., licet. De hoc dictum est supra, de concess. praeben., nulla. Nam is qui nescit, potestatem experiendi non habet, ff. de calum., annus, in fi.; et 2. q. 6, biduum; et ff. de aedil. edict., cum sex menses.

X 3.08.06 *Cum nostris fuerit*

De iure
De facto tamen non vacabat, ut infra sequitur.

Assignarunt
Sed numquid possunt hoc facere executores, quibus hoc solum mandatum est, ut aliquos moneant recipere aliquem in fratrem eosdem si noluerint compellendo? Videtur quod sic, cum omnia accessoria intelligantur sibi commissa, supra, de offi. deleg., praeterea; et supra, de offi. deleg., prudentiam, in fi.; ff. de procur., ad rem mobilem; et ff. de procur., ad legatum. Sed non est ita, quia forma mandati diligenter est servanda, supra, de rescript., cum dilecta; et supra, de offi. deleg., venerabili; et 27. q. 1, si custos. Sed si mandetur sub hac forma: mandatum exequi non tardetis, secundum quod mandabatur istis executoribus, ut patet in integra, tunc possunt facere quod dicit littera ista secundum quod isti fecerunt. Sed factum istorum effectum non habuit, quia non vacabat praepositura de facto. Et litterae non valebant impetratae tacita veritate, ut dicitur in fine. Si vero simpliciter, mandetur sub hac forma: mandamus ut tales compellatis, ut talem recipiant in canonicum et in fratrem. Tunc non possunt illum ponere in possessionem sive investire, sed simpliciter compellere. Hoc vidi de facto. Sed si mandetur ut illum mittant in possessionem praebendae, numquid possunt excommunicare contradictores et impedientes? Io. dicit quod non, quia executio tantum et non coerctio eis mandata est. Ego credo quod possunt, quia illa executio nulla esset si coerctionem aliquam non haberet, supra, de offi. deleg., ex litteris; et ff. de iuris., imperium.

Falsi suggestionem
Ex hoc videtur quod si commisso per falsi suggestionem sit impetrata, et iudex eam secutus tulit sententiam, quod sententia non teneat ipso iure, arg. supra, de rescript., constitutus; et supra, de re iudic., cum I et A; et C. si ex fals. inst. vel test., falsam. Secus videtur si eam non sequitur, ut in capitulo supra, de re iudic., cum I et A. De hoc dictum est supra, de rescript., ad audientiam 2.

Non vacaret de facto
Ex hoc videtur quod ad hoc ut rescriptum non sit vitiosum, non solum ea quae iuris sunt narranda sunt, sed etiam ea quae sunt facti. Pari ratione videtur quod si secundum rescriptum non faciat mentionem prioris rescripti invalidi, quod non valeat secundum. Sed non est ita, supra, de confirm. util. vel inutil., bonae. Quia litterae priores non dicuntur priores, sed nullae potius exceptione opposita, 7. q. 1, factus est. Nec litterae quae non valent debent praestare impedimentum secundis quae valent, infra, de iure patron., illud; ff. de leg. 1, si servus legatus § si servus; ff. de ver. oblig., si dari stipuler, ubi stipulatio quae potest elidi per exceptionem, non impedit secundam. Sic possessio non dicitur vacua quam alter quocumque modo possidet vel detinet, licet re vera nullus possessor sit, ff. de act. emp. et vend., si in emptione § vacua. Ber.

Talis possessio
Scilicet quae habetur ab eo qui habet plures dignitates.

Plus habet facti
Nota quod alicui possessio acquiritur quandoque, qui habet plurimum iuris et minimum facti. Et sic acquiritur mihi possessio per servum vel per eum quem habeo in potestate, ut ff. de acq. poss., possessio quoque. Et tunc ignoranti acquiritur possessio, et currit

usucapio, ff. de usucap., si emptam. Quandoque possessio habet multum iuris et facti, cum acquiritur per procuratorem et ignoranto acquiritur. Sed usucapio non procedit nisi scienti, C. de acq. poss., per liberam; ff. de usucap., si emptam; et ff. de usucap., si existimans; et ff. de acq. poss., possessio quoque § 2. Quandoque possessio habet parum iuris et plurimum facti, ut illa quae corpore nostro acquiritur, quia ibi animus noster necessarius est, C. de acq. poss., licet. Et tunc usucapio non procedit sine corporali possessione, ff. ex quib. cau. maio., denique si emptor; ff. ex quib. cau. maio., nec utilem. Et talis est haec possessio, quia habetur plus hic facti quam iuris. Immo nihil iuris habet hic, nisi ostendat quod post consecrationem praepositura iusta de causa fuerat ei concessa, quia si haberet aliquid iuris, non compelleretur ad renunciandum sine causa, 16. q. 7, inventum; 56. dist., satis perversum. Item in acquirenda possessione plurimum facti constitit et parum iuris, quoniam sine corporali actu non procedit, ut praedicta lege C. de acq. poss., licet. In retinendo plurimum iuris est, quoniam solo animo retinetur, C. de acq. poss., nemo ambigit; et C. de acq. poss., licet. Et solo animo perditur, ff. de acq. poss., possideri § in amittenda.

Iusta causa

Nota quod ex iusta causa potest quis habere plures dignitates secundum antiqua iura inconsulto domino Papa, ut hic colligitur. Hodie vero non licet sine speciali dispensatione domini Papae, supra, de praeben., de multa. Iusta causa posset esse paupertas episcopatus, arg. 10. q. 3, unio; et supra, de praeben., exposuisti. Sed pone quod aliquis habens beneficium cum cura animarum recipit aliud beneficium cum cura animarum, et nihilominus retinet primum quod vacat ipso iure. Alius dicens beneficium vacare, impetravit litteras a domino Papa ad delegatum, ut illud beneficium sibi conferat. Si est ita nulla mentione habita in litteris de tali possessione, numquid valent litterae taliter impetratae? Credo quod valeant. Et sicut ille ad quem pertinet collatio illius beneficii potest illud conferre possessore irrequisito, ut dicit decretalis illa supra, de praeben., de multa; et supra, de elect., cum in cunctis, quae loquitur in episcopo sicut hic. Ita delegatus iste potest conferre beneficium illud, cum in hoc eandem habeat potestatem, non obstante quod de hoc in litteris mentio non habetur. Sed hic non valuerunt litterae, quia ex nova causa potuit eligi de novo post suam consecrationem ad praepositurum eandem vacantem, prout Papa mandat inquiri. Secus si non fuisset postea electus. Sed praepositurum retinuisset ex prima concessione, credo quod tenuisset collatio executorem per decretales praedictas. Vel dicas: litteras tales non valere iure novo illius decretalis supra, de praeben., de multa. Et idem credo in personatibus et beneficiis curam animarum habentibus, secus in beneficiis simplicibus. Aut si unum beneficium sit cum cura vel personatu, et aliud sine cura vel personatu, tunc est facienda mentio de possessione facti, alias non valent. Ber.

Inducere

Et numquid possunt ad hoc eos compellere ut eum recipiant, secundum quod possunt episcopum compellere ut renunciet? Non credo quod possint compellere eos, quia monitores tantum esse videntur.

X 3.08.07 *Post electionem*

Confirmationem
Supple, et consecrationem, quia alias non dicitur vacare plene, supra, de elect., cum in cunctis. Vel ipse electus consensit ut archidiaconatus ipsius daretur magistro H., et sic vere vacavit.

Ordinationem
Id est, institutionem. Sed contra infra eodem capitulo, vers. quod si archiepiscopus infra terminum Lateranensis concilii secundum praescriptam formam personae idoneae non conferret. Solutio: ad capitulum et decanum pertinet institutio in capitulo et in stallo. Ad archiepiscopum autem pertinet institutio in praebenda et dignitate, id est, collatio beneficii vel dignitatis, ut infra, vers. personae idoneae.

Mentio nullatenus
Nec erat necesse facere mentionem de parte, id est, de decano, cum pars teneatur in toto, 94. dist., legimus, in fi.; et 14. q. 5, poenale; de conse. dist. 5, non mediocriter; ff. quod metus cau., ait praetor; ff. de regul. iur., in toto. Sic etiam episcopus in ecclesia, 7. q. 1, scire. Sic nomine populi continentur senatores, Inst. de iure natural. § plebs. Sic et familiae appellatione, ipse dominus familiae continetur, ff. de ver. sig., familiae. Quandoque tamen nomine ecclesiae non comprehenditur episcopus, 63. dist., sacrorum § ex constitutionibus; et infra, de verb. sign., cum clerici; et 56. dist., Apostolica; et infra, de testamen., requisisti. Arg. contra praedicta quod plus valet specialis nominatio quam generalis, 23. dist., quamquam, cum suis concordantiis; et supra, de rescript., sedes, cum suis concordantiis; et supra, de rescript., eam te.

Institutione
Id est, collatione.

Reprobata
Id est, non admissa.

Resignationem
Hoc proponebatur, sed non fuit probatum. Sed si probaretur, quia tamen petebatur confirmatio ratione primae concessionis quae non tenuit, non prodesset sed forte tenuisset ratione secundae concessionis ab archiepsicopo factae. Immo videtur quod non, dummodo locum viventis scienter occupaverit, 1. q. 1, in primis, vers. princ.

Confirmari
Ex hac littera videtur quod R. erat in possessione archidiaconatus, et hoc petebat ei restitui, quia agebat possessorio contra R., ut dicitur in glossa de his. Contra tamen dicit decretalis supra, de testib., constitutus, ubi dicitur quod H. non spoliavit istum R. Sed littera illa inferior, scilicet super eo duximus silentium imponendum etc., potius ostendit quod ageretur de proprietate. Quod verius puto ex eo quod dicit, petiit confirmari. Si actum fuisset possessorio contra R., non fuisset condemnatus super ipso archidiaconatu, sed super possessione ipsius vel quasi.

Constitit
Per confessionem R., ut patet in antiqua decretali.

Institutioni
De te facta.

Reprobata
Quae primo debuit reprobari antequam transitus fieret ad secundam, supra, de elect., consideravimus; et supra, de elect., bonae 2.

Regulam
Supra, de concess. praeben., qui in vivorum; et 7. q. 1, non furem.

Effectum
Quia non constitit quod tempus sex mensium fuisset elapsum ex responsione R., ut patet in antiqua.

Renunciatione
De his enim coram Papa fuit propositum, sed non probatum, ut dixi supra. Sed Io. dixit quod sive hoc fuisset probatum sive non, ex quo iudex processit ad sententiam, amplius audiri non debet, supra, de re iudic., inter monasterium; et supra, de re iudic., suborta. Et ideo non admisit eum in modum exceptionis, quia calumneiose hoc obiicere videbatur. Unde licet non admittatur in modum exceptionis, admittitur tamen in modum accusationis. Sic supra, de appell., constitutus, in fi., ubi de hoc. Vel intentabatur possessorium, unde non habet locum hic talis exceptio, supra, de restit. spol., sollicite. Ex antiqua bene colligitur quod possessorium intentabatur. Vel ideo non fuit auditus iste R., quia si vellet probare quod alter renunciasset vel abiurasset, propterea non obtinuisset, ex quo sua electio non tenebat, arg. supra, de rescript., olim. Et idem R. nitebatur ex concessione capituli, quae non tenebat, arg. supra, de rescript., olim. Vel illa est potior causa quare haec possunt postea opponi, ne videlicet per subreptionem habeat dignitatem, quia si renunciaverit vel abiuraverit vel post tempus elapsum electus fuerit, non potest licite remanere, quia non habet canonicum ingressum, supra, de elect., cum dilectus; supra, de appell., constitutus. Et sic patet quod talis sententia sive confirmatio nihil novi tribuit, si probabitur aliquid de praemissis. Et ita quasi sub conditione sententiavit Papa. Item habes hic quod mora non potest purgari. De hoc dixi supra, de concess. praeben., nulla.

X 3.08.08 *Cum super quaestione*

Lateranense concilium
Supra, de concess. praeben., nulla.

Non extitit
Ideo tibi non nocet, C. de probation., cum precibus. Sed nocet ipsis confitentibus, C. de fid. instrum., si adversarius. Unde puniri possunt tamquam confessi, supra, de confess., cum super. Ber.

Posse
Quia frustra legis auxilium invocat qui committit in legem, infra, de usur., quia frustra. Et mutua delicta pari compesatione tolluntur, infra, de adult., intelleximus; et infra, de adult., tua; et ff. de donation., si duo; ff. solut. matrim., viro; supra, de except., cum ecclesiasticae. Arg. contra infra, de simon., veniens; et infra, de concess. praeben., ex tenore, ubi de hoc. Praeterea turpitudinem suam allegabant, unde non debuerunt audiri, infra, de dona., inter dilectos. Et sic obstat alicui proprium factum, licet sit iniustum. Sic supra, de cleri. coniug., diversis; et supra, de fil. presbyt., veniens; 28. dist., diaconi; ff. de adopt., post mortem; ff. de servitu. rust. praed., per fundum. Arg. contra 55. dist., poenitentes; 35. q. 9, quod quis; supra, de praeben., cum non ignores. Sed nonne in pari causa turpitudinis potior est conditio excipientis, ff. de condi. ob turp. caus., ubi autem; supra, de praeben., relatum; et supra, de praeben., dilectus filius 3. Item contra infra, de concess. praeben., ex tenore? Solutio: hic clericus ille iam erat receptus in canonicum, et ideo potior fuit eius conditio. Secus si promissionem solum habuisset, vel receptus fuisset ad proximam vacaturam, quae non tenet, infra, de concess. praeben., ex tenore; et supra, de concess. praeben., nulla; et supra, de concess. praeben., relatum. Et quia probatum non fuit quod contra concilium fuisset, hoc potius solvit contrarium.

Carere praebenda
Nota quod qui receptus est in canonicum, diu praebenda carere non debet. Sic supra, de praeben., relatum; et supra, de praeben., dilectus filius 3. Sed illa supra, de praeben., dilectus filius 3, contradicere videtur. Ibi enim mandat Papa quod distributiones cotidianae conferantur, et hic expectat quousque vacaverit beneficium. Quare non mandat hic dari distributiones? Respondeo: hic fuit receptus simpliciter in fratrem et socium nulla mentione habita de aliqua vacatura. Et sic debet expectare vacaturam, ut hic dicitur. Et in capitulo supra, de praeben., dilectus filius 3, fuit receptus in fratrem ita quod nihil perciperet nisi loco proxime vacaturae, quod non licuit. Et ideo fuit illud cassatum. Unde Papa noluit quod illi darentur distributiones propter vitium expressum, quod credo fuisse factum ex gratia. Hic noluit facere hanc gratiam. Antequam iste C. fuit receptus in fratrem, vacavit praebenda et alius eam habuit, ut habetur in integra. Ber.

X 3.08.09 *Litteras vestras*

Propositum
Ab ipso D. clerico.

Electus
Nihilominus retinuit praebendam et canoniam minoris ecclesiae, prout sequitur.

Ex consuetudine
Haec consuetudo potius fuit censenda corruptela, supra, de consuet., ad nostram; et supra, de consuet., quanto; et supra, de consuet., cum inter. Quia quot praebendae vel personatus sunt in ecclesia, tot canonici debent constitui, arg. supra, de concess. praeben., nulla; et supra, de instit., in ecclesia; et 89. dist., singula; et supra, de praeben., de multa.

Confirmavit
Quod facere non potuit, supra, de elect., dudum ecclesia.

Vacere noscatur
Per hoc videtur quod episcopus potest alicui conferre plura beneficia, supra, de praeben., de multa. Quia non potest dispensare quod aliquis habeat plures ecclesias vel praebendas intitulatas, 70. dist., sanctorum. Item eo ipso quod transivit ad secundam ecclesiam vacavit prima, 21. q. 2, si quis iam translatus; et supra, de elect., cum in cunctis; et supra, de praeben., de multa. Et est simile ff. de re iud., si se non § si quis ex conventione; ff. de divorti., quod ait, in fi. Et haec quae dicta sunt locum habent quando recipit secundam ecclesiam tamquam intitulatam cum cura animarum. Secus si recipiat simplex beneficium, quia per constitutionem illam supra, de praeben., de multa, non videtur episcopis adempta dispensandi facultas circa beneficia simplicia, vel circa beneficium et ecclesiam, sed in personatibus et beneficiis curam animarum habentibus. Sed ut in eadem ecclesia habeat quis plura beneficia, episcopus dispensare non potest, ut hic colligitur, cum dicatur quod talis praebenda de iure vacet non obstante confirmatione archiepiscopi praedicti. Praeterea simile habes supra, de concess. praeben., cum nostris; ff. ad municip., municeps 2; et C. de pac. convent., si mulier; 26. dist., acutius, in fi. Arg. contra ff. de act. et oblig., quotiens; et C. de rei uxor. act., rem § sciendum. Io. De hac dispensatione dixi supra, de praeben., de multa, sed melius supra, de elect., dudum ecclesia, in glossa. Nota ergo in glossa. Vel dic quod ideo confirmatio non valuit, quia per talem confirmationem non intendebat dispensare cum illo, quia semper est necessarium ut dispensatio exprimatur, infra, de schismat., fraternitati. Et ita confirmatio non valuit, cum iam vacaret de iure licet non de facto, nec archiepiscopus intendebat dispensare cum ipso. Et si causa fuisset, poterat dispensare cum ipso, ut supra, de concess. praeben., cum nostris. Ber.

X 3.08.10 *Ex parte Astensis*

Opponere
Videtur ergo quod duo vel tres de collegio defendere possunt ipsum collegium invitis aliis, sicut et agere, 12. q. 2, non liceat, vers. liceat; ff. de liber. caus., quoniam; et ff. de liber. caus., amplius. Sed tamen isti reportaverunt contrariam sententiam, quia nihil rationabile ostenderunt quare possent caeteris obviare. Et est arg. quod si unus canonicus velit agere pro ecclesia, quod non sit necesse ostendere litteras de rato. Sed hoc non est verum, supra, de iudic., causam quae vertitur; et supra, de offi. deleg., coram. Et est hic notandum quod unus vel duo possunt se opponere pro defensione ecclesiae, si rationabilem causam ostendant, infra, de his quae fi. a maior. par. cap., cum in cunctis, in fi., et hic.

Utraque pars
Nota quod dominus Papa supplet hic de facto. De hoc dictum est supra, de elect., cum nobis; et supra, de postul. praelat., bonae 1.

Distinctae
Et ita ubi praebendae distinctae non sunt nec certus canonicorum numerus definitus, non dicitur vacare praebenda nec locum habet sua constitutio, supra, de concess. praeben., nulla, ut hic patet. Sic etiam dicit de communiter viventibus quod non debent facere portiones inter se, arg. 12. q. 1, quia tua. Ibi ergo non dicitur vacare praebenda, sed ubi certum quid fatur cotidie cuilibet personae per se viventi, et ubi est certus numerus tantum constitutus. Laur.

Totum capitulum
Arg. quod si aliqua ratio allegatur et alia ratio movet iudicem quae non allegatur, iudex ex officio suo potest eam supplere et secundam illam procedere, supra, de elect., cum nobis; ff. de peculi., quaesitum § penulti.; et ff. deposi., depositum § si apud; et ff. de pet. hered., filius. Sed arg. contra supra, de iudic., examinata.

Suppetant
Hoc semper considerandum est, supra, de instit., non amplius; et supra, de instit., auctoritate; C. de sacro. eccl., in ecclesiis; et supra, de vit. et honest. cler., quoniam. Et ita obtinet hic pars ista, non ex illa causa quam allegavit per se, scilicet institutionem episcopi et archiepiscopi. Sed quia Papa invenit eos institutos per episcopum de consensu capituli, et si certus numerus esset constitutus, adhuc non valebat institutio archiepiscopi vel episcopi, cum potestas conferendi praebendas illas translata fuisset ad Papam, cum iam per quatuor annos vacavissent, supra, de praeben., ratio.

Consuetudinem
Nota quod cum Papa scribit pro aliquo eligendo, semper facienda est interpretatio secundum consuetudinem ecclesiae illius, supra, de consuet., cum olim. Nec enim minuendi sunt redditus consueti, infra, de censib., prohibemus. Et quilibet eum gradum et honorem retineat quem ex consuetudine pristinae conditionis meruit, C. de off. praef. urb., primicerius. Et ita licet non sit numerus constitutus, tamen tot sunt ibi constituendi quot consueverunt ibi esse, dum tamen sufficiant facultates. Alias si non sufficerent, deberet reduci numerus ille ad eum numerum quod possent congrue sustentari, in Auth. ut determ. sit num. cleric. § investigantes, coll. 1, in ulti. colum. Ber.

X 3.08.11 *Constitutus in praesentia*

Canonice
Hoc enim intelligebatur in illa concessione, ut personae idoneae et modo canonico illam conferret, supra, de elect., causam quae. Arg. infra, ut eccl. ben., ut nostrum; ff. de servit., si cui; ff. de ritu nupt., quamquam. Sed quid si ille conferat indigno, numquid iterum posset dare? Certe non, supra, de elect., cum in cunctis. Idem credo si electus ille non vult consentire, quia ius redit ad pristinum statum, supra, de elect., cum Wintoniensis. Sed numquid episcopus et capitulum eam dare possunt? Ita quia dolus procuratoris non obest domino, ff. de dolo mal., et eleganter § penulti.; supra, de in integ. restit., cum venissent; et supra, ut lite non cont., ad hoc. Vincen. Sed pone quod episcopus ante collationem ipsius H. conferat eam, numquid valeat collatio? Sic, sed si clausula illa: si contra fecerit decernimus irritum et inane etc., adiecta fuisset, tunc non

posset conferre, supra, de praeben., inter caetera. Alias si episcopus conferret, credo quod collatio teneret, supra, de praeben., dilectus filius 2. Ber.

Contra formam concessionis

Sic supra, de praeben., relatum. Non enim revocatur perfecta donatio, 22. q. 2, non enim; et C. de usuca. pro donat., irritam; et C. de condi. ob caus. dat., cum ancillam. Nisi ob culpam donatarii, 16. q. 7, inventum; 56. dist., satis perversum; et infra, de dona., propter; C. de revoc. donat., generaliter; et Inst. de donation. § sciendum. Sed si ante istud mandatum illam contulissent episcopus et capitulum si qua praebenda vacasset, valeret collatio quia talis donatio vel concessio non tenuit, ut hic patet. Et simile supra, de concess. praeben., relatum; et infra, de concess. praeben., cum dilecta. Item hic habes quod concessio quae nulla est, efficitur valida per consensum Papae. Simile 3. q. 6, hoc quippe. Sed numquid episcopus potest istud ius delegare alii, cum illud sibi competat? Arg. quod sic supra, de elect., suffraganeis; de conse. dist. 1, missarum; et de conse. dist. 1, nullus 2. Maxime cum instituere sit iurisdictionis, non episcopalis officii, supra, de elect., nosti; et supra, de elect., transmissam. Respondeo: in genere potest episcopus ex causa delegare tam institutionem quam administrationem rerum suarum, 16. q. 1, statuimus; et supra, de instit., ex frequentibus. Sed non in specie per hanc decretalem, et infra, de concess. praeben., cum dilecta. Quia illud posset fieri in fraudem constitutionis, et supra, de concess. praeben., nulla. Verumtamen ius instituendi in aliqua ecclesia donare posset, infra, de dona., pastoralis. Arg. contra infra, de iure patron., cum dilectus., ubi legatus reservat sibi donationem primae vacaturae. Io.

In fraudem

Nota hic arg. quod si aliquid prohibetur una via, non conceditur alia via, quia fraus fit legi. Sic supra, de procurat., tuae, ubi de hoc. Et optime habes hoc ff. de tutor. et curat., si rem § 1; et ff. de condi. insti., quae sub conditione § si quis; et ff. de bon. libert., quaeritur; et C. si manc. ita ven. ne prost., eam; ff. de Maced., si quis patrem § is autem, in fi.; et ff. de sponsal., oratio; et infra, de privileg., quanto, ubi de hoc.

X 3.08.12 *Dilectus filius*

Extendi

Hodie vero si cathedralis ecclesia vel regularis per tres menses vacaverit, eligendi potestas devolvitur ad proximum superiorem, supra, de elect., ne pro defectu. Et ita hodie valeret talis electio facta per tres menses. Constitutio illa supra, de concess. praeben., nulla, loquitur de minoribus dignitatibus et beneficiis. Unde non extenditur ad episcopatus vel archiepiscopatus, sed poterat conferre eos auctoritate illius canonis, 50. dist., postquam; et 63. dist., obeuntibus. Unde non valuit hic electio facta auctoritate ipsius. Illa supra, de elect., ne pro defectu, locum habet tantum in episcopatibus, archiepiscopatibus et abbatiis. Ber.

X 3.08.13 *Ex tenore*

Chartam quandam
Sibi imputet qui chartam huiusmodi contra se exhibuit, quia potuit praevidere an ei prodesset vel obesset. Sic supra, de fide instrum., imputari; et supra, de praescrip., veniens, quasi ad finem.

Statuta
Supra, de concess. praeben., nulla; et supra, de concess. praeben., relatum. Hic auditi fuerunt monachi isti turpitudinem suam allegantes in odium illius recipientis turpem promissionem, 28. dist., diaconi. Sic auditur quis ubi vertitur periculum animae, supra, de re iudic., lator; et supra, de re iudic., consanguinei. Immo generaliter in excipiendo bene potest quis allegare turpitudinem suam, ff. de condi. ob turp. caus., per totum. Et etiam in agendo, cum eum allegat contra eum qui eam exegit, C. de iureiuran., in omnibus; et C. de iureiuran., cum ex iudices. Arg. contra supra, de concess. praeben., cum super, sed ibi solvitur. Plus fuit ibi processum, quia receptus fuit in canonicum. Hic sola promissio intervenit, quia ibi non fuit probatum quod contra concilium ille receptus fuisset, alioquin bene fuisset repulsus. Ber.

X 3.08.14 *Accedens*

Casibus
Generalior est enim ista concessio: cum potero quam ista cum vacabit. Nec etiam in ea contingit expectare mortem alterius, sicut in alia, nam possunt aliqui privari ecclesiis, supra, de praeben., referente. Item quandoque aliqui renunciant. Item quia possunt aliqui adiungi aliis tamquam socii in ecclesia. Item possunt fieri de una praebenda duae, supra, de praeben., vacante. Item quia possunt augeri facultates ex testamento alicuius vel donatione. Et sic non semper timetur quod aliquis desideret mortem alterius, quae fuit causa huius prohibitiones, ut supra, de concess. praeben., nulla. Saepe enim permittitur aliquid in genere quod non permittitur in specie, 13. q. 2, non aestimemus; et supra, de offi. ord., si sacerdos. Et eodem modo videtur quod huiusmodi promissio valeat, promitto tibi beneficium ecclesiasticum, cum sit generalis.

X 3.08.15 *Postulastis*

Nisi
Mutat casum quando scilicet non pertinet simul ad episcopum et ad capitulum ius eligendi. Simile supra, de offi. deleg., consultationibus.

Sed ut canonicus
Hic patet quod ubi eligendi ius communiter pertinet ad archiepiscopum et capitulum, huiusmodi ius eligendi non devolvitur de uno ad alium. De hoc etiam dictum fuit supra, de offi. ord., irrefragabili. Sed qualiter episcopus potest stare in capitulo quasi canonicus, quia quam cito fuit consecratus in episcopum, vacant priora beneficia sua, supra, de elect., cum in cunctis. Et municeps esse desiit senatoriam dignitatem adeptus, ff. ad municip., municeps. Nec potest dici quod eligi possit postea in canonicum, quia secundum hoc oporteret ipsum confirmare propriam electionem, quod esse non debet, supra, de instit., cum ad nostram. Potest dici quod licet dignitates priores perdat, ius

tamen canonici retinet, non quod prius habebat, sed quod episcopus prius consuevit habere per vicarium, eo ipso quod quis eligitur in episcopum, eligitur ad tale ius canonici de consuetudine loci. Et ex causa intelligo hanc consuetudinem introductam fuisse, arg. supra, de concess. praeben., cum nostris. Sed obiicio fortius: si episcopus eligitur quasi canonicus de novo electus, ergo in eligendo non habet primam vocem, quia sic eligeret seipsum, quod esse non debet, supra, de instit., cum ad nostram. Dixit Io. quod illud ius canonici ad quod electus est episcopus est privilegiatum, et excedit alia iura. Et hoc ideo quia illud ius annexum episcopali est dignitati, et ratione connexitatis saepe sortitur aliquis privilegium, ut 18. q. 4 § quis contumax; ff. de rei vend., quae religiosis; et supra, de iudic., quanto. Quod prius dictum est, verius est, quia simul eligitur ad utrumque, eo ipso quod eligitur in episcopum, eligitur in canonicum. Et de speciali consuetudine hoc obtinet.

Cum dolose impedierit

Ut quia fecit quod praepositus qui habet congregare capitulum differet, ei promittens quod ad placitum suum conferret. Et expone cum, pro si.

Dolus

Si ergo capitulum non eligat infra tempus statutum procurante episcopo, non devolvitur propter hoc eligendi potestas ad episcopum. Et dolus eius non oberit capitulo, quia illud tempus restituendum est capitulo, ff. ex quib. cau. maio., ait praetor § ulti.; et ff. ex quib. cau. maio., sed et si § hoc quoque; et supra, de in integ. restit., ex litteris. Secus si dolo alterius factum esset, quia tunc ageretur contra illum qui dolum fecit, ff. de dolo mal., arbitrio § penulti., si esset solvendo. Sed in casu isto dolosus non est solvendo, et ideo restituitur capitulo pristinum ius, ff. de eo per quem fac. erit, ex hoc edicto; et ff. de dolo mal., et eleganter § penulti. Io. Contrarium credo, et imputent sibi quia non elegerunt infra tempus. Sic enim alias ubi eligere non possunt, tamen currit tempus, supra, de elect., his quibus. Et potestas eligendi non devolvitur ad episcopum propter dolum suum sed ad superiorem, ut in littera dicitur. Ber.

X 3.08.16 *Cum dilecta*

Promissiones

Huiusmodi promissiones irritae sunt, supra, de concess. praeben., nulla; et supra, de concess. praeben., relatum; et supra, de concess. praeben., ex tenore; et supra, de concess. praeben., constitutus.

Donationes

Talis donatio non tenuit facta de re non vacante. Unde ea non obstante potuit comitissa praesentare vacantibus ecclesiis illis, infra, de iure patron., illud. Et praeterea talis donatio fieret in fraudem canonicae sanctionis, supra, de concess. praeben., constitutus. Unde non teneret nisi confirmaretur a Papa, ut ibi. Sed videtur quod comitissa non poterat hoc allegare, quia turpitudinem suam in hoc proponebat, supra, de concess. praeben., cum super; et infra, de dona., inter dilectos; et C. de transaction., transactione finita; et C. de revoc. donat., cum profitearis. Et quia in legem comisit, frustra legis implorat auxilium, infra, de usur., quia frustra; ff. de minor., auxilium. Sed dicas quod in

casu isto bene audiretur comitissa, cum nullum ius adhuc sit acquisitum donatariis, ut supra, de concess. praeben., ex tenore. De hoc dictum est supra, de concess. praeben., cum super. Vel forte comitissa hic non agebat, sed factum ipsius quod erat contra ius, innotuit domino Papae. Unde Papa illud decernit irritum, et mandat ut de caetero talia non debeat attentare, cum illud sit contrarium iuri. Ber.

X 3.09 NE SEDE VACANTE ALIQUID INNOVETUR

X 3.09.01 *Novit ille*

Scrutator
32. dist., erubescant; et 24. q. 3, Deus qui; et 2. q. 5, consuluisti; et 32. q. 5, Christiana.

Uniendo
Nota quod tribus modis fit unio ecclesiarum. Uno modo sic, ut una subiicitur alteri, et secundum hoc erit sedes apud illam cui subiicitur. Vel sic possunt uniri, ut ex duabus dignitatibus fiat una. Et secundum hoc illi qui sunt in una ecclesia canonici sunt in alia, et tam isti quam illi intererunt in electione praelati et in aliis negotiis. Sed in hac unione distinguitur. Quia aut una ecclesia unitur alteri, aut illae duae uniuntur insimul, quae duo diversa sunt. Sed si una unitur alteri, secundum hoc illius naturam et consuetudinem et privilegia assumit cui unitur, infra, de statu monach., recolentes § ulti. Si autem simul uniuntur, tunc consuetudines et privilegia quae meliora sunt et humaniora in altera eorum debent uniri, vel retineri in unitate, arg. de poen. dist. 1, medicamentum; 32. q. 1, non est culpandus. Sicut cum imperator unit actionem bonae fidei et stricti iuris, illud unitum retinet ea quae meliora fuerunt in altera actione, ut C. de rei uxor. act., rem, in princ. Similiter cum legata et fideicommissa uniuntur id quod humanius erat tam in una quam in alia, retinuit illud unitum, C. commun. de legat., omne, circa fi. Tertio modo possunt uniri, ita quod utraque remaneat episcopalis. Et secundum hoc sunt duo episcopatus, licet idem sit episcopus utriusque ecclesiae, ut 16. q. 1, et temporis. Et secundum hoc si illae ecclesiae diversis suberant metropolitanis, propter illam unionem neuter metropolitanus perdit ius suum, infra, de relig. dom., quia monasterium. Io.

Dissolveretur religio
Quia episcopus erat abbas. Unde non posset convenienter servari religio, cum essent diversae professionis, quia non debent promiscuis actibus turbari officia, arg. C. de testament., consulta divalia; et 89. dist., singula. Item quia communia materiam discordiae creare solent, ff. de leg. 2, cum pater § dulcissimis. Et naturale vitium est negligi quod communiter possidetur, C. quan. et quib. quart., meminimus, lib. 10. Ex huiusmodi causis videbatur unio damnosa. Io.

Hospitalitas
Ad quam praecipue clerici et monachi tenentur, supra, de praeben., de monachis; et 16. q. 1, quoniam quicquid. Episcopus enim redditus illos percipiebat de quibus eleemosyna fieri consuevit.

X 3.09.01 Novit ille (rev. 9/23)

Coepimus

Mandavit Innocentius quibusdam, ut monasterium ipsum sub prioris regimine facerent gubernari, et episcopus certis redditibus esset conventus unione manente, et quod episcopus res monasterii non expenderet, nec episcopus bona ecclesiae vacantis sibi subiectae alienare posset. Ideo dicit ad relevandum ecclesiae vestrae statum coepimus intendere etc. Et hoc Innocentius ad petitionem Barthoniensis episcopi suo privilegio confirmavit. Ideo dicit infra quod eo vivente concessimus etc.

Barthoniensis episcopi

De isto episcopo nomine Savarico dixit quidam versificator: hospes erat mundo, per mundum semper eundo // sic suprema dies fit sibi prima quies. Item dum describerentur debita sua, dixit quidam alius: domine me pone creditorem in legione.

Sede vacante

Vacante enim ecclesia clerici non possunt disponere aliquid de rebus ecclesiae, 12. q. 2, si qua de rebus, ubi de hoc. Nec episcopus bona ecclesiae vacantis sibi subiectae alienare potest, 10. q. 2, si quis episcopus; et 75. dist., quoniam. Hug. tamen dicebat quod si sit magna necessitas, clerici possunt aliqua alienare, et inducebat ad hoc 71. dist., fraternitatem, quod potius contradicit, et 12. q. 2, precariae. Dum tamen adsit auctoritas metropolitani, sed non est ille casus in quod metropolitanus debeat se intromittere de clericis suffraganeorum suorum. Et est arg. ad hoc quod iudex praestat auctoritatem facto minoris, eo tempore quo non habet curatorem, C. qui admit. ad bon. poss., bonorum. Item in minoribus ecclesiis potest episcopus aliqua alienare propter necessitatem mortuo sacerdote, 10. q. 2, si quis episcopus. Item si canonici faciant aliquem contractum mortuo episcopo, dicit Io. quod tenet contractus, licet debeat rescindi si laesa est ecclesia, 12. q. 2, si qua de rebus. Sicut est in contractu minoris qui non habet curatorem, C. de in int. restit. min. vig. qui. ann., si curatorem. Hoc ego non credo. Immo talis contractus nullus est et sine aliqua restitutione revocatur, quatenus de facto processit. Idem etiam si haberet praelatum. Et hoc etiam dico per dictum capitulum 12. q. 2, si qua de rebus, quia datur optio episcopo utrum velit stare contractui vel non circa aliquam restitutionem, et hoc in favorem ecclesiae. Et sic intelligit Hug. illud capitulum 12. q. 2, si qua de rebus. Et incipit tunc tenere talis contractus, si episcopus ratum habeat. Et quod sit verum hoc patet infra, ne sede vac. nih. inn., constitutis, ubi attestationes receptae vacante ecclesia non valent, infra, ne sede vac. nih. inn., illa, arg., et hic etiam, quia sede vacante nihil est innovandum. Item nec valet sententia contra ecclesiam lata, sicut nec contra minorem qui non habet tutorem vel curatorem, ff. de re iud., acta § ulti.; C. qui dar. tut., universis.

Quam ecclesiae

Plus enim utilitas ecclesiae quam personae fuit attendenda, arg. 12. q. 5, quia Ioannes. Nec aliquis debet invenire viam ad impugnandum vel revocandum iudicia sua, arg. ff. de testam. milit., si miles qui.

Nequivimus

Et ideo potius damnum vestrum quam nostram infamiam praelegimus, supra, de auctor. et usu pal., nisi.

Indulgentes
Indulgentia fuit ex hoc, quia unio illa facta fuit auctoritate Celestini et per dominum Innocentium confirmata, ut patet in antiqua compilatione, et beneficium principis debet esse perpetuum, 25. q. 2, privilegia ecclesiarum et sacerdotum; in Auth. const. quae de digni. lib. a pat. pot. § illud, coll. 6.

X 3.09.02 *Illa devotionis*

Confirmandam
Hic dominus Papa ex certa scientia confirmavit huic ecclesiam istam. Unde plenum ius consecutus fuit, nec erat licitum alicui de ipso iudicare, supra, de confirm. util. vel inutil., si quis; et supra, de confirm. util. vel inutil., de confirmationibus, ubi de hoc.

In forma communi
Sic supra, de concess. praeben., quia diversitatem. Et sic patet quod talis confirmatio modicum operatur. De hoc dictum est satis supra, de confirm. util. vel inutil., si quis.

Cum nusquam inveniatur
Et ita intelligitur esse prohibitum quod non invenitur concessum. Sic supra, de translat., inter corporalia; 55. dist., si evangelica; et 2. q. 5, consuluisti; et 31. q. 1, quod si dormierit. Sed contra quia quod non est prohibitum, intelligitur esse concessum. Dic super hoc ut dictum est supra, de translat., inter corporalia.

In collationibus
De hoc dubitari consuevit, utrum vacante sede devolvatur ad capitulum collatio praebendarum, quod hic determinatur. Arg. contra supra, de maior. et obed., his quae; et supra, de maior. et obed., cum olim, ubi vacante sede ius praelati devolvitur ad capitulum, et ibi solvitur haec contrarietas. Item an potestas absolvendi devolvatur ad capitulum sede vacante, dubitari consuevit. Arg. quod non, quia hoc facit successor, 11. q. 3, si episcopus ante. Hug. dicit quod sic propter periculum animae. Arg. quod potest infra, de haeret., ad abolendam, 1. resp. Quia capitulum sede vacante condemnat de haeresi, et ita si potest condemnare, multo fortius absolvere, 21. dist., inferior. Alienare autem non potest. De hoc dixi supra, ne sede vac. nih. inn., novit.

Negligentiam
Propter negligentiam solam transfertur potestas eligendi ad superiorem, supra, de concess. praeben., nulla; et supra, de concess. praeben., quia diversitatem. Vel cum indignum eligant, supra, de elect., cum in cunctis. Sed ubi nullus est praelatus, non est negligentia, ut hic, vel etiam cum eligere non potest, supra, de concess. praeben., quia diversitatem. Ber.

X 3.09.03 *Constitutis*

Vacante
Hic patet manifeste quod ecclesia quae caret legitimo defensore conveniri non potest, quia ea vacante nihil est innovandum, quia non habet defensore, supra, ne sede vac. nih.

inn., novit. Nec eiam alienatio fieri potest, ut dictum est supra, ne sede vac. nih. inn., novit. Laur. dixit quod vacante sede oeconomus ecclesiae potest interim agere, arg. supra, de iuram. calumn., in pertractandis. Sed in favorem ecclesiae expectatur quousque habeat praelatum. Sed non est verum, ut hic patet. Et ita vacante sede nihil fieri debet unde possit ei praeiudicari. In aliis vero in quibus non praeiudicatur episcopo, potest capitulum supplere vicem episcopi, supra, de maior. et obed., his quae; et supra, de maior. et obed., cum olim, ubi de hoc.

X 3.10 DE HIS QUAE FIUNT A PRAELATIS SINE CONSENSU CAPITULI

X 3.10.01 *Irrita erit*

Irrita
12. q. 2, sine exceptione.

Commutatio rei ecclesiasticae
Magnae. Parvam enim rem sine hac solemnitate alienare potest, 12. q. 2, terrulas; et infra, de dona., caeterum. Ber.

Subscriptione
Alias non tenet, 12. q. 2, non liceat; et 12. q. 2, alienationes; et 12. q. 2, sine exceptione.

X 3.10.02 *Continebatur*

Contradicente
Et ita in venditione rerum ecclesiasticarum taciturnitas pro consensu habetur. Arg. contra supra, de his quae fi. a prael., irrita; et 12. q. 2, sine exceptione; et 10. q. 2, etenim § hoc ius, in fi. Solutio: hic ad tempus facta fuit concessio alicui clerico pro beneficio in contrariis in perpetuum. Et ideo necessarius est ibi expressus consensus, et subscriptio per quam appareat de consensu. Et est simile 54. dist., si servus.

Aut contradicente
Infra, de his quae fi. a prael., cum nos.

Non post multum
Arg. quod si multum tempus elapsum esset, et conventus semper tacuisset, videretur consensisse. Arg. infra, de privileg., si de terra. Quod non credo, sed solum factum hic narrat, quod semper possunt contradicere tali contractui, immo non posset praescribere qui emit a solo praelato, cum sciat episcopum non habere ius distrahendi, quia contra leges mercatur, et ideo non praescribat, C. de agric. et cens., quemadmodum, lib. 11; 16. q. 3, si sacerdotes.

X 3.10.03 Cum nos (rev. 9/23)

Praeiudicare

Sed videtur quod donatio talis non teneat, quia praelatus non potest donare vel vendere, nisi ut meliora prospiciat, 12. q. 2, sine exceptione; arg. 16. q. 3, si sacerdotes, iam solutum est. Hoc non fuit donatio perpetua, sed temporalis.

X 3.10.03 *Cum nos*

Reclamante

Et ita patet quod in negotiis ecclesiae, necessarius est consensus universitatis vel maioris partis, supra, de his quae fi. a prael., continebatur; 12. q. 2, sine exceptione. Et in ordinatione clericorum, 24. dist., episcopus sine. Et in dignitatibus conferendis, infra, de his quae fi. a prael., novit; et 93. dist., legimus. Idem est in causarum ventilatione, 15. q. 7, episcopus nullus; 15. q. 7, felix; et 15. q. 7, si autem.

Ratam

Et ita alienatio quae de iure non tenet ratihabitione confirmatur, 16. q. 1, quoniam quicquid; et infra, de iure patron., cura; et 12. q. 2, si qua de rebus. Arg. contra Inst. de auct. tut. § tutor; et ff. de auct. tut., obligari, circa fi. Item arg. quod ea quae ab initio non valent, ex post facto convalescunt, infra, de coniug. serv., proposuit; infra, de despon. impub., de illis 2; 31. q. 2, si verum; et 31. q. 2, tua; ff. de ritu nupt., si quis in senatorio; et 1. q. 1, eos qui § cum ergo, circa fi. Arg. contra 24. q. 1, schisma; et infra, de simon., non satis; et ff. de regul. iur., quod initio; 32. q. 7, flagitia; et 16. q. 3, placuit § potest, vers. quod si privatus. Prima responsio est vera quandoque in maleficiis, ut teneatur ex maleficio qui ratum habet, sicut qui ab initio mandavit, supra, de restit. spol., cum ad sedem, in fi.; ff. de vi et de vi arm., praetor ait § quotiens. Dum tamen eius nomine fuerit factum, ff. de preca., si servus. In negotiis autem sacramentis et caeteris contractibus, quae de iure sortiuntur effectum, eius ratihabitione potest res rata haberi, ab eo qui talia ab initio mandare potuit, si eius nomine factum est, ff. rem rat. hab., cum minor § falsus; et 9. q. 2, Lugdunensis; et ff. de iud., licet verum; et hic, et infra, de dona., pastoralis, in fi. In his autem quae per alios explicari non possunt, sicut est ut quis per alium ferat sententiam vel testimonium faciat, non habet locum ratihabitio, C. de sent. ex per. recit., arbitri; et C. de sent. ex per. recit., hac lege. Nisi sit illustris persona, ut ibi, et in his quae contra naturam sunt vel fiunt, et quae sine peccato detineri vel fieri vel possideri non possunt, et quae ipso iure nulla sunt ab initio. Et sic loquuntur contraria.

X 3.10.04 *Novit*

Caput

Sed numquid episcopus auditur sine litteris capituli de rato volens agere pro ecclesia sua? De hoc dic ut dictum est supra, de procurat., alia; et supra, de rescript., edoceri.

Non decet

12. dist., non decet; 12. q. 2, alienationes; et 15. q. 7, episcopus 1; et supra, de praescrip., cum non liceat; et arg. 86. dist., si quid; et infra, de his quae fi. a prael., quanto, de quibus constitutionibus hic fit mentio.

Carere
Sed numquid ipso iure tales constitutiones irritae sunt? Videtur quod sic ex hac littera, quod satis potest concedi, quia factae contra iura, C. de legi. et const., non dubium.

X 3.10.05 *Quanto*

Confirmationibus
Supra, de his quae fi. a prael., novit, cum aliis concordantiis ibi positis; et infra, de his quae fi. a prael., ea noscitur. Et ita patet quod episcopus negotia ecclesiae suae cum consilio canonicorum suorum tractare debet, 12. q. 2, sine exceptione; et 12. q. 2, alienationes; et 86. dist., si quid; 16. q. 1, ecclesia habet.

Absentium
Nota quod de crimine falsi tenetur qui nomina absentium fratrum facit inferi, C. ad leg. Corn. de fals., qui veluti. Et ipsa instrumenta sunt irrita, C. de testament., iubemus; et in Auth. de fid. instrum. § 2, coll. 6. Non tamen oportet testem scire quae in charta vel in instrumento continentur, cui sigillum apponit, ff. de pigner. act., Caius; C. de testament., hac consultissima. Nec in hoc casu fit ei praeiudicium quin possit contradicere si sua interfuerit, ut in ff. de pigner. act., Caius. Sed si sciret, postea reclamare non posset, ut ff. de pignorib., fideiussor § 1; et 1. q. 7, saluberrimum; et supra, de transact., ex litteris; 27. q. 1, omnes deminae; et 20. q. 1, vidua. Sic et crimen falsi incurrit qui sigillum surripuit furtive nomine capituli, supra, de testib., tam litteris. Et qui litteras iudicum aperit, supra, de offi. deleg., cum olim magister; et supra, de rescript., olim. Unde tales deponendi sunt per iura praedicta.

X 3.10.06 *Ea noscitur*

Per litteras
Potest ergo quis per litteras praesentari, arg. 64. dist., episcopi; 64. dist., ordinationes; et 64. dist., de abiectione. Quid si contradicatur litteris? Stabitur eis donec contrarium probetur, supra, de probat., post cessionem, ubi de hoc; et supra, de testib., cum a nobis.

Contradicunt
Cum ab initio nesciverunt, alias non videtur quod postea contradicere possint, supra, de his quae fi. a prael., continebatur.

Intelligi debet
Praesumptive, quia non est versimile quod hoc faciant sine consilio fratrum suorum, supra, de his quae fi. a prael., quanto. Haec praesumptio probationem recipit in contrarium, ut hic dicitur. Secus si esset praesumptio iuris et de iure, infra, de spons., ad id quod; et 54. dist., fraternitatem; et infra, de Iudae. et Sarrac., nulli.

Maioris et sanioris
Sed nonne eo ipso maior est quod est sanior, 31. dist., Nicaena; et infra, de his quae fi. a maior. par. cap., cum in cunctis; et 40. dist., multi, in fine? Dic quod ubi aliqua pars non est sana, puta quia indignum eligit, vel quia in damnum ecclesiae aliquid facit, ibi dico

maiorem partem illam quae sanior est et praeferenda est, supra, de postul. praelat., gratum. Alias nisi utraque pars in electionibus esset sana, non statim dicerem maiorem saniorem, immo quandoque minorem esse praeferenda, supra, de elect., ecclesia vestra 2, ubi pars maior non obtinet; supra, de appell., constitutus. Ber.

Evacuari
Cum non sint factae secundum ius, sed contemptis illis qui requiri debent, supra, de elect., quod sicut; et supra, de elect., quia propter; et supra, de his quae fi. a prael., novit; et supra, de his quae fi. a prael., quanto, ubi hoc videtur expressum.

Consuetudine
Dummodo sit talis quae iure communi non praeiudicet, scilicet praescripta, supra, de consuet., cum dilectus; et supra, de consuet., cum tanto. Quia tunc praescripsit praelatus ius instituendi contra alios fratres suos.

Libertate
Puta quia privilegia habet praelatus, quod solus sine consensu fratrum instituat. Et ita est hic arg. expressum quod ius eligendi de iure communi simul pertinet ad episcopum et capitulum, cum episcopus sit caput capituli, supra, de his quae fi. a prael., novit, nisi consuetudo contrarium inducat vel privilegium, ut hic patet. De hoc dixi supra, de elect., cum ecclesia. Ber.

X 3.10.07 *Cum Apostolica sedes*

Hieronymi
16. q. 1, quoniam quicquid; et supra, de consti., cum omnes.

Leonis
12. q. 2, sine exceptione.

Vendere
Nisi forte sit parva et sterilis possessio, 12. q. 2, terrulas.

Totius
Vel maioris partis ibi servientis, 10. q. 2, ea enim § hoc ius.

Cleri
Id est, capituli sui. Bona enim aliarum ecclesiarum vendere non debet, nec venditioni auctoritatem praestare, 12. q. 2, abbatibus; et 17. q. 4, in venditionibus.

Ecclesiae
Scilicet episcopali.

X 3.10.07 Cum Apostolica sedes (rev. 9/23)

Profuturum

Quantum ad opinionem ipsorum. Et sic tenebit alienatio, quamvis contrarium eveniat, ff. de admin. tut., tutor qui § 2. Tamen si probaretur laesio, restitueretur, ut supra, de in integ. restit., requisivit.

Tenetur

De facto, quia veram possessionem habere non potest, cum laici decimam non possint, supra, de praescrip., causam quae; et 16. q. 7, decimas quas in usum. Et tamen tolerat ecclesia quod laici decimas quas antiquitus habuerunt in feudum detineant, de quibus loquitur haec decretalis, ut in fine dicitur. Ber.

Monendus est

Et etiam compellendus, cum mortaliter peccat, 6. q. 1, illi qui; et 22. q. 1, omne. Vel hoc intellige de eo cuius scandalum timetur, 23. q. 4, non potest. Nam si hoc esset verum, posset episcopus per alios laicos multas ecclesias spoliare et alias ditare. Quod si faceret, appellandum esset, cum hoc sibi non liceat, infra, de rebus ecc. non alien., non licet. Hoc quod dicit Laur. intellige de decimis non in feudum concessis. Sed decretalis loquitur de decimis in feudum concessis, ut dicit in fine. Ber.

Praesertim

Id est, maxime, quia ad hoc agitur ut de manu laici revocetur. Ber.

Perpetua

Et ita videtur valere donatio sine consensu capituli. Sed hoc ideo est, quia per hoc utilitati ecclesiae consulitur et illi qui decimam detinebat, quia hoc solum bene agitur, ut vita hominum corrigatur, 23. q. 5, prodest. Alias semper requiri debet consensus capituli, ut supra, de his quae fi. a prael., per totum. Ber.

Alienare

Ideo non intelligitur alienare, quia transfertur de laico ad ecclesiam. Sic non dicitur alienatio quando transfertur de fratre ad sororem, sicut dicit lex. Si testator prohibuit rem alienare dando sorori, non videtur alienare, C. de fideicomm., voluntas; ff. de leg. 2, unum ex familia § 2; et ff. de leg. 2, peto § fratrem. Et qui transfert columnas de loco uno ad alium locum eiusdem civitatis, non videtur facta translatio, C. de aedif. priv., si quis post. Sed re vera talis revocatio est quaedam alienatio, 12. q. 2, Apostolicos; et infra, de his quae fi. a prael., tua. Quia si remansisset apud illum laicum decima illa, spes esset quod posset redire ad priorem ecclesiam ad quam spectat, si decederet sine herede, nisi heredes succedant in decimis sive sint collaterales sive descendentes. Et est simile quod Deus magis voluit sibi hostias immolari quam daemonibus, 22. q. 1, considera.

In Lateranensi concilio

Infra, de privileg., cum et plantare. Nec laici in alios laicos decimas possunt transferre, infra, de decim., prohibemus.

BOOK III **X 3.10 DE HIS QUAE FIUNT A PRAELATIS SINE CONSENSU CAPITULI**

X 3.10.08 Tua nuper (rev. 9/23)

Datur intelligi

A contrario sensu. Et est fortissimum argumentum, ff. de off. eius cui man. est iur., quaecumque; et 25. dist., qualis; et 45. dist., disciplina, vers. descende peccavit populus tuus. Quasi dicat: ergo non meus ex quo peccavit, quia propter peccatum receditur a Deo, 32. q. 1, cum renunciatur. Laur.

Episcopi

Vide modum argumentandi ex quo dicit de episcopo, ergo tantum de episcopo intelligendum est. Sic 25. dist., qualis; et 95. dist., illud; ff. de condi. et demon., cum ita. Arg. contra quia aliud est dicere episcopum, et aliud solum episcopum, infra, de testamen., requisisti. Et ita hic est unus casus in quo solus episcopus potest alienare. Alios habes 12. q. 2, terrulas; et 12. q. 2, fugitivi; 12. q. 2, iniustum; 12. q. 2, si quis qualibet; et 12. q. 2, bonae rei.

In feudum

De aliis vero non esset verum quod hic dicitur, quia ecclesia potest illas vendicare, cum ille nullum ius habeat, sed haec ecclesia ad quam spectant. Nec potest petere propter ius feudi quod antiquitus ex causa fuit permissum, quia episcopus ius unius ecclesiae non potest alii dare, ut infra, de rebus ecc. non alien., non licet. Io.

X 3.10.08 *Tua nuper*

Conferre

Ut monachi habeant fructus illarum et retineant ecclesias ad usus proprios, et sic laederetur ecclesia. Unde non valet talis concessio.

Vacantes

Arg. contrarium, quia sede vacante nihil est innovandum, supra, ne sede vac. nih. inn., novit; supra, ne sede vac. nih. inn., illa; et supra, ne sede vac. nih. inn., constitutis. Respondeo: contraria loquuntur in episcopatibus et consimilibus.

Alterius

Id est, istius praesentis quaestionis. Sed ideo dicit alterius, quia alia quaestio praecedit quae ponebatur in antiqua compilatione in titulo supra, de institutionibus. Sed in hac non ponitur.

Leonis

12. q. 2, sine exceptione; et supra, de his quae fi. a prael., cum Apostolica.

Vendere

Nisi forte sit res quae servando servari non possit, C. de admin. tut., lex quae, in fi.

Tractatu

Sed qualiter fiet tractatus? Convenient omnes, et quilibet dicet quod sibi videtur, C. de vend. reb. civ., si qua, lib. 11; et C. de debit. civit., apud eos, lib. 11. Et hoc de immobilibus vel mobilibus pretiosis, quia si sint pretiosa, necessaria est solemnitas, C. de

X 3.10.09 Pastoralis (rev. 9/23)

admin. tut., lex quae. Secus in his quae servando servari non possunt, ut lex praedicta, et ff. de pet. hered., divus. Vincen.

Dubium

Probabili iudicio, licet forte secus contingat, arg. ff. de minor., verum § si locupleti. Et intellige non sit dubium quantum ad se, quia sufficit ab initio bene gestum, ff. de negot. gest., sed an ultro § 1.

Per hoc

Id est, per capitulum Leonis, 16. q. 1, possessiones.

Perpetuas

Perpetuae enim intelliguntur ex eo, quia fiunt ecclesiis et non personis, ut supra, de his quae fi. a prael., cum Apostolica; et ff. de ann. legat., annua; et 12. q. 2, liberti. Quia ecclesia non moritur, ut ibi dicitur, et supra, de instit., cum venissent. Si fiunt personis sine temporis praefinitione, durabunt in eorum vitam, 10. q. 2, haec usus praestatio; et 16. q. 1, possessiones.

X 3.10.09 *Pastoralis*

Dionysii

13. q. 1, ecclesias; 90. dist., discordantes; et 80. dist., episcopi.

Obventiones

Id est, fructus vel redditus retenta sibi ecclesia cum sustentatione vicarii.

Sustentatione

Sufficienti, supra, de praeben., de monachis, ubi de hoc; et supra, de supp. neg. prael., sicut.

Lateranensis concilii

Ut infra, de censib., prohibemus.

Salva constitutione canonica

12. q. 2, bonae rei. Ex hac littera videtur manifeste quod episcopus posset dare quinquagesimam vel centesimam partem sine consensu capituli, ut in praedicto capitulo 12. q. 2, bonae rei. Non obstante iuramento de non alienandis rebus ecclesiae, infra, de eccl. aedif., tua; et supra, de iureiur., intellecto. Nemo enim potest episcopum accusare de eo quod templum Dei aedificat, 12. q. 2, aurum. Item quia sufficit semel a iure fuisse concessum. Unde non est ulterius necesse adire praetorem, ff. de condi. insti., quae sub conditione § ulti. Arg. contra infra, de dona., pastoralis; et supra, de his quae fi. a prael., tua; 12. q. 2, si episcopus; et supra, de his quae fi. a prael., cum nos. Hug. et Tanc. cum eo dicunt quod etiam in hoc casu requiritur consensus capituli, licet enim ei permittatur a iure alienare causa necessitatis vel utilitatis, requiri tamen debet consensus capituli, 12. q. 2, sine exceptione. Littera tamen ista contradicit. Et Io. idem dicit super illo capitulo 12. q. 2, bonae rei. Illud quidem securum est dicere, et expone hanc litteram secundum quod

Tanc. exponit, id est, salva constitutione, quia non derogatur per istud responsum illi canoni 12. q. 2, bonae rei, nec dicitur ibi quod episcopus posset illam donationem facere sine consensu canonicorum. Sed haec littera contrarium innuit, et infra, de dona., Apostolicae, ubi de hoc. Et ita credo verum et statuendum hic.

Quinquagesima
Immo quandoque maiorem portionem, si multum abundat, de auctoritate tamen superioris. Quandoque non tantam quandoque nihil si gravatur ecclesia, infra, de dona., Apostolicae. Io.

X 3.10.10 *Etsi membra*

Provinciale
De quo habes 18. dist., per totum; et infra, de accusat., sicut. De concilio monachorum habetur infra, de statu monach., in singulis; et infra, de statu monach., ea quae.

Contingere
Et merito, quia quod omnes tangit ab omnibus debet comprobari, 63. dist., nullus laicorum; et 66. dist., archiepiscopus; et 8. q. 1, licet ergo; et supra, de temp. ord., si archiepiscopus, ubi de hoc; et ff. de adopt., nam ita; et ff. de minor., in causae § causa; et ff. de minor., etiam § ulti.; et ff. de iure aur. an., divus; et ff. de aqua pluv. arc., in concedendo; et in Auth. ut spons. larg. § ad hoc quoque, coll. 8. Laici vero huiusmodi conciliis interesse non debent nisi specialiter invitentur, 68. dist., Hadrianus, in fi. Vel etiam nisi specialiter tractaretur causa fidei, 96. dist. § nam. Vel nisi tractaretur de matrimonio, quia cum tales causae eos tangant, possunt interesse, 35. q. 5, ad sedem.

X 3.11 DE HIS QUAE FIUNT A MAIORI PARTE CAPITULI

X 3.11.01 *Cum in cunctis*

Pluribus
65. dist., sane; 65. dist., non debet; et 65. dist., episcopus; supra, de elect., licet; 23. dist., in nomine Domini; 20. dist., de quibus; et ff. de re iud., duo ex tribus.

Permittunt
Appellando et impediendo de facto.

Rationabiliter
Arg. quod non statur semper maiori parti nec pluralitati, ut hic, et 31. dist., Nicaena; supra, de elect., ecclesia vestra 2; ff. de servitu. rust. praed., per fundum; 12. dist., non liceat; et ff. de pacti., maiorem. Arg. contra 63. dist., plebs; Inst. de satisdat. tutor. § sed si ex testamento. Solutio: illud regulare est ut semper stetur maiori parti. Sed maior pars est illa quae maiori rationi et pietate nititur, 9. dist., sana; 60. dist., multi, in fi.; et 4. q. 3, si testes § item iurisiurandi. Praesumitur pro pluralitate, 61. dist., nullus, in fi. Nisi contrarium probetur, ut hic patet, et 23. dist., illud; et supra, de elect., dudum ad audientiam. Rich.

Ostensum
Ergo non sufficit obiicere nisi probetur. Et hoc probabitur coram superiore, supra, de elect., venerabilem.

Constitutum
Et ita capitulum potest constitutionem facere, dum tamen intersint omnes quos constitutio tangit. De hoc nota supra, de consti., cum omnes. Alias praesentes in praeiudicium absentium nihil constituere, possunt ut hic. Circa alia negotia ad minus duae partes debent esse praesentes, ff. quod cui. univ. nom., nulli; et ff. quod cui. univ. nom., plane; et ff. de decr. ab ord. fac., lege. Tanc.

Iuramenta
Sic supra, de iureiur., sicut nostris. Et ita si iuramenta sint facta in genere, restringenda sunt circa bonas et licitas consuetudines, arg. supra, de iureiur., quanto; et supra, de iureiur., ad nostram 3. Si specialiter iurant, statim sunt periuri. Ber.

X 3.11.02 *Quaesivit*

Ecclesiam tuam
Id est, tuae iurisdictioni subiectam. Simile supra, de auctor. et usu pal., cum super. Et intelligitur hoc ubi canonicus non habet ius episcopale in ipsa ecclesia. Alias si haberet et ei denegaretur debita pensio, vel aliqua offensa digna excommunicatione committeretur, bene supponeret ecclesiam interdicto. Non nego tamen honestius esse personas interdicere, non enim ecclesiae delinquunt sed personae, in Auth. de mandat. princip. § oportet, coll. 3. Et arg. infra, de poeni., licet; 16. q. 6, illud. Hoc dicit Laur. Sed ecclesia propter delictum alicuius interdici non debet. Sed ille qui deliquit, puniatur, quia illi qui non peccaverunt, non debent puniri, nisi ille qui deliquit sit dominus loci. Quia tunc delictum eius terra supponitur interdicto, infra, de spons., non est. Ber.

Assensu
Quia talis sententia non tenet, cum lata sit ab eo qui non habet iurisdictionem, 2. q. 1, in primis; C. si a non comp. iud., iudex; et supra, de consuet., ad nostram. Tanc.

Deliquerit
16. q. 6, cognovimus; et 16. q. 6, illud. Quia peccata suos proprios tenere debent auctores, ut hic dicit; C. de poe., sancimus; C. ne uxo. pro marit., maritorum; 11. q. 3, illud; et infra, de sent. excom., extravag. Romana § fi. Sed contra videtur, quia perit iustus pro impio, de conse. dist. 1, in sancta; 15. q. 8, cum multae. Solutio: quod hic dicitur locum habet in poena spirituali. Quod dicitur in contrariis habet locum in poena temporali, quae quandoque imponitur alteri pro peccato alterius, ut 1. q. 3 § item pro peccato. Vel hoc regulare est, illa casualia sunt. Tanc.

X 3.11.03 *Ex ore*

Annulo
Sic supra, de re iudic., cum olim. Propter hoc tamen non fuit institutus, cum in possessionem missus non fuerit, ut infra sequitur.

Eorum
Scilicet executorem.

Tunc Augustensem
Cui H. dictus B. reverentiam exhibuit tamquam praeposito, ut sequitur infra. Tandem idem H. mortuus est. Eo mortuo capitulum statim elegit istum in praepositum, dicto B. prius appellante quod ipsum non eligerent, cum ad ipsum spectaret praepositura. De hac appellatione fit mentio inferius. Haec omnia habentur in integra.

Etsi mandatum
Sic patet quod propter talem investituram quam fecit cum annulo, non efficitur quis possessor, infra, de dona., per tuas; arg. supra, de re iudic., cum aliquibus. Quia in adipiscenda possessione actus corporalis requiritur, ff. de acq. poss., possideri § in amittenda. Arg. contra supra, de consuet., ex litteris; et 16. q. 7, contra sanctorum; et 16. q. 1, moderamine; et C. de sacro. eccl., ut inter divinum; et ff. de contrah. empt., clavibus; et ff. de reb. auct. iud. poss., quamvis; et supra, de dolo et contu., contingit; ff. de damn. infect., si finita § ulti. Item hic patet quod si Papa mandat alicui dari praebendam et capitulum alium eligit, tenet electio. De hoc dictum est supra, de praeben., dilectus filius 2. Io.

Ratione
Quia erat in minoribus ordinibus constitutus, ut patet in integra, et quia reverentiam faciendo illi H. iuri suo renunciavit, ut hic sequitur.

Renunciasse
Nota hic arg. de tacito consensu. Et licet verbis non renunciet aut non consentiat, ipso facto tamen consentit, 32. q. 2, honorantur; et supra, de transact., ex litteris; et 43. dist., si rector; ff. mand. vel cont., si praecedente § Lucius; ff. ad municip., quotiens; et supra, de offi. deleg., gratum; et supra, de offi. deleg., cum olim abbas, in fi. A contrario sensu ff. de inoffic. testam., si proponas § 1; et ff. de inoffic. testam., nihil; et ff. de inoffic. testam., si exheredatus; et ff. de public. in rem act., si ego § 1; et ff. de minor., si filius; et C. de iure dot., si stipulatio. Arg. contra ff. de decur., Herennius § ulti.; et supra, de praeben., dilecto. Io. Praeterea licet renunciatio sit tacita, valet etiam citra auctoritatem superioris, licet expressa non valeat sine auctoritate superioris, supra, de renunciat., admonet. Sicut plus valet tacita prohibitio quam expressa, cum scilicet litem contestatur, ff. de solut., si quis stipulatus fuerit; ff. de solut., vero procuratori § ulti. Laur. Sed quid si alius ageret contra illum praepositum et cassaretur illius electio, numquid iste qui exhibuit reverentiam potest agere pro praepositura? Non, quia filius exheredatus si approbavit testamentum patris, non potest postea impugnare, C. de inoffic. testam., parentibus. Et si alius impugnaret testamentum, ipse tamen non potest petere ultra quam sibi est relictum, ff. de lega. praest., contra § is qui. Vincen. Item argumentum quod actio semel extincta non reviviscit, ff. de solut., qui res § aream; et de conse. dist. 4,

quaeris. Item argumentum quod licet res deveniat ad eum casum a quo potuit habere principium, non valet. Ber.

Per appellationem
Sic supra, de elect., cum inter R, quia eius non intereat appellare post reverentiam praestitam, 2. q. 6, non solent. Appellatio enim non impedit ne id fiat quod perpetuo edicto decernitur, ff. de appellation. recip., si res. Laur.

X 3.11.04 *Ex parte tua*

Fabricam
Licet enim ille solus teneatur ad restaurationem fabricae, qui partem deputatam fabricae recepit, ut 10. q. 3, unio; et 10. q. 1, decrevimus. Tamen ille conferre tenetur, 16. q. 1, si monachus; et infra, de eccl. aedif., quicumque.

Plurimorum
Hic ergo valet sententia plurimorum, quia evidens est illos ratione iuvari, supra, de his quae fi. a maior. par. cap., cum in cunctis. Sic 75. dist., ordinationes episcoporum; et 75. dist., quoniam; et supra, de temp. ord., ne episcopi. Ber.

X 3.12 UT ECCLESIASTICA BENEFICIA SINE DIMINUTIONE CONFERANTUR

X 3.12.01 *Ut nostrum*

Ut nostrum
Ut plene intelligas hanc decretalem sic pone casum, aliter non bene intelliges. Intellexit dominus Papa quod cancellaria Mediolanensis ecclesiae vacaverat ultra annum, et sic potestas conferendi illam devoluta fuerat ad Papam. Unde mandavit Papa Mediolanensi archiepiscopo, ut ipsam conferet cuidam H. subdiacono domini Papae. Et si post receptionem litterarum aliquid faceret in contrarium, illud cassavit. Archiepiscopus receptis litteris respondit quod illi cancellariam non contulerat, quia propter gravamina debitorum retinuerat fructus ipsius, de qua responsione factum fuit publicum instrumentum. Visis litteris die sequenti respondit contrarium, quod mandatum domini Papae adimplere non poterat, quia reservatis sibi proventibus iam decem mensibus elapsis contulerat eam cuidam H. nomine. Et de hac responsione fuit factum aliud instrumentum. Ista relata fuerunt domino Papae et instrumenta ostensa. Papa vero intelligens varietatem huius responsionis statim mandavit archiepiscopo, ut ad praesentiam suam mitteret procuratorem idoneum et ostenderet, quod ipse cancellariam contulisset personae idoneae et modo canonico et tempore competenti, et idem H. veniret si vellet defendere ius suum. Accessit procurator archiepiscopi et ille H., et produxerunt duos testes in praesentia Papae. Qui iurati dixerunt quod parum post mortem cancellarii, archiepiscopus contulit cancellariam dicto H. reservatis sibi proventibus et illum investivit per librum praecipiendo quod illud esset secretum. Et unus testis adiecit quod post mandatum domini Papae eo vidente tradidit ei sigillum. Alter dixit se hoc audivisse. Et procurator hoc idem fuit confessus. Quod audiens Papa mandavit quibusdam quod si

post secundum mandatum, per quod totum negotium revocabatur ad curiam, ei tradidit sigillum, talem traditionem decernerent nullam esse, et inhiberent illi H. ne sigillo ulterius uteretur. Quod totum factum est, et prohibitus fuit uti sigillo. Per hoc intellige illam decretalem supra, de appell., ut nostrum, quae est pars istius. Et illam debes hic legere in principio, quia praecedit istam, ut patet, in antiqua compilatione. Propter hoc archiepiscopus misit nuncios ad dominum Papam. Post multas allegationes et excusationes ipsius archiepiscopi, ultimo proponebat dictus archiepiscopus quod cum nullus debeat sine accusatore damnari, nec aliquid sit actum in praedicto negotio in forma iudicii, testes contra eum recepti non poterant sibi praeiudicare, quia haec allegatio videbatur tangere personam domini Papae, apertius vult exprimere in hac decretali causam quare mandavit inquiri de praedictis, ne quis crederet quod in facto isto perperam processisset. Et prosequaris postea ut sequitur in littera. Hoc intellecto quod praemissum est, satis patet intellectus capituli, et sine hac suppletione non bene intelligeres. Et haec omnia et alia continentur in integra. Ber.

De vultu Dei iudicium

Qui enim iudicat aequitatem prae oculis semper debet habere, ff. de eo quod cert. loc. dar. op., quod si Ephesi § in summa; et 4. q. 4, nullus umquam.

Sine accusatore

Hoc est generale, ut 2. q. 1, de manifesta; 22. q. 4, quisquis potestatem. Excipiuntur quidam casus. Primo, si suspecta scriptura in iudicio proferatur, C. de probation., iubemus. Si procax testis fuerit et vacillaverit in iure, C. de testi., nullum; et infra, de poeni., super his. Si tutor suspectus est, ff. de susp. tut., tutor § praeterea videndum. Si maritus accusaverit uxorem de adulterio, et ipsa replicat de lenocinio, ff. de adulter., ex lege § si publico. Si iudex reperiat accusatorem calumniari, ff. ad Turpil., accusatorum § 1; et 2. q. 3, si quem § notandum; et infra, de calumniat., cum fortius; et infra, de calumniat., cum dilectus. Si in modo inquisitionis cognoverat de crimine, infra, de accusat., qualiter et quando 2; et infra, de accusat., inquisitionis. Si infamatus deficit in purgatione, infra, de simon., de hoc, cum suis concordantiis. Si crimen est notorium, 2. q. 1, de manifesta; et infra, de accusat., evidentia. Si corrumpit testes adversarii, 3. q. 7, infames, vers. si quis autem. Io.

Commissae

Quapropter mandavit fieri inquisitionem contra archiepiscopum, an tradiderit illi H. sigillum post secundum mandatum, ut dixi in casu, et quod probaret illa tria quae sequuntur.

Actore non probante

Simile 6. q. 5, actor. Haec regula fallit, nam ratione praesumptionis aliquando transfertur probatio ad reum, ut hic, et supra, de procurat., ex insinuatione; et supra, de iureiur., iuramentum; ff. de donat. inter vir. et uxor., Quintus Mucius. Item fallit cum actor fundavit intentionem suam iure communi, 100. dist., contra morem; et 16. q. 7, omnes basilicae; et C. de probation., sive possidetis. Item cum reus sponte assumit onus probandi, ff. de probation., circa. Item in communibus iudiciis utriusque probatio auditur, supra, de probat., ex litteris. Item cum uterque dicit se possidere, supra, de

probat., licet; et ff. de iud., in tribus. Item in crimine falsi utriusque testes audiuntur, C. ad leg. Corn. de fals., ubi falsi. Item in crimine laesae maiestatis in sacramentis desertis in proditione patriae, et in crimine peculatus utriusque testes audiuntur, C. de abolit., fallaciter, in fi. Peculatus dicitur furtum de republica, 23. q. 4, quid ergo; ff. ad leg. Iul. pec., lege Iulia peculatus cavetur. Io. Item privilegium actoris transfert onus probandi in reum, puta si pupillus vel mulier repetat solutum tamquam indebitum, reus tenetur probare debitum, ff. de probation., cum de indebito § sin autem. Item delictum ipsius rei transfert onus probandi in ipsum, quia probata solutione, si eam negavit, tenebitur probare se debitum recepisse, ut in lege praedicta ff. de probation., cum de indebito, circa princ.; et infra, de solution., is qui. Item negativa quae habet in se affirmativam implicitam probari debet a reo, supra, de renunciat., super hoc; et infra, de succ. ab intest., cum dilectus; arg. ff. de probation., ab ea parte § si quis; et ff. de probation., si filius; et 3. q. 9, indicas. Tanc.

Porro
Hic incipit assignare causam commissae inquisitionis, quare sibi fidem fieri mandavit super tribus articulis. Et primo ostendit de tertio, postea secundo circa principium §.

Occulta
Nota quod praesumitur contra occulte dantes vel facientes vel iudicantes, supra, de offi. deleg., consuluit; et 19. dist., Anastasius; et ff. de iure fisc., ita fidei, in princ.; ff. de admin. tut., non existimo; et 18. q. 2, perniciosam. Et tenebrae aptae sunt ad fabricandum falsum, ff. de ven. inspic., temporibus § de inspiciendo. Tamen si ille cui datum est occulte sit capax, occulta donatio non vitiat donationem, C. de dilation., quoniam, lib. 10. Et electiones clandestinae non valent, supra, de elect., quia propter, in fi. Tanc.

Lateranensis concilii
Supra, de concess. praeben., nulla.

Divinare
Sicut et Paulus, licet esset spiritu Dei plenus non tamen potuit secreta divini consilii agnoscere, 22. q. 2, beatus. Nec tenetur quis divinare, ff. mand. vel cont., si fideiussor § si cum debitor; et ff. ad leg. Aquil., si putator.

Gravamen
Immo de iure fuit, C. de probation., sive.

Sed gratia
Cum tamen primae confessioni ipsius esset standum, supra, de probat., per tuas; et supra, de praesump., litteras. Nisi probaret se errasse, infra, de censib., olim; C. de error. advoc., errores; et supra, de appell., cum causam; et supra, de confess., ex parte. Sed in hoc non videtur quod posset errare, quia de facto suo certus esse debet, supra, de rescript., ab excommunicato. Ex varietate ergo responsi praesumitur contra ipsum archiepiscopum, 4. q. 3, si testes § item qui falso. Vel varie, infra, de poeni., super his; ff. de quaest., de minore § tormenta, in fi.; et ff. de quaest., ex libero, in princ. Io.

BOOK III **X 3.12 UT ECCLESIASTICA BENEFICIA SINE DIMINUTIONE CONFERANTUR**

X 3.12.01 Ut nostrum (rev. 9/23)

Quod etiam
Hic respondet secundae obiectioni archiepiscopi.

Per testes
Productos in praesentia Papae, ut dixi in eo casu.

Et ideo nos
Hic respondet ad id quod dixit, quod nullus debet sine accusatore damnari, ostendendo causam quare commisit inquisitionem.

Inquisitionem
Scilicet utrum sigillum dedisset archiepiscopus illi H. post secundum mandatum, propter quod revocavit ad se inquisitionem inquirendo et discutiendo negotium, et iniungendo ut probaret super tribus articulis, videlicet si contulisset personae idoneae, modo canonico, et tempore competenti.

Contrarietatem
Quoniam qui allegat contraria, non debet audiri, C. de liber. caus., cum precum; et supra, de appell., sollicitudinem; et 74. dist., gesta; 23. q. 7, quod autem. Laur.

Carnalitatem
In hoc casu dicit Laur. episcopum simoniam committere, ubi propter consanguinitatem concedit alicui beneficium. Alias non concessurus, quia si quis iniusto cordis amore vel sordidis precibus sacerdotalem dignitatem receperit etc., 1. q. 1, si quis neque. Arg. infra, de simon., veniens; et infra, de simon., nemo; et infra, de simon., tua. Nam ex quo favor tertii nimium favoris inducit, multo magis favor illius qui ordinatur, 1. q. 1, sunt nonnulli. Laur. Et sic consanguinitas inducit suspicionem quod donatio sit vitiosa, 10. q. 2, episcopus; 89. dist., decenter. Nam in clandestinis et domesticis donationibus facile quod confingitur pro negotii qualitate, C. de donation., donatio sive § 1. Sicut alias consanguinitas elidit suspicionem, supra, de cohab. cler. et mul., a nobis; et supra, de cohab. cler. et mul., tua. Et par affectionis causa omnem elidit suspicionem, ff. de ritu nupt., non solum § de uno. Io.

Sub modo
Nota quod sicut conditio inducit simoniam, 1. q. 2, quam pio; et supra, de pact., pactiones, ita et modus, quia modus aequipollet conditioni, infra, de cond. appos., cum sit; et infra, de cond. appos., de illis; 28. q. 2, si infidelis; C. de his quae sub mod. relin., in legatis. Immo magis est obligatus sub modo quam sub conditione. Nam cui aliquid relinquitur sub modo, etiam statim potest illud petere si caveat de eo modo adimplendo, ff. de fideicommi. liber., cum in testamento; et ff. de condi. et demon., quibus diebus § ulti. Si vero sub conditione aliquid relinquitur, non potest peti nisi conditione extante, ff. de condi. et demon., qui heredi § ulti. Io.

Partem
Infra, de censib., prohibemus.

Diminutione
1. q. 3, si quis praebendas; supra, de praeben., maioribus; et supra, de praeben., vacante; et supra, de praeben., cum causam.

Consequatur
Ex pactione in eo apposita. Vincen.

Ut ipse
Donator vel alius qui percipiebat ante. Vincen.

Constituat
Cum capitulo suo, non cum eo qui habiturus est beneficium. Et hoc publice faciat, ut vitetur suspicio, sicut potest intelligi supra, de praeben., significatum. Et sic patet quod episcopus potest ad tempus ex iusta causa retinere fructus vacantis beneficii, si forte gravatur debitis, arg. infra, de verb. sign., tua nobis.

X 3.13 DE REBUS ECCLESIAE ALIENANDIS VEL NON

X 3.13.01 *Non licet*

Ad aliam
Passim et sine causa. Ex causa tamen posset, 12. q. 2, bonae rei; infra, de eccl. aedif., ad audientiam 1; et 16. q. 1, praecipimus § sicut duo; et infra, de excess. praelat., sicut. Quidam tamen hoc concedunt, ut Ala. Dic de hoc ut infra, de relig. dom., constitutus.

Commutare
10. q. 2, hoc ius § sed et permutare.

X 3.13.02 *Qui res ecclesiae*

Regibus
16. q. 1, in canonibus.

Egentium
16. q. 1, quoniam quicquid.

Irrita
12. q. 2, quicumque militum; et 12. q. 2, de rebus. Arg. contra C. de quadrien. praescr., bene a Zenone. Solutio: lex ista non obtinet secndum canones. Vincen.

Excludantur
Ut sic puniantur in quo deliquerunt. Sic supra, de temp. ord., litteras; et infra, de iure patron., pastoralis; et 17. q. 4, frater; et 17. q. 4, ad episcopos; infra, de immun. eccl., immunitatem. Ber.

X 3.13.03 *Consensus*

De familia
Non benemeritos. Nam benemeritos posset manumittere, licet ecclesiae nihil contulisset, 12. q. 2, si quos. Ala. Et hoc de consensu episcopi, 12. q. 2, placuit.

Modum
Id est, quantitatem vel aestimationem in duplum, ut res quam dedit, valeat duplum quam mancipium ut canones dicunt, 12. q. 2, episcopus qui mancipium, de quibus hic fit mentio. Tanc.

Posteritate
Cum parentibus manumissa, quia post manumissionem proles a liberto suscepta nullius patrocinio est obnoxia, C. de oper. lib., quod ex liberta. Vel est speciale in prole liberti ecclesiae, ut semper sit ecclesiae obnoxia, ut hic, et 12. q. 2, liberti; et 12. q. 2, longinquitate. Idem est in aliis, ut quidam legistae dicunt, dum vivit patronus et pater libertinae conditionis, C. de libert. et eor. lib., libertinae. Sed illam legem quidam intelligunt de filiis manumissis cum patre. Unde videtur melius quod speciale sit hoc in ecclesia.

Utilitates
Id est, operas tempore manumissionis impositas ipsi liberto a domino, ff. de oper. lib., operas; ff. de oper. lib., a duobus; et ff. de oper. lib., si quis operas. Quae tamen imponi non debent venienti ad clericatum, 54. dist., quicumque.

X 3.13.04 *Episcopi qui*

Episcopi
Hoc capitulum est pars illius 12. q. 2, et si illi.

Conferunt
Ergo a contrario sensu, si de suis conferunt, aliquos manumittere possunt, supra, de rebus ecc. non alien., consensus; 12. q. 2, episcopus qui. Tanc.

Inferat
Arg. contra 12. q. 2, si quos. Solutio: ibi de consensu capituli, hic non. Vel ibi de benemerito, hic de malemerito.

Successor
Infra, de precar., de precariis; 35. q. 9, quod quis.

X 3.13.05 *Nulli liceat*

Alienare
Nisi pro utilitate ecclesiae, 12. q. 2, sine exceptione. Et iuris solemnitate quae habetur 10. q. 2, ea enim § hoc ius. Ala.

Immobilem
Mobilia vero quae servando servari non possunt, potest praelatus alienare ad instar tutoris, C. de admin. tut., lex quae, in fi.; C. quan. decr. op., et sine interpositione.

Hypothecae
Hypotheca est obligatio rei immobilis, pignus rei mobilis, quasi a pugno, Inst. de action. § inter pignus.

Alienationis
Verbum alienationis in hoc loco largissime accipitur. Et sic C. de reb. alien., sancimus; et in Auth. de non alien. aut perm. ecc. § nos igitur, coll. 2. Alibi strictius accipitur pro eo contractu quo transfertur dominium, C. de fund. dot., si aestimata; ff. de ver. sig., alienationis; ff. de alien. iud. mut. caus., fac ex hoc § 2; C. de iure emphyt., ius emphyteuticarium. Ala. Et ita neque vendere neque sub conditione tradere neque permutare vel donare vel emphyteuticum contractum potest facere praelatus.

Leonina
C. de sacro. eccl., iubemus § oeconomus; et 12. q. 2, monemus.

X 3.13.06 *Si quis presbyterorum*

Defensorum
Id est, advocatorum vel procuratorum, 16. q. 1, de praesentium. Ala.

Subscripserit
Arg. quod qui de facto alterius subscribit, consentire videtur, ff. de in rem ver., pater; ff. quod iuss., merito § sed et si; 12. q. 2, non liceat; et 12. q. 2, cum redemptor. Arg. contra ff. de pigner. act., Caius. Sed ibi ignoravit quid continebatur. Sed verum est ubi ad auctoritatem contractus subscriptio desideratur. Quod intelligas cum hac distinctione, quia aut subscribit quis nomine alieno aut suo. Si alieno, non obligatur qui subscribit nec intelligitur consentire, ff. de institut. act., Lucius; ff. de rescind. vend., Titius. Si nomine suo, aut scienter aut ignoranter. Si scienter, tunc obligatur et consentire videtur, ut hic, ut in primis concordantiis, et ff. de pignorib., si fideiussor § 1. Si ignoranter, non videtur consentire nec ei nocet, C. plus val. quod agit., si falsum; C. de donation., nec ignorans; et lege praedicta ff. de pigner. act., Caius.

Iratus
Humano more loquitur, quoniam Deus non irascitur, 22. q. 4, incommutabilis.

Alienator
Qui alienat in praeiudicium ecclesiae etiam si iurasset non repetere, revocare debet alienationem non obstante iuramento cum sit illicitum, supra, de iureiur., intellecto. Arg. contra supra, de instit., cum venissent. Sed ibi alias poterat consuli ecclesiae per capitulum. In decretali supra, de iureiur., intellecto, non erat alius per quem posset consuli regno. Ber.

Celeri
Simile infra, de loc. et cond., propter; et infra, de loc. et cond., potuit, ubi dicitur qualiter intelligatur de celeri. Celeriter intelligo in hoc casu antequam laedatur ecclesia ex tali alienatione.

Prospexerint
Per repetitionem. Et ita qui male alienavit rem ecclesiae potest repetere, ut hic patet, et 35. q. 9, quod quis; et supra, de elect., nosti. Quod verum est si in administratione toleratur, secus si remotus fuerit, 12. q. 2, monemus. Ala.

Remedium
Et ita est arg. quod si dilapidator vult servare ecclesiam indemnem, quod non removeatur. De hoc dixi supra, de elect., quod sicut.

Poenam
Scilicet depositionis, 12. q. 2, diaconi; et C. de sacro. eccl., iubemus § oeconomus. Et si satisfacere non posset, excommunicabitur quousque satisfecerit.

Ab initio nullas
Ex hoc manifeste patet quod alienatio quae fit contra formam iuris, nulla est ipso iure, supra, de in integ. restit., constitutus; et supra, de his quae fi. a maior. par. cap., cum in cunctis; et 12. q. 2, sine exceptione. Arg. contra 12. q. 2, si qua de rebus. Hoc solvit supra, ne sede vac. nih. inn., novit. Vincen.

Personis
Id est, clericis omnibus et conversis et patronis, 16. q. 7, filiis; et parochianis, quia eorum interest. Sed personae alterius ecclesiae non admittentur, cum sit privatum iudicium.

Alienata
De facto, quia ipso iure non tenet, ut dictum est. Et nota quod ecclesia habet actionem personalem contra alienatorem, si est solvendo vel habet in rem actionem contra possessorem, 12. q. 2, Apostolicos. Et est expressum C. si tut. vel curat. interven., etiam in his; et C. si tut. vel curat. interven., etiam tutoribus. Sed si obtineret contra unum, alter liberaretur, ff. de eo per quem fac. erit, aequissimum § si plures. Et si conveniat unum, non fit ei praeiudicium quo ad alium. Sola enim solutio imponit ei silentium, ff. deposi., depositum § si apud; et C. si tut. vel curat. interven., etiam tutoribus. Sed numquid eccleisa tenetur cedere actiones suas solventi contra alium? Non, cum enim conveniatur ex delicto suo vel ex maleficio, non potest petere cessionem actionum, ff. de admin. tut., si plures tutelam. Praeterea alienator potest repetere, ut hic dicitur. Sed contra videtur quod non sit audiendus, cum teneatur de evictione. Et dicit regula: quem de evictione tenet actio, eundem agentem repellit exceptio, C. de evict., exceptione; et C. de evict., si ob causam. Respondeo: illud generale est, sed hic si repellatur, replicabit quod rem ecclesiae repetat, quia contractus nullus est, et ideo non tenetur. Sicut excipitur contra mulierem de re vendita et tradita, sed ipsa replicat factum esse contra Velleianum, ff. ad Velleia., si mulier § item si mulier. Nec mirum si contingit hoc in praelato, quia interdum

accidit hoc in privato, C. de agric. et cens., quemadmodum, lib. 11, et est specialis casus. Et si nihil habet praelatus, non dabit pretium, C. de rei vend., si mancipium. Vincen. Item ex hoc capitulo dicunt quidam, quod praelatus vel etiam quilibet de ecclesia potest agere pro ecclesia sine litteris de rato. De hoc dixi supra, de procurat., alia; et supra, de rescript., edoceri. Simile 12. q. 2, non liceat, et sunt eiusdem auctoris.

X 3.13.07 *Ad aures*

Hereditario
Id est, in emphyteusim perpetuam, 10. q. 2, hoc ius, vers. perpetuo quoque. Tanc.

Nisi forte tunc
Scilicet tempore contractus. Simile infra, de empt. et vend., cum dilecti; et supra, de elect., dudum ad audientiam; et ff. de evict., ex mille § 1. Et sic spectatur initium contractus. Et si tunc laeditur ecclesia, restituitur. Alias si postea res fieret melior per sollicitudinem colonorum, si possessiones istas reddiderunt meliores, non expelluntur ex quo in principio ecclesia decepta non fuit, C. locat. et conduct., aedem quam; et C. locat. et conduct., legem quidem; C. de rescind. vend., ad rescindenda, ne negligentia sua sit eis damnosa, C. de alluv., ea quae.

X 3.13.08 *Ut super aliqua*

Possessiones
Solent enim plerumque reges possessiones et redditus certos dare ecclesiis loco decimarum, et hoc satis potest fieri pro decimis subtractis sive retentis, sed pro futuris non videtur admittenda talis commutatio, infra, de rerum perm., exhibita. Ala.

Excepit
Id est, recepit. Simile supra, ut lite non cont., quoniam. Simile 23. q. 5, non est nostrum.

Sacramento
Nam quilibet episcopus qui immediate domino Papae subest, iurat ei fidelitatem quod non alienabit bona ecclesiae nec infeudabit de novo. Et idem iuramentum praestant alii episcopi suis Metropolitanis.

Alienationis
Large sumpto vocabulo, sive transferatur dominium sive non, supra, de rebus ecc. non alien., nulli; et C. de reb. alien., sancimus.

Intelligantur
Ad quaestionem primam non respondet. Forte ideo quia non expressit quanto tempore tenuit et utrum bona fide an mala fide, infra, de spons., de muliere. Ala.

Sive non
Praesumitur tamen esse de mensa archiepiscopi, cum sit in possessione earum, C. de rei vend., res alienas. Laur.

Consultius
Quia tertius, infra, de spons., iuvenis. Laur.

Assensu
12. q. 2, terrulas, contra. Solutio: hic vocat possessiones minus utiles comparatione magis utilium, ibi vero minus utiles dicuntur simpliciter et absolute. Hic est necessarius consensus capituli, ibi non. Vel ex honestate requiritur in his non ex necessitate, ut ibi. Ber.

X 3.13.09 *Ad audientiam nostram*

Inconsultis
Unde contractus nullus, supra, de rebus ecc. non alien., non licet; et 12. q. 2, sine exceptione.

Locationes revocare
De facto, quia ipso iure non tenuit contractus, supra, de his quae fi. a prael., tua. Arg. 24. q. 1, audivimus. Sicut alias exponitur separari, id est, non fuerunt mixta bona paterna et materna, C. de legit. hered., si eius.

Refundendam
Sed numquid habent actionem de iure tales conductores contra locatores ad repetendam pecuniam? Sic si fuerint bonae fidei, 12. q. 2, Vulteranae; in Auth. de non alien. aut perm. ecc. § si quis, coll. 2. Si malae fidei fuerint non, 16. q. 3, placuit § potest, vers. universas; C. ne rei dom. vel temp., universitas; 10. q. 2, hoc ius § qui vero, in fi. Nisi de evictione prospexerint, C. de evict., si fundum. In casu tamen speciali malae fidei emptor agit ad pretium, C. commun. de legat., si duobus. Laur.

X 3.13.10 *Possessiones*

Alienare
Supra, de rebus ecc. non alien., ut super. Arg. contra 12. q. 3, episcopus. Solutio: hic prohibetur perpetua alienatio possessionum, ibi conceditur specialiter tertiarum. Vel quod ibi dicitur quod potest alienare, intelligitur de consensu capituli et si causa subest.

Monachi
Econverso bene possunt saeculares amoveri ab ecclesia aliqua, et in ea instituti regulares si episcopi diocesis consensus accesserit, dum tamen clericis alibi aeque provideatur, infra, de eccl. aedif., ad audientiam 2. Non tamen intelligas illud invitis clericis faciendum. Invito enim usufructario non potest proprietarius deteriorem causam eius facere etiam in meliorem statum mutando, ff. de usufruct. et habit., usuariae. Laur.

Clericis
Quia quamdiu inveniri possunt regulares, numquam ponendi sunt saeculares, infra, de relig. dom., inter quatuor.

Laicis
Hoc ideo dicit quia postquam locus factus religiosus, amplius ad saeculares usus redire non debet. Sic et de vestimentis altaris et lignis ecclesiarum, infra, de relig. dom., ad haec; et de conse. dist. 1, ligna; et de conse. dist. 1, altaris.

X 3.13.11 *Ad nostram noveritis*

Per multos
Forte per duos vel per tres, quia pluralis locutio duorum numero contenta est, 4. q. 3, si testes § ubi numerus. Hoc ideo dicit, quia post quadriennium non subvenitur ecclesiae per beneficium restitutionis, C. de temp. in int. rest., supervacuam.

Enorme
Hoc ideo dicit, quia pro levi damno non datur restitutio, ff. de in int. rest., scio; et supra, de in integ. restit., beneficio. Sed numquid in hoc casu cum laeditur enormiter, subvenitur ei per beneficium restitutionis vel ipso iure tuta est? Dico quod ex quo consensus capituli affuit, et ideo credebant utiliter contrahere, tenuit contractus, licet laesa sit ecclesia, infra, de empt. et vend., cum dilecti; et 12. q. 2, sine exceptione. Sed potest restitui si laesa sit enormiter, supra, de in integ. restit., requisivit. Sed si decepta esset ultra dimidiam partem iusti pretii, subvenitur ei iure communi et etiam cuilibet, C. de rescind. vend., rem maioris; et infra, de empt. et vend., cum dilecti; et infra, de empt. et vend., cum causa. Secundum hoc usque ad legitimam praescriptionem potest agere, licet quidam dicant quod in hoc casu agendum sit iudicis officio. Io.

Sufficiere
Sed non videtur quod ille debeat lucrari fructus perceptos supra id quod ipse dedit ecclesiae. Nam cum aliquis restituitur, omnia debent restitui in pristinum statum, ut neutra pars sit in damno vel in lucro, C. de repud., matrimonium; ff. de minor., quod si minor § restitutio. Item quod bona fide percepit, ff. de acq. rer. dom., bonae fidei; infra, de feud., insinuatione; arg. 12. q. 2, Vulteranae. Io. Et si vellet petere laboris mercedem, necesse haberet restituere fructus qui excederent labores, ff. de rei vend., sumptus. Laur. Et sic arg. quod nemo cogitur suis stipendiis militare, et de labore suo mercedem quis recipere debet, 12. q. 2, caritatem; et 12. q. 2, ecclesiasticis; et 12. q. 2, precariae.

X 3.13.12 *Cum laicis*

Cum laicis
96. dist., bene quidem; et supra, de consti., ecclesia; et 16. q. 7, laicis; et 16. q. 7, non placuit.

Principes
Nota arg. quod laici principes possunt dare ecclesiis privilegium, 16. q. 1, generaliter; et 27. dist. § hinc etiam; infra, de immun. eccl., non minus, arg. Immo ut videtur possunt dare privilegium libertatis, 63. dist., in synodo; et melius 63. dist., Agathosa; arg. supra, de in integ. restit., auditis. Arg. contra 10. q. 1, noverint. Io.

Alienatione
Supra, de consti., quae in ecclesiarum.

Annexa
Ut ius patronatus, supra, de iudic., quanto.

Assensu
Supra, de rebus ecc. non alien., non licet; et 12. q. 2, sine exceptione.

Compellendis
Immo sunt ipso iure excommunicati, ut infra, de sent. excom., noverit.

X 3.14 DE PRECARIIS

X 3.14.01 *Precariae*

Precariae
Precarium est quod precibus petenti utendum conceditur tamdiu, quamdiu is qui concessit patitur, ff. de preca., precarium; infra, de precar., precarium. Precaria dicitur a preces aliquorum usque ad quinquennium contractus initus, ut hic. Item dicitur precaria ad preces facta donatio usque ad mortem accipientis, 12. q. 2, saepe; 16. q. 3, clerici. Item precaria dicitur contractus ad preces factus usque ad mortem accipientis cuius contractus natura talis est quae habetur, 10. q. 2, precariae; et infra, de precar., precarium, qui contractus innominatus est.

In quinquennium
Quid si elapso quinquennio cum taciturnitate praetereatur? Intelligitur contractus innovari, ff. de preca., in rebus § ulti.; C. locat. et conduct., legem quidem; arg. 12. q. 2, longinquitate. Laur.

Renoventur
Ne longitudine temporis pereat memoria contractus.

X 3.14.02 *De precariis*

De precariis
Precaria hic accipitur pro contractu de quo vel quibus fit mentio in notula praedicti capituli.

Poena
Promissa super contractu irrationabiliter habito. In hoc enim casu loquitur capitulum, cum enim contractus non valeat nec poena ei apposita, C. de legi. et const., non dubium; supra, de for. compet., si diligenti; 15. q. 6, si quandoque; et 15. q. 6, auctoritatem; C. de condi. ob turp. caus., si ex cautione. Sed si contractus rationabiliter habitus est, valet poenae adiectio, arg. supra, de arbitr., dilecti. Tamen si ecclesia non agnovit contractum,

solvere non tenetur, ff. de pigner. act., si pignore § ulti.; ff. de evict., illud § ulti. Arg. contra ff. de iure fisc., si curator. Ala.

Ab eo

Et etiam ab eo qui alienavit, si toleratur, supra, de rebus ecc. non alien., si quis. Ita successor potest revocare quod praedecessor illicite fecit, 35. q. 9, quod quis.

X 3.14.03 *Precarium*

Precarium

Est autem precarium, ut dictum est in capitulo supra, de precar., precariae, quod precibus ad utendum datur. Et tamdiu durat quamdiu patitur qui concessit, ut hic, et ff. de preca., precarium. Et est simile commodato, qui enim commodat rem suam, sic commodat ut non faciat eam accipientis, sed ut permittat ei uti re commodata. Et sicut revocatur precarium, ita commodatum, ut ff. de preca., precarium. Sed distant in hoc quod commodatum non revocatur intempestive, ff. commodat., in commodato § sicut. Nisi post usum completum, infra, de commod., cum gratia § 1. Precarium vero quandoque revocatur etiam si ad certum tempus sit concessum, ff. de preca., cum precario. Consistit autem precarium tam in re mobili quam immobili, et in servitutibus ut si me rogaveris ut per fundum meum ire vel agere tibi liceat, vel in tectum meum, vel in area aedium mearum tignum, vel stillicidium immissum habeas, ff. de preca., ait praetor § ulti.; et ff. de preca., veluti; et ff. de preca., in rebus, in princ. Item in re propria non consistit precarium, ff. de preca., in rebus § item si rem. Nisi cum debitor pignus rogat precario a creditore possidere, ff. de preca., si debitor, ratione possessionis et non proprietatis, ff. de preca., certe § ulti. Item tam ille qui concedit precarium quam qui rogat, possidet unus civiliter et alter naturaliter, ff. de preca., et habet § penulti. Sed duo insolidum precario possidere non possunt, ff. de preca., duo. Et restitui debet precarium in pristinam causam, alias condemnabitur in tantum quanti interfuerit actoris, ff. de preca., quaesitum § ex hoc interdicto. Et precarium constituitur inter praesentes et absentes et per epistolam, ff. de preca., precario. Item si precario durante prorogatur in ulterius tempus, non mutat causam possessionis, ff. de preca., sed si manente. Unde non dicitur precarium novum.

Solvitur

Obitu eius cui conceditur precarium finitur, et non concedentis. Immo ad heredem eius qui concessit, transit, ff. de preca., cum precario § precarii; et ff. de preca., quaesitum § quod a Titio; et ff. de preca., quaesitum § illud. Item solvitur precarium pignoris debitore solvente pecuniam creditori, ff. de preca., si debitor. Arg. contra ff. locat. et conduct., locatio precariive, ibi finitur precarium morte concedentis. Sed hoc ideo est, quia ille qui concessit precarium hoc voluit, et expressit voluntatem concedendo precarium, et ideo finitur per mortem ipsius. Sed hic, et ff. de preca., cum precario § 1, simpliciter concessum fuit precarium sine temporis praefinitione, et ideo non finitur per mortem concedentis. Ber.

Per conventionem
Et si ad certum tempus precarium concessum sit, nihilominus ante tempus illud poterit revocare, ff. de preca., cum precario, ubi sunt haec verba: quod non licet rem alienam etc. Et culpam non praestat, sed dolum tantum et etiam culpam si dolo sit proxima, ff. de preca., quaesitum § illud. Ber.

Precariae
In alia significatione accipitur hic hoc nomen precariae. Pro contractu scilicet de possessionibus ecclesiarum, de quo habes supra, de precar., precariae; et supra, de precar., de precariis; et 10. q. 2, hoc ius, ad fi.; et 10. q. 2, precariae. Nec potest revocari ante constitutum tempus, ut hic, nisi irrationabiliter sit factus talis contractus, supra, de precar., de precariis. Et ita aliud precarium est, et aliud precariae sive precaria. Ber.

X 3.15 DE COMMODATO

X 3.15.01 *Cum gratia*

Commodatum
Est autem commodatum alicuius rei ad aliquem specialiem usum gratuito facta concessio et non translatio. Et ideo dicitur facta concessio et non translatio, quia is qui commodat, dominium retinet et possessionem, ff. commodat., rei commodatae. Et dicitur commodatum quasi utentis commodo datum. Et ideo dicitur gratuito, quia si interveniat merces, transit in locationem vel in contractum innominatum: do ut des, facio ut facias, Inst. de mandat. § ulti. Ad aliquem usum ideo dixi ut notetur differentia inter precarium et commodatum. Precarium enim conceditur sine praefinitione certi usus. Unde quandoque potest revocari precarium, ff. de preca., cum precario; et supra, de precar., precarium. Sicut et depositum, infra, de deposit., bona fides. Commodatum autem ad certum ususm conceditur, quia statim subiicitur usus ad quem res commodatur, ut si commodem equum tibi ut ad villam duceres, et tu duxisti ad bellum, teneberis, quia ad alium usum duxisti quam dixisti, ff. commodat., si ut certo § sed interdum. Et consistit commodatum in rebus mobilibus et se moventibus et immobilibus et incorporalibus, puta servitute habitandi, ff. commodat., ait praetor. Quia ibi dicit commodari rem mobilem et etiam soli. Et adiecit Iulianus etiam habitationem posse commodari, et in eisdem rebus consistit precarium, ut dixi supra, de precar., precarium. Sed quod usu consumitur, non commodatur nisi ad pompam, ut ditior appareat, ff. commodat., sed mihi § ulti.; et ff. commodat., saepe. Et quod potest obligare, potest commodare et ei commodari. Unde pupillus non est obligatus, sed alius ei obligatur, ff. de act. emp. et vend., Iulianus § antepenulti. Ber.

De levissima
Cum enim gratia sui tantum quis commodatum accepit, tenetur de dolo, et lata culpa levi et levissima, ut hic dicit. Quia exactam diligentiam qualem in rebus suis adhibere debet, ff. commodat., in rebus. Immo non sufficit talem adhibere qualem in suis rebus, si tamen alius diligentior custodire potuit, ff. de act. et oblig., obligationes aut ex contractu § is quoque cui. Et dolum et culpam, ff. commodat., si ut certo § commodatum. Si vero gratia dantis tantum commodatum detur, tunc venit dolus et lata culpa, ff. commodat., si

ut certo § interdum; et ff. commodat., si mei causa; ff. de act. et oblig., obligationes aut ex contractu § is quoque apud quem. Si vero gratia utriusque, tunc praestat dolum et latam culpam, ff. commodat., in rebus, 1. resp., ad fi.; et ff. commodat., si ut certo § nunc videndum, ad fi. Casus vero fortuiti qui praevideri non possunt, non veniunt, C. commodat., ea quidem; et ff. commodat., in rebus; et ff. de act. et oblig., obligationes aut ex contractu § is quoque cui; infra, de homic., Ioannes; et infra, de homic., quidam. Nisi ista tria aliud inducant: culpa, pactum vel mora, ut in praedicta lege ff. de act. et oblig., obligationes aut ex contractu § is quoque cui; et ff. commodat., in rebus; et ff. de regul. iur., contractus; et hic, et infra, de deposit., bona fides; et C. commodat., ea quidem. Culpa potest imputari si rem sibi commodatam remiserit mihi per non idoneam personam, ff. commodat., qui non tam. Secus si per idoneam personam, licet contrarium evenerit, ff. commodat., argentum; et infra, de pignor., significante. Item ex pacto praestantur casus fortuiti, ut hic dicit, et C. commodat., ea quidem. Ita quod casus fortuiti connumerentur specialiter, ut ff. si quis caut., sed et si § quaesitum. Et mora imputatur, puta si moram fecit in restituendo, infra, de deposit., bona fides. Et intelligendum est etiam si apud commodantem res fuisset eodem modo peritura, ff. de leg. 1, cum res § ulti.; et in Auth. de dep. et denunc. inq., 1. resp., ad fi., coll. 6. Et commodatum restitui debet ad pristinam causam, ff. de commodat., sed mihi § 1. Alias quanti interest eius condemnatur, ut ibi dicitur. Ber.

Post usum
ff. commodat., in commodato § sicut. Sed in precario contrarium est, supra, de precar., precarium; et ff. de preca., cum precario. Item qui commodavit vasa vitiosa, tenetur contraria actione pro vino effuso. Ignorans tamen excusatur, ff. commodat., in rebus § possunt; et ff. commodat., in rebus § item qui sciens; et ff. commodat., si servus. Ber.

Decipi
ff. commodat., in commodato § sicut, in fi.

X 3.16 DE DEPOSITO

X 3.16.01 *Gravis*

Utilitatem
Et si in utilitatem ecclesiae versa esset licet apud ecclesiam deposita non fuerit, tenetur ecclesia in quantum in rem eius versa est, infra, de fideiuss., quod quibusdam; arg. C. quod cum eo qui in alien. pot., ei qui; 10. q. 2, hoc ius § is creditor; et ff. deposi., depositum § an in pupillum. Ala.

Personae
Et ita depositum factum personae non obligat ecclesiam, quia delictum personae in damnum etc., supra, de instit., cum venissent; 16. q. 6, si episcopum; et 16. q. 6, episcopo; supra, de except., cum venerabilis. Sed qualiter dicitur commendata esse ecclesiae? Respondeo: ex eo quod desertur in thesaurum ecclesiae, sicut eo ipso quod res missae sunt in navem tenetur nauta, et debet habere custodiam omnium quae sunt invecta et illata, ff. naut. caup. stab., parvi refert § si recepit. Et ignorans teneri videtur, C. de his

qui latron. occult., eos; ff. furt. adv. naut., in eos, quod tamen non credo nisi depositio facta sit in praesentia praelati et capituli, ut hic. Vincen.

Actionem
Id est, petitionem, ut supra, de iudic., dilecti, ubi de hoc.

Loculos habet
Et dominus loculos habuit, ut indigentibus subvenerit, 12. q. 1, habebat.

Quaestionibus
Nota quod suspecti sunt torquendi et in vinculis detinendi, et verberibus afficiendi vel subiiciendi, 14. q. 6, si res; et 12. q. 2, fraternitas; et 23. q. 5, circumcelliones; et 5. q. 5, illi qui; et infra, de rapt., in archiepiscopatu. Tanc.

Reddere
Cum nota infamiae. Actio enim depositi infamat, C. deposi., qui depositum.

X 3.16.02 *Bona fides*

Rebus tuis salvis
Ex hac praesumptione condemnabitur. Sic C. locat. et conduct., dominus; et ff. deposi., quod Nerva; sic ff. commodat., si ut certo § quod vero senectute. Et ita si bona fides abest, dolus adesse praesumitur. Nam contraria sunt C. de rescind. vend., si volo. Et est simile, 32. q. 1, cum renunciatur. Et praesumptio sufficit ad condemnationem in casu isto, 32. q. 1, dixit Dominus; et 54. dist., fraternitatem; infra, de Iudae. et Sarrac., nulli. Ber.

De culpa
Nota quod depositarius tenetur de solo dolo, si dolose versatus est in deposito, ff. deposi., depositum § in conducto; et ff. deposi., depositum § ulti.; et ff. commodat., si ut certo § 2; et ff. de regul. iur., contractus. Et de lata culpa quam Nerva dixit esse dolum, ff. deposi., quod Nerva. Quod Azo intelligit dolum praesumptum, ff. mand. vel cont., si fideiussor, 1. resp. Ideo sic expone, quia in ea lege dicitur ipsam latam culpam prope dolum esse, ff. de leg. 1, cum res § ulti.; et ff. de act. et oblig., obligationes aut ex contractu § is quoque apud quem. Et alibi dicitur latam culpam dolo comparari, ff. si mens. fals., adversus § lata est. Et ita non dolus est, quia nihil est id cui ipsum est simile. Quandoque tamen in casibus praestat culpam depositarius, si ipse se obtulerit deposito, ut hic, et ff. deposi., depositum § saepe. Idem si mercedem accipiat pro custodia, ut hic, et ff. deposi., depositum § si quis servum. Item et in tertio casu si conveniat inter eos, ff. deposi., depositum § si conveniat; et ff. commodat., si ut certo § nunc videndum. Sed si conveniat ne dolus praestetur, haec conventio non valet quia contra bonos mores est, ff. deposi., depositum § si conveniat; et ff. de pacti., si unus § illud. Item et in alio si causa depositarii res penes ipsum deposita sit, ff. deposi., depositum § si pecuniam; et ff. si cert. pet., si quis neque. Et tunc venit levissima culpa et si moram facit in restituendo, ff. deposi., si in Asia § ulti. Praesumitur autem lata culpa vel dolus si non adhibeat diligentiam qualem in rebus suis, ff. deposi., quod Nerva. Vel quia res suae salvae sunt,

et depositae non apparent, ut hic dicitur. Et hoc exemplum pone: res suas ponebat in arca secura, et res depositas dimittebat in domo super bancas. Casus tamen fortuitus non imputatur, sicut nec in commodato, supra, de commod., cum gratia; et ff. commodat., in rebus. Nisi in casibus hic contentis, ut si pactum interveniat, ut praestetur, C. deposi., si incursu. Contractus enim ex conventione legem accipiunt et servari debent, nisi improbatum sit a iure, ff. deposi., depositum § si conveniat; ff. de re iud., contractus. Ita tamen quod casus nominetur in pacto, sicut dixi in commodato. Sic supra, de deposit., gravis. Propter culpam vel dolum casus imputatur, ut hic dicitur. Si enim rem depositam vendidit et postea eam redimat, ut eam habeat in causa depositi etiam si sine dolo malo illius periit, tenetur quia sufficit semel dolum commisisse, ff. deposi., depositum § si rem. Item propter moram praecedentem casus imputatur, etiam si apud deponentem periisset. Sufficit enim quod res potuit non perire, ff. de leg. 1, cum res § ulti.; ff. deposi., si in Asia § ulti.; ff. de constit. pecun., qui autem § 2. Et ex eisdem causis imputatur casus in commodato, supra, de commod., cum gratia. Item res deposita non deteriorata debet reddi, alias reddita non videtur, ff. deposi., depositum § si res deposita. Sic in commodato, ff. commodat., sed mihi § 1. Consistit autem depositum in rebus mobilibus et se moventibus tantum, nisi forte ubi apud sequestrum deponitur, cum res aliqua inter plures in controversiam deducitur, supra, de iudic., examinata. Et talis depositio non potest fieri nisi a pluribus, ff. deposi., licet, 1. resp. Item et rei depositae sicut et commodatae proprietatem retinemus et etiam possessionem, ff. deposi., licet § 1; et ff. commodat., rei commodatae.

Revocare

Quandocumque potest revocare depositum, ut hic dicit, et ff. deposi., depositum § est autem; et ff. deposi., depositum § penulti. Et si non restituitur condemnatus suo nomine infamis efficitur, C. deposi., qui depositum; ff. de his qui not. infam., furti § illud. Sicut et precarium quandocumque revocatur, supra, de precar., precarium. Secus in commodato, quod non revocatur nisi post usum expletum, supra, de commod., cum gratia § sicut. Ber.

Contra quod

Nota quod contra depositum non admittitur compensatio, C. deposi., si quis vel pecunias, unde sumitur § iste. Nec etiam depositum cum deposito compensatur. Sed qui primo deposuit, primo recipiat, ut ibi dicitur, et C. de compensat., compensationes. Et quod dicit, compensationem, in toto scilicet deductionem, scilicet pro parte. Et ita nec in toto nec in parte admittitur compensatio contra depositum. Et in hoc privilegiata est actio depositio. Et quia praedoni restitui debet depositum, ff. deposi., depositum § si praedoni. Tamen si dominus cum fure simul petat, domino restitui debet de aequitate, ff. deposi., bona fides. Et sic non erit perfidia, cum sit contractus bonae fidei. Quare dicantur bonae fidei dixi supra, de except., cum venerabilis.

In aliis

Scilicet contractibus sive in realibus sive in personalibus actionibus, si causa sit liquida, C. de compensat., compensationes, in princ. Etiam si non liqueat incontinenti, dum tamen possit liquere intra duos menses, ff. de iure fisc., aufertur § qui compensationem. Et nota quod compensatio fit in pecunia et in pondere et in quantitate, C. de compensat.,

si constat. Et non in speciebus ad pecuniam, ff. de pigner. act., si convenerit; ff. de condi. indeb., si non sortem § si centum; C. de rei vend., si ea pecunia. Absurdum est enim diminutionem rerum fieri propter pecuniam, ff. de impen. in re. dot., quod dicitur, 1. resp. Contra tamen videtur C. de compensat., compensationes, in princ., ubi dicitur tam in rem quam in personam. Illud intelligitur si agatur in rem et restitui non possit, potest admitti compensatio cum aestimatione in pecunia, et in delictis fit etiam compensatio, 32. q. 6, nihil iniquius; et infra, de adult., intelleximus; et infra, de adult., tua; et ff. solut. matrim., viro atque uxori. Et in poenis fit compensatio, infra, de poeni., constitutus. Ber.

X 3.17 DE EMPTIONE ET VENDITIONE

X 3.17.01 *Placuit*

Hospitales
Possunt enim ad hoc compelli per excommunicationem, 42. dist., si quis despicit § hinc etiam. Ala.

Ad presbyterum
Id est, episcopum, 95. dist., olim. Qui forte per hoc capitulum de hoc cognoscere potest, sed forte consuetudo non est in hoc. Tanc.

X 3.17.02 *Ut mensurae*

Ut mensurae
Supple statuimus.

Pondera
24. q. 1, non afferamus; et 24. q. 3, si quis Romipetas; 45. dist., omnis qui; ff. de poe., in dardanarios; et infra, ne cler. vel mon. saecul. neg., multa.

Poeniteat
Et insuper lege Cornelia de falsariis puniri debet, ff. de extraord. crim., annonam, in fi.

X 3.17.03 *Cum dilecti*

Capitulo
Unde non tenuit venditio ipso iure, etiam ubi deceptio non fuisset in pretio, 12. q. 2, sine exceptione; et supra, de his quae fi. a prael., irrita; 10. q. 2, hoc ius. Unde in fine reservatur capitulo haec exceptio. Tanc.

Tunc valentem
Scilicet tempore contractus. Sed pone quod tempore venditionis valeret decem, tempore litis contestatae valeret triginta sive studio monachorum vel alio modo, numquid modo revocabitur venditio? Non, quia tempus venditionis spectandum est, ff. de evict., ex mille § 1; C. de rescind. vend., si voluntate; supra, de elect., dudum ad audientiam. Et si deterior facta esset, non peterent. Et ita cum petituri non essent contrarium,

meliorationem petere non debent, C. de solut., cum pro pecunia; ff. de damn. infect., qui bona § si quis. Vincen.

In arbitrio
Sic infra, de empt. et vend., cum causa; et C. de rescind. vend., rem maioris.

Reddendam
Sed cum venditio nulla fuerit, quia facta fuerit ignorante capitulo et ultra dimidiam decepta est ecclesia, nullum ius acquisitum fuerit monasterio. Quare fit restitutio monasterio? Respondeo: si ad hoc actum fuisset, non fuisset restitutio facta. Sed quia per iniquam sententiam spoliati fuerint monachi, restituuntur, nec fuit venditio iudicata nulla, quia nec agebatur ad hoc. Unde dicitur hic quod in arbitrio sit emptoris etc. Non fit condemnatio nisi agatur ad hoc, supra, de ord. cognit., cum dilectus. Tanc.

Quaestione
Hoc ideo dicit, quia qui rem petit ex una causa expressa et succumbit, eandem rem ex alia causa petere non prohibetur, ff. de excepti. rei iud., et an eadem; supra, de caus. poss. et propr., in causa. De hac materia satis dicitur supra, de libel. oblat., significantibus.

Deceptione
Cum dolus dat causam contractui, puta dolo induxi te ad vendendam rem alias non venditurus, non tenet contractus, ff. de dolo mal., et eleganter; arg. 12. q. 2, quisquis episcopus, in fi.; et infra, de rerum perm., cum universorum. Si vero incidit in contractum quia venditurus eram, sed per dolum tuum minus vendidi vel per dolum meum plus emisti, tenet quidem contractus, sed agitur ad supplementum residui, ff. de act. emp. et vend., Iulianus § sed si venditor. Si vero dolus non dat causam contractui nec incidit in contractum, sed deceptus sum ultra dimidiam iusti pretii in venditione, obtinet quod hic dicitur, et infra, de empt. et vend., cum causa; et C. de rescind. vend., rem maioris. Si autem sum deceptus minus dimidia iusti pretii, non possum agere ad aliquid, quia licitum est contrahentibus sese invicem decipere usque ad dimidiam iusti pretii, ff. de minor., in causae § in pretio. Et hoc habet locum in contractibus bonae fidei. In contractibus stricti iuris, etiam si dolus dat causam contractui, tenet contractus, sed agens ex eo eliditur ope exceptionis, ff. de ver. oblig., si quis cum aliter; C. de pacti., cum postea. Et nota quod in contractibus bonae fidei, si dolus dat causam contractui non per contrahentes sed per intermediam personam, tenet contractus, sed datur actio de dolo contra mediatorem, ff. de dolo mal., et eleganter § 1. In quolibet tamen contractu bona fides exigitur, C. de act. et oblig., bonam. Et nota quod quandoque non tenet contractus, et tamen ex eo agitur, ff. de act. emp. et vend., Iulianus § si quis colludente. Laur.

X 3.17.04 *Pervenit*

Fatigari
Videtur quod dominus Papa minus bene pronunciaverit hic, quoniam res donatae uxori propter nuptias alienari non possunt etiam consentiente uxore, nec currit ei praescriptio in rebus dotalibus, C. de iure dot., in rebus. Nisi soluto matrimonio, ut ibi dicitur, et C. de annal. except., super annali § ulti.; et C. de praescri. trig. vel quad. ann., cum notissimi §

illud. Nec sufficit quod in communes usus pretium versum est, quia pro parte mariti non potuit obligari, C. ad Velleia., authen. si qua mulier. Solutio: si vis ut omnis obiectio conquiescat, dicas quod mulier illa donationem istam propter nuptias lucrari non debuit, quia sicut dos soluto matrimonio debet redire ad uxorem vel eius heredes, ita donatio propter nuptias ad maritum vel eius heredes, C. de pac. convent., lege Leonis; et C. de pac. convent., si mulier; et C. de pac. convent., authen. aequalitas. Nisi ex pacto de lucranda dote vel donatione, vel de consuetudine secus obtineat, infra, de don. int. vir. et uxor., donatio; C. de rei uxor. act., rem § illo procul dubio. In quo casu intelligitur illa authentica C. ad Velleia., authen. sive a me, scilicet illo casu quando ex pacto vel ex consuetudine debet donationem lucrari. Unde bene respondet Papa quod si mulier debeat lucrari hanc donationem, intellige decertalem hanc secundum authenticam, quod tantum erat in bonis mariti, quod potuit sibi consulere et post biennium secundo alienationi tacite vel expresse praesumitur consensisse ratione tanti temporis, arg. infra, de iure patron., cura; C. de pet. hered., si filius. Illa vero ratio non est multum efficax quod in communes usus pretium est conversum, nisi velis dicere quod vir et uxor habebant omnia damna et lucra communia, arg. infra, de don. int. vir. et uxor., significavit. Immo quia soluto matrimonio vel cedit in substantiam viri vel communibus liberis applicatur donatio propter nuptias, in Auth. ut immob. ante nupt. don. § et hoc dicimus, coll. 5. Et ideo non intererat mulieris petere matrimonio soluto, ex quo non habebat liberos aut etiam si habere. Ber.

X 3.17.05 *Ad nostram noveris*

Canonem
Infra, de usur., quia in omnibus.

Emptionis
Emptione pignoris causa facta, non quod scriptum est sed quod suggestum est inspicitur, C. plus val. quod agit., emptione; infra, qui fil. sint legit., per tuas.

Patet
Id est, praesumitur, infra, de pignor., illo. Si autem non ageretur in fraudem, secus esset et haberet emptor fructus, licet venditio rescinderetur et res esset vendita iusto pretio, C. de pac. inter emp. et ven., si fundum. Et ita potius considerandum est quid agitur inter contrahentes, arg. 18. q. 2, Eleutherius; ff. de ver. oblig., eum qui calendis; infra, de cond. appos., verum. Laur.

Dimidiam
Et ita quantitas pretii est arg. doli, ff. de transaction., cum hi § modus. Sic arg. supra, de deposit., bona fides. Et concessio simulata praesumitur propter modicum pretium, C. mand. vel cont., per diversas. Arg. contra infra, de simon., etsi quaestiones; C. de rescind. vend., dolus; et ff. de iure dot., si ususfructus. Laur.

Lateranensi concilio
Infra, de usur., quia in omnibus. Et maiorem etiam imponere potest, infra, de usur., conquestus; infra, de usur., tuas dudum; scilicet per excommunicationem, supra, de

iureiur., ad nostram 1. Et ideo in omnibus commissionibus fit mentio de poena illius concilii, ut ab ea iudex incipiat, si viderit expedire ad alteram postmodum processurus, si hoc meruerit etc., supra, ut lite non cont., quoniam § ulti.

X 3.17.06 *Cum causa*

Dimidiam
Istud sic est intelligendum. Ecce res valet decem. Vendidisti illam pro quatuor. Patet quod tu es deceptus in sex. Sed sunt plus quam dimidia iusti pretii quod est quinque, et ita es deceptus in dimidia quae est quinque et plus, scilicet uno. Sufficit si illud plus valet unum bologninum tantum. Et hoc intellige in venditore qui decipitur in pretio. Et sic etiam in emptore decepto pone quod res valeat decem, et emptor solvit sexdecim. Potest agere ad pretium recipiendum quod plus dedit vel in totum recedere a contractu, quia sic patet quod est deceptus ultra dimidiam iusti pretii. Soluit enim sex ultra dimidiam iusti pretii, quod fuit decem. Si enim deciperetur in quinque tantum, non ageretur, quia quinque sunt dimidia decem. Et ita non est deceptus emptor in aliquo ultra dimidiam iusti pretii. Sed quia sex dedit, ultra dimidiam deceptus est, ideo aget. Azo intelligit ista verba ita. Alii dicunt quod necessarium est ut duplum iusti pretii et ultra dederit emptor, ut ecce, res valet decem et ego emi pro viginti unum, quod nulla lex dicit. Et nihil est quod dicunt, quia hic decipitur emptor in plus quam sit totum iustum pretium. Sed primum verius est. Et dominus Iacob. dicit eodem modo cum Azo.

Restituerent
Ita agebatur hic ad rescissionem contractus, nisi emptor vellet supplere iustum pretium, supra, de empt. et vend., cum dilecti, et hic; C. de rescind. vend., rem maioris. Secus est in transactionibus. Secundum quosdam tenet etiam transactio, licet quis decipiatur ultra dimidiam iusti pretii, arg. infra, de relig. dom., constitutus, ubi episcopus omnia iura dimisit, solum octo denariis pro pensione retentis etc. Et est expressum quod si post transactionem inveniuntur publica instrumenta per quae appareat quod deceptus sit transigens in quadruplum, non tamen rescinditur transactio, ff. ad Trebel., Lucius § ulti. Et est ratio in transactione, quia eo ipso quod a lite receditur, magnum commodum est. Unde indebitum solutum ob transactionem non repetitur, C. de transaction., cum te; ff. de condi. indeb., in summa. Vincen. Et hoc verum nisi aliquis velit agere iudicis officio ut minor vel ecclesia, quia si laedatur in transactione, restituitur, sicut si laesus est in sententia vel in aliquo contractu, C. si adv. trans., cum in integrum. Sed si directe velit agere contra transactionem, secus esset. Io. Sed quo iure agitur hic ad rescindendum contractum? Dicunt quidam quod iudicis officio, C. de rescind. vend., rem maioris; C. de act. emp. et vend., si traditio. Sed secundum hoc ageret tantum ad quadriennium, quia usque ad tempus illud competit in integrum restitutio, C. de temp. in int. rest., supervacuam. Haec fuit opinio Placen. Alii dicunt quod contradictione ex illa lege, C. de rescind. vend., rem maioris. Et secundum hoc usque ad triginta annos, quia omnes condictiones, cum sint personales perpetuae sunt. Credit Vincen. quod agatur condictione ex eo contractu ex vendito alternative vel ad supplendum iustum pretium vel ad rescindendam venditionem. Nec est mirum si per actionem ex eo contractu agitur ut recedatur a contractu, ff. de act. emp. et vend., ex empto § si quis virginem. Vincen. Quia in contractibus bonae fidei multa veniunt de quibus nec est dictum nec cogitatum, ut

ff. de contrah. empt., quotiens; et ff. de contrah. empt., sed ad exhibendum; et ff. de contrah. empt., sed et si quid; C. de act. emp. et vend., adversus. Io. Haec fuit opinio Iacob. Sed quid dices si maior iuraverit se non venire contra venditionem, numquid audietur quia deceptus est ultra dimidiam iutsi pretii? Non credo quod audiatur. Secus de minore, quia per iuramentum non excluditur nisi per beneficium aetatis. Non tamen renunciat iure communi, et ita potest agere vel ad supplementum pretii vel ad rescindendum contractum, sed restitutionem in integrum petere potest, quia iuramentum repraesentat eum maiorem, nisi iuraret non repetere rem ex eo quod deceptus esset ultra dimidiam. Tunc utraque via esset ei praeclusa praeter iuramentum. Ber.

X 3.17.07 *Si venditori*

Institutum
Nota ergo quod emptor ad hoc ut venditor teneatur ei de evictione, debet ei denunciare ut ipsum defendat super re ab ipso sibi vendita de qua quaestio ei movetur, alioquin non tenetur, ut C. de evict., emptor fundi; et C. de evict., auctore. Nec fideiussores tenentur quod pro evictione recepit, ut ibi dicitur. Et si actor sit absens, denuncietur fideiussori, ut ex praedictis legibus tenetur. Quidam tamen dicunt quod non tenetur denunciare fideiussori. Et haec denunciatio potest fieri quolibet tempore, dummodo non nimis iuxta sententiam, ff. de evict., si rem § quolibet. Et illud scias quod si per venditorem steterit quo minus sit ei denunciatum, puta quia latitat vel quia impedit ne possit ad eum citatio pervenire, nihilominus tenetur de evictione, ff. de evict., si ideo § praesenti; et ff. de evict., si dictum § si praesente. Et idem est si denuncietur fideiussori praesente venditore, ut in dicta lege ff. de evict., si dictum § si praesente; arg. supra, ut lite non cont., quoniam § porro. Item si emptor compromittit in arbitrum et contrarium sententiam reportaverit, venditor non tenetur, ff. de evict., si dictum § si compromisero. Item si emptor potuit usucapere et non usucepit, imputatur ei quia et venditor non tenetur ei si res evincatur ab eo, ut in lege ff. de evict., si dictum § sicut potest. Ber.

Contumaciter
Si contumax fuerit emptor quia citatus non venit ad sententiam, sibi imputetur si lata fuerit contra ipsum, quia tunc venditor non tenetur ei de evictione, quia videtur potius condemnatus propter suam contumaciam quam propter aliam causam, ff. de evict., si ideo, 1. resp.; C. de evict., emptor fundi. Nec potest appellare tamquam contumax, 24. q. 3, de illicita; 2. q. 6, ei qui § sunt etiam quorum. Ber.

Iniuriam
C. de evict., emptor fundi, unde sumpta est haec decretalis. Et hoc ideo quia iniuria quae fit emptori non contingit venditorem, ff. de evict., si per imprudentiam. Sic si iudex per iniuriam pronunciat contra heredem, non nocet legatariis, ff. de leg. 1, si servus plurium § 1.

Legitimas sanctiones
De quibus iam praemissum est in lege C. de evict., emptor fundi; et ff. de evict., si per imprudentiam. Et sic in tribus casibus hic contentis non tenetur venditor emptori: si non denunciavit, si contumax fuit, si per iniuriam iudicis condemnatur. Tunc enim iudex facit

litem suam, et ipse tenetur, ff. de iud., filiusfamilias; et C. de po. iud. qui mal. iud., de eo; et 12. q. 2, qui Christi; 12. q. 2, Augustino. Ber.

X 3.18 DE LOCATO ET CONDUCTO

X 3.18.01 *Ex rescripto*

Litterarum
Huic dominus Papa fidem adhibuit eius assertionem pro rato habens, quod Portuensis episcopus sic primo statuerat, alias prima constitutio de qua fit hic mentio exhibenda esset, supra, de fide instrum., si scripturam; C. de edend., authen. si quis in aliquo. Nisi aliter de illa constare possit, supra, de cleri. peregri., tuae fraternitatis.

Scholarium
Soli ergo magistri et scholares prohibentur conducere hospitia aliorum scholarium. Sed alii non prohibentur conducere hospitia scholarium, et propter potentiores constitutio ista emanavit. Et per hanc litteram videtur quod scriptores qui scholares non sunt sed uxorati, non ligentur hac constitutione, quia de illis non fit mentio. Laur. dixit hanc poenam extendi ad eos qui gaudent privilegio scholastico, large sumpto vocabulo scholarium, et gratia scholarium ibi sunt dummodo non sint meretrices, quae non sunt dignae laqueis legum, C. de adulter., quae adulterium. Nec obiicias quod poena non debet extendi, quia odia et poena quandoque ampliantur, ff. de his qui not. infam., quod ait praetor § exercitum. Et arg. ad hoc infra, de verb. sign., cum in partibus. Laur. Sed non credo quod ad scriptores uxoratos extendatur ista constitutio, licet sint ibi propter scholares. Eadem ratione extenderetur ad chartarios et chartarum rasores. Ber.

Sub excommunicatione
Ex hoc verbo colligitur quod fuerat constitutio latae sententiae, et facit ad hoc 63. dist., Salonitanae; infra, de eo qui furt. ord. recep., veniens. Ita etiam observamus et tenemus quod sit canon latae sententiae, et Tusculanus sub poena anathematis hoc observandum decrevit, ut sequitur in littera. Sed quare non imposuit legem locatoribus? Respondeo: quia non habebat iurisdictionem in eis, sed scholaribus qui clerici sunt pro maiori parte. Simile 89. dist., iudicatum. Item quia noluit legi derogare, C. locat. et conduct., ne cui.

Audientia
Hoc fieri debet propter illos qui constitutionem ignorant. Sed quo ad alios non, quia sufficit qualitercumque sciant etiam sine aliqua contestatione, ff. de admin. tut., quidam § ex quo. Et qui scit, certiorari non debet, ff. de act. emp. et vend., si res vendita, in fi. Immo certe videtur quod omnes teneantur, ex quo constitutio fuit semel publicata, 16. dist., quod dicitis. Unde potius ad cautelam fit huiusmodi recitatio, ne quis saltem de facto dicat se ignorasse. Sic ff. de institut. act., sed et si § 1; et ff. de institut. act., sed et si § 2; supra, de fide instrum., pastoralis.

X 3.18.02 *Vestra nobis relatio*

Statuto
Statuerunt episcopi quod huiusmodi decimae parochiales presbyteris solummodo locarentur, per quod utilitas ecclesiarum non modicum impediebatur. Petierunt isti monachi sibi super hoc provideri. Episcopi enim bene possunt facere statutum, de conse. dist. 3, pronunciandum; et supra, de maior. et obed., si quis; et infra, de sent. excom., a nobis fuit. Sed quia illud vertebatur in detrimentum vel praeiudicium ecclesiarum, et quia non est contra ius, ut hic patet expresse quod fructus decimarum taliter ad tempus locentur, ideo Papa tollit statutum illud, licet ius decimarum taliter vendi vel locari non possit, cum spirituale sit, infra, de iure patron., perlatum; et infra, de iure patron., de iure; infra, de simon., querelam. Ber.

Ad feudum
Et ita patet quod praelati ecclesiarum infeudare non possunt de novo, infra, de feud., ex parte.

Alienationem
Perpetuam scilicet, secundum quod dicitur: alienatio est contractus per quem dominium transfertur, C. de fund. dot., si aestimata. Quandoque verbum alienationis large accipitur, supra, de rebus ecc. non alien., nulli; C. de reb. alien., sancimus; et in Auth. de non alien. aut perm. ecc. § nos igitur, coll. 2. Et eodem modo hic large accipitur, ut in capitulo supra, de rebus ecc. non alien., nulli.

X 3.18.03 *Propter sterilitatem*

Magno incommodo
Quando magno incommodo afficitur conductor, tunc fit remissio pensionis, ff. locat. et conduct., ex conducto § 1, ubi dicit: si omnem fructum tulerit, ut fructus etiam seminis non supersit; et ff. locat. et conduct., si uno § ubicumque; et C. locat. et conduct., licet certis; et C. locat. et conduct., excepto. Nisi aliud in locatione sit actum, ut in lege C. locat. et conduct., licet certis. Alioquin si tale damnum non intervenerit, secus est, ff. locat. et conduct., si merces § vis maior, quod modicum damnum debet sustinere, ut ibi dicitur, et ff. locat. et conduct., habitatores. Intellige quod hic dicitur de eo colono qui certam pecuniam annuatim debet vel certas corbes, et non de partiario qui cum domino lucrum et damnum partitur, ut dicitur in ff. locat. et conduct., si merces § vis maior. Quia pro modico damno non datur restitutio, ut ff. de in int. rest., scio; et supra, de in integ. restit., requisivit; et supra, de rebus ecc. non alien., ad nostram. Et modicum damnum ecclesia sustinere debet, 12. q. 2, bonae rei. Nec pro modico retractatur venditio, ff. de contrah. empt., res bona. Nec pro modico datur actio de dolo, ff. de dolo mal., si oleum, in fi.

Vitio rei
Quia forsitan non potuit pati multam pluviam nec multam siccitatem, nec potuit colonus occurrere quin suffocaretur semen. Sed contra videtur ff. locat. et conduct., ex conducto § 1, ubi dicit quod si vitia ex re oriuntur, damnum esse coloni, ut si vinum coacuerit vel si herbis segetes corruptae sunt. Solutio: ibi potuit colonus occurrere, hic non, quod patet ex eo quod dicit hic: sine culpa coloni. Casus etiam fortuitus domino nocet et non

colono, ut non habeat pensionem nisi pro rata. Et si nihil perceperit, nihil solvat ita quod remissio facienda est in totum vel in partem, nisi ubertate praecedentis anni vel sequentis possit compensari sterilitas, C. locat. et conduct., licet. Et hoc etiam si dominus remisit pensionem propter sterilitatem, si anno sequenti contingat ubertas, petere potest pensionem integram, ut ff. locat. et conduct., si uno. Ber.

Verum invito
Hoc sumptum est ex illa lege C. locat. et conduct., aedem quam.

Non imminebat locationis tempore
Haec potuit esse necessitas quam postea supervenit si domus corruit, vel minatur ruinam quam aedificare vult. Vel forsitan uxorem duxerit et indiget domo illa, vel si qua consimilis necessitas quae tunc non imminebat, arg. ff. ut in poss. legat., si is a quo § plene. Alias est lex et ff. de interrog. act., de aetate § ex causa; et supra, de offi. deleg., insinuante. Et est hic arg. principium considerandum, supra, de empt. et vend., cum dilecti; et supra, de elect., dudum ad audientiam, ubi de hoc. Ber.

Perverse
In isto casu dicunt quidam nihil remittendum esse quasi compensando. Sed non est verum, quia potest dominus agere contra inquilinum pro damno dato actione legis Aquiliae et ex locato.

Canonem
Hoc intellige quando ad longum tempus conduxit, puta ad decem annos, vel plus vel minus etiam sex vel quinque, ff. locat. et conduct., quaero § inter. Ber.

Celeri
Sic supra, de rebus ecc. non alien., si quis; et infra, de loc. et cond., potuit, ubi dicitur qualiter hoc verbum sit intelligendum. Et ita in quatuor casibus inquilinus.

X 3.18.04 *Potuit*

Emphyteuta
Videtur quod emphyteusis sit locatio ex eo quod ponitur in titulo de locato et conducto. Sed non est verum, Inst. locat. et conduct. § adeo. Locatio enim potest fieri tam de rebus mobilibus quam immobilibus et se moventibus. Emphyteusis vero tantum de immobilibus. Contractus autem emphyteuticus medius est inter venditionem et locationem. In hoc autem accedit ad venditionem, quia quando talis contractus celebratur, aliquid datur sicut in venditione datur pretium. Sed tamen differunt, quia per venditionem transfertur dominium, sed hic retinet dominus dominium. Sed magis videtur accedere ad naturam locationis, quia sicut locator retinet dominium et singulis annis aliquid recipit, ita est hic, quia emphyteuta singulis annis solvit canonem constitutum. Et ideo potius ponitur haec decretalis in isto titulo quam in praecedenti. Ber.

Requisita
Hoc sumptum est C. de iure emphyt., cum dubitabatur. Primo requiri debet dominus ab emphyteuta, an emere meliorationes ipsius velit secundum quod hic dicitur, alias caderet a iure suo, ut in lege praedicta C. de iure emphyt., cum dubitabatur. Ber.

Aliis vendere
Sed numquid possunt donare? Videtur quod non, quod quidam concedunt. Alii dicunt quod donare potest etiam sine consensu domini, C. de fund. patrim., si quis fundos, lib. 11; et pignori dare, ff. de pignorib., lex vectigali; et ff. de pigner. act., tutor § ulti. Ber.

Prohibentur
Sed quae personae prohibentur ab huiusmodi emptione? Potest dici quod servi ecclesiae, capitanei et omnes personae maiores qui non sunt idonei facilitate conveniendi, unde posset dominus praeiudicium pati, ff. qui satisda. cog., fideiussor.

Per biennium
Ut 10. q. 2, hoc ius § qui rem. In privato triennium requiritur, C. de iure emphyt., in emphyteuticariis. Sed si promisit solvere poenam rato manente pacto, si non solvat pensionem et petat poenam, nihilominus vult eum expellere, numquid potest? Dicas quod sic, arg. ff. de transaction., qui fidem; et ff. de transaction., pacto; et C. de pacti., cum proponas. In favorem domini dictum est hoc. Et facit ad hoc ff. de regul. iur., cum par. Ber.

Celeri
Et ita patet quod emphyteuta potest purgare moram offerendo canonem post biennium. Sic supra, de loc. et cond., propter. Sicut alienator supra, de rebus ecc. non alien., si quis. Et arg. supra, de elect., quod sicut, in fi.; et ff. de ver. oblig., interdum § ulti. Sed quantum tempus dabitur ad purgandum istam moram? Videtur quod ante sententiam, ut ff. de inoffic. testam., Papinianus § meminisse; et C. de his quib. ut indign., alia est. Vel etiam usque ad litem contestatam, ff. rem rat. hab., amplius hoc; et C. de plus pet., odiosas; et supra, de plus petit., consilium. Vel modicum tempus dabitur forsan decem dierum, ff. de constit. pecun., promissor § 1; et ff. ex quib. cau. maio., ab hostibus § sed quod simpliciter; et ff. si quis caut., et si post tres. Vel quam cito potuit, ff. ad Tert., sive ingenua § confestim; et supra, de elect., quia propter, ubi plura argumenta de hoc invenies. Quidam dicunt quod usque ad litem contestatam potest emphyteuta vitare poenam huius constitutionis offerendo canonem per iura praedicta. Sed non credo quod usque ad litis contestationem possit purgare moram, quia hoc posset differre usque ad duos annos, vel unum vel tres vel plures post tempus statuti biennii, et ita non esset celeriter. Et propterea hoc videtur potius facere timore poenae quam voluntate, et interpellatur coram iudice. Sed tempus statutum ipsum interpellat, ut dicit in fine, et ultro se debet offerre, ut C. de iure emphyt., in emphyteuticariis. Dabo ei modicum tempus post biennium elapsum. Talis enim celeritas ad modicum tempus refertur post biennium respectu ipsius bienni, sicut haec adiectio plus ad modicam quantitatem respectu quantitatis nominatae, ff. de ver. sig., haec adiectio. Et illud modicum considerabitur arbitrio iudicis, ex quo non est determinatum in iure, supra, de offi. deleg., de causis; et

ff. de iure delib., si servus § ait praetor. Et quod appellatur arbitrium boni viri, ff. de ver. oblig., continuus § 2. Ber.

Expelli

Sed numquid auctoritate sua propria potest dominus expellere emphyteutam, si canonem debito tempore non persolvat? Videtur quod sic, C. de iure emphyt., in emphyteuticariis. Satis potest dici quod sic auctoritate huius decretalis et praedictae legis, 10. q. 2, hoc ius porrectum § qui rem huiusmodi. Dicit enim lex pertimescat crimen, cum sibi arbitrium suae ultionis sciat concessum, C. de metat., devotum, lib. 12; et arg. ff. de pignorib., lex vectigali; et arg. C. de serv. export., lege; et C. de serv. export., si ut manus. Sed melius faciet si auctoritate iudicis hoc fecerit, C. de pignorib., creditores; et infra, de privileg., pastoralis. Sed si alii tradidit possessionem vel ab alio expellatur, non deiiciet possessorem auctoritate sua, arg. ff. de vi et de vi arm., colonus. Item si emphyteuta cessavit per biennium et tantum amplius, quod non potest purgare moram, si dominus postea receperit pensionem, numquid dominus postea poterit expellere emphyteutam? Respondeo: in privato planum est, quia recipiendo pensionem iuri suo renunciavit, ff. de lege comm., post diem; et ff. de lege comm., mulier § ulti. Ipso enim facto renunciat iuri suo, supra, de his quae fi. a maior. par. cap., ex ore, cum suis concordantiis. Sed quid dices de ecclesia? Respondeo: si praelatus de consensu capituli recipiat pensionem, expellere non poterit postea emphyteutam, cum liberum sit ecclesiae vel emphyteutam expellere vel pensionem petere, in Auth. de alien. et emphyt. § si quis vero locator, coll. 9. Et eligendo unum alteri renunciasse videtur, ut in praedictis legibus ff. de lege comm., post diem; et ff. de lege comm., mulier § ulti. Sed si solus praelatus sine consensu capituli recipit pensionem, non credo quod obsit ecclesiae quo minus possit expellere emphyteutam, nisi postea capitulum consensisset, arg. infra, de his quae fi. a prael., pastoralis, cum suis similibus. Et si unus sit sacerdos sive rector solus in ecclesia sive in capella et recipiat pensionem, idem credo quod ammodo non poterit emphyteutam expellere, ut dictum est. Item quid si dicat dominus: recipio pensionem salvo iure meo, ut per hoc non fiat mihi praeiudicium quominus possim te expellere? Credo quod valeat protestatio, nec per hoc praeiudicatur ei, quia etsi ipsum vellet expellere, nihilominus posset petere pensionem, 10. q. 2, hoc ius porrectum § qui rem. Et arg. ad hoc ff. si quis caut., non exigimus, 1. resp.; et ff. de eo quod cert. loc. dar. op., si post moram. Idem si fundus emphyteuticus clade vel casmate perierit ultra medietatem vel plus vel minus, numquid debet pensio diminui? Dicunt quidam quod ultra medietatem periit, non tenetur emphyteuta solvere integram pensionem, C. de iure emphyt., ius emphyteuticarium, ex eo quod ibi dicitur: si vero particulare damnum etc., quia nomine partis medietas intelligitur, ff. de ver. sig., nomen filiarum § 1; ff. de usufru., etiam partis. Alii dicunt et melius quod totam pensionem solvere debet, adhaerentes litterae illius legis ubi dicitur ex qua non ipsa re penitus substantia laedatur, Inst. locat. et conduct. § adeo, in fi. Secundum hoc signatur contra C. de alluv., hi quos. Sed illud speciale est in tributo. Sed numquid propter sterilitatem rei emphyteuticariae debet pensio diminui? Et certe non, licet aliud sit in locatione, supra, de loc. et cond., propter. Item si sunt plures coheredes et unus non solvit pensionem, numquid propter hoc fit praeiudicium aliis? Non credo si solvant pensionem totam, et postea contra coheredem agant iudicio familiae erciscundae, ff. fam. ercis., heredes § si unus. Et quod dicit expelli, r3espicit alteram partem disiunctivae,

scilicet cum canonem non solvit, quoniam in altero casu, scilicet quando alienetur domino requisito emptor non potest expelli sine auctoritate iudicis sui. Ber.

Statuta
Non est ergo requirendus emphyteuta, quia tempus ipsum admonet, C. de contrah. et comm. stip., magnam; et C. de iure emphyt., in emphyteuticariis, unde sumuntur ista verba. Sic et creditor ad petitionem urgeri non potest, ut C. de pignorib., creditor; ff. de admin. tut., quidam § ulti.; et C. si prop. pub. pens., si quis. Ber.

X 3.19 DE RERUM PERMUTATIONE

X 3.19.01 *Si princeps*

Voluntate
Alias certe non posset, sicut cum communi consensu emptio contrahitur et etiam dissolvitur, C. de act. et oblig., sicut ab initio. Ber.

Liceat
Sic 10. q. 2, hoc ius porrectum § sed et permutare.

Rationabilis
Puta quod utilitas ecclesiae in hac permutatione procuratur, alias non debet fieri, infra, de rerum perm., ut commutationes. Sicut nec alienatio fieri debet nisi ut meliora prospiciat, 12. q. 2, sine exceptione; et supra, de his quae fi. a prael., cum Apostolica. Ber.

Pragmatica
Pragma idem est quod causa. Unde pragmatica sanctio est constitutio super aliqua re promulgata. Hic tamen ponitur pro confirmatione sive scriptura facta ab imperatore cum causae cognitione super tali permutatione. Ala.

X 3.19.02 *Ut commutationes*

Ut commutationes
Supple statuimus.

Inconsulte
Id est, in damnum ecclesiae, quod esse non debet. Immo rationabilis causa debet subesse ad hoc ut fiat commutatio, supra, de rerum perm., si princeps. Unde successor revocavit inconsultam permutationem. Simile supra, de precar., de precariis. Immo et illa quae fecit, successor revocare potest, quod in damnum ecclesiae datum est sive alienatum, 35. q. 9, quod quis commiserit; supra, de rebus ecc. non alien., si quis; et 12. q. 2, monemus, dum tamen toleretur in administratione. Ber.

X 3.19.03 *Mancipia ecclesiastica*

Commutari
10. q. 2, precariae, in fi., arg. contra. Sed hic determinat illud et favore libertatis hoc fit.

Semel Deo consecratum
12. q. 2, episcopus qui; et 12. q. 2, nulli licet; 19. q. 3, quae semel; et infra, de relig. dom., ad haec. Arg. contra 54. dist., ex antiquis. Solutio: illud est praeter regulam statutam contra eos qui ordinati sunt sine consensu dominorum suorum, cum in hoc ipso delinquunt et maxime ad terrorem, ne alii hac occasione subtrahant se dominis suis, arg. 2. q. 7, quapropter; et ff. de poe., capitalium § famosos.

Ad humanos
Id est, saeculares, de conse. dist. 1, ligna; de conse. dist. 1, vestimenta. Sed contra videtur 12. q. 2, ecclesiasticis, ubi servus ecclesiae saeculari personae datur. Ergo multo fortius permutare potest. Dicit Ala. quod loquitur hoc capitulum et sequens de servo ecclesiae dato et converso facto, qui cum sit religiosa persona saeculari personae servire non debet. Laur. dicit quod ex causa prohibitum fuit, quia ad laicorum suggestionem saepe inutilia mancipia pro utilibus permutabantur, quod ne fiat statutum est ut non nisi ad libertatem commutentur, sed cessante causa cessabit constitutio, 61. dist. § his omnibus; et ff. de pacti., quod dictum. Tanc. Vel dic: factum principis non est trahendum in consequentiam. Ipse enim non subiicitur legibus. Et sic loquitur contrarium in principe. Ber.

X 3.19.04 *Iniustum videtur*

Fugitivos
12. q. 2, fugitivi. Arg. contra C. de lege Fab. de plag., in fuga. Solutio: dum est in fuga, non debet vendi. Sed cum fuerit reversus et patefacto vitio emptori, ne postea fiat redhibitio, ff. de contrah. empt., quod saepe § si quis amico; et ff. de contrah. empt., quod saepe § ulti. Rich.

Humanae
Sic supra, de rerum perm., mancipia, cum suis concordantiis ibi positis.

Servituti
Est et alia ratio quae assignatur in servis minorum, C. de admin. tut., lex quae tutores; ff. de fideicommi. liber., cum quasi § in furiosi. Laur.

X 3.19.05 *Quaesitum*

Dignitatum
Et etiam divisio praebendarum, supra, de praeben., maioribus, quod est concilium Turonense de quo fit hic mentio, et 12. q. 2, alienatione.

Non possunt
Infra, de rerum perm., cum universorum; et infra, de rerum perm., cum olim, nisi hoc fieret auctoritate superioris, supra, de praeben., inter caetera, et hic prout sequitur. Ber.

Simoniae
Quia in spiritualibus vel spiritualibus annexis nulla pactio vel conventio debet intervenire, 1. q. 2, quam pio; et supra, de pact., cum pridem; et supra, de pact., pactiones. In spiritualibus annexis, ut est ius patronatus, supra, de iudic., quanto; et supra, de praeben., significatum. Dic ut ibi.

Episcopus
Inno. iiii dicit quod hoc verum est quando isti commutare volentes habent praebendas in diversis ecclesiis vel in eadem. Si enim est praebendae onus annexum, intelligitur hoc capitulum si sunt in diversis ecclesiis. Si autem in eadem et sine onere, tunc possunt permutare auctoritate propria, et potest esse ratio, licet ipse non assignet quae sequitur in 70. dist., sanctorum; et 74. dist., quorundam. Ber.

Uni loco
7. q. 1, mutationes; et 7. q. 1, scias; et 7. q. 1, omnis qui. Et valet interdum mutatio loci, 81. dist., valet. Ber.

X 3.19.06 *Ad quaestiones*

Proventuum
Scilicet temporalium, unde admittitur cum temporalibus mutatio, quod aliter non fieret, infra, de rerum perm., exhibita, et hic prout sequitur.

Per se queat
Et ita spiritulae cum spirituali potest commutari, sicut temporale cum temporali. De hoc dixi supra, de transact., super eo; arg. 16. q. 7, nemini. Et hoc auctoritate superioris, arg. ff. de his qui not. infam., furti § qui iussu. Et cum indemnitate utriusque, 10. q. 2, hoc ius. Alias non liceret, supra, de praeben., maioribus; 12. q. 2, diaconi; et 12. q. 2, sine exceptione. Alias non, infra, de rerum perm., exhibita. Item nota quod ad hoc quod aliquid habeatur tamquam beneficium, non potest ex permutatione provenire, quia esset manus a manu sicut nec transactione, supra, de transact., super eo. Item licet permutatio locum habeat in spiritualibus, non tenet emptio et venditio, et est ratio quia nulla est emptio sine pretio, ut Inst. de emp. et ven. § item pretium. Quod in quantitate et in numerata pecunia consistit, C. de contrah. empt., empti fides. Quod non est in permutatione, ff. de rer. perm., sicut. Sed uterque est quasi emptor et venditor, ff. de aedil. edict., sciendum § emptorem. Laur.

Inhibitum
Unde videtur concessum. Arg. 30. q. 4, qui spiritualem; et infra, de spons., cum apud; ff. de procur., mutus § 1. De hoc dicitur supra, de translat., inter corporalia.

Contractus
Duo enim erunt contractus non se aliquo modo tangentes. Tamen si una villa commutaretur cum alia ita quod utraque ecclesia esset accessoria ad villas, bene permutaretur cum universitate. Arg. infra, de iure patron., ex litteris; infra, de iure

patron., cum saeculum. Ad instar fundi dotalis, ff. de fund. dot., interdum; C. de fund. dot., mariti. Nec aliquid intelligitur esse pretium ecclesiae, sicut nec pretium peculii est, cum servus venditur cum peculio, ff. de peculi., si ex duobus § ulti.; et ff. de peculi., sed si quis servum. Laur.

X 3.19.07 *Cum olim*

Confessus
Quae confessio ei praeiudicavit, supra, de confess., cum super; et supra, de confess., ex parte. Sed adversario non debet praeiudicari, infra, de adult., significasti; et 2. q. 5, interrogatum.

Consensum
Et sic fuit particeps simoniae, unde debuit privari dignitate illa, supra, de rerum perm., quaesitum.

Diffinitivam
Ergo in civili causa aliquae sunt partes iudicis in confitentem, similiter et in criminali, 2. q. 1, nos in quemquam. Nec obstat ff. ad leg. Aquil., perinde. Nam nullae sunt partes in cognoscendo, sed aliquae sunt in pronunciando. Io. Sic ergo patet ex hoc capitulo et supra, de rerum perm., quaesitum, quod nulli possunt de iure sua auctoritate adinvicem sua beneficia permutare, ut infra, de rerum perm., cum universorum. Et illa potest esse ratio, quia non contrahit permutationem qui rem alienam tradit, ff. de rer. perm., sicut § ulti. Et arg. ad hoc ff. de condi. caus. dat., advocationis. Sed beneficium non potest possideri tamquam proprietas, quia nullus dominium dicitur habere sui beneficii, cum quasi usurario clerici comparentur. Sed ecclesia bene potest possideri ab alia ecclesia tamquam proprietas, unde possunt bene adinvicem permutari, supra, de rerum perm., ad quaestiones. Item permutatio vicina est emptioni, ff. de rer. perm., Aristo. Et quasi successit permutationi, ff. de rer. perm., sicut. Sed spiritualia emi vel vendi non possunt, infra, de simon., querelam; et 1. q. 1, qui studet. Ber.

X 3.19.08 *Cum universorum*

Tractare
Quod non licet a possessore praebendae vel dignitatis, supra, de praeben., maioribus. Sed superior hoc facere potest, supra, de rerum perm., quaesitum. Ber.

Utilitati utriusque
Quia altera alteri magis vicina erat, vel alia conveniens causa. Simile supra, de rerum perm., ad quaestiones; et 10. q. 2, hoc ius § sed et permutare; et supra, de rerum perm., si princeps. Tanc.

Resignare
Et sic decipit eum, unde ei iura non subveniunt, ut infra dicitur.

Deceptis
Sic supra, de rescript., super litteris; ff. ad Velleia., et primo § verba; C. ad Velleia., si sine. Quia stultis non consuevit succurri sed errantibus, ff. de iuris et fact. ignor., regula § si quis ius; et C. si min. se maior. dix., si is; et infra, de dona., inter dilectos. Laur.

Simplicitati
Cui parcendum est, supra, de rescript., super litteris; et in Auth. de fid. instrum. § haec autem omnia, coll. 6; ff. si quis in ius voc. non ierit, ex quaecumque; ff. de edend., qua quisque § ulti.; et ff. de iuris., si quis is § doli; 86. dist., tanta; et supra, de translat., inter corporalia. Sed de iure debet uterque amittere suam praebendam, supra, de rerum perm., cum olim; et supra, de rerum perm., quaesitum. Sed non est verum quod alter renunciaverit. Videtur tamen quod iste G. de iure possit repetere suam praebendam, tum quia contractus talis reprobatus est, supra, de praeben., maioribus; et supra, de rerum perm., quaesitum. Ergo potest venire contra C. de agric. et cens., quemadmodum, lib. 11. Tum quia non fuit res secuta propter quam data est, C. de rer. perm., rebus. Laur. Sed Tanc. dicit quod non potest eam per se repetere, arg. supra, de renunciat., quod in dubiis. Ber.

Detentore
Sic supra, de concess. praeben., proposuit.

X 3.19.09 *Exhibita*

Compromissum
Et sic patet quod de re spirituali potest arbitros compromitti. Sic supra, de arbitr., cum olim; et supra, de arbitr., contingit; et supra, de arbitr., cum a nobis.

Arbitrati
Et male, prout sequitur.

Temporalia
Ergo temporalia cum spiritualibus commutari non possunt, supra, de rerum perm., ad quaestiones. Quia nec vendi nec redimi possunt, infra, de simon., querelam. Et ita non permutari. Sed cum alio spirituali bene, ut in capitulo supra, de rerum perm., ad quaestiones; et supra, de transact., statuimus. Sic et transactio non valet, dummodo spirituale detur pro spirituali. Sic et permutatio, sed fructus decimarum bene possunt vendi et locari, supra, de loc. et cond., vestra. Sed ipsum ius nequaquam. Ber.

Secutum
Et sic patet quod arbitrium nullum fuit ipso iure, quia contra formam iuris prolatum fuit de re spirituali ad temporalem. Sic supra, de confirm. util. vel inutil., examinata. Et sic si principale non tenet, nec accessorium, supra, de elect., qualiter; supra, de for. compet., si diligenti. Etiam si iuramentum intervenisset, ut ibi, C. de legi. et const., non dubium; et supra, de fide instrum., inter dilectos; et 16. q. 7, et hoc diximus. Sic patet quod temporale non potest dari loco decimarum. Arg. contra supra, de rebus ecc. non alien., ut super, ubi videtur quod temporale possit dari pro decimis, sed ibi solvitur. Ex hac

decretali solvitur quaestio quae multum occurrit de facto, quando aliqui volunt certas possessiones pradere quo ad proprietatem vel usumfructum ecclesiis, quibus tenentur solvere decimas possessionum duarum, ut sic aliae possessiones liberae remaneant ab exactione decimarum. Patet quod hoc fieri non potest, et hoc idem habuimus in antiqua compilatione de decimis, intelleximus, quae non debuit removeri.

X 3.20 DE FEUDIS

X 3.20.01 *Insinuatione*

Gageria
Id est, pignus sive feudum, et est vulgare Theutonicorum.

Immunis
In hoc casu permittitur ecclesiae fructus non computari in sortem, ut res illa citius perveniat ad ecclesiam. Simile infra, de usur., plures; et infra, de usur., conquestus. Et in alio casu non computantur fructus in sortem, ut infra, de usur., salubriter. Sed quid si vellet servire ecclesiae ad hoc ut computaret fructus in sortem? Dico quod in hoc casu non est audiendus. Io.

X 3.20.02 *Ex parte tua*

Feudum
Feudum alienari non potest, sed dari potest in dotem usque ad vitam feudatarii, infra, de don. int. vir. et uxor., nuper. Io.

Alienare
Si vasallus alienat totum feudum vel maiorem partem, perdit feudum. Et dominus a quolibet possessore potest illud revocare. Si vero minorem partem eiusdem dat in libello vel obligat pignori, dummodo remaneat in servitio domini, propter hoc non perdit feudum, ut in libro feudorum, quibus modis feudum amittatur § 2 et § 3. Tanc.

Consortem
Quasi iure accrescendi, ff. de usufruct. adcresc., per totum titulum; et in libro feudorum, quibus modis feudum amittatur § praeterea.

Investire
Videbatur quod non, quasi delictum alienantis feudum sine licentia domini respiceret huiusmodi consortem vel filium. Vel illud movebat quaestionem, quia videbatur sufficere, ut haberet iure successionis nec esset necesse eum investire. Io. Gott et Tanc. dixerunt quod qui alienat feudum domino inconsulto ius feudi perdit, et consanguineus non habet ius in illo, ut in libro feudorum, si clientelus, in constitutio Friderici imperialem § igitur habito consilio. Et tamen episcopus qui sacramento tenetur non alienare bona ecclesiae de novo sine licentia Papae dare potest tali consorti feudum illud, non obstante sacramento praestito, quia aliud est alienare de novo et aliud antiquum concedere, arg. infra, de Iudae. et Sarrac., consuluit; et ff. de novi operis nunc., hoc edicto

§ opus novum; infra, de dona., per tuas; 24. q. 1, Achatius non est; et 12. dist., praeceptis. Tanc.

Filium
Videtur quod ob delictum patris non debeat filius feudum amittere, arg. ff. de in ius voc., ad optimum, in fi.; ff. de decur., qui ad tempus § nullum; et ff. de bon. damn., cum ratio, 1. resp. § si plures; et arg. ff. de bon. libert., quaeritur, pro et contra; et C. de quaest., divo; ff. de iure pat., iura. Arg. contra ff. de iure pat., qui contra legem. Io. De hoc scire debes quod si vasallus infra annum et diem investituram feudi ab heredibus domini non quaesierit vel domino petente iuramentum fidelitatis, tertio commonitus non praestiterit vel aliquam feloniam contra tenorem iuramenti fidelitatis fecerit, perdit feudum et revertitur ad dominum. Si vero aliquid grave contra dominum perpetraverit, puta fratrem eius vel patrem interfecerit vel aliud grave, si feudum est paternum amittit illud. Et non ad dominum sed ad confeudatarios suos pertinet, ut in libro feudorum, quibus modis feudum amittatur § ulti. Sed ad filios illius non pertinet. Tanc.

X 3.21 DE PIGNORIBUS ET ALIIS CAUTIONIBUS

X 3.21.01 *Nullus presbyter*

Librum
Non prohibet obligari quasi sacrum, quia non benedicuntur libri. Sed ideo, quia ex quo fuerunt in sacro usu, ad manus laicorum venire non debent, de conse. dist. 1, ligna; de conse. dist. 1, altaris; de conse. dist. 1, vestimenta; de conse. dist. 1, in sancta. Vel eodem modo prohibentur obligari liber vel calix, sicut prohibentur alias res ecclesiae nisi in casibus necessitatis, supra, de rebus ecc. non alien., nulli, ut hic patet. Tanc.

Necessitate
Quae erit illa necessitas, puta si parochiani illius ecclesiae caperentur, 12. q. 2, sicut omnino. Et pro pauperibus alendis et consimilibus, 12. q. 2, aurum habet. Et causa captivitatis pignori dari possunt, ut in Auth. de non alien. aut perm. ecc. § his autem poenis, coll. 2. Sed contra videtur C. quae res pign. oblig. poss., si monumento; et ff. quae res pign. vel hyp., pupillus § eam rem; et ff. de pignorib., sed et quod § quod emptionem, a contrario sensu. Sed canones praevalent. Gott.

X 3.21.02 *Lator praesentium*

Lex
C. de act. et oblig., ob aes; et C. quae res pign. oblig. poss., filios; ff. de leg. 1, senatus § ulti.; in Auth. ut nulli iudic. lic. hab. § quia vero, coll. 9. Nisi in casibus, ut qui ab hostibus detinentur, C. de capt. et de post. et red., ab hostibus; et C. de capt. et de post. et red., diversarum. Pater enim potest filium obligare quandoque, quoniam et vendere potest in maxima necessitate, C. de patr. qui fil. distr., si quis. Item ex consensu libera persona obligari potest, scilicet in obstagio, ut supra, de iureiur., ex rescripto. Alias ordinarium est ut qui bonis cedit, liber vadat quo vult, C. qui bon. ced. poss., qui bonis; et infra, de solution., Odoardus. Ala.

Addici
Id est, adiudicari. Quod verum est si bonis cedat, alias in carcerem detrudatur, C. qui bon. ced. poss., qui bonis, 1. resp.

X 3.21.03 *Ex praesentium*

Necessitate
Si pro sua necessitate obligavit, non tenuit obligatio, arg. C. si res alien. pign., curator; et C. quae res pign. oblig. poss., qui filios. Quia non obligantur nisi quae quis de rebus suis obnoxia facit. Quare ergo praecipitur quod heres luat, cum ecclesia libere a creditore possit repetere, 10. q. 2, hoc ius § qui vero res; supra, de rebus ecc. non alien., si quis? Forte de facto, quia nisi recolligerentur, ecclesia rehabere non posset. Vel voluit hic Papa creditori prospicere, quia aliter ab herede presbyteri suum debitum consequi non potuit. Vel est in optione ecclesiae, utrum velit alienantem vel recipientem convenire, 12. q. 2, si qua de rebus; et 12. q. 2, si quis qualibet. Ala. Et C. si tut. vel curat. interven., etiam in his; et C. si tut. vel curat. interven., etiam tutoribus, ad instar minoris ut ibi dicitur. Ber.

Filium
De matrimonio natum ante clericatum.

Ex successione
Ex facto defuncti conveniuntur heredes, C. de evict., si parentes; et 12. q. 2, episcopus qui filios. Et quia pater eius tutor ecclesiae fuit, heres tenetur insolidum, C. de hered. tut., heredes eorum. Rich.

X 3.21.04 *Illo vos*

Obligatis
Eo considerato quod inter contrahentes agebatur, ff. de ver. oblig., eum qui calendis. Quia non quod scriptum est, sed quod gestum est, inspicitur, C. plus val. quod agit., acta; et C. plus val. quod agit., emptione; et infra, qui fil. sint legit., per tuas.

Heredum
Id est, filiorum eius, quia non dicitur hereditas viventis sed defuncti, ff. de hered. vel act. ven., si hereditas.

Proximos annos
Cum contractus sub hac forma celebratur, ut liceat emptori a contractu discedere, si emptio displiceat sibi. Tunc usque ad sexaginta dies potest emptor a contractu discedere, non ultra, nisi hoc dictum sit quod quandocumque velit, possit recedere a contractu, ff. de aedil. edict., quod si nolit § ulti.

Displiceret
ff. de rescind. vend., si convenerit.

Pura
Id est, certis verbis, scilicet ut a verbis non recedatur. Laur.

Pignus
Scilicet mente contrahentium considerata. Laur.

Ex forma
Forma tamen inspicienda non est, ex quo constat de contractu, C. plus val. quod agit., in contractibus; et C. plus val. quod agit., acta. Si autem dubium esset, standum esset scripturae, ff. de exerc. act., utilitatem § si is qui in navem.

Per conditionem
C. de aedil. act., si praedium; ff. de contrah. empt., si res ita; ff. de lege comm., si fundus commissoria; ff. de in diem add., quotiens.

Percepti
Hoc videtur potius facere pro ipso, quod contractus usurarius fuisset. Sed hoc fuit contra naturam pacti, quia si aliquis rem vendit eo pacto quod quandocumque pretium restituerit rem ipsam recipiat, emptor lucratur fructus perceptos quousque pecuniam recipiat, C. de pac. inter emp. et ven., si fundum. Et ideo praesumptio erat contra istum. Sed dic quod non fuit venditio sed pignus, quia in pignore computantur fructus, sed in venditione non computantur, ut supra, de rebus ecc. non alien., ad nostram. Et in legibus praedictis, quia iste creditor usurarius erat.

Summam
Fuit expresse usurarium, 14. q. 3, plerique; et 14. q. 3, putant.

Praesumitur
Sed videtur quod hoc non debeat obstare emptori quod aliquid ultra recipiat, ex quo fructus perceptos computat in pecunia recipienda. Nam percipiendo fructos suos facit, ff. de in diem add., quotiens. Respondeo: verum est, sed tamen tenetur eos restituere, ff. de in diem add., item quod dictum est. Et hoc verum est quando alius emptor meliorem conditionem attulerit. Io.

Consueverit
Ita ex qualitate personae praesumitur talis contractus in fraudem usurarum factus. Idem potest dici in contractu ubi poena apponitur, quae excedit legitimum modum usurarum, ff. de act. emp. et vend., Iulianus § idem; et C. de usuri., cum allegas. Et est simile ubi praesumitur contra aliquem ex eo quod facere consuevit, ut ff. de pigner. act., vel universorum; ff. de usuri., qui semisses § 1; et ff. de Maced., item § quod dicitur; ff. de leg. 3, nummis indistincte. Io.

X 3.21.05 *Ex litteris*

Minutias
Et est simile quia exactio et solutio partium non minima incommoda habet, ut ff. fam. ercis., plane. Ber.

Viro dedisse
Deo duobus constare debet, quanta scilicet fuerit dos, quia alias non potest fieri restitutio ipsius, et quid ille R. aliqua possideret de bonis mariti illius mulieris, ut eatenus condemnatur.

Favor
Quoniam mulier praefertur omnibus creditoribus qui habent personales actiones, vel qui habent tacitas hypothecas quantum ad dotem, sed non quo ad donationem propter nuptias, C. qui pot. in pign. hab., assiduis. Sed non praefertur creditoribus habentibus expressas hypothecas. Nam fiscus simile habet privilegium cum muliere, C. de privil. fisc., quamvis. Et fiscus non praefertur prioribus creditoribus habentibus expressas hypothecas, ff. qui pot. in pign. hab., si pignus. Ergo nec mulier praefertur eis. Praecipua est enim causa dotis, ff. solut. matrim., dotium causa. Io.

Maleficium
Propter maleficium viri mulier puniri non debet, C. de donat. inter vir. et uxor., res uxoris; et C. ne uxo. pro marit., ob maritorum; et C. ad leg. Iul. maiest., quisquis § uxoris; et C. de bon. damn., si quis; et C. de bon. damn., authen. bona. Nec etiam propter delictum patris, C. solut. matrim., secundum rationem. Nisi in casu C. in quib. caus. pign., satis. Ber.

Obligata
Hoc privilegium dotis, quod omnia bona mariti sint obligata uxori, non extenditur ad paraphernalia, C. de pac. convent., si mulier. Nec ad donationem propter nuptias, C. qui pot. in pign. hab., assiduis, in fi. Et sic omnia bona praelati sunt obligata ecclesiae, si male administraverit. Et forte ob hoc dicit capitulum quod res episcopi eodem privilegio gaudent quo et res ecclesiae, 16. q. 1, similiter. Sicut et res tutoris pupillo, C. in quib. caus. pign., si mater. Hoc privilegium non habent mulieres quae catholicam non percipiunt communionem, C. de haeretic., privilegia; et C. de haeretic., authen. item privilegium. Laur.

Cum suo onere
Sic infra, de decim., pastoralis; et infra, de decim., cum non sit; 16. q. 1, si quis laicus; C. de distract. pign., si debitor; C. in quib. caus. pign., certum; et ff. de contrah. empt., alienatio; ff. de pacti., inter debitorem.

X 3.21.06 *Cum contra*

Perceptum
Immo et quod percipi potuit, computandum est, C. de part. pig., cum pignoris.

Fructus
Fructus intelliguntur qui supersunt deductis expensis, C. de fruct. et lit. exp., hoc fructuum.

Canonicas
Infra, de usur., quoniam; C. de pigner. act., quod ex operis; et C. de pigner. act., creditor qui praedium.

Computari
Nisi in casibus supra, de feud., insinuatione; et infra, de usur., plures; et infra, de usur., conquestus; et infra, de usur., salubriter.

Extenuassent
Non enim potuit primus creditor in plus obligare pignus secundo creditori quam ei fuerat obligatum, infra, de don. int. vir. et uxor., nuper; et ff. de regul. iur., nemo plus; et ff. de usufru., quod nostrum; et infra, de iure patron., quod autem, in fi. Arg. contra ff. de acq. rer. dom., non est novum. Tanc.

Restituendas
Tenetur enim creditor pignoratitia actione, si pignus deterioraverit, C. de pigner. act., quod ex operis. Sic et res commodata reddita non videtur, si deteriorata reddatur, ff. commodat., si mihi § 1.

X 3.21.07 *Significante*

Recolligeret
Id est, redimeret.

Commissoriae
Sic pactum legis commissoriae fit hoc modo: vendo tibi fundum Titianum certo pretio puta decem, pacto tali adiecto quod si usque ad mensem non solveris decem, fundus sit inemptus. Quod hic pure venditum est, potest sub conditione resolvi, et est in potestate venditoris utrum velit venditionem resolvi, quia istud pactum venditoris causa apponitur, ff. de lege comm., si fundus; et ff. de lege comm., cum venditor. Arg. contra quod sit conditionalis talis venditio, ff. de pignorib., si fundus § ulti.; et ff. de contrah. empt., Titius, 1. resp. Sed ibi potius conditionalis venditio contrahitur. Sed pactum istud legis commissoriae in pignoribus improbatur per C. de pac. pign., qui pactus; et C. de pac. pign., quoniam, ut dicit hic. Rich.

Certum
Ergo non imputatur domino malitia nuncii vel procuratoris, si modo credebatur idoneus, ut hic videtur et ff. commodat., argentum. Sic C. qui pet. tut., cum a matribus. Arg. contra supra, de offi. deleg., cum olim abbas; et ff. de praescr. ver., apud § ulti.; et 3. q. 7, in gravibus. Io.

Si est ita
Arg. quod iuramentum contra legem factum servandum est, quasi diceretur si non est ita, servabitur iuramentum. Verba ista si est ita reseruntur ad id quod dicit per eum quem certum nuncium etc. Arg. contra supra, de for. compet., si diligenti, in fi., ubi de hoc.

Iuramento
Arg. contra supra, de iureiur., cum contingat, ibi solvitur.

X 3.21.08 *Cum constet*

Successisse
Scilicet ex testamento filii, quia si ab intestato decederet et filius non habuisset descendentes, parentes in totum succedunt secundum tenorem illarum authenticarun C. ad Tert., authen. defuncto; et C. suis et leg. lib., authen. in successione; et etiam in Auth. de hered. ab intest. § consequens, coll. 9; et in Auth. de hered. ab intest. § 1, coll. 9; et in Auth. de hered. ab intest. § 2, coll. 9, unde sumptae sunt authenticae, C. suis et leg. lib., authen. in successione.

Cautionem idoneam
Nomine cautionis nuda promissio intelligitur, C. de ver. sig., sancimus. Sed cum additiur idonea vel sufficiens, pignoratitia vel fideiussoria intelligatur, ff. mand. vel cont., si mandato Titii § ulti.; et ff. de fideicommi. liber., ergo quamdiu § adiici; et Inst. de rerum div. § venditae. Et sicut in casu isto pignora vel fideiussores dantur, sic supra, de sequestra., ad hoc, satisdationem desiderat haec cautio ad arbitrium boni viri, C. de usufruct. et habit., usufructu constituto. Et haec cautio non potest a testatore remitti, C. de usufruct. et habit., si usus fructus; et C. ut in poss. legat., scire. Cum favore heredis sit introducta, sed ipse heres potest remittere, ff. ad leg. Falc., potest.

Utatur
Usufructus est ius utendi fruendi rebus alienis salva rerum substantia, ff. de usufru., usus fructus est. Et est ius in corpore, quo sublato ipsum tolli necesse est, ff. de usufru., est enim. Et ideo dicitur rebus alienis, quia res sua nemini servit, ff. de servitu. urb. praed., in re communi; et ff. si ususfruct. pet., uti frui, in princ.

Utatur
Hoc dicitur ad differentiam utilis dominii, quod in rebus aliis habetur, ut est emphyteuta et feudatarius qui habent utile dominium.

Fruatur
Hoc dicitur ad differentiam nudi usus, quia minus est in usu quam in usufructu, Inst. de usufru. § minus. Et clerici possunt dici usuarii, quia nec possunt vendere nec testari nec donare, sed victu tantum et vestitu contenti esse debent, ut 10. q. 2, episcopus habeat. Ber.

Salva rerum substantia
Id est, ne in totum pereat substantia, unde tenetur reficere aedes, quoniam ad eum omnes fructus pertinent, ff. de usufru., usufructu legato; et ff. de usufru., hactenus, alias est § illius praedictae legis; et C. de usufruct. et habit., eum ad quem, unde cautio praestitur.

Immobilibus
Haec autem cautio interponi debet sive res sit mobilis sive immobilis sive soli, ut hic, et ff. usufruct. quem. cav., si cuius rei. Et appellatione mobilium etiam sese moventia continentur, ff. de ver. sig., moventium. Et arbitrio boni viri praestare debet, ut hic dicit; et C. de usufruct. et habit., ususfructus; et ff. de usufru., item si fundi. Et continet cautio ista duas causas. Unam de utendo fruendo arbitrio boni viri. Aliam de restituendo finito usufructu, ff. usufruct. quem. cav., si cuius rei, 1. resp.; et ff. usufruct. quem. cav., si cuius rei § haec stipulatio. Quandoque tamen remittitur haec cautio, cum certum est proprietatem redire ad usufructuarium, ff. usufruct. quem. cav., si ususfructus § plane. Item in fisco usufructuario, ff. ut leg. seu fid. serv., legatorum § si ad fiscum. Item cum ususfructus pertinet ad patrem in rebus filii, C. de bon. quae liber., cum non solum § haec procul dubio. Constituitur autem usufructus in fundo rustico, et in aedibus, et in servis, et caeteris rebus, scilicet gemmis, annulis, libris, ff. de usufru., sed et si quid § 1; et ff. de usufru., sed et si quid § 2; et ff. de usufru., statuae; et ff. de usufru., item si fundi, § 1, in princ.; et ff. de usufru., omnium praediorum § 1; et ff. de usufru., omnium praediorum, 1. resp.

Viri
Id est, iudicis, ff. de ver. oblig., continuus § cum ita.

Pecuniam
In his vero quae usu consumuntur proprie ususfructus non potest constitui, quia neque naturali iure potest fieri, quia non potest esse salva rei substantia neque civili, quia ita dantur usufructuario, ut fiant huiusmodi recipientium usumfructum, puta vinum, aleum, frumentum et consimilia. Item pecunia numerata quae assidua permutatione et commistione consumitur, Inst. de usufru. § constituitur; et ff. de solut., si nummi alieni. Utilitatis tamen causa constituitur ususfructus vel quasi ususfructus, quia ille cui dantur huismodi res, satisdat de tanta pecunia restituenda vel aestimatione aliarum rerum, ut hic dicit, et Inst. de usufru. § constituitur; et ff. de usufruct. ear. rer., senatus; ff. de usufruct. ear. rer., sed de pecunia; et ff. de usufruct. ear. rer., post quod; et ff. de usufruct. ear. rer., si vini. Et finitur morte fructuarii et capitis diminutione, ut lege praedicta ff. de usufruct. ear. rer., si vini, maxima et media, Inst. de usufru. § finitur.

Compellatis
Sed si non potest satisfacere, quid erit? Dicunt quidam, sufficit si iuret, in Auth. ut nulli iudic. lic. hab. § si vero crimen, coll. 9 arg. Azo dicit quod non habebit usumfructum, ff. de usufruct. legat., uxori. Ber.

X 3.22 DE FIDEIUSSORIBUS

X 3.22.01 *Clericus fideiussionibus*

Inserviens
Frequentiam denotat, vel verum est quod clericus fideiubere non debet, 11. q. 1, te quidem, ubi de hoc. Si tamen fideiussit, tenet, infra, de fideiuss., pervenit; et infra, de fideiuss., constitutus. Sic et regulares fideiubere non debet, infra, de fideiuss., quod quibusdam.

X 3.22.02 *Pervenit ad nos*

Non solventibus
Primo fuit in optione creditoris quem vellet primo convenire principalem vel fideiussorem, C. de fideiussor., iure nostro. Hodie corrigitur illud per authenticam, quia quamdiu principalis invenitur, fideiussor non molestatur, C. de fideiussor., authen. praesente. Nisi ipse fideiussor renunciaverit huic iuri, C. de duob. reis, authen. hoc ita. Et huic iuri renunciant fideiussores et constitutioni divi Hadriani, quae est C. de constit. pecun., divi Hadriani. Et huic iuri iste clericus fideiussor renunciavit.

Dispendium
Arg. officium suum nulli esse damnosum, ff. de fur., si servus communis § quod vero; 4. q. 3, si testes § venturis; et ff. ad Velleia., et primo § 1; ff. quemad. test. ap., sed et si quis; ff. ex quib. cau. maio., videlicet; et 2. q. 6, hoc etiam placuit. Sic supra, de renunciat., sane. Similiter econverso non debet praemium consequi unde poenam meretur, 16. q. 1, legi; ff. de negot. gest., sive hereditaria. Arg. contra ff. de his quib. ut indign., auferuntur; et ff. de his quib. ut indign., divi Severus.

Sigillo
Nota scripturam authenticam illam quae continet sigillum episcopi, arg. supra, de fide instrum., scripta. Ala.

Ex confessione
Confessus in iure pro iudicato habetur, C. de confes., confessos; et supra, de confess., cum super; et supra, de confess., ex parte. Et semper statur confessioni contra se factae, 14. q. 2 § 1; et ff. de interrog. act., de aetate § si quis; et supra, de confess., ex parte.

Servent indemnem
Ergo petet usuras, si eas solvit creditoribus. Sed oppono tibi, usurae indebitae fuerunt, supra, de iureiur., debitores. Ergo si ad eas etiam solvendas exceptione opposita fuit condemnatus, hoc per iniuriam iudicis factum est, quare principalis debitor non tenetur ei ad hoc, ff. de fideiussor., exceptione; ff. de evict., si per imprudentiam; et supra, de empt. et vend., si venditori; et ff. mand. vel cont., idemque § generaliter, ubi dicitur exceptio quae competit reo et fideiussori, et si eam scienter omittat ei est imputandum, ff. de exception., omnes exceptiones. Item debitor non intelligitur mandasse, ut solvat indebitum, ff. de condi. indeb., si procurator. Sed dicerem quod si fideiussor iuraverit solvere sortem et usuras, propter iuramentum exceptione proponere non poterit, supra, de iureiur., debitores, nisi primo impetrasset absolutionem iuramenti, de iureiur., ex

administrationis. Unde satis potest petere usuras et expensas quas fecit, quia totum est interesse suum, ff. mand. vel cont., si mandato § si fideiussor; ff. de admin. rer., non utique § ulti. Et hoc prout sequitur, et infra, de fideiuss., constitutus. Sed obstat illa decretalis supra, de iureiur., debitores, quia ipse debet repetere usuras. Sed si non iurasset et potuit opponere exceptionem et non opposuit, non repeteret usuras, quia indebitum solvit. Hoc dicit Ala. Vel dic quod idem est cum iuravit, quia debuit impetrare absolutionem iuramenti antequam solveret usuras si potuit. Sed si non potuit, ipsemet repetet ab usurario. Alii ut Tanc. contradixerunt.

Redditibus
Nota clericis ob causam iudicati quotidiana stipendia interdici, ff. de re iud., commodis praemiorum. Arg. contra C. quae res pign. oblig. poss., spem. Sed licet speciali conventione non possunt obligari, ut lege proxima C. quae res pign. oblig. poss., spem, tamen ex causa iudicato a iudice possunt pro iudicato obligari, arg. C. de execut. rei iud., stipendia; et C. de praed. vel al. reb. min., venditio; ff. de reb. eorum qui sub tut., magis. Vincen.

Religionem fidei et iuramenti
Puniri enim debent, quia periuri sunt et infames secundum canones, 6. q. 1, quicumque; 22. q. 5, si quis; et supra, de iureiur., querelam; C. de transaction., si quis maior. Et idem est venire contra fidem promissam sicut contra iuramentum, ut hic patet, et supra, de his quae vi met. caus. fi., ad aures. Quia inter simplicem loquelam et iuramentum non facit Deus differentiam, 22. q. 5, iuramenti. Sed quare mandat eos suspendi, cum ad hoc non sit actum? Potest dici quod hoc facit ex officio suo, cum per denunciationem ad Papam pervenerit, quia undecumque crimina claruerint, punienda sunt, 24. q. 3, ecce.

X 3.22.03 *Constitutus in praesentia*

Absolvat
Et ita potest fideiussor agere contra principalem debitorem ut eum liberet, si diu steterit in obligatione. Sic infra, de fideiuss., eum, ubi de hoc.

Accessiones
Sic est arg. fideiussorem teneri ad usuras. Arg. contra C. de fideiussor., si fideiussor. Distingue utrum fideiusserit in omnem causam et sic tenetur, alias non, ff. locat. et conduct., quaero an fideiussor; et ff. de fideiussor., fideiussores magistratuum. Vincen. Contrarium tamen est verum secundum canones, supra, de iureiur., debitores, ut supra titulo proximo dixi.

Legi
C. de iureiuran., in omnibus; et C. de iureiuran., cum et iudices. Et iuri canonico contraria est quantum ad causas civiles, supra, de iuram. calumn., inhaerentes; et supra, de iuram. calumn., cum in causa; et supra, de iuram. calumn., in pertractandis; et supra, de iuram. calumn., imperatorum. Concordat tamen canonibus, 2. q. 5, sacramentum; et 2. q. 5, nos sanctorum.

Intercessori
Id est, fideiussori.

Satisdatione
Hoc si voluerit, alias non compellitur. Sed sufficit quod ei denuncietur, ut mittat vel vadat ad ipsos videndos, alias reciperentur in termino constituto, supra, de testib., in nomine. Et quod dicit audiendos, id est, videndos iurare. Vel forte ideo cautionem praestare debet, quia praesumptio erat contra cancellarium ne in fraudem malitiose debitum ei negaret, ut adversarium fatigaret laboribus et expensis, ut si eam praestare nollet, hoc ipso tamquam suspectus compelleretur ad satisfaciendum. Sed hoc non videtur, quia sive vadat sive non, nihilominus tenetur adversario in expensis. Immo debet compelli ut vadat vel mittat, ut ipse magis puniatur, quia tunc gravatur in suis propriis expensis et etiam adversarii.

Transmittentes
Hoc fieri potest in causis civilibus, secus in criminalibus in quibus testes in praesentia iudicis suum testimonium dicere debent, C. de fid. instrum., iudices; et C. de fid. instrum., authen. apud eloquentissimum. Tanc.

Quanta fides
Hoc ideo dicit, quia ille qui testes examinat, melius scire potest quanta fides sit eis adhibenda, ff. de testi., testium, 1. resp. Ber.

X 3.22.04 *Quod quibusdam*

Fideiubeat
Nec clericus nec monachus fideiubere debet, supra, de fideiuss., clericus; et 11. q. 1, te quidem. Nisi necessitas sit, et tunc tenetur ex pietate subvenire aliis, 86. dist., non satis. Sed pro ecclesiis suis possunt fideiubere, ut hic dicitur, et in Auth. de sanct. episc. § alium autem, coll. 9. Et hoc de licentia capituli vel maioris partis, ut hic dicit. Alias monachus nihil ageret, nisi in utilitatem monasterii pecunia fuerit conversa, quia tunc etiam perinde est, ac si capitulum obligaretur. Item clerici inter se possunt fideiubere cum conveniuntur, C. de episc. et cler., omnes § in hac. Item nec adstrictus curiae potest fideiubere, C. locat. et conduct., curialis. Io.

In utilitatem
Istud bene notabile est quod creditor probet in utilitatem ecclesiae credidisse, 10. q. 2 § hoc ius, vers. is creditor. Sed nec tunc agetur ex illo contractu, cum ille nullus sit credendo monacho sine consensu capituli, sed agitur actione de in rem verso, ut hic patet, et ff. de in rem ver., si hi; et ff. de in rem ver., si pro patre. A contrario sensu videtur quod usque ad summam a capitulo constitutam non tenetur creditor probare in utilitatem ecclesiae processisse, ex eo quod de alia probare tenetur, ut hic dicit. Ber.

Graviori
Sed etiam ad arbitrium iudicis, cum hic non sit certa poena statuta, supra, de offi. deleg., de causis.

X 3.22.05 *Eum pro quo*

Si diu
Nota hic tres casus quibus fideiussor potest agere contra principalem debitorem, ut eum liberet a fideiussione. Primus est si diu stetit in obligatione, ff. mand. vel cont., Lucius Titius. Secundus si reus incipit vergere ad inopiam, ut ff. mand. vel cont., Lucius Titius; et C. mand. vel cont., si pro ea contra quam. Tertius si fideiussor condemnatus sit, ut in C. mand. vel cont., si pro ea contra quam. Et istos tres casus habes hic. Quartus est si hoc ab initio convenit, ut in lege praedicta C. mand. vel cont., si pro ea contra quam; et ff. de fideiussor., fideiussor pro venditore. Et ita in casibus ante solutionem potest agere fideiussor ut liberetur, arg. ff. mand. vel cont., si mandato § quotiens; et ff. commodat., si ut certo loco § rem tibi dedi. Alias non potest, quia et hoc ipsum videtur ei mandatum ut solvat et hoc promisit. Et sunt quasi duo mandata, ut se obliget et ut solvat. Unde ad utrumque tenetur, arg. ff. de condi. indeb., indebitam. Et est simile supra, de dolo et contu., cum dilecti, ubi duo intelliguntur mandata, ff. de recepti., Celsus. Et quia intempestive non debet revocare beneficium suum, ne omnino inutile fuisset, quia adiuvari nos beneficiis oportet et non decipi, supra, de commod., cum gratia; ff. commodat., in commodato § sicut. Secus est in precario, supra, de precar., precarium. Et quod dicit diu, referendum est ad arbitrium iudicis, sicut illud celeriter, supra, de loc. et cond., potuit. Ber.

Dissipare
In isto casu potest mulier petere dotem constante matrimonio, C. de iure dot., ubi, alias non potest, C. si dos const. mat. sol. fuer., si constante. Ber.

X 3.23 DE SOLUTIONIBUS

X 3.23.01 *Ad hoc*

Filius
Hoc verum est si est heres.

Debita
Omnia, si non fecerit inventarium. Si fecit, tunc non tenetur nisi quantum vires hereditatis se extendunt, C. de iure delib., scimus. Et hoc in debitis ex contractu descendentibus vel quasi. Sed in debitis quae ex delicto vel quasi procedunt, non tenetur nisi in quantum ad eum pervenit, vel nisi cum defuncto lis fuerit contesta, C. ex delict. defunct., post litis. Ala. Secundum canones tamen videtur quod heres tenetur ex delicto defuncti, infra, de sepult., parochiano; et infra, de rapt., in litteris. Tanc.

Praedecessoris
Est enim quasi heres ipsius, 23. q. 8, convenior; 12. q. 2, religiosam. Ala.

Necessitate
Alias non tenetur ecclesia, 10. q. 2, hoc ius § et is creditor; et supra, de fideiuss., quod quibusdam; et supra, de deposit., gravis. Et sic successor ad id tenetur quod praedecessor facere debuit, 12. q. 5, quia. Io. Et 16. q. 6, illud. Ber.

X 3.23.02 *Si quorundam*

Gravare
Mutuum accipiendo et alii tradendo vel pro contrahente fideiubendo ultra, supra, de fideiuss., quod quibusdam.

Litteras
Per quas concedunt praelati, quod aliquis possit recipere pecuniam mutuo nomine suo et ecclesiae suae. Vel tradunt sigilla, ut inde sigilletur instrumentum sicut creditor voluerit dictare. Vel dic litteras seu sigilla, id est, litteras sigillatas.

Litteras seu sigilla
Arg. quod litteris praelatorum credatur, supra, de probat., post cessionem; et 11. q. 3, curae; et supra, de fide instrum., scripta; et supra, de cleri. peregri., tua nos. Et sigillo ecclesiae creditur, 73. dist., in nomine Patris, in fi. Arg. contra supra, de probat., quoniam. Sed quare dicit hic pro alienis, cum hic creditor intelligatur etc., 10. q. 2, ea enim § hoc ius, vers. et his creditor; et supra, de fideiuss., quod quibusdam; et supra, de deposit., gravis. Et sic nec nomine suo nec nomine alieno tenetur ecclesia. Ad actum referas hoc, quia sic fatigaretur ecclesia de facto et non de iure. Ber.

Non teneri
Nisi quatenus versum est in utilitatem ecclesiae, supra, de fideiuss., quod quibusdam.

Suspensum
Ipso iure. Et insuper ecclesiam ipsam reddere debet indemnem, si in aliquo gravata est, supra, de rebus ecc. non alien., si quis. Et est arg. optimum, quod si aliquis dilapidaverit ecclesiam, quod licet velit eam reddere indemnem, nihilominus removendus est. De hoc dixi supra, de elect., quod sicut, in fi. Et sicut ipso iure suspensus est, ita ipso iure videtur restitutus, cum ecclesiam reddiderit indemnem, arg. 81. dist., si qui sunt; 16. q. 7, si quis deinceps; et 15. q. 6, nos sanctorum. Sed non credo quod propter hoc sit restitutus, quia iam suspectus est et satisdatio non immutat malevolum animum tutoris, Inst. de susp. tut. § novissime; et ff. de susp. tut., suspectus; et ff. de susp. tut., quia satisdatio. Immo removendus est de facto, si administrationem non dimisit, ff. de susp. tut., suspectus. De hoc dixi supra, de offi. deleg., venerabili. Ber.

X 3.23.03 *Odoardus*

Officiali
Officialis dicitur ille cui episcopus vices suas commitit, supra, de instit., ex frequentibus. Ber.

Recognoscentem
Id est, confitentem debita. Qui enim cedit bonis antequam recognoscat debitum vel antequam condemnetur aut in iure confiteatur debitum, audiri non debet, ff. de cess. bon., qui cedit.

Non valentem
Et ideo inanis est actio, quam inopia debitoris excludit, ff. de dolo mal., nam is; et supra, de restit. spol., olim vobis. Quia qui nihil habet, nihil dare potest, ut 1. q. 7, Daibertum. Et eius periculo nihil est, ff. de fur., itaque fullo, in princ. Unde videtur quod non tenuit excommunicatio, sed debuit eum expectare quousque solvere posset, arg. decretalis praedictae supra, de restit. spol., olim vobis. Et impossibile praeceptum non obligat, ff. quae sent. sine appel., Paulus 2. Et impossibilium nulla est obligatio, ff. de regul. iur., impossibilium. Sed hic tenuit sententia forte propter dubium, quia non plene constabat an in totum vel in partem posset solvere. Et ideo cum de hoc constiterit, relaxatur ut hic dicitur. Sed si certus esset iudex, quia nihil solvere posset vel si cessisset bonis, sententia non tenuisset. Vel si tenuisset, iniusta tamen fuit. Et ideo sine difficultate debet absolvi. Et iudex tenetur sibi ad interesse, infra, de sent. excom., sacro. Hoc tutius est.

Idonea
Et ita videtur quod per pignora vel fideiussores, ff. mand. vel cont., si mandato § ulti. Sic supra, de pignor., cum constet. Et hoc intelligo si potest, alias praestet quam poterit, scilicet iuratoriam, infra, de don. int. vir. et uxor., per vestras, ubi de hoc; et infra, de verb. sign., ex parte in Christo, ubi de hoc.

Ad pinguiorem
Et ita patet quod licet quis cedat bonis, non ideo liberatus est, sed obligatio remanet inefficax propter inopiam. Sed in hoc prodest ei quod non detruditur in carcerem, C. qui bon. ced. poss., qui bonis. Sed si postea perveniat ad pinguiorem fortunam, ut hic dicitur, solvere debet, ff. de cess. bon., is qui. Sed non in totum nisi in quantum facere potest, ut dicitur in illa lege ff. de cess. bon., is qui, habita ratione ne egeat. Sed non est fraudandus alimentis cotidianis, ff. de cess. bon., qui bonis; Inst. de action. § ulti.; et ff. de regul. iur., in condemnatione. Sed contra videtur supra, de fideiuss., pervenit, ubi de redditibus ecclesiae satisfit creditoribus, quare non hic eo modo? Forte quia periuri erant. Ideo redditus assignantur creditoribus. Dignum est enim, ut male meriti egestate laborent, ff. deposi., bona fides; et 86. dist., non satis. Vel hic non fuit actum ad hoc, 86. dist., non satis, ante medium.

X 3.23.04 *Is qui*

Indebitam
Nota quod indebitum aliud dicitur iure civili tantum, et aliud iure naturali tantum, aliud iure naturali et civili. Qui solvit indebitum iure civili tantum per ignorantiam facti, repetere potest illud, quale est id quod potest retineri per legem Falcidiam, C. de iuris et fact. ignor., cum quis; et C. ad leg. Falc., error. Quia credebat se plus habere in hereditate quam haberet, sed si per ignorantiam iuris, non repetit, ut in legibus praedictis. Fallit cum persona facit locum repetitioni, ff. ad Velleia., quamvis § interdum; et ff. de condi.

indeb., interdum; C. si adv. vend., in integrum. Indebitum iure naturali tantum, ut est illud quo per chirographum obligamur spe futurae numerationis, qui tale indebitum solvit, repetit, ut hic, et 1. q. 4, turbatur § notandum, ubi de hoc; et ff. de probation., cum de indebito, 1. resp., unde sumpta fuit haec decretalis, et ff. de condi. indeb., indebitam; et ff. de constit. pecun., quod si maritus § 1; et Inst. quib. mod. re cont. oblig. § is quoque. Et hoc verum est ante biennium, non post, quia tunc etiam posset peti cum effectu, ut Inst. de litt. oblig., in fi.; C. de non num. pecun., si pecuniam § in contractibus, in princ. Solutum vero indebitum utroque iure, quacumque ignorantia repetitur, ut C. de condi. indeb., pecuniae. Quod dictum est hic et in praecedenti membro, fallit in casibus quos habemus Inst. de oblig. quae ex del. nasc. § ex quibusdam, et in textu et in glossa ibi signata. Si sciens se non debere solvit, non repetit, quia donare videtur, ff. de condi. indeb., nunc videndum; et ff. de regul. iur., cuius per errorem. Aliud vero dicitur indebitum per exceptionem, sed debitum iure naturali sive civili sive utroque. Haec exceptio aut est temporalis aut perpetua. Si est temporalis, cessat repetitio, ff. de condi. indeb., quod in diem; et ff. de condi. indeb., nam et si maritus; et ff. de condi. indeb., nam si cum moriar. Si vero exceptio perpetua est, distinguitur aut est favorabilis aut odiosa. Si est favorabilis, per errorem solutum repetitur, C. ad Velleia., quamvis; et ff. de condi. indeb., qui exceptionem. Si est odiosa, ut Macedoniani quae datur in odium creditoris, solutum non repetitur sive ignorantia iuris vel facti, ff. de condi. indeb., qui exceptionem; et ff. de condi. indeb., si is qui. Aliud est indebitum ad iuris rigorem servandum. Hoc sciens si solvit, non repetit, ff. de condi. indeb., iudex; et ff. de condi. indeb., Iulianus, quia sententia de iure civili est, ideo ea quae iuris naturalis sunt tollere non potest, quare si solvat, non repetit, ut ff. de condi. indeb., Iulianus. Si vero incertum sit an exceptio sit temporalis an perpetua, procedatur ac si esset perpetua, ff. de condi. indeb., sufficit. Civilis tantum dicitur obligatio quando spe futurae numerationis me chirographo obligavi, Inst. de litt. oblig., in princ. Naturalis tantum quae re ipsa tollitur, ut puta numeratione pecuniae. Et iusto pacto et iuramento tollitur, sicut et numeratione pecuniae, ff. de solut., Stichum § naturalis. Ber.

Probare tenetur

Quia praesumitur eum debitum soluisse, nisi probet contrarium, quia non est versimile quod aliquis diligens pecuniam suam iactet, ff. de probation., cum de indebito, 1. resp. Et hoc intelligo de eo qui maior est vigintiquinque annis. Secus in privilegiatis personis, ut sunt pupillus, sive minor, mulier, miles, agricultor, et simplicitate gaudens. Illae enim personae non tenetur probare pecuniam indebitam, sed ille qui recepit, debet probare pecuniam debitam fuisse, ff. de probation., cum de indebito § sin autem.

Convincatur

Legitimis probationibus, ut ff. de probation., cum de indebito § sin autem, in princ.

Probandi

Nota quod onus probandi reo incumbit propter delictum inficiationis. Sic etiam actio legis Aquiliae propter inficiationem crescit in duplum, ff. ad leg. Aquil., inde Neratius § haec actio. Et alibi punitur inficiator, C. de non num. pecun., authen. contra qui propriam; et in Auth. de trient. et semiss. § illud quoque, coll. 3. Item cum est

praesumptio contra reum, transfertur probatio in ipsum, C. de probation., sive possidetis. De hac materia dictum est supra, ut eccl. ben., ut nostrum.

X 3.24 DE DONATIONIBUS

X 3.24.01 *Prudentes*

Prudentes
Pone casum in hoc capitulo per decretalem quam habes infra, de consecr. eccl. vel alt., cum sicut.

Ut debere
Unde dixit Dominus: beatius est dare quam accipere, 16. q. 1, praedicator; et infra, de celeb. miss., cum Marthae. Unde Martialis coquus reprehendebat quendam qui tota die discurrebat per hospitia laiorum: Scaevola tu comedis apud omnes, nullus apud te // alterius siccas pocula, nemo tua // aut tu redde vices aut desine velle vocari // dedecus est semper sumere nilque dare. Vincen.

Creverit
Saltem per bonam voluntatem, quia hilarem datorem diligit Deus. Et qui dat propter praesentem pudorem, et rem et meritum perdit, 23. q. 6, iam vero § ex his omnibus. Tanc. Unde versus: da facie laeta, sine laetitia faciei // si dederis, perdis rem meritumque rei.

X 3.24.02 *Fraternitatem*

Procurator
Praelatus enim ecclesiae procurator est, non dominus, 12. q. 1, si privatum; et 12. q. 2, sine exceptione; et 10. q. 2, casellas.

Deteriorem
Sic supra, de in integ. restit., requisivit. Simile ff. pro empt., qui fundum § si tutor; et ff. de procur., ignorantis.

Non debet
In faciendo, sed omittendo tamen potest, 16. q. 3, placuit; et supra, de praescrip., placuit. In faciendo etiam modice, nam modicum donare potest si est consuetudo, infra, de dona., caeterum. Et in hoc differt a procuratore, quia procurator nil donare potest etiam generalissimam habens administrationem, ff. de procur., procurator totorum. Ala.

Graves
Ergo a contrario sensu si non sunt graves, non revocantur, quod verum est, infra, de dona., caeterum. Tanc. Sed quid si per minutas vel parvas donationes ecclesiam laedat vel modicum excedat? Videtur quod totum debeat revocari, ff. de iure pat., si libertus § si quis plures. Immo quod ultra licitum est revocatur, arg. C. de donation., si quis argentum § in servis autem; 12. q. 2, si quos de servis. Immo videtur quod non sit attendenda

coacervatio, sed singularis quantitas, arg. ff. de iuris., si idem. Arg. contra ff. de appellat., si quis separatim § si quis cum una; ff. de pacti., si plures. Laur.

Inconsultis
Maxime cum nec eorum consilio potest facere donationem damnosam ecclesiae, 10. q. 2, hoc ius § qui res; 12. q. 2, sine exceptione. Tanc.

Indulgemus
Id est, indultum esse ostendimus, quia de iure communi hoc facere poterat, ut 35. q. 9, quod quis commisit; supra, de rebus ecc. non alien., si quis; et supra, de precar., de precariis. Similem indulgentiam habes supra, de iureiur., et si Christus, in fi.; et supra, de auctor. et usu pal., ex tuarum. Ber.

X 3.24.03 *Caeterum*

Consuetudo
11. dist., in his; et 11. dist., catholica; supra, de his quae fi. a prael., ea noscitur; et 9. q. 3, conquestus. Quae tamen non sit canonibus inimica, ut hic dicit, et supra, de re iudic., cum causa; 12. dist., sit sancta; et ff. de sepulch. viol., praetor ait § divus.

Ratum
Et ita videtur quod abbas possit facere donationem. Sed contra videtur, quia nihil habet, ergo nihil dare potest, 1. q. 7, Daibertum; 54. dist., abbatis; et 12. q. 2, quisquis; et infra, de iure patron., quod autem, in fi.; et infra, de statu monach., cum ad monasterium, in fi. Item procurator est, non dominus, 12. q. 1, si privatum. Ergo donare non potest, C. de admin. tut., non omni; et supra, titulo proximo. Dicit Ala. quod istud potest intelligi de pauperum erogatione quam potest facere quilibet praelatus ecclesiae, ita tamen non proroget ad nimiam quantitatem, ut hic innuitur. Arg. 85. dist., non satis; ff. de off. procon., solent § ulti. Considerata consuetudine et facultate ecclesiae, infra, de censib., cum Apostolus, in fi. Vel etiam potest intelligi de vera donatione quam potest facere praelatus. Si consuetudo loci habet hoc, nam consuetudo loci dat iurisdictionem et liberiorem tribuit administrationem, ff. quod vi aut cla., prohibere § non tantum, vers. hoc ita; et supra, de his quae fi. a prael., ea noscitur. Ita tamen ut ecclesia enormiter non gravetur, supra, de dona., caeterum. Ber.

X 3.24.04 *Consultationibus*

Viventibus
Supra, de concess. praeben., qui in vivorum; supra, de concess. praeben., nulla; supra, de concess. praeben., relatum; et supra, de concess. praeben., cum dilecta.

Auctoritate
Aliter non valerent, infra, de iure patron., quod autem, in fi; et infra, de iure patron., nullus. Contra infra, de iure patron., illud. Quidam dicunt quod patronus sine consensu episcopi ius patronatus potest donare loco religioso, et sic loquitur contrarium. Ecclesiam

vero non ut in primis concordantiis, ut hic. De hoc dicetur in capitulo infra, de iure patron., illud. Ber.

Spoliari
Quia sine culpa sua non est aliquis beneficio suo spoliandus, supra, de consti., cognoscentes; et 56. dist., satis perversum; et 16. q. 7, inventum. Ber.

X 3.24.05 *Per tuas*

Concessit
Sicut et Papa quandoque concedit privilegium ob gratiam praestiti obsequii, 25. q. 1, ideo, circa fi. Laur.

Moris
Et etiam iuris, ut in constitutione Friderici, imperialem § praeterea.

De certo
Id est, de certa terra non mensurata, ut infra dicit. Ber.

Invenerunt
Nota quod ubi quis decipitur in quantitate rei, agitur ad supplementum, etiam si deceptio fuerit citra dimidiam rei. Quod verum est nisi fuisset terminus appositus ad mensurandum rem illam, quia tunc ultra terminum non audiretur, et nisi qui rem acceperit, renuniciaverit de quantitate, ff. de contrah. empt., qui fundum. Secus si decipiatur in pretio, quia toleratur usque ad dimidiam iusti pretii, supra, de empt. et vend., cum dilecti; et supra, de empt. et vend., cum causa; C. de rescind. vend., rem maioris.

In possessione
Ergo non adipiscitur quis possessionem ex investitura, supra, de his quae fi. a maior. par. cap., ex ore.

De novo
Quia forte iuraverat non infeudare de novo, sed hoc non obstaret, supra, de feud., ex parte; et infra, de censib., cum venerabilis. Quia non dicitur novum quod ab alio fuit factum. Item alia ratione, quia licite potuit perficere donationem, licet eam non potuerit inchoare, infra, de Iudae. et Sarrac., consuluit; et ff. de novi operis nunc., hoc edicto § opus novum; ff. de donat. inter vir. et uxor., si donatae § si sponsus. Nil enim nunc dat, sed datum declarat, ut ibi dicitur, ff. qui testam. fac. pot., heredes palam § 1. Item quia multa permittuntur fieri ex prioris actus consequentia, C. ad Velleia., si mulier; et ff. de minor., denique § scio, quia de mandato Papae hoc factum fuit ab initio. Io.

Fraudem
Sic 20. q. 3, constituit; et supra, de his quae vi met. caus. fi., cum dilectus, arg. Nec ecclesia debet alicui iniicere laqueum, 27. q. 1, de viduis.

Integrare
Simile supra, de solution., ad hoc; et supra, de praeben., vacante; supra, de praeben., cum causam, quia adiuvari beneficiis nos oportet, non decipi, supra, de commod., cum gratia; et ff. commodat., in commodato § sicut, in fi. Simile 25. q. 2, quaecumque. Io.

Assignari
Licet non tanta inventa. Ber.

X 3.24.06 *Cum dilecti*

Forestam
Foresta est locus in quo ferae includuntur, et habet quis usum venandi. Vincen.

Intentio
Et sic semper recurrendum est ad intentionem donantis sive scribentis, supra, de rescript., ad aures; et supra, de praeben., cum olim; et supra, de praeben., cum causam; et ff. de ver. oblig., in conventionibus.

Ad superiorem
Sed quare non spectat determinatio ad omnia praecedentia vel sequentia, supra, de appell., secundo; et ff. de leg. 3, si quis, in princ.; ff. de leg. 1, talis scriptura § ulti.; et ff. de leg. 1, sed etiam. Sed hoc ideo dicit, quia verba donationis largissime interpretanda sunt, ut hic dicit, quia plures fuerunt hic donationes. Una pura et sine aliqua conditione, de qua dicit, et altera sub conditione quam respicit clausula illa, de foresta. Forsitan conditio apposita erat in ultima donatione, ut posset ibi habere usum venandi, et illam conditionem volebat nobilis iste referre ad primam donationem, ut sic clausula illa de foresta respiceret omnia praecedentia.

Plena
C. quae res pign. oblig. poss., si quis; ff. si cert. pet., eos. Verumtamen si vinum quod est in dolio venditum fuerit, hoc videtur actum, ut in tempore competenti expediantur dolia propter novam vindemiam, ff. de peric. et comm. rei vend., si vinum, in fi.; et ff. de peric. et comm. rei vend., hoc ita.

Plenior
ff. de regul. iur., in testamentis; ff. de trit. vin., si cui.

Plenissima
Infra, de verb. sign., olim; 16. q. 2, visis; et 16. q. 1, frater noster; infra, de decim., ex parte tua 2; infra, privileg., quia circa; et 2. q. 3, si quem § notandum, in fi.; ff. de iure immun., impuberes; C. de usufruct. et habit., antiquitas; ff. de constit. princ., beneficium.

X 3.24.07 *Pastoralis*

Suum
Qui ergo concedit ecclesiam quod suum est, intelligitur concessisse, infra, de iure patron., quod autem § 1; ff. de contrah. empt., qui tabernas; ff. de leg. 1, si domus § ulti.; ff. de usufruct. et habit., si ita. Arg. contra ff. de leg. 2, Maevius § ulti. Sed quid si laicus concedit ecclesiam de consensu episcopi? In eo casu non videtur episcopus aliquid concessisse, sed donationem laici tantum ratam habuisse in eo quod laicus donare potuit, infra, de iure patron., quod autem. Io.

Temporaliter
Per hoc reprobatur quod dici consuevit, 16. q. 2, visis. Scilicet quod idem est si episcopus concedat ecclesiam cum omni iure suo, vel simpliciter dicat: concedat vobis ecclesiam nostram. Nam ut hic patet, aliud iuris est hic in uno et aliud in alio. Sicut aliud est si qui contrahunt societatem simpliciter, aliud si contrahunt societatem omnium bonorum, ff. pro soc., ea vero § 1; et ff. pro soc., coiri societatem. Sicut aliud est dicere a munere, et aliud ab omni munere, 1. q. 1, sunt nonnulli. Arg. contra 31. q. 1, quod si dormierit; ff. de servit., si cui § infra, de iure patron., ex litteris; ff. de contrah. empt., si aquaeductus. Io.

Cathedraticum
Si ita generaliter dat episcopus ecclesiam, tunc etiam dedisse intelligitur ius instituendi, 16. q. 2, visis. Sed quantumcumque generaliter eximat ecclesiam a se, semper intelligitur sibi correctionem retinuisse, ut in capitulo 16. q. 2, visis; et procurationem et visitationem, infra, de censib., cum venerabilis; et cathedraticum, ut hic. Nec obstat infra, de relig. dom., constitutus, ubi videtur quod episcopus in totum possit eximere ecclesiam, quia illa donatio fuit confirmata ex certa scientia per dominum Papam, sicut vides quod quantumcumque generaliter patronus remittit ius patronatus, iura quaedam tamen retinet in liberto, C. de bon. quae liber., cum non solum. Et mirum videtur quod episcopus plus intelligitur dedisse quando minus habet. Sed hoc ideo est, quia donationem interpretari debemus, ut potius valeat quam ut pereat, infra, de privileg., in his; et infra, de verb. sign., abbate; et ff. de reb. dub., quotiens; et supra, de fide instrum., inter dilectos. Io.

Capituli
Aliter non valeret, supra, de his quae fi. a prael., cum nos; et supra, de his quae fi. a prael., tua; et supra, de his quae fi. a prael., pastoralis. Ber.

X 3.24.08 *Inter dilectos*

Dissimilibus
Quod licite fieri potest, ut nunc agatur de adipiscenda possessione, quam numquam habuerunt et postea de recuperanda. Sic ff. de acq. poss., naturaliter § nihil. Et eadem res ex diversis causis peti potest, supra, de iudic., examinata; et supra, de caus. poss. et propr., in causa; et C. de pet. hered., hereditas; ff. de excepti. rei iud., cum quaeritur; et ff. de excepti. rei iud., an eadem. Io.

Ad petitorium
Supra, de caus. poss. et propr., pastoralis; et supra, de testib., significaverunt. Sed ibi converso modo.

Eorum nomine
Talia enim possunt fieri per procuratorem, supra, de praeben., accedens; et supra, de praescrip., si diligenti. Io.

Quaestionem
Et ita rem religiosam transtulerunt in alium, unde non valuit translatio, C. de litig., lite; et C. commun. divid., frater, in fi.; et supra, ut lite penden., ecclesia 1; 12. q. 1 § res litigiosa. Unde reservatur ius suum plebano de Piscia super hac quaestione, in fi.

Turpitudinem allegabant
Arg. quod allegans turpitudinem suam non est audiendus, C. de serv. pign. dat., si creditoribus; C. de revoc. donat., cum profitearis; C. de transaction., transactione finita; ff. de leg. 1, si servus plurium § 1; 15. q. 3, nemini; et supra, de concess. praeben., cum super; et supra, de testib., sicut. Arg. contra C. de liber. caus., rem quidem; et C. de liber. caus., interrogatam. Et 35. q. 3, extraordinaria; et supra, de re iudic., lator; et supra, de re iudic., consanguinei. Solutio: generale est illud quod allegans turpitudinem suam non auditur, ff. de condi. ob turp. caus., ut puta; et 14. q. 5, non sane. Arg. nisi ubi vertitur periculum animae, ut in supra, de re iudic., lator; et supra, de re iudic., consanguinei. Vel nisi propter favorem ecclesiae, 35. q. 9, quod quis commisit, vel favorem libertatis, ut in C. de liber. caus., interrogatam.

Deceptoribus
Supra, de rerum perm., cum universorum; et C. si min. se maior. dix., si is; ff. ad Velleia., et primo § 1.

Adiudicare
Sed qualiter poterant isti se supponere, cum talia ad episcopum spectent, infra, de excess. praelat., sicut; et arg. supra, de consuet., cum dilectus. Nec enim aliquis potest eximere se a iurisdictione sui praelati, supra, de for. compet., si diligenti; et supra, de for. compet., significasti. Respondeo: licet isti non potuerint se subiicere, tamen per talem subiectionem sibi poterat fieri praeiudicium. Sic supra, de renunciat., quod in dubiis; et 7. q. 1, si quis presbyter. Sub conditione tamen possunt se subiicere, ut supra, de restit. spol., olim causam. Item personas suas possent subiicere, supra, de his quae vi met. caus. fi., cum dilectus. Io.

Praeiudicium
Et sic infra, de capell. monach., dilectus; et supra, de re iudic., suborta.

Inter alios
Supra, de fide instrum., inter dilectos; et supra, de re iudic., quamvis, ubi ponitur haec regula, et ibi de hoc.

X 3.24.09 *Apostolicae sedis*

Respondemus
Quaestio fuit de hoc: quandoque episcopi successive locis religiosis redditibus ecclesiarum suarum conferunt ultra quiquagesimam portionem, quandoque usque ad tertiam vel quartam partem, quaerebatur utrum successor possit revocare quod ultra quiquagesimam datum est? Ad hoc respondet Papa prout sequitur.

In canone
12. q. 2, bonae rei.

Ecclesiae
Saeculari iam constitutae.

Elargiri
Et hoc potest facere sine consensu capituli. Sufficit enim a iure semel concessum fuisse, ff. de condi. insti., quae sub conditione § ulti.; et supra, de his quae fi. a prael., pastoralis, ubi de hoc, quae videntur determinare hanc dubitionem, et infra eodem capitulo, ubi dicit per se non debet excedere etc. Ergo per se illam potest concedere, quia quod de uno negatur, de alio conceditur, 25. dist., qualis; et supra, de praesump., nonne; et supra, de his quae fi. a prael., cum Apostolica, in fi. Et in alienationibus semper dicitur, quod consensus capituli requiratur, supra, de dona., pastoralis; 12. q. 2, sine exceptione; et supra, de his quae fi. a prael., cum nos. Quidam dicunt ut Laur. et Tanc. et Io. super illo capitulo 12. q. 2, bonae rei, quod hanc donationem facere debet de consensu capituli, argumento illius capituli 12. q. 2, si episcopus. Hug. dicit quod hoc potest fieri de consensu clericorum, et tunc post mortem episcopi non revocatur, vel sine consensu clericorum, et tunc revocatur post mortem episcopi per successorem. Et ista quiquagesima vel centesima intelligenda est quo ad fructus tantum. Et hoc patet ex verbo illo quinquagesimam vel centesimam partem census. Ita intelligit Hug. super capitulo 12. q. 2, bonae rei, et de fructibus formata fuit quaestio. Sed contradicere videtur inferior littera, ubi dicit: sive de possessionibus etc. Io. intelligit quod etiam de possessionibus et perpetuo possit donare centesimam vel quinquagesimam. Et hoc satis potest concedi. Et est argumentum ubi dicit: nisi legitima praescriptione etc. Ita tamen hoc facere potest sive de redditibus sive de possessionibus, quod ecclesia non laedatur. Ber.

Revocari
Hic respondet quaestioni quod revocabitur tantum ultima, si plures fuerint factae alienationes, ff. de iure pat., si libertus § 1. Si una tantum fuit et enormis, de ipsa detrahetur quod plus est, 12. q. 2, si quod de servis.

Praescriptione
Sed videtur quod hoc stare non possit, quia dicit lex: qui contra leges mercatur, malae fidei possessor dicitur, et ideo non praescribit, C. de agric. et cens., quemadmodum, lib. 11. Et nulla temporis longitudo iuvat malae fidei possessorem, supra, de praescrip., vigilanti; et supra, de praescrip., si diligenti; et supra, de praescrip., quoniam. Et iuris ignorantia non prodest in usucapione, ff. de iuris et fact. ignor., iuris ignorantia; ff. de

usucap., numquam. Respondeo: haec est ignorantia facti et non iuris. Facti enim quaestio est, utrum laedatur ecclesia graviter. Et ideo ecclesia quae recipit, cum habeat titulum et bonam fidem praescribere potest, secundum quod hic dicit Tanc. Quia haec donatio permissa est per canonem illum 12. q. 2, bonae rei. Sed in aliis exceptionibus loquuntur praedicta iura. Ber.

Exceptione
Puta rei iudicatae, supra, de re iudic., cum inter vos; et ff. de exception., exceptio dicta.

Nam etsi
Responsio tacitae quaestionis.

Ex ostensione
Ut si ostendatur ecclesia aere alieno gravata, vel graves imminere expensas in proximo, vel quia defecit ecclesia in expensis consuetis propter talem donationem, quam si non fecisset, leviter subiret expensas sine gravamine.

Quam expressione
Quaedam enim sunt quae melius possunt intellectu percipi quam elocutione exprimi, ff. de solut., ratum; et ff. rem rat. hab., quo enim tutore § Iulianus.

Non debeat
Ex eo quod dicit, per se, non debet excedere summam a canone praefixam, ergo per se illam facere potest, ut dixi.

Canone
Praedicto 12. q. 2, bonae rei.

X 3.24.10 *Propter eius*

Propter
Haec decretalis sumpta fuit ex lege C. de revoc. donat., generaliter. Nota ergo quod donatio semel perfecta non revocatur etiam praetextu imperialis rescripti, C. de revoc. donat., si donationem; et 22. q. 2, non enim. Nec ex sola poenitentia revocatur, C. de revoc. donat., possessionem. Nec recipit conditionem postea perfecta donatio, C. de donat. quae sub mod. vel cond., perfecta. In casibus tamen revocatur propter ingratitudinem. Unde distingue: aut donat quis liberto aut extraneo. Si liberto, revocatur donatio, sola ratione obsequii non praestiti. Et est miserabile, quia revocatur res empta ex pecunia donata, C. de liber. caus., solo. Sed propter easdem causas quibus donatio revocatur, libertus ecclesiae in servitutem revocatur, 12. q. 2, octava discussio; et in Auth. ut libert. de caet. non eg. aur. anul. § illud, coll. 6. Revocatur etiam donatio tota propter liberos susceptos a patrono, C. de revoc. donat., si umquam. Simile 17. q. 4, quicumque vult. Sed illud iure poli non iure fori, alias autem totam non revocat, C. de inoffic. donat., si totas. Si autem in extraneum collata sit donatio, revocatur ex ingratitudine cuius quatuor causae hic notantur. Puta si donatarius impias manus in donatorem iniecerit ipsum vulnerando. Vel atrocem iniuriam ei intulerit, ut ipsum vulnerando vel fustibus

caedendo. Si grave damnum rerum suarum vel periculum vitae inferre praesumpserit. Item adde quintam, quae hic non ponitur. Si conditionem appositam non adimplevit, arg. supra, de dona., cum dilecti. Et hic totum habes C. de revoc. donat., generaliter; et infra, de cond. appos., verum. Si vero mater donationem filio faciat, et postea transit ad secundas nuptias, ex tribus tantum causis eam donationem poterit revocare. Puta si vitae eius insidiatus est, si atroces manus intulerit in eam, si totius substantiae ipsius molitus est iacturam, C. de revoc. donat., authen. hae quoque; in Auth. de nupt. § mater, coll. 4. Aliter non fit revocatio, Inst. de donation. § aliae.

Revocare
Revocatur ergo donatio utili rei vendicatione vel condictione ex lege, C. de revoc. donat., his solis; et C. de contrah. empt., cum res; ff. de donation., causa mortis; ff. de donation., si mortis causa. Ber.

Atroces
Quae considerantur ex tribus causis, scilicet ex facto, loco et persona, Inst. de iniuri. § atrox, ut si quis vulneratus fuerit vel fustibus caesus.

Successores
Hoc ius revocandi personale est, quia non competit primordium huius causae heredibus donatoris, vel contra heredes vel successores donatarii, qui hoc in vita sua tacuit, ut hic dicit, et C. de revoc. donat., generaliter, ad fi.; et C. de revoc. donat., etsi perfectis, in fi. Quia per taciturnitatem remissum videtur. Et sic est arg. quod feudum non est auferendum filio propter feloniam patris, si patri quaestio mota non fuit. Sic C. de inoffic. testam., omnimodo. Arg. ff. de Sil., cum aliter § ulti. Ber.

X 3.25 DE PECULIO CLERICORUM

X 3.25.01 *Investigandum*

Ad quam
Simile 12. q. 3, placuit; et 12. q. 4, quicumque; et 12. q. 5, nulli; et 12. q. 5, fixum.

Debent
Quia praesumuntur de bonis ecclesiae empta, 12. q. 3, placuit; et C. de donat. inter vir. et uxor., etiam; et ff. de donat. inter vir. et uxor., Quintus Mucius. Sed contra hanc praesumptionem admittitur probatio, 12. q. 1, sint manifestae; et 12. q. 4, sacerdotes; et 12. q. 4, quicumque.

X 3.25.02 *Presbyter*

Presbyter
Hoc capitulum habetur 12. q. 4, presbyter.

Superemerit
De rebus ecclesiae. Quantum si de suis et ecclesiae rebus emisset, pro rata pretii res divideretur inter ecclesiam et heredes presbyteri, si de hoc constaret, 12. q. 4, sacerdotes. Et ita pro ea parte faciat instrumentum pro se, quia tutius est quod non faciat instrumentum commune, sed separatim. Tanc. Aut non datur ei optio, sed comminatio est. Ber.

X 3.25.03 *Ut unusquisque*

Ut unusquisque
Supple statuimus.

Acquisierit
Occasione ecclesiae, infra, de testamen., quia nos; et infra, de testamen., requisisti. Et est arg. quod teneor tibi restituere quod occasione rei tuae ad me pervenit, arg. supra, de iureiur., ad nostram 1; et ff. mand. vel cont., ex mandato; et ff. mand. vel cont., idemque § 1; et ff. mand. vel cont., idemque § 2; et ff. de procur., qui proprio § procurator, vers. ut in caeteris. Ber.

X 3.25.04 *Inquirendum est*

Inquirendum
Scilicet a praelatis ecclesiae. Ber.

Comparavit
Supple si hoc fecerit, puniendus est. Et ecclesia poterit eas vendicare, licet suae non sint, et est speciale in ecclesia. Sic et miles, C. de rei vend., si ut proponis. Sic et pupillus, C. arb. tut., curator. In aliis vero secus est de iure communi, C. de rei vend., si ex ea; C. de donat. inter vir. et uxor., et si de tua; C. commun. utrius. iud., si patruus tuus.

Alieno nomine
Simile 46. dist., sicut non suo.

Sacrilegium
Large sumpto vocabulo sacrilegii, 7. q. 2, praedia; et 7. q. 2, gloria episcopi; et supra, de for. compet., conquestus.

Asportabat
Simile 23. q. 4, quid ergo; 17. q. 4, si forte. Ber.

X 3.25.05 *Si quis sane*

In terra
Quae sterilis erat. Prius enim aequum est illis relinqui quorum labore ad fertilitatem redacta est, ut supra, de rebus ecc. non alien., ad aures; et C. de alluv., cum praesentibus.

Vel loquitur de terra prius culta et clerico pro beneficio assignata, 16. q. 1, possessiones; et 16. q. 3, clerici. Tanc.

Obitus
Arg. quod beneficiati ab ecclesiis usufructuariis comparantur. Nam et morte finitur ususfructus, Inst. de usufru. § finitur. Similiter morte clerici, ut hic, et supra, de pignor., cum constet. Sed non per omnia comparantur clerici usufructuario, quia de terra aratoria potest hic facere vineam, quod illi non licet, ff. de usufru., quamvis; et ff. de usufru., ususfructuarius. Item usufructuarius percipiendo fructus facit suos, et inde potest testari, quod non potest clericus, infra, de testamen., quia nos; 12. q. 5, quia Ioannes. Nisi cum quodam moderamine, quod habet infra, de testamen., ad haec; et infra, de testamen., relatum est 2 § licet. Immo potius clerici possunt comparari usuariis, quibus tantum ad usum cotidianum uti licet, Inst. de usu et habit. § 1. Rich.

Proheredumve
Proheres est qui putat se heredem esse cum non sit, ff. de pet. hered., proherede; et Inst. de interdic. § adipiscendae. Vel potest appellari hic pro quolibet decedenti post primum heredem, sive pro quolibet decedente cui relinquitur aliquid.

Pro servitiis ac praestatione
Id est, pro servitiis praestitis ecclesiae, infra, de testamen., relatum est 2 § licet, quia forte poterit possessionem illam assignare alicui clerico pro beneficio, usque ad tempus vitae suae, 16. q. 1, possessiones; et 16. q. 3, clerici. Ber.

X 3.26 DE TESTAMENTIS ET ULTIMIS VOLUNTATIBUS

X 3.26.01 *Quorundam ad nos*

Octo unciis
Id est, in duabus partibus hereditatis, quae dicitur as et in duodecim uncias dividitur, Inst. de hered. instit. § hereditas. Tanc.

Hortamur
Id est, praecipimus.

Hoc
Id est, testamentum tuum. Tanc.

Patiaris
Hoc non habebit locum in rebus ab episcopo alienatis, si ecclesia agnoscat hereditatem illius, tenetur tunc ratum habere quod fecit, pro ea parte pro qua est heres, 12. q. 2, episcopus qui filios; ff. de regul. iur., ex qua persona; C. de reb. alien., venditrici. Nisi fecerit ecclesia inventarium. Tunc enim non tenetur nisi in quantum vires hereditatis se extendunt, C. de iure delib., scimus § sin autem locis.

Ante
Simile 28. dist., de Syracusanae; 12. q. 5, nulli; C. de episc. et cler., authen. licentiam; et C. de episc. et cler., authen. prohibitum.

Habuisse
Hoc ideo dicit, quia renunciavit propriis, vel quicquid postea habuit, totum fuit contemplatione ecclesiae et non personae acquisitum. Ala.

Acquisivisse
Intuitu ecclesiae vel de rebus eius. Secus est de aliis, 12. q. 3, quicumque; et 12. q. 5, fixum; et infra, de testamen., quia nos. Ber.

X 3.26.02 *Quia ingredientibus*

Testamento
Testamentum est testatio mentis qua disponitur quid de rebus suis aliquis velit fieri post suum decessum, 13. q. 2, placuit § sed aliud; infra, de celeb. miss., cum Marthae; Inst. de testam. ordin., in princ. Tanc.

Legata
Legatum est donatio quaedam a testatore relicta ab herede praestanda, Inst. de legat. § 1.

Ex consuetudine
Hic consuetudo non prodest, quia non quid fiat, sed quid fieri debeat, considerandum est, 12. q. 2, gloria episcopi; et supra, de elect., cum causam; et ff. de off. praes., sed licet. Et factum usurpatum praescriptionem non inducit, 93. dist., illud; 16. q. 3, licet. Et in talibus nullus numerus defendit annorum, 33. q. 5, quod Deo pari.

Ordinata
Id est, benedicta vel consecrata, quia abbatissa vel monialis non recipit ordinem propter utilitatem sexus, arg. infra, de poenit. et remiss., nova.

Forte
Non est nota dubitationis sed assertionis, 13. q. 2, habent; et in Evangelio: si cognovissetis me, forsitan et patrem meum etc.; ff. de rei vend., item si § 1; et ff. de recepti., si duo; et ff. de procur., si filiusfamilias; de poen. dist. 1, quamobrem; 33. q. 2, admonere; supra, de procurat., tuae. Vincen.

Praeiudicium
Votum enim praescriptione non tollitur, 33. q. 5, quod Deo pari.

Competere
Ipso enim ingressu se et sua dedicavit Deo, 19. q. 3, quia ingredientibus, et est pars huius; C. de sacro. eccl., authen. si qua mulier; et C. de sacro. eccl., authen. ingressi; 12. q. 1, nolo; et 12. q. 1, non dicatis. Ber.

X 3.26.03 *Nos quidem*

Elogio
Id est, testamento, C. de testament., iubemus.

Protrahitur
Id est, differtur.

Infra annum
Infra annum debet mandari executioni voluntas testatoris, C. de fideicomm., authen. hoc amplius; et hic, et in Auth. de eccl. titul. § si quis aedificatione, coll. 9.

In loco
Demonstrato vel comprehenso a defuncto. Si enim de loco incertus sit, non videtur obligatus ad faciendum, sicut in promissore liquidum est, ff. de eo quod cert. loc. dar. op., ideo § si quis insulam; et ff. de ver. oblig., qui insulam. Nisi aliud quid dicatur, tum causa religionis, tum extremae voluntatis favore. Io. et Laur. Alii dicunt quod si incertus est locus ubi debuit aedificari, ad hanc causam relictum, fieret caducum, C. de caduc. toll., et nomen § si vero; ff. de donation., si cum filius § ulti. Et ideo dicitur hic, in loco quo constitutum fuerat. Tanc. dicit quod non erat caducum, quia testamenta sunt interpretanda largissime, supra, de dona., cum dilecti, in fi. Et res ad pias causas relictae, liberae sunt a lucrativorum inscriptionibus, 23. q. 8, tributum § quamvis; et in 23. q. 8, sancimus.

Leges
C. de episc. et cler., nulli. Ibi habes quod episcopus debet illud facere.

X 3.26.04 *Indicante*

Nudis verbis
Tale legatum etiam valet secundum leges, C. de fideicomm., quaestionem. Et est arg. quod per nuda verba quis obligatur, arg. 12. q. 2, quicumque; 22. q. 5, quacumque; 22. q. 5, iuramenti; et C. de suffrag., si qui.

Monasterio
Pone quod reliquit monasterio sanctae Mariae x., sed non detrminavit cui, cum sint plura monasteria sanctae Mariae, dabitur pauperiori, in Auth. de eccl. titul. § si quis in nomine, coll. 9. Item pone quod plures habeat scutelas, sed una est melior alia, cuius est optio? Potest dici quod legatarii, ff. de leg. 1, si domus; et melius ff. de leg. 1, qui duos. Sed contra ff. de leg. 1, si quis a filio § si quis, scilicet quod heredis est electio; et C. de condi. indeb., si quis servum; ff. de leg. 1, legato; et ff. de servitu. rust. praed., si via, quibus statur. Contraria loquuntur quando heres in mora est. Item pone quod legavit servum in fuga constitutum, cuius expensis quaeritur? Videtur quod legatarii, quia ad ipsum spectat emolumentum, ergo et onus, C. de caduc. toll., et nomen § pro secundo, in fi. Immo heredis, ff. de leg. 1, cum servus; et ff. de leg. 1, sed si res aliena. Laur.

X 3.26.05 *Filius noster*

Filius noster
Sed quid ad eum, cum res essent alienae? Forte intererat ipsius, quia res ipsae depositae fuerunt penes patrem suum vel pignori obligatae. Ala.

Alieni
Cum quis scienter legat alienum, tunc heres tenetur res redimere vel legatario pretium dare, si res sit talis quae vendi possit, alias non, Inst. de legat. § non solum; et Inst. de legat. § quod autem. Si ignoranter legat rem alienam, non valet legatum, nisi cum legatur coniunctae personae, C. de legat., cum alienam. Et legatarius debet probare scientiam, ut in Inst. de legat. § quod autem; et ff. de probation., verius. Tanc.

Alienam
Scienter.

Restituere
De benignitate canonica, 17. q. 4, quicumque. De iure stricto non tenebatur reddere iuxta praemissam districtionem. Tanc. Immo reddere tenebatur, sed poterat agere contra heredem si scienter res illas legasset. Ber.

X 3.26.06 *Si heredes*

Adimpleverint
Infra annum, C. de fideicomm., authen. hoc amplius; supra, de testamen., nos quidem.

Ab episcopo
C. de testament., consulta divalia, contra. Solutio: publicatio testamenti non pertinet ad episcopum, ut ibi dicitur. Pertinet tamen ad eum testamenti defensio sive executio testamenti, ut voluntas defuncti servetur, ff. de pet. hered., hereditas § si defuncto. Arg. supra, de testamen., nos quidem; et infra, de testamen., Ioannes. Et hoc praecipue in his quae ad pias causas relinquuntur, infra, de testamen., tua.

Interdicatur
Secundum legem antiquam heres qui non adimplebat voluntatem defuncti, privabatur omni successione, C. de fideicomm., quaestionem; et 11. q. 1, Sylvester. Hodie autem tenet hoc in extraneo herede. Sed filius institutus heres non adimplens voluntatem defuncti, privatur successione, relicta tantum sibi legitima, C. de fideicomm., authen. hoc amplius. Et praevalet lex in hoc casu canoni. In hoc tamen videtur Innocentius concordare praedicto canoni 11. q. 1, Sylvester, et huic decretali infra, de voto et vot. redem., licet, in fi., ubi de hoc. Sed illud ideo contingit, quia regnum dividi non potest, sicut nec aliae dignitates, supra, de praeben., maioribus; et in constitutio Friderici de feudis § praeterea. Ber. Et hic non dicitur expresse quod priventur heredes, sed interdicatur eis quicquid relictum est, ut sic indirecte compellantur adimplere voluntatem defuncti. Vel reducitur ad auctoritatem, ut saltem reservetur heredibus legitima, ut in Auth. de hered. et Falc. § primum, coll. 1; et in Auth. de hered. et Falc. § si quis non

implens, coll. 1. Alia authentica videtur dicere quod heres qui relicta ad pias causas conferre distulerit, totum amittere debet, in Auth. de eccl. titul. § si quis autem pro redemptione, vers. si autem qui, coll. 9. Et in isto casu potest intelligi haec decretalis. Et hoc intellige in extraneo herede. Ber.

X 3.26.07 *Cum in officiis*

Teneamur
Donatarius enim donatori naturaliter est obligatus ad antidora, ff. de pet. hered., sed et si lege § consuluit; 8. q. 1, illud. Ala.

Acquisita
Quod enim acquirit sacerdos vel quilibet alius clericus intuitu ecclesiae, ad ecclesiam pertinet, supra, de testamen., quorundam; et infra, de testamen., ad haec; et infra, de testamen., quia nos; et ff. de castr. pecul., castrense; et 12. q. 3, placuit; et 12. q. 3, quicumque, de quibus canonibus hic loquitur. Tanc.

Canonibus
12. q. 2, placuit; et 12. q. 2, quicumque; et 12. q. 5, obitum; et 12. q. 5, quasi per totum.

Penes ecclesias
Sic infra, de testamen., ad haec.

X 3.26.08 *Ad haec*

De mobilibus
Multo fortius nec de immobilibus. Ala.

Non possunt
In morte tamen possunt largiri tam consanguineis quam aliis extraneis intuitu servitii recepti de mobilibus, infra, de testamen., relatum est 2 § licet; et 12. q. 2, ecclesiasticis. Tanc.

Erogare
Arg. quod admittitur quis una via, quamvis alia repellatur, 1. q. 2, placuit; ff. de inoffic. testam., Papinianus § si quis. Arg. contra supra, de procurat., tuae, ubi de hoc; et ff. de admin. tut., scire; et ff. de bon. libert., quaeritur.

X 3.26.09 *Quia nos*

Disponere
12. q. 3, placuit; et 12. q. 3, quicumque; et infra, de testamen., relatum est 2 § caeterum; et infra, de testamen., requisisti § illud. Ber.

Testamentum
Clerici enim de rebus ecclesiae nullum possunt facere testamentum, cum eorum proprietas non sit sua, cum solum usum habeant. Sed tantum victu et vestitu contenti esse debent, 12. q. 1, clericus qui; et 12. q. 1, duo; et 10. q. 2, episcopus. Et totum superfluum erogandum est pauperibus, 12. q. 1, si privatum. Moderatam tamen donationem causa servitii recepti facere possunt, infra, de testamen., relatum est 2 § licet. Cum quasi filiofamilias comparetur, qui non potest facere testamentum nisi de castrensi peculio, C. de assessor., nemo ex his; et C. de advoc. div. iud., fori. Ber.

X 3.26.10 *Cum esses*

Leges
C. de testament., si unus; C. de testament., et ab antiquis; et C. de testament., hac consultissima. Ber.

Scriptum
In lege Mosaica et in Evangelio, 2. q. 4, placuit; et supra, de testib., licet universis.

Improbamus
Super relictis ecclesiae. Decretalis ista intelligitur per sequentem, quia de eodem facto et eiusdem loci loquuntur. Nam in his quae pietatis causa relinquuntur, minus solemnis voluntas sufficit sicut et inter liberos, C. de testament., hac consultissima § ex imperfecto; C. fam. ercis., inter omnes; et C. de fideicomm., quaestionem. In his enim cessat Falcidia, C. ad leg. Falc., authen. similiter; et in Auth. de eccl. titul. § sin autem, coll. 9. In his canonica portio non deducitur, infra, de testamen., de his. Quidam tamen dicunt quod per hoc capitulum quod generaliter loquitur, derogatur omnibus legibus quae dicunt minus solmnem voluntatem non valere, quod non credo, quia non est versimile quod dominus Papa voluerit unico verbo legibus derogare, arg. C. de inoffic. testam., si quando; et supra, de elect., ecclesia vestra 2. Nec forte potest tollere leges quantum ad eos qui non sunt de sua temporali iurisdictione, arg. supra, de appell., si duobus; et supra, de iudic., novit. Quae leges ne quid falsitas in testamento committeretur, voluerunt quod certus numerus testium adhiberetur, C. de fideicomm., quaestionem. Ita etiam credo quod istud locum habeat super relictis ecclesiae, sive ad pias causas favore religionis, infra, de testamen., relatum est 1. Sic non derogabitur legibus. Vel dic quod Papa statuit hoc tantum in his observandum in quibus habet temporalem iurisdictionem, quia quantum ad illos potuit legibus derogare. Civitas ista Velletrensis pertinet ad Papam quo ad utramque iurisdictionem. Sed verius videtur quod primo dixi. Alii volunt dicere quod si agatur in foro saeculari, servanda est legalis solemnitas. Si in ecclesiastico, stabitur istis decretalibus. Sed prius dictum magis placet.

Sub interminatione
Et ita videtur quod qui contra faciat, sit exommunicatus, supra, de loc. et cond., ex rescripto. Quam decretalem tenemus canonem latae sententiae, et sunt ibi quasi eadem verba, quae et in 63. dist., Salonitanae. Arg. contra infra, de iure patron., relatum, in fi., ubi de hoc. Non credo quod sit canon latae sententiae sed ferendae per capitulum infra, de iure patron., relatum. Ber.

X 3.26.11 *Relatum est*

Relictis ecclesiae
Ad hunc casum restringe capitulum proximum supra, de testamen., cum esses, in quo favore ecclesiae sufficiunt duo vel tres testes. Tanc.

Decretorum
Quae dicunt quod in ore duorum vel trium testium stat omne verbum, 2. q. 4 § quod vero; et 2. q. 4, placuit; et 48. dist., quoniam multa. Sic nota causas ultimae voluntatis defunctorum ad ecclesiasticum iudicem pertinere, quod verum est in relictis ecclesiae et pauperibus, 13. q. 2, clerici; et 13. q. 2, qui oblationem; C. de episc. et cler., nulli licere. Per quae capitula confirmatur quod dixi supra, de testamen., cum esses, quod tantum de relictis ad pias causas intelligendum est quod hic et ibi dicitur. Ber.

X 3.26.12 *Relatum est*

Lateranensi concilio
Supra, de testamen., cum in officiis.

Bona
Arg. indefinite dictum generaliter accipiendum, 19. dist., si Romanorum; infra, de privileg., quia circa; infra, de verb. sign., cum tibi; et infra, de verb. sign., quaerenti; et ff. de contrah. empt., si res ita; et ff. de servitu. urb. praed., si servitus.

Remanere
Sic 12. q. 2, per totum.

Non episcopus
Qui tamen est in ecclesia, et ecclesia in episcopo, 7. q. 1, scire.

Congregatio
Hoc bene dicitur, 12. q. 2, de laicis; et C. de hered. decur., si quis navicularius; C. de hered. decur., universis. Laur.

Unus est
Sed numquid bona episcopi debet devolvi ad collegium maioris ecclesiae moriente episcopo? Dicas quod non, immo reservanda sunt successori, 12. q. 2, haec huius placiti; et 12. q. 2, de laicis; et 12. q. 2, illud. Numquid est idem in bonis archidiaconi? Dicunt quidam quod non, sed collegio ecclesiae devolvuntur. Alii dicunt et melius si bona archidiaconatus distincta sunt et divisa a rebus canonicorum, tunc successori servari debent, arg. supra, de rescript., edoceri. Si vero communia sunt omnia bona archidiaconi et canonicorum, tunc ad capitulum devolvuntur, arg. 12. q. 2, quia cognovimus; et infra, de decim., cum in tua; et 8. dist., quae contra mores. Tanc.

Conferantur
Sic supra, de testamen., ad haec. Non ita amare istud prohibitum est, sicut dicit lex de donatione inter virum et uxorem, ff. de donat. inter vir. et uxor., si id quod § si quis servi operas. Laur.

Pro arbitrio
Supra, de testamen., quia nos.

Congruam
Ut ei plus detur, a qua plus percepit. Videtur tamen attendendum utrum uni etiam plus servierit quam alteri, arg. supra, de feud., insinuatione; et arg. supra, de praeben., cum secundum Apostolum, ubi dicit: qui altario servit, vivere debet de altari. Ergo si non servivit, vel si parum servivit, plus ei tenetur restituere. Laur.

X 3.26.13 *Cum tibi*

In secunda
Primam habes infra, de verb. sign., cum tibi.

Dispositionem
Licet de benignitate canonica videatur testamentum fecisse, re vera non est testatus, quia nullum est testamentum ubi nomen heredis non exprimitur, C. de testament., iubemus § quod si non fuerit observatum, circa fi.; et ff. de his quae in testam. del., proxime. Et institutio heredis totius testamenti est fundamentum, ut Inst. de legat. § ante heredis. Sed sicut nutu possunt aliqua relinqui, C. de fideicomm., et in epistola; ff. de leg. 3, nutu. Et sicut nutu deprehenditur voluntas obmutescentis, 26. q. 6, qui recedunt. Sic de nutu de aequitate canonica fit testamentum, sicut et sufficit ad locutionem alterius, quod quis annuat testibus praesentibus, et dicitur decedere testatus, et tale testamentum dicitur nuncupativum, C. qui testam. fac. pot., hac consultissima. Licite ergo potest quis voluntati alterius committere factionem testamenti sui, id est, an quis ei heres. Distinguitur tamen quia aut in voluntatem heredis committo factionem testamenti, aut in voluntatem alterius. Si in voluntatem heredis licite possum, licet expresse eius voluntati committam, ff. de condi. insti., verba haec. Sed si confero in expressam voluntatem alterius, non valet, ut si dicam: instituo heredem, quem Titus voluerit, ff. de hered. instit., illa institutio; et ff. de hered. instit., si quis Sempronium; et ff. de hered. instit., captatorias. Immo captatoria, id est, adulatoria appellatur talis institutio, C. de re milit., captatorias. Secus si tacite, ff. de hered. instit., illae autem institutiones. Ut si dicam: instituo te heredem, si Titius ascenderit Capitolium, ut ff. de hered. instit., si quis Sempronium; et ff. de condi. et demon., nonnumquam. Sed legatum potest committi arbitrio alterius tacite, ff. de leg. 2, in arbitrium. Sed alterius arbitrio expresse non potest committi, ff. de leg. 1, captatoriae; et ff. de leg. 2, in arbitrium. Et in certae personae bene possunt institui heredes, ut instituo pauperes heredes, C. de episc. et cler., si quis ad declinandam; et C. de episc. et cler., nulli. Io.

X 3.26.14 *Officii*

Legitimam
Quae secundum variam locorum consuetudinem caria est et diversa, infra, de sepult., certificari. Vincen.

Conditione
Conditio quid sit et modus, tractatur infra, de cond. appos., verum.

Renunciasse
ff. de inoffic. testam., si pars § ulti.; et ff. de inoffic. testam., etiam si; et ff. de inoffic. testam., si exheredatus; et C. de inoffic. testam., parentibus. Ber.

Absolute
Cum enim absolute relinquit, potest episcopus utramque consequi, infra, de testamen., requisisti. Et videtur hoc notare, quia si episcopus dedit simpliciter aliquod beneficium ei qui prius habebat aliud, non videtur ei prius ademisse, ff. ad municip., municeps. Laur.

Vendicare
Arg. quod recipiendo unum, non intelligitur alii renunciasse, nisi hoc sit dictum, ff. de act. et oblig., quotiens. Sic uxor recipiens legatum, non intelligitur renunciasse doti, C. de rei uxor. act., rem § sciendum; arg. C. de pac. convent., si mulier. Arg. contra ff. de inoffic. testam., si exheredatus; et ff. ad leg. Falc., si debitor.

Constiterit
Etiam apponendo conditionem. Aut si ipsam acceptaverit, si postea de fraude constiterit, quia non potuit testator auferre illam partem episcopo, quae ei ex constitutione debetur, infra, de testamen., requisisti.

Fraudaretur
Videtur tamen quod agere debeat ad supplementum episcopus in hoc casu, si minus ei reliquit legitima portione, C. de inoffic. testam., si quando § generaliter; et C. de inoffic. testam., omnimodo. Quia non admittit gravamen ista portio, sicut nec quarta debita de iure naturae, arg. ff. de adopt., si arrogator § sed an impuberi. Laur.

Canone
Loquitur de illis canonibus, 10. q. 1, decrevimus; et 10. q. 1, de his.

Indulgentiis
Infra, de sepult., in nostra; et infra, de testamen., de his. Ber.

X 3.26.15 *Requisisti*

Tertiam
10. q. 1, decrevimus; et 10. q. 1, de his; et infra, de sepult., nos instituta. Ber.

Quartam
12. q. 2, nobis concesso; et 12. q. 2, quatuor; et infra, de sepult., cum super. Quandoque etiam medietas appellatur, infra, de sepult., relatum; et 10. q. 1, antiquos. In his enim loci consuetudo servanda est, infra, de sepult., certificari. Capitula tamen quae dicunt res ecclesiae dividendas in quatuor partes, de matricibus ecclesiis loquuntur. Vincen.

Et ecclesiae
Coniunctim.

Illud ecclesiae
Separatim.

Praesumitur
Praesumptione iuris, non de iure. Unde probatio in contrarium admittitur, puta si longa et magna fuit dilectio, 12. q. 3, quicumque. Sed econverso si relinquitur a propinquo, praesumitur relictum intuitu personae, infra eodem capitulo, vers. si vero ecclesiae; et supra, de testamen., quia nos; 12. q. 3, placuit.

Aliquid ecclesiae
Hic exemplificat secundum membrum distinctionis. Ber.

Episcopi
Id est, proprium.

Secus autem exprimat
Sed quae est ratio diversitatis, quod quando relinquitur aliquid ecclesiae tantum, quod episcopus habet inde suam partem. Et si relinquatur episcopo tantum, ecclesia nihil habet, cum episcopus sit in ecclesia et ecclesia in episcopo, 7. q. 1, scire? Laur. dixit hoc evenire propter iuris impossibilitatem, quoniam ius non offenditur si episcopo legetur tantum, sed si tantum legaretur ecclesiae, secluso episcopo, ex hoc offenditur ius, arg. ff. de leg. 1, nemo potest. Vel potest dici quod nomine ecclesiae intelligitur episcopus tamquam caput, supra, de his quae fi. a prael., novit. Et cum scribitur capitulo, scribitur decano, qui est caput capituli, supra, de concess. praeben., post electionem. Sicut qui praeest exercitui, de ipso exercitu intelligitur, ff. de his qui not. infam., quod ait praetor; ff. quan. appel. sit, si quidem § si praeses. Et appellatione familiae princeps continetur, ff. de ver. sig., familiae. Nomine vero episcopi quandoque non intelligitur ecclesia, ut in eo qui renunciavit episcopatui, supra, de translat., inter corporalia; et supra, de renunciat., litteras. Et cum aliquid datur ecclesiae, nullae personae determinatae intelligitur dari. Ergo episcopus inde habere debet partem, cum sit caput ecclesiae. Sed cum relinquitur tantum episcopo, intuitu tantum personae ipsius relictum intelligitur. Et ideo ecclesia nihil inde habebit, immo episcopus inde potest facere testamentum, supra, de testamen., quia nos.

Constitutionem canonis
12. q. 3, pontifices; arg. 10. q. 1, sic quidam; et 16. q. 1, ad hoc. Sic nemo facere potest quod in testamento suo leges locum habere non possint, ff. de leg. 1, nemo potest; ff. de

pacti., inter debitorem; et ff. de pacti., ius publicum; ff. ad leg. Falc., quod de bonis, 1. resp.; C. de condi. insert., cum patrem; supra, de for. compet., si diligenti; infra, de sent. excom., contingit 1; et infra, de testamen., tua.

Nec est
Hic respondet tacitae quaestioni, quae posset fieri per canonem illum, 12. q. 3, pontifices, cuius verba hic ponitur. Et haec distinctio sumitur ab illo canone. Et licet relinquatur episcopo sub proprio nomine, praesumitur tamen intuitu ecclesiae relictum esse, ff. de ann. legat., annua. Quod intelligitur circa relicta in ultima voluntate ab extraneo. Secus si aliquid detur episcopo inter vivos, quia tunc praesumitur intuitu amicitiae datum aliquid, puta si longa dilectio et amicitia fuit inter eos, vel propter spem alicuius remunerationis. Arg. contra 12. q. 2, sancimus; et 12. q. 2, mos est. Item aliud est dicere relinquo hoc ecclesiae, et aliud relinquo hoc canonicis: in primo casu relinquitur ecclesiae, in secundo non. Arg. contra ff. de reb. dub., civibus. Io. ff. de condi. et demon., municipibus. Hoc verum est, scilicet quod dicitur in capitulo 12. q. 3, pontifices, scilicet quod ecclesia habeat partem suam de his quae legantur episcopi. Et illud, hoc, non referas ad proximum dictum sed ad superius.

A propinquo
Usque ad quartum gradum, C. de episc. et cler., authen. licentiam; et in Auth. de eccl. titul. § interdicimus, coll. 9; et infra, de cons. et affin., non debet. Quidam dicunt usque ad septimum, cum canon distinguat hic, ut 12. q. 3, placuit; et 12. q. 3, quicumque; et supra, de testamen., quia nos. Vincen.

Personae
Quare nihil debetur ecclesiae, arg. ff. de pet. hered., item veniunt § item non solum.

Quod si
Tertium membrum distinctionis. Tanc.

Si vero
Quartum membrum distinctionis.

Dispositione
Favore ultimae voluntatis, 13. q. 2, si fur; ff. pro soc., cum duobus, alias incipit ff. pro soc., si fratres § idem respondeo. Io.

Contenti
Supra, de testamen., officii.

Decens est
Sed non necessarium. Decens enim est ut pro modico non contendat, ff. locat. et conduct., si merces § vis maior; et ff. locat. et conduct., habitatores. Et ideo multum operatur repetitio verbi, hoc, scilicet cum dicitur: relinquo hoc episcopo et relinquo illud ecclesiae. Laur.

Legatur
Quia hoc est eius praecipuum, et dividi debet illud cum ecclesia cathedrali. Vincen.

Canonicam
Scilicet tertiam vel quartam, ut dicitur in principio capituli, et supra, de testamen., officii.

Non est
Haec est ratio quare secus est. Ber.

Quanta est
Argumentum quod non dicitur de gremio ecclesiae qui eligitur de minoribus ecclesiis, licet sit eiusdem civitatis, arg. infra, de verb. sign., cum clerici.

Acquirit
18. q. 1, statutum.

Illud autem
Quod sequitur.

Habentem
Sive habeat beneficium ecclesiasticum sive non. Vincen.

In vita eius
Post mortem bene si intestatus decedat, arg. infra, de succ. ab intest., cum dilectus. Ita tamen quod non habeat propinquos, 12. q. 5, quicumque. Et in Auth. de eccl. titul. § si quis autem, coll. 9; et 12. q. 1, sint manifestae; et 12. q. 2, episcopus qui filios.

X 3.26.16 *Raynutius*

Ex uxorem nomine Adelasiam
Matrem puellarum de quibus sequitur. Hereditas Raynutii valuit quinquagintaquatuor computatis dote, domo et horto, in quibus Alterocha fuit instituta heres.

Relinquens
Si nihil sibi in testamento reliquisset, non valuisset testamentum, C. de inoffic. testam., omnimodo; et C. de inoffic. testam., quae nuper. Et tam dotem quam legatum computabit in legitima, C. de inoffic. testam., quoniam in prioribus; et C. de inoffic. testam., si quando; et C. de inoffic. testam., generaliter. Et si non sufficeret, agere posset ad supplementum, ut in legibus praedictis, et C. de inoffic. testam., quoniam novella; et C. de inoffic. testam., si quando § et generaliter. Et quod dicit, relinquens, intellige quod instituti eam heredem sibi in illis rebus, alias non valuisset testamentum iure novissimo, in Auth. ut cum de appellation. cog. § aliud quoque, coll. 8; et in Auth. ut cum de appellation. cog. § hoc autem, coll. 8; in Auth. de trient. et semiss. § frequenter, coll. 3. Concordant praedictis legibus veteribus, sed standum est illi in Auth. ut cum de appellation. cog., tamquam posteriori. C. de inoffic. testam., sunt illae duae authenticae.

Et tales qui in certis rebus instituuntur, loco legatarii habentur nec tenentur creditoribus, C. de hered. instit., quotiens.

Si absque liberis

Ex hoc videtur quod haec substitutio fuerit compendiosa, scilicet quandocumque decederet sine liberis, ei succederet soror cum sobole. Unde nota quod est quaedam substitutio vulgaris, quaedam pupillaris, quaedam exemplaris, quaedam compendiosa. Et tales substitutiones dicuntur directae. Item est et fideicommissaria. Substitutio vulgaris est quae ab omnibus vulgaribus sit, et fit sub hac forma: instituo te heredem, et si tu non eris heres, ille sit heres, Inst. de vulg. substit., in princ. Et expirat adita hereditate, C. de impub. et al. subst., post aditam. Pupillaris est quae fit talibus verbis: filius meus heres esto, et si tu non eris heres, vel si eris heres, et infra tempus pubertatis decesseris, ille sit heres, Inst. de pupil. sub., in princ. Haec autem expirat adveniente pubertate, Inst. de pupil. sub. § masculo; et ff. de vulg. et pup., in pupillari. Exemplaris est quae fit ad exemplum pupillaris, quae fit furioso in his verbis: si filius meus decesserit priusquam pervenerit ad sanam mentem, ille sit heres, C. de impub. et al. subst., humanitatis; et Inst. de pupil. sub. § 1. Haec similiter expirat eo redeunte ad sanam mentem, Inst. de pupil. sub. § qua ratione. Compendiosa fit talibus verbis: quandocumque filius meus decesserit, ille sit heres, C. de impub. et al. subst., precibus. Fideicommissaria dicitur quae fit sic: instituo te heredem et rogo te ut hereditatem restituas Titio tali die vel sub tali conditione, scilicet si decesseris sine filiis. Et ita substitutio potest fieri per volo, mano vel rogo. Et haec substitutio potest fieri a quocumque et cuicumque ante pubertatem et post, Inst. de pupil. sub. § ulti.; et ff. de vulg. et pup., coheredi § cum filiae. Talis fuit substitutio ista, et substitutio vulgaris expirat quam cito adita est hereditas, C. de impub. et al. subst., post aditam. Pupillaris statim expirat post tempus pubertatis, Inst. de pupil. sub., in princ.; et ff. de vulg. et pup., in pupillari. Haec fuit fideicommissaria substitutio, sive precaria in casu huius decretalis. Io. Et hoc incertum conditionis potuit soror remittere sorori, licet sit contra voluntatem testatoris, C. de pacti., condicionis; et C. de pacti., cum proponas. Et hoc propter removendum votum captandae mortis, C. de transaction., de fideicommisso. Nec potest alienare taliter gravatus, C. commun. de legat., si duobus § sed quia nostra; et C. commun. de legat., si duobus § sed in omnibus; et C. commun. de legat., authen. res quae, nisi in casibus in authentica ibi positis. Libertatem tamen praestare potest pretio soluto, ff. ad Trebel., quidam § ulti. Nec diceretur mori sine liberis, si monasterio dederit se et sua, supra, de probat., in praesentia, ubi de hoc. Vincen.

Filium ex eo

Qui decessit ea viva. Et ita perinde est ac si non fuisset, infra, de verb. sign., nam et ego. Cum mortis tempore liberos non haberet, ff. ad Trebel., ex facto § si quis autem susceperit. Nec habuit ex illo nepotem supervenientem, quia tunc idem esset ac si haberet filium, C. de condi. insert., cum testatorem; et C. ad Trebel., iubemus § sin autem. Vincen.

Est defuncta

Et intellige quod ipsa instituit maritum, et tunc soror admittitur ex causa fideicommissi, ut sequitur infra. Si vero non instituisset eum, tunc peteret soror totam hereditatem ab

intestato, C. de fideicomm., si in persona. Et maritus non fuit indignus, alias non tenuisset institutio, C. de inoffic. testam., fratres. Vincen.

Possedit
Per hoc notatur quod Petro vivente mota fuit quaestio ei, et lis etiam contestata, ut infra sequitur.

Clausit
Lite prius contestata cum Alterocha et filius eius, ut colligitur infra, vers. ibi a tempore litis contestatae percepti a praedicto Petro et filiis eius.

Suscitata
Non dicit orta sed suscitata, quia Petro vivente fuit orta, suscitare est ortum aliquid mortuum reviviscere.

Vel substitutionis
Sed videtur quod istud petere non potuerunt, quia substitutio evanuit statim post tempus pubertatis, quia pupillaris videretur fuisse substitutio. Dico quod non, quia substitutio facta talibus verbis, quandocumque iste decesserit sine liberis, substituo Alterocham. In hoc casu etiam post tempus pubertatis tenet substitutio, quia illud verbum substitutio, trahitur ad fideicommissariam substitutionem, ff. ad Trebel., Scaevola. Si autem substitutio fuisset facta talibus verbis, si Adiecta non sit heres, Alterocha sit heres. Vel sic, quandoque Adiecta filia mea impubes decesserit, ei Alterocha sit heres. Tunc nisi Adiecta decederet infra pubertatem, Alterocha non succederet ei, nisi testator fuisset miles, ff. de vulg. et pup., centurio; et ff. de vulg. et pup., verbis; et C. de impub. et al. subst., precibus. Quia talis substitutio non potest fieri nisi a milite, ut in ff. de vulg. et pup., centurio. Vel dicas ut dictum est in notula ex hoc quae fuit fideicommissaria substitutio, ut innuit haec littera tamquam ex causa fideicommissi vel substitutionis. Io.

Annalis praescriptio
Haec allegatio hodie cessat, Inst. de usucapion. § 1; et C. de annal. except., super annali, in princ.

Usucapio pro dote
Tunc prodest usucapio pro dote, quando res inaestimata traditur pro dote, et sequitur inde matrimonium de iure et de facto. Sed si res aestimatae traduntur, tunc usucapitur res pro emptore, ff. pro dot., titulus; ff. pro dot., si aestimata; et ff. pro dot., duae; C. de usuca. pro dot., res. Io. Sed quare non profuit haec praescriptio? Respondeo: actio quae competit ex testamento personalis est, C. commun. de legat., cum hi; et Inst. de legat., in princ. Et actio personalis non tollitur nisi spato triginta annorum, C. de constit. pecun., recepticia. Nec currit praescriptio contra eam, nisi ex quo coepit competere, id est, ex quo potuit agere ex testamento, C. commun. de legat., cum hi; et Inst. de legat., in princ.; C. de praescri. trig. vel quad. ann., sicut in rem; et C. de iure dot., in rebus. Tanc.

Longi temporis
Longum tempus dicitur spatium decem vel viginti annorum, C. de praescri. long. temp. dec., super longi.

Tam tertia
Sed quid ad matrem vel uxorem de bonis Raynutii, cum descendentes semper excludant matrem, in Auth. de hered. ab intest., in princ., coll. 9. Similiter et uxor excluditur, C. un. vir et ux., maritus? Sed dic quod istud erat secundum consuetudinem civitatis, quae mariti et uxori defert tertiam in bonis mariti, etiam si filios habeat. Quandoque tamen defertur uxori quarta pars in bonis mariti si ipsa est inops, C. un. vir et ux., authen. praeterea. Item cum vir eam sine causa dimittit, C. de repud., iubemus § 1. Io. Verius dicas quod istae tertiae non deducuntur secundum ius civile, sed secundum ius Lombardum, ut hic dicitur, iure Lombardo. Nam cautum est in Lombardia, quod si maritus moriatur antequam uxor, uxor lucratur tertiam partem bonorum mariti. Unde tam mater quam uxor duducet illas tertias secundum legem Lombardam, et in civitate Tuscana servatur illa lex, et consuetudo est secundum illam, ut dicitur in principio glossae.

Secundum consuetudinem
Forte consuetudo erat quod de mobilibus non deducerentur. Laur.

Utraque pars provocavit
Sic infra, de testamen., Raynaldus; supra, de appell., si duobus; et C. de appellat., ampliorem. Ber.

Integraliter deducendas
Petierat enim Alterocha legitimam in bonis matris et aviae, in quibus ipsa legitimam habere debebat, Inst. de exhered. lib. § mater; in Auth. de hered. et Falc. § primum itaque; et ff. de inoffic. testam., sciendum; et ff. de inoffic. testam., hoc colore; et ff. de inoffic. testam., filius non impeditur. Sed quare revocatur donatio clerae in parte? Dic quod fuit inofficiosa, C. de inoffic. donat., si ut adlegatis; et C. de inoffic. donat., pater; et C. de inoffic. testam., authen. unde et si parens. Idem enim credo quod venditio adelasiae facta fuerit in fraudem et simulate. Unde non debuit obesse Alterochae quantum ad legitimam, ut hic dicit. Et donatio et venditio in morte fuit facta, unde Alterocha privari non potuit sua legitima, infra, de sepult., de his, ubi de hoc.

Debita
Id est, tertia iure naturae.

Quartam partem per Trebellianum
Nota ergo quod quartarum, alia est debita iure naturali quae dicitur bonorum subsidium, et haec debetur filiis tantum qui sine causa exheredari non possunt, C. de inoffic. donat., si totas; et C. de inoffic. testam., parentibus; et in Auth. ut cum de appellation. cog. § causas, coll. 8. Et huic quartae nullum gravamen potest imponi, C. de inoffic. testam., omnimodo; et C. de inoffic. testam., quae nuper; et C. de inoffic. testam., quoniam in prioribus. Et haec hodie est aucta ad trientem et semissem secundum numerum filiorum,

et ut si sint quatuor filii et infra, debent habere tertiam partem. Si sunt quinque vel ultra, debent habere medietatem eius, quod eis deferbatur ab intestato, C. de inoffic. testam., authen. novissima; et in Auth. de trient. et semiss. § haec nos, coll. 3. Et in hac veniunt omnia quae profecta sunt ab eo cuius fuit hereditas, et computantur in ipsa, C. de inoffic. testam., quoniam novella; et C. de inoffic. testam., si quando § et generaliter; et C. de collat., illud. Item est et alia quarta Trebellianica, ut cum aliquis est institutus heres, et rogatus ut alii restituat hereditatem, si moriatur sine liberis, ut hic fuit, iste taliter institutus potest retinere quartam partem de tota hereditate per Trebellianum. Et sic appellata est Trebellianica a Trebelliano auctore. De hac habes Inst. de fideicommi. hered. § sed quia; et C. ad Trebel., per totum. Et haec detrahitur de universitate hereditatis, et in hac imputantur legata et donationes, ff. ad leg. Falc., in quarta. Item est et alia quarta, quae debetur iure institutionis, ut cum aliquis est institutus heres. Et illa hereditas est exhausta per legata vel fideicommissa, tunc institutus heres potest detrahere quartam partem de singulis legatis vel fideicommissis, C. ad leg. Falc., per totum; infra, de testamen., Raynaldus, ad fi., vers. et salvo. In ista, scilicet Falcidia, sola hereditaria imputantur non donata vel legata seu fideicommissa, ff. ad leg. Falc., Nesennius; et ff. ad leg. Falc., id quod; et ff. ad leg. Falc., quod autem; et ff. ad leg. Falc., in quartam.

A tempore litis contestatae

Ex quo a tempore litis contestatae fuit in mora, computantur fructus in quartam, et quicquid ex his habet supra quartam, restituit, similiter et cum in mora non est, sed percipit fructus ex voluntate defuncti, ut quia post tempus rogatus est restituere hereditatem, eos computat in quartam. Sed quod supra quartam habet, non restituit. Si autem heres percipiat fructus negligentiam non petentis fideicommissum. Tunc non computat in quartam, nec restituit. Haec probantur ff. ad Trebel., in fideicommissaria; et ff. ad Trebel., mulier § si heres; et ff. ad Trebel., ita tamen § geres ex asse. Sed obiicitur contra decretalem istam: nonne hic filia primi gradus rogata erat restituere hereditatem sorori? Et dicit lex quod ubi quis primi gradus rogatus est restituere hereditatem filiis suis vel fratribus si decesserit sine liberis, debet retinere quartam per imputationem fructuum, licet hoc testator rogaverit. Sed in ipsis hereditariis rebus retinebit quartam et dodrans restituitur, ut C. ad Trebel., iubemus. Et hic dicitur quod fructus debent computari in quartam. Dicas quod lex illa C. ad Trebel., iubemus, loquitur de fructibus ante litem contestatam perceptis, et illi non imputantur filiis primi gradus, sed percepti post litem contestatam imputatur in quartam, quia post litem contestatam dicitur malae fidei possessor, unde illos tenetur restituere, C. de rei vend., certum est. Et ita non contradicit. Io.

A praedicto P.

Per hoc tollitur quod cum ipso P. litis contestatio facta fuit, ut dixi supra.

Non potuit

C. de inoffic. testam., quoniam in prioribus.

Legitimam ipsam

Retinebunt ergo isti duas Falcidias, unam debitam iure naturae, et alteram Trebellianicam quartam, scilicet quam retinet quilibet extraneus restitutione gravatus, infra, de testamen.,

Raynaldus. Et quod etiam de iure civili hoc fieri possit probatur pluribus argumentis. Et primo pater dum rogat filium de restituenda hereditate, non gravat eum in legitima, unde fideicommissum in illa legitima non tenet ipso iure, quia in ea nullum gravamen potest imponi filio, C. de inoffic. testam., quoniam in prioribus. Et ideo in alio rogatus videtur. Et de eo in quo est rogatus, debet quartam deducere, in Auth. de restitut. et ea quae par. § quamobrem, coll. 4; et in Auth. de restitution. § nobis igitur, coll. 8. Et est arg. ad hoc ex eo quod dicit lex, quod si legatum relinquitur alicui ultra id quod capere possit, et lex Falcidia locum habeat, primo deducitur Falcidia, ac si totum caperet. Postea detrahitur quod capere per legem non potest, ut illud praeter Falcidiam habeat heres. Et si id quod remanet, non excedit summam quam capere potest, totum debetur, ff. ad leg. Falc., quotiens cuidam; et ff. ad leg. Falc., quod autem dicitur; et ff. ad Trebel., cum heres. Item legitimam iure naturae capit ut debitum quoddam, in Auth. de hered. et Falc. § primum itaque, coll. 1; et in Auth. de hered. et Falc. § si quis autem non, coll. 1. Et hic supra, ubi dicit: iure naturae debita Alterochae, et infra, de testamen., Raynaldus. Unde de residuo videtur quod detrahat quartam, arg. C. ad leg. Falc., irritum. Et est arg. ad hoc ff. ad Trebel., petiit a filia. Et in hac opinione fuit Inno. iiii hic, et Gott., infra, de testamen., Raynaldus. Et ita tenendum est secundum canonicam aequitatem, in qua opinione fuit dominus Marc. Sed dominus Iaco. de Bel. dicebat quod de iure civili filius tantum una Falcidia debet esse contentus hac ratione: quia si eligit habere quartam Trebellianicam, illam habet de bonis patris ut heres. Ipsam ergo tenetur computare in legitimam quae de iure naturae debetur. Nam in ea computat ea quae capit de bonis patris iure hereditario, et etiam alio modo, C. de inoffic. testam., quoniam novella. Rursus si eligit illam legitimam quae de iure naturae debetur, illam debet computare in quartam Trebellianicam. Nam si eligit illam habere, quae iure naturae sibi debetur, negari non potest quin iure institutionis capiat eam, quia in ea fuit institutus sicut in aliis bonis, C. de inoffic. testam., cum quaeritur; et C. de inoffic. testam., parentibus; et C. de inoffic. testam., ex tribus. Cum igitur constet quod eam capiat iure institutionis, constat quod per consequens eam debet in quartam Trebellianicam imputare, quia in ea imputantur ea quae iure institutionis capiuntur, ff. ad leg. Falc., in quartam; et ff. ad leg. Falc., acceptis; et ff. ad Trebel., deducta § nummis. Nec obstat quod dicitur quod illam legitimam capit ut debitum, quia nihilominus verum est, quod eam capit ut heres et in ea tenet institutio. Non est enim debitum a patre, ut per hoc sit aliqua actio quae competat filio contra patrem, sed ex natura debitum dicitur, ita etiam quod pater filium non defraudet, nisi iustam ingratitudinis causam committat filius. Unde institui potest in ea, et tenet institutio. Cum ergo una in alia computetur, manifeste apparet quod ambabus deductionibus uti non potest. Item dicit lex quod in testamento patris et filii una sola quartae deductio sufficit, ff. ad leg. Falc., in ratione § quod vulgo; et ff. de inoffic. testam., Papinianus § si conditioni; et ff. de inoffic. testam., Papinianus § si quid impubes; et ff. ad Trebel., mulier § si heres; et ff. ad Trebel., scribit Celsus. Tamen si eligit Trebellianicam, nihilominus et illam quae debetur iure naturae habere potest, scilicet quatenus plus est in ea quam in Trebellianica et econverso. Haec est communis opinio doctorum legum, sed magis aequa videtur opinio canonica prout hic dicitur, et infra, de testamen., Raynaldus. In qua opinione fuit dominus Marc. et eius sequaces. Alii voluerunt distinguere utrum pure et simpliciter filius rogetur de restituenda hereditate, aut sub conditione vel in diem. Ut si pure, tunc unam Falcidiam tantum habere debet. Si in diem vel sub conditione, utramque habebit. Ber.

Consuetudinem
Ut si consuevit deduci in ipsis rebus hereditariis et non fructibus, inde deductio fiat. Lex tamen vult quod fructus in ea computentur, ff. de inoffic. testam., contra veteranum § si conditioni, ut dictum est supra eodem capitulo.

Residui
Excipi tamen debuerunt iura sepulchrorum et operarum actiones, ff. ad Trebel., quia perinde § restituta; et ff. ad Trebel., si patroni, 1. resp. Sed et actiones quas Adiecta heres quaesivit personaliter credendo pecuniam hereditariam vel pignus accipiendo per debito, non transeunt ex sola restitutione nisi cedantur, ff. ad Trebel., si heres pecuniam. Sed actionem habet ut cedantur, ut ibi dicitur. Laur.

X 3.26.17 *Tua nobis fraternitas*

Piis voluntatibus
Nota quod relicta ad pias causas per diocesanum episcopum debent executioni mandari, si illi quibus hoc commissum fuerat non adimpleverint, infra, de testamen., Ioannes; ff. de pet. hered., hereditas § 1; et C. de episc. et cler., nulli; et supra, de testamen., si heredes. Qui ad hunc casum restringitur, in quo etiam casu duo vel tres testes sufficiunt, supra, de testamen., cum esses; et supra, de testamen., relatum est 2, ut ibi dicitur, et hoc quod dicit hic sumptum fuit in Auth. de eccl. titul. § si quis autem pro redemptione, coll. 9, ubi dicit imperator: in omnibus talibus piis voluntatibus defunctorum volumus sanctissimos episcopos providere, ut secundum voluntatem defuncti omnia procedant, licet testator vel donator hoc prohibuerit.

Voluntatem
Quae omnino servanda est, 13. q. 2, ultima voluntas. Et ultimum testamentum hominis immobile perseverat, infra, de celeb. miss., cum Marthae § caeterum. Et nihil est quod magis debeatur hominibus quam ut supremae voluntatis liber sit stylus, C. de sacro. eccl., habeat unusquisque. Et tamquam lex ultima voluntas servari debet, in Auth. de nupt. § disponat, coll. 4. Et hoc intellige cum voluntas est rationabilis. Nam si quis vult filium suum exheredare sine causa, talis voluntas non est servanda, in Auth. ut cum de appellation. cog. § aliud quoque, coll. 8, ubi enumerantur causae ex quibus filius potest exheredari. Item si quis praeciperet ossa sua proiici in mare, talis voluntas non est servanda, ff. de condi. insti., quidam. Sed voluntatem talem moriens potest mutare, quia ambulatoria est voluntas defuncti quousque morte confirmetur, ff. de adimen. leg., si quis; et de adimen. leg., quod si iterum; et in praedicta decretali infra, de celeb. miss., cum Marthae.

Interdici
Testator enim non potest prohibere quod episcopus non exequatur huius voluntatem, ut in Auth. de eccl. titul. § si quis autem pro redemptione, vers. in omnibus, coll. 9. Et est ratio quia privata dispositio testatoris non potest generalem constitutionem legis vel canonis immutare, supra, de testamen., requisisti; et ff. de leg. 1, nemo potest; simile 10. q. 1, sic quidem. Sic etiam lex Falcidia contra voluntatem testatoris inducitur, C. ad leg. Falc., si

ut allegas; et arg. ff. ad leg. Falc., Titia testamento; et ff. ad leg. Falc., quod de bonis, in fi.; et infra, de testamen., Raynaldus, in fi., ubi de hoc.

Monitione
Quae semper procedere debet vindictam, 12. q. 2, indigne. Et nisi hoc facerent, deberent perdere omne lucrum quod inde essent habituri, et episcopus illud postea exequatur, ut in Auth. de eccl. titul. § si quis autem pro redemptione de eccl. titul. Ber.

X 3.26.18 *Raynaldus*

Hoc modo
Id est, hac conditione, si sine liberis masculis moreretur, et ita modus pro conditione servatur, C. de his quae sub mod. relin., in legatis. Quae sit differentia inter modum et conditionem dicetur infra, de cond. appos., verum. Et haec verba hoc modo potius fuerunt verba illius qui condidit decretalem.

Filiis masculis
Nec sufficit ipsum filios masculos habuisse nisi tempore mortis superstites fuerint, supra, de testamen., Raynutius. Super hoc dic ut supra, de probat., in praesentia, in glossa quae incipit: ingressus. Et fuit haec substitutio fideicommissaria, et de hoc dic ut supra, de testamen., Raynutius.

Cum eis
Scilicet patruis.

Quibusdam bonis
Isti patrui forte aliqua possidebant de bonis Peponis ex institutione vel causa legati, vel etiam sine aliqua causa. Et ideo dicit ita quod neutra pars haberet licentiam transferendi in aliam personam, vel forsitan ipse Raynaldus omnia possidebat, quia forte remanserunt indivisa inter Peponem et fratres, unde dicebant se habere ius in bonis illius.

Ex forma compromissi
Quia dictum fuit in compromisso, ut si omnes interesse non possent, duo arbitrarentur, alias non possent. Sic et cum plures sint iudices, supra, de offi. deleg., uno delegatorum, ut ibi.

Neutra pars
In forma huius arbitrii non est vis facienda, quia nihilominus transferri possunt bona illa, quia sententiae arbitrii non paretur nisi metu poenae, C. de recepti., ex sententia. Et sic non obstante illo arbitrio tenuit legatum, ut infra dicitur. Sed illud potest quaeri an poena sit commissa si aliquas de rebus illis legavit avunculis suis, perinde ac si inter vivos alienasset? Et videtur quod poena compromissi committatur, ff. de ver. oblig., si ita quis promiserit decem tibi dabo § ea lege; arg. ff. de leg. 2, peto § ulti. Est tamen contrarium arg. ff. de leg. 3, pater § fundum. Unde dicit cardinalis, quod non obstante arbitrio tenuit legatum, nec alia alienatio propter arbitrium potuit impediri si poena compromissi

comittatur, ut dictum est. Iudex tamen qui primo tulit sententiam hoc non putavit, immo credidit quod arbitrium impediret legatum et heredes, et ideo absoluit ut sequentia docent.

Res praedictas
Super quibus fuerat compromissum. De aliis vero arbitri nihil dicere potuissent, ff. de recepti., non distinguemus § de officio; et supra, de arbitr., cum dilectus.

Legitime
Videtur etiam quod naturales filii debent intelligi per hoc verbum, quia et ipsi excludunt substitutum, ut si quis sit rogatus restituere hereditatem si sine filiis decesserit, sed et si habet naturalem, evanescit substitutio, ff. ad Trebel., ex facto § si quis rogatus; et ff. ad Trebel., heredibus, in fi.; C. de insti. sub cond. fac., generaliter, in fi.; ff. de leg. 2, cum pater § volo. Si dixisset, si decesserit sine liberis, tunc locum habet quod dicitur de naturali. Sed ex quo addidit, de legitimis, intelligendum est tantum de natis ex libero matrimonio, alias nihil operaretur haec adiectio, legitimis, sed debet operari, arg. ff. de leg. 1, si quando quis uxori.

Medietatem
Scilicet tertiae et quartae quam poterat legare, cuius dominium in legatarios adita hereditate. Sed si intendisset legare medietatem omnium rerum suae partis, quarum medietas pertinebat ad patruum ex testamento Peponis, tunc dominium illarum non transisset in legatarios, cum res illae sint patrui. Et illud locum habet cum testator rem suam legare intendit. Sed legatarius potest agere contra heredem actione ex testamento ad totam rem vel aestimationem, et non actione in rem. Sed quantum pertinet ad casum praesentem non est multum circa hoc curandum, quia Raynaldus non legavit avunculis ultra illas partes quas poterat legare, nam tertiam et quartam habebat in bonis patris, quae faciunt dimidiam totius hereditatis. Nam sua pars erat tertia et quarta, et ipse legavit avunculis medietatem suae partis, id est, tertiae et quartae, et sic non possunt agere avunculi contra heredem nisi ad medietatem tertiae et quartae. Et hoc notare voluit infra, ubi dicit: propter quod in rebus praedictis etc., usque pronunciavit. Ber.

De rebus praedictis
De quibus extitit compromissum, et potest intelligi quod res illae divisae fuerunt inter R. et patruos. Ber.

Ex patruis
Qui forte solus supererat et alii mortui erant, unde fideicommissum illi soli qui superstes erat debetur, qui tempore existentis conditionis solus invenitur, ei debet in totum praestari, et filiis praemortuorum nihil debetur, qui sunt mortui ante diem fideicommissi cedentem, scilicet antequam ille Raynaldus esset mortuus, ut C. de caduc. toll., et nomen § sin autem aliquid; et arg. C. de fideicomm., si in persona; et ff. de leg. 1, cum filiofamilias, in fi.; et ff. ad Trebel., apud § utrum. Et accedit ad hoc quod totum ei debeatur, ff. de condi. et demon., si quis legata § 1. Et cum sic legatur patruo et filiis eius, patruus solus habebit dimidiam et filii communiter aliam dimidiam, ff. de usufruct. adcresc., si quis Titio. Et si alii patrui superessent, bene potuit instituere quem voluerit de patruis ratione tertiae et quartae, sed fideicommissum debetur omnibus patruis.

Legavit
Istud verbum ponitur proprie et improprie: proprie quantum ad avunculos quibus legavit, improprie quantum ad patruum et eius filios quibus non legavit. Sed eos instituit heredes, unde infra vocat eos heredes. Sic ff. de off. procon., omnes proconsules, ubi dicit manumitti tam liberi quam servi. Sic 28. dist., presbyterum; et infra eodem capitulo, vers. executioni mandari. Et avunculi gerunt contra ipsos tamquam contra heredes petentes legata, alias non valuisset testamentum, quia non inveniretur aliquis institutus, Inst. de legat. § ante heredis institutionem; nisi dictum esset: si non valet iure testamenti, valeat saltem ratione cuiuslibet ultimae voluntatis, C. de codicil., si quis § id quoque.

Adiiciens
Hoc bene facere potuit testator, quia potest poenam imponere heredibus, si non paruerint voluntati suae. Simile Inst. de legat. § poenae quoque nomine est; Inst. de legat. § ulti.; et C. de his quae poen. nom., supervacuam. Dum tamen non sit turpe vel inhonestum quod testator perceperit, ut ibi dicitur, et ff. de condi. insti., quidam; et C. de insti. sub cond. fac., reprehendenda.

Ad ipsos
Scilicet avunculos.

Uno ex patruis
Illo, scilicet qui fuit institutus. Unde planius dixisset, patruo adeunte hereditatem praedictam.

Adeunte
Et sic locum habet legati petitio, nam si ex testamento non adeatur hereditatis, deficit legatum nisi sit ita relictum, quod a venientibus ab intestato praestatur, ff. de testam. tut., si nemo; alias est § sub lege praecedenti ff. de testam. tut., tutor datus; et C. de fideicomm., eam quam.

Petendo
Legatum enim ab herede petendum est, C. de fideicomm., eam quam. Et si citra voluntatem heredis legatarius occupet legatum, tenetur interdicto quorum legatorum ad ipsum restituendum heredi, ff. quod legat., hoc interdictum, in princ. Tamen postquam est adita hereditas, ipso iure dominium rei legatae transit ad legatarium recta via, ff. de fur., a Titio; ff. de leg. 1, si tibi homo § si servus. Unde re legata nondum comprehensa datur legatario rei vendicatio pro ipso legato, C. commun. de legat., cum hi; ff. de condi. furt., sed nec legatarius. Et sic agebatur pro legato rei vendicatione.

Pro rata
Id est, pro dimidia.

Si contra ipsum venirent
Sed numquid potuit ita formari libellus de iure: peto talem rem, et si contradixeris mihi, peto poenam? Et videtur quod non, quia iudicium non debet esse in pendenti, ff. de iud.,

non quemadmodum. Dicunt quidam contra, et lex illa loquitur in his quae pendent extrinsecus, non ex his quae in ipso iudicio aguntur, et quod posset sic formari libellus est arg. C. locat. et conduct., conductores. Quod satis potest concedi arg. huius capituli, et propter lites dirimendas. Ber.

Quaecumque occasione

Ad hoc agebatur actione ex testamento et non rei vendicatione, quia istud erat quasi fideicommissum universitatis, quia qui rogatur restituere, quicquid ad eum pervenit de hereditate rogatus videtur, ff. ad Trebel., cogi; ff. ad Trebel., sed et qui. Unde non transit dominium in fideicommissarium, nisi facta restitutione re et verbo, vel saltem verbo, ff. ad Trebel., restituta. Et facta restitutione tunc dominium transit in fideicommissarium, etiam si nondum sit nactus possessionem, ff. ad Trebel., facta. Haec est differentia inter fideicommissum singulare et universale, quia in singulari sine aliqua restitutione transit dominium in fideicommissarium sicut in legatarium, C. commun. de legat., cum hi; et C. commun. de legat., omne. Secus in fideicommisso universitatis, ibi non transit nisi facta restitutione. Unde ista alia non petebantur rei vendicatione, sed actione ex testamento.

Aliorum bonorum

Omnium, et hoc fecit iudex propter verba testatoris, qui dixit quod si patruus et filii venirent contra legatum, quaecumque ad ipsos ex successione istius poterant pervenire, devolverentur ad avunculos. Sed quare non dixit similiter de rebus legatis, sicut de aliis quod devenirent ad ipsos avunculos? Potest responderi quod de rebus legatis non dixit, quia non putabat iudex quod res deberent vel possent transire in alium aliquo modo. Et hoc propter praeceptum arbitrorum. Vel forte ideo non dixit de rebus illis, quia non putavit iudex quod testator senserit de rebus illis legatis, dum dixit quod bona in quibus ex testamento vel ab intestato dicti heredes possent succedere, devenirent ad avunculos, quasi ista generalia verba non pertinerent ad res de quibus dixerat specialiter, arg. ff. de ver. oblig., doli clausula. Nec visum fuit iudici quod easdem res voluerit illos avunculos habere cum aliis rebus, arg. ff. de poe., sanctio legum; et arg. ff. de leg. 3, heres meus § 1. Illa etiam videtur esse melior ratio, quia nulla fuisset absolutio de rebus legatis, si postea condemnatio facta fuisset in eisdem. Et sic delusoria videretur, ne alia via fiat quod alia via prohibetur. Verum est quod patruus totum perdere debet, et satis colligitur per hanc litteram aliorum bonorum, et infra, vers. verum in portione, quia quicquid patruus potuit capere ex testamento Raynaldi debuit perdere non obstante arbitrio, ut ibi dicitur. Et illud totum fuit petitum per avunculos, et ex alia causa absoluit, et ex alia causa condemnavit eosdem.

Condemnavit eosdem

Scilicet patruum et filios, et in hoc, scilicet quod filios condemnavit, et in alio etiam pronunciavit, id est, iudicem male pronunciasse.

Contestata

Et ita videtur quod litteris facienda sit contra iudice appellationis. Sed contra videtur dicere lex, quod non debeat fieri contestatio, cum iam sit facta in prima causa, C. de temp. appel., cum anterioribus § illud; et supra, de appell., per tuas. Satis potest dici quod in causa appellationis fiat contestatio de novo, 2. q. 6, si autem § si quis in

quacumque. Nec tamen dicitur propter hoc fieri super principali, quia super alio videtur fieri contestatio quam in principali. Primo fuit contestatio facta directe super repetita, in causa vero appellationis super ipsa sententia quod sit iusta vel iniusta, et super aliis quae adduntur super quibus nulla fuit contestatio in prima causa, tamen altera parte absente possit iudex procedere sine litis contestatione, ut dicit lex praedicta, C. de temp. appel., cum anterioribus; et infra, de appell., per tuas; et supra, de renunciat., veniens.

Nequivit
Hoc planum est, quia in legitima quae iure naturae debetur, nullum gravamen et nulla conditio apponi potest, et pro non adiecta habetur si apponatur, C. de inoffic. testam., quoniam in prioribus; et in Auth. de hered. et Falc. § primum itaque, et in Auth. de hered. et Falc. § si quis autem non implens; et supra, de testamen., Raynutius.

Trebellianicam
Et ita duae quartae possunt deduci. De hoc dicitur supra, de testamen., Raynutius, ubi idem dicitur.

Portiones easdem
Immo habuit res ipsas in totum. Nam quamdiu vivus fuit, habuit dominium omnium rerum. Dicitur autem habuisse portiones easdem in rebus praedictas, id est, facultatem deducendi easdem in singulis rebus, quia de singulis debet fieri deductio tertiae et quartae, licet quidam contrarium dicant, quod filius in una re sola deducere possit tertiam iure naturae, et quartam Trebellianicam, arg. C. fam. ercis., filium; et ff. de leg. 1, potest; ff. ad leg. Falc., si ex pluribus. Sed verum est quod de singulis rebus debet fieri deductio, et illa lex ff. de leg. 1, potest, non obstat quia ibi loquitur cum legata erat pars heareditatis. Unde unum legatum censetur, vel illud contingit de voluntate legatarii et heredis vel ex officio iudicis, ut ibi dicitur. Illa ff. ad leg. Falc., si ex pluribus, potest intelligi quando uni plures res legatae sunt. Tunc si solvat aliquas integraliter in aliis plenam Falcidiam retinere potest per doli exceptionem. Ber.

Easque
Scilicet partes tertiam et quartam. Ber.

Licet ipsas non expresserit
Non legavit tertiam et quartam expresse dicendo de tertia et quarta, immo dixit de dimidia. Unde si recta fiat computatio, tantum facit tertia et quarta quantum dimidia et econverso. Verbi gratia, hereditas dividitur in duodecim uncias, Inst. de hered. instit. § hereditas. Si filius detrahit tertiam iure naturae, detrahit quatuor uncias et remanent octo in quibus videtur teneat fideicommissum. Et de illis detrahitur quarta, scilicet duae unciae, et ita tertia et quarta faciunt sex et sic habebat dimidiam totius hereditatis.

Pronunciavit
Scilicet cardinalis. Ber.

Ipsum
Scilicet patruum.

Legati
Quartae scilicet. Ber.

Pro rata
Quae quidem virilis est. Nam cum una res pluribus legatur, quilibet ibi habet virilem, nisi alia mens appareat testatoris, ff. de leg. 1, si pluribus.

In residuo praefati iudicis
De quo residuo absolverat prior iudex patruum et filios. Nam primus iudex in totum absoluit patruum in legato, et male, sed quo ad filios bene. Sed cardinalis condemnavit patruum pro parte, scilicet in dimidia ipsius legati tertiae et quartae pro rata. In hoc infirmavit sententiam prioris iudicis, in residuo autem confirmavit, et hoc totum intellige quantum ad legatum possessionum quae legatae fuerunt, de quibus compromissum fuit. In alia autem parte sententiae statim sequitur qualiter processit cardinalis, ibi: caeterum etc.

Residuo
Avunculi petebant iure legati medietatem bonorum, de quibus fuit compromissum. Residuum consistebat secundum intentionem prioris iudicis in illa medietate, a qua medietate absoluit patruum et filios non habito respectu ad testamentum Peponis. Et hoc propter praeceptum arbitrorum, quod tamen non impediebat legatum, et consistit in sexdecim secundum computationem nostram, et male pronunciavit in eo quod patruum absoluit in totum, sed quantum ad filios bene pronunciavit. Sed postea cardinalis ostenso testamento Peponis correxit pro parte sententiam primi iudicis, condemnans patruum pro parte sua, scilicet in quatuor. Et in residuo, scilicet in octo quantum ad filios, et in quatuor quantum ad patruum confirmavit. Et tamen in sequenti articulo perdit patruus illa quatuor propter poenam uno retento per legem Falcidiam. Et sic in veritate in octo consistebat legatum ratione tertiae et quartae. Alia octo pertinebant ad patruum et filios ex testamento Raynaldi, et hoc secundum computationem praedictam.

Secundo articulo
Duo fuerunt articuli. Primus in quo petebantur res legatae, secundus in quo petebantur omnia quae ad patruum et filios poterant pervenire ex testamento Raynaldi, si veniret contra legatum avunculo relictum.

Male ipsum pronunciasse
Quantum ad personas filiorum male pronunciavit, quia non venerant contra voluntatem testatoris in aliquo. Male etiam pronunciavit contra patruum, quia condemnavit eum de omnibus aliis quae pervenerant ad eum ex testamento Peponis, quia in his quae subiacebant restitutioni ipsum non debuit condemnare, sed de his tantum quae contigebant eum ratione tertiae et quartae, pro qua parte confirmatur sententia, pro alia quae debebat restitui ei infirmatur, ut infra dicitur.

Cum nihil de petitis
Et ita haec est bona ratio, quia hic agebatur rei vendicatione, saltem quo ad legatum, ut supra dictum est. Unde cum illi nihil possiderent, non poterant conveniri rei vendicatione, C. de alien. iud. mut. caus., cum in rem; et supra, de iudic., examinata. Quod sic ageretur, patet ex eo quod dicit quod patruus fuit confessus se possidere, quia in reali actione quarendum est, an possideat quis an non, ff. de rei vend., qui petitorio; et ff. de rei vend., officium. Et si dixerit se non possidere cum possideat, et hoc probetur, transfertur possessio in actorem, quamvis non probet rem suam esse, ff. de rei vend., in re actio. Et quia nondum adiuverant hereditatem, non poterant conveniri, et ante litem contestam hoc debet quaeri, ne delusorium sit iudicium, ut hic patet.

Habebat
Ratione illius institutionis, quam fecit R. de ipso.

Bonis illis
Scilicet in aliis bonis et rebus, exceptis rebus legatis. Vel posset intelligi de omnibus.

In bonis eisdem
In singulis enim rebus habuit tertiam et quartam, ut dixi. Ber.

In quibus eius institutio
Ergo videtur quod in sola tertia et quarta teneat institutio, quod falsum est. Immo tenet in omnibus, C. ad leg. Falc., irritum. Sed dicitur in eis tenere, quia in eis potest institutus patruus gravari, in eo vero quod subiacet restitutioni gravari non potest, immo illud deducitur tamquam aes alienum. Residuum vero dividitur inter patruum et filios eius. Fideicommissum enim hereditatis ex testamento Peponis soli patruo debebatur, non autem eius filiis. Raynaldus autem instituit patruum cui hereditatem Peponis restituere tenebatur, cum illud quod est patruo restituendum ex testamento Peponis, illud habeat praecipuum, et illud primo deducitur sicut aes alienum, ut in lege praedicta C. ad leg. Falc., irritum. In quo autem adiectio poenae non tenuit, illud autem quod Raynaldus restituere non tenebatur, et in quo gravari non potuit, quod est tertia et quarta, illud dividitur inter patruum et filios eius, quod Raynaldus instituit sibi heredes, arg. C. ad leg. Falc., quamquam. Et in hoc solo, scilicet tertia et quarta, tenuit adiectio poenae, ut hic dicit.

Pro rata eosdem
Quasi dicat, pro qua parte legatum contingit quemlibet de avunculis, pro ea parte quemlibet contingit illud quod poenae causa adimitur illi patruo, quia patruus noluit parere testatori dando legatum avunculis, ideo perdere debet illud quod capere poterat ex testamento Raynaldi. Vel dic, pro rata, id est, pro medietate tertiae vel quartae partis bonorum Raynaldi in quibus fuit institutus, quam medietatem amittit patruus, quia contradixit legato, ut hic dicitur. Et istam medietatem restituit patruus tamquam legatum.

Legato
Quod amittit patruus nomine poenae, id est, uno retento. Item amittit alias duodecim uncias.

In residuo
Istud residuum potest intelligi dupliciter quo ad bona Peponis quantum ad patruum, quia in illis condemnatio iudicis non tenuit, quae contingebant patruum per restitutionem ex testamento Peponis, in quibus nullam poenam potuit imponere Raynaldus, et ideo absolvitur patruus. Item quo ad bona Raynaldi quantum ad filios quos Raynaldus instituit, et quia non venerant contra voluntatem testatoris, et nihil inventi sunt possidere de rebus petitis, condemnari non debuerunt, unde absoluti fuerunt per cardinalem.

Salvo nihilominus ei
Scilicet patruo.

Beneficio legis Falcidiae
Istud est ita intelligendum, patruus id quod sibi restituendum est, primo ut aes alienum, ut dixi, deducit de rebus illis de quibus compromissum fuit, quae continebuntur in primo articulo. De residuo quod est tertia et quarta, tenetur praestare legata, et de illis detrahit quartam Trebellianicam per legem Falcidiam, C. ad leg. Falc., in imponenda; et C. ad leg. Falc., irritum; et C. ad leg. Falc., quamquam; et ff. ad leg. Falc., quod de bonis § cum fidei; et C. de bon. auct. iud. poss., in bonis. Deducet autem Falcidiam de rebus legatis. Et forte intellexit cardinalis quod deducet etiam de aliis, quae causa poenae adimuntur eidem, quia illa legata sunt illis avunculis. Si fieret eis controversia de alio relicto, et ideo forte dicit infra de Falcidia, quae inducitur contra voluntatem testatoris. Sed hoc non est verum, quia id quod poenae causa accrevit, non incidit in legem Falcidiam, ff. ad leg. Falc., cum pater, in fi.; et ff. ad leg. Falc., alienus fundus, arg. optimum. Et quod provisum est ad poenam, non debet trahi ad gratiam, supra, de translat., inter corporalia.

Restitutione
Id est, praestatione.

Legitimum
Quod dicitur tempus anni. Hoc tempus computandum est iussu iudicis. Si autem infra illud tempus non paruerit, tunc non potest uti beneficio Falcidiae, immo perdit omnia excepto illo quod sibi debetur ex fideicommisso, in Auth. de hered. et Falc. § illud quoque, coll. 1.

Inventarium
Aliter enim beneficio legis Falcidiae uti non potest, ut dicitur in Auth. de hered. et Falc. § si vero non fecerit inventarium.

Contra voluntatem testatoris
Hoc ideo dicit, quia contra voluntatem testatoris videtur hic retineri Falcidia de rebus specialiter legatis, quia illas voluit testator omnino praestari illis avunculis, ita quod nulla contradictio fieret eis. Unde contra eius voluntatem Falcidia retinetur, et tamen retinetur nihilominus, quia contra voluntatem testatoris inducitur Falcidia, ff. ad leg. Falc., Titia testamento. Sed et in aliis rebus quae causa poenae auferuntur, si verum est quod quarta retineatur, inducitur contra voluntatem testatoris. Sed non videtur quod quarta retineatur

in his quae causa poenae auferuntur, ut dixi supra in notula, istud est etc. Nam testator causa poenae omnia voluit avunculis praestari, inducitur ergo Falcidia contra voluntatem defuncti, C. ad leg. Falc., si ut allegas; et C. ad leg. Falc., si quis; et ff. ad leg. Falc., quod de bonis § ulti. Hodie vero Falcidia non potest induci contra voluntatem testatoris expressam, si testator certus de quantitate patrimonii sui hoc prohibeat, in Auth. de hered. et Falc. § si vero expressim. Sed contra tacitam bene inducitur, ut bene dicunt leges praedictae, si ut allegas et sequentes. Ber.

X 3.26.19 *Ioannes clericus*

Piis locis
In quibus sufficit minus legitima voluntas, supra, de testamen., cum esses; et supra, de testamen., relatum est 1.

De bonis suis
Propriis scilicet, quia de rebus ecclesiae nihil posset legare, supra, de testamen., quia nos.

Mandatum susceptum
Mandatum suscipere nemo cogitur. Susceptum vero necesse est adimplere, ff. commodat., in commodato § sicut; ff. mand. vel cont., si quis alicui § qui mandatum; C. de procur., invitus; ff. de recepti., Labeo ait si compromisso § 1. Ber.

Per diocesanum
Sic intelligitur supra, de testamen., si heredes; et supra, de testamen., tua, ubi de hoc. Ber.

X 3.26.20 *De his*

Canonica portio
Portio ista diversimode deducitur secundum varias consuetudines locourm, infra, de sepult., certificari; et supra, de testamen., requisisti. Quandoque est tertia et quandoque media, infra, de sepult., nos instituta; et infra, de sepult., relatum; et 10. q. 1, de his; et 10. q. 1, antiquos; et 10. q. 1, decrevimus. Et quandoque quartam, infra, de sepult., cum super.

In fraudem
Tunc non prodesset, supra, de testamen., officii.

Deduci
Hoc dictum est propter reverentiam divini cultus. Multa enim propter religionem admitti solent, nam summa est ratio quae pro religione facit, ff. de rel. et sump. fun., sunt personae, in fi. Unde in casu isto minus legitima voluntas sufficit, supra, de testamen., cum esses; et supra, de testamen., relatum est 1. Sic in his quae ad pias causas relinquuntur, cessat Falcidia, C. ad leg. Falc., authen. similiter; et in Auth. de eccl. titul. § sin autem, coll. 9, unde sumptum est authenticum praedictum. Et sic cessat Falcidia in testamento militis privilegio militari, C. de testam. milit., in testamento; C. ad leg. Falc.,

in testamento. Item cessat deductio istius partis in equis et armis favore terrae sanctae, infra, de sepult., in nostra. Et hoc idem quod hic dicitur habes infra, de verb. sign., ex parte vestra 2

X 3.27 DE SUCCESSIONIBUS AB INTESTATO

X 3.27.01 *Sed hoc*

Intuitu personae
Sic supra, de testamen., quia nos.

Sanctificentur
Id est, tamquam sancta deputentur, supra, de rerum perm., mancipia; 12. q. 2, de laicis; et 12. q. 3, quicumque. Ala.

Tradantur
Intellige hoc cum non habent consanguineos, qui eis ab intestato succedant. Illi enim admitterentur et non ecclesia, 12. q. 5, quicumque; et 12. q. 3, quicumque; et in Auth. de eccl. titul. § si quis episcopus, coll. 9.

X 3.27.02 *Sancto concilio*

Morientium
Cum decedit praelatus de omnibus tam ante promotionem quam post acquisitis intuitu personae, liberam habet potestatem testandi, supra, de succ. ab intest., sed hoc; et supra, de testamen., tua; et 12. q. 3, quicumque; et 12. q. 5, fixum; in Auth. de eccl. titul. § interdicimus, coll. 9. Si vero decedat intestatus, si sunt distinctae res, eius consanguinei succedunt sibi, 12. q. 1, sint manifeste. Si vero res praelati sunt permistae cum rebus ecclesiae, tunc distingue: aut dubitatur an habuit proprium, aut certum est quod habuit. Si dubitetur, semper pro ecclesia est praesumendum et totum vendicabit ecclesia, arg. 12. q. 3, quicumque; ff. de reb. dub., civibus. Sic in uxore, ff. de donat. inter vir. et uxor., Quintus Mucius; et C. de donat. inter vir. et uxor., etiam. Si vero certum est quod aliquid habuit sed nescitur quantum, obtinet huius capituli distinctio. Nec immerito, quia nullus heres nobis proximior est quam qui nos Deo sociavit, infra, de poeni., presbyteri. Licet contradicere videtur 12. q. 4, sacerdotes, ubi dicitur quod aequa debeat fieri distributio inter ecclesiam et heredes sacerdotis. Sed dic quod in alio casu loquitur hoc capitulum quam illud. Hoc capitulum intelligitur de illis presbyteris qui ex servis facti sunt presbyteri, quod videtur verius, ut dicit Laur. Non credo quod hodie haberet locum talis divisio, immo credo quod si aliquid haberet intuitu personae, quod consanguinei ei succedunt ab intestato. Si consanguineos non haberet, tunc ecclesia ei succederet, 12. q. 5, quicumque; infra, de succ. ab intest., cum dilectus.

Praeter divinum
Arg. quod patronus potest tenere operas spirituales in liberto quem manumittit ad clericatum, arg. supra, de serv. non ordin., nullus; 54. dist., frequens. Ala.

Non sunt idonei
Puta haeretici, 24. q. 2, sane profertur; infra, de haeret., si quis.

X 3.27.03 *Cum dilectus*

Participationem
Propter hoc non fuit monachus, nec etiam stetit in habitu monachali, ut apparet in antiqua, cum hoc non sufficiat ad monachatum.

Se et sua
Et postmodum in extremis agens confitebatur publice quod non poterat facere testamentum, quia se et sua contulerat monasterio. Et hoc ultimum probavit abbas per testes, primum articulum non probavit nisi per unicum testem, quod non sufficit. Ber.

Ultimam
Quasi dicat: si haec verba non expresse hoc dicant, tamen tacite vim obtinent ultimae voluntatis. Ber.

Monasterio
Per hanc probationem obtinebit abbas, si episcopus non probaverit archipresbyterum verba ista alienata mente dixisse. Nec intelligas quod ex his verbis probetur dictum archipresbyterum fuisse oblatum dicto monasterio cum suis rebus, sive monachum fuisse. Sed probatur quod voluit sua bona ad monasterium pervenisse. Et quaelibet verba per quae declaratur intentio testantis, sufficere videntur, ff. de instruc. vel instrum., cum de lanionis § asinam, ad fi.; et ff. de supel. leg., Labeo, ad fi. Nemo enim aestimandus est dixisse quod non mente cogitaverit. Ber.

Contulerat monasterio
Unde ex tunc cessat eius iudicium, 19. q. 3, si qua.

Unus testis
Unus testis solus non sufficit ad probationem, supra, de testib., licet universis; 4. q. 3, si testes § iurisiurandi. Tamen si aliae praesumptiones adsint, sufficit ut hic dicitur, et supra, de testib., praeterea; et supra, de praesump., litteris; et supra, de praesump., ex studiis. Sed non videntur sufficere huiusmodi adminicula ad probandum intentionem abbatis, scilicet quod dictus archipresbyter monasterio obtulit se et sua, cum littera dicat: non tamquam sufficienter probantes, sed adminiculantes etc. Unde non debuit admitti episcopus ad probandum, quod archipresbyter fuisset mente alienatus, quando in extremis agens dicebat quod non poterat facere testamentum. Vel dic quod ista adminicula sufficiunt cum unico teste. Et ideo audiri debet episcopus ad probandum quod iste archipresbyter erat furiosus, cum verba illa expressit. Quo probato solus testis remanet, et sic obtinebit episcopus. Alias succumberet, quia si obtulit se probaturum praedicta, mos ei gerendus fuit, ff. de probation., circa eum. Ber.

Confitentem
Videtur quod talis confessio deberet sufficere ad hoc ut testatus decessisse dicatur, licet nullum aliud testamentum appareret, ff. de donation., ex hac scriptura, ubi omnino statur verbis testantis. Quare ergo requiritur hic alia probatio? Responderi potest quod lex illa loquitur in eo casu, quando per talia verba aliquis exprimit ultimam voluntatem. Alias talibus verbis non est credendum nisi hoc iurasset in testamento, C. de probation., authen. quod obtinet. Et tunc heredes necesse habent stare illi voluntati, C. de fideicomm., authen. hoc amplius. Vincen. Scriptura illius legis solemniter facta fuit dum vivebat testator qui fecit testamentum, sed ille archipresbyter dum vivebat nullam fecit scripturam de verbis illis, et ideo post mortem illa confessio debet probari per testes, prout abbas dicebat in sua petitione ad hoc ut sufficeret unus testis, et tamen per se sufficerent. Ber.

Probantes
Scilicet quod obtulit se et sua. Ber.

Compotem
Hoc ideo dicit quia furiosus non potest facere testemantum, C. qui testam. fac. pot., furiosum. Et ita episcopus ille probabit istam negativam. Et hoc est quia habet in se implicitam affirmativam, hanc scilicet quod tunc erat furiosus. Sic supra, de renunciat., super hoc; et C. de codicil., nec codicillos; et ff. de condi. insti., quidam; ff. de probation., si filiusfamilias. Contra 3. q. 9, indicas. Sed ibi archiepiscopus tenebatur probare episcopum illum fuisse sanae mentis, quia constabat illum prius fuisse furiosum. Tanc.

Ultimam voluntatem
Testamentum enim hominis tantum morte confirmatur, et immobile perseverat post mortem, infra, de celeb. miss., cum Marthae; et 13. q. 2, ultima voluntas; et C. de sacro. eccl., habeat unusquisque. Laur.

Restitutionem
Si intelligas donationem hanc factam de bonis ecclesiasticis de quibus intelligendum est, certe illa donare non potuit, supra, de testamen., cum in officiis; et supra, de testamen., quia nos. Si de patrimonialibus, in istis nihil iuris habuit episcopus. Dicas quod de propriis sive patrimonialibus hoc est intelligendum, et hoc constabat. Alias praesumuntur ecclesiae, et loquitur in eo casu cum non appareret heres, 12. q. 5, quicumque; et in Auth. de eccl. titul. § si quis episcopus, coll. 9. Ecclesia enim est proximus heres, infra, de poeni., presbyteri. Simile supra, de succ. ab intest., sed hoc. Io.

Impetitione
Sed nonne episcopus dixit sibi ius, ergo debuit cadere a iure suo? Sed hoc non debet redundare in damnum ecclesiae, 16. q. 6, si episcopum. Immo verius dicas quod poena illius constitutionis C. und. vi, si quis in tantam, non habet locum in bonis iacentis hereditatis, unde legatarius qui legatum auctoritate sua capit ante aditam hereditatem, non punitur in alio nisi quia restituit possessionem, ff. quod legat., hoc interdictum, 1. resp. Secus est si post aditam hereditatem, C. de legi. et const., non dubium.

Silentium
Si primo sana mente sua obtulit Deo, nonne debet Papa tueri suam donationem inter vivos, licet in morte non fuerit sanae mentis, cum adhuc in eodem propositio intelligatur durare, infra, de bapt. et eius effect., maiores, ad fi.? Praeterea cum ille qui ab intestato debet succedere, immensam donationem defuncti revocat. Non in totum revocat, sed quantum ad quartam sufficiat, C. de inoffic. donat., si ut adlegatis; supra, de testamen., Raynutius. Immo in vita sua omnia donare potuit, supra, de succ. ab intest., sed hoc. Solutio: abbas non probavit donationem factam fuisse inter vivos, nisi per unum testem. Et alii qui probant illam quam expressit in ultima voluntate dum ageret in extremis, non probant oblationem inter vivos. Illa autem obiectio de inofficiosa donatione non habet hic locum, quia querela de inofficiosa donatione non datur nisi illius quibus aliquid relinqui necesse est, C. de inoffic. donat., si totas. Sed ecclesiae sacerdotes non tenetur aliquid legare de suis propriis, nisi velint. Laur.

X 3.28 DE SEPULTURIS

X 3.28.01 *Nos instituta*

Suorum
Et ita loquitur de indigena. Laur.

Patriarcharum
Qui in sepulchris patrum suorum sunt sepulti, 13. q. 2, unaquaeque § Ioseph.

Propriam eligere
Et sic videtur quod quilibet adultus et discretus possit sibi eligere sepulturam ubi voluerit, arg. infra, de sepult., in nostra. Hoc verum est, dum tamen eligat locum magis religiosum, infra, de sepult., fraternitatem, ubi de hoc; et infra, de sepult., relatum. Ala.

Alienam elegit
Quia natus in Bethleem, nutritus in Nazareth, sepultus fuit in Hierusalem in sepulchro Ioseph. Tanc.

Tertiam partem
In sequenti capitulo infra, de sepult., relatum, dicitur de medietate; infra, de sepult., cum super, dicitur de quarta. Haec diversitas sive contrarietas determinatur secundum diversas consuetudines locorum, infra, de sepult., certificari.

Iudicii
Scilicet quod reliquit huic ecclesiae in qua elegit sepulturam, et non de relictis aliis locis, ut infra, de sepult., in nostra. Ber.

Pabulo
Pabulum caeleste exposuit Ala., id est, doctrinam secretorum fidei, ut solida cibaria. Pabulum enim dicitur praedictio verbi Dei, supra, de offi. ord., inter caetera. Ber.

Consolationum
Ad quem spectat onus et emolumentum, 12. q. 2, ecclesiasticis; et 12. q. 2, caritatem; 13. q. 1 § 1. Ala. Et 16. q. 6, de lapsis; et ff. de regul. iur., secundum naturam, circa princ. tituli.

Ne transgrediaris
Transgreditur quis terminos proximi sui, cum quis parochianum alterius admittit ad sepulturam, ut hic. Item cum alterius subditum excommunicat vel interdicit, 9. q. 2, nullus alterius; et 9. q. 2, placuit. Tertio cum evellit terminos possessionum vicini sui, 86. dist., tanta. Quarto cum praedicat contrarium fidei, 24. q. 3, transferunt. Item cum alterius parochianum recipit ad poenitentiam, de poen. dist. 6, placuit; infra, de poenit. et remiss., omnis. Vincen.

X 3.28.02 *Relatum*

Monasterio
Arg. quod quis debet eligere locum religiosum ad sepulturam.

In vita
In aegritudine tamen de qua decedit. Alioquin nihil daretur ecclesiae parochiali, infra, de sepult., de his. Vincen.

Decreverit
Supple ecclesiis, nisi relinquatur in ornamentis ecclesiae et sine fraude, et tunc nihil detrahitur, supra, de testamen., de his. Aut si reliquerit pauperibus vel consanguineis pro remedio animae suae, nihil detrahitur inde, ut dixit Ala. Item de armis et etiam equis pro subsidio terrae sanctae relictis, nihil detrahitur, infra, de sepult., in nostra.

Medietatem
Super hoc standum est consuetudini loci, infra, de sepult., certificari.

Ecclesiae
Scilicet apud quam fidei sacramenta recepit. Sic intelligit Gratian. hoc capitulum 13. q. 2, placuit § sed aliud, in fi. Ber.

X 3.28.03 *Fraternitatem tuam*

Ex antiquo
Supra, de sepult., nos instituta. Ber.

Religiosorum
13. q. 2, ubicumque; et 13. q. 2, placuit.

Frequentius
Haec est ratio quare potius sepeliuntur homines in locis religiosis, quia frequentius ibi divina officia celebrantur. Sed nonne tantum valet generalis oratio quantum specialis?

Ita, de conse. dist. 5, non mediocriter. Illa est causa, quia spiritus sanctus ad mensuram non datur, de conse. dist. 4, quaeris. Sed praesumptio est quod plus prosit specialis oratio quam generalis. Et quidem honor amplius videtur deferri illis pro quibus specialiter fit oratio. Ber.

Parentum
13. q. 2, Ebron; et 13. q. 2 § Ioseph.

Ad nova et minus religiosa
Ex hoc capitulo patet quod qui vult eligere sibi sepulturam, sua relicta debet eligere sibi magis religiosam, arg. supra, de sepult., relatum. In hac opinione fuit Tanc., Hug. et Ala., et mihi hoc idem videtur. Et facit ad hoc 13. q. 2, ubicumque, et est simile. Qui enim de una religione transit ad aliam, ad strictiorem transire debet, infra, de regular., sane; et infra, de regular., licet. Alii dicunt, ut Laur., Vincen. et Io. quod liberum est unicuique sibi eligere sepulturam, etiam ad locum minus religiosum, arg. infra, de sepult., in nostra. Et si qua contraria inveniantur, intelligantur cum illectus fuit vel cum ex temeritate vel ex contemptu transivit, vel cum debitam portionem non reliquit suae ecclesiae. Et sic intelligunt illud capitulum. Primam opinionem praefero, et quod dicit infra, de sepult., in nostra, non contradicit, quia illud contingit propter privilegium quod habent illi Hospitalarii et Templarii, ut liberum sit cuicumque apud eos eligere sepulturam, ut ibi patet, sicut et praedicatores habent idem privilegium. Alias non possent illos recipere ad sepulturam.

Praeiudicat
Quoniam minus legitima voluntas defuncti defendi non debet, ff. de condi. insti., filius quidam; et 12. q. 5, nulli; ff. de rel. et sump. fun., at si quis § haec actio. Quandoque tamen minus legitima voluntas quantum ad solemnitatem testium defenditur, puta in relictis piis locis, supra, de testamen., relatum est 1; et supra, de testamen., cum esses.

Corpus
Sic infra, de sepult., cum liberum. Et oblationes quas ipisus occasione habuerunt, infra, de sepult., in nostra; et infra, de sepult., cum liberum. Tanc.

X 3.28.04 *De his*

Decedant
Quia tunc donatio causa mortis confirmatur, ff. de mort. caus. donat., non videtur. Et est arg. quod non licet alicui in morte, quod in vita non liceret, arg. supra, de testamen., ad haec. Nec mirum, quia potest qui sanus est, omnia bona sua consumere. In morte tamen non potest filios vel nepotes suos praeterire, Inst. de inoffic. testam., per totum; et Inst. de exhered. lib., per totum. Tamen et sic intellige supra, de testamen., Raynutius, de tertia clerae et adelasiae, quae donata vel vendita fuerunt in morte, unde non potuit Alterocha defraudari sua legitima. Alias in sanitate poterat defraudari, ut hic dicit in fi. Ber.

A quibus assumpti

Quid si in una ecclesia audiat divina officia, et percipiat ecclesiastica sacramenta, et in alia habeat ab antiquis temporibus ipse et sui maiores sepulturam, et in tertia eligat sepulturam, quae istarum ecclesiarum habebit canonicam portionem? Respondeo: dividere debent illam canonicam portionem, arg. supra, de sepult., nos instituta; et supra, de testamen., relatum est 2, in fi., nisi consuetudo repugnet. Arg. infra, de sepult., certificari; et infra, de sepult., de uxore, in fi.; et infra, de decim., cum sint homines; et infra, de paroch., significavit. Tanc. Hug. dixit et melius quod illa in qua est sua sepultura debet habere canonicam portionem, et non illa in qua audit divina. Nulla enim iniuria facta est ei ratione sepulturae in alia ecclesia, quia non dicitur derelicta nec offensa, nec ex tali electione ius acquiritur illi. Si tamen ecclesia sua solebat aliquid percipere de iudicio sui parochiani, cum sepeliebatur in illa ecclesia in qua parentes istius, qui in alia sepulturam elegit, pro rata eius quod solebat accipere, accipiet de canonica portione quae dabitur parochiali ecclesiae. Hoc notatur per Hug. 13. q. 2, placuit § sed aliud, in summa ipsius. Alii dicunt contrarium, scilicet quod ecclesia in qua consuevit sepeliri nihil debet habere, sed parochialis in qua consuevit audire divina, quod mihi non videtur. Ber.

Transtulerint

Se et sua reddendo, quod patet per principium capituli. Si autem corpus suum tantum traderet sepeliendum post mortem et relinquat ei aliquid, de hoc debet dare legitimam.

Privatis

Honestis tamen, 86. dist., donare; et non haereticis, C. de apost., hi qui; et infra, de haeret., si quis; et infra, de haeret., in eos. Tanc.

X 3.28.05 *Ex parte*

Parochianum

Iste parochianus non elegerat sepulturam apud ecclesiam dicti prioris, vel fuit dolo inductus vel fuit infra legitimos annos, et ideo corpus illius debet restitui cum bonis perceptis occasione illius. Alias tantum quarta vel tertia vel medietas secundum consuetudinem loci, infra, de sepult., in nostra; et infra, de sepult., certificari. Et quod dicitur de appellatione idem esset sine aliqua appellatione, unde supple maxime. Tanc.

Post appellationem

Arg. contra C. de sepulch. viol., cum sit; et C. de sepulch. viol., authen. item qui domum; et in Auth. ut cum de appellation. cog. § penulti., coll. 8; et in Auth. ut defun. seu funer., circa princ., coll. 5. Solutio: hic fuit appellatum ne prior invaderet ius canonicorum, in contrariis autem non recipitur appellatio, ne corpora sepeliantur. Et ita non contradicunt, quia diversimode loquuntur. Tanc.

Exinde

Id est, de caeteris quae obvenerunt occasione illius corporis amicabiliter conveniat, alias tenetur ea restituere, infra, de sepult., cum liberum; et infra, de sepult., in nostra. Ber.

X 3.28.06 *Cum liberum*

Disposuit
Et sic mulier ista elegit sepulturam apud ecclesiam sancti Martini, quae erat magis religiosa quam ecclesia sancti Vincentii, cuius erat mulier ista parochiana. Alias non poterat ibi eligere sepulturam sua relicta, supra, de sepult., fraternitatem. Vel forsitan non erat eorum parochiana, quod verius puto ex eo quod Papa non reservat eis canonicam portionem. Ber.

Beneficia
Id est, oblationes et quicquid propter hoc perceperunt. Sic supra, de sepult., ex parte canonicorum; et infra, de sepult., in nostra. Et agunt isti ad repetendum corpus et beneficia ista condictione ex canone isto, et supra, de sepult., fraternitatem; et supra, de sepult., ex parte canonicorum. Ubi enim iure novo obligatio inducitur, nec cavetur ibi quo genere actionis agendum sit, agendum est condictione ex illo canone vel lege, ff. de condi. ex leg., si obligatio. Ber.

Recepisse
Vel quae de iure percipere potuerunt, sicut contingit de violento possessore, supra, de restit. spol., gravis; et C. und. vi, si de possessione; ff. de pet. hered., hereditas ad nos, ad fi.

X 3.28.07 *De uxore*

Aequalem
Arg. contra 13. q. 2, unaquaeque; et 33. q. 2, quos Deus coniunxit. Solutio: illud intelligitur secundum istud. Vel sic: istud locum habet cum mulier eligit sibi sepulturam. Si vero non eligat, locum habet quod dicitur ibi, arg. C. de dignitat., mulieres, lib. 12; ff. ad municip., filii, 1. resp.; et ff. ad municip., imperatores. Ber.

A lege viri
Ut 7. q. 1, sicut; et C. de donat. ante nupt., quod sponsae; et ff. de donat. inter vir. et uxor., si quis uxori ea § ulti.; et ff. de donat. inter vir. et uxor., vitricus. Ber.

Diffinitum
Et licet non sit diffinitum, videtur tamen quod filio possit eligere sepulturam, quia potest ei facere testamentum, Inst. de pupil. sub. § igitur. Quod potest concedi dummodo et ipse sibi eligat sepulturam, tamen consuetudini loci relinquendum est, ut hic dicitur.

Consuetudini
Si consuetudo non repugnat, sepeliuntur in sepulchro maiorum suorum, arg. infra, de sepult., in nostra, in fi. Ber.

X 3.28.08 *Cum super*

De testamento
Id est, de his quae testator relinquit pro sua anima iure legati illi ecclesiae in qua elegit sepulturam. Et de oblationibus quarta portio relinquatur illi ecclesiae a qua corpora mortuorum assumuntur, infra, de sepult., certificari; et infra, de sepult., in nostra.

Quarta
Vel medietas seu tertia pars secundum loci consuetudinem, infra, de sepult., certificari. Ista quarta semper debet deduci, nisi in casu infra, de sepult., in nostra; et in casibus supra, de testamen., de his. Et est arg. quod maior ecclesia cathedralis non sit magis religiosa quam monasteria, secundum illam opinionem quae dicit quod semper eligendus est locus magis religiosus.

X 3.28.09 *Certificari*

Salva iustitia
Quae exhiberi debet illis ecclesiis a quibus dum vivebant, percipiebant ecclesiastica sacramenta de bonis illis, quae in testamento reliquit ecclesiae ubi eligit sepeliri.

Tertiam
Supra, de sepult., nos instituta.

Mediam
Supra, de sepult., relatum.

Quartam
Capitulum Urbani non habemus, sed Lucii tertii supra, de sepult., cum super. Ber.

Consuetudinem
Quid si de consuetudine dubitetur vel variae sint consuetudines in vicinis ecclesiis? De minori summa erit intelligendum, quia in illa omnes concordant, ff. de recepti., diem proferre § si plures. Ber.

X 3.28.10 *In nostra*

Parochianos
Nam et monachi habent populum, 16. q. 1, Agapitus.

Annos legitimos
Unde non potuerunt sibi eligere sepulturam, quia nec testamentum facere potuissent, ut supra, de probat., in praesentia; et 2. q. 6, ei qui § diffinitiva. Sed pater potest eligere filio sepulturam, ut dictum est supra, de sepult., de uxore. Quia potest ei facere testamentum, Inst. de pupil. sub. § igitur. Quod verum est si ipse faciat sibi, alias si non fecerit sibi, nec filio impuberi facere potest, Inst. de pupil. sub. § liberis; et ff. de inoffic. testam., Papinianus § sed nec impuberis. Tanc.

Parochia
Sic supra, de sepult., certificari.

De equis et armis
Hoc inductum fuit favore terrae sanctae. Sic de his quae relinquuntur in ornamentis ecclesiae, sive ad cultum divinum nihil deducitur, supra, de testib., non debet.

De caetero
Et ita tractus futuri temporis hic ad iudicem spectat. Simile supra, de sepult., cum liberum, in fi. Et sic est contra illud, ff. de usuri., cum iudicio § 1. Quod obtinet in his iuribus et servitutibus et in annuis praestationibus, quia in talibus actio pertinet ad futurum, ff. si serv. vend., harum; et ff. si serv. vend., egi; et ff. si serv. vend., Labeo; et ff. si serv. vend., illa, non contradicit, quia ibi non constabat adhuc de usuris futuri temporis.

Recipiant
Immo debent cavere neque per se neque per successores eorum hoc facturos. Et haec est executio iudicis quo ad futurum tempus, arg. ff. si serv. vend., harum. Et a iudice posset iniungi sub poena excommunicationis ne hoc facerent.

Apud eos
Et ita videtur quod quis possit eligere sepulturam apud locum minus religiosum, quia Hospitalarii minus religiosi sunt quam monachi, arg. 12. q. 2, bonae. Arg. contra supra, de sepult., fraternitatem. Dic ut ibi notatum est. De hac materia cum quis vult eligere sepulturam, illum ordinem servabit qui traditur 13. q. 2, ubicumque, quod capitulum quidam intelligunt de peregrinis qui non habent propriam sepulturam, qui debent sepeliri apud ecclesiam maiorem. Hug. intelligit illud capitulum de civibus qui habent propriam sepulturam in ecclesia maiori, qui quandoque morantur extra civitatem per villas vel castra, quia si ibi decedant, non debent suas sepulturas dimittere sine iusta causa, ut ibi dicitur. Alias praesumitur illectus vel ex contemptu vel ex temeritate transire, ut plene dixi supra, de sepult., fraternitatem.

Reliquit
Hospitalariis iure legati.

Nisi dolo
Et ita dolus superveniens in spiritualibus rescindit contractum, quod est contra id supra, de his quae vi met. caus. fi., cum dilectus, ubi de hoc. Et tunc debet de rebus suis nihil deberent habere Hospitalarii, arg. 20. q. 3, constituit; ff. si quis caut., si duo. Arg. supra, de testamen., requisisti; et supra, de testamen., officii; et ff. de recepti., si duo. Et sic propter dolum cessat privilegium.

A parochianis
Qui elegerunt sepulturam apud Hospitalarios, et ideo quartam debent restituere parochiali ecclesiae.

Annos
Isti non elegerunt sepulturam, nec eligere potuerunt. Unde restituere debent Hospitalarii praedicti quicquid ipsorum occasione receperunt. Ber.

X 3.28.11 *Ex parte parentum*

Non sponte
Quia si sponte, non esset sepelienda in coemiterio ecclesiae, 23. q. 5, placuit. Sed si sic credebat evadere posse, non imputaretur ei etiam si sponte se praecipitasset de ponte, ubi videbatur quod evadere posset, arg. 13. dist., nervi. Cum pro bono aut licito hoc facere posset. Unde si quid contrarium eveniat, non imputatur, 23. q. 5, de occidendis.

Communicabatur
Vel communicare debuimus. Quoniam tunc post mortem absolveretur excommunicatus. Et ei posset communicaretur, infra, de sent. excom., a nobis est. Simile 24. q. 2, de communione; et 24. q. 2, sane. Fallit haec regula in furibus et latronibus, infra, de furt., fures. Item in his qui moriuntur in torneamentis, infra, de torneam., felicis. Item in raptoribus, infra, de rapt., super eos. Item in his qui seipsos interficiunt, vel pro suis sceleribus interficiuntur, 23. q. 5, placuit. Item in his qui presbyteros instituunt in testamentis tutores filiis suis, 88. dist., neque. Item in quolibet quem constat in mortali peccato decessisse, 13. q. 2, non aestimemus; et 13. q. 2, pro obeuntibus. Item in his qui post mortem convincuntur de haeresi, 24. q. 2, sane profertur.

X 3.28.12 *Sacris*

Non communicemus
Sic 24. q. 1, Achatius non est; et 24. q. 1, maiores. Nisi viventes reconciliationem petierint, nec per eos stetisset, quia tunc absolvendi sunt post mortem, infra, de sent. excom., a nobis est; et 26. q. 6, qui recedunt. Ber.

In coemiterio
Coemiterium dicitur a cemen Graece, quod est aurum latine, et teron quod est terra, idem coemiterium quasi aurea terra, quia est caeteris pretiosior.

Exhumari
Immo forte nec religiosum locum facit cadaver excommunicati, si per ignorantiam sacerdotis vel eo invito inferatur, arg. ff. de rel. et sump. fun., sunt personae. Laur. Et ossa inde proiicienda sunt antequam consecretur, de conse. dist. 1, ecclesiam. Ber.

Excommunicatorum
Nota arg. quod ratione dubietatis aliquid admittitur, quod aliter non admitteretur, 11. q. 3, nolite; et 13. q. 2, non aestimemus; et ff. de adimen. leg., si quis § si duobus. Item contingit ratione connexitatis, 14. q. 5, denique; et 81. dist., cum omnibus; et ff. de solut., si alieni nummi; et ff. de minor., etiam. Item ratione difficilis separationis, ff. de negot. gest., cum eum actum; ff. de admin. tut., tutorem qui tutelam. Arg. contra de poen. dist.

5, sunt qui; et de poen. dist. 5, qualitas; et ff. ad leg. Aquil., ita vulneratus; ff. de testam. tut., duo sunt Titii; ff. de manum. test., cum ex pluribus. Io.

Speciosa
13. q. 2, animae defunctorum.

X 3.28.13 *Abolendae*

Sepultura
Sepultura dicitur locus sive terra in qua fit sepultura. Si in tali terra nullus umquam fuit sepultus, nec alias est locus sacer ut coemiterium, licite potest vendi et ex ea pretium recipi, quia nemo compellendus est de suo beneficium facere, 10. q. 2, precariae. Et quilibet suae rei moderator et arbiter est, C. mand. vel cont., in re mandata. Et iustum est unicuique sua committere, C. de Iuda., nemo exterus. Potest ergo talis terra vendi, cum non sit religiosa vel sacra, sed purus dicitur talis locus, ff. de rel. et sump. fun., locum § purus autem; et C. de rel. et sump. fun., locum; et 12. q. 2, aurum. Si enim in tali terra aliquis sepultus fuerit, et de voluntate eius cuius erat locus, ammodo sacer factus est, C. de rel. et sump. fun., invito; ff. de rel. et sump. fun., locum § sed et si alius. Quare vendi non potest vel obligari, ut in lege praedicta C. de rel. et sump. fun., invito; et ff. de rerum div., sacra loca, in fi.; et 1. q. 1, dictum est. De tali terra potest hoc intelligi, vel de terra coemiterii quae religiosa et sacra dicitur, licet in ea nullus sepultus sit, arg. ff. de rei vend., quae religiosis; et 17. q. 4, quisquis; et 17. q. 4, sicut antiquitus. Et talis terra vendi non potest, 13. q. 2, questa est; et 13. q. 2, praecipiendum. Item dicitur sepultura officium sepulturae, quod similiter vendi non potest, si clerici ad hoc teneantur, cum habeant beneficium ab ipsa ecclesia, immo simoniam committunt, infra, de simon., non satis; et infra, de simon., cum in ecclesiae; et 13. q. 2, in ecclesiastico; et 13. q. 2, questa est. Si vero non teneantur ad hoc ratione beneficii, possunt inde accipere pretium, quia de suo hoc facere non tenentur, 12. q. 2, caritatem; et supra, de praescrip., cum ex officii.

Exigere
Licet clerici exigere non possint, laici tamen compelli possunt pias et laudabiles consuetudines observare, si quae super hoc fuerunt, infra, de simon., ad Apostolicam. Multa enim inhoneste petuntur quae honeste recipi possunt, 18. dist., de elogiis; 13. q. 2, questa est; 1. q. 2, placuit; et 13. q. 2, quam pio; ff. de var. et extraord. cog., praeses § est quidem; 14. q. 5, non sane.

X 3.28.14 *Parochiano*

Incendio
Incendiarii utrum sint ipso iure excommunicati dicetur infra, de sent. excom., tua.

Ecclesiasticas
Isti ipso iure sunt excommunicati, 17. q. 4, si quis suadente.

Violatione
Violatores ecclesiarum non sunt ipso iure excommunicati, sed tamquam sacrilegi excommunicandi, 17. q. 4, sicut antiquitus; et 17. q. 4, si quis domum; et 17. q. 4, omnes. Idem est si quis res ecclesiae invadat, tamquam sacrilegus excommunicetur, supra, de for. compet., conquestus.

Iuxta formam
De qua habes infra, de sent. excom., ex tenore; et infra, de sent. excom., cum desideres, 1. resp.; et infra, de sent. excom., a nobis est.

Denegari
Quia ex quo communicavimus ei vivo, et mortuo communicare debemus, supra, de sepult., ex parte parentum; et 24. q. 2, sane. Item est hic arg. cui unum sacramentum conceditur vel negatur, et alia intelliguntur concessa vel negata, 5. dist., ad eius vero; 95. dist., illud; et 13. q. 2, si fur. Contra infra, de torneam., felicis; et infra, de rapt., super eo, ubi conceditur poenitentia et eucharistia, et tamen denegatur ecclesiastica sepultura, sed illud fit ad terrorem aliorum.

Sed eius heredes
Similem casum habes infra, de rapt., in litteris. Et ita ex hoc capitulo et illo patet quod heredes conveniuntur ex maleficio defuncti, licet nihil inde pervenerit ad eos, quamvis lis contestata non fuerit cum defuncto, cum ad eos bona defuncti pervenerint, ut hic dicit, 16. q. 6, si episcopum; infra, de usur., tua nos. Et intellige heredem esse heredis heredem, ff. de ver. sig., heredis. Sic heres heredis testatoris est heres, C. de hered. instit., cum in libris. Nam est secundum leges heres tenetur condictione furtiva, ff. de condi. furt., si pro fure § si condictio. In casu etiam tenetur filius pro parte, licet non sit heres, C. de primip., cum ex sola, lib. 12. Quaelibet enim actio ad heredem et adversus heredem transmittitur, C. de contrah. et comm. stip., veteris; et C. de contrah. et comm. stip., si quis; C. ut act. et ab her., cum et stipulationes. Et in delictis, licet ad heredem nihil pervenerit, arg. 1. q. 4, ecclesia § item peccato Israelitarum, vers. maxime. Cum ex eo utilitas deferatur ignoranti. Tamen secundum leges non tenetur heres ex delicto defuncti, nisi in quantum ad ipsum pervenerit, vel nisi lis contestata fuerit cum defuncto, C. ex delict. defunct., post litis. Sed ex contractu vel quasi defuncti heres indistincte tenetur, C. de act. et oblig., ex depositi; et ff. de re iud., ad ea § in contractibus. Nisi in duobus casibus, unus est ff. si mens. fals., si duobus § ulti. Alius est ff. de trib. act., illud § ulti. Ber.

X 3.29 DE PAROCHIIS ET ALIENIS PAROCHIANIS

X 3.29.01 *Si epscopus*

Episcopus
Id est, episcopatus. Et sic ponitur contentum pro continente, vel econverso continens pro contento, de conse. dist. 2, cum omne. Rich.

X 3.29.02 Ut dominicis (rev. 9/23)

Ex donatistis
Quod dicitur in hoc capitulo dispensative dictum est, 23. q. 4, ipsa pietas. Ber.

Conversus
Cum alius episcopus in illo episcopatu iam erat creatus. Laur.

Dividant
Scilicet villas vel parochias vel plebes.

Partes
Id est, aequales. Nomine enim partis dimidia intelligitur, ff. de ver. sig., nomen; ff. de usuri., etiam partis. Ber.

Minor
Nota meliorem conditionem minoris. Ber.

Elegerit
Ut si pares sint competitores mulieris, moribus et genere, is potior existimetur quem sibi consulens mulier approbaverit, C. de nupt., viduae.

Plurimorum
65. dist., sane; 65. dist., non debet; et 65. dist., episcopus; et supra, de his quae fi. a maior. par. cap., cum in cunctis; et supra, de elect., licet, in fi.

Maioris temporis
Hoc ideo dicit quia praesumitur citius mori, 13. q. 2, illud. Et in hoc est melioris conditionis.

Deputetur
Quid si non conveniant inter se? Alternis annis percipient redditus, ff. comm. divid., communi dividundo § cum de usufructu. Vincen.

X 3.29.02 *Ut dominicis*

Si alterius
Alienus parochianus dicitur, licet ibi comparaverit domum non causa habitandi. Solam enim habitationem comparare in aliena civitate non facit domicilium, ff. ad municip., libertus § sola. Secus si in utraque causa inhabitandi, ff. ad municip., assumptio § iuris prudentibus. Vincen.

Contemptu
Bene dixit contempto, quia ex iusta causa absens bene potest audire divina in ecclesia ad quam venerit, arg. 7. q. 1, episcopi vel presbyteri; 81. dist., viduae. Et est simile de poen. dist. 6, placuit; 71. dist., primatus; et 9. q. 2, per totum. Ber.

X 3.29.03 *Nullus episcopus*

Praesumat
Nisi eo domicilium transtulerit, C. de incol. et ubi quis dom., si in patria, lib. 10; et infra, de paroch., significavit. Et nisi ibi deliquerit, infra, de rapt., de illis.

Ordinare
Sic 9. q. 2, per totum. Arg. contra 25. dist., perlectis, ubi dicitur quod archidiaconus potest iudicare sed non ordinare. Illud sic expone: sicut episcopus non potest alienum parochianum ordinare, sic nec iudicare. Secus est de inferioribus iudicibus, sicut sunt archidiaconi et caeteri praelati, qui possunt iudicare sed non ordinare. Et ita arg. habes hic quod sententia a non suo iudice lata non tenet, supra, de iudic., at si clerici, ubi de hoc; et C. si a non comp. iud., si militaris; et supra, de consuet., ad nostram. Nisi in casibus qui notantur supra, de for. compet., cum sit.

X 3.29.04 *Super eo*

Cohaerent
Principaliter sicut intelligitur illud. Quae religiosis adhaerent, religiosa sunt, ut C. de rei vend., quae religiosis; et ff. de contrah. empt., in modicis. Vincen.

Per canones
Qui dicunt quod limes praescribi non potest, ne provinciarum termini confundantur, 16. q. 3, quicumque; et 16. q. 3, licet in regulis; et 16. q. 3, inter memoratos. Quod dicit parochiarum, exponunt quidam, id est, episcopatuum. Nam canon praedictus 16. q. 3, quicumque, de provincialibus limitibus tantum loqui videtur, sed secundum non traditur hic aliquid de capellis. Sed verius videtur quaestionem fuisse propositam de parochiis. Nam canones praedicti loquuntur de diocesibus, id est, episcopatibus. Et quod dicit, sicut in provincialibus, potest exponi, id est, episcopatibus. Sed idem intelligo in limitibus episcopatuum et parochiarum et provinciarum, ex quo ibi distincti sunt fines. Praescribi non possunt per iura praedicta, cum eadem ratio sit in omnibus. Et quod idem sit in omnibus patet satis ex hac decretali.

In utroque
Arg. quod idem iuris est in minoribus quod in maioribus, arg. supra, de praeben., maioribus; et supra, de appell., de appellationibus. Item arg. quod de similibus simile debet esse iudicium, supra, de rescript., inter caeteras; et supra, de translat., inter corporalia; ff. de legib., non possunt. Item arg. quod ubi est eadem ratio, idem debet esse ius, supra, de confirm. util. vel inutil., cum dilecta; et supra, de consti., translato; et supra, de consti., nam concupiscentiam.

X 3.29.05 *Significavit nobis*

Habitatores iurisdictionem
Quia translato domicilio subtracti sunt eorum iurisdictioni, supra, de for. compet., proposuisti; 13. q. 1, ecclesias § quia ergo. Et ibi dicitur quis habere domicilium ubi

habitat, ff. ad municip., municeps § miles. Sed videtur contradicere quaedam lex ff. de senat., senatores, ubi dicitur quod licet senatores domicilium habeant in urbe, retinent tamen ius in provinciis unde sunt oriundi. Sed illud verum est quo ad honores non quo ad onera, ff. ad municip., municeps. Laur.

Praediorum
Nota quod decimae praediales regulariter illi ecclesiae debent dari, in cuius parochia praedia sunt sita, arg. 16. q. 1, si quis laicus; et infra, de decim., quoniam; et infra, de decim., cum contingat. Sic et civitati tributum solvendum est, ubi sunt agri, ff. de censi., forma § si vero. Personales vero decimae illi ecclesiae debent dari in qua divina audiunt officia, 16. q. 1, questi, et hic in fi. idem dicit. Sed quid de illis qui inhabitant civitatem et habent praedia et vineas extra, quae non sunt in parochia alicuius sed sita in terminis civitatis? Videtur esse hoc in episcopi potestate, arg. infra, de decim., quoniam. Quia non possunt negari quin sint in parochia eius. Non tamen a ratione extraneum est, ut ratione domicilii decimae persolvantur si consuetudo ita se habet. In talibus enim consuetudo praeiudicat, infra, de decim., ad Apostolicae; et infra, de decim., in aliquibus, in fi. Ber.

X 3.30 DE DECIMIS PRIMITIIS ET OBLATIONIBUS

X 3.30.01 *Decimam partem*

Ad convivium
13. q. 1, ecclesias § his itaque. Ber.

Diffinitae
In qua quantitate dari deberent. Ber.

Magistrorum
Nota hic arg. quod opiniones magistrorum sunt fovendae. Unde Innocentius opinionibus magistrorum non vult derogare, supra, de restit. spol., litteras; et infra, de sent. excom., officii. Et dicit lex quod ius constare non potest, nisi sit aliquis iurisperitus per quem possit in melius perduci, ff. de orig. iuris, necessarium § post originem. Laur.

Licebat
Non licentia dispensationis sed iuris communis.

Pentateucho
Liber est sic dictus a penta, quod est quinque, et teuchos, quod est volumen, quia in uno volumine quinque libri Moysi continentur. Ala.

In primitiis
Primitiae enim tamquam debitae exiguntur, sicut et decimae, arg. 16. q. 1, revertimini; 32. dist., praeter hoc; et infra, de decim., quamvis. Sed numquid in pecudibus datur primogenitum? Hug. dicit de ducentis unum dandum loco primitiarum. Sed quid si tot non habeat capita? Tunc solvat aestimationem secundum quantitatem illius numeri.

Durum videretur dare primogenitum si forte non haberet ultra duo capita vel tres, alias minimum esset si haberet quadringenta vel quingenta sive mille. Laur.

X 3.30.02 *Novum genus*

A clericis
Hoc intellige de dote ecclesiae de qua clerici non debent dare decimas, ut 16. q. 1, questi. Sed de praediis propriis sive patrimonialibus clerici debent solvere decimas, ut 16. q. 1, si quis laicus. Et hoc sive praedia sint in propria parochia clericorum sive in aliena. Ber.

A Levitis
Scilicet paribus, quoniam summis sacerdotibus inferories decimas solvebant, supra, de decim., decimam. Vel non accipiebant Levitae a Levitis, quibus spiritualia ministrabant. Tanc.

Debent
Videtur contradicere principio. Sed intellige principium capituli de dote ecclesiae, ut dixi. Quod hic dicit intellige de patrimonialibus. Vel posses intelligere quod hic dicit de clericis coniugatis, qui ab aliis clericis spiritualia recipiunt, et hoc innuit littera, et ita planum est. Ber.

X 3.30.03 *Ex multiplici*

Quamdiu viveret
Hic simpliciter et pure facta fuit compositio super decimis. Ergo de omnibus praesentibus et futuris intelligendum est. Unde si postea alias possessiones monachi acquisierunt, sub eadem compositione intelliguntur, infra, de privileg., quia circa.

Quietas clamavit
Arg. quod rebus nondum habitis possit quis renunciare, ff. de acq. hered., is qui. Arg. contra ff. de regul. iur., qui potest. Solutio: non potest quis renunicare iuri antequam sibi competat, ut ibi dicitur. Pacisci tamen potest, ut ff. de pacti., et heredi § filiusfamilias; et C. de pacti., condicionibus, et hic. Rich.

Intentionis
Nota secundum intentionem domini Papae privilegium fore intelligendum. Sic etiam rescriptum quo conceditur beneficium, supra, de praeben., cum olim; et supra, de rescript., mandatum. Item arg. quod Papa per suum privilegium sive rescriptum non vult facere alicui praeiudicium, supra, de offi. ord., licet; et supra, de auctor. et usu pal., ex tuarum; et supra, de offi. deleg., super eo. Et hoc ideo est hic, quia privilegium illud fuit tacita veritate impetratum. Unde non valuit, quod si dixisset, privilegium non fuisset concessum, supra, de rescript., super litteris.

Eandem conventionem
Et ita patet quod conventio potest intervenire in spiritualibus, saltem inter ecclesiasticas personas, infra, de decim., suggestum; et infra, de decim., nuper; et supra, de transact.,

statuimus. Sed ad hoc ut compositio sit perpetua, debet auctoritas episcopi intervenire, ut supra, de transact., de caetero; et supra, de transact., statuimus. Alias erit personalis, ut supra, de transact., veniens. Et hic fuit compositio personalis, quia auctoritas superioris non intervenit, ut patet ex eo quod dicit supra, quamdiu viveret. Et sic in vita sacerdotis tantum duravit compositio.

Contineatur
Nam si de compositione facta fuisset mentio in privilegiis et ex certa scientia, Papa derogasset huic compositioni, arg. supra, de rescript., nonnulli; et infra, de capell. monach., ex parte. Ber.

X 3.30.04 *Commissum*

Monachi
Non dicit hic de quibus monachis. Unde si intelligis capitulum de Cisterciensibus, loquitur de possessionibus quas non excolunt suis sumptibus et laboribus de quibus solvere debere decimas, infra, de decim., ex parte tua 1. Vel forte per subtractionem illarum decimarum parochialis ecclesia enormiter laedebatur, quod esse non debet, infra, de verb. sign., quid per novale; arg. C. de precib. imper. offer., quotiens. Si vis intelligere de aliis monachis, planum est qui decimas solvunt, nisi de novalibus cultis suis sumptibus et de nutrimentis animalium, infra, de decim., ex parte tua 1.

Integritate
Sic infra, de decim., pervenit; et infra, de decim., non est; et infra, de decim., cum homines; et infra, de decim., tua 2; et 16. q. 1, si quis laicus; ff. de publican., imperatores. Ber.

Pascuis
Quae ergo dicuntur novalia a quibus omnes religiosi sunt exempti? Dicas quod illa dicuntur novalia, quorum non erat memoria quod culta fuissent, infra, de verb. sign., quid per novale. Et quae prius erant quasi inutilia, ut montana, paludes unde parochialis ecclesia nihil ante percipiebat, vel ita modicum quod sine laesione poterat amittere illud, et ita ista pascua non erant prius inutilia vel area sive domus, unde non deberent dici novalia per capitulum infra, de verb. sign., quid per novale.

X 3.30.05 *Pervenit*

Molendinorum
Etiam si sit ad ventum, infra, de decim., ex transmissa. Ber.

Foeno
De omnibus enim quae fidelis homo acquirit, debet solvere decimas, infra, de decim., ex transmissa. Et de venatione et de militia, 16. q. 1, decimas; et 16. q. 7, quicumque. Ber.

Lana
In pecudum fructu lac lanaque foetus habetur, ff. de usuri., in pecudum; et Inst. de rerum div. § in pecudum.

X 3.30.06 *Nuncios*

De apibus
Et omni fructu licite acquisito, infra, de decim., ex transmissa. Sive de animalibus, supra, de decim., pervenit; sive intuitu praediorum, sive intuitu personae, supra, de paroch., significavit; et infra, de decim., pastoralis. Ber.

X 3.30.07 *Cum homines*

Parochiani
Arg. decimas esse dandas illi ecclesiae, ubi quis accipit ecclesiastica sacramenta etiam praediales. Tamen contrarium est verum, quod praediales potius dari debent illi ecclesiae in cuius territorio sita sunt praedia, supra, de paroch., significavit. Nisi consuetudo in contrarium esset, infra, de decim., cum sint homines. Ber.

Non decimatis
De omnibus enim satis et plantatis et de omnibus fructibus possessionum et animalium, et omnibus fructibus ratione praediorum provenientibus, nullis expensis deductis decimae sunt solvendae, infra, de decim., non est; et infra, de decim., tua 2. De aliis vero quae proveniunt ex negotiatione et artificio deducendae sunt expensae et de residuo persolvendae decima, infra, de decim., pastoralis.

Fructibus collectis
Id est, quam citius et competentius solvi possunt, quia tardius dare peccatum est, 16. q. 1, decimae. Et qui non facit statim, in mora intelligitur, unde periculum decimarum ad ipsum spectat, ff. de leg. 1, cum res § ulti.; et supra, de commod., cum gratia. Sed quid si sacerdos tunc recipere noluerit? Non est periculum illius, ff. de solut., qui decem. Si tamen postea sacerdos voluerit recipere, rursus incipit esse rusticus in mora, ff. de act. emp. et vend., si per emptorem § quod si eodem; ff. de novi operis nunc., praetor § penulti.; ff. quod legat., diversum § ulti. Semper enim posterior mora nocet ei per quem fit, ff. de peric. et comm. rei vend., illud; ff. de usuri., debitor. Ala.

Dignam satisfactionem
Sic 16. q. 7, quicumque; et 16. q. 7, omnes decimae; et 16. q. 1, si monachus.

X 3.30.08 *Dilecti*

Conduxistis
Si propria non sufficiunt, licitum est clericis conducere aliena praedia, ut hic patet, et in Auth. de sanct. episc. § aliud, coll. 9. Et sic non obstant quae consueverunt signari pro contrariis, infra, ne cler. vel mon. saecul. neg., multa; infra, ne cler. vel mon. saecul. neg.,

sacerdotibus; et infra, ne cler. vel mon. saecul. neg., non magnopere; et 86. dist., pervenit. Ber.

Enormiter
In hoc casu perditur privilegium, infra, de decim., suggestum; et infra, de verb. sign., quid per novale.

Nec fuit intentionis
Forte habebant isti etiam monachi privilegium, ut de laboribus suis decimas non darent. Sed istud privilegium Papa non vult extendi ad conductitias possessiones. Et si debet considerari scribentis intentio, supra, de rescript., mandatum; et supra, de rescript., ad aures; et supra, de praeben., cum olim; et supra, de praeben., cum causam; 35. q. 3, quod scripsi; et supra, de decim., ex multiplici.

Componatis
Et sic compositio bene potest fieri super decimis. De hoc dixi supra, de decim., ex multiplici.

X 3.30.09 *Suggestum*

Privilegia
Arg. quod diversitatem temporum et varietatem rerum privilegia sunt varianda, arg. 63. dist., quia sancta § verum; et infra, de cons. et affin., non debet; 12. q. 1, videntes. Sed contra, quia privilegia perpetua firmitate constare debent, 25. q. 2, privilegia ecclesiarum et sacerdotum; et 25. q. 2, privilegia ecclesiarum et monasteriorum. Solutio: quod ibi dicitur verum est, et generale quod perpetua sunt et immutabilia. Sed quod ibi dicitur, causale est. Et causa nova superveniente bene perditur privilegium. Puta si quis abutatur privilegiis, 11. q. 3, privilegium; et 74. dist., ubi ista didicisti. Item propter delictum civium perditur privilegium, 25. q. 2, ita nos. Item per negligentiam spatii decem annorum, ff. de nund., nundinis. Item per contrarium factum, supra, de praeben., pro illorum; et supra, de consti., cum accessissent; et infra, de privileg., si de terra. Item cum enorme praeiudicium alii inducit, ut hic, et infra, de verb. sign., quid per novale; et supra, de decim., dilecti.

Querelam saepe proponunt
Ubi enim privilegium ex post facto recidit ad iniquum compendium, principis est aestimatio, ff. de regul. iur., Neratius, in fi. Quia beneficia principalia ipsi principes solent interpretari, ff. de vulg. et pup., ex facto. Simile 63. dist., quia sancta § verum.

X 3.30.10 *Ex parte tua*

Praedecessores
Scilicet Paschalis ii et Gregorius, 16. q. 1, decimas; 12. q. 1, quia tua.

Laborum suorum
Hoc intellige de propriis possessionibus et non de conductis ad firmam, supra, de decim., dilecti. Quia vero de decimis monachorum varie loquuntur iura, ideo nota quod monachi in primitiva ecclesia decimas dabant de praediis et laboribus suis, tamquam laici, arg. 16. q. 1, alia causa; et 16. q. 1, generaliter; et 12. q. 1, duo, in fi., usque ad tempus Paschalis ii. Postea vero idem Paschalis et concilium Maguntinum statuerunt, quod nec monachi nec religiosi nec aliqui communiter viventes decimas de suis laboribus solverent, 16. q. 1, questi; et 16. q. 1, decimas. Tempore vero procedente Hadrianus Papa solis Cisterciensibus, Hospitalariis, Hierosolymitanis seu Templariis concessit hoc privilegium, ut de laboribus suis quos propriis manibus excolunt, decimas solvere non tenerentur. Aliis vero monachis tantum de novalibus, quae colunt suis manibus et de hortis et nutrimentis animalium suorum, ut hic dicitur, et sic modo servatur. Et ita est tenendum quod Cistercienses, Templarii et Hospitalarii decimas de suis possessionibus, quas suis laboribus excolunt, solvere non tenentur, ut hic dicitur et in duobus proximis capitulis infra, de decim., licet; et infra, de decim., ad audientiam. Nisi pacto ad hoc teneantur, supra, de decim., ex multiplici. Vel nisi parochialis ecclesia enormiter laederetur, supra, de decim., dilecti; et supra, de decim., suggestum; et infra, de verb. sign., quid per novale. Vel nisi solvendo renunicaverint privilegio suo, infra, de privileg., accedentibus; et infra, de privileg., si de terra. Et haec quae dicta sunt, vera sunt de monachis qui populum non regunt. Sed si monachi habent populum, bene possunt recipere decimas personales et praediales, 16. q. 1, moderamine. Hodie vero abbates Cistercienses et alii qui simili gaudent privilegio, de possessionibus quas acquisierunt post concilium generale vel de caetero acquirent, solvere tenentur decimas, infra, de decim., nuper. Tanc.

De novalibus
Quid sit novale, dicitur infra, de verb. sign., quid per novale; et infra, de privileg., consultationi.

X 3.30.11 *Licet de benignitate*

Propriis manibus
Et sic loquitur de Cisterciensibus, Templariis et Hospitalariis, quibus hoc privilegium concessum est, supra, de decim., ex parte tua 1. Ber.

Traditis
Ad hoc enim non extenditur privilegium, nec ad illas quas conducunt ab aliis ad firmam, supra, de decim., dilecti. Et sic privilegium intelligitur de propriis possessionibus quas colunt propriis sumptibus.

X 3.30.12 *Ad audientiam*

Interpretatione
Et male, quia privilegium principis largissime interpretandum est, infra, de verb. sign., olim; et supra, de dona., cum dilecti; et C. de bon. quae liber., cum multa, in fi.; ff. de constit. princ., beneficium; et ff. de re iud., quidam consulebant. Et infamiam iuris

incurrit qui privilegium principis stricte interpretatur, C. de legi. et const., quae ex relationibus. Et verba calumnianda non sunt, ff. ad exhib., quaestionis.

Asserunt
Et male, quia si verbum esset ambiguum, latissima esset interpretatio facienda, ff. de constit. princ., beneficium. Vel ipse idem princeps deberet suum privilegium interpretari, C. de legi. et const., si imperialis; et infra, de sent. excom., inter alia; et supra, de iudic., cum venissent; 11. q. 3 § ex his. Et privilegium aliquid debet concedere, alias inutile esset, infra, de privileg., in his.

Intelligeremus
Arg. quod a forma verborum sine certa scientia non est recedendum, 31. dist., omnino; ff. de leg. 3, non aliter; et 31. q. 1 § quomodo virginibus; C. de caduc. toll., et nomen § si vero; et de conse. dist. 4, si quis presbyter; et supra, de translat., inter corporalia; et C. de pecul. eius qui libert., longe; 28. q. 1, sic enim, vers. cum vero dicit, ego dico non dominus.

X 3.30.13 *Quoniam*

Parochiam
Quid si sint insulae? Considerandum est cui provinciae adhaereant et de illa provincia sunt, et ibi debent decimas, et ibi iudicentur, ff. de iud., insulae.

Tua parte
Eandem quam de antiquis percipis et non maiorem, quia non debent in his duplici iure censeri, 12. q. 2, cognovimus; et infra, de decim., cum in tua; et infra, de censib., ecclesiis. Haec est quarta, 10. q. 3, unio. Vel intellige secundum diversam consuetudinem locorum, supra, de sepult., certificari. Arg. contra infra, de decim., cum contingat, ubi dicitur quod de iure communi ad parochiales ecclesias pertinet perceptio decimarum, et ibi solvitur.

Eidem ecclesiae
Sed nonne dabuntur ubi coloni recipiunt spiritualia, 16. q. 1, questi. Respondeo non, quia decimae et tributa dantur ratione praediorum et non personarum, ff. de publican., imperatores; 16. q. 1, si quis laicus; et 16. q. 1, decimae; et ff. de censi., forma censualis § si vero quis.

X 3.30.14 *Parochianos*

Domino
Ut 16. q. 1, revertimini; et 16. q. 1, decimae sunt; et 16. q. 7, omnes decimae.

Quasi debitum
Istud quasi, non est similitudinarium, sed expressivum veritatis, sicut illud, quasi unigeniti a patre. Et ex debito requiruntur, infra, de decim., tua 2; et 16. q. 1, decimae; et 16. q. 1, statuimus; et 13. q. 2, qui oblationes.

X 3.30.15 *Ad haec*

Sanctuarium
8. q. 1, Apostolica; et infra, de iure patron., consuluit. Ber.

Resignaverit
Et ita laicus decimas possidere non potest, 16. q. 7, decimas quas in usum; et supra, de praescrip., causam quae. Et sic in feudum dari non possunt de novo. De hoc dicitur infra, de decim., quamvis. Et ideo si non restituat, debet excommunicari.

X 3.30.16 *De terris*

Persolvendas
Is enim ad quem spectat fructuum perceptio, fructuum onera subire compellitur, ff. de usufru., si pendentes § penulti.; et ff. de usufru., hactenus; et ff. de pacti., inter debitorem; et ff. de censi., forma § si vero quis. Et ita ratione praediorum solvere debent decimas, et non ratione personarum, quia non sunt de corpore ecclesiae. Unde personales decimas non persolvunt.

Compellas
Prout traditur infra, de usur., post miserabilem; et infra, de usur., quanto.

X 3.30.17 *Quamvis sit grave*

Disponere
Quod omnino eis non licet, quia de rebus ecclesiasticis nulla est laicis attributa potestas, 96. dist., bene quidem; 16. q. 7, laicis; et supra, de consti., ecclesia; et supra, de rebus ecc. non alien., cum laicis; et 89. dist., quoniam in quibusdam; et 89. dist., indicatum. Et tales laici excommunicandi sunt, 16. q. 7, nullus laicorum.

Concesserit
Laici enim decimas sine peccato non possunt retinere, 1. q. 3, pervenit; et infra, de decim., prohibemus. Sed numquid possunt dari laicis in feudum? Dicendum est quod non, quia decimae sunt cibus in domo domini, 16. q. 1, revertimini; et 16. q. 7, decimas. Debent eis dari a quibus spiritualia recipiuntur, 13. q. 1, ecclesias § his ita. Et praeterea feudum transit ad heredes, sed decimae non, supra, de decim., ad haec. Et ita laicis concedi non possunt in feudum, quia eas possidere non possunt, supra, de praescrip., causam quae; et 16. q. 7, decimas quas in usum; et 1. q. 3 § potest, in vers. item decimae Deo mandante etc. Et hoc ideo quia dantur intuitu divini obsequii, 13. q. 1, ecclesias § his ita; et 16. q. 1, questi; et supra, de decim., novum; et infra, de decim., tua 2. Unde in laicum cadere non possunt, sicut nec ius eligendi, supra, de elect., sacrosancta; et supra, de elect., Massana. Fructus vero decimarum bene possunt concedi laico ex causa ad tempus vitae suae, sed non in feudum, supra, de loc. et cond., vestra, quia etiam possent vendi ad tempus, infra, ne prael. vic., querelam. Sed ius percipiendi quod est mere spirituale, non potest eis in feudum dari vel etiam ad tempus rationibus praemissis

concedi. Et est simile cum dicimus vitulum, fructum vaccae demonstramus, non ius sed corpus, ff. de evict., vaccae. Et sic hodie decimae in feudum dari non possunt sicut nec alia feuda, supra, de feud., insinuatione. Et ea fuit causa quare olim antiquis temporibus dabantur in feudum laicis, et etiam alia feuda, ut videlicet defenderent ecclesias ab haereticis et ab aliis oppressoribus. Postea vero cum causa cessavit, immo expresse fuit prohibitum, quia sine peccato laici non possunt eas retinere, supra, de his quae fi. a prael., cum Apostolica; et infra, de decim., prohibemus. Et decimas ab antiquo concessas adhuc possident laici et eorum successores, tamen si aliqua novalia consurgunt, in decimatione non accrescunt eis, infra, de decim., tua 2, propter rationem quae ibi redditur in fi. Ber.

Succidatur
Id est, suspendatur, ut innuit littera sequens: donec etc. Vel succidatur, id est, deponatur, et haec expositio probatur, 23. q. 4, ipsa pietas. Sed primum verius videtur.

X 3.30.18 *Cum sint homines*

Non est nobis facile
Quia quod a sanctis patribus non est diffinitum, nec nos diffinire debemus, 2. q. 5, consuluisti. Et quod Apostolus non diffinivit nec nos diffinire debemus, 31. q. 1, quod si dormierit.

Diversae
Non tamen adversae. Sic supra, de his quae fi. a prael., cum Apostolica. Quidam enim ibi dicunt dandas esse decimas, ubi recipiuntur ecclesiastica sacramenta, supra, de decim., novum; et 16. q. 1, questi. Alii dicunt quod ibi debent dari ubi praedia sita sunt, supra, de decim., quoniam; et supra, de paroch., significavit; et 16. q. 1, si quis laicus. Sed facile est solvere hanc diversitatem. Ibi debent dari personales decimae, ubi quis recipit ecclesiastica sacramenta. Et si habet praedia in alia parochia, ibi debet dare decimas illorum praediorum, ut supra, de paroch., significavit; et infra, de decim., ad Apostolicae. Si habet praedia in eadem parochia ubi audit divina, ibi debet dare decimas praediales et personales. Et sic diversitas illa potest intelligi, nisi consuetudo praescripta sit contraria, ut dicit hic. Ber.

Ad consuetudinem
Nota quod in decimis persolvendis consuetudo attenditur. Sic infra, de decim., ad Apostolicae; et infra, de decim., in aliquibus, in fi. Et intelligo quod illa consuetudo sit praescripta, per quam iuri communi praeiudicatur quae est optima legum interpres, alias non credo locum habere consuetudinem, ut supra, de consuet., cum dilectus.

Difficile
Non tamen impossibile, quia quod vix sit tamen fit. Simile ff. de iud., vix certis. Quia si decimae illae sint infra limites alterius episcopatus non adhaerentes limiti, bene possunt tunc praescribi, dummodo habuerint titulum ex quo causam habent praescribendi, infra, de decim., dudum; supra, de praescrip., ad aures, quae sic intelligitur. Si vis intelligere difficile, id est, impossibile, quasi non possit percipere decimas in alieno episcopatu. Tunc intellige de decimis in limite positis et limiti adhaerentibus, quia illae praescribi non

possunt, quia sic per consequens. Et limes praescribi posset, quod fieri non potest ne fines episcopatuum confundantur, ut hic dicit, et 16. q. 3, quicumque; et 16. q. 3, licet in regulis; et 16. q. 3, inter memoratos. Et idem est in parochiis limitatis, supra, de paroch., super eo. Et sic intellige quod hic dicit. Ber.

X 3.30.19 *Prohibemus*

Periculo
Sic 16. q. 1, quoniam quicquid; et supra, de his quae fi. a prael., cum Apostolica.

Laicos
Nec etiam in clericos sine auctoritate episcopi, 16. q. 1, quoniam quicquid; et supra, de his quae fi. a prael., cum Apostolica; et infra, de iure patron., nullus. Sed numquid de consensu episcopi possunt transferri in alios laicos, si laici isti habent decimas in feudum ab antiquo? Satis videtur quod illas possunt dare in alios laicos de consensu episcopi in feudum, sicut ipsi habent. Nec dicitur episcopus tunc illas dare in feudum. Sic supra, de feud., ex parte. Sed si alias de facto possident, illas nec laico nec clerico possunt transferre etiam de consensu episcopi, ut dicit praedicta decretalis supra, de his quae fi. a prael., cum Apostolica, in fi. Ber.

Sepultura
Si ergo qui decimas quas iniuste possidet, detinet, et non restituit ecclesiae ad quam spectant, christiana sepultura privari debet, sicut in usuris, infra, de usur., quia in omnibus. Ber.

X 3.30.20 *Ad Apostolicae*

Transferatur
13. q. 1, per totum; et supra, de paroch., significavit.

Personales
Hic ergo patet quod decimae personales semper dandae sunt, ubi quis percipit ecclesiastica sacramenta. Sic supra, de paroch., significavit. Et dicuntur personales decimae, quae potius contemplatione personae solvuntur, ut puta de negotiatione, artificio et de militia, 16. q. 1, decimae; et infra, de decim., non est; et infra, de decim., pastoralis. De quibus expensae ante solutionem decimarum deducendae sunt, ut in capitulo infra, de decim., pastoralis. Sed decimae animalium an inter personales an inter praediales sint, quaeritur. Et potest dici quod inter praediales, ubi ergo pascuntur continue, ibi decimae solvi debent, arg. supra, de decim., commissum; et ff. de servitu. rust. praed., pecoris pascendi; C. de ver. sig., urbis. Sed quid si per medietatem anni in territorio unius ecclesiae et per aliam medietatem in territorio alterius ecclesiae pascuntur? Aequum est ut dividantur, arg. supra, de testamen., relatum est 2, in fi.; et 1. q. 2, quam pio; et 1. q. 2, clerici; et 12. q. 2, Vulteranae. Eodem modo si continue iaceant hic et continue pascantur ibi, arg. ff. ad municip., assumptio. Idem esset si aliqui iacerent in una parochia, et larem haberent in alia, debent dividere decimas personales et oblationes.

Consuetudo
Ius tamen commune in promptu est quod illi ecclesiae debent dari in cuius territorio sunt praedia, ut supra, de paroch., significavit; et supra, de decim., quoniam. Tamen statur consuetudini loci si est praescripta, ut dixi supra, de decim., cum sint homines. Nam et mulier ibi subit munera patrimonialia ubi habet patrimonium sive praedia, personalia vero ubi habet domicilium, C. de mul. in quo loc. mun., Malchaeam, lib. 10. Laur.

X 3.30.21 *Ex parte canonicorum*

Unius
Et male, quia qua ratione solvunt de uno semine, et de alio solvere tenentur, sive eodem tempore sive diverso eiusdem anni, quia una et eadem res diverso iure censeri non debet, 12. q. 2, cognovimus; et infra, de decim., cum in tua; et de conse. dist. 2, comperimus.

De omnibus praediorum
Et etiam arborum, supra, de decim., ad Apostolicae. Et de foeno et de lana, supra, de decim., pervenit; infra, de decim., non est.

Diminutione
Id est, nullis expensis deductis, supra, de decim., cum homines; et infra, de decim., non est; et infra, de decim., tua 2. Ber.

X 3.30.22 *Non est*

De omnibus
Sic 16. q. 1, decimae; et 16. q. 7, quicumque; et 16. q. 7, omnes decimae. Ber.

Percelli
Et potest etiam ecclesiastica sepultura privari qui decimas non restituit, supra, de decim., prohibemus. Et qui decimam non solvit, ad decimam partem, ut dicit Augustinus, revocari meretur, 16. q. 1, decimae. Et in fame et in penuria maledictus erit, ut 16. q. 1, revertimini.

Antequam deducatis expensas
Hoc verum est in praedialibus decimis, ut supra, de decim., ex parte canonicorum; et infra, de decim., tua 2. Secus in personalibus, infra, de decim., pastoralis.

X 3.30.23 *Ex transmissa*

Licite
Ergo videtur quod de illicite acquisitis non teneatur decimam solvere, arg. 1. q. 1, non est putanda, ubi de hoc. Et sic meretrix de meretrico suo decimam solvere non debet, iuxta illud: non accipias mercedem prostibuli. Et Esaias: non accipias mercedem meretricis, nec pretium sanguinis. Et illud: honorabis dominum Deum tuum de tuis iustis laboribus, ut in capitulo 1. q. 1, non est putanda. Et illicite acquisita non sunt in bonis nostris, ff. pro soc., cum duobus § ulti. Arg. contra quod meretrix debet decimam solvere, quia non

turpiter accipit, ff. de condi. ob turp. caus., idem et si § quotiens. Praeterea delictum non praestat immunitatem, ff. de interdict. et releg., relegatorum § ulti. Criminosum enim non dignitas, sed poena debet comitari, C. de decur., ne quis, lib. 10. Et illud Evangelii: facite vobis amicos de mammona iniquitatis, ut 14. q. 5, qui habetis; et 14. q. 5 § sed hoc. Quidam dicunt quod de nullo illicite acquisito potest fieri eleemosyna, vel etiam decima solvi. Et sic nec meretrix, nec aleator nec simoniacus nec histrio potest facere eleemosynam vel decimam dare de tali lucro propter priora iura, arg. ex hac littera. Alii dicunt, quod verius credo, quod de illicite acquisitis potest fieri eleemosyna et dari decima, si de illis non competat repetitio, et dominium transferatur. Et sic meretrix, histrio, simoniacus, et qui de mammona iniquitatis vivunt, id est, per sollicitudinem temporalem aliqua acquirunt, decimam dare et eleemosynam facere possunt, et de eo quod extorquetur ratione officii, 14. q. 5, non sane. Quia in his dominium transfertur, et non competit repetitio, sacerdos tamen non debet recipere decimam a meretrice ne videatur ei impunitatem praestare. Sicut quandoque oblationes aliquorum respuuntur ratione criminis, 90. dist., oblationes; 17. q. 4, miror. Alias si dominium non transfertur, aut si transfertur et competat repetitio, non potest inde fieri eleemosyna vel dari decima, cum non sit illius, quia aliena non potest aliquis concedere praeter domini voluntatem, infra, de decim., tua 2, ut in usuris et in simonia, supra, de iureiur., debitores; et infra, de simon., de hoc; et infra, de simon., veniens. In furto et rapina decimae autem quae dantur ratione praediorum iuste accipiuntur ab ecclesia, et a quocumque etiam invasore, ex quo non dantur ratione personae. Ecclesia enim suum recipit.

De molendino
Supra, de decim., pervenit; et infra, de decim., pastoralis.

X 3.30.24 *A nobis*

Quilibet
Laicus. Indistincte nulla temporis praescriptione obstante, supra, de praescrip., causam quae. Clerici vero secundum quod dicitur, supra, de decim., novum.

Exemptus
Cum enim decimae sint tributa egentium animarum, et eas in signum universalis dominii sibi retinuerit, 16. q. 1, decimae; et infra, de decim., tua 2, et quae debentur divina constitutione, infra, de decim., tua 2. Quomodo potest Papa concedere privilegium de non dandis decimis contra praeceptum divinae legis, contra quam dispensare non potest? Immo usque ad animam et sanguinem debet defendere, 25. q. 1, sunt quidam; et 5. dist., in princ.; et 8. dist., quae contra mores. Dic quod non dat alicui privilegium de non dandis decimis, sed concedit ei administrationem decimarum, ut inde suscipiat sustentationem et residuum convertat in usus pauperum. Tali modo concedit monachis, sic posset etiam laicis concedere. Vel dic quod contra ius naturale dispensare potest remittendo decimas alicui specialiter. Non tamen constitutionem posset facere, quae omnino tolleret illud praeceptum, quia ius naturale immutabile permanet, 5. dist., in princ. Verum est insimul, sed non in individuis, id est, non potest omnino tolli, sed potest in quibusdam remitti, sicut illud ius naturale quod homines ab initio sint liberi, in Auth. quib. mod. nat. effic. sui § si quis vero, vers. postea vero, coll. 6. Immutatum est in

quibusdam, sed non in omnibus. Hoc enim fuit impossibile quod omnes essent servi propter naturam correlativorum.

Recipientibus
Sic infra, de decim., tua 2.

Ostendatur
Puta privilegium exemptionis a praestatione decimarum. Vel nisi haberet decimas illas in feudum ab antiquo. Tunc dominus illas retinet sibi, licet hodie non possint dari in feudum, ut dixi supra, de decim., quamvis.

X 3.30.25 *Tua*

De spiritualibus
Nec de temporalibus etiam si ad commodum ecclesiarum respiciat, 96. dist., bene quidem; et supra, de iudic., decernimus. In casibus tamen laici potestatem habent super clericis de licentia ecclesiae, infra, de crim. falsi, ad falsariorum. In clerico deposito incorrigibili, supra, de iudic., cum non ab homine. Item ubi schisma faciunt, cum non possunt corrigi per ecclesiam, 17. dist., nec licuit; 23. q. 5, de Liguribus; et infra, de sent. excom., ut famae. Tanc.

Generaliter
Puta cum dicit: concedimus cum omni honore et districtu tibi possessiones tales et sine aliquo onere vel gravamine. Per talem concessionem non concedit decimas, etiam si specialiter decimas concederet, quia ipsas de iure non posset possidere, ergo ipsas non potest alicui concedere, infra, de decim., dudum. Quia lex humana non est supra legem Dei sed subtus, 10. dist., imperatorum.

Divina constitutione
Quasi ex debito, supra, de decim., parochianos; et infra, de decim., tua 2. Quia debent esse cibus in domo Domini, 16. q. 1, revertimini; et 16. q. 3 § potest, vers. item decimae Deo mandante; et 16. q. 7, primum. Et sunt tributa egentium animarum, ut 16. q. 1, decimae.

Extendenda licentia
Hoc dicit quia laici sine peccato decimas possidere non possunt, 16. q. 1, quoniam quicquid; et supra, de decim., prohibemus; et supra, de decim., quamvis. Et ideo licentia ista non potest extendi ad novalia. Arg. contra infra, de decim., ex parte tua 2, ubi solvitur. Simile supra, de rescript., nonnulli, quia odia sunt restringenda et favor ampliandus, ff. de lib. et post., cum quidam.

X 3.30.26 *Tua nobis*

Tributa
Ut 16. q. 1, decimae. Sed improprie dicuntur tributa, quia in tributis non admittitur appellatio, ut 2. q. 6, ei qui § diffinitiva; et 2. q. 6, ei qui § quotiens. Sed super decimis

bene admittitur sicut in aliis causis ubicumque aliquis gravatur, supra, de appell., ut debitus. Item in tributis non currit praescriptio, 16. q. 3, placuit § potest, vers. ad hoc ecclesia. Sed in decimis bene currit, supra, de praescrip., de quarta; et supra, de praescrip., ad aures. Sed qua actio ne petuntur decimae? Dixit Io. quod petuntur per actionem confessoriam, quia ius praestandi decimas est quaedam servitus. Vel potest dici quod petuntur rei vendicatione, 16. q. 1, moderamine; et 16. q. 1, revertimini. Ecclesia enim dicitur habere dominium decimarum, licet nondum habuit possessionem, ut quidam dicunt, et satis rationabile est. Sed verius est quod in hoc consistit privilegium ecclesiae, ut re nondum tradita ipsa facta sit domina, arg. de consuet., ex litteris; et C. de sacro. eccl., ut inter divinum. Et sic C. arb. tut., curator; et C. de rei vend., si ut proponis, ubi hoc privilegium obtinet in minore et in milite. Nec obstat quod dicitur ff. de poll., si quis rem, in fi., ubi dicitur quod nisi decima sit segregata ab aliis, non desinit esse in bonis prioris domini. Sed aliud est cum decima debetur ex voto, ut ibi, aliud cum debetur de iure, ut hic. Vel petuntur condictione ex canone 16. q. 1, decimae; et 16. q. 1, revertimini; et arg. ff. de condi. ex leg., si obligatio.

Deterioris
Immo melioris, quia plus punire et plus benefacere potest, C. de mod. mult., eos; 11. q. 3, qui resistit.

Statutum
Id est, pars conventa sive pensio.

Suas esse
16. q. 1, revertimini.

Sic et dominus
Hoc intellige cum recipit partem suam ante solutionem decimarum. Secus si post, quia tunc illa iam decimata est. Et hoc verum est cum dominus aliquotam partem, puta tertiam vel quartam vel etiam medietatem percipit. Tunc enim uterque et colonus et dominus tenetur solvere decimam de parte sua. Sic supra, de decim., a nobis. Si vero certam partem, puta duos corbes vel tres tantum colonus reddat domino, quantumcumque percipiat iste colonus, tunc dominus de illis tenetur solvere decimas, quia pars illa non est decimata neque diminuta, licet de decimato acervo descendat. Sed illud quaeri potest cui danda sit decima de illis tribus vel duobus corbibus. Illi ecclesiae in cuius territorio sita est illa terra? Non, quia iam percipit decimam totius a colono, et est contra illam regulam: bona fides non patitur, ut bis idem exigatur, ff. de regul. iur., bona fides. Parochiali ecclesiae non debet dari, quia non est decima personalis. Satis potest dici quod debet dari ratione praediorum, licet descenderit a decimato acervo. Sicut si aliquis donet alicui hunc corbem decimatum, illi enim tenetur solvere decimam, quia ex lucro habet. Colonus vero ille qui duos corbes tantum vel tres solvit, tanto minus potest solvere parochiali ecclesiae de toto acervo, ut videtur arg. optimum infra, de decim., cum non sit, in fi., et istud aequius videtur. Tamen ecclesia potest convenire possessorem sive suo, sive alieno nomine sit in possessione, sive etiam sit creditor, 16. q. 1, si quis laicus; ff. de usufru., hactenus. Decima enim tamquam onus sequitur possessorem, quia res transit

cum onere suo, infra, de decim., cum non sit; supra, de pignor., ex litteris. Nec etiam pactum tuetur possessorem, supra, de pact., plerique; ff. de pacti., inter debitorem.

Praetextu vero nequitiae
Hoc ideo dicit quia decimae potius dantur intuitu ecclesiae quam personae. Sed numquid teneor dare decimas personales ei quem scio esse simoniacum, cum ipse sit suspensus, 32. dist., praeter hoc § verum? Decimae dantur ratione divini obsequii, ut hic dicitur, scilicet in vers. quibus eas pro suo cultu concessit, et supra, de decim., novum; et 16. q. 1, quaestio. Item quia ordines non debent ab eo recipi, infra, de simon., per tuas 2. Dico quod decimae sunt dandae illi. Nam et Iudaeus praestat personales decimas quasdam quandoque, sed non omnes, licet non ratione divini obsequii et praediales, infra, de usur., quanto. Io. Et supra, de decim., de terris, et per quandam decretalem quae est in antiqua compilatione, de decimis, ad audientiam.

Aliena
Id est, ecclesiastica, 16. q. 1, in canonibus; et 12. q. 3, placuit; et 12. q. 1, expedit. Saecularia vero potest princeps concedere alii, C. de quadrien. praescr., per totum. Excipe creditorem, ff. de acq. rer. dom., non est novum. Et in alio casu 19. q. 3, si qua mulier. Vincen.

Domini voluntatem
Quia non remittitur propter hoc debitum, sed augetur, supra, de iureiur., ea te.

Compellas
Excommunicari debent qui decimas admoniti non solvunt, supra, de decim., tua 1; et 32. dist., praeter hoc. Et bannum domini Papae componat, 16. q. 1, statuimus. Ber.

X 3.30.27 *Ex parte tua*

Conceditur
Sic 12. q. 1, praecipimus; et 16. q. 2, visis; 95. dist., illud; et ff. de regul. iur., non debet; infra, de don. int. vir. et uxor., per vestras. Et econverso cui interdicitur minus, et maius prohibitum esse videtur, infra, de sent. excom., cum illorum; arg. 74. dist., gesta; et ff. de senat., qui indignus; et ff. de serv. export., cui pacto. Item est arg. quod beneficia large sint interpretanda, infra, de verb. sign., olim; supra, de dona., cum dilecti, in fi.; de constit. princ., beneficium. Arg. contra supra, de decim., tua 1. Sed ibi donatio decimarum laico facta, odiosa est cum peccato, et ideo non est extendenda licentia sed est restringenda, ut ibi dicitur.

X 3.30.28 *Pastoralis*

De molendinis et piscariis
Permanentibus non emptis causa mercimonii. Ber.

Necessarias
Necessariae dicuntur impensae sine quibus res fit deterior, ff. de impen. in re. dot., impensae; et ff. de impen. in re. dot., quod dicitur; et ff. de ver. sig., impensae. Ber.

Concessum
Non iure scripto, sed tantummodo hic invenitur et non alias, sed consuetudine approbata vel ratione, quae est optima legum interpres, supra, de consuet., cum dilectus. Ber.

Acquisitas
Vel factas causa mercimonii. Ber.

Deducendas
Haec est ratio quare deducuntur expensae de mercimoniis et non de fructibus et redditibus aliarum rerum, quia in negotiatione operatur manus hominis, sed in aliis praecipue operatur manus Dei, arg. 56. dist., nasci; supra, de decim., non est; et infra, de decim., cum non sit. Hanc rationem assignat Vincen. Et tu adde aliam ne bis eadem res decimaretur, quia tunc sunt decimae personales. Laur.

Expensas
Factas in eundo et redeundo, et negotiando et faciendo meliorem.

Quasi de lucro
Ex hoc videtur quod de omni eo quod pervenit ad aliquem gratuito titulo decima sit solvenda. Sic ergo heres, legatarius, donatarius de hereditate, legato et donato debet solvere decimam, quia de omni licite acquisito decimae sunt solvendae, supra, de decim., ex transmissa; et arg. 16. q. 1, decimae; et 16. q. 7, pervenit. Super hoc dicas quod filius heres de hereditate decimam solvere non debet, quia una persona reputatur cum patre, C. de impub. et al. subst., si quis duobus § ulti.; et Inst. de inutil. stipul. § ei qui; et 35. q. 3, contra dicimus § hac auctoritate. Et quia de iure naturae sibi debita est. Unde vivente patre dominus est, Inst. de hered. qual. et diff. § sed sui quidem. Et sola administratio deest ei, ff. de lib. et post., in suis. Quidam dicunt quod extraneus heres, donatarius, legatarius, quia totum est ei lucrum, decimam dare debet. Alii dicunt et melius quod de immobilibus non tenetur quis solvere decimam, quia res ad quemlibet possessorem transit cum onere suo, ut infra, de decim., cum non sit. Quoniam cum Deus alienam terram dedit filiis Israel, tantum de fructibus sibi dare decimas mandavit. Et si de possessionibus decima daretur, cito possessiones devolverentur ad ecclesias. Sed numquid doctor de collecta, et advocatus de advocatione, mercenarius de mercede tenentur solvere decimam? Utique, 16. q. 1, decimae.

Merces
Emptae causa mercimonii de pecunia decimata. Ber.

Deducendas
Quia tunc intelliguntur esse praediales decimae. Ber.

Decimatae
Etiam si possessiones illae sint emptae de pecunia decimata, vel sic etiam si expensae illae sint factae de pecunia decimata, quod melius videtur. Ber.

Quoniam
Istud quoniam, potius illative quam causative ponitur secundum Vincen. Vel proprie, et melius.

Nisi cum onere
Nota quod res transit cum onere suo, 16. q. 1, si quis laicus; ff. de contrah. empt., alienatio; infra, de decim., cum non sit; supra, de pignor., ex litteris, circa fi. Ber.

Nec pro restaurando
Hic respondet quaestioni propositae.

Credimus deducendas
Hoc speciale est in decimis, quod non deducuntur expensae pro fructibus colligendis, vel etiam pro conservatione alicuius rei. Alias etiam malae fidei possessor deducit sumptus necessarios, ff. de pet. hered., si a domino § ulti.; et supra, de in integ. restit., requisivit; ff. de solut., fructus. Io.

Decimandis
Sed si emissem ad hoc ut venederem, et antequam illam vendam, fecissem sumptus pro illa conservanda, bene deducerem sumptus.

Mercis
Mercis appellatio proprie ad res pertinet mobiles, ff. de ver. sig., mercis appellatio.

Destruatur
Si aliquid expenditur necessario ad illius conservationem, illud non deducitur, ut dictum est supra.

X 3.30.29 *Cum contingat*

Ab antiquo
Forte ex praescriptione, supra, de praescrip., ad aures.

De iure communi
Patet hic expresse quod decimae de iure communi pertinent ad parochiales ecclesias, ut 16. q. 1, statuimus; et 16. q. 1, de decimis; et 16. q. 1, si quis laicus. Ergo non spectat ad episcopum. Unde in decimis parochialium ecclesiarum non debet episcopus aliquam habere portionem. Nam capitula quae dant episcopo partem decimarum, loquuntur de decimis episcopalis ecclesiae. Sed contra supra, de decim., quoniam, ubi dicitur quod episcopus retinere partem suam de novalibus, quae surgunt in parochia alicuius ecclesiae, infra, de decim., dudum, ubi episcopus petit decimas in diocesi sua positas fundata intentione sua de iure communi, et ita non pertinet de iure communi ad parochiales

ecclesias, quia ibi obtinet episcopus. Dicas quod de iure communi tantum baptismalibus ecclesiis decimae debent dari, 16. q. 1, de decimis, prout notat Hug. ibi, et 16. q. 1, statuimus. Quid ergo respondebis illi decretali supra, de decim., quoniam? Dicas quod illa intelligitur per istam, vel potius loquitur secundum consuetudinem loci. Et illa infra, de decim., dudum, potest intelligi de decimis in parochia episcopi positis, quia illae pertinent ad eundem iure communi, et de illis debet facere quatuor partes, 12. q. 2, quatuor; et 12. q. 2, Vulteranae; et 12. q. 2, vobis concesso. Vel illae decimae quas petebat episcopus Brixiensis ad nullum pertinebant, quia non erant in parochia alicuius ecclesiae parochialis. Unde ad episcopum de iure communi pertinebant, quia decimae in potestate episcopi sunt, 16. q. 1, in sacris; et supra, de decim., quoniam. Vel dic quod illa decretalis infra, de decim., dudum, loquitur de consuetudine, ut ibi notatur in fine illius glossae quae incipit: sic.

Novalium
Hic ad alium pertinent novalia et ad alium decimae. Unde signatur contra supra, de decim., ex parte tua 2. Illud intelligitur cum aliquis obtinet decimas per privilegium, in quod casu debet habere novalia, quia ex quo eis concessae fuerunt decimae simpliciter, et novalia quae postea ibi surgunt, infra, de privileg., quia circa. Nam verbo generali simpliciter posito significabit decimas praesentis temporis et futuri, ff. de servitu. urb. praed., si servitus; et C. quae res pign. oblig. poss., si quis; et 19. dist., si Romanorum. Sed hic loquitur cum habet decimas ex praescriptione, quia per hoc non praescribit novalia. Et sic intelligitur capitulum sequens infra, de decim., cum in tua. Sed hoc intellige allegato titulo et probato infra, de decim., dudum; et in quadam decretali extra compilationem quae incipit supra, de praescrip., extravag. venerabilium.

Rationabilis causa
Puta privilegium aliud non possent ostendere, cum de iure communi pertineant ad parochiales ecclesias, ut supra, de decim., ex parte tua 2. Et praescriptio allegari non potest. Ber.

X 3.30.30 *Cum in tua*

Minutas
Minutae decimae appellantur partus animalium, et de pullis, ovis et hortis, ut supra, de decim., ex parte canonicorum. De quibus etiam loquitur supra, de decim., ex multiplici.

Ab antiquo
Quia praescripserunt decimas illas, supra, de decim., cum contingat. Ber.

Censeri
12. q. 2, cognovimus; et infra, de privileg., quia circa; et supra, ex parte tua 2; ff. de usucap., eum qui, in fi. Arg. contra ff. de peculi., hinc quaeritur § 1, ubi dicitur quod peculium quandoque duplici iure consetur. Ber.

X 3.30.31 *Dudum*

Decimas
Sine inquietatione, ut libere percipi posset. Talis videtur fuisse petitio per sententiam latam, ut dicitur in fi. Ber.

De iure communi
Sic 16. q. 7, omnes basilicae; et 18. q. 2, monasteria. Item videtur hic quod de iure communi pertineat perceptio decimarum ad episcopum. Sed contra supra, de decim., cum in tua; et supra, de decim., cum contingat, ubi de hoc dictum est. Vel potest dici quod videtur verius quod haec allegatio non ponit ius quantum ad decimas, et sic nullum contrarium. Et de consuetudine loci pertinebant hae decimae ad episcopum et non de iure communi. Sed quantum ad ecclesias quas petebat episcopus, fundata erat intentio sua de iure communi. Verius puto quod decimae istae non erant infra certam parochialis ecclesiae, licet dicatur infra quod pertinebant ad ecclesiam sancti Stephani, ut dixi supra, de decim., cum contingat, in glossa quae incipit: patet hic.

Quem allegavit probaret
Hic aperte videtur quod qui allegat praescriptionem, tenetur probare titulum, ex quo habuit causam praescribendi, supra, de probat., licet., arg. Et expressum videtur supra, de praescrip., si diligenti. Nam secundum canones longa et longissima praescriptio non differunt, sed in longa praescriptione oportet probare titulum, C. de praescri. long. temp. dec., diutina; C. de usuca. pro her., usucapio. Ergo et in longissima secundum canones. Arg. contra supra, de praescrip., quoniam; et supra, de praescrip., vigilanti, ubi dicitur sufficere bona fides. Et est contra id quod dici consuevit, quod sufficit allegare titulum, sed non oportet probare. Io. dixit quod isti erant suspecti, et ideo oportuit eos probare titulum et iustum, quia propter suspicionem quandoque transfertur probatio in alium qui alias non cogitur, supra, ut eccl. ben., ut nostrum, ubi de hoc notatur. Sed super hoc dic ut dixi in capitulo supra, de praescrip., si diligenti, ubi invenies in quo casu probari debeat titulus et in quo non.

Concessionem praedictam
Quam si Papa ex certa scientia confirmasset, valuisset et ex ea sumpsisset vigorem, licet ex se nulla fuerit, arg. supra, de pact., quotiens; supra, de transact., sicut; et 96. dist., bene quidem; et 2. q. 1, in primis. Ber.

Non potuerint aliis
1. q. 7, Daibertum; infra, de don. int. vir. et uxor., nuper. Quia pro non dato habetur quod ab illo donatur qui non potest de iure donare, infra, de iure patron., quod autem, in fi. Arg. contra ff. de acq. rer. dom., non est novum; ff. de usufru., quod nostrum; ff. de contrah. empt., rem alienam.

Possidere
16. q. 7, decimas quas in usum; et supra, de praescrip., causam quae, quia spiritualia non cadunt in laicum, supra, de elect., sacrosancta; et supra, de elect., Massana; 96. dist., bene quidem, vers. numquam licuit laico anathematizare.

Nullatenus derogetur
Numquam enim intelligitur derogari iuri alterius, nisi hoc exprimatur, 85. dist., Florentinum; et 99. dist., ecce; supra, de auctor. et usu pal., ex tuarum; et supra, de offi. deleg., super eo. Ber.

Prohibemus
Ex hac sententia videtur quod actum sit iudicio uti possidetis, et ex eo quod dicitur supra in principio: non permitterent solvi. Per petitionem episcopi videtur actum petitorio. Sed standum est sententiae, talia enim sunt subiecta, qualia permittunt praedicta. Ber.

X 3.30.32 *In aliquibus*

Compellantur
Pactum enim non nocet ecclesiae, quin a quolibet possessore possit petere decimam, quia est onus quod sequitur ipsam rem, supra, de decim., pastoralis; et supra, de decim., dudum; supra, de pact., plerique; ff. de pacti., inter debitorem; ff. de institut. act., si cum villico. Arg. contra ff. de pacti., epistola § pactum. Si possessor partem fructuum recipit et dominus partem teneat, uterque conveniendus est, supra, de decim., a nobis; et supra, de decim., tua 2.

Ex lege divina
Quas dominus suo dominio servavit, et tamquam debita requiruntur, supra, de decim., parochianos; et supra, de decim., tua 2; et 16. q. 1, decimae. Ber.

Loci consuetudine
Sic ergo attenditur consuetudo in decimis. Nec mirum, quia et in baptismo attenditur, de conse. dist. 4, de trina. Et in matrimonio, infra, de cognat. spir., super eo. Et merito servatur consuetudo, quia aeque punitur transgressor consuetudinis sicut transgressor legis, 11. dist., in his. Et hoc potest intelligi de consuetudine illa, de qua habuisti supra, de decim., cum sint homines; et supra, de decim., ad Apostolicae, ubi de hoc. Et dic de consuetudine approbata et praescripta, alias non obesset consuetudo, supra, de consuet., cum tanto. Si vero consuetudo est quod detur duodecima pars vel minor, talis consuetudo non sufficit nisi sit approbata a Papa. Quia non valet talis consuetudo quae absque mortali peccato servari non valet quantumcumque longa, supra, de praescrip., quoniam. Sed hic non potest habere bonam fidem, quia de iure divino debentur, et ita non posset praescribere, ergo nec consuetudo ibi locum habere potest. Hoc dico in laicis, quia clerici vel ecclesia contra clericos non solum partem praescribere potest, sed etiam totam decimam. Unde dicit decretum: qui minus dedit decimas, modo emendet, 16. q. 7, quicumque recognoverit. Ber.

X 3.30.33 *Cum non sit*

Praecedat solutio
Quia ut hic dicitur, illas sibi Dominus in signum universalis dominii reservavit, supra, de decim., tua 2. Et ideo sine aliqua diminutione expensarum sunt solvendae, ut ibi dicitur, et supra, de decim., cum homines. Sed non refert multum utrum praecedat solutio

decimarum exactionem tributorum vel census, quia solvere dominus de parte sua et colonus de sua tenetur, supra, de decim., a nobis; et supra, de decim., tua 2. Responderi potest, licet uterque conveniri possit, melius et commodius est ecclesiae convenire unum quam plures, ff. de exerc. act., utilitatem § ulti.; et ff. de exerc. act., ne in plures. Et distinguitur in casu isto utrum dominus percipiat certam partem, tertiam vel quartam, sive duos corbes vel tres tantum. De hoc dicitur supra, de decim., tua 2.

Cum onere
Sic supra, de decim., pastoralis; ff. de contrah. empt., alienatio; et supra, de pignor., ex litteris. Ber.

X 3.30.34 *Nuper abbates*

Forte pro monasteriis noviter
Et ita in casu isto obtinet adhuc privilegium antiquum.

Tales
Scilicet de quibus decimae solvi debeant. Ber.

Committantur
Interim antequam aedificentur ecclesiae, ut illi coloni solvant decimas de illis terris. Idem esset si ipsi iidem colerent eas, infra eodem capitulo.

Componendum
Et sic compositio in decimis potest fieri per sacerdotem, supra, de decim., ex multiplici. Quae personalis videtur nisi per superiorem fuerit confirmata, supra, de transact., veniens. Sed numquid Cistercienses et alii monachi non habentes populum possunt praescribere decimas? Non videtur, quia decimas de iure habere non possunt, ut 16. q. 1, pervenit. Ergo eas non possunt praescribere, supra, de praescrip., causam quae. Sed videtur hic ex quo nomine compositionis eas possunt habere, quod eas possint praescribere. Satis posset sustineri quod non possint praescribere decimas, ut in praedicto capitulo supra, de praescrip., causam quae; et supra, de decim., dudum. Decimae enim intuitu divini officii tantum debitae sunt iure divino, supra, de decim., tua 2. Sed isti nemini subministrant spiritualia, et decimae istis tantum per privilegia conceduntur, quia de iure communi eas habere non possunt. Alias superfluum esset privilegium, quia quae de iure communi competunt, superfluum est precibus impetrare, C. de thesaur., nemo, lib. 10; ff. ad municip., municipem. Unde si isti allegarent praescriptionem, necesse haberent ostendere titulum qui eis daret causam praescribendi, supra, de decim., dudum, quae loquitur de Hospitalariis Hierosolymitanis, qui de iure communi decimas possidere non possunt. Et ideo in his personis quae de iure communi possidere non possunt, necessarius est titulus, et sic potest intelligi, supra, de praescrip., si diligenti, ubi de hoc.

Alios
Hic habes argumentum quod res inter alios acta aliis praeiudicat.

X 3.30.35 *Interdicimus*

Ad alienas
Istud potest intelligi de decimis laicis in feudum concessis, ut nulla persona ecclesiastica ad quam non pertinent, recipiat illas in pignus. Ut si penes laicum remaneant, citius redeatur ad ecclesiam ad quam pertinent saltem post mortem, cum in decimis non habeat locum successio, supra, de decim., ad haec. Licet succedant heredes in decimis antiquitus concessis in feudum. Et hac ratione sufficit si laicus de consensu episcopi decimas tales alii ecclesiae donaverit, supra, de his quae fi. a prael., cum Apostolica. Ecclesia vero ad quam pertinent bene potest eas in pignus recipere, quia per hoc citius rehabebit decimas suas, cum tunc non teneatur computare fructus in sortem, infra, de usur., plures; et infra, de usur., conquestus; et supra, de feud., insinuatione. Idem esset et multo fortius si laicus de facto tantum decimas retineret. Et haec fuit prohibitionis causa, ut per hoc provideretur ecclesiis ad quas istae decimae pervenire debent.

X 3.31 DE REGULARIBUS ET TRANSEUNTIBUS AD RELIGIONEM

X 3.31.01 *Nullus tondeatur*

Nullus tondeatur
Scilicet ad profitendum ut sic sit monachus, 20. q. 1, illud. Clericus tamen post septimum annum potest fieri, quia tunc est doli capax, 28. dist., de his; et 77. dist., quicumque; et 77. dist., in singulis. Sed arg. contra supra, de praeben., super inordinata. Ibi dicitur quod pueri non sunt idonei ad beneficium obtinendum.

In legitima aetate
Scilicet quatuordecim annorum.

Spontanea voluntate
Quia si coactus, non valeret, 20. q. 3, praesens clericus.

X 3.31.02 *Si quis ante*

Tonsuratus
Ut fiat monachus vel regularis canonicus, 20. q. 2, si in qualibet.

Infra annum
Et diem, 20. q. 2, puella. Et tutor contradicere potest infra idem tempus, ut ibi dicitur.

Ad principem
Id est, ad Papam, de conse. dist. 1, corpora; vel ad principem, id est, ad praelatum ecclesiae. Ber.

Ad missum
Id est, vicarium episcopi qui gerit vices suas, supra, de instit., ex frequentibus.

Permaneat
Quo ad parentes, quia post annum filium revocare non possunt, ut hic patet, et 20. q. 2, puella. Ipse vero puer quandocumque usque ad finem quarti decimi anni posset resilire, infra, de regular., significatum; et infra, de regular., cum simus. Postea vero non poterit exire, 20. q. 1, illud.

Per vim
Illatam sibi a parentibus.

Clericus
Id est, monachus.

Permaneat
Quia ex mora tanti temporis praesumitur consensisse. Et intellige si potuit reclamare, infra, de spons., ad id quod; et 1. q. 1, constat; infra, de despon. impub., de illis 2. Alias non teneret monachatus, supra, de his quae vi met. caus. fi., perlatum.

X 3.31.03 *Ut clerici qui*

Fingunt
Nota quod fictio sive simulatio quandoque fit ex honesta causa, quandoque ex inhonesta. Ex honesta causa 22. q. 2, utilem; et 23. q. 2, dominus. Et si aliquis simulat religionem ex honesta causa, ita quod protestatio praecedat, non nocet, supra, de his quae vi met. caus. fi., perlatum, ubi de hoc. Simulatio vero ex inhonesta facit monachum, et compellitur redire ad monasterium propter dolum suum, 27. dist., quod interrogasti; 27. q. 1, vidua; et infra, de regular., vidua. Ita isti clerici fingunt se monachos ex honesta causa ab initio, ex qua datur eis optio. Sic etiam dico in matrimonio quod si aliquis per dolum eo proposito copuletur alicui mulieri, quod nolit stare legitime cum ea, et hoc sit paratus probare, non est audiendus, quia in sponsalibus sive matrimoniis recurritur ad communem intelligentiam verborum, infra, de spons., ex litteris 1. Argumentum est hic ad quaestionem illius qui finxit se mulierem, et suscepit habitum in monasterio monialium, ut possit corrumpere monacham, et in capitulo 27. dist., quod interrogasti. Ber.

Veri clerici
Et sic datur eis optio, utrum velint esse clerici vel monachi. Simile supra, de elect., cum causam; et arg. 16. q. 1, nemo potest. Arg. contra infra, de regular., vidua; et 27. dist., quod interrogasti, ubi compelluntur in monasterio remanere. Sic potest solvi: hic constabat eos tales esse, licet starent in habitu monachali. In contrariis non constabat, immo tamquam veri monachi stabant et se gerebant, unde non audiuntur volentes iurare contrarium.

X 3.31.04 *Vidua si sponte*

Sponte
Secus si per vim, supra, de his quae vi met. caus. fi., perlatum. Tanc.

Imposuerit
Ipsamet vidua velum conversionis sibi potest imponere, ut hic patet, et 27. q. 1, viduas. Potest etiam illud recipere a sacerdote, infra, qui cler. vel vov. matr. contr. poss., consuluit; et 20. q. 1, vidua; aut ab episcopo, supra, de his quae vi met. caus. fi., perlatum. Velum vero consecrationis a nullo recipiunt, 20. q. 1, devotis. Solae enim virgines consecrantur, ut 20. q. 1, devotis; et 20. q. 1, placuit.

Oblationem Deo obtulerit
Respicit loci consuetudinem, ubi forte velatae offerunt panem ad Eucharistam conficiendam. Simile 27. q. 1, vidua. Et ita eo ipso quod sic stetit in ecclesia cum aliis, monacha iudicatur, 17. dist., quod interrogasti; et 20. q. 1, quem progenitores. Si vero alias habitasset ibi etiam longo tempore, non iudicaretur monacha, in Auth. haec constit. interpret., circa medium, coll. 6. Et ideo consuevit dici quod habitus sine professione non facit monachum, infra, de regular., porrectum.

Licet sacramento
Scilicet tantum. Sed si adiuvetur aliis bonis praesumptionibus et persona honesta sit, tunc forte ad plenam probationem posset sibi deferri sacramentum, C. de reb. credit., in bonae fidei; supra, de probat., sicut; supra, de iureiur., iuramentum. Et etiam sine iuramento si haberet alias probationes, supra, de his quae vi met. caus. fi., perlatum. Vincen. Sed haec vidua non potuit probare per legitimas probationes, sed allegabat fictionem ex alia causa honesta et iurare volebat. Sed iuramentum suum non sufficit, et ideo remanet in monasterio. Et secundum hoc intelligitur illud capitulum et illa palea, 27. q. 1, viduas autem velare. De fictione ex honesta causa, alias si fictio ex inhonesta causa fuisset, nulla probatio istius audiretur propter dolum suum, etiam si illud probaretur. Sic potest intelligi capitulum illud 27. dist., quod interrogasti, ut dicitur supra, de regular., ut clerici. Quicumque ergo ficte monasterium vult intrare ex honesta causa protestetur illud praesentibus testibus, ut fecit illa in capitulo supra, de his quae vi met. caus. fi., perlatum. Et capitulum illud 27. dist., quod interrogasti, potest intelligi in eodem casu cum ista decretali, ut intelligatur de fictione ex honesta causa. Sed mulier illa hoc probare non potuit, et ideo compellitur redire ad monasterium, prout intellexit Hug. Ber.

X 3.31.05 *Ioannes frater*

Monasterium
Hoc capitulum loquitur de his qui causa levitatis transeunt, alias licitum esset transire ad arctiorem religionem petita licentia, licet non obtenta, infra, de regular., licet.

Peculiare
Nisi causa administrationis, infra, de statu monach., monachi. Alias nisi in morte resignaverit, cum ipsa pecunia in sterquilinio subterretur, infra, de statu monach., cum ad monasterium.

X 3.31.06 Quia in insulis (rev. 9/23)

Reddatur

Quem tenetur abbas recipere, ne vagabundus in anima incurrat detrimentum, et compellitur abbas si noluerit, infra, de regular., ne religiosi; et arg. 18. q. 2, abbates. Item signatur contrarium 27. q. 1, si qua monacharum; et 27. q. 1, si quis rapuerit, ubi dicitur quod monachi delinquentes debent tradi arctiori monasterio. Solutio: illa intelliguntur cum priora monasteria redarguuntur de dissolutione. Quid hodie debet fieri de istis fugitivis dicitur infra, de regular., ne religiosi.

X 3.31.06 *Quia in insulis*

Quia

Hoc capitulum in quibusdam libris habetur pro palea, 20. q. 1, quia autem.

Pueros

Nota quod puer dicitur usque ad octavum decimum annum, infra, de despon. impub., puberes.

Octavum decimum annum

Hoc speciale est propter asperitatem locorum. Alias regulare est, quod post tempus pubertatis tam masculi quam feminae possunt profiteri, 20. q. 1, firma; et 20. q. 2, si in qualibet; et 20. q. 2, puella.

X 3.31.07 *Non est vobis*

Permittatis

Et merito, quia qui mutat locum, de minori ad maiorem mutare debet, 93. dist., legimus, in fi.; supra, de translat., licet; et supra, de translat., cum ex illo. Et hoc ideo praecipitur, quia non reperitur ordo arctior, et pro eo quod dicit, licentia, supple maxime, quia nec abbas posset in hoc dispensare, ut ad minorem transiret. Vel intellige quod de licentia abbatis posset transire ad aequalem iusta de causa.

Celeriter

Post admonitionem. Et celeritas ista ad arbitrium iudicis refertur, ex quo non determinatur, supra, de offi. deleg., de causis; ff. de iure delib., si servus, in fi. De istis vagabundis tene ut dicitur infra, de regular., ne religiosi.

X 3.31.08 *Ad nostram noveris*

Statim poenituit

Argumentum non dici factum quod non durat, 1. q. 1, constat; ff. quod cum eo qui in alien. pot., si filius; ff. de in rem ver., si pro patre § versum; et 23. q. 6, vides. Arg. contra, quia ex quo semel placuit, amplius displicere non potest, 32. q. 5, horrendus; C. de contrah. empt., non idcirco; et 4. dist., erit autem; et 4. dist., in istis; et 8. q. 2, dilectissimi. Solutio: ubi constat de facto et eius qualitate, non est quaerendum de eius perservantia. Nam sufficit quod ab initio constitit. Cum vero constat de facto, sed de

intentione nescitur, recurrimus ad praesumptionem perservantiae, ut in casu isto et consimilibus.

Ante consummationem
Nota ex hoc verbo, quod in casu isto annus incoeptus pro completo non habetur, 20. q. 1, illud; et 20. q. 2, si in qualibet; et infra, de regular., significatum; et in alio casu supra, de elect., cum in cunctis. Arg. contra ff. de muner. et honor., ad rem publicam; et 78. dist., presbyter; et in capitulo praedicto supra, de elect., cum in cunctis § inferiora. Solutio: in dignitatibus favor consideratur, et ideo annus incoeptus pro completo habetur. Sed in episcopo est speciale in regulae observatione gravitas est et labor, et sic odium. Et ideo annus completus exigitur, arg. supra, de regular., quia in insulis.

Triduum
Arg. contra 20. q. 1, firma; et 27. q. 1, per totum; 20. q. 3, eos qui semel. Solutio: quidam dicunt quod istud dispensative dictum est, alias regulare est, quod pubes ingrediens etiam post momentum exire non potest, ut dicunt contraria. Sed haec solutio non valet, quia contra votum continentiae non admittitur dispensatio, quia continentia castitatis et abdicatio proprietatis ita inhaerent ossibus monachorum, ut nec summus Pontifex valeat dispensare, infra, de statu monach., cum ad monasterium, in fi. Dicas ergo quod iste sine deliberatione et ex mentis impetu intravit et illectus fuit. Et ita quo ad Deum non fuit obligatus, qui considerat cor et non opus, 14. q. 5, si quid invenisti; et 15. q. 6, si quandoque, in fi. Et ideo nec apud ecclesiam, cum habeat certa indicia de tali voto facto impetuose, ex eo quod sine probatione habitum suscepit, et quia infra triduum poenituit, et quia prope pueri pueritiam fuit. Iure ergo communi ecclesia ipsum absolvere debuit, et ita non fuit obligatus quantum ad Deum et eius ecclesiam, arg. 22. q. 4, unusquisque; et 15. q. 1, sane; arg. 17. q. 4, sunt qui opes. Ber.

X 3.31.09 *Super eo quod*

Susceperunt
Eo animo, ut ad saeculum non redirent nulla facta ibi professione, infra, de regular., statuimus. Ita quod de hoc constabat, ut ibi dicitur.

Ne contra votum
Quo renunciaverunt saeculo generaliter nondum facta professione alicuius religionis, unde cogendi sunt remanere vel ibi vel ad mitiorem transire, si sponte voluerint, ut hic dicit, et infra, de regular., consulti.

Habitum
De quo praemisit, ex quo renunciaverunt saeculo.

Redire
Moribus emendatis, infra, de regular., consulti. Ber.

In eadem veste
Sed in qua veste positi in probatione debent esse? Videtur quod in illa in qua venerunt, 53. dist., legem; et 54. dist., multos, in fi.; arg. 17. q. 2, si quis incognitus. Dic quod in monachali habitu, ut hic dicitur, et infra, de regular., statuimus. Alioquin non posset probare austeritatem monachalem, quae in vestibus pro magna parte consistit. Et quod dicitur hic in fine, in eadem veste redeant in qua venerunt, sic intellige quia finita probatione si noluerint ibi remanere, restituentur eis vestes cum quibus venerunt, et cum eis recedent, et sic servatur pro regula monachorum. Et capituli quae dicunt quod probari debent in veste laicali non servantur, sed intelligas de veste in qua venerunt. Vel dic in veste laicali, id est, in veste novitiorum qui sunt in probatione, quae differunt ab illis quae dantur profitentibus, infra, de regular., statuimus.

X 3.31.10 *Sane de canonico*

Remanere permittas
Sed contra videtur 19. q. 3, mandamus, ubi dicitur quod si canonicus regularis ad monasterium transeat, ad canonicam reducatur et in vituperium memoriale cucullam portet. Sed illud intellige quando causa levitatis vel vanitatis non petita licentia transit, hic quando causa maioris religionis et bono zelo, infra, de regular., licet. Ber.

X 3.31.11 *Significatum est nobis*

A parentibus oblatus
Si fuisset a parentibus oblatus, ante quartum decimum annum exire non debuit, sed post quartum decimum annum ibi stare non cogitur, infra, de regular., cum simus. Alias si non fuisset traditus a parentibus, quandocumque vellet, posset exire, ut hic innuitur.

Fuerit oblatus
Supple maxime. Ber.

Intravit
Quia tunc tenet quod fecit, 20. q. 1, illud.

Ratam habuerit
Quod intellige si expresse consentiat. Immo certe etiam tacite si ultra illud tempus remaneat, infra, de despon. impub., litteras; et infra, de despon. impub., accessit. Tamen causa maioris certitudinis in principio quinti decimi anni eius voluntas requirenda est, 20. q. 1, illud. Et sic servant plures religiosi, et bene. Item est hic arg. quod ea quae ab initio non valent, tractu temporis convalescunt. Simile infra, de despon. impub., de illis 2. Sed dic valet ut ex nunc, sed non ut ex tunc, ff. de off. procon., observare, in fi.

Ad aliam religionem
Hoc non videtur probare, quia si fecit professionem ibi, ad aliam postea minorem transire non potest, arg. supra, de regular., non est. Sed dic ad aliam eiusdem religionis vel maioris.

X 3.31.12 *Cum virum*

Utrum
Supple hic, quaesivisti.

Discretionis annos
Id est, infra annos ad votum vel matrimonium contrahendum aptos, qui in puella duodecim, in puero quatuordecim sunt, ut 20. q. 1, firma; et 20. q. 1, addidistis. Nam ante dicuntur carere iudicio, ff. de iud., cum praetor § non autem; et 3. q. 7, infamis § tria, in princ. Et dic iudicio, id est, discretione. Sed quo ad beneficium restitutionis implorandum, usque ad quintum vigesimum annum dicitur esse fragile et infirmum huiusmodi aetatis consilium, ff. de minor., hoc edictum. Laur.

Concilii Toletani
20. q. 1, monachum.

Paterna devotio
Paterna devotio quandoque facit monachum occasionaliter, aliquando enim filius obtemperat voluntati paternae ex debito honestatis, non necessitatis, 20. q. 1, illud; et 20. q. 1, puellae. Sic et in matrimonio intellige infra, de despon. impub., tua nos. Alias non cogitur filius ad hoc obtemperare patri, ut hic, et in praedicto capitulo 20. q. 1, puellae; et infra, de regular., cum simus. Quia res est voti, non praecepti, 32. q. 1, integritas; et 32. q. 1, puellae. Et expone aut pro et, quia paterna expositio sit, C. de ver. sig., statuae, ubi aut ponitur pro et.

Quicquid horum
Ex hoc verbo videtur quod per se sufficiat alterum istorum. Sed non est verum. Unde sic intellige, paterna devotio cum ratihabitione filii adulti sufficit. Propria professio filii sine patris devotione sufficit. Et ita si incipias a primo, utrumque necessarium est. Si a secundo sufficit secundum tantum. Similiter supra, de rescript., olim.

Recipiunt
Sed quid si ante reciperent? Respondeo: non obstat exire volenti, quia non tenet professio infra discretionis annos, 15. q. 1, illud; et 15. q. 1, merito; supra, de regular., significatum; et infra, de regular., cum simus. Sicut nec matrimonium, nisi malitia suppleret aetatem, infra, de despon. impub., puberes; et infra, de despon. impub., a nobis; et infra, de despon. impub., tuae nobis.

Roboratur
Arg. quod ea quae ab initio non tenent, tractu temporis convalescunt. Sic supra, de regular., significatum; et infra, de despon. impub., de illis 2; 1. q. 1, constat. Dic quod ex nunc incipit valere, et non ex tunc, ut dixi supra, de regular., significatum.

Nec obloquitur
Hic respondet tacitae quaestioni, quae posset fieri per capitulum illud 20. q. 1, puellae, a contrario sensu, ubi dicitur quod puellae quae suscipiunt habitum virginitatis non coactae

imperio parentum, deserere non possunt habitum susceptum. Ergo si coactae fuissent, a contrario sensu bene possunt deserere. At ista fuit coacta, ergo non debet compelli redire ad monasterium. Non obstat illud capitulum a contrario sensu inductum, quia illud intelligitur de adultis, qui non possunt habitum semel susceptum relinquere, et hic loquitur de ea, quae adhuc erat infra annos discretionis, quae facta adulta professionem fecit, nec contradixit. Vel si coacta fuit, postea consensit, unde exire non potest. Et est simile C. quod metus cau., cum te; supra, de his quae vi met. caus. fi., ad audientiam.

X 3.31.13 *Porrectum nobis*

Non faciat monachus

Hic evidenter apparet quod habitus non facit monachum, sed sola professio regularis. Sic infra, qui cler. vel vov. matr. contr. poss., consuluit; et infra, de regular., ex parte; et supra, de regular., ut clerici. Sed contra videtur 27. dist., quod interrogasti; et supra, de regular., vidua; et supra, de regular., super eo. Solutio: illud verum est quod habitus sine professione non facit monachum, sola enim professio vera vel praesumpta monachum facit et solemnizat votum. Dicas ergo quod quicumque facit professionem in manu abbatis, seu etiam alicuius monachi, et ubicumque dummodo recipiatur eius professio ab abbate et fratribus monachus est, et solemnizatum est votum illius, infra, qui cler. vel vov. matr. contr. poss., insinuante, et hic. Et illa capitula 27. dist., quod interrogasti; et supra, de regular., vidua, intelliguntur de praesumpta professione, ex quo enim morantur inter alias moniales et gerunt se tamquam monachas, monachae sunt censendae, 20. q. 1, quem progenitores. Et quia ab initio eo proposito et eo animo intraverunt, ut monachae essent tacite, ex quo nullam protestationem fecerunt. Et multo tempore ibi fuerunt, saltem per annum in habitu professorum, infra, de regular., ex parte. Unde postea non audiuntur etiam si velint iurare contrarium. Illud capitulum supra, de regular., super eo, intelligitur de illis qui habitum recipiendo renunciaverunt saeculo tacite vel expresse, ut ibi dicitur, et infra, de regular., consulti; et infra, de regular., statuimus. Quod in eodem casu loqui videtur cum illo capitulo infra, de regular., consulti.

Professio

Quae hic intercessit, ex eo quod dicit, iunctis manibus tibi se reddidit in monachum et in fratrem, saltem tacite, licet forte non expressit formam professionis quam habes 20. q. 1, vidua. Et perinde fuit ac si formam illam servasset. Sed littera sequens videtur contradicere huic, ubi dicit: talis ut fiat monachus, et reddat Domino quae promisit etc. Sed tu expone fiat monachus, id est, stet et vivat ut monachus. Vel intellige quod votum fecit solummodo ut fiat monachus tradendo se in manus abbatis, ut infra, de voto et vot. redem., per tuas, ubi fuit similis promissio. Et hoc probat littera illa ex quo a convertendo votum emittitur, ut scilicet fiat monachus. Talis ergo qui sic promisit et vovit quod intrabit religionem, compellendus est ut fiat monachus, et reddat Domino promissum et votum suum. Et sic plane sonat littera. Et ita collige ex hoc quod qui promittit se intraturum aliquam religionem, tenetur complere promissum, et potest et debet compelli, infra, de voto et vot. redem., per tuas. Quod prius dixit verius puto, quia reddendo se in manibus abbatis in monachum et fratrem, statim fuit monachus.

X 3.31.14 *Cum simus*

Discretionis
Dic de hoc ut est supra, de regular., cum virum.

Ad annos discretionis
Quatuordecim scilicet annorum, quia tunc liberum est ei stare si voluerit remanere, vel recedere si ei non placet, 20. q. 1, illud; et 20. q. 2, si in qualibet.

Et bona paterna
Quibus privari non potuit legitima iure naturae reliqua parte monasterio competente, quae in ipso ingressu competit, 19. q. 3, si qua. Quae erit tertia illius partis, quae sibi ab intestato debetur, vel medietas secundum numerum filiorum, C. de inoffic. testam., authen. novissima.

Proveniunt
Supra, de testamen., Raynutius; et supra, de testamen., Raynaldus, ubi de hoc.

X 3.31.15 *Sicut tenor*

Repugnantia
Unde non videbatur audiendus, supra, de appell., sollicitudinem; 23. q. 7, quod autem; C. de liber. caus., cum precum.

Extra mentem
Si autem integrum haberet iudicium, licet gravissimam pateretur infirmitatem, bene obligaretur si voveret, arg. Inst. quib. non est perm. test. fac. § praeterea. Tenetur autem hoc probare, scilicet se tunc temporis extra mentem fuisse, supra, de succ. ab intest., cum dilectus. Arg. contra 3. q. 9, indicas. Laur.

Habitu monachali
Ita quod votum fecessit, quia solus habitus non facit monachum, sed professio, supra, de regular., porrectum; et infra, de regular., ex parte.

Absolutum
Et ita nullum est votum, sive obligatio quae fit mente alienata. Sic 17. q. 2, Gonsaldus.

X 3.31.16 *Ad Apostolicam sedem*

Anni
Ut 17. q. 2, Gonsaldus. Quandoque tamen statuitur biennium, 19. q. 2, monasteriis. Quandoque triennium, 18. q. 2, si quis incognitus, quia diversa tempora statuuntur. Videtur esse arbitrarium quod satis potest concedi, quia etiam statim posset recipi, et renunciare beneficio huius probationis, ut infra eodem capitulo dicitur, et infra, de regular, statuimus. Dici consuevit quod clericus ignotus et laicus notus probantur per biennium. Sed clericus notus per annum, laicus ignotus per triennium, et sic intelligi

consueverunt capitula praedicta. Sed non credo quod hodie servetur illa diversitas, immo quilibet statim potest admitti, ut dictum est. Ber.

Monasterii
Ergo alter altero invito huic beneficio renunciare non potest, quod est verum quia communiter in favorem utriusque introductum fuit. Et quod favore alicuius introductum est, in odium eius non debet retorqueri, C. de legi. et const., quod favore. Et in re communi potior est conditio prohibentis, ut arg. ff. de servitu. rust. praed., per fundum; et ff. comm. divid., Sabinus. Tanc. De communi tamen consensu potest uterque renunciare iuri suo, ut hic dicit, cum sit personale et singulare beneficium, supra, de offi. deleg., gratum; C. de pacti., si quis in conscribendo; ff. de minor., si iudex; et 7. q. 1, quam periculosum. Secus si esset commune beneficium et favore omnium introductum, supra, de for. compet., si diligenti, ubi de hoc; et 4. q. 3, si testes § item parentes.

Obtinent roboris firmitatem
Ut 17. q. 2, nos novimus; et 27. dist., si vir; et 2. q. 6, biduum. Ber.

Prohibendum
Quia grave est inexpertos Dei servitio applicare, 19. q. 3, monasteriis; C. de re milit., contra publicam, lib. 12; et ff. de vac. mun., praetor § ulti. Et tenetur quis de mala electione, arg. 23. dist., tales; ff. naut. caup. stab., debet § 2; C. de colon. Illyr., colonos, lib. 11, ubi tenetur quis eo ipso quod admisit ignotum.

Corrigendi
Arbitrio iudicis ex quo poena non adiicitur, supra, de offi. deleg., de causis; ff. de iure delib., si servus, in fi.

X 3.31.17 *Sicut nobis fuit*

De morte securus
Si tamen sanae mentis fuit, alias non obligaretur, supra, de regular., sicut tenor; 17. q. 2, Gonsaldus; 32. q. 7, neque furiosus; et C. de transaction., sana mente. Sed quaeritur quare alias timor mortis impedit monachari, supra, de his quae vi met. caus. fi., perlatum, et non hic? Respondeo: monachatur ibi ut evadat mortem corporis. Hic non monachatur ut evadat mortem corporis, sed potius mortem animae. Io.

Bonis suis
Quondam si tenuit monachatus. Sic 27. q. 1, si quis rapuerit; et infra, qui cler. vel vov. matr. contr. poss., insinuante.

Et scientibus
Unde tenebantur eum revocare, infra, de regular., ne religiosi. Sed ad bona ipsius si mortuus esset, et ipsum non revocaverunt aspirare non deberent, quia quem vivum contempserunt, non possunt mortuum suum dicere, C. de Lat. libert. toll., cum dediticii § sed scimus; et infra, de infant. et lang. exp., si a patre. Ber.

Sua se professione
Alias solus habitus non facit eum monachum, supra, de regular., porrectum.

Tanto tempore
Nullus annorum numerus ipsum excusat, 33. q. 5, quod Deo pari. Immo tanto gravius delinquit, supra, de consuet., cum tanto; et infra, de simon., non satis. Et ridiculum esset, ut dicit lex, meliorem esse furis conditionem propter continuationem furti, ff. de fur., inficiando § infans. Io. Simile huic habes supra, de testamen., quia ingredientibus.

X 3.31.18 *Licet quibusdam monachis*

Monachis
Supra, de regular., non est.

Canonicis
19. q. 3, statuimus; et 19. q. 3, mandamus. Ber.

In ea vocatione
21. q. 1, clericus; 21. q. 2, placuit; et 7. q. 1, non oportet.

Sub lege
19. q. 2, duae sunt. Ber.

Ex temeritate
Adverte qualiter interpretatur privilegium istorum, scilicet quod nullus talium possit transire ad strictiorem religionem. Hoc est verum, ut dicit, temeritatis causa. Sic enim cum prohibetur iuramentum, temerarium tantum intelligitur prohibitum, 22. q. 1, ita ergo. Io.

Licentiam postulaverit
Sufficit ergo petere licentiam, licet non obtineatur. Sic supra, de arbitr., cum olim; et supra, de loc. et cond., potuit; C. de iure emphyt., cum dubitabatur. Arg. contra supra, de elect., cum in veteri. Et ad idem etiam posset induci circa principium. Sed quid si aliquis non petita licentia recesserit ad strictiorem vitam, numquid est revocandus? Consuevit dici quod non, dummodo levitatis causa non transeat, ut hic in fine innuitur. Sed obstat 19. q. 2, mandamus, et illud potest intelligi quando levitatis causa transit. Adhuc videtur contra supra, de aetat. et qualit., intelleximus, ubi transivit quidam sine licentia ad aliud monasterium, nec inde punitus videtur. Sed qualiter potest quis invito praelato suo personam suam alienare, cum rem alienare non possit, et maior sit alienatio personae quam rei, 12. q. 1, praecipimus; et 17. q. 1, voventibus. Cum forte clericus teneatur iuramento obedire, 8. q. 1, sciendum; et supra, de maior. et obed., cum in ecclesiis. Nec etiam potest peregrinari sine licentia sui episcopi, de conse. dist. 5, non oportet. Et saepe propter obedientiam bonum intermittitur, 11. q. 3, quid ergo. Cum obediendum sit ubicumque non est contra praeceptum Domini, vel dubium sit quod non contra praeceptum Domini sit, 23. q. 1, quid culpatur, in fi. Sed illud auctoritate canonis fit

instinctu Spiritus Sancti, et ita non constringitur per legem, 19. q. 2, duae; arg. infra, de divort., gaudemus.

Ex lege privata
Quae est amor Dei sive caritas, de qua dicitur: habe caritatem et fac quicquid vis, de poen. dist. 2, radicata. Laur.

Absolutus
Ab hac universitate excipitur uxor carnaliter cognita, impubes, et servus, infra, de conver. coniug., quidam; 20. q. 2, si in qualibet; et 20. q. 2, puella; et 54. dist., si servus. Item excipitur episcopus, infra eodem capitulo, vers. illa semper regula; et curiae adstrictus, 53. dist., legem.

Meretur amittere
11. q. 3, privilegium; 74. dist., ubi ista; C. de Iuda., Iudaeis; et C. de Iuda., Iudaeos. Ber.

Ex iusta causa petentibus sine difficultate concedat
Quae sit iusta causa et quae non, ostenditur supra, de renunciat., nisi. Io.

Superioris
Simile 11. q. 1, pervenit; infra, de iure patron., nullus; in Auth. de sanct. episc. § si a clero, coll. 9. Vincen.

Ita communis utilitatis
Simile 7. q. 1, scias; et in Auth. de restitut. et ea quae par. § licet, coll. 5; et supra, de postul. praelat., bonae 1. Hoc intellige cum per publicam non impeditur privata, quia ordinata caritas incipit a se, 23. q. 5, si non licet; et de poen. dist. 3, qui vult; et 19. q. 2, duae; 14. dist., quod ait; ff. de iud., si longius, in fi.; ff. de praescr. ver., qui servandarum. Sic non debet praelatus sua negotia praeponere negotiis ecclesiae, 12. q. 4, quicumque. De hoc etiam dicitur supra, de postul. praelat., bonae 1.

Sollicitudo contemplationi
Id est, vita activa, quae in hoc casu praeponitur contemplativae.

De Rachele
Rachel significat vitam contemplativam, quae est formosa sicut illa fuit. Lia significat vitam activam, quae fecunda est in sobole. Et ideo praefertur pulchritudini Rachelis, supra, de renunciat., nisi. Ber.

Corde puro
Quia praesumitur prima facie ex ipso facto, quod habet speciem boni, nisi praebetur contrarium, supra, de scrutin., ex parte; et supra, de praesump., dudum.

Non communicat alienus
Scilicet a caritate; de poen. dist. 1, resuscitatus § item ut Christus. Ber.

X 3.31.19 *Veniens ad Apostolicam*

Amitam cognovisset
Si hoc verum fuit, non fuit matrimonium quo ad Deum. Unde si probaretur, separentur, infra, de eo qui cog. consang., super eo; alias non separentur, ut infra, de eo qui cog. consang., de illo.

Illicitum iuramentum
Et ideo non servandum. Sic supra, de iureiur., tua nos 2. Sed numquid aliqui possunt licite se abiurare et promittere perpetuam continentiam? Videtur quod sic, quia talia matrimonia sanctiora sunt aliis, 33. q. 5, quod Deo pari. Ad hoc dicunt quidam, quod tali modo non possunt se abiurare ut remaneant in saeculo, nisi transeant ad religionem. Arg. infra, de conver. coniug., ex parte tua, ad fi. Io. contrarium dixit, et isti non abiuraverant se propter perpetuam continentiam, sed ut possent adulterari, et quod neuter illorum alterum accusaret. Talis abiuratio prohibetur hic, et supra, de iureiur., tua nos 2. Immo sine aliquo iuramento se possent obligare ad perpetuam continentiam, arg. praedicto capitulo 33. q. 5, quod Deo pari. Nullum enim iuramentum obstat, quin alter crimen alterius denunciare saltem possit, supra, de iureiur., quemadmodum.

Praefatam mulierem recipiat
Arg. contra infra, de divort., significasti. Sed hic locum habet, nihil mihi tu, vel ego tibi, nil Catilina Cethego, 32. q. 6, per totum; et supra, de iureiur., tua nos 2; et infra, de adult., intelleximus; et infra, de adult., tua. Io. Et ff. solut. matrim., viro. Ber.

Audituri postmodum
Et ita quaestio restitutionis praecedere debet, supra, de restit. spol., ex conquestione; et supra, de ord. cognit., super spoliatione.

Possit in suo proposito
Et compellenda esset in proposito remanere, si maritus vellet ratum habere vel observare propositum, arg. infra, de conver. coniug., quidam; et 33. q. 5, quod Deo pari. Io.

X 3.31.20 *Consulti sumus frequenter*

Novitii
Scilicet causa probationis. Habitus novitiorum debet discerni ab habitu professorum, infra, de regular., statuimus.

Vel noxa
Nota versum: noxia delictum, delinquens noxa vocatur. Quandoque tamen unum ponitur pro alio, ut hic. Unde melius dixisset noxia, Inst. de noxal. act., circa princ.

Distinguendum
Distinctio ista hodie non videtur habere locum per decretalem infra, de regular., statuimus. Ex quo enim simpliciter assumit habitum novitiorum, libere ante annum potest redire ad saeculum nisi evidenter appareat contrarium, ut ibi.

Absolute
Ita quod evidenter appareat, infra, de regular., postulasti.

In primo casu
Sic intelligitur supra, de regular., super eo, eo enim ipso quod absolute religionem intravit, licet non fecerit professionem. Intelligitur renunciasse saeculo, cum nullam praemiserit protestationem. Unde vel ibi remanere debet, vel ad laxiorem transire, ut dictum est in capitulo supra, de regular., super eo. Arg. contra infra, de regular., statuimus, ubi de hoc.

Saeculariter
Id est, dissolute, arg. 81. dist., dictum. Ber.

Remeare
Numquid licebit tali contrahere matrimonium ex quo licet ei redire ad saeculum? Dicunt quidam quod non, cum sit simpliciter vovens, 17. q. 2, nos novimus. Si autem contraxerit, tenet, 27. dist., si vir; 27. q. 1, nuptiarum; et infra, qui cler. vel vov. matr. contr. poss., rursus. Quod non est verum, quia nec fuit expressum votum, nec intendit continere, qui tantum sub conditione vovet, sicut nec obligatur qui sub conditione contrahit matrimonium conditione deficiente, infra, de cond. appos., de illis.

Protestetur
Quid si non protestetur, numquid praesumitur pro religione? Videtur quod sic, quia summa est ratio quae pro religione facit, ff. de rel. et sump. fun., sunt personae. Dixit Io. quod praesumi debet, quod potius voluerit absolute mutare saeculum quam conditionaliter, nisi protestatio praecedat. Et sic est hic arg. quod protestatio necessaria est, supra, de his quae vi met. caus. fi., perlatum; 31. q. 2, Lotharius; 7. q. 1, pontifices; et supra, de elect., Cumana. Arg. contra supra, de consti., cum M; et supra, de appell., sollicitudinem, ubi non valet protestatio illi qui contra illam facit, et ita praesumitur hic in dubio in securiorem partem, quia religio securior est, infra, de reg. iur., estote; ff. de regul. iur., semper in obscuris. Sicut cum dubitatur an aliquis sit excommunicatus, praesumitur ipsum excommunicatum, ut absolvatur saltem ad cautelam, et tunc postea debet abstinere ratione dubii, infra, de cleri. excom., illud; et infra, de sent. excom., per tuas. Sed contra videtur, ex quo assumit habitum novitii, nec facit professionem nec renunciat saeculo expresse, quod non intendit se obligare simpliciter, infra, de regular., statuimus, ubi de hoc dicitur, nisi evidenter appareat quod tales etc. Quod verum est, et sic intellige istam decretalem secundum illa.

X 3.31.21 *Postulasti*

Minoribus
Haec quaestio non habet dubitationem, quia si erant infra quartum decimum annum, non tenuit ingressus et ita possunt libere exire, supra, de regular., ad nostram; supra, de regular., significatum; et supra, de regular., cum simus; et 20. q. 1, illud. Sed tamen verbum istud dubium est, quia potest intelligi quod fuerunt infra quartum decimum

annum, et sic videtur quaestio, et quod fuerint minores viginti quinque et maiores quatuordecim, supra, de probat., in praesentia. Et tunc dicas quod non constabat evidenter, quod secundum vellent mutare quando habitum susceperunt, quare possunt redire ad pristinum statum, infra, de regular., statuimus. Si vis intelligere quod esset infra quatuordecim annos, haec potuit esse dubitatio, quia forte erant doli capaces. Et sic videbatur quod malitia suppleret aetatem, sicut in matrimonio carnali, infra, de despon. impub., a nobis; et infra, de despon. impub., tuae nobis. Quia et poterant se obligare diabolo, sic et Deo, infra, de delict. puer., pueris. Sed Papa respondet quod libere possunt ministrare in ecclesiis postea receptis, et sic non obligantur ante quartum decimum annum. Hug. vero dicebat quod bene obligatur doli capax et tenebat monachatus, quia poterat se obligare diabolo per illud capitulum infra, de delict. puer., pueris. Et Inno. iiii fuit in eadem opinione, qui in decretali ista respondet quod ingressus tenuit, si malitia supplebat aetatem, ut in antiqua decretali patet. Sed hodie non prodest. Ber.

X 3.31.22 *Ex parte tua*

Habitus
Supra, de regular., porrectum, ubi de hoc; et infra, qui cler. vel vov. matr. contr. poss., consuluit.

Diocesana
Id est, lege iurisdictionis. Nam regulares non subsunt episcopo quantum ad legem diocesanam, 16. q. 1, cum pro utilitate; sed lege iurisdictionis. Quae differentia sit inter legem diocesanam et legem iurisdictionis dicitur supra, de offi. ord., conquerente; et supra, de offi. ord., dilectus. Ber.

Duabus viis
Et male, quia in uno eodemque officio non debet esse dispar professio; 16. q. 7, in nona actione; et sic supra, de elect., cum causam. Et est simile quod dicitur, usquequo claudicatis in duas partes, 49. dist., sacerdotes. Et nemo potest duobus dominis servire, ut 26. dist., Acutius; et de poen. dist. 1, suscitatus § item ut Christus ait. Item arg. est quod allegans contraria non est audiendus, supra, de appell., sollicitudinem; 23. q. 7, quod autem. Et ideo isti non fuerunt auditi.

Per annum
Hoc ideo dicit, quia per annum debet quis esse in probatione antequam fiat monachus, 17. q. 2, Gonsaldus; et supra, de regular., ad Apostolicam. Nisi renunciet illi beneficio, ut ibi dicitur, et infra, de regular., statuimus. Qui ergo post annum remanet in habitu monachali et non reclamat, intelligitur tunc ipso facto tacite vovere, unde postea exire non potest, ut hic patet. Immo compellitur expresse profiteri, nisi protestatio praecessisset, supra, de his quae vi met. caus. fi., perlatum. Et haec est praesumptio iuris et de iure, ita quod non admittitur probatio in contrarium, ex quo nulla protestatio praecessit, 27. dist., quod interrogasti; supra, de regular., vidua; 20. q. 1, quem progenitores. Similis praesumptio est infra, de spons., ad id quod; et infra, de spons., is qui; et infra, de Iudae. et Sarrac., nulli; et 54. dist., fraternitatem. Et quod dicit, per annum, posset suppleri, maxime si intelligatur de habitu monachali qui dari profitentibus consuevit, ut infra, de regular.,

statuimus. Alias locum habet quod dicitur de anno, ubi non est distinctus habitus novitiorum ab habitu professorum. Ber.

X 3.31.23 *Statuimus novitios*

Qui dari profitentibus

Nota quod est habitus professionis qui votum habet annexum, et eo ipso quod quis talem habitum recipit, monachus efficitur, et per talem habitum intrando religionem solemnizat votum, quare postea reclamare non potest ex quo coepit cum aliis canere. Et de tali habitu loquitur hic, et sic potest intelligi supra, de regular., vidua; et 27. dist., quod interrogasti; et 27. q. 1, vidua; et 20. q. 1, quem progenitores. Et talis habitus impedit et dirimit matrimonium, 27. q. 1, sicut bonum. Item est habitus probationis qui differt ab habitu professorum, ut hic in fine dicitur. Et talis habitus non obstat, quo minus possit redire ad saeculum infra annum ante factam professionem, ut hic dicitur, et supra, de regular., consulti, nisi evidenter appareat quod voluit saeculum mutare, ut statim dicitur. Sed pone: clericus est in probatione, numquid expectabit episcopus usque ad tempus probationis, ut conferat beneficium, cum ecclesia vacare non debeat ultra sex menses, supra, de concess. praeben., nulla? Dicit Io. quod si auctoritate episcopi recessit, videtur ei dedisse licentiam usque ad tempus probationis. Si vero sine licentia recessit, tunc potest eum legitimo tempore elapso privare. Vel dicas quod si evidenter appareat quod voluit absolute mutare saeculum, statim potest beneficium illius episcopus conferre. Si vero non constet de hoc, tunc videtur quod episcopus teneatur ipsum expectare usque ad tempus probationis, cum habeat illud tempus a iure ille convertendus, supra, de regular., ad Apostolicam. Et dicit decretum quod licentiam ab Apostolo datam nemini auferre possumus, 28. dist., de his. Si iudex minus tempus dederit quam sit statutum a lege, suppleretur a iure, ff. de re iud., si se non obtulit § si quis. Quia videtur iusta de causa abesse, unde non debet privari, supra, de cleri. non residen., inter quatuor; et supra, de cleri. non residen., clericos. Verius tamen videtur quod si episcopus non vult eum tantum expectare, et ecclesia propter huiusmodi absentiam damnum incurrat, debet eum citare ut redeat vel ut profiteatur. Et si ad terminum non redierit, potest ordinare ecclesiam per iura proxime allegata, nec credo illam esse iustam causam expectandi, quia privata utilitas non debet praeferri communi utilitati, supra, de regular., licet; supra, de postul. praelat., bonae 1. Item credo servandum si alter sponsus intret religionem, et infra certum tempus profiteatur, alioquin compellitur redire ad sponsam, quia et ibi periculum imminet fornicationis, infra, de conver. coniug., ex publico; arg. supra, ut lite non cont., quoniam § 1. Satis potest dici quod episcopus non posset illum privare usque ad tempus statutum, et interim faciat deserviri in ecclesia per alium cui provideat de bonis ecclesiae, arg. supra, de appell., pervenit 2; et supra, de cleri. non residen., cum ad hoc. Secus in muliere cui consuli interim non potest hoc aequius videtur favore religionis. Summa enim est ratio quae pro religione facit, ff. de rel. et sump. fun., sunt personae. Ber.

Nisi evidenter appareat

Et hic videtur quod qui simpliciter intrat religionem, dum tamen non faciat professionem vel non recipiat vestes quae profitentibus conceduntur, licet nullam faciat protestationem, quod semper possit redire ad pristinum statum infra annum. Et sic praesumitur quod conditionaliter voluit experiri observantiam regularem, nisi appareat evidenter quod

saeculum mutare voluerit. Sed qualiter apparet quod hoc voluit? Dico quod si renunciaverit saeculo expresse, vel si aliud dicat vel faciat per quod voluntas eius appareat, vel si statim recipiat vestes quae tantum dantur profitentibus. Sed si nihil dicat vel faciat, non apparet evidenter quod voluerit mutare, infra, qui cler. vel vov. matr. contr. poss., consuluit. Optime facit, et sic potest intelligi supra, de regular., consulti; et sic non praesumitur pro religione si voluerit redire ad pristinum statum, quia non est versimile quod sit immemor suae salutis, 1. q. 7, sancimus; et quod ei sit credendum, est arg. infra, de rapt., cum causam. Et ita non praesumitur pro religione ubi simpliciter intravit, ex quo vult ante annum exire. Immo praesumimus quod conditionaliter habitum assumpsit. Sic ergo debet apparere quod voluerit saeculum mutare, quod patet ex eo quod dicit: cum quilibet valeat renunciare ei, quod pro se etc., ex eo quod dicit supra, de regular., consulti, in fi. Propositum suum in principio protestetur, scilicet quod vult saeculum mutare hoc expresse dicendo. In contrarium tamen consuevit ibi dici, prout dixit ibi Io., et sic intelligimus hodie illam decretalem secundum istam.

A professorum habitu discernatur
Et sic patet quod alius est habitus professionis, et alius habitus probationis sive novitiorum, ut dicitur supra, ut per hoc appareat qui sint professi et qui non. Ber.

X 3.31.24 *Ne religiosi*

De praelatorum manibus requiratur
Et ita praelatus tenetur de facto subditi, nisi eum correxerit, supra, de offi. ord., irrefragabili; et infra, de statu monach., cum ad monasterium, ad fi.; et 43. dist., Ephesiis.

Concilii generalis
Quod habes infra, de statu monach., in singulis.

Qui
Scilicet praesidentes vel abbates.

Salva ordinis disciplina
Hoc est dicere imposita eis poenitentia, secundum quod regula illius ordinis requirit et praecipit.

Si absque scandalo
Nihil omnino cum scandalo faciendum est, supra, de temp. ord., ad aures; supra, de praescrip., nihil. Et vae homini illi per quem scandalum venit, infra, de nov. oper. nunc., cum ex iniuncto. Ber.

Vitae necessaria ministrentur
Et quis ministrabit ei necessaria? Abbas prioris monasterii vel secundi? Credo quod abbas prioris monasterii, ut si aliquid habeat de suo, provideat ei de illo, 16. q. 6, de lapsis. Et etiam si non habuisset aliquid, providebit monacho suo tempore poenitentiae, alias monasterium illud secundum quare gravaretur?

X 3.32 DE CONVERSIONE CONIUGATORUM

X 3.32.01 *Praeterea utrum laicus*

Praeterea
Supple quaesivisti.

Transierit
Cum non possit esse in saeculo sine suspicione turpitudinis, 27. q. 2, scripsit; et 27. q. 2, sunt qui dicunt.

Promiserit
Manendo in domo propria si est senex, infra, de conver. coniug., cum sis; et infra, de conver. coniug., ad Apostolicam.

Revocari
Sic patet quod non sufficit uxoris licentia, ut vir possit intrare monasterium. Sic infra, de conver. coniug., ex parte abbatis; 33. q. 5, notificasti; et infra, de conver. coniug., coniugatus. Sed contra 33. q. 5, qui uxorem; 27. q. 2, Agathosa. Solutio: dicas quod si talis est uxor quae non possit esse in saeculo sine suspicione fornicationis, non sufficit sola licentia uxoris, nisi et ipsa similiter convertatur. Quo casu haec decretalis potest intelligi, et omnia similia. Si vero senex est, sufficit sola licentia interveniente auctoritate episcopi, et ipsa voveat et remaneat in saeculo, infra, de conver. coniug., cum sis; et infra, de conver. coniug., ad Apostolicam; et infra, de conver. coniug., uxoratus. Et in casu isto intellige illa iura, quae videntur dicere quod alter coniugum potest ad religionem transire de consensu uxoris ea in saeculo remanente. Alii volunt dicere quod sufficit uxoris licentia, infra, de conver. coniug., ex parte abbatis; et infra, de conver. coniug., consuluit. Et in hoc capitulo loquitur de licentia extorta, vel quia fuit iuris ignara. Sed tene primum. Tanc. Item signatur contra, infra, de conver. coniug., veniens. Solitio: illa fuit fornicata, et ita obstabat ei exceptio fornicationis, sic 27. q. 2, Agathosa. Ber.

X 3.32.02 *Verum post consensum*

Monasterium
27. q. 2, desponsatam; infra, de conver. coniug., ex publico. Arg. contra infra, de spons., commissum. Ibi solvitur. Ber.

Sicut sancti quidam
Sicut beatus Macharius et Alexius, 27. q. 2, scripsit § ecce.

Remanere
Et cum alia contrahere, infra, de conver. coniug., ex publico. Et dicunt quidam quod nihilominus remanet vinculum prioris matrimonii, sed prorsus inefficax propter ingressum. Et sic habebit duas uxores, sed non obest tale vinculum, arg. de conse. dist. 4, per baptismum. Sed contra eos facit 31. q. 1, quomodo virginibus; et infra, de divort.,

gaudemus. Unde primi matrimonii vinculum solvitur per ingressum religionis, ut in Auth. de sanct. episc. § si vero constante adhuc matrimonio, coll. 9.

X 3.32.03 *Quidam intravit*

Votum non tenuit
Plene. Tenuit tamen quo ad ea quae erant in eius potestate, scilicet non exigere debitum carnis, quod in ipsius fuit potestate. Sic infra, de conver. coniug., placet. Unde compellitur continere, sed non compellitur ad monasterium redire, ut infra, de conver. coniug., placet. Arg. contra infra, de conver. coniug., ex parte abbatis; et infra, de conver. coniug., consuluit, ubi compellitur ad monasterium redire. Sed ibi solvitur.

Non tenetur
Id est, non debet ab ecclesia compelli. Ipse tamen peccat si non perficit quod vovit, ex quo impedimentum cessavit, arg. 17. q. 2, nos novimus. Ber.

Non exigere
Hic infra, de conver. coniug., placet. Sed haec ratio non videtur bona. Sic enim Beata Maria contrahere non debuit, cum proposuerit se non exigere, 27. q. 2, Beata Maria. Et tamen legitime contraxit, ut ibi dicitur. Respondeo: immo bona est haec ratio, quia post tale votum contrahere non debuit, propter pronitatem quam habet exigendi debitum. Et quod dicitur de Beata Maria, hoc fecit ex revelatione divina. Sed pone quod contrahat. Quid erit? Tanc. dixit quod tenet matrimonium, quia votum non fuit solemne, arg. infra, qui cler. vel vov. matr. contr. poss., rursus. Alii dicunt quod non tenet matrimonium, et debent separari; infra, de conver. coniug., ex parte tua; et infra, de conver. coniug., consuluit. Et hoc verius videtur, quia quantum ad continentiam servandam, satis solemnizatur ipsum votum per suam professionem. Vel si vis dicere quod matrimonium teneat, ipse tamen debitum ab uxore exigere non debet, quamquam reddere debet exactus, quia faceret contra conscientiam, arg. supra, de restit. spol., litteras; et infra, de sent. excom., inquisitioni. Item quaeritur utrum mulier possit intrare monasterium in casu isto invito viro. Hic potest distingui, an sit reconciliatus ei, et eductus de monasterio, et tunc non potest eo invito intrare, arg. 33. q. 5, quod Deo pari. Si vero non est reconciliatus ei, potest transire ad religionem eo invito, 27. q. 2, Agathosa; et 33. q. 5, qui uxorem. Sed videtur quod non obstante eo quod est reconciliatus, quod ipsa possit intrare religionem eo invito, quia ipse iam non potest ab ea exigere debitum. Et sicut ille ea invita renunciavit exactioni debiti coniugalis, ita et ipsa eo invito potest renunciare servituti, quam habet in ipsum. Hoc verum est quantum ad huiusmodi servitutem, quia et ipse debet ad monasterium redire ubi fecit professionem, infra, de conver. coniug., placet. Quo ad alia tamen quae vir debet uxori, et econverso, non videtur quod viro ei est reconciliatus, quia non solum tenentur coniugati ad debitum carnale reddendum, sed ad mutuum auxilium et obsequium, quia in quibusdam matrimonium est legis obsequium, 27. q. 1, nuptiarum. Ber.

X 3.32.04 *Cum sis*

Constitutioni
27. q. 2, sunt qui dicunt; et 27. q. 2, Agathosa; 27. q. 2, quia Agatho; et 27. q. 2, scripsit. In istis constitutionibus dicitur quod vir et uxor postquam copulatione coniugii una caro effecti sunt, non potest alter ad religionem transire altero in saeculo remanente.

Sterilis
Ratione aetatis et non naturae, quoniam multae sunt steriles et iuvenes, quae continere non possunt nec volunt.

Sine suspicione
Sic infra, de conver. coniug., uxoratus; et infra, de conver. coniug., ad Apostolicam.

Dissimulare
Dissimulatione approbationis, quia talis transitus bene approbatur, si consentit mulier, infra, de conver. coniug., uxoratus; et infra, de conver. coniug., ad Apostolicam.

X 3.32.05 *Coniugatus*

Ad sacros
Ex eo quod prohibet quod coniugatus non promoveatur ad sacros ordines, datur intelligi quod possit ad minores, quia quod de uno negatur de alio consequens intellectus patet, 25. dist., qualis. Sed non est verum, quia coniugati promoveri non debent, supra, de cleri. coniug., diversis. Immo si clerici sunt in minoribus ordinibus, beneficiis debent privari, supra, de cleri. coniug., si qui.

Ab uxore continentiam profitente
Sed numquid sufficit hoc? Videtur quod sic, 32. dist., seriatim; et 77. dist., episcopus benedictionem, quae potius contradicit. Sed ibi exponitur religionem, id est, castitatem. Sic supra, de cleri. coniug., sane 1, quod concedebat Ala. si vir remaneat in saeculo. Alii dicunt quod ordinari non debet, nisi ad religionem convertatur uterque, quod dicitur hic. Intellige in eo casu in quod esset senex et sterilis, ita quod nulla est suspicio de uxoris incontinentia, et sic intelligitur illa decretalis supra, de cleri. coniug., sane 1. Nam qui promovetur ad sacros ordines, eo ipso intelligitur continentia profiteri. Et si iuvenis esset uxor, praesumptio esset contra utrumque, arg. supra, de conver. coniug., cum sis, in fi. Unde non debet promoveri talis, nisi ambo transierint ad religionem. Secus si sit senex et sine suspicione. Vel dicas ut dixit Ala., quod aliud est in eo qui promovetur ad sacros ordines remanendo in saeculo, quia ibi sufficit quod communi consensu continentiam promittant, ut dicunt iura primo inducta, quia etiam communi consensu sine susceptione ordinum possunt continentiam profiteri remanendo in saeculo, 33. q. 5, quod Deo pari. Et aliud est in his qui convertuntur, quia locum ibi habet quod dicitur supra, de conver. coniug., cum sis; et infra, de conver. coniug., ad Apostolicam.

X 3.32.06 *Sane si coniugati*

Uxoratum
Si de fraude non sit suspectus, ratione uxoris et filiorum a praelatura et ab administratione non repellitur, in quo casu intelligitur hoc 31. dist., omnino. Secus si suspectus, quia saepe per tales substantia ecclesiastica deperire solet, 28. dist., de Syracusanae; et supra, de cleri. coniug., diversis; 61. dist., Cathinensis.

Sacrum velamen
Sed quid si esset vetula, numquid sufficit si continentia profiteatur, infra, de conver. coniug., uxoratus; et infra, de conver. coniug., ad Apostolicam? Respondeo: non sufficit nisi convertatur, et est speciale in uxore episcopi. Alias contradiceret capitulo praecedenti supra, de conver. coniug., coniugatus.

X 3.32.07 *Ex publico instrumento*

Religionem
Quid si vellet remanere in domo propria et servare religionem? Non est audienda, infra, de conver. coniug., ex parte tua, in fi., quia ad bonum et malum se posset habere. Et ideo quod certius est, tenendum est, ut infra, de spons., iuvenis; et de poen. dist. 7 § 1. Ber.

Sufficienti
Nomine sufficientis cautionis intelliguntur pignora vel fideiussores, ff. mand. vel cont., si mandato § ulti. Satis putarem in casu isto dari cautionem ad arbitrium iudicis, 24. dist., quamquam.

Infra duorum
Numquid istud tempus est ordinarium et regulare, ut semper tantum tempus indulgeatur et non minus, licet dicatur de duobus mensibus? Credo quod istud committeretur arbitrio iudicis, utrum plus vel minus tempus indulgeat ad profitendum dicenti se velle est intrare religionem, et currit a tempore illo quo iudex statuit terminum. Sed pone quod elapsum est tempus statutum, numquid adhuc potest intrare religionem? Dico quod sic, semper ante carnalem copulam. Iudex tamen debet praefigere terminum peremptorium infra quem profiteatur vel convertatur ad virum. Alioquin illam excommunicet, nec dabit ei tempus probationis episcopus nisi maritus consentiat. De hoc dic ut supra, de regular., statuimus.

Restituat
Quod obtinet ubicumque matrimonium dissolvitur ex iusta causa, infra, de don. int. vir. et uxor., mulieres; et infra, de coniug. serv., proposuit; C. de sponsal., mulier; C. de episc. et cler., Deo nobis.

Consummatum
Sed contra videtur, quia matrimonium mandato Dei perficitur, 26. dist., deinde opponitur. Solutio: est consummatio quae fit quo ad matrimonii essentiam, quae fuit facta in paradiso ab ipso Domino per coniunctionem animorum, quae designat conformitatem fidelis animae ad Christum, ut ibi. Et est quaedam consummatio quo ad sacramentum Christi ad ecclesiam, per incarnationem verbi Dei in utero virginali, quod designatur per

illud matrimonium, quod est carnali copula consummatum, ut hic, et supra, de bigam., debitum; 27. q. 2, in omni. Vel saltem quo ad hoc quod impedire possit propositum religionis. Laur. Notavit hic Ala. quod matrimonium non consummatum sortitur naturam ex constitutione ecclesiae, ideo circa illud latissime patet Papae potestas. Vincen. dixit quod Papa per dispensationem posset dissolvere tale matrimonium. Posset etiam statuere quod per secundum matrimonium rumperetur primum, secus de consummato quod ab ipso Domino naturam suam sortitur. Et ideo sola interpretatio circa illud pertinet ad Papam, non dispensatio vel contraria constitutio. Contra tamen arg. infra, de sponsa duo., tuas. Ber.

X 3.32.08 *Uxoratus sine licentia*

Nullatenus recipiatur
Sed pone quod de licentia uxoris recipiatur, et professionem faciat solemniter et habitum recipiat, sed uxor non promittit continentiam nec promisit transire ad religionem. Sive sit senex sive iuvenis, numquid tenet monachatus, cum non sit servata forma huius capituli supra, de conver. coniug., cum sis; et infra, de conver. coniug., ad Apostolicam? Ego credo quod monachus sit et votum solemnizavit omnino quo ad se, ita quod non possit exire monasterium. Nec uxor potest eum repetere iure servitutis, quia renunciavit illi servituti dando ei licentiam. Episcopus tamen per officium suum potest virum de monasterio revocare et reddere uxori, ne illa incidat in fornicationem, cum hoc ad ipsum pertineat, si suspecta est, 93. dist., diaconi. Et ita intelliguntur iura de hac materia loquentia. Sed ea mortua compellitur redire ad monasterium, et sic intelligitur supra, de conver. coniug., praeterea; et infra, de conver. coniug., ex parte abbatis; et infra, de conver. coniug., consuluit; et supra, de his quae vi met. caus. fi., perlatum. Et licet dicatur hic, et supra, de conver. coniug., cum sis; et infra, de conver. coniug., ad Apostolicam, quod alter coniugum non recipiatur, nisi alter transeat ad religionem vel promittat continentiam. Verum est hoc quod non debet recipi, nec ille etiam debet transire. Tamen si recipiatur praedicto modo, tenet monachatus ut dictum est, quia multa fieri non debent, facta tamen manent. De hoc nota infra, de conver. coniug., ex parte abbatis. Nec dicitur in aliqua istarum decretalium quod monachatus non teneat, sed quod ita fieri debeat. Ber.

Minus continenter
Sic supra, de conver. coniug., cum sis; et infra, de conver. coniug., ad Apostolicam.

Cum filiis suis et familia
Sic 20. q. 1, vidua; 27. q. 1, mulieres. Arg. contra 27. q. 2, scripsit.

Tonsurare
30. dist., si qua mulier.

Ad habitandum
Quia huiusmodi duplicitas reprobatur, 18. q. 2, diffinimus; et 32. dist., interdixit; 7. q. 2, cognovimus. Ber.

X 3.32.09 *Ex parte abbatis*

Consentiente uxore

Sed esto quod sit iuvenis, numquid vovet dando licentiam, nam potest in saeculo remanere, supra, de conver. coniug., cum sis? Laur. dicit quod si scit ius vel ei dicatur, intelligitur vovere, alias non. Et dic consentiente et promittente intrare religionem, 27. q. 2, Agathosa, arg. Vel dic ut in notula sequenti dicitur.

De iure ad religionem

Colligitur hic arg. quod uxoris licentia non sufficit, ad hoc ut ad monasterium possit transire vir eius. Simile supra, de conver. coniug., praeterea; et 33. q. 5, notificasti. Sed contra videtur 27. q. 2, Agathosa; et 33. q. 5, qui uxorem. Quidam dicunt quod licentia uxoris non sufficit, nisi et ipsa convertatur. Et capitulum 33. q. 5, qui uxorem, loquitur de consilio, et capitulum 27. q. 2, Agathosa, exponitur ita quod huic dicto concordat. Alii dicunt quod sufficit licentia uxoris, et dando ei licentiam intelligitur solemnizare votum, arg. 32. dist., seriatim; 28. dist., diaconi; et 28. dist., si qua vidua. Et hoc capitulum et similia loquuntur de licentia extorta. Tanc. et quidam alii dicunt quod hoc intelligi debet secundum distinctionem illius capituli supra, de conver. coniug., cum sis; et infra, de conver. coniug., ad Apostolicam. Sed haec distinctio non videtur hic habere locum, quia si fuit iuvenis, non sufficiebat dare licentiam nisi ipsa converteretur, ut ibi dicitur. Unde non tenuit votum, nec debet compelli redire ad monasterium, ut supra, de conver. coniug., quidam. Si erat senex bene potuit transire de licentia uxoris, ut ea iura dicunt et hic dicit, quod de iure transire non debuit. Hug. dicebat quod illa decretalis supra, de conver. coniug., quidam, non tenebat, quia bene debebat ille compelli ad monasterium redire, quia votum tenuit. Et hoc idem potest dici secundum eum de illa infra, de conver. coniug., placet, prope fi., ubi non cogitur redire ad monasterium, et sic stabitur huic, et infra, de conver. coniug., consuluit. Hoc satis videtur. Sed dicatur quod in decretali illa supra, de conver. coniug., quidam, tenet, et ille non compellitur redire ad monasterium, quia votum non fuit solemne, quia invita uxore hoc fecit, nec fecit ibi professionem. Hic vero consentiente uxore professionem fecit, infra, de conver. coniug., consuluit. Et sic omni modo quo potuit votum solemnizavit. Unde quamvis non debuerit vir transire uxore in saeculo remanente, tamen tenuit votum et monachus fuit, quia multa fieri non debent, facta tamen remanent, supra, de regular., ad Apostolicam. Unde compellitur redire ad monasterium uxore mortua. Sed contradicere videtur supra, de conver. coniug., praeterea, ubi mulier dedit licentiam viro, et tamen de monasterio revocatur, et restituitur uxori nisi uxor castitatem promiserit aut ad religionem transierit. Sed non dicitur quod monachatus non tenuerit, unde mortua uxore compelli debuit ad monasterium redire. Et ita concordat cum ista, et hoc probatur supra, de his quae vi met. caus. fi., perlatum. Hug. dixit quod decretalis illa non tenet, quia consentit marito et debebat compelli ad castitatem vel monasterium intrare si iuvenis esset. Et praeterea non dicitur ibi quod mulier posset revocare maritum sed episcopus ex officio suo, tamen compelli illa redire propter ea quae dixi infra, de conver. coniug., placet. Ibi similiter non fuit solemne votum, quia non habuit licentiam viri, unde nec illa compellitur redire ad monasterium. Ber.

X 3.32.10 *Consuluit nos G.*

Transiens
De consensu uxoris quae senex erat vel promisit mutare, 27. q. 2, Agathosa. Vel ipse post mortem uxoris ratum habuit quod prius fecit. Simile supra, de his quae vi met. caus. fi., perlatum. Ber.

Transierat regularem
Ipse maritus. Et ita idem est in canonico regulari quod in monacho, cum parva sit differentia inter eos, 20. q. 3, praesens clericus; infra, de statu monach., quod Dei timorem.

Dirimendum
Ergo votum eius fuit solemne ex quo separat matrimonium, infra, qui cler. vel vov. matr. contr. poss., rursus. Quod verum puto, quia de licentia uxoris intravit, et ita tenuit ingressus, alias esset contra infra, de conver. coniug., placet, in fi. Ber.

X 3.32.11 *Carissimus*

Praebuisse consensum
Arg. quod sufficit alterius consensus ad hoc, ut alter possit intrare religionem. De hoc dic ut dictum est supra, de conver. coniug., praeterea. Et ex eo quod dicit, ad tempus, videtur si simpliciter licentiam dedisset, quod sufficeret, et ex eo quod dicit, maxime si vir eius continentiam vovisset. Quod verum est, quia vir et uxor communi consensu possunt continentiam vovere perpetuo remanendo in domo sua, 33. q. 5, quod Deo pari; et ad tempus, 33. q. 4, Apostolus.

Maxime
Id est, tantum secundum quosdam. Ber.

X 3.32.12 *Placet*

Usquequaque non tenuerit
Quia remansit obligata viro ad debitum reddendum, 33. q. 5, si dicat.

In potestate ipsius
Sic supra, de conver. coniug., quidam. Ber.

In eius potestate non erat
Et sic auctoritate propria exire non poterat. Quid si exivisset de facto, numquid esset compellenda redire? Videtur quod non, per id quod dicit in fine.

Quantum ad ipsam tenuit
Arg. quod sententia pro parte tenet, et pro parte non tenet, ff. de re iud., de uno quoque; ff. de minor., etiam § 1; arg. contra, C. de repud., consensu; ff. fam. ercis., in hoc iudicio; de conse. dist. 2, comperimus. Dic quod si sententia continet plures articulos sive plura

capitula, id est, diversa, potest pro parte valere et pro parte non valere. Et sic pro parte confirmari et pro parte infirmari exempla patent supra, de testamen., Raynutius; et supra, de testamen., Raynaldus; et lex praedicta ff. de minor., etiam. Alias aut tota confirmatur aut tota cassatur, de conse. dist. 2, comperimus.

A quo poterat
Sic econtra solvitur iudicium quod firmum erat, si ad eum statum devenit a quo incipere non potuit, ff. de iud., si a me; et ff. de iud., si alter. Secus in matrimonio, 32. q. 7, illi qui sani; et 32. q. 7, neque furiosus; infra, de eo qui cog. consang., discretionem.

Non cogendam
Sed numquid tenet matrimonium, si mulier ista contraheret? Dic ut dictum est supra, de conver. coniug., quidam. Hic non fuit votum solemne, quia nec habuit licentiam viri, unde non compellitur redire ad monasterium, sic supra, de conver. coniug., quidam.

X 3.32.13 *Ad Apostolicam sedem*

Ut sine suspicione
Sic supra, de conver. coniug., cum sis; et supra, de conver. coniug., uxoratus. Ber.

X 3.32.14 *Ex parte tua*

Viduitatis
Id est, velum quod datur viduis, arg. 27. q. 1, viduas quoque. Nec dicit hic quod votum emiserit, unde postea distinguitur circa finem, nec dicit velum professionis, licet enim assumat habitum sive velum religionis, praesumitur tamen quod voverit. Sed non est sufficiens praesumptio nisi devoveat se alicui religioni, ut dicitur in fine. Laur.

Internunciis
Nota quod matrimonium potest contrahi per nuncios inter absentes, ut hic videtur, 32. q. 2, honorantur; ff. de sponsal., sufficit; et ff. de sponsal., in sponsalibus constituendis; ff. de ritu nupt., mulierem.

Arrha
Licet arrha possit apponi in contractu matrimonii, non tamen poena, C. de sponsal., mulier; ff. de ver. oblig., Titia; infra, de spons., Gemma. Et haec arrha postquam mulier intravit monasterium potest repeti a viro et exigi, supra, de conver. coniug., ex publico; C. de episc. et cler., Deo nobis. Olim non poterat, ut ibi dicitur.

Complexus
Quaerebatur utrum veli susceptio impediret matrimonium inter eos.

Ratum coniugium
Quia contumelia creatoris non solvit ius matrimonii inter fideles, licet alter labatur in haeresim, quia matrimonium ratum est inter eos. Sed si duorum coniugum infidelium

alter convertatur ad fidem, tunc contumelia creatoris solvit ius matrimonii secundum quod dicitur infra, de divort., quanto.

Omnem legem
19. q. 2, duae sunt; supra, de regular., licet; infra, de divort., gaudemus.

Sanctis
Supra, de conver. coniug., verum; 27. q. 2, scripsit § ecce, vers. item beatus.

Falsa sit causa
Falsa enim demonstratio vel causa legatum non perimit, C. de fals. caus. adiec., etiam si; ff. de condi. et demon., falsa demonstratio. Nec mendacium obligantis impedit obligationem, arg. infra, de conver. coniug., veniens; ff. de pigner. act., pignus; et ff. de pigner. act., si rem alienam. Nec vitiat dispensationem, infra, de cons. et affin., quia circa. Et ita non consideratur quae fuerit causa impulsiva, arg. supra, de iureiur., quemadmodum § ulti. Arg. contra infra, de voto et vot. redem., magnae, in fi. Nam in huiusmodi spiritualibus etiam dolus adversarii non vitiat contractum, supra, de his quae vi met. caus. fi., cum dilectus; et infra, de conver. coniug., dudum; et infra, de conver. coniug., accedens. Nec consideratur causa vel intentio contrahentis, C. de condi. ob caus. dat., si repetendi; et supra, de regular., vidua; 27. dist., quod interrogasti. Tanc.

In veli susceptione
Sic infra, qui cler. vel vov. matr. contr. poss., consuluit; 33. q. 5, quod Deo pari. Tamen solus habitus non facit monachum, sed professio, supra, de regular., porrectum. Nisi feratur per annum, supra, de regular., ex parte. Vel nisi sit habitus professionis qui datur profitentibus, supra, de regular., statuimus; et supra, de regular., vidua; et 20. q. 1, quem progenitores. Et est hic arg. quod susceptio veli sive habitus non facit monachum.

Propositum castitatis
Bene dicit, propositum, quia si vere castitatis votum devoveret alicui religioni, scilicet sancti Augustini vel Benedicti in propria domo manendo, bene solemnizaretur votum, 27. q. 1, de viduis; et 27. q. 1, muliere; 20. q. 1, vidua; infra, qui cler. vel vov. matr. contr. poss., insinuante. Vel dic quod talis religio non solvit sponsalia de praesenti, sicut nec dissolverentur si vir fieret clericus, 27. q. 2, si vir. De vita eremitica dicunt quidam, quod solvit sponsalia de praesenti, arg. 27. q. 2, scripsit § ecce. Alii dicunt quod non, unde si eremita contraheret matrimonium, teneret, quia potest habere proprium, 19. q. 3, perlatum § econtra. Io. Sed quid si in veritate leprosus fuisset? Si sit sponsa de futuro, solvuntur sponsalia propter lepram, unde non tenetur contrahere, supra, de iureiur., quemadmodum. Si essent sponsalia de praesenti, bene compelleretur consummare matrimonium, nisi vellet intrare religionem, sicut hic innuitur.

Voto
Id est, professione.

X 3.32.15 *Constitutus in praesentia*

Ad gradum sacerdotii
Quod bene fieri potuit, cum illa uxor sua publice fuit adulterata, unde amisit ius quod habebat in eum, infra, de divort., significasti. Item si fuisset vidua vel ab alio cognita, promoveri non debuit, 34. dist., curandum si cuius.

Cogere
Sed videtur quod talis coactio ei obesse non debet, quo minus repetat virum, quia in facie ecclesiae nupsit tolerante ecclesia, quamdiu saltem appareat an fuerit matrimonium inter illos, arg. infra, de frig. et malef., fraternitatis; infra, de divort., gaudemus, in fi. Respondeo: non excusatur propter hoc, immo magis puniri debet, quia taliter nupsit nulla sententia separationis praemissa. Unde illa debet separari ab eo cui iuncta fuit per adulterium, quia vivente viro priori, alteri non potuit copulari, licet perdiderit ius quod habebat in illum, quia manent coniuges etiam separati propter adulterium, 32. q. 7, interveniente; et 32. q. 7, licite. Et sic obstat ei exceptio fornicationis, infra, de conver. coniug., veniens; et 27. q. 2, Agathosa. Alias si fornicata fuisset, posset ipsum repetere, ut in capitulo 27. q. 2, Agathosa, nisi de consensu illius promotus fuisset, ut ibi 33. q. 5, qui uxorem.

X 3.32.16 *Veniens*

Manu sua
Et ita suo renunciavit, arg. supra, de consuet., ex litteris.

Professionem fecit
Quod facere non debuit ea in saeculo remanente, supra, de conver. coniug., cum sis; et supra, de conver. coniug., ad Apostolicam; et supra, de conver. coniug., praeterea, cum esset iuvenis. Secus si senex, ut ibi dicitur.

Captiose asseruit
Hic est arg. quod licet dolus interveniat in spiritualibus, tenet contractus, infra, de conver. coniug., dudum; et supra, de his quae vi met. caus. fi., cum dilectus, ubi de hoc. Aliud si minus inducta fuisset, ut daret viro licentiam, talis licentia nulla est, 33. q. 5, notificasti. Et ideo praeiudicium est huic mulieri, quia non continuit sed inhonestos amatores admisit, ut expresse dicitur in fine. Alias si continuisset, non praeiudicasset sibi per hoc quod fecit, quod non promiserit transire ad religionem nec etiam continentiam promiserit, cum esset iuvenis, ut supra, de conver. coniug., ad Apostolicam; et supra, de conver. coniug., praeterea. Io.

Sponte supposuit
Bene dicit sponte, quia etiam si vir invita muliere intrasset religionem, licet talis ingressus nullus fuerit, infra, de conver. coniug., accedens. Si tamen postea fornicetur, non potest ipsum repetere, 27. q. 2, Agathosa; infra, de divort., significasti. Sed pone quod vir nolit excipere, quia nemo cogitur excipere sicut nec compellitur agere, C. ut nemo invit. age. vel acc. cog., invitus. Et quilibet iuri suo potest renunciare, supra, de regular., ad Apostolicam; et supra, de regular., statuimus. Quid erit? Dicas quod monasterium eo invito potest excipere et eum defendere, ne permittat eum in peiorem

statum detrahi, ff. de liber. caus., si quando; et ff. de liber. caus., quoniam, licet enim primo non tenuerit votum. Tamen quantum ad ipsum voventem tenuit, supra, de conver. coniug., quidam; et supra, de conver. coniug., placet. Et quam cito ipsa fuit fornicata, statim perdidit ius exigendi. Ergo cum sit liberatus a servitute mulieris, statim monasterium habet plenum ius in eum. Et sic exceptio quae competit viro, acquisita est monasterio cum res ad eum statum pervenit a quo potuit habere principium, supra, de conver. coniug., placet. Sed quid si exiret et nollet excipere, quia potest ei remittere, supra, de iureiur., quemadmodum, in fi. Credo quod bene potest illam recipere non obstante contradictione monasterii, quia votum ex toto non tenuit cum decepta fuerit, nec ipsa etiam voverit. Arg. optimum supra, de conver. coniug., constitutus, nisi vir professionem fecisset postquam illa fuit fornicata, quia tunc non posset episcopus eum de monasterio educere nec eum compellere, ut eam reciperet propter fornicationem. Sed quid si vir fornicetur in monasterio cui mulier dedit licentiam, numquid ipsum repetere potest? Non, 33. q. 5, quod Deo pari, quia perdidit omne ius quod habuit in viro, quia propter consequens delictum non renascitur servitus amissa, de conse. dist. 4, quaeris. Licet secus esset si ambo essent in saeculo, et propter fornicationem alterius ambo essent divisi, infra, de divort., ex litteris; et supra, de iureiur., tua nos 2. Et hoc ideo quia ius quod monasterium habet in ipso, propter suum delictum perdere non potest. Io.

Repetendum

Potuit ergo prius tum repetere. Et ita est arg. quod si quis ignoret ius illud, scilicet quod si dederit licentiam viro, teneatur relinquere saeculum, iterum potest eum repetere, et sic subvenitur ignoranti hoc ius naturale. Laur.

X 3.32.17 *Accedens ad praesentiam*

Votis

Invita et coacta, ut patet per praemissa verba. Unde votum viri non tenuit, quia alter invito altero vovere non potest, supra, de conver. coniug., quidam; 27. q. 2, Agathosa; et 33. q. 5, notificasti; et 33. q. 5, si dicat, ubi idem casus ponitur.

Processu vero temporis

Sed videtur per spatium sequentis temporis et patientiam ipsius mulieris ratificari ingressus viri, arg. infra, qui cler. vel vov. matr. contr. poss., insinuante. Cum uterque post ingressum tanto tempore tacuerit et patientiam adhibuerit, nec videtur quod postea audiatur, immo vir debet compelli redire ad monasterium. Arg. infra, de spons., ad id quod; infra, de frig. et malef., accepisti; et 1. q. 1, constat. Sed hoc non est verum, immo cum ipsa non mutaverit saeculum nec promiserit continentiam, semper adhuc intelligitur dissentire, quod apparet ex eo quod quam cito exivit, eum repetiit. Et sic per primum et ultimum colligitur, quod medio tempore non consenserit. Sic 28. dist., quia sunt culpae. Et praecipue cum praesumatur ex hoc quod sit iuvenis. Sive sit iuvenis sive vetula, numquam debet intrare sine licentia uxoris, sed servatur quod dicitur supra, de conver. coniug., ad Apostolicam. Sed numquid iste cum fuerit redditus uxori, poterit exigere debitum? Dicas quod non poterit exigere debitum, quia renunciavit illi iuri quod habebat in uxore intrando in monasterium, quod fuit in eius potestate. Sed exactus reddere debet,

ut dixi supra, de conver. coniug., quidam. De hac materia consuevit notari 27. q. 2, Agathosa; et 33. q. 5, qui uxorem.

X 3.32.18 *Significavit nobis A.*

Talis aetatis de qua suspicio

Et ita videtur quod si mulier iuvenis sit, non sufficit quod continentiam promittat ad hoc ut maritus possit religionem intrare, nisi et ipsa mutaverit vitam, supra, de conver. coniug., ad Apostolicam; et supra, de conver. coniug., cum sis. Ex eo enim quod dicit, de qua suspicio haberi non possit, non debet compelli, intelligo quod si sit suspecta, debet compelli religionem intrare ex quo promisit continentiam. Cum versimile non sit quod eam servet, si remanserit in saeculo, arg. supra, de conver. coniug., ex parte tua, in fi., licet non intenderet ab initio religionem intrare, et arg. ad hoc 33. q. 5, qui uxorem. Quia eo ipso quod licentiam dedit viro et promisit continentiam, intelligitur tacite promisisse intrare religionem, cum sit iuvenis, arg. bonum supra, de conver. coniug., veniens, vers. fi. Et quae sine conditione voventur, sine conditione solvantur, 32. q. 8, non solum. Et Dominus exigit oblatum, quod non exegerat offerendum, 27. q. 1, nuptiarum, in fi.; et 45. dist., de Iudaeis. Et sic cum teneatur ad continentiam per suam promissionem, tenetur ad id sine quo eam servare non potest, arg. supra, de offi. deleg., praeterea; et supra, de offi. deleg., prudentiam, ad fi. Et sic invita compellitur intrare religionem, quia fecit id propter quod compellitur, sicut quandoque ex officio suo compellitur intrare monasterium, 50. dist., si ille; 27. q. 1, si quis rapuerit; C. de adulter., authen. sed novo iure; et C. de adulter., authen. sed hodie; infra, de conver. coniug., gaudemus. Alii dicunt quod vir sibi debet restitui ex officio iudicis, supra, de conver. coniug., praeterea; quod satis potest dici ut notat supra, de conver. coniug., uxoratus.

X 3.32.19 *Gaudemus in Domino*

Ceciderunt

Et sunt condemnatae per sententiam. Vel adulterium earum publicum et notorium est secuta sententia, unde viri eas recipere non coguntur, infra, de divort., significasti, etiam si sint emendatae, ut hic dicitur. Ber.

In claustris

Et ita mulier de adulterio condemnata vel publice deprehensa detruditur in monasterium ad agendam perpetuam poenitentiam, si eam emendatam vir recipere noluerit. Tamen infra biennium potest eam recipere si vult. Si vero noluerit eam recipere, vel si prius moriatur quam eam recipiat, tunc tondeatur et habitum monachalem recipiat ibi perpetuo moratura, ut expresse habetur in Auth. ut nulli iudic. lic. hab. § si quando vero adulterii crimen, coll. 9, unde sumpta fuit haec decretalis, et C. de adulter., authen. sed hodie. Et cum rebus suis, ne sit onerosa monasteria, ut in C. de adulter., authen. sed hodie continetur. Non propter hoc erit monacha, nisi amplius processum fuerit. Et sic quandoque propter culpam suam aliquis compellitur intrare monasterium, 50. dist., si ille; et 16. q. 6, de lapsis; 27. q. 1, si quis rapuerit. Et idem videtur dicere decretalis 32. q. 1, de Benedicto; et 2. q. 1, in primis, vers. princ.; et 34. dist., fraternitatis, in fi. Olim vero alia poena puniebantur adulterae, quia lapidabantur convictae de adulterio secundum

legem Mosaicum, 33. q. 5, haec imago; et C. de adulter., castitati, ubi legitimis poenis subiicitur. Sed haec poena non imponitur cum non agitur criminaliter, supra, de procurat., tuae.

X 3.32.20 *Dudum*

Renunciavit omnino
Quod ei licuit, etiam si non tenuisset votum ex toto, quia hoc erat in potestate ipsius, supra, de conver. coniug., quidam; et supra, de conver. coniug., placet.

Omnino
Simile omnino habes supra, de rescript., cum contingat; ff. de fideiussor., Graece § illud, ubi dicitur quod fideiussor in duriorem causam non obligatur omnino.

Obsequio se devovit
Et sic solemnizavit votum devovendo se religioni illius hospitalis. Unde compelli debet ut relicto saeculo suum exequatur propositum, supra, de conver. coniug., ex parte abbatis, in fi.

Calore iracundiae
Si hoc esset verum, non teneret votum, quia inconsultus calor calumniae vitio caret, 2. q. 3, si quem § notandum 2; et 2. q. 3, si quis iratus. Tempore enim furoris iustum putat esse quod facit, 11. q. 3, illa praepositorum. Et ira saepe innocentes ad crimen inducit, 11. q. 3, ira saepe. Et lubricum linguae facile ad consequentiam trahi non debet, ff. ad leg. Iul. maiest., famosi; C. si quis imp. maled., si quis. Arg. contra 17. q. 4, sunt qui opes. Et hoc verum est nisi post calorem iracundiae consentiat, ut in 2. q. 3, si quis iratus; et supra, de regular., sicut tenor, in fi.

Substantia veritatis
Haec erat satis bona defensio, quia nihil refert narrandi diversitas ubi eadem dicuntur, ut infra, de verb. sign., nihil obstat. Sic quolibet loquendi genere formata institutio valet, si modo per eam liquebit voluntatis intentio, C. de testament., quoniam indignum, in princ. Et est arg. pro testibus diverso modo narrantibus, dum tamen in substantia facti non discordent, 8. q. 1, in scripturis; de conse. dist. 2, quotidie. Ber.

Spes
Nota hic arg. immo quasi expressum est, quod in huiusmodi spiritualibus dolus adversarii non vitiat contractum. Sic supra, de his quae vi met. caus. fi., cum dilectus; supra, de conver. coniug., ex parte tua; et supra, de conver. coniug., veniens. Alias si dolus dat causam contractui, non tenet contractus, ff. de dolo mal., et eleganter. Sed quare in huiusmodi spiritualibus licet dolus alterius interveniat, non vitiatur talis contractus? Quia talis dolus, bonus dolus est, et bonus dolus non prohibetur, ff. de dolo mal., hoc edicto. Dolus calliditas ad decipiendum dicitur, ut in praedicta lege ff. de dolo mal., hoc edicto. Sed per talem dolum non decipitur nec ad malum inducitur, immo conditionem suam facit meliorem, et ideo non vitiat contractum.

Tempore
Nota quod si quis renunciationis tempore non habeat metum vel violentiam, licet praecesserit vis vel metus, non aget interdicto quod vi, C. quod metus cau., cum te; et hic.

Voluntarie
Et sic licet ab initio deceptorie inductus fuisset. Ex quo postea sponte hoc fecit, proxima causa turpitudinis ablata esse videtur. Simile infra, de despon. impub., de illis 2, in fi.; et C. quod metus cau., cum te; ff. de condi. ob turp. caus., si ob turpem.

Suspicione
Unde compelli debet vitam mutare; supra, de conver. coniug., significavit. Maxime cum hoc promiserit, ut patet supra. Ber.

X 3.32.21 *Mulier quae*

Remansit
Viro transeunte ad infideles, puta Sarracenos vel Iudaeos vel etiam haereticos.

Iudicio ecclesiae
Ergo a contrario sensu videtur, quod si non fuit iudicio ecclesiae separata, quod eo invito religionem intrare non possit. Et ita aliud est quando iudicio ecclesiae fuit separata ab illo, et aliud quando non fuit separata, sed ab illo propria auctoritate recessit. Simile infra, de divort., de illa. Sed si nollet intrare religionem, compelli debet ad ipsum redire utroque casu, sive fuerit iudicio ecclesiae absoluta sive non, infra, de divort., quanto, in fi. Non obstante illa spirituali fornicatione, cum iam sit emendatus, et incipiat esse quod non fuit, 50. dist., ferrum. Secus in carnali fornicatione sive iudicio ecclesiae sit separata sive publice sit fornicata, quia non tenetur illam recipere nisi velit quamvis emendatam, supra, de conver. coniug., gaudemus. Et haec separatio fit tantum quo ad mutatam servitutem, quia vinculum matrimonii non dissolvitur in hoc casu cum alter fidelium transit ad infidelitatem, ut in capitulo praedicto infra, de divort., quanto. Sed quae est ratio quare in fornicatione carnali non compellitur maritus recipere uxorem etiam emandatam, sed in spirituali compellitur? Haec potest esse ratio: si maritus cognosceret uxorem post carnalem fornicationem, postea promoveri non potest ea mortua propter defectum sacramenti, et sic praeiudicium ei fieret, 34. dist., si laici; et 34. dist., si cuius uxorem. Sed hoc non contingit in fornicatione spirituali, quia per poenitentiam purgata est. Item alia est ratio: in fornicatione carnali anima et corpus polluitur, sed in spirituali tantum anima. Et in carnali fornicatione non tantum fit in anima quod displiceat marito sed etiam in corpore, quod non fit in spirituali. Et vir magis scandalizatur ex eo quod fit in corpore et magis offenditur, quam ex eo quod fit in anima. Et ita causa maioris scandali illati viro fit, ut post carnalem fornicationem non compellatur. Sed post spiritualem fornicationem compellitur, nisi ad religionem transire voluerit, ut hic dicitur.

X 3.33 DE CONVERSIONE INFIDELIUM

X 3.33.01 *Laudabilem*

Triburensis concilii
Quod habes 31. q. 1, si quis vivente. Quia eas non possunt habere, si in mortem ipsorum aliquid machinatae fuerunt, ut hic dicit. Idem est si fidem dederunt, ut 31. q. 1, nullus; 31. q. 1, relatum; infra, de eo qui dux. in matr. quam pol. per adult., propositum. Vel si de facto contraxit, ut infra, de eo qui dux. in matr. quam pol. per adult., super hoc; et infra, de eo qui dux. in matr. quam pol. per adult., cum haberet. Ita tamen quod post fidem datam cognovit eandem uxorem uxore sua vivente, alias sola fides data non impedit matrimonium, infra, de eo qui dux. in matr. quam pol. per adult., si quis.

Tali lucro
Sic 14. dist., quod ait; 33. q. 5, si dicat. Simile 1. q. 1, non est piutanda; infra, de usur., super eo; 22. q. 2, ne quis arbitretur.

Et Christiani similiter
Pugnantes pro patria et fide, ob quam pater in filium et filius in patrem insurgere debet, ff. de rel. et sump. fun., minime. Et maritus in uxorem, 28. q. 1, uxor, in fi.; 23. q. 8, legi Syromastem.

Procuraverint
Ex eo quod hic dicit, et 31. q. 1, si quis vivente; infra, de eo qui dux. in matr. quam pol. per adult., si quis. Ad hoc ut matimonium impediatur duo exiguntur, scilicet affectus cum opere subsecuto, et est simile ff. de condi. et demon., condicionum quaedam sunt, in fi. Hic enim tunc puniuntur, cum concorditer ad hoc procedunt, 15. q. 1, merito, in fi.; et 15. q. 1, si quis non iratus. Quandoque punitur opus sine affectu quo ad legem promotionis, 15. q. 1, si quis non iratus. Quandoque affectus sine opere, ut 1. q. 1, qui studet; supra, de bigam., nuper. Ibi tamen intervenit opus non cum affectu. Quid ergo si ratum habuerunt eos interfectos esse? Idem videtur, quia in maleficiis ratihabitio retrotrahitur et mandato comparatur, ff. de vi et de vi arm., praetor ait § sed et si cum quis. Contra credo arg. infra, de spons., cum apud. Cum edictum de matrimonio contrahendo sit prohibitorium, ut ibi. Ber.

X 3.33.02 *Ex litteris tuis*

Perducendus
Iusta fuit causa petitionis et honesta. Et ita sumitur hic arg. quod causa petitionis semper inserenda est in ipsa petitione, alias repellitur, supra, de libel. oblat., significantibus; et supra, de libel. oblat., dilecti, ubi de hoc. Sed nota quod pater potest petere filium in potestate sua constitutum per interdictum de liberis exhibendis contra matrem et contra quemlibet detinentem. Mater tamen quandoque habet exceptionem contra maritum, puta si est minor triennio, cum apud eam tunc debeat educari, vel etiam si iudicatum esset in contrarium, ff. de liber. exhib., ait praetor § si vero. Et in alio casu habet exceptionem ob nequitiam patris, ut sine diminutione patriae potestatis apud eam filius moretur, ff. de liber. exhib., deinde § etiam si maxime. Circa hoc distingue, aut filius a nullo detinetur, aut ab aliquo. Si ab aliquo, et tunc volens aut invitus. Primo casu petere possum per officium iudicis, ff. de liber. exhib., deinde § hoc autem. Si ab aliquo volens detinetur, potest peti rei vendicat, adiecta causa de iure Quiritum cognitione praetoria, ff. de rei

vend., post actiones § 1, quod ius proprie Romanorum est, Inst. de patr. potest. § 2. In tertio casu locum habet interdictum de liberis exhibendis, ut ff. de liber. exhib., ait praetor, 1. resp.; et ff. de rei vend., post actiones § 1. Et nota quod filius conditionem patris vel matris conversi ad fidem sequi debet, 28. q. 1, Iudaei. Et in hoc casu filius infans non doli capax sequitur meliorem conditionem. Alias si doli capax esset, non deberet baptizari nisi sponte, 23. q. 5, ad fidem; 45. dist., de Iudaeis. Quandoque tamen sequitur deteriorem conditionem, scilicet matris si serva sit, 32. q. 4, liberi. Ber.

Paterno
Supra, de praesump., illud.

Legitima coniunctio
Matrimonium dicitur legitima coniunctio maris et feminae individuam vitae consuetudinem retinens, 27. q. 2 § sequitur; Inst. de patr. potest., in princ. Et haec est ratio quae consuevit assignari a doctoribus, quare potius dicatur matrimonium quam patrimonium illa coniunctio. Ber.

Potestate
Pater enim dicitur habere filium in potestate et non mater, Inst. de patr. potest. § ulti.; et C. de adopt., mulierem. Unde filius patris familiam sequitur et non matris, Inst. de legit. agnat. tutel. § 1, unde ista verba fuerunt sumpta. Et expone familiam, id est, agnationem, licet alias hoc nomen familia multas habeat significationes, ff. de ver. sig., pronunciatio § familiae. Et facit ad hoc Inst. de patr. potest., in fi.; et C. de ver. sig., apud Labeonem. Non enim denominatur filius a cognitione matris sed patris, arg. ff. ad municip., municipem.

Insidientur
Nota quod mortuo patre pupillus educari non debet apud illas personas, quae ipsius pudicitiae possunt insidiari, ff. ubi pupil. educ., si absens. Praetor enim decernere debet, ut sine ulla suspicione alatur partus etiam contra voluntatem patris, ff. ubi pupil. educ., solet. Et aestimabit ex affectu singulorum quis magis ad suspicionem et spem successionis sit prior, C. ubi pupil. educ., utrum. Verumtamen educatio pupilli nulli magis committenda est quam matri, nisi vitricum ei inducat, C. ubi pupil. educ., educatio. Si vero vivo patre quaestio est apud quem educetur filius facto divortio, olim aestimabat praetor quando apud patrem, et quando apud matrem alatur, C. divort. fact., lict. Hodie distinguitur, ut si pater causam divortii praestitit, tunc ali debeat apud matrem. Si vero mater causam praestitit divortii, tunc ali debet apud patrem, C. divort. fact., authen. si pater. Ergo hic ali debet apud patrem, quia mater praestat causam divortii, infra, de divort., gaudemus; et infra, de divort., quanto, quae non sequitur maritum conversum ad fidem, quem sequi debet, 13. q. 2, unaquaeque. Et quia insidiaretur vitae ipsius, ut hic dicitur, et per iura praedicta.

Post triennium
Filius minor triennio apud matrem debet ali, maior triennio apud patrem, C. de patr. potest., nec filium; arg. C. de infant. expos., unusquisque; et infra, de infant. et lang. exp., si a patre.

Ad infidelitatis errorem
Hac de causa etiam si esset minor triennio vel pater vellet eum perducere ad fidem. Cum sit in eius potestate, patri debuit assignari in favorem fidei Christianae. Cum alias si esset maior, et proclamat se velle fieri Christianum, debeat de manibus illorum eripi, arg. infra, de Iudae. et Sarrac., sicut Iudaei.

X 3.34 DE VOTO ET VOTI REDEMPTIONE

X 3.34.01 *De peregrinationis votis*

Arbitrio
Arg. de poenae commutatione, 82. dist., presbyter; 22. q. 4, innocens; de poen. dist. 1, medicina; 36. q. 1, de raptoribus; 41. dist., non cogantur; infra, de maledic., statuimus; 12. q. 2, fraternitas. Arg. contra 16. q. 1, decimae; et 16. q. 1, de decimis; 32. q. 8, non solum. Solutio: commutatio poenae adhibenda est quandoque hac consideratione praehabita, ut illud quod vice commutationis praestatur intantum vel amplius sit Deo acceptum, ut hic in fine, et infra, de voto et vot. redem., scripturae. Et est arg. quod episcopi possunt dispensare in voto. Tanc.

Causam commutationis
Causa semper considerari debet quare fiat commutatio, arg. infra, de voto et vot. redem., magnae, in fi.; et infra, de voto et vot. redem., quod super his.

Recompensatio
In omni voto, sive consistat in faciendo sive in non faciendo, sive sit solemne sive simplex, potest habere locum compensatio, dummodo ante votum fuerit liberae voluntatis. Hoc dicitur propter articulos fidei, quos unusquisque vovit in baptismo, quia illud votum ante baptismum est neccessitatis. Sed in voto continentiae secus est, cui aeque bonum vel maius inveniri non potest, arg. 32. q. 8, non solum. Et castitas sola est, quae potens est Deo animas praesentare, in Auth. de lenonib. § sancimus, coll. 2. Et quae suaderi potest, imperari non potest, 27. q. 1, integritas; infra, de statu monach., cum ad monasterium. Ber.

X 3.34.02 *Venientis ad nos*

In puerili
Intellige quod erat doli capax, alioquin compensatio quae sequitur non erat imponenda. Vel forsitan in maiori aetate ratum habuit, unde tenebatur illud adimplere, alias non, 20. q. 1, illud; et supra, de regular., significatum; et supra, de regular., sicut tenor. Tanc.

Disposuit
Procedendo ad actum exteriorem, ut patet ex littera sequenti. Unde mortaliter peccasset, nisi complevisset votum si commutatio non fuisset subsecuta, arg. 17. q. 1, qui bona.

Socii fideles
Sed numquid Papa potuit illum absolvere ab obligatione qua socio tenebatur? Utique, arg. 9. q. 3, per principalem; C. de precib. imper. offer., quotiens. Nec erit dicendus voti transgressor, infra, de voto et vot. redem., non est. Ala.

Facilitate
Arg. quod votum ex facilitate emissum obligat. Simile 17. q. 4, sunt qui opes. Arg. contra supra, de regular., ad nostram; 22. q. 4, unusquisque; et 27. q. 1, nuptiarum. Sed hoc ut dictum est, postea ratum habuit, factus maior.

Sufficiant
Nam possibilitas semper subauditur, supra, de iureiur., querelam; et supra, de iureiur., brevi; arg. 4. dist., erit autem; et ff. de statulib., cum heredes § Stichus; et 47. dist., quod ad nos. Sic impossibile praeceptum non obligat, ff. quae sent. sine appel., Paulus 2. Laur.

X 3.34.03 *Litteraturam*

Proponens
Non tamen animo obligandi, nec firmiter hoc proponendo seu eligendo, quia tunc mortaliter peccasset si non implevisset propositum, 17. q. 1, qui bona; et 17. q. 1 § 1; et supra, de voto et vot. redem., venientis, ubi dicit disposuit proficisci. Et ideo dicit infra si plus non est in voto processum, quia non dicit hoc animo se obligandi, unde non fuit mendacium, 22. q. 2, quod autem ait. Et nemo se obligat, nisi qui animum habet se obligandi, ff. de act. et oblig., obligationum; arg. ff. si cert. pet., si ego.

Quod dixisti
Arg. contra 22. q. 5, iuramenti. Item argumentum quod ex nudo pacto non oritur actio, licet sit arg. contra 12. q. 2, quicumque suffragio; et 12. q. 5, quia Ioannes; et 27. q. 1, hae vero, in fi. Laur.

X 3.34.04 *Scripturae*

Temporale obsequium
Non enim est illi necessaria certa delicti satisfactio, cuius totum votae tempus obedientiae impeditur sui conditoris, de poen. dist. 1, quia aliquando § his auctoritatibus. Sic non frangit propositum qui illud in melius commutat, supra, de iureiur., pervenit 2. Et ita est arg. quod intranti monasterium non est imponenda poenitentia pro peccato ante commisso. Sic enim remittitur Astulpho poenitentia publica, si monasterium voluerit ingredi, 33. q. 2, admonere. Et hoc propter continuationem poenitentiae et exercitii in quo semper debent esse monachi, arg. 16. q. 1, vos autem. Si vero postquam monasterium ingressi fuerint, delinquunt, bene subiiciuntur poenitentiae et disciplinae abbatis secundum regulam illius loci, supra, de regular., ne religiosi; et infra, de sent. excom., cum illorum.

X 3.34.05 *Non est*

Auctoritate sedis Apostolicae
Arg. quod Papa potest dispensare in voto et episcopi etiam, supra, de voto et vot. redem., de peregrinationis. Sed cum vota ex necessitate sint solvenda, 17. q. 1, sunt quaedam. Et de iure naturali non videtur quod ibi habeat locum dispensatio, quia dictum est: vovente et reddite Domino vota vestra, infra, de voto et vot. redem., magnae; et infra, de voto et vot. redem., licet. Unde in his votis non dispensat sed declarat. Cum enim quis vovet peregrinari, subintelligitur si commode fieri potest, ut supra, de iureiur., quanto, ubi de hoc. Et de voto et iuramento dic ut ibi, sicut nec frangit votum qui illud in melius commutat, supra, de voto et vot. redem., scripturae. Et de hoc dictum est supra, de voto et vot. redem., de peregrinationis.

Adimplere
Si iusta causa subest, supra, de voto et vot. redem., de peregrinationis. Alias non est securus quo ad Deum cum quo Papa dispensat, nisi subsit causa dispensandi. Sicut nec dicitur absolutus qui causam excommunicationis supprimit, supra, de offi. ord., ex parte; et infra, de sent. excom., cum pro causa. Habebit tamen exceptionem quo ad ecclesiam ille cum quo sine causa dispensatum est, arg. ff. de fur., inter omnes § penulti. Quo ad Deum sibi allegatio non valebit, ubi iudicabitur eo teste quo iudice, 9. q. 3, aliorum hominum; et 11. q. 3, audi.

Regnum ipsum
Sic ergo Papa praefert utilitatem privatam coniutilitati contra id quod habes supra, de postuland., cum sacerdotis; et 7. q. 1, scias; et 8. q. 1, in scripturis; et supra, de regular., licet. Non sunt contraria, quia hic non praefert sed differt. Et quod differtur, non aufertur, 32. q. 2, ancillam; de poen. dist. 6, nemo.

X 3.34.06 *Licet universis*

Liberum sit arbitrium
Unde dicit Augustinus: quae non coepit, deliberet; quae egressa est, perseveret, 27. q. 1, nuptiarum. Et ea sunt in nostris officiis gratiora, quae cum liceret ea nobis non impendere, causa tamen dilectionis impendimus, 28. q. 1, iam nunc.

Resilire
In aliud tamen potest commutari de auctoritate superioris et iusta de causa, ut supra, de voto et vot. redem., de peregrinationis; et supra, de voto et vot. redem., venientis; et infra, de voto et vot. redem., magnae.

Commiserit tuae fidei exequendum
Arg. quod aliquis potest ieiunare pro alio et votum alterius adimplere, quia mortuus solvit votum suum per superstitem, arg. 13. q. 2, animae defunctorum; et 26. q. 6, si aliquis fuerit.

Occasione qualibet
Supple minus idonea, quod in generali verbo subintelligitur, arg. supra, de elect., causam quae; et supra, de offi. deleg., ex parte tua; ff. de ritu nupt., quamquam; et supra, de iureiur., veniens; et supra, de iureiur., Quintavallis.

Si dictus rex
Frater ipsius ducis contra quem dux ipse converterat aciem bellatorum, quam contra inimicos crucis dirigere simulavit.

Privandum
Dicit hic Vincen. quod qui adimplet voluntatem defuncti sit ei auferenda tota hereditas, et idem dicit canon 11. q. 1, Sylvester. Et hoc concordat legi antiquae C. de fideicomm., quaestionem, in fi., at tamen illud observatur in extraneo herede. Sed licet filius institutus heres non adimpleat voluntatem defuncti, non ideo totum perdit, sed reservatur ei legitima, C. de fideicomm., authen. hoc amplius. Et satis potest dici quod lex in hoc casu praeiudicet canoni ratione aequitatis. Vel hic auxit poenam legis ob favorem terrae sanctae. Vel melius dic quod id quod dicit lex de legitima relinquenda non potest habere locum in huiusmodi dignitatibus, cum dividi non possint, quia regnum unicum debet esse. Et si contigeret quod aliter diminueretur, cito destrueretur, sed aliae hereditates bene dividuntur inter heredes, sed hic unus tantum debet esse rex. Et ideo dicit quod totum regnum devolvetur ad alium fratrem.

X 3.34.07 *Magnae*

Noluisti tamen sine consilio
Et bene, quoniam nemo iuramentum suum vel votum debet interpretari, supra, de elect., venerabilem; et infra, de voto et vot. redem., ex multa. Nisi certus esset quod non esset obligatus, arg. infra, de sent. excom., inquisitioni. Tanc.

Liceat
Haec tria semper consideranda sunt, arg. 11. q. 1, aliud; et 4. dist., denique, in fi.

Sane non
Hic incipit ostendere quod votum suum perficere teneatur.

Ut venires
Non obstante quod causa voti cessat, cum etiam si sine causa voluisset, nihilominus teneretur, supra, de conver. coniug., ex parte abbatis. Facilius enim dispensari potest cesssante causa, ut dicit in fine. Causa enim non impedit nisi exprimatur, C. de condi. ob turp. caus., si repetendi, nisi a iure subintelligatur, ff. de iure dot., stipulationem. Io.

Prophetica
Scilicet David.

Primum
Scilicet vovete. Ber.

Secundum
Scilicet reddite.

Sed nec decens videbatur
Ut venires contra votum.

Retro
Apostatando. Simile infra, de apostat., quidam. Nam apostata dicitur retro stans, 26. q. 7, non observetis; et 3. q. 4, beatus; de poen. dist. 2, pennata.

Agitur a praelatis
Iuxta illud: componitur orbis regis ad exemplum, 11. q. 3, praecipue. Nam praelati sunt tamquam signum positi ad sagittam, unde inferiores vitam eorum respiciunt, infra, de accusat., qualiter et quando 2.

Verum aetatis
Hic allegat quod non tenetur perficere votum suum.

Forsitan non debueras
Maxime ad loca remota, arg. 7. q. 1, praesentium; et ff. de off. praes., illud observandum; 7. q. 1, si quis in clero; et de conse. dist. 5, non oportet. Nec istud forsitan est dubitativum. Sic 33. q. 2, admonere; supra, de procurat., tuae. Io.

Peregrinari
de conse. dist. 5, non oportet 1.

Astrictus
Quia sicut clericus sine licentia episcopi sui non debet ab ecclesia abesse vel recedere ab eadem, 7. q. 1, praesentium. Sic et episcopus sine licentia Papae, supra, de translat., inter corporalia.

Cum igitur
Hic incipit ostendere quod votum commutari possit.

Commutari possit
Cum igitur mandatum Domini et votum pari pasu ambulent, ut hic dicit. Et mandatum Domini potest adimpleri per aliud aequipollens, ut 22. q. 4, innocens, ergo et votum. Sic argumentatur hic Innocentius. Io.

Sinite illos
Ut 11. q. 3, inter verba.

Eundo morando et redeundo facturus
Haec tria tempora considerantur, cum aliquis condemnatur alii in expensis factis in prosequenda appellatione, supra, de appell., reprehensibilis; C. qui accus. non poss., qui crimen. Simile supra, de concess. praeben., quia diversitatem, in fi.

Sine diminutione
Praeter illam diminutionem, quae fieret in pecunia transferenda, quia ille qui eam portabit suis expensis non militabit, supra, de praescrip., cum ex officii; et 12. q. 2, caritatem. Vel intellige quod haec pecunia mitti debet per aliquem religiosum, qui alias esset illuc iturus. Vincen.

Cessavere causae
Arg. quod cessante causa cessat privilegium, infra, de verb. sign., abbate, in fi.; et 16. q. 1, generaliter; et 25. q. 2, hostilitatis; et Inst. de auct. tut. § ulti.; et C. de rest. milit., sancimus; et supra, de decim., suggestum. Io. Et supra, de renunciat., post translationem, ubi de hoc; supra, de iureiur., et si Christus, in fi. Ber.

X 3.34.08 *Quod super his*

Cum isti
Scilicet debiles.

Et illi
Scilicet inopes.

Qui temporalem
Eandem distinctionem facit lex in iudice, ut si non potest interesse propter temporalem impotentiam, expectandus est. Et si habeat perpetuum impedimentum, removendus est, ff. de vac. mun., ad excusationem; et ff. de iud., si longius. Argumentum ad idem supra, de rescript., sciscitatus. Io.

Dilatio
Expectandi enim sunt quousque causa impedimenti cessaverit. Simile infra, de sent. excom., de caetero; et infra, de sent. excom., quamvis, in fi. Idem est si per fortuitos casus impediretur, nihilominus cum potest, adimplere tenetur, ff. de ver. oblig., inter stipulantem § sacram. Nisi certa res esset promissa non in genere, C. si cert. pet., incendium. Io.

Compensato labore
Ieiuniis et orationibus, ut supra, de voto et vot. redem., magnae, circa fi. Laur. Vel videtur quod tantum mittere teneantur pro quanto nollent sustinere laborem hunc, sed vix potest aestimari. Prima expositio melior est.

Circa primos
Scilicet qui pro succursu terrae sanctae votum emiserunt.

Circa secundos
Scilicet quibus pro satisfactione suorum criminum labor peregrinationis est iniunctus.

Voventium
Scilicet sponte et non per poenitentiam iniunctam.

Quamvis sit habilis
Hic formatur secunda quaestio sequentis capituli infra, de voto et vot. redem., ex multa § secundo quaesivisti.

Potens tamen
Unde non subest causa cur debeat immutare. Alias qui iniunxit vel quilibet maior eo eam posset immutare iure communi, sed immutationem huiusmodi poenitentiae videtur reservare sibi et illis quibus specialiter a sede Apostolica iniungitur, et est speciale, infra, de voto et vot. redem., ex multa. Vincen.

De mulieribus
Non voventibus scilicet.

Viros suos
Et hic formavit archiepiscopus tertiam quaestionem, infra, de voto et vot. redem., ex multa § quod autem.

Sequantur
Qui de uxorum licentia voverunt, vel ex causa concedit Papa quod viri possunt vovere se ituros in subsidium terrae sanctae invitis uxoribus, infra, de voto et vot. redem., ex multa, vers. in tanta quoque.

Caeterae vero
Scilicet voventes.

X 3.34.09 *Ex multa*

Expressam
Supra, de voto et vot. redem., quod super his.

Ad quales
Scilicet viros religiosos de quibus fiebat mentio in capitulo proximo infra, de voto et vot. redem., quod super his. Sed illa clausula remota fuit quae posita erat sub illo, et infra ante § illum de mulieribus.

Incumbit
Ecce hic unum mirabile quod est ius commune, ut dispensetur in voto cum debilibus, et huiusmodi arg. supra, de voto et vot. redem., de peregrinationis. Et tamen eius executio non permittitur alicui, nisi cui Papa specialiter committit. Quod tamen restringendum est circa votum huiusmodi, scilicet pro succursu terrae sanctae emissum. Ergo cum hic Papa

sibi dispensationem reservet, in aliis votis episcopis dispensationem indulget, arg. supra, de voto et vot. redem., de peregrinationis; et infra, de sent. excom., nuper.

Religiosi
Religiosi dicuntur non solum monachi et regulares sed et clerici, ut 1. q. 1, nullus. Et etiam laici dicuntur religiosi, 28. dist., si qua vidua.

Religione
1. q. 1, vilissimus; 8. q. 1, qualis erit.

Ad neutros
Arg. generaliter dictum, nulli esse dictum, supra, de offi. deleg., ex parte tua; arg. C. de pignorib., quamvis constet. Io.

Maturitate tamen consilii
Idem dicit lex in advocatis, qui non minus provident generi humano quam si patriam armis defenderent, C. de advoc. div. iud., advocati. Et lex dicit quod omnibus aeque postliminum est, non solum his qui pugnare possunt, sed omnibus qui eius naturae sunt, ut consilio vel auxilio vel aliis modis usui esse possint, ut ff. de capt. et de post. et red., postliminium § ulti. Et consilio pollet cui vim natura negavit. Et est simile ff. de vac. mun., sextum decimum § quem ita; et ff. de vac. mun., sextum decimum § qui pueros.

Superius ponitur
Supra, de voto et vot. redem., quod super his. Et hoc statim sequitur.

Viri praeter uxorum
Specialissimus casus est iste quod vir potest emittere votum praeter licentiam uxoris contra illa iura 33. q. 5, quod Deo; et 27. q. 2, si tu abstines. Et per hoc videtur quod aliquod votum sit maius voto continentiae, nam propter continentiam etiam ad tempus non liceret hoc fieri, ut 33. q. 5, si dicat. Sed in voto abstinentiae secus videtur, dum tamen per tale votum neutri fiat praeiudicium, 33. q. 5, noluit. Io.

Inhabiles ad pugnandum
Clerici vero pugnare non debent. Arma enim clericorum sunt lacrimae, 23. q. 8, clerici qui in quacumque; 23. q. 8, quicumque; et 23. q. 8, convenior. Licet non minus pugnet qui consilio pugnat, ut dictum est in notula, idem dicit lex.

Obsequio deputati
Qui ex debito officii eos sequi teneretur, infra, de sent. excom., inter alia.

In poenitentia est iniunctus
Videtur ergo quod mutatio voti non possit fieri in his poenitentiis imponendis. Arg. contra 82. dist., presbyter si fornicationem.

X 3.34.10 *Per tuas*

Duos menses
Si hoc non apposuisset, nihilominus tenebatur suscipere habitum regularem. Et deberet ad hoc compelli, cum ad hoc voto solemni se astrinxerit, supra, de conver. coniug., ex parte abbatis, in fi.; supra, de regular., porrectum. Sed quid si praelatus et fratres praedicti loci nollent ipsum postea recipere? Tunc non diceretur transgressor voti, si per eum non stetit infra tempus statutum. Simile infra, de spons., sicut. Sed ipsi possunt compelli ut eum recipiant, ex quo promiserunt illum recipere, quia qua ratione ille compellitur ad votum reddendum per decretalem praedictam supra, de regular., porrectum. Eadem ratione et illi ex quo votum suum emittit, et recipitur ab abbate, arg. supra, de regular., ne religiosi, nisi aliud rationabile obsistat.

Reddas altissimo vota
Sic supra, de voto et vot. redem., magnae. Cum hoc sit praeceptum ut ibi, quia Dominus exigit oblatum, quod non exigeret offerendum, 27. q. 1, nuptiarum, in fi.

Eligendum
Et sic patet quod canonicus regularis potest eligi ad regimen ecclesiae saecularis, quia haec Gebensis saecularis est, alias quare diceret: redde Domino vota tua? Et de iure communi ex quo dicit, duxit eligendum. Et ad idem facit infra, de statu monach., quod Dei timorem, ubi de hoc. Tamen ibi contra potest sumi arg. quod non de iure communi, ubi dicit: sicut annuendum duximus postulationi etc. Sed tamen aliud videtur hic, quia ecclesia Gebensis cathedralis est, et monachi regulares de iure communi possunt eligi in episcopos, 18. q. 1, statutum. Et sic non probatur per hanc decretalem, quod de iure communi eligi possunt ad inferiores dignitates curam animarum habentes. Et iste monachus fieri non poterat existendo episcopus, nisi resignaret episcopatui, cum ecclesia Gebensis saecularis esset.

X 3.34.11 *Postulastis*

Vicesimam
Quam solvere tenebantur omnes, tam clerici saeculares quam regulares ad subsidium terrae sanctae, secundum quod fuerat constitutum in concilio generali in decretali illa, ad liberandam, quae non est in hac compilatione. Sed qui erant crucesignati, vel qui etiam vellent signari, non tenebantur ad hoc. Immo sibi poterant retinere, ut hic dicit.

Enormiter
Et ita non vult Papa propter succursum terrae sanctae ecclesias istas enormiter aggravari in absentia istorum, in quo casu cessat privilegium, supra, de decim., suggestum; et infra, de verb. sign., quid per novale. Et si non potest alter subveniri quin alter laedatur, commodius est neutrum iuvare quam alterum laedere, 14. q. 5, denique; 22. q. 2, primum; ff. de condi. indeb., nam hoc natura. Item nota quod hic non praefertur publica utilitas privatae, arg. ad hoc supra, de voto et vot. redem., non est. Et est arg. contra id 7. q. 1, scias; et supra, de postuland., cum sacerdotis, ubi de hoc.

X 3.35.01 Theodosius (rev. 9/23)

Verbo
Scilicet praedicationis, quia licet per officium suum inhabiles sint ad pugnandum, possunt tamen in aliis se utiliter habere, supra, de voto et vot. redem., ex multa.

Exemplo
Bonae vitae scilicet, quia verbo et exemplo dicimur praedicare, 43. dist., sit rector.

Conscientiae vestrae
Ecce quod relinquitur aliquis propriae conscientiae suae. Sic supra, de voto et vot. redem., per tuas; et 33. q. 4, vir cum propria; supra, de renunciat., nisi, in fi. Et 33. dist., habuisse; et 4. dist., denique; et 15. q. 8, qui admisit; et supra, de iureiur., mulieri. Quia de nemine praesumendum est quod sit immemor suae salutis, 1. q. 7, sancimus.

Procuratoribus
Nota arg. quod praelatus quando se absentat ab ecclesia iusta de causa et de licentia superioris, dimittere debet procuratorem in loco sui, qui procuret utilitatem ecclesiae.

Tenemini
Sed quare dicit tenemini, cum alter istorum nondum fecerit votum, sed dicat tantum desiderat insigniri? Sed dic quod iste, licet votum adhuc non emiserit, tamen iam in animo suo plene deliberaverat, et propositum suum in hoc fixerat. Unde sine peccato convenire non poterat, 17. q. 1, qui bona. Sic supra, de voto et vot. redem., venientis. Alias non diceretur transgressor, supra, de voto et vot. redem., litteraturam.

X 3.35 DE STATU MONACHORUM ET CANONICORUM REGULARIUM

X 3.35.01 *Theodosius*

Disciplinae
Hoc intellige cum monachi populum non habent, quia tunc solam disciplinam debent, 16. q. 1, cum pro utilitate, nisi sit honestum servitium debitum ex constitutione vel consuetudine, 18. q. 2, servitium; et 1. q. 3, quaesitum. Si enim haberent populum, tunc monasteria subsunt episcopo ratione populi quo ad legem diocesanam, arg. 18. q. 2, Eleutherius. De hoc dictum est supra, de offi. ord., dilectus.

Inferatis
Nisi hoc solum quod canones iubent, 18. q. 2, hoc tantum; et 18. q. 2, quam sit; et 18. q. 2, luminoso.

Accesserit
In vita, quoniam si in morte causa sepulturae aliquid relinqueretur, inde episcopus debet habere canonicam portionem, supra, de sepult., de his; et supra, de sepult., cum super; et supra, de testamen., requisisti, nisi consuetudo repugnet.

X 3.35.02 *Monachi*

Pretio
Infra, de simon., quoniam.

Peculium
Nisi pro iniuncta administratione, ut infra sequitur.

Parochiales
Et sic patet quod monachi singuli in parochialibus ecclesiis esse non debent. Et istud quidem ius commune est, quod hic dicitur ex dispensatione. Tamen videtur quod monachus potest praefici in parochiali ecclesia, 16. q. 1, in parochia; et 16. q. 1, cum pro utilitate; et 16. q. 1, doctos; et 16. q. 1, si monachus; et 16. q. 1, si quis monachus. In collegiata vero ecclesia videtur quod de iure communi possunt eligi, infra, de statu monach., quod Dei timorem; et arg. supra, de voto et vot. redem., per tuas. Tanc.

Vae soli
7. q. 1, illud; 81. dist., in omnibus.

Ad sacros ordines
Et insuper de monasterio expellatur secundum quod traditur, infra, de simon., quoniam. Vel debet sibi pecunia restitui, et intret aliud monasterium, infra, de simon., veniens.

Administratione permissum
Alias proprium habere non potest, 12. q. 1, non dicatis; 27. q. 1, monacho; 18. q. 1, statutum; et infra, de statu monach., cum ad monasterium. Arg. contra 27. q. 1, de viduis. Illud planum est quod monachus proprium habere non potest. Immo et si sub ea conditione fieret monachus ut habeat proprium, conditio frangitur et remanebit monachus, arg. infra, de cond. appos., quicumque, ubi tenet matrimonium et conditio frangitur, arg. ad hoc ff. si ususfruct. pet., si fundo § 1; ff. de usufruct. et habit., sed neque; et C. de insti. sub cond. fac., reprehendenda. Arg. contra manifestum infra, de cond. appos., si conditiones, ubi dicitur quod si conditio quae fit contra substantiam matrimonii apponitur in matrimonio, matrimonium nullum est. Sed haec conditio de proprio retinendo est contra substantiam monachatus, ut videtur, quia dominus Papa in eo dispensare non potest, sicut nec in continentia, infra, de statu monach., cum ad monasterium, in fi. Et est arg. ad hoc 32. q. 2, solet. In hac opinione fuit Hug., et idem credo quod non sit monachus, quia proprietatis abdicatio et continentia castitatis sunt de substantia monachatus sicut in matrimonio carnali. Arg. contra supra, de conver. coniug., dudum.

Sepulturam
Sic infra, de statu monach., cum ad monasterium; et infra, de statu monach., super quodam. Et hoc idem locum habet in quolibet quem constat decessisse in mortali peccato, 88. dist., neque; 13. q. 2, pro obeuntibus; et 23. q. 5, placuit. Ala.

BOOK III **X 3.35 DE STATU MONACHORUM ET CANONICORUM REGULARIUM**

X 3.35.03 Recolentes (rev. 9/23)

Nulli tradantur

Ut fiat ibi custos vel procurator ibi constituatur, 1. q. 1, si quis episcopus; et 1. q. 3, salvator.

Non mutentur

Hoc intelligitur de illis qui instituuntur perpetuo per canonicam electionem capituli et confirmationem superioris. Isti sine certa causa removeri non debent, quia sine culpa nemo privari debet iure suo, 56. dist., satis perversum; et 16. q. 7, inventum; supra, de iudic., de Quodvultdeo. Alii priores qui per electionem canonicam non creantur, ad voluntatem abbatum suorum removentur, infra, de statu monach., cum ad monasterium § tales. Et huiusmodi regularibus non confirmantur prioratus, supra, de confirm. util. vel inutil., porrecta. Tanc.

Dilapidatores

Propter hoc bene removentur, 3. q. 2, quia ea quae; et infra, de simon., licet Heli; et infra, de simon., per tuas 1; et supra, de offi. deleg., venerabili. Et hoc si probetur et propter incontinentiam removetur abbas, 18. q. 2, si quis abbas.

X 3.35.03 *Recolentes*

Obliti

Qui eam sciverunt.

Ecclesias

Quas possunt habere nigri monachi.

Altaria

1. q. 3, quaesitum, ubi ecclesie vulgari vocabulo altaria nuncupantur, sed hic restringitur ad decimas propter verbum ecclesias.

Hominia

A vasallis feudum ab eisdem tenentibus.

Iustitiarias

Id est, officia iudicum saecularium qui iustitiarii in aliquibus locis appellantur.

Tributarias

Id est, officia colligentium tributa qui enim deserviunt Deo, talibus se implicare non debent, 21. q. 3, pervenit; et 21. q. 3, credo.

Constitutis terminis

Quia quilibet debet esse contentus terminis suis, 13. q. 1, ecclesias; et supra, de sepult., nos instituta.

X 3.35.04 Super quodam (rev. 9/23)

Communi iure censeri

Quia per hoc privilegio suo renunicare videntur, ex quo abutuntur eo, 11. q. 3, privilegium. Simile supra, de vit. et honest. cler., ex litteris; et supra, de cleri. coniug., ex parte. Quia duplici iure censeri non debent, 12. q. 2, cognovimus, in fi.; et supra, de decim., cum in tua.

Vel etiam commutatis

Datis villis pro agris, quia villas habere non debent, ut supra dicitur.

Coaptent

Et ita id quod aggregatur alii, ipsius naturam imitari debet, 16. q. 1, temporis qualitas; et 16. q. 1, hoc nequaquam; supra, ne sede vac. nih. inn., novit, ubi notatur de hac unione.

X 3.35.04 *Super quodam*

Proprium quod contra

Cum talibus non dignatur Dominus fieri pars calicis eorum, 12. q. 1, clericus; et 12. q. 1, nolo.

Sepultura

Pro eo quod in mortali peccato mortuus est. Sic supra, de statu monach., monachi § qui vero; et infra, de statu monach., cum ad monasterium. Pro talibus enim sancta non orat ecclesia, 13. q. 2, pro obeuntibus; et 23. q. 5, placuit. Ber.

Maximo scandalo

Pro quo vitando multa fiunt et omittuntur, dummodo sine peccato mortali possint fieri vel omitti, infra, de nov. oper. nunc., cum ex iniuncto.

Proiici

Si ossa illius possunt discerni ab aliis, supra, de sepult., sacris.

In similibus

Sic supra, de rescript., inter caeteras. Et ita de similibus ad similia procedendum est, ff. de legib., non possunt. Ber.

X 3.35.05 *Quod Dei timorem*

Promissionem

Ex qua obligatus fuit ad observantiam regularem servandam, licet non fecerit professionem, unde non posset compelli ex sua promissione si nollet, supra, de regular., porrectum; et supra, de voto et vot. redem., per tuas.

Ministrares ibidem

Aliter non poterat ibi ministrare, nisi de licentia episcopi, cum iam renunciasset officio plebaniae quantum in se fuit, supra, de renunciat., quod in dubiis. Tamen intelligo quod renunciatio tenuit.

X 3.35.05 Quod Dei timorem (rev. 9/23)

Lateranensi concilio
Supra, de statu monach., monachi.

Laxiori
Alias aequiparantur monachi et canonici regulares in multis, 20. q. 3, praesens clericus; et infra, ne cler. vel mon. saecul. neg., super specula; et supra, de postuland., ex parte.

Canones
16. q. 1, doctos; et 55. dist., priscis.

Regimen in presbyteros
Utrum monachi de iure communi vel dispensatione possint ad regimen animarum assumi, dubitari consuevit. Dicunt quidam quod hodie possunt de iure communi, olim tamen ex dispensatione, ut 55. dist., priscis. Alii dicunt quod nec hodie possunt nisi ex dispensatione, cum Lateranense concilium hoc prohibeat, supra, de statu monach., monachi. Satis potest dici quod olim monachi non poterant praefici ecclesiis, nisi ex necessitate, ut 55. dist., priscis. Hodie possunt etiam utilitate suadente. Sed regulares ut dicit hic licite possunt eligi ad regimen ecclesiarum utilitatis causa et de iure communi, ut videtur arg. supra, de voto et vot. redem., per tuas. Sed in hoc est differentia inter monachos et canonicos regulares, quod monachus tenetur habere socios secum sui ordinis, supra, de statu monach., monachi; et infra, de capell. monach., ex parte; et infra, de capell. monach., ad audientiam. Sed regulares ad hoc non tenentur, nisi commode possint ut hic dicitur. Sed littera sequens contrarium innuit, ut ibi dicit: sic annuendum etc. Et hoc tutius est dicendum. Praeterea dicitur hic circa principium, quod plebanus iste promissionem fecerat solummodo de sua conversione, nec professionem fecit nec habitum religionis assumpsit, et ita non fuit canonicus regularis, nec amplius in voto fuit processum, quod patet per hanc litteram. Quare ergo Papa non mandat quod votum suum Domino reddat, ne dicatur voti transgressor, propter quod signatur contrarium, supra, de voto et vot. redem., per tuas, ubi dicit Papa quod resignet regimen ecclesiae Gebensis. Et reddat Domino vota sua, et postea si electus fuerit, poterit electionem recipere de se factam. Potest responderi, ibi necesse habebat resignare episcopatum, aliter non poterat fieri monachus aut regularis canonicus, cum ecclesia Gebensis esset saecularis, et postmodum sine aliqua dispensatione potest eligi in episcopum, sive cathedralis ecclesia sit regularis sive saecularis propter excellentiam episcopalis dignitatis, sicut clericus saecularis potest eligi in episcopum, sive ecclesia sit saecularis sive regularis. Hic vero etiam si esset iam canonicus regularis, nihilominus poterit dispensative assumi in plebanum. Ergo multo fortius poterat ibi remanere de licentia episcopi et prioris dispensative. Sed contra promissionem non poterat dispensare, cum renunciatio sua non tenuisset simpliciter. Et ideo dispensat Papa cum ipso propter promissionem, ut remaneat in officio plebani propter maius bonum non facta aliqua professione, et ex hac promissione debet vivere regulariter tamquam professus, ut dicit in fine. Quidam tamen dicunt quod fecerat professionem, sed ex littera hoc non colligitur. Sed in illa decretali supra, de voto et vot. redem., per tuas, non petebatur dispensatio, ut ibi remaneret tamquam monachus. Sed petebat consilium quid ei faciendum esset super voto quod

fecerat. Papa respondet sibi de iure quod reddat Domino vota sua, et sic non contradicit huic. Et si idem fuisset petitum, idem fuisset responsum. Ber.

Privilegiatum
In hoc est privilegiatum officium praedicandi, quia nemo debet praedicare, nisi ei sit commissum ab episcopo loci vel ab Apostolica sede, infra, de haeret., excommunicamus itaque § quia vero. Et illi qui per electionem ad hoc eliguntur.

Et regularis
Sed numquid tenetur regulam observare propter illam promissionem? Dico quod sic, ut dixi supra eodem capitulo in principio. Et ita patet quod per solam promissionem obligatur quis ad observantiam regularem. Ber.

X 3.35.06 *Cum ad monasterium*

Proprium
Sic supra, de statu monach., monachi; et supra, de statu monach., super quodam.

Resignet
Supra, de statu monach., monachi.

Expellatur
Etiam ab altaris ministerio removendus est in vita, supra, de statu monach., monachi; et supra, de statu monach., super quodam. Vel potest mitti in arctius monasterium ne evagetur, ut sic poeniteat et restituat illud, arg. 16. q. 6, de lapsis; et 27. q. 1, si quis rapuerit.

In morte
Secus si in vita, quia tunc debet converti in utilitatem ecclesiae, supra, de offi. ord., quanto; et 18. q. 2, abbates.

In sterquilinio
Sic supra, de statu monach., monachi; et supra, de statu monach., super quodam. Quia in mortali peccato decessit ut ibi dicitur. Arg. contra 23. q. 8, quicumque. Sed illud intelligitur de poenitente. Sed ad terrorem aliorum non orat pro eo ecclesia, sicut contingit de his qui moriuntur in torneamentis, infra, de torneam., felicis; et infra, de rapt., super eo.

Carne vescatur
de conse. dist. 5, carnem.

Indulgentia
Sic ergo abbas potest dispensare in regula monachali quantum ad esum carnium, ut hic, et arg. de conse. dist. 5, carnem. Item in cella speciali constituenda, 20. q. 4, monachum. Item dispensat in ordine, infra, de eo qui furt. ord. recep., cum H. Item dispensat cum eo qui excommunicatus ordines suscepit, infra, de sent. excom., cum illorum. Io.

X 3.35.06 Cum ad monasterium (rev. 9/23)

Delicatus
Arg. ad hoc 41. dist., non cogantur; ff. de lege Fab. de plag., poena.

Perpetuo
Hoc verum est quando non eligitur canonice a capitulo, sed abbas committit ei administrationem. De hoc habes supra, de statu monach., monachi.

Amoveri
Isti etiam regulares canonice electi ex levibus causis removentur, infra, de simon., per tuas 1.

In omnibus
Quia tota potestas monasterii ad abbatem pertinet, 18. q. 2, nullam. Etiam si durum esset mandatum, ei parendum est, 23. q. 1, quid culpatur.

Negligens
Quoniam pro negligentia potest removeri, 18. q. 2, si quis abbas; et 81. dist., dictum; et 86. dist., inferiorum; et 11. q. 3, placuit; et 100. dist., quoniam; et 1. q. 1, si qui episcopi § ecce cum honoris; et C. de off. praef. praet. Orien., si quis; ff. de cust. reo., carceri; et ff. de cust. reo., milites. Quod verum est, si est magna negligentia, ff. de ver. sig., magna. Io.

De suis manibus
Sic supra, de offi. ord., irrefragabili, ubi invenies concordantias de hoc.

Abdicatio proprietatis
Et ita habes hic quod Papa in multis praeter articulos fidei dispensare non potest, scilicet ut monachus proprium habeat, et in voto continentiae. Item in secundo gradu consanguinitatis, supra, de restit. spol., litteras. Item nec contra Apostolum, 25. q. 1, sunt quidam. Item nec contra quatuor concilia, 15. dist., sicut. Quod usquequaque verum non est, quoniam Papa dispensat contra multa statuta quatuor conciliorum, quamvis concilia non audeat reprobare. Et tamen quod hic dicit verum est quod Papa non potest in his dispensare, quoniam abdicatio proprietatis et custodia castitatis sunt de substantia monachatus. Vincen. et Io. dixerunt quod Papa non potest dispensare, ut monachus habeat proprium existendo monachus. Sed de monacho potest facere non monachum. Alii dicunt quod potest dispensare propter plenitudinem potestatis quod monachus habeat proprium, quoniam potest auferre substantiam rei, arg. C. de rei uxor. act., rem, in princ. Et de nihilo potest aliquid facere, 3. q. 6, hoc quippe; arg. de conse. dist. 2, re vera. Et exponunt quod hic dicit, non potest licentiam indulgere, id est, non congruit potestati illius. Simile 32. q. 5, si Paulus. Puto verum esse quod Papa in his duobus licentiam indulgere non potest ut littera ista dicit, etiam si vellet. Nam contra votum castitatis dispensare non potest, quia nullum invenitur aeque bonum in quo possit commutatio fieri, quia nihil est melius continentia, quia virginitas replet paradisum, 32. q. 1, nuptiae. Et castitas sola est quae cum fiducia potest Deo animas praesentare, in Auth. de lenonib. § sancimus, coll. 2. Et nulla commutationem potest dare homo pro anima sua, cum sit

pretiosior omnibus rebus, 24. q. 3, si habes; arg. 12. q. 1, praecipimus. Item nota quod monachatio praeiudicat omnibus votis, voto scilicet peregrinationis, supra, de voto et vot. redem., scripturae. Item praeiudicat etiam iuramento, infra, de spons., commissum. Item maior est quam poenitentiae impositio, 33. q. 2, admonere. Item praeiudicat matrimonio ante carnalem copulam, supra, de conver. coniug., ex publico; et supra, de conver. coniug., verum; et supra, de conver. coniug., ex parte tua. Ber.

X 3.35.07 *In singulis*

Salvo iure diocesanorum
In visitationibus, procurationibus et correctionibus. Et est arg. quod procuratio necessaria est. Simile 9. q. 3, salvo; et 7. q. 1, pontifices.

Non consueverunt
Per hoc videtur quod abbates exempti teneantur venire ad tale capitulum, quod verum est infra, de statu monach., ea quae § si vero; et infra, de statu monach., ea quae § quod si abbas.

Ad hoc aptum
Habita ratione distantiae quo ad omnes, 63. dist., cum longe.

Illis quatuor
Quid iuris sit quando plures sunt iudices, et in pari vel impari numero discordant, dicitur supra, de re iudic., duobus. Sed isti non videntur delegati, sed potius ordinarii auctoritate huius constitutionis a sede Apostolica, unde secundum hoc si dissentiunt in numero pari, tenet sententia eorum qui absolvunt, ff. de re iud., inter pares; et supra, de re iudic., duobus.

Et appellatione remotis
Inquisitio ista fit causa correctionis et reformationis, quare locum non habet appellatio, supra, de appell., reprehensibilis; et supra, de appell., cum speciali, in fi.; et supra, de offi. ord., irrefragabili. Nisi forsitan modum excederent, ut ibi, ubi de hoc. Nec etiam recusare possunt, quia cum eos elegerint, eorum personas approbaverunt, 3. q. 3, induciae § offeratur; et supra, de caus. poss. et propr., cum olim. Nisi ex nova causa superveniente, supra, de offi. deleg., insinuante. Quia iusta recusatio nulli est deneganda, 3. q. 5, quod suspecti; et C. de sent. et interloc. om. iud., cum solitum, arg.

Proportionabiliter
Id est, pro numero personarum et secundum facultates cuiuslibet, sicut in navi fit collatio secundum proportionem et aestimationem rerum, ff. de lege Rhod. de iac., si laborante § cum in eadem.

Singulas abbatias
Et sic exemptas, infra, de statu monach., ea quae § quod si abbas, vers. haec eadem.

X 3.35.08 Ea quae (rev. 9/23)

Vice nostra

Tamquam delegatus auctoritate huius constitutionis. Simile supra, de offi. ord., irrefragabili. Numquid per hoc fit praeiudicium episcopo loci? Videtur quod non, per hoc quod dicit in principio: salvo iure etc. Unde satis potest dici quod isti tunc demum corrigent, cum episcopus est negligens, quia alias nulla visitatio vel correctio necessaria est, immo gravarentur monasteria ex eorum accessu. Et aliorum iurisdictionem usurpant, cum sua iurisdictio episcopo non servatur. Unde ordo episcoporum confunditur, 11. q. 1, pervenit. Videtur etiam quod si episcopus esset negligens, quod primo debeat admoneri, arg. supra, de offi. ord., quanto; et 9. q. 3, nunc vero. Sed verius videtur quod sine aliqua admonitione possint visitare, et quia melius sciunt hoc quam episcopi. Nec episcopo fit praeiudicium, quia si inveniant aliquem amovendum, denunciant episcopo ut illum amoveat, et ita salvo iure episcopi hoc officium exercent. Tamen si episcopus vellet visitare locum, ipsi praeponerentur episcopo, quia videretur quod episcopus hoc faceret malitiose causa impediendi eos. Monasteria vero exempta sine aliqua distinctione visitabunt, infra, de statu monach., ea quae. Immo non obstante visitatione episcoporum, ipsi exercent officium suum, ut dicit inferius, infra eodem capitulo § porro.

Denuncient episcopo proprio

Sic infra, de statu monach., ea quae § si vero.

Ut cum praedicti visitatores accesserint

Hic patet quod visitatores isti possunt visitare, etiam si episcopi non fuerint negligentes.

Iniurias sustinere

Ne inde nascatur iniuria, unde iura nascuntur, infra, de accusat., qualiter et quando 1; et C. und. vi, meminerint. Ber.

X 3.35.08 *Ea quae*

Per abbatem loci

Correctio monachi primo loco spectat ad abbatem, supra, de offi. ord., quanto. Qui si negligens fuerit, devolvitur potestas ad superiorem, ut ibi, et alias punietur de negligentia, ut sequitur infra § si vero.

Iuxta modum culpae

Ut in quo maior fuerit culpa, maior exerceatur vindicta, 50. dist., quia sanctitas tua; et 24. q. 1, non auferamus, in fi. Et si stultus fuerit in culpa, sapiens sit in poena, 34. dist., quia ea. Nec poena amplius extendatur quam delictum fuerit repertum, supra, de his quae fi. a maior. par. cap., quaesivit; et C. de poe., sancimus.

Absque personarum delectu

Simile supra, de iudic., novit; et supra, de praeben., venerabilis. Arg. contra, quia plus punitur quandoque unus quam alter, 24. q. 1, qui contra pacem; 40. dist., homo Christianus; 11. q. 3, praecipue; 25. q. 1, nulli; et C. de mod. mult., eos, in fi. Hic ergo non habet locum distinctio personarum, cum omnes sunt aequales, nec aliquis censetur ammodo nobilis vel potens, quia iam non habet propriam voluntatem, 12. q. 1, non

dicatis; 20. q. 3, praesens clericus; et 27. q. 2, scripsit. Et ideo sine delectu personarum sunt percellendi, qui ibi delinquunt. Arg. tamen contra supra, de statu monach., cum ad monasterium.

Rebellibus
Quia in contumacia persistentibus nos convenit esse severos, 2. q. 5, quanto; supra, de postuland., clerici. Si vero sine scandalo hoc fieri non posset, referatur ad Apostolicae sedis iudicium, arg. supra, de statu monach., in singulis, vers. si vero in hac novitate.

Quem morbidam
Quia resecandae sunt putridae carnes, 24. q. 3, resecandae. Quia una ovis morbida totum gregem inficit, 45. dist., sed illud.

Seipsis seu monachis
Primo enim debent seipsos corrigere abbates, demum monachos, 42. dist. § 1; et 47. dist., sicut § necesse. Simile ff. de negot. gest., si pupilli § ulti.; ff. de pacti., cum in eo; ff. de fideiussor., tuto. Et a quo debet suos monachos prohibere, multo fortius et seipsum, ff. si serv. vend., altius. Nec potest alios corrigere, cum tacitus respondeat eadem quae corrigit, commisisse, 25. dist., primum; et 26. dist., una tantum, quia primo debet eiicere trabem de oculo suo, quam festucam de oculo fratris, 3. q. 7, fames § porro, in fi.; et 1. q. 1, multi.

Publice in capitulo
Quia publice deliquerant. Et quia admoniti fuerant negligentes, arg. 2. q. 1, si peccaverit.

In exemplum
Ut 2. q. 7, quapropter; et C. ad leg. Iul. repet., ut unius; et ff. de poe., capitalium § famosos; ff. deposi., bona fides, 1. resp., in fi.

Absque iudiciorum strepitu
Quia de plano et sine iudiciorum strepitu, infra, de accusat., olim. Et hoc ideo quia huiusmodi regulares de facili removentur a suis administrationibus, infra, de simon., per tuas 1. Non est ordo iudiciarius usquequaque servandus in huiusmodi inquisitionibus regularium, infra, de accusat., qualiter et quando 1, in fi. Et in casu isto non est amplius quaerendum de talibus, cum iam constet per inquisitionem visitatorum, quia de delicto unius hominis saepius non est quaerendum, ff. naut. caup. stab., licet, in fi. Item habes hic quod iudex potest de causa cognoscere, non tamen potest sententiam ferre. Simile in causa episcoporum, 3. q. 6, quamvis; et 3. q. 6, dudum. Sed hoc ideo fit ne praeiudicetur episcopo diocesano. Et in hoc casu salvum est ius eorum, supra, de statu monach., in singulis, in princ. Idem est etiam in exemptis, quorum depositio sedi Apostolicae reservatur, ut infra dicitur. Ber.

De communi contributione
Simile ff. de lege Rhod. de iac., navis onustae, in princ.; et ff. de lege Rhod. de iac., navis onustae § cum autem iactus; et ff. de lege Rhod. de iac., lege Rhodia; et ff. de lege Rhod. de iac., si laborante, in princ.

Et eorum negligentias
Et sic aliquis post depositum officium tenetur reddere rationem de his quae male gessit vel quae male administravit. Sic curator tenetur de sua administratione, et convenitur post depositum officium, C. de transaction., age cum Geminiano. Sic etiam magistratus reipublicae de lata negligentia tenetur, ff. de admin. rer., magistratus.

Clericos saeculares
Quia in uno eodemque officio dispar non debet esse professio, nec est arandum in bove et asino, 16. q. 7, in nona; supra, de elect., cum causam. Ber.

X 3.36 DE RELIGIOSIS DOMIBUS UT EPISCOPO SINT SUBIECTAE

X 3.36.01 *Nunc autem*

Dedicanda
Id est, consecranda. Tunc enim appellatur ecclesia, sicut electus in consecratione nomen assumit episcopi. Sic monachus tunc dedicatur Deo, cum facit professionem, 27. q. 1, virginibus; et 27. q. 1, si quis sacro. Ber.

Ad cuius consignationem
Ex istis duobus, scilicet quod dicit baptizaverit et ad cuius consignationem sub annua devotione concurrerint, apparebit ad cuius iurisdictionem debeat pertinere, 16. q. 3, licet in regulis; et 16. q. 5, possessio territorii. Et hoc videtur habere locum ubi limes certas parochias non distinguit. Sed si limes distinctus esset, non videtur esse dubitatio quis eam consecraret, nisi alter praescripsisset populum.

Terminis
Distinctis inter civitates per cives, 10. dist., lege; et 3. q. 6, haec quippe. Vel terminis novis scilicet, quoniam antiquis bene diffinitur, arg. supra, de paroch., super eo; et 16. q. 3, inter memoratos; et 16. q. 3, dilectio. Io.

Locis
Id est, proprietate locorum, quia proprietas loci non facit diocesim, 16. q. 3, licet; et 16. q. 5, possessio territorii; et 16. q. 5, si quis episcoporum. Eius ergo auctoritate consecrabitur ecclesia, qui populo haec duo sacramenta sub annua consignatione contulit. Ber.

Vocetur
Et si ei quaestio moveatur, interim in possessione defenditur, 8. q. 4, nonne; et supra, ut lite penden., a memoria; et supra, ut lite penden., laudabilem.

X 3.36.02 *Quia monasterium*

Uniendum
De hac unione dic ut supra, ne sede vac. nih. inn., novit.

Cuius est diocesis
Per hanc unionem non fit praeiudicium episcopo in cuius territorio est. Et sic est arg. quod Papa non intendit iuri alterius derogare per suum privilegium, supra, de consuet., cum olim; et supra, de auctor. et usu pal., ex tuarum; et supra, de offi. ord., licet; et ff. ne quid in loc. pub., praetor ait § si quis a principe; et ff. ne quid in loc. pub., praetor ait § merito; et supra, de maior. et obed., cum inferior. Quia si unicuique episcoporum sua iurisdictio non servatur, ecclesiasticus ordo confunditur, 11. q. 1, pervenit. Simile supra, de dona., inter dilectos. Ber.

X 3.36.03 *De xenodochiis*

Locis
Supple statuimus.

In quorum diocesi
Hic manifeste patet quod monasteria et alia loca religiosa pertinent ad episcopum loci de iure communi, 16. q. 5, si quis episcoporum; et 16. q. 7, omnes basilicae; et 18. q. 2, monasteria. Nisi ostendant exemptionem, 18. q. 2, abbatibus; supra, de praescrip., cum non liceat.

Ad easdem
Id est, ad eundem censum qui fuit impositus in fundatione debeant dare, infra, de censib., prohibemus; 18. q. 2, Eleutherius. Vel ex praescriptione, 18. q. 2, servitium. Vel ex visitatione, supra, de praescrip., cum ex officii.

Ordinentur
Id est, ordinate exponantur vel regantur.

X 3.36.04 *Ad haec*

Auctoritate pontificis
Hoc ideo dicit, quia privatus locum non facit sacrum, ff. de rerum div., in tantum § sacrae; ff. de sepulch. viol., praetor ait § si quis in sepulchro dolo malo; et ff. de sepulch. viol., praetor ait § si quis in sepulchro habitasset.

Mundanis usibus
Quod enim semel Deo dedicatum est, ad humanos usus amplius redire non debet, 12. q. 2, nulli licet; et supra, de rerum perm., mancipia; et supra, de rerum perm., iniustum; et de conse. dist. 1, ligna; et de conse. dist. 1, vestimenta; et 19. q. 3, quae semel; et ff. de rel. et sump. fun., si quis sepulchrum § 1. Arg. contra 54. dist., ex antiquis; et 54. dist., frequens. Prima rubrica vera est regulariter. Contraria loquuntur de servis, quia eo ipso quod promoti sunt dominis eorum ignorantibus, peccaverunt. Et ideo in eo puniuntur, quia revocantur in servitutem, excepto sacerdote, diacone et subdiacono qui rediment se. Diaconus dabit vicarium, ut in capitulo 54. dist., ex antiquis. Et subdiaconus eodem privilegio gaudet cum diacono, supra, de serv. non ordin., miramur. Secus est in

ecclesiasticis possessionibus, quae spirituales non sunt, quia et illae possunt alienari si expedit, 12. q. 2, sine exceptione; et 10. q. 2 § hoc ius. Ber.

X 3.36.05 *Inter quatuor*

Per regulares
In ecclesia regulari non potest episcopus ponere canonicos saeculares, ut hic patet, et 19. q. 3, quae semel; et 18. q. 2, pervenit; et supra, de rebus ecc. non alien., possessiones; supra, de statu monach., ea quae. Sed homines districtioris vitae sunt ibi ponendi vel alterius religionis, infra, ne cler. vel mon. saecul. neg., relatum. Dum tamen haberi possint, alias ponerentur saeculares, ut hic dicitur, quia necessitas legem non habet, supra, de consuet., quanto; et infra, de reg. iur., quod non est; et de conse. dist. 1, discipulos. Sicut et de saeculari ecclesia potest fieri monasterium, infra, de eccl. aedif., ad audientiam 2. Ber.

X 3.36.06 *Constitutus*

Recognoscebat
Id est, confessus fuerat ius patronatus ad vestram ecclesiam pertinere.

Ius episcopale
Quid sit ius episcopale et in quibus consistat, habes supra, de offi. ord., conquerente; et supra, de offi. ord., dilectus, in glossa.

De iure communi
16. q. 7, omnes basilicae; et 18. q. 2, monasteria; et supra, de relig. dom., de xenodochiis.

Albanensi
Forte diversis temporibus vel uno tempore potuit habere per dispensationem domini Papae, 21. q. 1, relatio.

Pertinentes
Sed non pleno iure. Tunc verbum pertinere, latissimam habet significationem, ff. de ver. sig., verbum pertinere.

Pensione
Id est, censu.

A quocumque
Hic videtur quod episcopus possit aliquam ecclesiam eximere in totum a iure episcopali, infra, de censib., cum venerabilis. Arg. quod non est verum, ut ibi notatur. Et arg. ad hoc supra, de dona., pastoralis. Tamen episcopus potest conferre privilegia, supra, de his quae fi. a prael., quanto; et supra, de re iudic., cum inter vos. Sed in praeiudicium aliorum privilegium conferre non potest, ut videtur. Quia solus princeps potest auferre uni et dare alteri, 9. q. 3, nunc vero; et 9. q. 3, per principalem; et C. de quadrien. praescr., bene a Zenone. Nam episcopus rem unius ecclesiae alteri ecclesiae dare non

potest, supra, de rebus ecc. non alien., non licet. Et episcopus in praeiudicium archidiaconi aliquem privilegiare non potest, infra, de excess. praelat., ad haec. Arg. ad hoc supra, de his quae fi. a prael., cum Apostolica. Io. dixit quod episcopus bene potest dare privilegium uni ecclesiae in praeiudicium alterius et inducebat, 16. q. 1, statuimus, ubi dicitur quod nullus praeter conscientiam episcopi debet dare decimas extra baptismalem ecclesiam. Inde argumentatur a contrario sensu, quod de consensu episcopi potest. Et Gratian. sic argumentatur in sequenti §. Hug. tamen dicit contra, quod hoc non potest episcopus. Et intelligit 16. q. 1, statuimus, de decimis ad episcopum pertinentibus. Verius credo quod dicit Hug. quod episcopus non posset dare res unius ecclesiae clericis invitis alteri ecclesiae per iura praemissa, nisi certa et rationabilis causa ostenderetur, quia licet princeps hoc possit, episcopi tamen hoc non possunt.

Vobis tertiam
Secundum consuetudinem illius loci, supra, de testamen., requisisti; et supra, de sepult., nos instituta.

Confirmavit
Ex certa scientia supple.

Oeconomus
In principio fuit episcopus Albanensis in causa, ut dicitur in principio, postea creavit oeconomum, ut hic innuitur.

Recompensationem
Videtur quod simoniacus fuerit talis contractus, et praecipue si pactum intervenit, quia temporale pro spirituali dari non potest, supra, de rerum perm., ad quaestiones; et supra, de rerum perm., exhibita. Sed sine pacto est arg. quod possit, supra, ut eccl. ben., ut nostrum. Quare ergo in dubio potius interpretatur contractum esse non simoniacum, nisi quia in dubio accipiendum est id quod vitio caret, ff. de legib., in ambigua? Dico quod non committitur hic aut in consimilibus exemptionibus simonia, quia plus percipiebat episcopus temporalis commodi ab illa ecclesia quam erant isti denarii, et ita potuit remittere totum retentis sibi octo denariis, et istud non dicitur percipere propter aliquam recompensationem. Sed potius in signum subiectionis, infra, de censib., omnis. Io.

Aliquid
Quod potest, quia etiam patronus hoc facere potest, infra, de iure patron., praeterea quoniam; et infra, de censib., cum venerabilis; et 16. q. 2, visis; et supra, de dona., pastoralis.

Pensionis
Id est, census.

Oeconomo
Et ita formatur haec sententia in personam oeconomi, episcopi et monasterii. Et in principio fuit episcopus in causa, ut patet in principio capituli. Et sic est contra

sententiam Melend. De hac materia dic ut dixi supra, de elect., querelam. Sententia tamen mandabitur executioni in personam domini, ff. de re iud., si se non § 1.

Pensionis
Id est, census.

Iuxta ratam
Hoc ideo dicit, quia pensio ista pro pluribus ecclesiis solvebatur. Item est hic arg. quod si quis steterit ultra biennium, quod non solverit canonem, non cadit a iure suo, quia isti condemnantur ad restitutionem pensionis subtractae a quadraginta annis et citra. Sed hoc ideo contingit, quia non fuit actum illo iure, id est ad revocationem rei emphyteuticariae. Immo satis videtur actum ad hoc petendo iura episcopalia, quae episcopus concesserat monasterio, sed non expresse, quod patet ex petitione episcopi. Vel dic quod vere privari debuit monasterium iure quod habebat in praedicta concessione. Si vere contractus ille fuisset emphyteuticus, ex eo quod non solverit pensionem debito tempore, supra, de loc. et cond., potuit. Et si actum fuisset ad hoc, quia secundum modum agendi etc., infra, de accusat., qualiter et quando 2; et infra, de simon., licet Heli, vers. fi. Sed re vera hic non fuit contractus emphyteuticus in quo contractu non transfertur dominium directum in emphyteutam sed utile. Sed fuit censualis contractus in quo directum et utile dominium transivit in monasterium. Et hoc appareat ex illa littera ubi dicit: et quicquid iuris tam in monasterio quam in ecclesiis in diocesi eius sitis etc. Unde quantocumque tempore steterit quod censum non solverit, non perdit propter hoc res donatas, sed censum totius temporis tenetur restituere. Et bene fuit census petitus petendo ius episcopale, ut patet in principio. Et ideo condemnatum fuit monasterium ad integram pensionem, id est, ad censum totius temporis, scilicet quadraginta annis subtractum. Nam sub hac petitione: peto ius episcopale, non solum comprehenditur ius episcopale quod ipso iure communi debetur, sed et quod constitutum est pacto vel consuetudine, supra, de praescrip., auditis, arg. Et ubicumque inveneris in hac decretali pensionem expone, id est, censum. Et haec expositio probatur per illud quod Papa dicit: gratis censum accipiamus. Et ubi dicit census, exprimimus quantitatem. Et ita plane est decretalis. Ber.

Aliis reddimus
Episcopalibus scilicet. Et ita pensio ista comprehendebatur in petitione episcopi. Ber.

X 3.36.07 *Cum venerabilis*

Ecclesiam sancti
Hic videtur quod si una ecclesia agat de subiectione alterius, quod non sit agendum contra ipsam ecclesiam, sed potius contra ipsam quae est in possessione illius, supra, de elect., querelam; et 16. q. 3, inter memoratos; et supra, de praescrip., auditis, ubi de hoc; ff. de liber. exhib., si filius, 2. resp.; et ff. si serv. vend., is cuius familia. Arg. contra supra, de appell., ad audientiam; et supra, ut lite non cont., quoniam § quod si; 12. q. 2, quicumque militum; et supra, de elect., querelam. Sed ibi convenitur subditus suo nomine et nomine ecclesiae.

Petrinentiis
Petitio nimis larga videtur. Sic supra, de restit. spol., cum ad sedem. Quia verbum pertinere late patet, ff. de ver. sig., verbum pertinere. Quid iuris sit de hoc dictum est supra, de libel. oblat., significantibus; et supra, de dona., inter dilectos.

Locavisse
Sed hoc non sufficit, supra, de fide instrum., inter dilectos; et C. locat. et conduct., ad probationem.

Annotatio temporis
Id est, in annis Domini. Idem esset in indictione in qua citius comprehenditur falsitas, supra, de fide instrum., inter dilectos. Io.

In diocesi Sabinensi
Unde iure communi ad eum spectabat, supra, de relig. dom., de xenodochiis; et 18. q. 2, monasteria; et 16. q. 7, omnes basilicae; 100. dist., contra morem. Ber.

Episcopale ius
Hoc in multis consistit, supra, de offi. ord., conquerente.

Propter praedicta
Scilicet propter rasuram in loco suspecto et interlinearem scripturam. Sic supra, de fide instrum., inter dilectos. Ad hoc enim ut credatur instrumento, oportet quod sit sine omni suspicione, arg. supra, de rescript., cum adeo; et supra, de rescript., ad audientiam 1; et C. de edict. div. Had. toll., edicto. Sed quid si rasura reposita fuerit de eadem manu? Non videtur quod obstet, arg. infra, de privileg., cum olim propter; C. de fid. instrum., comparationes. Si constet quod eadem manu et in loco non suspecto, non obest. Item quid si rasura sit in uno loco, et tamen per alia quae posita sunt in instrumento, probetur bene propositum? Videtur quod sufficiat ad probandum, arg. bonum supra, de re iudic., cum I et A.; C. si ex fals. inst. vel test., falsam. Et hoc satis potest concedi, quia non est praesumptio quod in fraudem factum sit, quia et sine illa rasura constabat. Item hoc ipso quod instrumentum falsatum fuit, sufficiebat ad imponendum ei silentium, supra, de rescript., olim. Ber.

X 3.36.08 *Cum dilectus*

Ratihabitione
Notare vult differentiam inter litteras procuratorias et litteras de rato. Nam ubi quis simpliciter constituitur procurator, licet generaliter constituatur, tamen transigere sive componere non potest, ut supra, de arbitr., per tuas; et C. de transaction., transactionis. Et sic intelligitur ff. de procur., mandato. Sed si adiiciatur clausula illa: et quicquid super hoc fecerit, ratum habebit. Tunc poterit transigere sive componere, alias nihil operatur illa adiectio, et sic videntur differre ista duo, arg. ff. iudi. solv., si quis § procuratorem. Simile habes supra, de offi. deleg., coram. Vel dic quod non est differentia inter mandatum procuratorium et litteras de rato. Mandatum procuratorium appellat hic litteras de rato, et sic intellige supra, de offi. deleg., coram; supra, de transact., contingit.

Et ideo dicuntur litterae de rato, quia in mandato procuratorio, constituens semper adiicit in fine quod ratum habebit quicquid procurator fecerit super causa illa ad quam datus est, ff. de procur., si procuratorem. Et cautio rati danda est, quando de mandato dubitatur, C. de procur., cautio. Ber.

Repromisit
Non enim potuit propter hoc renunciare privilegio suo, supra, de arbitr., cum tempore. Et quia non habuit assensum fratrum suorum, non obfuit, quia delictum personae etc., et 16. q. 6, si episcopum; et supra, de except., cum venerabilis.

Praescriptione tueri
Hic de una defensione sive exceptione transit ad contrariam, arg. supra, de praescrip., auditis; ff. de exception., nemo. Similiter de una actione transit ad contrariam, arg. supra, de iudic., examinata; C. de inoffic. testam., contra maiores. Arg. contra supra, de appell., sollicitudinem; ff. de trib. act., quod in herede § eligere; C. de non num. pecun., authen. contra qui propriam. Sed quid si debuit proponere omnes exceptiones infra certum terminum? Non videtur quod postea sit audiendus, supra, de except., pastoralis. Et qui in una exceptione succumbit, volens aliam statim proponere, non auditur, nisi hoc faciat infra terminum praefixum, Inst. de excusat. § qui autem. Dicas quod si alicui competunt plures exceptiones quae non sunt contrariae, in eo casu si non proponit omnes scilicet infra terminum, postea non auditur. Et sic intelligitur Inst. de excusat. § qui autem, nisi secundum tenorem illius decretalis supra, de except., pastoralis. Si autem sunt contrariae, puta quia primo dixit se exemptum et succumbit, postea potest aliam proponere, puta praescriptionem, ut hic, et supra, de praescrip., auditis; et lege praedicta C. de inoffic. testam., contra maiores. Contrarium tamen est in actionibus, quia tunc ab initio debet eligere. Alias postea non auditur volens aliam intrare contrariam, ut in lege praedicta ff. de trib. act., quod in herede § eligere.

X 3.36.09 *Ne nimia religionum*

Novam religionem
Nam novum collegium non potest constitui inconsulto principe, ff. de colleg., collegia. Sic nec nova dignitas sine auctoritate Papae, supra, de consuet., cum olim; et 22. dist., omnes.

De approbatis
Sic qui novam dignitatem instituit in ecclesia, constituet eam secundum consuetudinem aliarum dignitatum, supra, de consuet., cum olim. Similiter nova ecclesia debet regi secundum consuetudinem aliarum, infra, de censib., super eo.

Pluribus monasteriis
Sic patet quod nullus potest esse monachus vel abbas in pluribus monasteriis. Sic etiam de iure nullus potest praefici in diversis ecclesiis saecularibus, supra, de praeben., de multa. Nec simul praebendam et dignitatem habere, supra, de concess. praeben., cum nostris; et supra, de concess. praeben., litteras. Nec abbas cum fratribus posset

dispensare, ut monachus haberet locum in diversis monasteriis, arg. supra, de elect., constitutis.

X 3.37 DE CAPELLIS MONACHORUM ET ALIORUM RELIGIOSORUM

X 3.37.01 *In ecclesiis*

Monachorum
Hoc ius commune videtur, ut supra, de statu monach., monachi, ubi prohibentur poni per parochias. Signantur contraria 16. q. 1, doctos; et 16. q. 1, vos autem; et 16. q. 1, in parochia. Solutio: quod hic dicitur, intellige de monacho claustrali, qui non est a populo electus nec ab episcopo institutus. Monachi debent habere capellanum, qui ministret populo sacramenta ab episcopo institutum de consilio monachorum, ut hic dicit, qui circumeat parochiam cum necesse fuerit, quod monachi facere non debent. Ibi de illis qui praeficiuntur parochialibus ecclesiis per episcopum, hic non. Et hoc capitulum loquitur ubi est congregatio monachorum.

Solius
Hoc ideo dicit, quia monachi non possunt removere eum. Sed si delinqueret, per episcopum debet removeri ordine iudiciario. Et ita excluduntur monachi quantum ad hoc. Sed si deberet deponi, tunc necessarii sunt alii episcopi, 15. q. 7, felix; et 15. q. 7, si quis tumidus.

X 3.37.02 *Dilectus filius M.*

In scrutiniis
Sic supra, de maior. et obed., his quae. Scrutinium hic et ibi appellantur catechismi sine exorcismi qui fiunt baptizandis per viginti dies ante baptismum, de quibus legitur de conse. dist. 4, ante baptismum; et de conse. dist. 4, ante viginti; et 10. q. 1, pervenit. Et est vulgare Romanorum, aliter accipitur scrutinium, supra, de scrutin., ex parte. Et aliter accipitur in concilio Lugdunensi supra, de elect., extravag. in electionibus; et supra, de elect., quia propter.

Capitulis
Id est, synodo sive conventu, ubi vitia corriguntur.

Et petitorium
Super diversis capitulis, scilicet petitorium quo ad scritinium et baptisma, possessorium quo ad capitulum. Et sic duae actiones simul in eodem libello possunt proponi, sicut et de possessione soli interdicto unde vi possum experiri, et de rebus vi ablatis ad exhibendum, vel vi bonoroum raptorum, ff. de vi et de vi arm., praetor ait § si fundus. De quo et pro eadem re possunt ista duo simul intentari et ab eadem parte, ut hic, et supra, de caus. poss. et propr., ad ultimum; supra, de caus. poss. et propr., cum ecclesia; et supra, de caus. poss. et propr., cum super; et supra, de caus. poss. et propr., cum dilectus, ubi materia ista expeditur; et supra, de caus. poss. et propr., pastoralis. Item et unum

iudicium sufficit ad plures societates, ff. pro soc., cum duobus § si plures, alias incipit lex ista, sub qua est ista § si inter fratres. Arg. ff. fam. ercis., heredes § de pluribus; et ff. fam. ercis., heredes § si inter me. Et hoc fit causa dirimendarum litium, arg. ff. de act. emp. et vend., non est novum; et supra, de caus. poss. et propr., in causa.

De iure communi
Supra, de relig. dom., constitutus.

Praescriptionem
Immo et si allegasset eam, non iuvaretur, nisi allegaret eam ex alterius persona, supra, de praescrip., cum ex officii.

Verteretur
Super diversis articulis, scilicet petitorio quantum ad scrutinium, et baptisma et possessorio quo ad capitulum, ut patet ex ipsa littera. Sed modo coram Innocentio agebatur possessorio et petitorio, et quia non fuit modo probatum de proprietate quo ad capitulum, absolvitur ecclesia sancti Laurentii quo ad capitulum, ut in fine dicitur, dum ecclesia Romana habuit ibi institutionem et destitutionem, et ecclesia sanctae Caeciliae illa solummodo habebit postea, quae presbyter confessus fuit quantum ad proprietatem coram Celestino Papa, cum in omnibus aliis ecclesia sancti Laurentii pertineat ecclesiam Romanam, ut in fine patet.

Sponte confessus
Et sic confessio procuratoris praeiudicat domino. Iste presbyter procurator erat ecclesiae sancti Laurentii. De hoc notatur supra, ut lite non cont., ad hoc. Et sponte dicit, quia secus si coactus, infra, de accusat., si constiterit. Et confessio in uno iudicio facta coram Celestino valet hic in alio coram Innocentio, ut patet. Ber.

Vocatum
Per hoc igitur probatur possessio obedientiae, quod aliquis vocatus ad synodum venit, arg. supra, de his quae fi. a maior. par. cap., ex ore. Arg. contra supra, de restit. spol., olim inter.

Curavit
Eodem iure debuit pronunciare diffinitive super praedictis duobus articulis, sed noluit. Ber.

Scrutinium et baptisma
In his duobus obtinuit, in omnibus aliis succubuit, ut infra sequitur.

Titulo
Id est, plebi saeculari, 18. q. 2, pervenit; et 18. q. 2, dudum. Sed nonne subiicietur episcopo qui est saecularis? Sed illud est, ut dixit Vincen. propter excellentiam dignitatis. Immo verius videtur, ut Tanc. dixit quod de iure communi monachi possunt subesse titulo, id est, plebi saeculari, 16. q. 1, alia; et 16. q. 1, ecclesia habet; et 16. q. 1, legi; arg. 93. dist., a subdiacono.

BOOK III **X 3.37 DE CAPELLIS MONACHORUM ET ALIORUM RELIGIOSORUM**

X 3.37.03 Ex parte tua (rev. 9/23)

Oeconomum sancti Laurentii

Hic formatur sententia in persona procuratoris sive oeconomi, non tamen ipse conveniet vel convenietur actione iudicati, nisi esset defensor tantum vel datus in rem suam, ff. de procur., Plautius. Arg. contra quod in persona domini supra, de probat., licet. De hoc traditur supra, de elect., querelam.

Generetur

Et ita Papa iudicat quod ei non obsit exceptio rei iudicatae. Simile supra, de re iudic., suborta. Unde bene praescribitur contra monasterium exemptum spatio legitimo quadraginta annorum, licet non contra Papam, 16. q. 4, volumus.

In institutione

Hic patet quod in quibusdam iuribus episcopalibus potest praescribi, quod per partem tota servitus retinetur, ut ff. de servitu. rust. praed., una est via. De hoc dicitur supra, de praescrip., auditis. Et hoc ideo est quia ius episcopale est genus multas habens species sub se, quarum multae enumerantur supra, de offi. ord., conquerente; et supra, de offi. ord., dilectus.

X 3.37.03 *Ex parte tua*

Litterarum

Litterae istae tales fuerunt: impetraverunt monachi isti litteras ad quosdam iudices, ne episcopus diocesanus compelleret eos plures monachos instituere in quibusdam prioratibus suis, ubi singuli monachi esse consueverunt, cum pluribus non sufficerent facultates eorundem, inquisita prius veritate de facultatibus prioratuum occasione talium litterarum dicebant secundum quod inferius continetur.

X 3.37.04 *Dilectus filius M.*

Asserunt

Et male, quia licet in ecclesiis illis non possent esse plures monachi, non tamen Papa concederet quod soli monachi in singulis prioratibus singulariter ponerentur, quia illud esset contra concilium Lateranensem, supra, de statu monach., monachi. Et est expressum infra, de capell. monach., ad audientiam, unde litterae istae de conscientia Papae non emanaverunt. Ber.

Nulla mentio

Et sic patet quod si quis litteras impetrat contra aliquod ius sive concilium, non valent nisi fiat mentio de illo iure, supra, de rescript., nonnulli; et supra, de aetat. et qualit., eam te.

Occupationem

Sic infra, de sent. excom., si aliquando; C. de liber. caus., iubemus. Idem esset si per importunitatem petentis, C. de petit. bon. sublat., quisquis, lib. 10; arg. supra, de rescript., si quando.

Nolumus
Tamen si vellet, bene posset dispensare contra concilium, quia auctor illius concilii in parem non habuit potestatem, supra, de elect., innotuit. Et Papa maior est quam concilium, supra, de elect., significasti.

X 3.37.04 *Ad audientiam*

Diocesana
Id est, iurisdictionis. De hac lege notatur supra, de offi. ord., dilectus.

Generalis concilii
Hic vocat Papa Lateranensem concilium generale, quod habes supra, de statu monach., monachi. Sed concilium Innocentii semper sic appellatur.

Eisdem associent
Et ita episcopi compellere debent abbates, ne monachos per villas solos dimittant. Secus in canonicis regularibus, si eligerentur ad regimen animarum, nam illi non compelluntur alios secum habere, nisi id commode facere possint, supra, de statu monach., quod Dei timorem. Sed ibi est collegium, unde idem videtur de regularibus, scilicet quod non deberent esse soli in capellis.

X 3.38 DE IURE PATRONATUS

X 3.38.01 *Perlatum est*

Non debeat
Quia ad mutabilitatem mundanarum necessitatum ecclesia turbari non debet, 10. dist., lege; et 3. q. 6, haec quippe; et 100. dist., quoniam; et infra, de iure patron., querimoniam. Et nota quod ius patronatus apud unumquemque heredum est insolidum quo ad omnem eius effectum, ff. de bon. libert., si libertus, in fi. Praeter sacerdotis praesentationem quae est apud omnes, ita quod apud nullum, ut hic patet, et infra, de iure patron., quaecumque. Sicut electio, quia res simplex est et indivisibilis, et sic ad quemlibet heredem insolidum transit, etiam si ex diversis et inaequalibus partibus sint heredes, arg. ff. de servit., via; C. de rel. et sump. fun., si sepulchrum; et ff. de rel. et sump. fun., quod si locus; et ff. ad leg. Falc., lex Falcidia lata § si ususfructus; et ff. de usufruct. et habit., usus. Quia incorporalia dividi non possunt, arg. 7. q. 1, nihil. Quid si non conveniant, possent ne pacisci adinvicem, ut alternis vicibus praesentarent? Arg. quod sic, ff. de usufru., quotiens; ff. de servit., via, in fi.

Simultates
Id est, latentia odia sive discordiae.

Celebrentur
Sic 16. q. 7, considerandum; et 16. q. 7, si plures. Sed hoc hodie servari non debet, si aliquo modo sine scandalo possit ecclesia ordinari, infra, de iure patron., quoniam. Ber.

X 3.38.02 *Quaecumque*

Reliquias
Quidam dicunt, sicut Melend., quod hoc capitulum non tenet, et illa capitula similiter non tenent, 16. q. 7, considerandum; et 16. q. 7, si plures; et 16. q. 7, laici presbyteros; 16. q. 7, quoniam; et 16. q. 7, eam te. Nisi forsitan ex facto episcopi magnum scandalum oriretur, tunc posset servari hoc quod hic dicitur ad tempus, quod satis videtur. Ioan. Favent. dicebat, tollat reliquias, id est, non ponat. Ala. intelligit de reliquiis quae sunt in capsis extra altare, quod est verum quia de illis quae sunt in altari non intelligitur.

X 3.38.03 *Quoniam*

Fundatores
Nota quod ex fundatione ecclesiae acquiritur ius patronatus, ut hic, et 16. q. 7, filiis; et infra, de iure patron., nobis. Sed ex refectione vel reparatione non acquiritur, ut dicebat Laur., arg. ff. ne quid in loc. pub., praetor § vicinales. Ea videlicet ratione, quia quod humani iuris esse desiit, servitutem non recipit, ff. comm. praed., caveri. Quod intelligo cum omnino non est destructum monasterium vel ecclesia. Sed si funditus destructum sit et de consensu episcopi aliquis vellet reaedificare ecclesiam, credo quod acquirat ius patronatus, quia perinde est ac si ab initio ecclesiam construxisset, infra, de Iudae. et Sarrac., consuluit, arg. Item quid si reaedificata est ecclesia de eadem materia, numquid prior patronus remanet patronus? Videtur quod sic, quia eadem ecclesia intelligitur, ff. de iud., proponebatur; et 7. q. 1, denique; et arg. ff. de usufru., si in area; et ff. de servitu. urb. praed., servitutes § si sublatum. Et haec ecclesia loco prioris succedit, unde eadem intelligitur, arg. ff. si quis caut., si eum § qui iniuriarum; et ff. si ex nox. caus., sed alio, in fi.; ff. de usufru., dominus, in princ.; ff. de servitu. rust. praed., Attilicinus. Arg. contra quia desinit esse patronus, et obligatio semel extincta etc., ff. de solut., qui res § aream; et de conse. dist. 4, quaeris, quod verius videtur.

Abutuntur
Et ita perdere debent privilegium, 11. q. 3, privilegium; et 74. dist., ubi ista didicisti.

Qui maioribus
Simile 63. dist., si forte. Sed numquid requiritur quod maioris sit meriti, et quod plures eum praesentent? Hoc videtur velle haec littera, sed videtur sufficere si sit idoneus, dum tamen habeat maiorem partem licet alius sit melior. De hac materia dicitur supra, de elect., ecclesia vestra 1.

Sine scandalo
Arg. quod propter scandalum receditur a iure, supra, de praeben., cum teneamur; et infra, de nov. oper. nunc., cum ex iniuncto; et supra, de temp. ord., ad aures, ubi de hoc.

Ordinet antistes
Ponendo ibi rectorem, ita quod ipsum postea repraesentat si voluerit, arg. infra, de iure patron., si vero.

Infra quatuor
Infra, de iure patron., cum propter. Contra infra, de iure patron., eam te, ibi solvitur.

X 3.38.04 *Praeterea*

Instituant
16. q. 7, laici; et 16. q. 7, per laicos.

Ecclesiastica
16. q. 7, decimas.

Per laicos
Infra, de privileg., cum et plantare.

Communione privetur
Et ita non est ipso iure suspensus qui recipit ecclesiam a laico, et per hoc intellige illos canones, 16. q. 7, si quis deinceps, cum aliis capitulis sequentibus quae hoc dicere videntur. Item alia poena etiam imponitur ei qui per abusum laicorum consentit suae electioni, quia fit ineligibilis, supra, de elect., quisquis. Arg. contra infra, de iure patron., cura, quod scilicet ecclesia possit haberi per laicum. Ibi solvitur.

X 3.38.05 *Quod autem*

Possidentis
Sic infra, de iure patron., pastoralis. Hoc intellige cum laicus praesentat. Secus si ecclesiastica persona cui taliter variare non licet, infra, de iure patron., cum autem. Sed episcopus punitur, ut in capitulo infra, de iure patron., pastoralis. Et est simile quod dicitur C. de rei vend., quotiens. Simile supra, de praescrip., ad aures. Et ita ille potior est in iure, qui prior possessionem fuerit adeptus.

Si consensus
Et ita si consensus episcopi accesserit, valet talis donatio vel concessio, infra, de iure patron., illud; et infra, de iure patron., nullus. Sed quid intelligitur dare patronus? Ecclesiam dare non potest, quia ad eum non pertinet, immo ad episcopum. Laur. dixit quod ius patronatus solummodo intelligitur donare quod suum est de consensu tamen episcopi, supra, de dona., pastoralis, ne delusoria intelligatur donatio, ut res potius valeat quam pereat. Et arg. ff. de leg. 1, si domus § ulti. Et hoc probatur ex eo quod dicit: pro non dato habetur etc.

Pro non dato
Sic ergo non dato habetur, quod ab illo datur, qui de iure dare non potest, ff. de acq. rer. dom., traditio; et C. de poe., procurator; et ff. de poe., rei capitalis § ulti.; et infra, de don. int. vir. et uxor., nuper; et C. qui pro sua iur. iud., in causarum; et 1. q. 7, Daibertum. Arg. contra infra, de iure patron., cura; et melius infra, de iure patron., consultationibus. Supple hic, nec est in possessione vel quasi, alias si esset in quasi possessione non vi, non clam, non precario, nulla quaestione sibi mota. Quia tunc ius acquiritur praesentato, et

obtinet, infra, de iure patron., ex litteris; et infra, de iure patron., consultationibus. Sed isti laici erant in possessione saltem de facto. Et nisi consensus episcopi accesserit, non valet donatio, et ita concordat cum illa infra, de iure patron., cura.

X 3.38.06 *Quia clerici*

Advocatias
Id est, ius patronatus, quod quandoque dicitur advocatio, ut hic. Quandoque vicedominatus vel custodia sive guardia, ut infra, de iure patron., praeterea quoniam. Item dicitur ius frequentationis vel processionis, 16. q. 7, piae mentis; et 16. q. 7, Frigentius. Quandoque gratia, 16. q. 5, si quis episcoporum. Tanc.

Comparant
Per se tantum. Quod esse non potest, cum sit spirituali annexum, infra, de iure patron., de iure. Sed cum universitate potest obligari, infra, de iure patron., ex litteris. Et vendi, infra, de iure patron., cum saeculum. Ad instar fundi dotalis, ff. de fund. dot., interdum; ff. de acq. rer. dom., quaedam.

Filii
Licet aliquis sit patronus, se praesentare non potest, infra, de iure patron., per nostras. Filios autem satis credo quod possit praesentare, ff. quod cui. univ. nom., illud. Arg. contra infra, de iure patron., consuluit, ubi de hoc.

Spoliando
Sed cui applicabitur? Potest dici quod ecclesiae cui per huiusmodi emptionem facta est simoniaca iniuria, arg. infra, de simon., de hoc; et 17. q. 4, si quis in atrio. Et sic ecclesia erit patrona sui ipsius. Sed quid si ipsa eadem ecclesia emisset ius patronatus a suo patrono, numquid amittit patronus ius patronatus, ut sic remaneat apud ipsam ecclesiam? Arg. quod non infra, de iure patron., illud. Quia venditio non tenuit, quia spirituale vel spirituali annexum vendi non potest, infra, de simon., querelam; et infra, de iure patron., de iure. Et sic remanebit penes patronum restituta pecunia. Arg. contra posset hic colligi, quia hic dicitur quod emptor spolietur et non venditor. Unde eo ipso quod imponitur poena emptori et non venditori, videtur remanere penes ipsum patronum ius patronatus, quia si voluisset privari, hoc dixisset sicut de alio. Vel dic quod prius dixi. Ber.

X 3.38.07 *Ex litteris*

Ad firmam
Dicunt quidam quod talem contractum celebraverunt inter se, quod utile dominium transiret in conductorem, et sic in ipsum transivit ius patronatus. Secus in creditore, supra, de re iudic., cum Bertholdus. Ber.

Praesentavit
Supple et episcopus ipsum recepit.

Apud Cantuariensem
Qui fecit primum removeri, et institui praesentatum per abbatissam, unde orta fuit contentio inter eos.

Non excepto
Arg. concessum videri quod non est nominatim exceptum, infra, de spons., cum apud. Item arg. quod idem iuris est in toto et in parte, arg. ff. de off. praef. urb., omnia § 3; et 12. q. 2, cognovimus. De hoc tractatur supra, de translat., inter corporalia.

Vel antequam
Arg. est hic a contrario sensu, quod res litigiosa non debet transferri in aliam personam lite pendente, 11. q. 1, quia res; et 16. q. 4, volumus; et supra, ut lite penden., a memoria, et quasi per totum. Et ita videtur quod si moveatur alicui quaestio de iure patronatus, et interim vacet ecclesia quod non possit praesentare ante finem causae. Sed non est verum hoc secundum quosdam prout dicitur supra, de in integ. restit., cum venissent. Immo si quis est inquieta possessione praesentandi, non debet inde amoveri, ut dicunt quidam usque ad finem causae, 16. q. 4, volumus; et supra, ut lite penden., a memoria. Et sufficit esse in possessione, infra, de iure patron., consultationibus. Et supplent hic maxime. Sed littera ista manifeste contradicit, et certe verius videtur quod eligere vel praesentare quis non possit, postquam ei movetur quaestio super proprietate. Vel si dicatur quod possit praesentare lite mota, tamen praesentatus non debet institui pendente controversia ex qua pendet, supra, de in integ. restit., cum venissent. Et est arg. optimum supra, de elect., Cumana, ubi clerici et capellani erant in quasi possessione eligendi, et mota fuit eis quaestio super iure eligendi vacante ecclesia. Et quia non probaverunt de iure suo, non valuit eorum vox. Nec obstant contraria quae dicunt quod lite pendente non est privandus possessor sua possessione, quia ibi alia ratio est, ibi enim omnia restituuntur, et fructus post litem contestatam. Sed hic non debent restitui fructus praesentationis, quia canonice institutus non removetur sine culpa, et hoc verius credo. Contra tamen notavit Io., scilicet quod potest licite eligere, qui est in quieta possessione, licet moveatur ei quaestio, supra, de in integ. restit., cum venissent. Et ita si fuit iste praesentatus ante quaestionem motam, obtinebit, quia ille credebatur patronus, cum esset in possessione totius villae, et ita credebat se esse patronum et bona fide. Sic infra, de iure patron., consultationibus. Et si postea obtineat abbatissa in iure patronatus, quia probabit quod excepit ius patronatus, respondebit illi de temporalibus, 16. q. 2, sane; et infra, de privileg., cum et plantare § in ecclesiis. Et hoc dicit hic in fine. Contra hoc tamen supra, de re iudic., cum Bertholdus; et infra, de iure patron., consultationibus, ubi dicit: si tempore praesentationis suae ius patronatus ecclesiae possidebat. Sed hic non erat in possessione iuris patronatus, licet possideret villam, quia hoc non colligitur per litteram. Sed intellige quod erat in possessione iuris patronatus ex eo quod dicit in fine: ita quod si abbatissa obtineat adversus militem, illi de temporalibus debeat respondere. Ex hoc appareat quod miles reus erat et abbatissa contra militem agebat. Et sic relinquitur quod miles credebatur patronus, et sic agebat ut patronus. Unde tenuit praesentatio et institutio eo tempore facta, quo quiete ius patronatus ecclesiae possidebat, infra, de iure patron., consultationibus; et supra, de elect., querelam. Et item lite mota non debet praesentare, vel si praesentat, suspenditur institutio in eventum sententiae, ut dictum est.

X 3.38.08 *Illud*

Ecclesiam
Quidam intelligunt quod per hanc concessionem laicus iste intendebat dare ecclesiam quo ad proprietatem, vel ecclesiam in usus proprios, quod facere non poterat, supra, de dona., pastoralis; 10. q. 1, noverint; et 10. q. 1, sic quidam. Cum alius eam possideret. Secus si dedisset ius patronatus etiam sine consensu episcopi, ut dicunt, ut notatur infra eodem capitulo, in notula: haec littera innuit etc.

Aliquatenus impedire
Arg. quod non praestat impedimentum quod de iure non sortitur effectum, supra, de iure patron., quod autem; supra, de elect., bonae 1. Arg. contra supra, de elect., consideravimus; et supra, de elect., auditis; et infra, de spons., ad audientiam.

De re non vacante
Et ita patet quod ecclesia non vacans conferri non potest privatae personae, ut supra, de dona., consultationibus. Sed loco religioso de auctoritate episcopi ecclesia non vacans potest concedi, ut in decretali supra, de dona., consultationibus.

Nemini
Id est, nulli privatae personae licet.

Licet religioso
Haec littera innuit quod laicus possit dare ius patronatus loco religioso sine auctoritate episcopi, sed ecclesiam non. Arg. 16. q. 7, nemini. Sed non credo, unde supple hic de consensu episcopi, quia sive concedat ecclesiam sive ius patronatus, necessaria est auctoritas episcopi, supra, de iure patron., quod autem; et supra, de dona., consultationibus; et infra, de iure patron., nullus.

Contulerit
De auctoritate episcopi, ut dixi. Sed numquid laico potest dari ius patronatus? Vincen. dixit quod sic, arg. infra, de iure patron., ex insinuatione. Sed ibi non fuit donatio, sed frater cessit fratri ius suum, seu renunciavit ei quantum ad se ius praesentandi. Et ita non fuit donatio, cum ipse insolidum esset patronus, ut ibi dicitur. Sed cum universitate bene potest donari vel vendi et obligari, supra, de iure patron., ex litteris; et infra, de iure patron., cum saeculum.

X 3.38.09 *Querimoniam*

Mutationes
Licet patroni mutentur successione vel alio modo, ecclesiae status propter hoc mutari non debet, cum in ipsorum dispositione ecclesia non sit sed potius episcoporum. Nec possunt illam extrahere de sua potestate, 10. q. 1, sic quidam; et 10. q. 1, noverint. Arg. contra 16. q. 7, decernimus; et 16. q. 7, filiis. Sed hic habent tantum potestatem defendendi ecclesiam et denunciare sacerdotis excessus episcopo, sed super rebus nullam habent potestatem, supra, de iure patron., praeterea quia.

Mutentur
Simile 10. dist., lege; et 101. dist., pervenit 1; et 3. q. 6, hoc quippe.

Vicissitudines
Id est, permutationes, ut puta si patroni haberent plura iura patronatus, non possunt illa permutare sine auctoritate episcopi. Host.

X 3.38.10 *Cum laici*

Poenitentia
Et ita licitum est poenitere et contra factum suum venire, ut supra, de elect., nosti; et 2. q. 6, ei qui § si quis libellos; 12. q. 1, certe; ff. de minor., si minor; C. qui bon. ced. poss., si quantitatem; ff. de muner. et honor., ut gradatim § sed et reprobari; ff. deposi., depositum § si vero deposuero; et supra, de deposit., bona fides; et ff. de act. emp. et vend., si sterilis § ulti. Arg. contra supra, de fil. presbyt., veniens; supra, de cleri. coniug., diversis; et 17. q. 4, sunt qui opes; infra, de despon. impub., de illis 1; et 3. q. 3, induciae § offeratur. Solutio: non est locus poenitentiae nisi in casibus, puta si iusta causa subest, 12. q. 1, certe; 63. dist., quia sancta § verum. Vel si aliquid inopinatum emergat, 22. q. 2, ne quis arbitretur. Et in omnibus delictis et maleficiis, arg. 50. dist., ponderet; et supra, de rebus ecc. non alien., si quis. Vel in his quae favore sui tantum sunt introducta, quibus renunciare potest, 7. q. 1, quam periculosam, et in his quae recepta non sunt plene, ff. de iuris., si convenerit. Vincen. Et in casu isto, ut hic patet, et infra, de iure patron., cum autem; et infra, de iure patron., pastoralis.

Quae nulla est
Sic supra, de iure patron., illud. Et ita prima electio quae nulla est non impedit secundam, supra, de elect., bonae 1; et supra, de elect., congregato; et supra, de appell., constitutis 1. Arg. contra supra, de elect., auditis, ubi colligitur quod electio quae nulla est impediat secundam. Sed illud contra, ibi solvitur.

Laicis
Nec etiam clericis patronis licet ecclesiam ordinare. Unde habes similem casum de clericis ei quod dicitur hic de laicis, infra, de iure patron., transmissae.

X 3.38.11 *Cura pastorali*

Laicorum
Laici enim ecclesias conferre non possunt, 16. q. 7, si quis deinceps; et 16. q. 7, si quis episcopus; et 16. q. 7, si quis clericus; 16. q. 7, per laicos; et infra, de privileg., cum et plantare. Nec debent interesse electionibus, ut ibi habeant vocem in ecclesia collegiata, supra, de elect., Massana; et supra, de elect., sacrosancta.

Legitima
Id est, quadragenaria quae sola currit contra ecclesiam, ut 16. q. 3, placuit, vers. quas actiones. Sed obiicitur contra hoc isti monachi vel clerici qui praescripserunt has

ecclesias, aut habuerunt bonam fidem aut malam. Si dicas bonam, hoc non potuit esse nisi quia ignorabant ius. Sed ignorantia iuris non prodest ad usucapiendum, ff. de usucap., numquam. Et qui contra legum interdicta mercatur, non praescribit, C. de agric. et cens., quemadmodum, lib. 11. Et isti contra interdicta canonum receperunt ecclesias, 16. q. 7, si quis deinceps; 16. q. 7, si quis episcopus; 16. q. 7, si quis clericus; 16. q. 7, per laicos; supra, de iure patron., praeterea quia; et supra, de iure patron., quod autem; et supra, de iure patron., illud. Et ita praescribere non possunt. Si malam fidem habuerunt, nulla praescriptione iuvantur, supra, de praescrip., vigilanti; et supra, de praescrip., quoniam; et 34. q. 2, si virgo. Potest dici quod hic toleratur huiusmodi praescriptio propter scandalum, quia ecclesiae non poterant revocari sine scandalo. Quidam dicunt quod eo ipso quod episcopo sciente et non contradicente possederunt, intelligitur episcopus consentire. Et quod sequitur, aut diocesani habuerunt postea consensum, supplent expressum. Et tunc non est necessaria praescriptio, cum habent consensum episcopi. Vel potest dici quod illi qui ecclesias receperunt de manu laicorum non possunt praescribere, quia contra iura recipiunt. Sed eorum successores praescribere possunt qui hoc ignorant. Et bonam fidem habent, ex quo inveniunt ecclesiam in possessione, quia qui in locum alterius succedit, iustam habet ignorantiae causam, ff. de regul. iur., qui in alterius.

Consensum
Arg. quod ratihabitio retrotrahitur, 16. q. 1, quoniam quicquid. Arg. contra ff. de regul. iur., quae ab initio.

Nisi ius
Nemo enim potest plus iuris in alium transferre quam ipse habeat, ff. de regul. iur., nemo; infra, de don. int. vir. et uxor., nuper; ff. de acq. rer. dom., non est novum; Inst. quib. alien. lic. § econtra; C. de distract. pign., quamdiu; et C. de distract. pign., si cessante; ff. de usufru., quod nostrum; ff. de acq. poss., interdum. Solutio: primum verum est, et ista contraria specialia sunt, nec etiam istud ius quod habent, scilicet ius patronatus, possunt conferre sine auctoritate episcopi, ut dixi supra, de iure patron., illud; et infra, de iure patron., nullus.

X 3.38.12 *Si vero*

Prorogatur
Ultra quatuor menses, supra, de iure patron., quoniam; et infra, de iure patron., cum propter.

Repraesentetur
Sed quid valet haec repraesentatio, cum iam sit institutus et ius habeat? Per hanc repraesentationem nullum ius acquiritur huic, sed praesentatur ut patronus per hoc sit in quasi possessione sui iuris, ne postea vexetur de facto, infra, de iure patron., consultationibus.

X 3.38.13 *Cum saeculum*

Emptorum
Sic ergo ius patronatus transfertur venditione cum universitate. Et hoc verum est nisi specialiter sit exceptum, supra, de iure patron., ex litteris. Et venditio feudi facta intelligitur de voluntate domini, aliter non valeret in constitutione Friderici de feudis. Transfertur etiam successione, supra, de iure patron., quoniam; et supra, de iure patron., perlatum; et supra, de iure patron., quaecumque; et 16. q. 7, filiis, et permutatione, 16. q. 7, nemini, et alienatione universitatis, ut hic, et donatione cum consensu episcopi facta, supra, de iure patron., quod autem; et supra, de iure patron., illud; et infra, de iure patron., nullus. Unde versus: iura patronatus transire facit novus heres // res permutata donatio venditioque. Ber.

Minuere
Et ita nihil plus iuris debent isti religiosi habere, quam illi a quibus ius habuerunt. Et sic episcopus ius suum integrum habebit, quia per mutationem talem ecclesiae ordinatio mutari non debet, supra, de iure patron., querimoniam; et supra, de iure patron., cura. Simile supra, de dona., inter dilectos; supra, de relig. dom., quia monasterium.

X 3.38.14 *Ex insinuatione*

Liberaliter contulisset
Sic ergo videtur quod laicus ius patronatus possit donare privato etiam sine consensu episcopi, sed supple quod de consensu episcopi hoc fecit. Verius videtur quod haec non erat vera donatio, quia uterque istorum fratrum erat verus patronus insolidum, supra, de iure patron., perlatum; et ff. de oper. lib., si libertus, in fi. Quia res est indivisibilis, arg. ff. si serv. vend., loci corpus § si fundus. Et ideo nihil dedit in veritate, sed concessit fratri tantum liberam ordinationem ecclesiarum, ut ipse solus posset praesentare. Et est simile ff. de servit., servitutes § servitus.

Restituant
Quia non habuerunt canonicum ingressum, unde debent expelli. Sic 16. q. 7, decernimus.

X 3.38.15 *Consuluit*

Hereditario
Successio hereditaria in ecclesia esse non debet, 8. q. 1, Apostolica; supra, de fil. presbyt., ex transmissa; et supra, de fil. presbyt., ad extirpandas.

Propria auctoritate
Secus si ad praesentationem parentum, quia ipse se praesentare non posset, infra, de iure patron., per nostras. Unde non videtur hic prohiberi praesentatio filii, unde permitti intelligitur, arg. infra, de spons., cum apud.

Concedant
Auctoritate propria. Idem intellige de clericis, infra, de iure patron., transmissae. Sed episcopo praesentare potest patronus filium, ut dictum est supra, quia suffragium patris

valet filio, ff. quod cui. univ. nom., illud notandum. Sed si plures sunt patroni, numquid possunt unum de se praesentare? Credo quod sic, arg. supra, de elect., cum in iure.

X 3.38.16 *De iure*

Vendi
Per se tantum, sed cum universitate bene potest vendi, supra, de iure patron., cum saeculum. Et etiam obligari, supra, de iure patron., ex litteris.

Annexum
Supra, de iudic., quanto.

Irritum
Ipso iure, quia spirituale vel spirituali annexum vendi non potest nec etiam redimi, infra, de simon., querelam; ff. de contrah. empt., hanc legem. Quia res sacra non recipit aestimationem, ff. de rerum div., sacra loca, in fi. Si tamen res sacra ab ignorante ematur, ad interesse agitur ex contractu, ff. de contrah. empt., et liberi; et Inst. de emp. et ven. § loca sacra. Sed quis habebit ius illud, numquid ille qui vendidit perdet illud hoc ipso quod vendidit? De hoc dixi supra, de iure patron., quia clerici.

X 3.38.17 *Nullus laicus*

Decimas
Supra, de his quae fi. a prael., cum Apostolica.

Ecclesiam
Supra, de iure patron., quod autem, in fi. Ex expone ecclesiam, id est, ius patronatus, quia donando ecclesiam quod suum est, donare videtur de consensu episcopi, scilicet ius patronatus, supra, de dona., pastoralis.

Ecclesiastici iuris
Scilicet spiritualis, quia si esset temporale ius ibi, nullus auctoritas requiritur, dum tamen res sit donantis. Dicunt tamen quidam, sicut Vincen., quod ius patronatus potest laicus donare loco religioso, etiam sine auctoritate episcopi, supra, de iure patron., illud. Sed contra dixi ibi.

Conferat
Si tamen contulerit et subsequatur postea consensus episcopi, bene valet talis donatio, 16. q. 1, quoniam quicquid; et infra, de iure patron., suggestum; supra, de iure patron., cura; et supra, de iure patron., quod autem, in fi.

Offeratur
Nisi iusta causa subsit quare episcopus hoc denegavit, quia tunc Papa non concederet nec episcopum compelleret ad dandam licentiam, arg. 63. dist., litteras; et 85. dist., archidiaconum, in fi. Ber.

X 3.38.18 *Significasti*

Significasti
Casus litteralis est talis. Quidam episcopus nomine ecclesiae suae obtinuit ius patronatus in aliqua capella diocesis alterius. Clericum quem ipse praesentavit, ille ad quem spectat confirmatio recipere tenetur, etiam de alio episcopatu.

Personae idoneae
Ut supra, de iure patron., illud. Quod videtur concordare opinioni Vincen.

Praesentaverint
Episcopis vel aliis inferioribus praelatis in quorum parochiis ecclesiae sitae sunt et clericum cuiuscumque diocesis possunt praesentare, ut 16. q. 5, si quis episcoporum. Et sic intelligit Hug. illud capitulum. Et est privilegium episcopi, ut dicit. Sed littera illud non dicit expresse, sed dicit: ordinet quos desiderat clericos ibi ponere. Et sic est contra illud 71. dist., hortamur; et 71. dist., clericos; et supra, de cleri. peregri., te nobis.

X 3.38.19 *Consultationibus*

Credebatur
Et erat in quasi possessione ius patronatus, quia tunc tenet praesentatio, etiam si in veritate non sit patronus, supra, de elect., querelam; et supra, de caus. poss. et propr., cum olim, et hic. Item est hic arg. quod plus valet quod est in opinione quam quod est in veritate, 1. q. 1, si quis a simoniacis; 3. q. 7, infames § tria; et 3. q. 7, infames § verum; infra, qui fil. sint legit., cum inter; et infra, qui fil. sint legit., per tuas; et supra, de bigam., nuper, in fi. Arg. contra 29. q. 2, si quis; et 8. dist., veritate. Et ita sola possessione acquiritur titulus, licet ille dominus non sit qui praesentat, sed hoc facit bona fides.

Removeri
Quia quod legitime factum est, non debet irritari, licet ad eum casum deveniat a quo incipere non potuit, 55. dist., praecepta; ff. de itin. act. priv., nec enim; et ff. de postulan., hunc titulum § casum; 32. q. 7, neque furiosus. Et quod rite et secundum leges factum est, ex alio eventu resuscitari non debet, C. de admin. tut., sancimus. Et quod legitime factum est, poenam non meretur, C. de adulter., Gracchus.

Possidebat
Bona fide ut dixi et non vi, arg. C. de praescri. trig. vel quad. ann., si quis emptionis § sed hoc; et 16. q. 3, licet in regulis. Sed numquid ille qui est in quasi possessione praesentandi, si ei moveatur quaestio proprietatis, poterit interim praesentare ante sententiam? Dic de hoc ut dixi supra, de iure patron., ex litteris. Propter hoc tamen nullum fit praeiudicium vero patrono in posterum, ut hic dicit. Ber.

Removeri
Quia non praesentatus a patrono, 16. q. 7, decernimus. Et sic credulitas sine possessione non valet vel non prodest.

X 3.38.20 *Suggestum est*

Prius factam
Similem casum habes supra, de his quae fi. a prael., continebatur.

Auctoritas
Episcopalis, supra, de iure patron., quod autem; et supra, de iure patron., illud; et supra, de iure patron., nullus; et supra, de dona., consultationibus; et supra, de iure patron., cura, et hic; et supra, de iure patron., praeterea quia; et supra, de iure patron., significasti.

Subsecutus
Arg. quod ab initio erat invalidum per subsequentem consensum confirmatur, et fit validum, supra, de iure patron., cura; et 16. q. 1, quoniam quicquid. Simile supra, de his quae fi. a prael., cum nos; et supra, de dona., pastoralis; et supra, de iure patron., cura.

Quamvis posterius
Arg. quod litterae quae possent elidi per exceptionem, non praestant impedimentum secundis, quamvis de primis non faciant mentionem, supra, de confirm. util. vel inutil., bonae.

Fulcitur
Arg. quod ubi plura faciunt pro aliquo quam contra obtinere debet, arg. 13. dist., duo mala; et 13. dist., nervi; C. de iuris et fact. ignor., quamvis cum causam; et supra, de re iudic., causam quae, ubi sunt arg. de hoc. Arg. contra 22. q. 1, movet te.

X 3.38.21 *Relatum est*

Recognitionis
Id est, confessionis in iure factae, donationis vel concessionis prius factae de re quacumque, quod melius est, et est vulgare Anglicorum. Ala.

Vendicare
Id est, retinere.

Per ostium
7. q. 1, non furem; et 23. q. 4, tres personas; et 1. q. 1, ordinationes.

Conscendunt
Et sic fures sunt, supra, de elect., dudum ad audientiam.

Indigni
In tantum quod deponi debent et excommunicationi subiiciendi sunt, 16. q. 7, si quis deinceps; 16. q. 7, si quis episcopus; 16. q. 7, si quis clericus. Hodie tamen non imponitur poena praedictorum canonum, sed statur ei quod hic dicitur. Et si quis consentiat electioni de se factae, per abusum laicorum ineligibilis fit, nec potest promoveri sine dispensatione, supra, de elect., quisquis.

Coram saeculari

Secundum illam regulam: actor forum rei sequatur, supra, de for. compet., cum sit; 11. q. 1, experientiae. Sed nonne committunt isti sacrilegium qui taliter spoliant ecclesias? Ergo sunt per ecclesiam iudicandi, ut probatur supra, de for. compet., conquestus; et arg. 12. q. 2, nulli liceat; 12. q. 2, praedia. Et homicidae dicuntur, 12. q. 2, qui abstulerit. Est ergo verum quod isti malefactores sub ecclesiastico iudice sunt conveniendi, et favore ecclesiae est hoc introductum, supra, de for. compet., cum sit. Et secundum illam regulam non consequeretur intentionem suam. Sed pone quod ecclesia agat contra eos coram iudice saeculari, et ipsi laici volunt reconvenire ecclesiam, quia forte haec erat intentio ipsorum, numquid sunt audiendi? Dicas quod non, ff. de iud., consensisse § sed si agant. Et alia etiam ratione, quia quaestio spoliationis privilegiata est, ut eam intentans reconveniri non possit, nisi de alia spoliatione, supra, de ord. cognit., super spoliatione; et supra, de iudic., significaverunt.

Excommunicationi subdatis

Hic patet quod si quis prohibeatur sub poena anathematis sive excommunicationis, licet quis contra facit, non est excommunicatus sed debet excommunicari. Secus videtur si dicatur sub interminatione anathematis, infra, de eo qui furt. ord. recep., veniens. Vel si dicatur sub excommunicationis interpositione, quia qui contra facit, excommunicatus est, 62. dist., Salonitanae; et supra, de loc. et cond., ex rescripto. Quia per illa verba innuitur quod excommunicatis sententia lata sit. Dic de hoc ut dicitur infra, de simon., sicut tuis.

X 3.38.22 *Eam te*

Sex menses

Contra supra, de iure patron., quoniam; et infra, de iure patron., cum propter, ubi dantur quatuor menses; 16. q. 7, si plures; et 16. q. 7, considerandum; et supra, de iure patron., quaecumque. Solutio: cum est contentio de electione inter patronos, tunc obtinet quod dicitur supra, de iure patron., quoniam, 1. resp. Si autem ecclesia ordinari non possit sine nimio scandalo patronorum, tunc satis potest dici quod episcopus tollat reliquias et claudat ostia. Et sic possumus tenere decreta praedicta 16. q. 7, si plures; et 16. q. 7, considerandum. Quia propter magnum scandalum ea quae sine peccato mortali possunt omitti, quandoque omittimus, infra, de nov. oper. nunc., cum ex iniuncto. Alias propter modicum scandalum non dimittat episcopus ecclesiam ordinare, ut dicitur in capitulo supra, de iure patron., quoniam. Tamen consuevit dici quod non statur hodie illis decretalibus, sed illi decretali supra, de iure patron., quoniam, ubi dicitur de sex mensibus. Si vero est contentio inter aliquos de iure patronatus, tunc expectet usque ad sex menses, et tunc auctoritate sua ordinet ecclesiam. Si infra sex menses postquam vacaverit, illa quaestio diffinitiva non fuerit, ut hic dicit, salvo iure illius qui postea evicerit ius patronatus in posterum, supra, de iure patron., si vero; et supra, de iure patron., consultationibus; et infra, de iure patron., cum propter. Sed si non vult tantum expectare, post quatuor menses ordinet ecclesiam, supra, de iure patron., quoniam; et infra, de iure patron., cum propter. Quibus standum est, ut dicit Laur., quia licet illa decretalis supra, de iure patron., quoniam, praecesserit istam. Inno. iiii tamen concordat cum illa decretali supra, de iure patron., quoniam, quae est Lateranensis concilii. Quidam

tamen ita dicebant, quod hic computantur sex menses a tempore vacationis. Et ita concordat Lateranense concilium, supra, de concess. praeben., nulla, et illa supra, de iure patron., quoniam, et infra, de iure patron., cum propter. Intelliguntur a tempore motae litis, quod satis potest concedi. Et hoc satis innuitur per litteram illarum decretalium in quibus dicitur: si quaestio emerserit, et hic dicitur postquam vacuerit, tamen episcopus potest facere quod istorum magis placet. Si vero contentio sit inter episcopum et patronum, puta episcopus dicit praesentatum indignum, patronus idoneum, tunc episcopus ponet oeconomum ibi pro fructibus conservandis, quousque fuerit expeditum, supra, de offi. ord., cum vos. Credo potius standum ei quod dicit Laur. Si episcopus voluerit quod dicitur a tempore motae litis, non habet rationem, quia sic posset vacare ecclesia quasi per octo menses. Et decretalis illa praecessit tempore illam supra, de iure patron., quoniam, licet haec sit posterior in titulo, quia ambae sunt eiusdem auctoris. Ber.

X 3.38.23 *Praeterea*

Advocati
Id est, patroni.

Ius advocationis
Id est, ius patronatus vel potius ius advocationis. Nam alii dicuntur patroni et alii advocati, ut infra eodem capitulo patet.

Emptionis
Qualiter ius patronatus transferatur venditione seu aliis modis dictum est supra, de iure patron., cum saeculum.

Fodrum
Fodrum est collecta quam imponebant isti patroni ecclesiis, et est vulgare Lombardorum.

Albergarias
Id est, pactiones quae debentur pro comestionibus.

Regium
Quod regi debetur, sive tributum regi debitum, 11. q. 1, si tributum; et 23. q. 8, convenior.

A locorum episcopis institutos
Statui ergo possunt redditus patrono vice tributi sive pensionis, ut hic patet, et 23. q. 8, tributum; et arg. 18. q. 2, Eleutherius. Et hoc ante consecrationem ecclesiae et non post, arg. C. de donat. quae sub mod. vel cond., perfecta; et 16. q. 7, filiis. Possunt etiam statui vice beneficii et ante et post, 16. q. 6, illud; et 16. q. 1, possessiones; et 16. q. 3, clerici; et 16. q. 3, si episcopus. Amplius vero habere non debent, quam reperiatur in iure permissum, infra, de poeni., in quibusdam; et supra, de statu monach., in singulis, in fi.

Contractus quoque huiusmodi
De quibus praemissum est, scilicet donationis, venditionis et aliis. Et sic patet quod ius patronatus vendi non potest, supra, de iure patron., quia clerici; et supra, de iure patron., de iure. Vel donari sine consensu episcopi, supra, de iure patron., nullus. Arg. contra supra, de iure patron., illud. Ibi solvitur.

X 3.38.24 *Cum autem*

Alium
Dando secundum videtur recedere a priori, sicut ille qui plures constituit procuratores diversis temporibus, ff. de procur., si quis cum procuratorio § ulti.; et supra, de procurat., non iniuste.

Iudicio episcopi
Et sic locus est gratificationi, ff. locat. et conduct., in nave, in fi.; supra, de offi. deleg., de causis; arg. 26. q. 7, tempora; ff. de rel. et sump. fun., si plura; ff. qui satisda. cog., de die. Sed contra est infra eodem capitulo in fine, C. de dilation., quoniam; ff. de fideicommi. liber., generaliter § quid ergo. Solutio: cum dubitatur quis potior sit in iure, locus est gratificationi, vel cum aliquis non potest subvenire utrique, ff. de Sil., si quis in gravi § si cum omnes.

Ecclesiastica persona
Quia clerici patroni pinguius ius habent quam laici, arg. 16. q. 5, si quis episcoporum. Vel quia clerici variare non debent, in poenam eorum hoc statutum est. Ala.

Qui prior est tempore
Sic infra, de iure patron., pastoralis. Et ita habes hic quod qui potior est tempore, potior est iure, supra, de maior. et obed., cum certum, ubi de hoc.

X 3.38.25 *Nobis fuit*

Assesnsu diocesani
Et ita ex constructione acquiritur ius patronatus, 16. q. 7, Frigentius; et 16. q. 7, piae mentis; et 16. q. 7, filiis.

In conventuali
Conventualis dicitur, ex quo duo vel tres in collegio sunt, supra, de elect., nullus. Sed videtur quod tres ad minus debeant esse, ff. de ver. sig., Neratius. Tamen in uno retinetur ius collegii, ff. quod cui. univ. nom., sicut § ulti.

Honestius
Immo necesse est quod requiratur, ut videtur supra, de elect., cum terra; et melius supra, de elect., sacrosancta. Quia posset excipere contra ipsum si non esset idoneus, etiam post confirmationem, si male versatur, tenetur denunciare episcopo, 16. q. 7, filiis; et arg. optimum 18. q. 2, abbatem.

Nisi alter de sua iurisdictione

Non videtur quod istud stare possit, quia si intelligas hoc generaliter de quocumque patrono, obstat manifestum contrarium supra, de elect., sacrosancta; et supra, de elect., Massana, ubi habes quod ius eligendi non cadit in laicum in collegiata ecclesia, nec valet aliqua consuetudo, ut laicus intersit cum clericis in electione praelati, ut hic videtur permitti. Qualiter ergo respondebimus contrariis? Potest dici secundum quod notavit Tanc., quod hoc intelligi debet cum ecclesiastica persona ius obtinet patronatus, puta abbas vel alia ecclesiastica persona, quia huiusmodi personae bene possunt interesse electioni faciendae cum clericis, ex quo consueverunt ibi interesse electioni faciendae. Vel quia in fundatione reservaverunt sibi istud ius de consensu episcopi, et sic de iurisdictione sua interesse possunt, arg. 18. q. 2, Eleutherius. Et sic non contradicit, ut notatur in capitulo supra, de elect., sacrosancta. Vel potes hoc intelligere generaliter etiam de laico, vel expone de sua iurisdictione sibi specialiter concessa in sua fundatione, quam concessionem ostendere debet, arg. 100. dist., contra morem, et ab eo qui hoc concedere potuit, scilicet a domino Papa, quia episcopus non posset hoc concedere, sicut credo arg. praedictae decretalis 18. q. 2, Eleutherius. Et hoc bene probatur 16. q. 1, hinc etiam, ubi datum fuit tale privilegium, quod rex simul cum monachis eligat abbatem. Aliter vero patronus in electione esse non debet. Et sic utroque modo cessant praedicta contraria. Consuetudo enim hic non prodest.

In capella

Sed numquid invito patrono posset fieri haec capella collegiata ecclesia, cum sic amitteret praesentationem? Non videtur, arg. ad hoc ff. si serv. vend., is cuius familia, in fi.; et ff. de usufruct. et habit., usuariae; et 10. q. 1, si ex laicis. Arg. contra 10. q. 1, decretum, ubi ordinatio ecclesiae pertinet ad episcopum, et 10. q. 1, noverint; et ff. de usufruct. et habit., usuariae, in fi. Satis posset concedi quod posset in favorem ecclesiae, et sic punietur patronus sine culpa sed non sine causa, supra, ut lite non cont., quoniam § si vero, in fi.; et 22. dist., renovantes. In aliis omnibus remanet patronus praeterquam in electione praelati. In ipsa enim fundatione hoc evenire posse patronus prospicere debuit et sibi cavere per superiorem, ff. locat. et conduct., si quis domum § 1; et 23. dist., in nomine Domini; et supra, de elect., licet. Sed his non obstantibus videtur, quod invito patrono capella in praeiudicium patroni non possit fieri collegiata ecclesia, ut videtur bene probari, 16. q. 7, monasterium; et 16. q. 7, rationis, ubi dicitur expresse quod episcopus potest auferre ecclesiam a dispositione patroni. Et ita eo invito collegiata fieri non potest, sicut eo invito non potest ei auferri directe ius praesentandi, 16. q. 7, decernimus; et infra, de iure patron., cum dilectus, ubi de hoc. Ergo non indirecte, et ubi aliquid ei una via prohibetur, alia via non conceditur, supra, de procurat., tuae, cum suis concordantiis ibi positis. Item et alia ratione non debet fieri collegiata invito patrono. Cum enim ecclesia teneatur providere patrono si ad inopiam vergat. Si hoc fieret, non posset sibi postea providere sicut prius poterat, ergo sua interest ne fiat collegiata, quod probatur 16. q. 7, quicumque. Directe ergo non potest privari iure praesentandi, ut dictum est, ergo nec indirecte faciendo ecclesiam collegiatam. Hoc credo verum et aequum et honestum, ut per hoc laici invitentur ad constructionem ecclesiarum. Sicut per contrarium a provisione ecclesiarum revocarentur, et ita patrono invito capella non potest fieri collegiata. Sicut dominus rei non potest usum rei immutare etiam in melius invito usufructuario, ut dicit lex praedicta ff. de usufruct. et habit., usuariae, in fi. Sed dato secundum dictum alicuius,

quod capella possit fieri collegiata ecclesia invito patrono, non perdit propterea ius praesentandi rectorem. Si vero consentiat, ut possit fieri collegiata sine protestatione iuris sui, in eo casu dicerem electionem rectoris ad collegium tantum pertinere. Et hoc etiam tempore fundationis fieri potuit, arg. supra, de iure patron., praeterea quoniam; et 18. q. 2, Eleutherius. Utroque tamen casu remanet patronus quantum ad alia. Et hoc capitulum et alia iura quae dicunt quod in ecclesia collegiata patronus in electione esse non debet, intelligitur de illis ecclesiis quae ab initio de voluntate patroni factae sunt collegiatae. Ber.

Modeste
Habito respectu ad facultates ecclesiae et ad qualitatem personae, 10. q. 3, illud magnitudinem; et ff. de usufru., sed et si quid § 1.

Canonibus
16. q. 7, quicumque.

X 3.38.26 *Per nostras*

Ingerere
Hoc ipso tamquam ambitosus debet repelli, 8. q. 1, in scripturis; et 1. q. 6, si is qui. Simile C. de episc. et cler., si quemquam; et ff. de procur., quae omnia. Quia non ambitione sed labore unumquemque ad honorem convenit pervenire, C. de re milit., contra publicam, lib. 12; et 61. dist., miramur, ad fi. Arg. contra supra, de elect., cum in iure.

Praesentare
Quia differentia debet esse inter praesentatum et praesentantem, dantem et recipientem, supra, de instit., cum ad nostram. Et inter baptizatum et baptizantem, infra, de bapt. et eius effect., debitum; et ff. de tutor. et curat., praetor; et ff. de off. praet., praetor. Et haec est ratio quare persona electa non videtur computanda inter eligentes, ut augeat numerum eligentium, quia a seipso oriri non debet, 24. q. 1, didicimus. Et intus ortus occidit, 1. q. 1, quibusdam.

X 3.38.27 *Cum propter*

Quatuor
Supra, de iure patron., quoniam. Arg. contra supra, de iure patron., eam te, ibi solvitur. Quod dicitur hic, intellige per id quod dicitur supra, de iure patron., quoniam; et supra, de iure patron., eam te.

X 3.38.28 *Cum dilectus*

Praesentavit
Episcopo diocesano, sed non fuit admissus, ut infra sequitur.

Ecclesiam
De Berovilla, scilicet in qua legatus instituerat praedictum G. Sed diocesanus episcopus fecit ibi quandam commutationem de consensu partium. Praebenda illa quae vacabat in ecclesia sancti Martini Carnotensis debebat assignari H. clerico. Unde G. renunciavit illi ecclesiae de Berovilla quam habuit a legato, et episcopus ei contulit illam praebendam in ecclesia sancti Martini, quam debuit habere H. Et illam ecclesiam de Berovilla sic vacantem ad praesentationem praedicti archidiaconi contulit H. clerico. Unde orta fuit contentio inter istum H. et praedictum G., quem primo praesentavit archidiaconus contra mandatum legati.

Tamquam laicus
Ratione patrimonii. Et Papa argumentatur duobus modis, et utroque modo ducitur ille ad inconveniens. Primo sic: si praesentat eum tamquam laicus, melior est conditio possidentis, supra, de iure patron., quod autem, 1. resp. Si tamquam clericus, ergo praesentatio non tenuit, quia erat interdicta per legatum, et ita pro non dato habetur, supra, de iure patron., quod autem, 1. resp.
.
Statutum
Alexandri, supra, de iure patron., quod autem, 1. resp.

Decreverat reservandam
Sed quid si exiret provinciam et vacaret? Credo quod archidiaconus tunc illam posset conferre, quia egrediendo provinciam finitur legatio, supra, de offi. legat., novit; et supra, de offi. legat., nemini. Sed si reservasset donationi Papae, tunc non credo quod illam conferre. Secus in negotiis iam coeptis antequam egrediatur provinciam, supra, de offi. legat., nemini.

Clericus
Secus si tamquam laicus, quia tunc posset non obstante reservatione legati.

Quempiam praesentare
Et ita patet hic quod legatus potest reservare suae donationi primam vacaturam. Et si contra fiat, non valet. Sed videtur quod talis prohibitio non valeat, arg. supra, de praeben., dilectus filius 2. Quia concessio de prima vacatura facta a legato non tenuit ibi. Sed non est contra, quia hic non dedit sed reservavit suae donationi, sed ibi dedit. Praeterea istud videtur fieri in fraudem canonis, unde non deberet valere, supra, de concess. praeben., constitutus. Aliud est de episcopo, quia non habet tantam potestatem sicut legatus. Unde episcopus non posset sibi reservare primam vacaturam, cum talem potestatem non habeat. Immo si vacaret, cum ad eum non pertineret, conferre non posset. Item videtur quod liberam electionem posset legatus auferre capitulo, quia qua ratione potest reservare sibi primam vacaturam et secundam et tertiam, et sic non eligeretur. Dicas quod liberam electionem non potest auferre, quia si sic esset, privaret eos in totum, quod non posset, licet tempore suae legationis posset interdicere et reservare sibi electiones. Sed numquid legatus posset dare ecclesiam invito patrono laico? Quod videtur, quia plus iuris habet in concessione praelatus quam in praesentatione patronus, supra, de offi. legat., dilectus. Quia quilibet patronus undecumque habeat patronatum,

subest legato quantum ad ius patronatus, id est, quantum ad cognitionem ius patronatus, arg. supra, de iudic., quanto. Sed hoc videtur speciale in legato domini Papae, quia episcopus invito patrono non posset ecclesiam dare, 16. q. 7, decernimus. Sed certe quamvis patronus subsit legato quantum ad ius patronatus, id est, quantum ad cognitionem iuris patronatus, non tamen videtur quod ei posset auferre praesentationem provenientem ratione patrimonii, sicut posset provenientem ratione ecclesiae. Et hoc innuitur hic ex hac distinctione. Alias quare distingueretur inter praesentatum a laico vel clerico? Licet enim Papa concederet, quod legatus concederet ecclesias invitis patronis, non tamen sequitur quod concesserit invitis patronis habentibus ius patronatus ratione patrimonii, arg. ff. ne quid in loc. pub., praetor ait § si quis a principe. Quidam praeferunt primum dictum. Sed istud maiori nititur aequitate, ut patronus ratione patrimonii quo dotavit ecclesiam, non privetur iure suo, nec fiat ei haec iniuria. Et propter hoc subtraherentur et ipse et alii a fundatione ecclesiarum, et hoc est verum.

Cum fructibus inde perceptis
Quia malae fidei possessor fuit, ex quo praecessit mandatum. Nec fuit per episcopum admissus, ut hic dicitur, et ita nullam habet excusationem, C. de rei vend., certum. Immo et quos percipere potuisset legitime institutus, quia est violentus possessor, supra, de restit. spol., gravis, ubi de hoc. Ber.

X 3.38.29 *Pastoralis*

Appellaverit
Similis appellatio est infra, de iure patron., transmissae. Sed numquid tali appellationi erit defendendum? Videtur quod sic, quia ex sola praesentatione facta a vero patrono acquiritur ius praesentato, ita quod si alium non praesentaverit, obtinere debet adversus alium institutum, supra, de re iudic., cum Bertholdus; et 16. q. 7, decernimus. Et ita tenet appellatio, cum nullus alius sit adhuc praesentatus. Potest dici quod appellatio ab initio tenet. Sed si patronus postea alium praesentaverit, et episcopus instituerit ipsum, iam non obstat appellatio, cum ei permissum sit a iure variare, supra, de iure patron., quod autem; et supra, de iure patron., cum autem. Episcopus vero punitur qui illum primum praesentatum non admisit, ut hic dicitur. Sed non ex vi appellationis, sed quia malitiose ipsum repulit.

Distinguens
Supra, de iure patron., cum autem.

Censuit
Supra, de iure patron., quod autem.

Robur obtinet
Ecce unam differentiam inter praesentatos a laico et inter praesentatos a clerico, quia laicus variare potest, clericus non, supra, de iure patron., cum autem. Unde videtur quod si laicus praesentat indignum, non perdit ius eligendi, arg. supra, de offi. ord., cum vos, ubi de hoc.

Malitiose
Sed quis probabit quod malitiose non admiserit? Episcopus non, quia pro ipsius facto praesumitur, supra, de elect., bonae 1; et supra, de probat., post cessionem. Item nullo aliquid obiiciente, ipse potest eum repellere, supra, de elect., venerabilem; et supra, de elect., cum nobis; arg. 28. dist., priusquam; et 39. dist., Petrus. Sed potius contrarium est verum, quia qui malitiam obiicit, eam probare debet, ff. de probation., quotiens operae § qui dolo; et 6. q. 2, placuit; et 6. q. 2, si tantum. Dicendum est hic quod episcopus debet ostendere quod ille non sit idoneus, quia quilibet praesumitur bonus nisi probetur malus, supra, de scrutin., ex parte; et supra, de praesump., dudum. Alias praesumitur malitia episcopi, arg. ff. de rei vend., is qui dolo. Et fuit hoc novum ius et exquisitum, ut episcopus propter dolum suum teneatur ei providere, arg. praedictae legis ff. de rei vend., is qui dolo. Et in hoc praeiudicat successori, sicut si ordinaret illum sine titulo, supra, de praeben., cum secundum Apostolum, et est simile. Qui enim recusat idoneum fideiussorem, tenetur actione iniuriarum, ff. qui satisda. cog., si vero, in fi. Et eo ipso probatur malitia, quod eum repellit nulla examinatione facta de ipso.

In quo
Sic ergo punitur aliquis in eo quo deliquit, supra, de translat., quanto; supra, de translat., inter corporalia; et infra, de immun. eccl., immunitatem; 17. q. 4, frater et coepiscopus.

X 3.38.30 *Postulasti*

Utrum electio
Duae proponuntur hic quaestiones. Una est, si sacerdos parochialis possit aliquem ordinandum praesentare ad titulum ecclesiae suae, irrequisito patrono. Secunda, si vacante ecclesia ille sic intitulatus sit alii praeferendus, quem patronus praesentaverit? Ad primam quaestionem non videtur respondere. Ad secundam respondet quod non fit praeiudicium patrono, quin possit praesentare quem velit. Per hoc potest dici quod utrique quaestioni responsum est, ut sic illi intitulati maneant in ecclesia. Patronus tamen potest praesentare quem velit, qui erit praelatus ecclesiae. Et isti intitulati ius non habent in ecclesia, quia nec sunt ibi ut collegium, sed simplicem sustentationem habent. Nec eorum consensus requiritur in electione sacerdotis, sed solus patronus eliget. Et ita non fit praeiudicium patrono per talem intitulationem quantum ad praesentationem, cum eo invito possint intitulari. Sed si consentiret intitulationi, tunc fit ei praeiudicium, quia postea tenetur illum praesentare, ut dicit in fine. Et quod hoc fieri possit invito patrono est arg. supra, 16. q. 5, si quis episcoporum. Sed quid si praesente et non contradicente patrono intitulatur? Videtur consentire ex quo non protestatur ius suum, arg. 54. dist., si servus 2; ff. de exerc. act., utilitatem § magistrum; et ff. ad municip., quotiens. Sed hoc non est verum, quia non nocet ei taciturnitas, si eo invito possunt fieri talia. Vel posset intelligi aliter quod dicit inferius, ut nullum patronis praeiudicium generetur. Dixit Io. non praeiudicatur, quin possint removeri ab ipsis patronis post mortem sacerdotis. Sed contra videtur quod successor tenetur nihilominus illis providere, supra, de praeben., cum secundum Apostolum. Et Hug. dicit quia ad patronum videtur spectare non tantum praesentatio sacerdotis sed aliorum clericorum, 63. dist., principali; et 18. q. 2, Eleutherius; et 16. q. 5, si quis episcoporum; in Auth. de sanct. episc. § si quis oratorii domum, coll. 9. Dum tamen adsit consensus praelati, arg. supra, de fil. presbyt.,

proposuit. Nam patroni iudicium multum est sequendum, qui ita dilexit ecclesiam, ut ei sua conferret, arg. ff. de confir. tut., si patronus. Contrarium tamen notavit Io. in capitulo 63. dist., principali, quod electio clerici non pertineat ad patronum sed ad praelatum. Credo potius standum ut hic notatur, ubi sunt tantum duo in ecclesia, scilicet rector et clericus, quod patronus praesentat utrumque, cum ecclesia non dicatur collegiata ut notatur supra, de elect., nullus. Sed in collegiata ecclesia nullum potest praesentare. Ber.

X 3.38.31 *Transmissae*

Post appellationem
Quae appellatio non tenuit, cum nullum ius haberet, cum ad ipsum non pertineat concessio sed praesentatio, ut infra sequitur, quia pro non dato habetur etc., supra, de iure patron., quod autem, in fi. Et ita non intererat eius appellare, quia non solent audiri etc., 2. q. 6, non solent; supra, de elect., cum inter R; et supra, de his quae fi. a maior. par. cap., ex ore.

Ex vi iuris patronatus
Nota ergo vim et potestatem quam habet patronus, quia patronus in eo quod patronus ecclesiam donare non potest, supra, de iure patron., quod autem; et supra, de iure patron., illud, sed solam praesentationem, ut hic patet. Unde nil aliud sibi vendicare debet, supra, de iure patron., cum saeculum. Et ita concessio ista nulla fuit quam idem capitulum postea fecit. Sic supra, de iure patron., illud; et supra, de iure patron., cum laici. Et est arg. hic quod non praestat impedimentum, quod de iure non sortitur effectum. Sed videtur quod capitulum Eboracensis faciendo quod non licet concedendo ecclesiam, privari debuit potestate saltem ea vice praesentandi, quia dixit sibi ius, et ut puniatur in eo in quo deliquit, supra, de iure patron., pastoralis; supra, de translat., quanto; et arg. 16. q. 6, placuit. Propter hoc non puniuntur, quia et ipsi iidem correxerunt factum suum praesentando prout debebant, nec est iste casus in quo privetur quis potestate eligendi, quia cum sit illud poena, non debet imponi nisi exprimatur quod sit imponenda. Praeterea non peccaverunt eligendo, quia non elegerunt, ergo puniri non debent in eo in quo non peccaverunt.

Potiorem
Et vere potior est, quia nullum ius habuit alter, ut dictum est.

X 3.39 DE CENSIBUS EXACTIONIBUS ET PROCURATIONIBUS

X 3.39.01 *Sancitum est*

Sancitum
Istud capitulum habes 23. q. 8, sancitum.

Mansus
Mansus dicitur in vulgari Italicorum quantitas terrae quae sufficit duobus bobus in anno ad laborandum.

Ullo servituto
Sed quid dices si mansus ille primo fuit tributarius alterius ecclesiae, quia ecclesia alia parochialis decimas inde percipiebat? Ala. dicit quod mansus iste in favorem ecclesiae a tributo liberatur, sicut servus factus presbyter a servitute liberatur. Ad hoc inducit 23. q. 8, secundum canonicam. Alia autem praedia collata ecclesiae a tributo non liberantur, ut hic in fi. Quia res transit cum onere suo, supra, de pignor., ex litteris; et supra, de decim., cum non sit; et C. sin. cens. vel rel., ex conventione; C. sin. cens. vel rel., rei; et C. omnes; ff. de pigner. act., sane; et ff. de pigner. act., si convenerit § si fundus; et 23. q. 8, tributum; et 11. q. 1, si tributum; et C. de episc. et cler., de his clericis, in fi. Nisi forsitan quid speciale dicatur in dote ecclesiae, arg. supra, de decim., novum. Sed verius credo quod mansus ille qui datur ecclesiae etiam in ipsa fundatione, si primo erat tributarius, vel solvebantur decimae de ipso ecclesiae parochiali, non debet ecclesia propter hoc iure suo privari, 16. q. 1, ecclesiae antiquitus; 23. q. 8, tributum, nisi fortassis modicum laederetur, quod de facili pati posset. Sed si ex hoc laederetur, non debet iure suo privari, quia tunc etiam privilegium perditur propter enorme detrimentum, infra, de verb. sign., quid per novale. Et hoc bene licitum est, quod tale servitium tributum ecclesiasticum appellari potest ad quod tenetur ecclesia, ut infra sequitur.

Praeter ecclesiasticum
Ecce quod ecclesia potest solvere tributum ecclesiasticum, arg. 18. q. 2, servitium; et 12. q. 2, ecclesiasticum; et 11. q. 1, si tributum; et 23. q. 8, tributum, ut dictum est.

Senioribus
Id est, dominis. Et est arg. quod res transit cum onere suo, 16. q. 1, si quis laicus; et 100. dist., rationis. Ber.

Servitium
Id est, censum.

X 3.39.02 *Omnis anima*

Vos subditi
Hoc dictum fuit laicis, sicut illud 11. q. 1, magnum; et supra, de maior. et obed., solitae. Et potest extendi ad clericos circa exteriora, 23. q. 8, tributum. Vel quia obedire debent praelatis suis, 23. dist., quamquam; supra, de elect., significasti. Vincen.

Probatio
10. q. 3, illud; C. de episc. et cler., nulli.

X 3.39.03 *Scientes*

Presbyterum
Id est, episcopum, 93. dist., legimus; et 95. dist., ecce; et 18. q. 2, hoc tantum.

Ab initio
Sic ergo ab initio potest imponi census ab ipso patrono de consensu episcopi, supra, de iure patron., praeterea quoniam; et 18. q. 2, Eleutherius; infra, de censib., quanto. Postea vero imponi non potest nec impositus augeri, infra, de censib., prohibemus. Et ita est hic arg. initium esse spectandum, C. de bon. quae liber., cum oportet, in fi.; ff. de poe., si quis § qui abortionis; 1. q. 1, quibusdam; C. commun. de usucap., qui ex conducto; et C. commun. de usucap., si mala; de conse. dist. 1, placuit; et ff. commodat., ait praetor, in fi.; et 6. dist., testamentum; et supra, de loc. et cond., propter § 1; et ff. de negot. gest., sed an ultro § 1, in fi.; ff. de ver. oblig., continuus § cum quis; ff. de contrar. tut. et util. act., quid ergo § sufficit. Arg. contra scilicet finem esse spectandum infra, qui fil. sint legit., tanta; in Auth. de nupt. § quia vero, coll. 4; 22. q. 2, quod autem ait; ff. qui satisda. cog., si antequam; de poen. dist. 3 § 1, in fi.; 7. q. 1, suggestum; et supra, de renunciat., litteras. Arg. contra scilicet medium esse spectandum, unde illud: cum media semper gaudebam ludere forma // maior enim mediis gratia rebus inest; supra, de testib., cum tu; et 45. dist., disciplina; et 45. dist., sunt namque; et supra, de offi. deleg., quaerenti; et 23. q. 4, quidam cum bonorum, in fi.; et ff. de poe., respiciendum; C. de cust. reo., si quis. Arg. contra quod medium non sit inspiciendum, C. de hered. instit., sed et si § solemus. Solutio: medium spectandum est in dissensione opinionum. Et opinio media magis est amplectanda, supra, de offi. deleg., quaerenti. Quod dicitur initium esse spectandum, et finem esse spectandum solvitur supra, de elect., dudum ad audientiam, ubi de hoc invenies alias concordantias.

X 3.39.04 *Licet multum*

Non permittas
Quid ad Papam de isto caeco, cum non videatur esse de sua iurisdictione, sed potius ad saecularem pertineat? Immo cum sit miserabilis persona, eius correctio pertinet ad ecclesiam, 87. dist., licet; et 87. dist., defensionis. Et ratione peccati saltem pertinet ad ecclesiam, supra, de iudic., novit; et arg. 11. q. 1, relatum. Vincen.

Misereri
Potius est consulendum talibus quam auferendum, C. vect. nov. inst., si iure. Qui enim morbo corporali laborant, a personalibus muneribus excusantur, C. qui morb., si ea, lib. 10; C. qui morb., cum articulari, lib. 10. Sed privilegium illud non extenditur ad filios, C. qui morb., casus, lib. 10. Et satis iste affligitur, nec debet amplius affligi, supra, de cleri. aegro., cum percussio; et 7. q. 1, cum percussio; et 3. q. 9, indicas.

X 3.39.05 *Pervenit*

Census ignorantiae
Id est, cuius causa ignoratur, ff. de fideiussor., si quis postquam; et ff. de fideiussor., si quis pro eo; et ff. quan. dies leg. vel fid. ced., huiusmodi legatum. Sed numquid talis census sive consimile servitium potest acquiri tempore? Videtur quod non, quia sicut tempus non tollit obligationem, ff. de act. et oblig., obligationum § placet. Ita nec inducit, C. de pacti., si certis annis; 1. q. 1, nullus episcopus, ad fiine quaestionis, ubi de hoc; 10. q. 3, quia cognovimus; C. ne uxo. pro marit., cum te ideo. Arg. contra 18. q. 2,

servitium; 1. q. 3, quaesitum, in fi.; ff. de usuri., cum de in rem verso; ff. de aqua pluv. arc., Scaevola; ff. si serv. vend., si quis diuturno. Licet ius non probetur, ut ibi dicitur. Solutio: licet ex tempore non acquiratur obligatio, tamen huiusmodi continuam causam, C. de servit., si quas; et C. de servit., si aquam; et ff. de aqua pluv. arc., Scaevola. Et de servitiis tempore acquirendis loqui videtur lex, C. de agric. et cens., litibus, lib. 11; arg. 18. q. 2, servitium. Et ideo huiusmodi servitia acquiri possunt spatio quadraginta annorum. Et hoc intellige de his quae ius commune possideri non vetat. Alia vero quae possideri non possunt, non praescribuntur sine titulo, ut ibi dixi supra, de praescrip., si diligenti, quia nec possessor in talibus defenderetur. Et si quis aliquid petat tale sibi deberi, sufficit allegare causam in libello quamvis illam non probet, dum tamen probet tempus, arg. ff. si serv. vend., si quis diuturno, ut dixi supra, de consuet., cum tanto. Alii dicunt quod non est necesse aliquam causam exprimere. Sed haec littera in fine contradixit ibi: ad quid solvi debeat praesciatur. Sed priori dicto concordat.

Nec divinis
Id est, canonicis, 3. q. 5, quia suspecti.

Invenitur
Supple quod solvi debeat sine causa, et ideo qui petit causam, alleget, ut dixi. Ber.

X 3.39.06 *Cum Apostolus*

Exhibendos
Id est, procurandos; 28. q. 1, iam nunc, in fi.; 21. q. 1, clericus.

Graves
Quod facere non debent, immo si gravatur ecclesia suis expensis debent visitare, 10. q. 3, cavendum; et 1. q. 2, placuit.

Consumat
Usque ad examinationem extremae virtutis, 10. q. 3, cavendum; et 10. q. 3, inter caetera; 1. q. 1, placuit.

Archiepiscopi
Arg. quod archiepiscopus debet visitare provinciam et procurationes a subditis suffraganeorum suorum exigere, infra, de censib., sopitae.

Epicopi
10. q. 3, inter caetera, contra, ubi dicitur quod quinquagenarius numerus non excedatur. Sed illud corrigitur per istud.

Decani
Id est, archipresbyteri rurales.

Contenti existant
Quid ergo si plures ducant, numquid poterunt in superfluo prohiberi? Videtur quod sic, ff. de aqua quot. et aest., ait praetor § Trebatius; et 10. q. 3, quia cognovimus; 64. dist., quia per ambitiones; infra, de excess. praelat., cum ad quorundam. Potest dici quod potest denegari in superfluis. Sed si propterea subditi excommunicentur, tenet forte sententia, quia sententia pastoris sive sit iusta sive iniusta timenda est, 11. q. 3, sententia pastoris; et 11. q. 3, si quis a proprio. Et illa decretalis infra, de excess. praelat., cum ad quorundam, continet specialem indulgentiam, ut quidam dicunt. Tanc.

Canibus
Infra, de cleri. ven., episcopum; et infra, de cleri. ven., omnibus; et 33. dist., quorundam; et 86. dist., Esau; et 86. dist., an putatis.

Quae sua
63. dist., nosse; et 8. q. 1, sunt in ecclesia; 65. dist., licet.

Sumptuosas
35. dist., ecclesiae principes; 4. dist., denique. Sed episcopi in contrarium faciunt. Nam vix cautela diversorum coquorum eos potest satiare. Unde dicit lex quod ex nimia ingurgitatione olet os, ff. de aedil. edict., qui clavum § is cui. Habeat ergo pauperem cibum, 42. dist., in oratorio; 35. dist., ecclesiae principes; 12. q. 2, gloria episcopi. Laur.

Rationabilis
Si de hoc dubitetur, superioris arbitrio determinetur, 10. q. 3, quia cognovimus; 11. q. 3, si clericus.

Parentes filiis
16. q. 1, praedicator. Ordine enim naturae filius succedit patri et non econverso, ff. si tab. test., scripto § non sic parentibus. Iste tamen ordo plerumque turbatur, ff. de inoffic. testam., nam et si. Unde dixit dominus Bulg. cum suus unicus filius decessisset: ordine turbato succedis Bulgare nato. Et sic nota pro filiis.

Exactiones
Ad opus suum sine mandato episcopi, vel supple nisi in casu praemisso. Nam quae praemittuntur in praefationibus, in subditis repetita intelliguntur, ff. de ver. oblig., Titia § 1; et 32. q. 7, Apostolus; et supra, de appell., secundo.

Potestatem
Quia quod provisum est ad levamen, extendi non debet ad gravamen, 45. dist., licet; supra, de appell., cum speciali; et supra, de appell., suggestum; et infra, de poeni., in quibusdam. Laur.

X 3.39.07 *Prohibemus*

Novi
Id est, de novo, cum ab initio impositi non fuerint, supra, de censib., scientes. Et qui ab aliis ecclesiis non solvuntur, infra, de censib., ecclesiis.

Census
Qui imponitur in ipsa fundatione, puta ut in singulis annis solvat unum cereum sive libram cerae vel piperis, sive etiam certam quantitatem pecuniae, puta decem solidos vel minus vel etiam plus, quod praestatur in signum subiectionis, supra, de censib., omnis; et supra, de censib., scientes; et supra, de caus. poss. et propr., in causa. Non credo quod possit augeri ab episcopo vel abbate, licet augeantur possessiones. Secus in procuratione, infra, de censib., quanto, quia procuratio non dicitur proprie census sed pensio. Videtur quod possit imponi sive augeri auctoritate episcopi, infra, de censib., praeterea. Hoc intellige si iusta causa subest, alias non.

Nec veteres
Nota ergo census non esse augendos sive imponendos de novo, C. de pasc. pub. vel priv., cum nulla, lib. 11; et supra, de transact., de caetero; arg. ff. de acq. rer. dom., locus; supra, de praeben., avaritiae, ubi etiam de hoc tangitur; et C. vect. nov. inst., non quidem; C. vect. nov. inst., vectigalia; et C. vect. nov. inst., non solent, ubi dicitur quod nova vectigalia non possunt imponi nisi a principe, infra, de censib., significavit; et infra, de verb. sign., super quibusdam; et 18. q. 2, servitium; et 1. q. 1, nullus episcopus gravamen, in fi.; C. de alluv., ea quae. Arg. contra ff. de fideicommi. liber., generaliter § si quis alienum; ff. de flumin., ait praetor § ripam; et ff. qui et a quib. man. lib., si mortis; et infra, de censib., quanto. Solutio: si per ubertatem fructuum fiat incrementum, cum eorum sit casus fortuitus et dubius, C. de usuri., si ea lege, propter hoc augeri non debet census. Sed si accedat novum praedium, nova parochia vel aliquid tale, iustam videtur habere rationem eius, arg. ff. de usufru., item si fundi § sed si insula. Arg. contra supra, de vit. et honest. cler., quoniam; et infra, de censib., quanto. Laur.

Appropriare praesumant
Ubi tantum censum habere debent. Et est arg. quod episcopus fructus parochialium ecclesiarum sive etiam praebendarum sibi retinere non debet ultra modum sibi permissum, 10. q. 3, quia cognovimus; supra, ut eccl. ben., ut nostrum. Arg. ad hoc supra, de decim., quoniam. Ala.

Minoribus
95. dist., esto; et 22. q. 5, de forma. Et si iura unicuique ecclesiae non serventur, ecclesiasticus ordo confunditur, 11. q. 1, pervenit; et 2. q. 6, qui se scit.

Irritum
Etiam si iuraverit hoc, infra, de censib., gravis; et infra, de censib., significavit; 2. q. 6, qui se scit.

Ignorante
Pone exemplum quando volunt isti sacerdotes constituere censum, ut eorum consanguinei succedant post mortem illorum, infra, de censib., cum clerici.

Sive
Pro et.

Eis defunctis
Quia pensio illa non ligabat successorem eius, qui ecclesiam non potuit constituere censualem, ut dicit hic in fine, et supra, de transact., de caetero. Unde si petant monachi pensionem a successore, non debet solvere.

Qui de iure id facere potuerit
Hic est arg. bonum, quod census de auctoritate episcopi possit imponi de novo sive etiam augeri. Dic ut notatur supra, de censib., prohibemus. Ber.

X 3.39.09 *Ecclesiis*

Aliis ecclesiis
Ut 10. q. 3, illud.

Prohibemus
Per decretalem Lateranensis concilii, supra, de censib., prohibemus; et 18. q. 2, hoc tantum. Arg. est ergo hic quod consuetudo aliarum ecclesiarum servari debet, infra, de censib., super eo; arg. supra, de consuet., cum olim.

X 3.39.10 *Innovamus*

Innovamus
Quod iam statutum erat, 24. q. 3, paternarum.

Regum
Reges enim et principes tantum potestatem habent nova pedagia constituendi, ff. de publican., vectigalia; et C. vect. nov. inst., non quidem; C. vect. nov. inst., vectigalia; et C. vect. nov. inst., non solent. Alia omnia pedagia interdicta intelliguntur, nisi ex consuetudine cuius non extat memoria exigantur, infra, de verb. sign., super quibusdam § 1.

Communione careat
Haec est poena canonica. Secundum leges exilio perpetuo puniri debet, C. vect. nov. inst., si provincialium.

X 3.39.11 *Cum clerici*

Collusione
Collusio est inter reum et actorem occulta, et illicita pactio per quam alter in iudicio se superari permittit. Simile supra, de censib., praeterea.

Citra auctoritatem diocesani episcopi
Maxime quia collusio mala non excusaretur auctoritate episcopi, quia nec ipse novum censum sive pensionem potest imponere, supra, de censib., prohibemus, ubi de hoc. Alias iusta et honesta causa interveniente videtur quod possit, ut ibi dicitur.

Ad filios vel nepotes
Haec est causa quare ista constituebant, et mala. Et ideo eius causatum est malum. Cuius enim causatum est malum, ipsum quoque malum est, unde puniuntur, ut hic dicitur. Ber.

X 3.39.12 *Ea quae*

Collectam
Praestatio quaedam est, quam Anglici solvunt Romanae ecclesiae. Et debet esse moderata, ut certum et determinatum quid detur, ff. de damn. infect., ex damni infecti; arg. C. de Iuda., Iudaeos. Ala.

Gravetis
Scilicet quoniam sub specie tributorum non debent illicitae exactiones fieri, ut hic patet, et ff. de off. praes., illicitas § illicitas.

Auferetur
Nedum quaeritis usurpare quod vestrum non est, perdatis quod vobis competere videbatur, 13. q. 1 § 1, circa finem quaestionis; et 25. q. 2, si decet. Quia privilegium meretur amittere etc., 11. q. 3, privilegium. Ber.

X 3.39.13 *Significavit*

Episcopali auctoritate
Quod videtur sufficere iusta tamen de causa, supra, de censib., praeterea; supra, de praeben., avaritiae; arg. infra, de eccl. aedif., ad audientiam 1.

Interdixit
Sed in hoc dubito cui potius debuit obtemperare. Videtur quod episcopo, 11. q. 3, qui resistit; et 23. q. 1, quid culpatur. Sed videtur potius quod servare debeat iuramentum, maxime cum habeat probabilem causam, quia praedecessor soluit, et sic erunt monachi in quasi possessione. Unde non debent privari usquequo constet, supra, ut lite penden., a memoria. Laur. dixit quod potius servari debet mandatum episcopi, et littera illa praestat arg. ad hoc, ut prohibitionem relaxet. Quod satis potest concedi, quia conditio subintelligebatur in iuramento haec, scilicet nisi rationabile aliquod impediat. Et quia praesumptio est contra eos, ex eo quod ipsum iurare fecerunt, ad quod non fuerat compellendus etiam si de iure solvi debeat.

De novo
Et ita ab initio potest imponi, supra, de censib., scientes; supra, de iure patron., praeterea quoniam; et arg. supra, ut eccl. ben., ut nostrum. Sed ex post facto non potest imponi census, nec etiam per compositionem, supra, de transact., de caetero. Sed quem dicit censum novum? Potest dici novus, qui non est impositus in fundatione ipsius ecclesiae, 18. q. 2, Eleutherius; et supra, de iure patron., praeterea quoniam. Vel qui non est praestitus tanto tempore, quod ad legitimam praescriptionem pervenit. Sed multum refert, utrum quis alleget praescriptionem, quia ea probata obtinet licet in veritate fuerit novus, an vero censum ab initio constitutum, quia tunc iuvatur tempore, nisi constet quod legitime fuerit constitutus. Vel potest appellari novus, qui impositus fuerit post Lateranense concilium, supra, de censib., prohibemus; et infra, de censib., gravis. Laur.

Sive auctoritate episcopi
Hic evidenter apparet quod episcopi novum censum non possunt imponere. Et tu supple: verum est sine rationabili et iusta causa, ut notatur supra, de censib., prohibemus. Dic ut ibi.

X 3.39.14 *Sopitae*

Procurator
Et tamen constitutus erat ab universitatibus pluribus. Sed procurator proprie dicitur, qui mandato domini res ipsius tractat, ff. de procur., procurator est qui. Non est differentia in nominibus secundum canones, dum tamen constet quod ei detur potestas agendi, supra, de procurat., petitio, ubi de hoc; et in Auth. de sanct. episc. § alium autem, coll. 9; et in Auth. de sanct. episc. § si vero episcopi, coll. 9; et 1. q. 3, salvator.

In aliis
Ergo et in monasteriis Bononiensibus, quia idem ius debet habere in his et in aliis, supra, de censib., ecclesiis; supra, de censib., super eo. Quia una et eadem res diverso iure censeri non debet, 12. q. 2, cognovimus; et supra, de decim., cum in tua. Et ita est hic arg. ex eo quod alii faciunt, qui censent eodem iure et sub eodem domino, et tu facere debes nisi ostendas contrarium, 100. dist., contra morem.

Iure communi
Quod solum sufficit, et hoc ius est, 10. q. 1, decrevimus; 10. q. 1, episcopum; et 10. q. 1, placuit. Nec obstat quod dicitur 18. q. 2, luminioso, quia illud intelligitur de exempto.

Consuetudine
Et sic duplici iure censetur. Unde fortius debuit pro ipso iudicari, cum utrumque per se sufficeret, C. de edict. div. Had. toll., edicto.

Facultates
Quod quidem semper considerandum est, supra, de censib., cum Apostolus; 10. q. 3, cavendum; 10. q. 3, inter caetera; et infra, de censib., auctoritate; infra, de censib., quanto; et infra, de censib., cum nuper. Et hoc intellige quando causa correctionis et visitationis accedit, infra, de censib., cum nuper. Sed si ex alia causa, puta pro negotiis

propriis, tunc non habebit procurationem, arg. 10. q. 3, relatum; et infra, de censib., procurationes. Ber.

X 3.39.15 *Gravis admodum*

Concilii
Supra, de censib., prohibemus; et supra, de censib., praeterea.

Iuratoria
Quod potius periurium quam iuramentum potest dici, supra, de iureiur., sicut nostris.

Fideiussoria
Haec fideiussio non tenet, cum sit accessoria ei quod non tenet. Sic C. de legi. et const., non dubium; supra, de for. compet., si diligenti; et supra, de rerum perm., exhibita; supra, de fide instrum., inter dilectos; C. de sacro. eccl., sancimus nemini; ff. de condi. sine caus., avunculo; infra, de don. int. vir. et uxor., etsi necesse. Fallit hoc supra, de iureiur., debitores; et supra, de iureiur., cum contingat; C. si adv. vend., si minor; ff. quib. mod. usus., quid tamen, 1. resp.

A tempore constitutionis
Arg. constitutiones ad futura tantum extendi, supra, de consti., cognoscentes, nisi dicatur in eis quod praeterita respiciant, supra, de consti., quoniam, ubi de hoc. Et de hoc habes 82. dist., proposuisti; et 82. dist., plurimos, in fi.; et 32. q. 4, dixit Sara.

Absolvi
Arg. contra supra, de iureiur., tua nos 1. Hic vero unum tantum fuit iuramentum et temerarium, ibi vero duo, ita quod periurium vitari non poterat, et ideo ibi ab ecclesia removentur. Et dic absolvi, id est, absolutos nunciari.

Punientes
Poena vero illorum qui contra canones veniunt, multiplex est prout notatur supra, de elect., nihil est; et supra, de offi. ord., ad reprimendam. Sed qualiter puniuntur in isto casu? Potest dici quod ecclesia privabitur ex eo quod scienter post prohibitionem contrarium facit. Ber.

X 3.39.16 *Quanto creatori*

Voluntate
Sic ergo patet quod ab initio de voluntate fundatoris potest imponi census, supra, de iure patron., praeterea quoniam; 18. q. 2, Eleutherius; arg. 16. q. 7, filiis; 16. q. 7, decernimus.

Teneatis
Et ita sine causa constituta videtur, unde non videtur quod teneat, supra, de censib., pervenit. Sed bene servanda est huiusmodi liberalitas, arg. supra, de dona., per tuas; C. de donation., si quis argentum § sin autem.

Indulgemus

In hoc fuit indulgentia, quia constituta fuit simpliciter nulla certa quantitate taxata pro illa procurationes. Unde simpliciter tenebantur procurare fratres illos quotcumque essent, arg. infra, de privileg., quia circa; et ff. de servitu. urb. praed., si servitus, ubi verbum simpliciter positum generaliter intelligendum est, ut ibi, et 19. dist., si Romanorum. Sed ex eo quod non determinatur, debebatur conveniens sive mediocris, ff. de aur. arg. leg., qui lancem; ff. de aedil. edict., sciendum § illud; ff. de leg. 3, nummis; C. commun. de legat., duobus § sed et si quis. Solutio: quia gravabatur ecclesia, dabitur tantum ad primam mensuram, et tot fratres procurabunt modo, quot ab initio consueverunt. Si vero quantitas constituta fuisset pro illa procuratione, illa non augeretur etiam auctis facultatibus, arg. 10. q. 3, relatum. Ludibrium enim esset si quod statutum fuit ab initio, momento quolibet mutaretur, arg. C. de bon. quae liber., cum non solum § ubi autem puellis. Non enim quod rite, et secundum leges ab initio actum est, ex alio eventu suscitari debet, C. de admin. tut., sancimus.

In tantum excreverint

Quocumque modo, supra, de consti., cum M. Si vero parum excrescerent, non augeretur procuratio, nec modicum lucrum auferretur conductori, quia et modicum damnum sustinet, ff. locat. et conduct., si merces § vis maior. Est ergo evidens argumentum quod si excrescant res, debet procuratio crescere, sicut econverso diminuitur propter sterilitatem, ff. locat. et conduct., si uno; et supra, de loc. et cond., propter. Contrarium enim eadem est disciplina, ff. de ver. oblig., inter stipulantem § sacram rem. Arg. idem melius Inst. de his qui sui vel alien. iur. sunt, in princ. Arg. contra C. de alluv., ea quae; C. de fund. rei priv., hi quos, lib. 11. Solutio: illa locum habent cum diligentia cultorum res vel fructus augmentatur. Hic cum Dei provisione et fidelium oblatione res augmentatur, sicut contingit cum casu fortuito res deteriorantur, merces remittitur. Si vero vitio rei sive culpa coloni, puta quia vinum acuit, vel si segetes herbis corruptae sunt, conductori obest, ff. locat. et conduct., ex conducto § vitium rei. Tamen sine culpa coloni damnum contingens non obest colono, supra, de loc. et cond., propter. Item est arg. optimum quod crescentibus facultatibus ecclesiae, crescere debet numerus, etiam si sit numerus canonicorum statutus, supra, de consti., cum M. Quae non admittit hanc distinctionem, utrum facultates crescunt provisione Dei, an diligentia hominum quae etiam nec in isto casu debet admitti. Sufficit enim quod res augmentatae sunt. Laur.

X 3.39.17 *Cum instantia*

Quotidiana

Quia pro republica noctes ducit insomnes, in Auth. ut iudic. sine quoq. suffr., in princ., coll. 2. Et voluntarios labores appetimus, dicit imperator, ut quietem aliis praeparemus, in Auth. ut divin. iuss. subscr. hab. glor. quaest., in princ., coll. 9. Ber.

Non credimus

Quia Romana ecclesia non solet aliquem privilegiare contra se, arg. C. de sacro. eccl., iubemus; arg. supra, de praescrip., cum ex officii. Et ibi etiam dicitur quod in procuratione non currit praescriptio. Ber.

Indebite praegravari
Illud semper est observandum, ut secundum facultates ecclesiarum procuratio exhibeatur, 10. q. 3, inter caetera; et 10. q. 3, illud magnitudinem; supra, de censib., cum Apostolus; infra, de censib., cum nuper; et infra, de censib., ex parte. Si enim tenuis est patria extraordinario auxilio iuvanda est, C. vect. nov. inst., non quidem. Immo a paupere non debet exigere, 1. q. 2, placuit. Quia nec iudex exigit sportulas a pauperibus, in Auth. de mandat. princip. § si tibi quoque, coll. 3. Nec etiam tenuis vitae homines sub adventu officialium iniuriis affici debent, ff. de off. praes., illicitas § 2; supra, de censib., ea quae. Dabitur enim legatis lac ad bibendum, ut dicit Ioannes ne rubentibus buccis praedicent ieiuniorum doctrinam, 35. dist., sexta die; et 35. dist., ecclesiae. Nec bibent ultra tertiam vicem, in illa palea 44. dist., quando. Et comedent lardum vel carnes cum aceto, C. de erogat. mil. ann., repetita, lib. 12. Arg. contra 41. dist., non cogantur, cui statur et in hoc casu esset eis denegandum, si ultra vires peterent, infra, de excess. praelat., cum ad quorundam; ff. de aqua quot. et aest., ait praetor § trebatius; et 10. q. 3, quia cognovimus; et supra, de offi. ord., conquerente.

Procurationes
Infra, de censib., procurationes.

Ab aliis
Cessis actionibus sibi a legato, arg. ff. de censi., cum possessor. Vel condictione ex hoc canone, arg. ff. de condi. ex leg., si obligatio. Dabit enim legatus litteras suas illi qui eum procuravit, ut ab aliis recipiat quod ultra partem suam expendit. Sic observatur de facto, arg. ff. de censi., cum possessor.

Requisitus
Etiam in provincia in qua non est legatus in eundo et redeundo, supra, de iureiur., ego.

In fraudem
Ut si descendit in domum amici, ut ab eo procuretur, et ille datis sibi litteris per eum, ab aliis duplum vel triplum recipit.

Compellantur
Quoniam particularis exactio et solutio non modica habet incommoda, ff. fam. ercis., plane. Arg. contra ff. ad leg. Falc., lineam; et ff. ad leg. Falc., Plautius; et ff. de pacti., epistola § ulti.; et C. de pacti., debitori.

X 3.39.18 *Ex parte*

Vota
Annua ab Hispanis tempore cladis praemissa. Laur.

Parvissimam
Quod facere non debent, quoniam omnes ad communem mensuram terrae solvere debent, ff. de contrah. empt., imperatores.

Primo casu
Scilicet cum omnes ad eandem mensuram solvunt. Et ita quod maior pars facit, illi servare tenetur, 100. dist., contra morem; supra, de capell. monach., dilectus; et arg. supra, de censib., sopitae. Item arg. est quod in dubiis servanda est consuetudo vicinorum, arg. supra, de consuet., cum olim; et infra, de censib., super eo; et supra, de censib., ecclesiis; ff. de leg. 1, si servus plurium § ulti. Item in dubii non sequimur quod maximum est, sed quod minimum, ff. de leg. 3, nummis; ff. de regul. iur., semper in stipulationibus. Arg. tamen est hic quod mediocritas est sequenda. De hoc notatur argumenta plura supra, de censib., quanto, in notula: in hoc.

Sunt cogendi
Supple: si solventes plures sint non solventibus, supra, de his quae fi. a maior. par. cap., ex parte; et supra, de elect., dudum ad audientiam; et 19. dist., in canonicis; ff. de pacti., et suum heredem, in fi., vel etiam pares dignitates praecellentes, supra, de testib., in nostra; et ff. de pacti., maiorem. Verius videtur quod sive sint plures sive pauciores, ex quo non apparet de mensura antecessorum, sequi debent mensuram solventium. Illam enim praesumo fuisse institutam et ad eos a suis maioribus pervenisse. Vincen.

Ab initio
Simile supra, de voto et vot. redem., licet, in princ. Ideo pro eis bona fit interpretatio, ne ipsorum munificentia erga ecclesias retarderetur, arg. C. de bon. quae liber., constitutionis. Alias dona plenius sunt interpretanda, supra, de dona., cum dilecti, in fi. Ne excogitata fraude aliquis posset obviare suae donationi, 16. q. 2, visis; et 17. q. 4, sunt qui opes; C. de donation., si quis argentum § ulti. Ber.

X 3.39.19 *Cum olim*

Per alia
Forte per testes.

Instrumentis
Ex quo continetur in aliqua scriptura publica de finibus alicuius episcopatus, ei standum est donec probetur contrarium, licet illa scriptura principaliter facta sit ob aliud, arg. C. de contrah. et comm. stip., optimam; C. de iure delib., cum aliquis; et supra, de praesump., illud. Et per libros antiquos probantur confines episcopatus, supra, de probat., cum causam, ubi de hoc; et arg. supra, de paroch., super eo, in fi.

Quare omnium
Hoc ius diversum est. Quandoque enim dicitur medietas, 10. q. 1, antiquos; quandoque tertia, ut 10. q. 1, de his; quandoque quarta, 16. q. 1, constitutum; supra, de praescrip., de quarta, et hic. Et quandoque dicitur quod nihil debet habere, 10. q. 3, placuit. Laur. dicit quod capitula illa loquuntur secundum diversa tempora. Episcopus debet habere medietatem omnium reddituum episcopalis ecclesiae, de parochialibus ecclesiis tertiam. Postea ista tertia mutata est in quartam, 12. q. 2, quatuor; 12. q. 2, concesso; et 12. q. 2, redditibus. Demum statutum fuit quod nihil perciperent nisi velint subire onus fabricae, 10. q. 3, placuit; et 10. q. 3, unio. Hodie potius locum habet consuetudo, sicut dicitur de

quarta vel tertia vel medietate testamentorum, quod ibi servatur consuetudo loci, supra, de sepult., certificari. Quid iuris sit de decimis dicitur supra, de decim., cum contingat; supra, de decim., cum in tua; et supra, de decim., dudum.

Nullis factis deductionibus
Hoc contingit culpa abbatis, qui reprobavit quantum in eo fuit instrumentum, quo continebatur quod deductiones fieri poterant, ut infra sequitur.

Licet
Responsio tacitae quaestionis.

Beneficium consequi
Nota quod aliquis fructum ex eo consequi non debet quod nititur reprobare, arg. 13. q. 2, quam praeposterum, supra, de testib., praesentium. Quod verum est si usque ad sententiam perseveraverit, ff. de inoffic. testam., Papinianus § memenisse; C. de his quib. ut indign., alia est. Item hic habes quod instrumentum quod quis approbat pro se, tenetur recipere contra se, 4. q. 3, si testes § si quis testibus; 19. dist., si Romanorum; C. de reb. credit., generaliter. Arg. contra 37. dist., si quid veri; 2. q. 7, si haereticus.

Tacite
C. de reb. credit., si quis iusiurandum; C. ad leg. Falc., qui falsas; supra, de his quae fi. a maior. par. cap., quaesivit; et supra, de his quae fi. a maior. par. cap., ex ore, ubi de hoc.

Ostendebat
Erat enim abbas ipse contrarius sibi, et ideo non erat audiendus, saltem in eadem instantia iudicii, arg. supra, de appell., sollicitudinem, in fi. Et in instrumentis istis continebatur quod episcopus ecclesiam istam concesserat monasterio, vel aliquid iuris concesserat in ecclesia. Unde per hoc apparebat quod esset in eius diocesi.

Petebat
Alias patebat et melius.

X 3.39.20 *Olim causam*

Protestatus
Hinc ergo colligitur quod non prodest protestatio cum aliquis in contrarium facit, per id quod hic dicitur in fine, quia si praescriptio completa fuisset, clerici obtinuissent non obstante tali protestatione. Simile supra, de consti., cum M; et supra, de appell., sollicitudinem, ad fi. Ber.

Non revocata
Et sic patet quod confessio advocati sicut etiam propria confessio praeiudicat, nisi fuerit revocata, ut hic patet, et supra, de appell., cum causam. Quaedam tamen confessio revocari potest quandocumque ante sententiam, C. de iuris et fact. ignor., error facti; et supra, de confess., ex parte. Et hoc intellige si probat quis se errasse, ff. ad leg. Aquil., inde Neratius § ulti.; ff. de confes., non fatetur qui errat. Sed si confessio advocati fuerit

incontinenti revocata sive eadem die, quia tunc non videor eam ratam habere, ex quo eadem die eam revoco. Sufficit revocatio simplex, arg. decretalis praedicti supra, de appell., cum causam, alia ratio est ibi. Sed videtur quod ante litem contestatam possit indistincte error revocari, ff. de interrog. act., de aetate § ulti. Quandoque etiam post sententiam revocatur error probabilis, ff. quan. de pecul. act., cum post, alias est § ulti. in ff. quan. de pecul. act., praetor ait. Nec obstat quod dicitur de triduo, C. de error. advoc., sententiis, quia sic ibi contingit de facto et non ponit ius. Io.

Non nisi triginta sex

Ex hoc colligitur, quod si Lucenses recepti fuissent pro Papiensibus quadraginta annis, quod praescriptum esset in solutione Papiensium. Et sic protestatio non valuisset, ut dixi supra, in prima notula. Nam si quis utitur alia aqua quam inter partes convenerit, praescriptum est in illa, ff. quemad. serv. amit., si quis alia; et ff. quemad. serv. amit., si communem § 1. Et si quis paucioribus iuribus utitur pro pluribus, praescriptum est pro pluribus, ff. de servitu. rust. praed., una est via; supra, de praescrip., auditis. Sed contra videtur quod non esset praescriptum in Papiensibus, quia qui aliquid recipit loco alterius, illud recipere videtur, 21. dist., in novo; et 94. dist., valde; et supra, de praescrip., auditis; ff. de admin. tut., ita tamen § gessisse. Item qui pretio fruitur et re frui videtur, ff. de usufru., quia qui pretio. Et penes eum est peculium, penes quem est pretium, ff. de peculi., sed si quis servum. Sed contrarium est verum, ut patet per primas concordantias. Ber.

Vel aestimationem

Arg. ad quaestionem Dominicalem, quod ad antiquam monetam et mensuram antiquam facienda est solutio, licet nova sit melior, supra, de iureiur., quanto. Et est expressum infra, de censib., cum canonicis; arg. ff. si cert. pet., eos. Arg. contra 32. q. 4, quis ignoret; et arg. ff. de contrah. empt., imperatores. Idem esset si moneta minor sit modo in usu, quia solvere debet aestimationem antiquae, ut hic patet.

X 3.39.21 *Cum venerabilis*

Annexa est procuratio

Contra quam non currit praescriptio, supra, de censib., cum instantia; et supra, de praescrip., cum ex officii.

Causa correctionis

Hic patet quod quibuscumque generalibus verbis episcopus eximat aliquam ecclesiam, tamen semper retinet cathedraticum et procurationem et visitationem. Alias enim esset contrarium quod habes 16. q. 2, visis, in fi.; supra, de dona., pastoralis. Nec obstat supra, de relig. dom., constitutus, ubi videtur quod generaliter possit eximere, quia illud fuit confirmatum auctoritate Papae. Sicut enim subditus non potest a se eiicere sive eximere iurisdictionem episcopalem, supra, de for. compet., si diligenti; supra, de renunciat., admonet, sic nec praelatus suam iurisdictionem. Ita nec puto quod patronus quantumcumque verbis generalibus utatur, aliqua iura tamen retinet in liberto, C. de bon. libert., si quis. Io.

De communi iure
Ergo de communi iure procuratio peti potest, supra, de censib., sopitae. Et ita non fuit remissa procuratio per illa verba, aliud servitium non imponeret. Et ita nota arg. quod in generali remissione, non veniunt ea quae in speciali non remittuntur, sicut in obligatione generali, C. quae res pign. oblig. poss., alumnos; ff. de pignorib., obligatione.

Moderatam
Supra, de censib., cum Apostolus; et supra, de censib., cum instantia. Ber.

Bis in anno
Hoc novum videtur, quia semel in anno sufficit visitare, supra, de offi. archidiac., mandamus. Et hoc sive liqueat esse necesse sive non, ut videtur 10. q. 1, decrevimus; 10. q. 1, episcopum; 10. q. 1, placuit. Vincen. Sed non credo, quia si certus est quod ecclesia non indigeat visitatione, non debet eam visitare, quia causa correctionis visitare debet, ut hic dicit. Ergo cessante causa cessabit effectus. Ergo quod dicit hic, bis in anno, intelligo si totiens opus fuerit, 18. q. 2, visitandi; et 18. q. 2, non semel; et 10. q. 1, regenda. Solemnis procuratio semel tantum in anno dari debet, videlicet cum episcopus solito ordine antecessorum suorum visitat, ff. de off. procon., observare. Aliae dabuntur non cum tanta solemnitate, quia etiam dantur hospitibus, arg. supra, de praeben., de monachis. Vel forsitan imposita fuit haec servitus ab ipsa fundatione, arg. ex littera illa. Nec intelligitur imponi quasi novum, quod ab ipsa fundatione de communi iure fuit impositum, et cum eam non visitaverit, nihil recipiat, infra, de censib., procurationes; 10. q. 1, relata. Ber.

X 3.39.22 *Super eo*

In vicinis
Nota quod in procurationibus faciendis et aliis servitiis, si certum quid statutum non sit, consuetudo vicinarum ecclesiarum est attendenda, supra, de censib., ecclesiis; et supra, de censib., sopitae; et supra, de capell. monach., dilectus; et supra, de consuet., cum olim; et supra, de elect., cum ecclesia; infra, de cognat. spir., super eo. Arg. contra 12. dist., illa; et 12. dist., illud; 76. dist., utinam; de conse. dist. 2, quotidie. Prima pars vera est. Contraria vero signata non contradicunt, quia ibi unusquisque locus suam habet consuetudinem, sed hic non erat certum quid statutum esset vel de consuetudine obtentum, et ita non obstant. Ber.

X 3.39.23 *Procurationes*

Visitationis
Hoc ideo forte dicit, quia triplex est procuratio. Una quae ratione visitationis debetur, ut hic, et supra, de censib., cum venerabilis; et infra, de censib., cum nuper. Alia ratione consuetudinis, 18. q. 2, servitium. Tertia ratione pacti quod appositum fuit in ipsa fundatione, supra, de iure patron., praeterea quoniam; et 18. q. 2, Eleutherius; et supra, de censib., quanto.

Debentur episcopis
Hoc dicit ad differentiam procurationum, quae dantur ratione census, ut Albergariae, ut supra, praeterea quoniam.

Personaliter
Vel etiam per alium, cum ipse interesse non possit propter latam et diffusam diocesim, supra, de offi. ord., inter caetera. Et procuratio exigi non debet, nisi cum visitat, supra, de censib., cum venerabilis.

Concilio
Supra, de censib., cum Apostolus.

Non quae sua sunt
43. dist., nosse; et 8. q. 1, sunt in ecclesia; et 10. q. 3, quia cognovimus; et 10. q. 3, cavendum; et supra, de renunciat., quidam.

Impendat
Sic ergo qui gravat ecclesiam in procuratione, punitur in duplum. Et qui gravat eam in xeniis punitur in quadruplum, 18. dist., quoniam contra; infra, de immun. eccl., quia plerique, ibi solvitur.

X 3.39.24 *Venerabili fratre*

In Cenomanensi villa
Haec allegatio erat potius contra monachos quam pro eis, quia si monasterium situm erat in diocesi Cenomanensi sive in civitate Cenomanensi. Ergo iure communi suberat episcopo, 16. q. 7, omnes basilicae; et supra, de relig. dom., de xenodochiis.

Hactenus non solverunt
Haec excusatio vel allegatio non valebat, quia in procuratione quae ratione visitationis debetur, non currit praescriptio, supra, de praescrip., cum ex officii; supra, de censib., cum instantia, sicut nec contra ipsam visitationem. Alius tamen praelatus posset praescribere utrumque contra episcopum, ut ibi dicitur. Sic et contra procurationem quae debetur legatis domini Papae non praescribitur, supra, de censib., cum instantia. Et ideo dixi ratione visitationis, quia in procuratione quae competit ratione institutionis sive consuetudinis, bene currit praescriptio, arg. 18. q. 2, Eleutherius; et 18. q. 2, servitium.

Aliud rationabile
Puta privilegium, supra, de censib., cum instantia, vel si allegarent praescriptionem nomine alterius et probarent, supra, de praescrip., cum ex officii. Alias se tueri non possunt. Vel nisi allegaretur tantam paupertatem quod ipsum procurare non possent, tunc enim suis sumptibus debet visitare, 10. q. 3, cavendum; et 28. q. 1, iam nunc. De hoc dicitur supra, de censib., cum instantia.

X 3.39.25 *Cum nuper*

Auctoritate propria
Quod ei competit de iure communi, supra, de censib., sopitae. Et hoc intellige cum episcopus est negligens, alias se intromittere non debet, arg. 9. q. 3, cum simus; et 9. q. 3, conquestus. In quibus casibus archiepiscopus possit se intromittere auctoritate metropolitani, de subditis suorum suffraganeorum, notatur supra, de offi. ord., pastoralis.

Sine nostra
In quo casu potest se intromittere quandocumque auctoritate privilegii, et tunc potest adiri tam per appellationem, quam per simplicem querelam quod non potest in alio casu. Sic supra, de offi. legat., cum non ignoretis.

Ratione visitationis
Alias non tenetur, supra, de censib., procurationes; et supra, de censib., cum venerabilis.

Iuxta facultates
Quae semper in his considerandae sunt, supra, de censib., sopitae, ubi de hoc.

X 3.39.26 *Cum canonicis*

Aliquot annis
Videtur quod duo sufficiant, quia pluralis elocutio duorum numero contenta est, 4. q. 3, si testes § ubi numerus; et de conse. dist. 1, hoc quoque. Et si post annos liber esse iustus est, post biennium liber erit, ff. de manum. test., libertas § ulti. Et si data fuerit conditio in diebus, si nihil adiiciatur, biduo conditionem impleri oportet, ff. de ver. sig., inter illam, in fi. Immo exigitur quod legitmo tempore praestita sit, ad hoc ut in futurum teneantur nisi causa esset in evidenti. De hoc dicitur supra, de censib., pervenit.

Solutione prioris pecuniae
Quae ab initio fuit constituta et non ad novam quae maior est. Si enim moneta diminuta fuisset, illam recipere nollent, supra, de censib., olim. Cum ergo minorem recipere nollent, maiorem exigere non debent, ff. de damn. infect., qui bona § si quisquam; et C. de solut., cum pro pecunia.

Si non sit in usu
Tunc aestimationem illius antiquae solvant, ut supra, de censib., olim, in fi. Sed numquid posset solvi prima, si inveniretur, si non minus valet. Si vero minus valet, et non est in usu, non potest solvi, quia reprobata moneta non liberat solventem, ff. de pigner. act., eleganter § qui reprobos. Simile ff. ad Velleia., quamvis § si convenerit; ff. qui satisda. cog., quotiens. Ber.

X 3.39.27 *Auctoritate praesentium*

Ratione visitationis
Talis procuratio non praestatur nisi quando personaliter visitant locum causa correctionis, supra, de censib., procurationes. Sed in grangiis istis nulla fit visitatio, licet ibi quandoque monachi celebrent. Sed ad caput accedit praelatus causa visitationis. Et ibi

non consueverunt morari monachi, sed conversi causa colendi agros suos. Et ita cum nulla fiat visitatio, nulla propter hoc quod ibi aliquando celebrant, debet praestari procuratio.

X 3.40 DE CONSECRATIONE ECCLESIAE VEL ALTARIS

X 3.40.01 *Ad haec*

Altare
Id est, mensa altaris. Sic exponitur de conse. dist. 1, si motum. Quandoque tabula consecrata de loco ad locum movetur, nec tamen iterum consecratur, de conse. dist. 1, concedimus; et de conse. dist. 1, quia. Et quod dicit motum, id est, mutatum quo ad formam, ita quod formam amiserit per diminutionem vel augmentum, cum haec sit forma rei, arg. 10. q. 2, ea enim § hoc ius. Idem si mensa altaris sit enormiter fracta, quia consecrandum est altare, infra, de consecr. eccl. vel alt., quod in dubiis; et infra, de consecr. eccl. vel alt., ligneis. Consecratio altaris praecipue intelligitur in coniunctione mensae, scilicet lapidis superioris et structurae inferioris, et ita si mensa fuerit remota vel aliquis de lapidibus tangens mensam ipsam, execratum est altare et debet iterum consecrari. Sed si aliquid addatur altari, non execratur sed sacrum trahit ad se non sacrum, infra, de consecr. eccl. vel alt., quod in dubiis.

Sigillum
Quod in lapide fit in consecratione.

Confractus aut etiam diminutus
Enormiter, infra, de consecr. eccl. vel alt., quod in dubiis.

Consecrari
Ipsum altare et non ecclesia. Alia enim est consecratio ecclesiae et alia altaris, ut sequitur in littera.

Canones
de conse. dist. 1, si motum. Innuitur ibi quod ecclesia debeat consecrari dum dicit: si motum fuerit altare, denuo consecretur ecclesia. Sed exponitur altare, id est, mensa sive tabula; ecclesia, id est, altare. Quod est dicere, si mota fuerit tabula, consecretur altare. Ber.

X 3.40.02 *Tua fraternitas*

Quam privatis
Qualibet ergo die possunt fieri consecrationes ecclesiarum vel altarium. Virgines propter necessitatem diebus privatis velum sacrum accipere possunt, 20. q. 1, devotis. Quia necessitas legem non habet, de conse. dist. 1, sicut; et supra, de consuet., quanto. Et sic magna necessitas hoc inducit, ut ibi dicitur, et infra, de reg. iur., quod non est. Ordines vero sacri non conferuntur nisi certis diebus, supra, de temp. ord., subdiaconos; et supra, de temp. ord., sane; 75. dist., ordinationes presbyterorum et diaconorum. Et chrisma

certo tempore conficitur, de conse. dist. 4, omni tempore, quod in superficie potius contradicit. Sed exponitur omni tempore, id est, omni anno ante Pascha certo die. Et quia isti certis temporibus conferuntur, dubitavit an idem esset de consecratione ecclesiarum. Ber.

X 3.40.03 *Quod in dubiis*

Mota
de conse. dist. 1, si motum; et supra, de consecr. eccl. vel alt., ad haec.

Consecrari
De hac consecratione dic ut supra, de consecr. eccl. vel alt., ad haec, per quod intellige quod hic dicitur.

Consecrato
Et ita sacrum tamquam dignius trahit ad se non sacrum, 13. q. 2, non aestimemus; et ff. de rei vend., quae religionis. Simile ff. de solut., si alieni; ff. de usucap., cum qui aedes. Secus si vinum apponatur sanguini, infra, de celeb. miss., cum Marthae § quaesivisti, vers. praeterea. Arg. contra quod minus dignum trahit ad se magis dignum, arg. supra, de iure patron., ex litteris; et supra, de iure patron., cum saeculum; et arg. supra, de offi. deleg., super quaestionum § si vero duo sunt. Item arg. quod in reficiendis sacris vestibus filum non sacrum sive pannus non sacer potest apponi, nec est opus nova consecratione. Io.

X 3.40.04 *Proposuisti*

Reconciliari
Nota quando ecclesia debet consecrari vel reconciliari. Primo si dubitatur an sit consecrata. Idem de altari quod propter dubium debet consecrari, de conse. dist. 1, ecclesiae vel altaria, quia non dicitur iteratum, quod nescitur esse factum, de conse. dist. 1, solemnitates 1. Sic est de baptismo, infra, de bapt. et eius effect., de quibus. Et simile 68. dist., presbyteris; et 68. dist. § quod ergo. Item si ecclesia est exusta tota vel maior pars debet iterum consecrari, de conse. dist. 1, ecclesiis semel; arg. ff. de contrah. empt., domum. Si vero tectum corruerit, et parietes illae si remaneant vel etiam modicum de ipsis parietibus destructum fuerit, non debet propter hoc consecrari, infra, de consecr. eccl. vel alt., ligneis. Et si tota ecclesia simul destructa fuerit vel maior pars, debet iterum consecrari. Si successive sufficit aspersio aquae benedictae, de conse. dist. 1, de fabrica. Pro remotione altaris vel fractura enormi, non reconsecretur ecclesia, ut supra, de consecr. eccl. vel alt., ad haec. Pro sanguinis effusione et pro adulterio debet tantum reconciliari, ut hic patet, et infra, de adult., significasti; et arg. infra, de consecr. eccl. vel alt., si ecclesia. Arg. contra de conse. dist. 1, ecclesiis semel. Sed illud intelligitur secundum hoc, quod sanguinis effusione vel seminis pollutione non consecratur. Per quem debet fieri haec reconciliatio, dicitur infra, de consecr. eccl. vel alt., aqua.

X 3.40.05 *Cum sis*

Plura altaria
Arg. contra Bazian., qui dicit quod consecrato maiori altari omnia alia altaria essent consecrata, si digito demonstrentur, arg. ff. de acq. poss., quod meo § si per venditorem; C. de nat. lib. et mat., si quis habens. Sic plures clerici possunt ordinari, supra, de temp. ord., de eo; et 75. dist., quod a patribus. Et plures episcopos potest consecrare, modica fuit haec dubitatio, sed non crededebat quod licet plures clericos posset ordinare, quod posset plura altaria vel episcopos consecrare. Ber.

X 3.40.06 *Ligneis*

Parietibus
Quamdiu parietes integri sunt, non est ecclesia reconsecranda, quia in parietibus consecratur ecclesia, et non in tecto, aut si successive reparati essent, de conse. dist. 1, de fabrica. De hoc dictum est supra, de consecr. eccl. vel alt., proposuisti; et de tabula supra, de consecr. eccl. vel alt., ad haec. Et quae ibi dicta sunt hic possent dici.

X 3.40.07 *Consuluisti*

Coemiteria
Sicut ergo ecclesia reconciliatur ita et coemiterium, cum sit consecratum, ut hic patet. Et illa corpora si discerni poterunt, sunt exhumanda et extra coemiterium eiicienda, supra, de sepult., sacris. Et eadem gaudent immunitate ecclesia et coemiterium, 17. q. 4, si quis contumax; et 17. q. 4, quisquis. Et ita idem iuris est in accessorio quod in principali, supra, de offi. deleg., prudentiam § ulti., cum suis concordantiis.

Sicut in dedicationibus
Supra, de consecr. eccl. vel alt., proposuisti; et de conse. dist. 1, si motum; et de conse. dist. 1, ecclesiis semel. Ber.

X 3.40.08 *Cum sicut*

Consecranda
Nec etiam fundanda, nisi prius competens dos fuerit ei assignata, de conse. dist. 1, nemo; in Auth. ut null. fabric. orat. § 1, coll. 5; et in Auth. ut determ. sit num. cleric. § 1, coll. 1. Vel si hoc omissum sit in fundatione sicut hic, non debet consecrari ecclesia, nisi dos ei prius fuerit assignata, ut 16. q. 7, piae mentis; 1. q. 2, placuit, et hic. Cum ad hoc ex debito teneatur fundator, ut dicit in fine. Sed quae erit competens dos? Respondeo: si sit monasterium, tunc dos debet esse tanta quod presbyteri, diaconi et subdiaconi, cantores et lectores possint ibi esse, prout traditur in Auth. ut determ. sit num. cleric. § 1, coll. 1. Si vero alia ecclesia collegiata, dos ad minus debet esse pro duobus, arg. supra, de fil. presbyt., proposuit; 7. q. 1, illud aut tribus; de conse. dist. 1, hoc quoque. Et quod possit recipere hospites et episcopalia iura persolvere, supra, de praeben., de monachis; supra, de supp. neg. prael., sicut. Sed quid si episcopus consecrat vel fundat ecclesiam non assignata dos? Dicit Bazian. et bene quod episcopus tenetur dotare ecclesiam, sicut tenetur providere illi quem ordinat sine titulo, supra, de praeben., non liceat; et supra, de praeben., episcopus; et supra, de praeben., cum secundum Apostolum. Et hoc credo

verum, dummodo sine laesione ecclesiae suae hoc facere possint. Alias non nisi haberet proprium, quia delictum personae etc., ut 16. q. 6, si episcopum; supra, de except., cum venerabilis. Et tunc fundator dotabit eam, et posset ad hoc compelli, arg. 16. q. 7, piae mentis. Arg. ad hoc ff. de ritu nupt., qui liberos. Et heres fundatoris ad hoc tenetur, in Auth. de eccl. titul. § si autem, coll. 9; et in Auth. de eccl. titul. § si quis aedificatione, coll. 9. Ber.

X 3.40.09 *Aqua per episcopum*

Consuetudine
Nota ergo quod consuetudo quae est contra iuris naturam non prodest, et contra illud ius non potest praescribi, supra, de consuet., cum inter; et supra, de consuet., cum venerabilis; et supra, de consuet., quanto; et supra, de consuet., cum tanto, ubi de hoc.

Iurisdictionis
Puta iudicare, cognoscere de causis instituere, beneficia conferre, et omnia alia quae assecutus est episcopus in confirmatione, arg. supra, de elect., transmissam. Haec omnia committere potest et delegare unicuique maiori vel minori. Sed ea quae sunt episcopalis ordinis demandare non potest inferioribus, puta clericos ordinare, virgines consecrare, chrisma conficere, et consimilia quae ministerium consecrationis desiderant. Sed quae est ratio quare illa quae sunt iurisidictionis possit committere clericis inferioris gradus, et non illa quae sunt ordinis demandare? Haec potest esse ratio: iurisdictio sola voluntate et verbo committitur, sive delegatus fuerit sive ordinarius, et revocatur, supra, de offi. deleg., super quaestionum § intentionis; et supra, supra, de offi. deleg., super quaestionum § porro; ff. de iud., iudicium. Sed collatio sacramentorum non confertur sola voluntate vel verbo, immo facto est opus, quia necessaria est visibilis unctio et exterior, quae est signum interioris unctionis in corde, supra, de sacr. unct., cum venisset. Quae perpetua est et amitti non potest, licet executio quandoque suspendatur, 1. q. 1, quod quidam, vers. si forte militiae etc. Et ita patet quod non possunt taliter demandari sicut iurisdictio vel revocari. Et talia conferri non possunt, nisi ab eis qui habent ea per collationem, 68. dist., presbyteris. Et sic reconciliatio talis nulla est, cum sacerdotes illi non habuerunt potestatem illam per talem demandationem, quae est ordinis episcopalis sicut consecratio. Sed unus episcopus alii episcopo potest hoc demandare, et per huiusmodi demandationem nihil ei committit, cum ipse episcopus habeat ea quae ministerium consecrationis desiderant, et ei deest tantum auctoritas, quia in alienam messem falcem mittere non debet, nisi de voluntate et mandato illius, cuius est diocesis, 6. q. 3, scriptum est.

Toleramus
Sed videtur quod ista sola tolerantia non sufficiat sibi nisi iterum reconcilietur per episcopum, quia nulla fuit reconciliatio. Ergo iterum debet reconciliari, sicut si aliquis ordinatur ab eo qui ordinandi potestatem non habebat, iterum debet ordinari, 68. dist., presbyteris; et infra, de presb. non bapt., si quis; et infra, de presb. non bapt., veniens. Sed dic quod per talem tolerantiam ratam habet talem reconciliationem, et incipit valere ex nunc, cum prima nulla fuisset, et ita de nihilo, quia potest princeps mutare naturam rei, C. de rei uxor. act., rem, circa princ. Ber.

X 3.40.10 *Si ecclesia*

Non consecrata
Nota quod dicit, non consecrata, ergo multo fortius consecrata, supra, de consecr. eccl. vel alt., proposuisti. Sic et coemiterium si taliter polluatur reconciliari debet, ut supra, de consecr. eccl. vel alt., consuluisti. Arg. quod si aliquis excommunicatus vel paganus ibi sepelitur, sunt inde eiiciendi. Nec in ea debet celebrari ante eiectionem et aspersionem aquae benedictae, licet consecrata prius non fuerit. Et parietes sunt radendi, de conse. dist. 1, ecclesiam in qua paganus; et de conse. dist. 1, ecclesia in qua mortuorum. Et ita ecclesia non consecrata gaudet eodem privilegio quo et consecrata, ut hic patet. Et hoc est expressum infra, de immun. eccl., ecclesiae. Et ita si aliquis illuc confugerit, debet ab ecclesia defendi. Et hoc ideo quia locus ille auctoritate episcopi dedicatus est divino cultui, et quod semel Deo dedicatum est, ad profanos usus redire non debet, 12. q. 2, nulli liceat; et infra, de rerum perm., mancipia. Et tamen gravius peccat qui sic deliquit quam in non consecrata, sicut magis peccat et gravius punitur qui in maiorem personam quam qui in minorem. Nam ex persona consideratur iniuria et crimen, Inst. de iniuri. § atrox; infra, de sent. excom., cum illorum. Et crimen augetur dignitate praepositi, ff. de re milit., omne delictum § 1. Sed numquid et isti violatores sunt dicendi sacrilegi secundum distinctionem sacrilegii? Non videtur, 17. q. 4, sacrilegium. Sed credo quod tamquam sacrilegi iudicandi sunt, licet locus adhuc consecratus non sit, arg. supra, de for. compet., conquestus. Et quia eodem privilegio gaudet ac si esset consecrata, infra, de immun. eccl., ecclesiae.

Lavetur
Sed per quem debet lavari? Videtur quod per episcopum tantum, supra, de consecr. eccl. vel alt., aqua. In hoc casu satis credo quod per simplicem sacerdotem possit lavari, quia si intellexisset Papa quod per episcopum deberet lavari, illud dixisset, sicut dixit in proximo capitulo praecedenti supra, de consecr. eccl. vel alt., aqua. Cum Papa in utroque capitulo scribat eidem, et quia dixit aqua exorcizata lavetur quae fit per simplicem sacerdotem, et non cum aqua benedicta cum vino et cinere cum qua reconciliatur ecclesia consecrata, supra, de consecr. eccl. vel alt., proposuisti; et arg. ad hoc supra, de temp. ord., cum in distribuendis; et arg. de conse. dist. 2, in altari. Arg. tamen contra infra, de immun. eccl., ecclesiae. Ber.

X 3.41 DE CELEBRATIONE MISSARUM

X 3.41.01 *Presbyter mane*

Persolvat
Consilium est, ut simul dicat omnes horas, ne supervenientibus occupationibus aliquam horam dimittat. Et intelligitur hoc de clericis pauperibus quos ad opus rurale oportet exire, ut in littera patet. Alias suo loco et tempore dicendae sunt singulae horae.

Competentibus
Signatis campanis vel alio signo, supra, de elect., in causis; et supra, de offi. custod., custos ecclesiae; et 1. dist., ius militare.

A scholaribus
Hic exaudio, cum aliqua superveniente necessitate ipse officium suum perficere non potest, 7. q. 1, illud. Et facit ad hoc supra, de vit. et honest. cler., ut quisque.

Rurale
Clericus enim cui ecclesia non sufficit, ex artificio suo victum et vestitum quaerat, 91. dist., clericus victum; absque officii sui detrimento, et 21. q. 1, clericus.

Ieiunus
de conse. dist. 2, liquido; et de conse. dist. 1, sacramenta; et de conse. dist. 5, ut ieiuni; et de conse. dist. 5, ut episcopi; et 7. q. 1, nihil. Ber.

Succurrere
Missam celebrando usque ad statutam horam, ut hic dicit, id est nonam, de conse. dist. 1, solent; vel usque ad tertiam quandoque, 44. dist., non liceat. Hoc in diebus communibus.

Septenarius
Sunt septem horae sicut sunt septem dona spiritus sancti, 30. q. 1, pervenit. Septem dies saeculi, et septem aetates quibus completis finietur mundus. Septem petitiones in oratione dominica, septem psalmi poenitentiales, item septem diaconi sicut septem candelabra, 93. dist., diaconi qui. Et ita septem sunt horae ad quas tenentur sacerdotes, de aliis nihil dicit. Unde videtur quod non teneantur. Sed certe tenentur, arg. supra, de praeben., cum secundum Apostolum; 91. dist., Eleutherius; et 91. dist., presbyter; et 92. dist., si quis presbyter. Ber.

X 3.41.02 *Quidam laicorum*

Peculiares
Id est, speciales, de conse. dist. 1, et hoc attendendum est. Ala.

Non fiat
Non quia malum sit audire tales missas, sed malum est propter talem dimittere canonice statutas missas de die, ut dicitur in fine, 21. dist., denique, ubi prohibetur minori bene dicere praesente maiore. Et dare eleemosynam non est peccatum, sed dare ad iactantiam malum est, 1. q. 1, non est putanda; et 1. q. 1, vide quantum. Et ita est arg. quod aliquid prohibetur non propter hoc quod malum sit, sed propter id quod ex eo sequi potest, supra, de iureiur., et si Christus; et 22. q. 1, in novo; et 11. q. 3, nolite; 63. dist., quia sancta § verum.

Devotione
Quasi melius sit missas istas audire quam alias canonicas de die. Ber.

X 3.41.03 *Consuluisti*

Nativitatis
Die enim nativitatis Domini plures missae celebrantur, de conse. dist. 1, nocte sancta. Et celebrantur etiam tres missae propter mysterium, quoniam per illas tres missas repraesentatur triplex status, scilicet status ante legem, sub lege et status gratiae. Illa quae cantatur in nocte repraesentat statum illum qui fuit ante legem, quando omnes erant in tenebris. Unde dicitur in missa illa prophetia: populus gentium qui ambulabat in tenebris. Secunda quae dicitur in aurora repraesentat tempus sub lege, in quo iam incipiebant ex parte scire Christum, sed non plene propter dicta legis et prophetarum. Et ideo cantatur inter diem et noctem. Et dicitur officium: lux fulgebit hodie. Tertia dicitur in die per quam designatur tempus gratiae, scilicet praesens. Unde dicitur officium: puer natus est etc., quod potes intelligere his versibus: tres in natali missae celebrari // quarum prima sacram Christi signat genituram // altera venturi designat gaudia Christi // tertia iam factum quod lex fore sacra designat.

Necessitatis
Sed quam dicit necessitatem? Respondeo: si celebravit de die, et postea etiam moriatur aliquis vel etiam causa honestatis vel utilitatis, ut si dicta missa de die superveniat aliqua magna persona, quae velit missam audire, arg. supra, de celeb. miss., presbyter; et supra, de celeb. miss., quidam. Alias ergo sufficit quod unam missam celebret quis in die, de conse. dist. 1, sufficit; et infra, de celeb. miss., te referente. Nec expresse prohibetur quin plures possint celebrari ex eo quod dicit, sufficit. Unde potest unam celebrare de die et aliam pro defunctis. Et quotiens celebrat, totiens sumat corpus Christi et sanguinem, de conse. dist. 2, comperimus; et de conse. dist. 2, tribus.

X 3.41.04 *Consilium nostrum*

Profestis
Id est, privatis, quasi procul a festo.

Hymnus angelicus
Scilicet, gloria in excelsis Deo.

Symbolum
Id est, credo in unum Deum.

Praefatio
Praefatio beatae Virginis habetur 70. dist., sanctorum. Reliquas habes de conse. dist. 1, invenimus.

Regularius
Id est, regulare est ut dimittatur, non ut dicatur. Simile 7. q. 1, adversitas § cum autem. Ibi comparativum ponitur elective, hic ponitur negative, sic minus, id est, non, ff. de trib. act., illud.

X 3.41.05 *Ex parte*

Vino
Quaerebatur quo perfundere debet sacerdos? Respondit quod vino.

Perfundere
Manus, scilicet post perceptionem corporis et sanguinis Domini.

Totum
Bene dicit, quia vel totum recipiat vel nihil, de conse. dist. 2, comperimus.

Ne si a forte
Quia sacramenta a ieiunis sunt percipienda, 7. q. 1, nihil; de conse. dist. 5, ut ieiuni; 75. dist., quod a patribus; et supra, de temp. ord., litteras. Ideo dicit forte, quia quorundam est opinio quod quicquid admiscetur sanguini, sanguis efficitur, arg. supra, de consecr. eccl. vel alt., quod in dubiis. Et secundum illos qui perfusionem acceperit, ieiunus erit. Sed potius videtur dubitativum illud forte, et illa opinio hic evacuatur. Sed magis affirmative videtur poni, quod consuetudo interpretatur, quia sic observatur, quae est optima legum interpres, supra, de consuet., cum dilectus. Sic ponitur 33. q. 2, admonere; et supra, de procurat., tuae. Et sic est arg. quod non est ieiunus quis postquam bibit. Sed post medicinam sumptam, videtur quod nihilominus possit celebrare, quia medicina non computatur inter alimenta, ff. de penu leg., non omne. Sed post medicinam sumptam videtur quod nihilominus possit celebrare, quia medicina non computatur inter alimenta, ff. de penu leg., non omne. Sed non est verum, quia si non debet post perfusionem, multo minus post medicinam, quia in honorem tanti sacramenti, prius sumi debet corpus et sanguis Domini, de conse. dist. 2, liquido; et 7. q. 1, nihil. Et antequam cibus digestus sit, corpus Christi sumi non debet, de conse. dist. 2, tribus. Quod si conficeret sacerdos post aliquem cibum vel potum sumptum, male faceret, tamen conficit, de conse. dist. 2, liquido. Hug. dixit contrarium super decreto illo 75. dist., quod a patribus.

X 3.41.06 *Cum Marthae*

Mysterium
Istud est verbum de quo quaesivit, scilicet quis adiecit illud in canone missae.

Plus dixisse
Arg. 2. q. 5, consuluisti; supra, de translat., inter corporalia. Sed hoc cum ratione est additum, 33. q. 2, quos Deus; et infra eodem capitulo § ex eo, in fine.

Alia duo
Scilicet elevatis oculis in caelum, et aeterni testamenti prout sequitur.

Multa
Multa enim servat ecclesia quae ab Apostolis non sunt tradita, quae tamen cum sint longa consuetudine approbata, non sunt minoris auctoritatis, ut 11. dist., ecclesiasticarum; 12. dist., illa.

Beatius est dare
16. q. 1, praedicator, quia dando placet homo accipiendo displicet. Unde versus: temporibus nostris quicumque placere laborat // det capiat quaerat plurima pauca nihil.

Abortivo
Paulus appellat seipsum abortivum, quia sicut foetus abortivus cum labore et angustia et attractione ad lucem attrahitur, ita Paulus cum attractione venit ad fidem, 23. q. 4, displicet; et 23. q. 4, quia nos.

Sunt omissa
Nam quod legibus omnium est, supplendum est a iudice, ff. de testi., quaesitum; et supra, de elect., cum nobis. Et Dominus quandoque diminute dixit, 16. q. 7, et haec diximus. Et ipsius facta supplemus et contraria suis factis facimus. Et iuste per usum ecclesiae diu factum, ad hoc ut iustum praesumi debeat, de conse. dist. 2, liquido. Et sufficit quod aliquid sit diu servatum, ad hoc ut praesumi debeat, vel Apostolum vel alium iustum auctorem habuisse, 11. dist., ecclesiasticarum; 12. dist., illa.

Probabilius
Nota arg. quod ex quo quandoque levavit, quod postea levaverit, 1. q. 1, iudices, in fi. Et est arg. ex eo quod quis facere consuevit, 28. dist., quia sunt culpae; infra, de pignor., illo; ff. de usuri., qui semisses, 1. resp.; ff. de trit. vin., ex usu; ff. de penu leg., dominus Sticho § testamento; ff. de instruc. vel instrum., cum de lanionis § asinam; et ff. de leg. 1, si servus plurium § si numerus nummorum; et ff. de Maced., inter § quod dicitur. Io.

Et aeterni
Hic ostendit quare adiectum fuit et aeterni. Ber.

Immobile perseverat
C. de sacro. eccl., habeat unusquisque; C. de testament., quoniam indignum; 13. q. 2, si fur.

Non valet
Ambulatoria enim est voluntas defuncti usque ad supremam vitae exitum, ff. de adimen. leg., quod si iterum; ff. de donat. inter vir. et uxor., cum hic status § poenitentiam; et C. de codicil., cum proponatis; et C. qui testam. fac. pot., si quis. Unde potest mutari testamentum, etiam si pactum intervenerit ne possit mutari, C. de pacti., pactum quod dotali. Etiam si fuerit per principem confirmatum, arg. C. de testament., omnium, quia nemo hanc legem sibi dicere potest, ut a priori testamento sibi recedere non liceat, ff. de leg. 3, si quis in principio, 1. resp.

Dicentes
de conse. dist. 2, ego Berengarius.

Sanguinis veritatem
De corpore Christi tres sunt opiniones. Una dicit quod illa substantia quae prius fuit panis et vinum, postea fit corpus et sanguis Christi, de conse. dist. 2, panis in altari; et de conse. dist. 2, quia corpus. Secunda tenet quod substantia panis et vini desinit esse, et tantum accidentia ipsorum remanent, scilicet sapor et pondus, et sub illis accidentibus est corpus Christi. Et hoc approbatur supra, de summ. trin. et fid. cath., firmiter. Tertia dicit quod remanet substantia panis et vini et sub eadem specie est corpus Christi. Io.

Exemplum
de conse. dist. 2, non oportet; et de conse. dist. 2, nos enim; et de conse. dist. 2, forte dicas; et de conse. dist. 2, in quibus; et de conse. dist. 2, mortuus est.

Sacramentum
1. q. 1, multi saecularium; de conse. dist. 2, sacrificium.

Veritas
Sicut ipsi haeretici dicunt.

Mysterium fidei
de conse. dist. 2, forte dicas; et de conse. dist. 2, in quibus; et de conse. dist. 2, semel mortuus. Et hic ostendit quare dicatur mysterium.

Sacramentum
Id est, sacrae rei signum, de conse. dist. 2, sacrificium.

Secundum est sacramentum
de conse. dist. 2, hoc est quod dicimus; et de conse. dist. 2, dupliciter.

Sed primum
Scilicet forma panis et vini est sacramentum geminae rei, id est, corporis Christi et unitatis. Et ita est figurans tantum.

Secundum
Id est, corpus Christi est sacramentum, scilicet unitatis, et est res sacramenti, scilicet specierum panis et vini. Et ita est signans et signatum.

Tertium
Scilicet unius est res sive signatum gemini sacramenti, id est, duorum sacramentorum praecedentium, id est, corporis Christi quod est sacramentum unitatis, et specierum panis et vini, quae sunt sacramentum corporis Christi. Et ita istud tertium est tantum signatum per illa duo sacramenta: species panis et vini et corpus Christi. Primum vero est tantum sacramentum signans. Secundum est signans et signatum. Tertium est signatum tantum.

Credimus
Concludit ex praemissis solutionem principalis quaestionis. Et de hoc habes 11. dist., ecclesiasticarum.

Illa duo
Sacramenta quae fluxerunt de latere Christi, scilicet aquam et sanguinem, infra, de celeb. miss., in quadam.

Veritas
Id est, caro et sanguis.

Et figura
Id est, species panis et vini.

Transsubstantiatur
Ita quod desinit ibi esse aqua et vinum.

Physici
Qui dicunt quod aqua et vinum non commiscentur per minima, id est, non ita quod inseparabilia sint, sed talis separatio impossibilis vel difficilis videtur, postquam bene admixta sunt, arg. ff. de acq. rer. dom., adeo § cum quis; et de conse. dist. 2, cum omne, vers. ulti.

Praeterea potest dici
Haec est tertia opinio.

Transit
Contra istos est, quia si quis sumpserit hanc aquam cum sanguine, iam non erit ieiunus, et ita illa die non poterit conficere, supra, de celeb. miss., ex parte. Sed contra de conse. dist. 2, relatum; et supra, de celeb. miss., consuluisti; et supra, de celeb. miss., ex parte.

Accidentibus prioris
Licet logici dicant quod accidentia non possint permutare subiectum, quod verum est secundum naturam. Sed hic natura cedit miraculo, ut littera dicit.

Processisse et infra
Sub hoc infra ponitur alia opinio quae ponitur in antiqua compilatione, quae est infra, de celeb. miss., in quadam.

Illa probabilior
Numquid hoc diffinit ut Papa nobis prohibens alias opiniones, an ut doctor ut non imponat nobis necessitatem? Eius ergo opinio est amplectanda, ut supra, de fer., capellanus. Et tamen non videtur aliquam reprobare, supra, de restit. spol., litteras.

Cum vino
Id est, vinum aquaticum. Non enim transeunt duo in sanguinem, sed vinum quod aquam sibi incorporavit. Et ita expone aquam cum vino, id est, compactum vel compositum ex eis. Haec expositio est secundum illam opinionem quae asserit quod aqua cum vino transsubstantiatur in sanguinem, et illa probabilior est, ut dicitur hic.

Eluceat
Alias elucescat. Ber.

Populi multi
de conse. dist. 2, cum omne; et de conse. dist. 4, proprie.

Suscepit ipse
de conse. dist. 2, in Christo patri.

Leonis
Quia olim orabatur pro ipso. Hodie ipse orat pro nobis, et ita mutatum est.

Codices
Id est, libri missae, alias littera oratorii.

Iniuriam
Quasi diceret superfluum. Simile supra, de maior. et obed., legebatur.

Idem est ratione
Arg. ubi eadem est ratio, debet esse idem ius, ff. ad leg. Aquil., illud. Aequitatis enim ratio similia iura suadere videtur, C. ad leg. Falc., cum certum; et supra, de confirm. util. vel inutil., cum dilecta, ubi de hoc.

Investiget
Sed quare Papa ponit hunc casum in hanc dubitationem, utrum habeat locum hic illa distinctio vel non, cum Augustinus dicat quod non pro valde malis propitiationes sunt, 13. q. 2, tempus. Forte ideo, quia dubium est qui mediocriter mali appellantur. Si enim illi tantum appellantur mediocriter mali qui non decesserunt in aliquo mortali peccato, sed tantum in venialibus peccatis, sed hoc idem est quod mediocriter boni. Si autem appellat illos mediocriter malos qui decesserunt in aliquibus mortalibus peccatis, non tamen valde magnis, obstat 13. q. 2, pro obeuntibus, ubi dicitur quod pro nullo est orandum qui decesserit in mortali peccato. Item si preces valent pro illis qui decesserunt in mortali peccato. Pone quod aliqualiter eleemosynae et orationes valeant ad tollendam partem illius poenae, secundum hoc possunt tot orationes et eleemosynae fieri, quod poena tollatur tota, et ita damnatus salvabitur. Ad hoc posset dicit quod mediocriter mali dicuntur qui mortalia commiserunt peccata licet levia, et in quibus non est necessaria inscriptio, ff. de accusation., levia. Et in quibus procurator constitui potest, ff. an per al. caus. app., quaeri. Et secundum hoc dicas quod si unus denarius aliquantam partem poenae tollat sive quartam sive tertiam, secundus tollat tantum. Tantum dico in proportione, sed non in quantitate. Secundum hoc etiam si totus mundus effunderetur, semper aliquid remaneret. Idem potest dici de indulgentiis quae fiunt in dedicationibus ecclesiarum. Ber.

Necessitatem
Quia forte dies festus imminet vel funus alicuius.

Quamlibet
Id est, aliquam, quaecumque illa sit, 16. q. 1, similiter; et 1. q. 7, si quis omnem.

Suppressis
Id est, tacitis, quia non dicit illa verba quibus conficitur corpus Christi.

Praetendit
Id est, fingit se celebrare. Ber.

Falsa
Quia populus vana simulatione non est fallendus, 27. dist., quod interrogasti; et C. de Lat. libert. toll., cum dediticii § sed et qui. Ber.

Quae veris sunt periculis
Io. sic exponit, id est, manifestis periculis.

Graviora
Quasi diceret, gravius est peccare occulte quam manifeste, 12. q. 1, certe; 11. q. 3, praecipue. Contra in hoc enim periculosius est, quia occulte peccans non habet qui eum corrigat. Alio autem respectu magis peccat, qui publice peccat quam qui occulte, quia praestat aliis exemplum delinquendi, ut in dicto capitulo 11. q. 3, praecipue, quia peccatum suum tuetur rationibus. Et sic intelligitur illud 22. q. 4, nemo; et 14. q. 5, poenale. Tanc. intelligit ut iacet littera, quoniam gravius peccat sacerdos criminosus qui simulat celebrare et non celebrat, quam si criminosus celebraret, quia in primo casu in pluribus delinquit. Deum enim offendit et proximum decipit. In secundo casu solum Deum offendit. Et iste est bonus intellectus, quia talia remedia nullus debet invenire, quia falsa sunt ex eo quod non conficit cum videatur conficere. Ideo graviora sunt quam vera pericula peccatoris qui conficit, et hoc innuit bene littera sequens.

Peccet graviter
Sic patet quod quicumque est in mortali peccato celebrare non debet, 6. dist., testamentum; et de conse. dist. 2, quotidie; et 1. q. 1, sacerdotes; et 1. q. 1, sacrosancta. Et omnis talis suspensus est quo ad se, supra, de cohab. cler. et mul., quaesitum. Sed non quo ad alios, ut ibi, nisi sit simoniacus vel notorius fornicator, quoniam illi suspensi sunt quo ad se et quo ad alios, ut 32. dist. § verum nullus; et 32. dist., praeter hoc; et infra, de simon., tanta. Sed numquid talis sacerdos potest celebrare, si habeat contritionem cordis, quia forsitan dum instat necessitas celebrandi, non potest habere cui confiteatur? Satis potest dici quod sic, dum tamen habeat propositum satisfaciendi. Et illud postea quam cito potest confiteatur, ut infra, de sent. excom., de caetero; et infra, de sent. excom., a nobis est; et infra, de sent. excom., quamvis; et 26. q. 6, qui recedunt; de conse. dist. 2, quotidie.

X 3.41.08 *In quadam nostra*

In quadam nostra decretali
Supra, de celeb. miss., cum Marthae. Sed illa opinio remota est modo inde.

Respondemus
Ad quaestionem magistri Hug. episcopi Ferrariensis, qui opinionem praedictam secutus fuit. Dicebat enim Hug., si illa fuit vera aqua quae de latere Christi exivit, non intelligebat qualiter per illam probatur quod Christus sit verus homo, nec intelligebat secundum hoc auctoritatem illam Ioannis Apostoli, nec glossam ibi positam. Tres sunt qui testimonium dat in terra: spiritus, aqua et sanguis, et his tres unum sunt. Et glossa super illo loco sic se habet spiritus, id est, humana anima quam emisit in passione, aqua et sanguis quae fluxerunt de latere Chritsi. Sed dato quod illa aqua non fuisset aqua, sed aquaticus humor humani corporis, tam auctoritas Apostoli quam glossa intelligibilia sibi videbantur. Unde quaesivit a domino Papa, ut exponeret sibi praedictas auctoritates et glossam, et ipse respondet.

Ariani
Et Bonosiani, 24. q. 3, quidam, vers. Bonosiani. Sed Ariani sunt illi qui dixerunt filium non coaeternum patri, 24. q. 3, quidam, vers. Ariani. De secta Manichaeorum habetur, 24. q. 3, quidam, vers. Manichaei. Sed de ista non continetur hic, sed forte alibi. Ber.

Pater verbum et spiritus sanctus
Pater dedit testimonium deitatis quando dixit: hic est filius meus dilectus, in quo mihi bene complacui. Filius dedit testimonium deitatis quando in monte transfiguratus potentiam deitatis et speciem aeternae beatitudinis ostendit. Spiritus etiam sanctus dedit tesimonium deitatis quando super baptizatum in specie columbae requievit, vel quando ad invocationem nominis Christi corda credentium adimplevit.

Duo principaliter
Et ita Christus est duo neutri generis, quia et est Deus et homo, infra, de haeret., cum Christus. Laur.

Coniunctione
Id est, ex quibus coniunctis invisibiliter.

Non solum vitalem
Secundum quod physici dividunt spiritum vitalem scilicet et animam. Laur.

Nisi corpus humanum
Cum non possit habitare in sicco, arg. 32. q. 2, Moyses. Nec corpus humanum vegetari potest, nisi per animam. Nam si aliquando spiritus malignus corpus mortui hominis subintret, ut 26. q. 5, nec mirum, non tamen illud vivificat, nec unum cum illo efficitur. Sed illud movet ad instar venti, qui larvam subintrat et movet ipsam.

Sed phlegma dixisset
Simile supra, de translat., inter corporalia; et supra, de decim., ad audientiam. Et est arg. non esse recedendum de facili a forma verborum, infra, de spons., ex litteris 1; et C. de liber. praet., si quis; et ff. de iure dot., permittendo. Et hoc si iuri consonat, alias ad iurisperiti interpretationem recurrendum est, ff. de usufruct. legat., si alii; arg. supra, de consuet., ex litteris; infra, de verb. sign., propterea; et ff. de leg. 3, non aliter. Ber.

Moyses
Sic supra, de conse. dist. 2, re vera. Hic ergo exigitur expressa similitudo inter ea quae sunt in novo testamento et ea quae sunt in veteri, alibi non exigitur diversitas, ne videamur iudaizare, arg. supra, de sacr. unct., cum venisset, vers. verumtamen unctiones etc. Laur.

Illis consimiles
Scilicet in frigiditate et caliditate, siccitate et humiditate, quam convenientiam physicorum proprium est assignare, non iurisperitorum.

X 3.41.09 *Dolentes referimus*

Somno
Requirit natura requiem, tamen captanda est hora congrua. Unde Seneca: quies tibi sit, non desidia. Ovidius sine titulo: stulte quid est somnus gelidae nisi mortis imago // longa quiescendi tempora fata dabunt. Io.

Syncopa
de conse. dist. 4, retulerunt. Unde versus: syncopa de medio tollit quod epenthesis auget. De istis figuris dicitur infra, de verb. sign., forus.

Sub poena
Et ita non est canon latae sententiae, sed potius ferendae, supra, de iure patron., relatum, ubi de hoc.

Divinum officium
Ad quod etiam sine isto praecepto tenentur, supra, de celeb. miss., presbyter. Et ita qui contra hoc praeceptum faciunt, inobedientiam incurrunt. Unde videtur quod sint suis beneficiis privandi propter inobedientiam, arg. supra, de maior. et obed., illud. Quia peccatum paganitatis incurrit quisquis sedi Apostolicae obedire contemnit, 81. dist., si qui sunt presbyteri. Et infidelis esse convincitur, etiam si fidelis esse videatur, 8. q. 1, sciendum. Si hoc est verum, immo quia est. Multi punirentur de inobedientia, quae est gravissimum peccatum, ut patet per iura praedicta. Sed dicas quod qui canonis inobedientiam incurrit, cum eo mitius agitur quam cum eo qui iudicis inobedientiam incurrit, arg. infra, de cleri. excom., si celebrat; et ff. de recepti., Celsus. Ber.

Studiose
Quantum ad officium oris, id est, sine syncopa.

Devote
Quantum ad officium cordis.

X 3.41.10 *Sane cum olim*

Conservetur
Sub fidelibus clavibus, ne sinistra manus ad ea possit extendi, infra, de cust. euch., statuimus.

Inclinet
Flexis genibus, et potest dicere ista verba: salve lux mundi verbum patris // hostia vera viva caro deitas integra verus homo. Vel ista: transsubstantientur res istae in corpus et sanguinem tuum domine, ad honorem et laudem nominis tui, ad confessionem peccatorum et ad salutem animarum nostrarum; vel orationem dominicam. Verba ista transsubstantientur res istae etc., debent dici antequam hostia elevetur ante illa verba: hic est sanguis meus etc. Postea non debent dici, cum iam sint transsubstantiatae in corpus et sanguinem. Ber.

Punire
Ad arbitrium iudicis punientur qui hoc non servaverint, cum poena certa hic non statuatur, supra, de offi. deleg., de causis; et ff. de iure delib., si servus, in fi. Ubicumque enim poena non statuitur, ad arbitrium iudicis imponitur.

X 3.41.11 *Cum creatura*

Pro anniversariis
Anniversarium dicitur quod pro defuncto fit anno revoluto a die mortis suae. Sed dicitur hic anniversarium officium, scilicet quod fit quotidie pro defunctis, quod facere debent sacerdotes, quia animae defunctorum solvuntur aut orationibus et sacrificiis sacerdotum, aut precibus sanctorum, aut ieiuniis et eleemosynis cognatorum, 13. q. 2, animae defunctorum. Et quia nescimus quibus prosunt pro omnibus haec sunt facienda, 13. q. 2, non aestimemus. Nisi pro illis quos constat in mortali peccato decessisse, 23. q. 5, placuit. Isti enim negligentes erant in officiis mortuorum, unde mandat Papa ut torporem negligentiae abiiciant, et missarum solemnia celebrent pro anniversariis defunctorum conventualiter, et pro festo cum advenerit et missam de feriis celebrent quando non est festum, ita quod non dimittant officium mortuorum, et in conventu non singualiter, cum paucis forsitan nolebant plures missas dicere.

X 3.41.12 *Te referente*

Sufficiat
de conse. dist. 1, sufficit; et supra, de celeb. miss., consuluisti; nisi in nativitate domini, ut ibi dicitur.

Digne unam
Et melius est celebrare illam de illa die quam aliam, supra, de celeb. miss., quidam.

Sypontina
Archiepiscopus Sypontinus die coenae domini de antiqua consuetudine conficere tenetur chrisma in ecclesia Sypontina. Sed idem archiepiscopus eodem die mane de consuetudine accedit ad Garganicam ecclesiam, ut recipiat ibi peregrinos illius loci, et ibi a clero et populo ipsius loci celebrare compellitur. Unde super hoc imploravit consilium Papae. Et Papa respondet quod tantum in ecclesia Sypontina, in qua tenetur chrisma conficere, debeat celebrare. Et sic est arg. quod missa sit de substantia confectionis chrismatis, sicut dici consuevit quod sit de substantia collationis ordinum, arg., supra, de translat., inter corporalia.

X 3.41.13 *Perniciosus*

Consuetudinem
Nota quod consuetudo attenditur in sacramento altaris, sic etiam consuetudo attenditur in baptismo, de conse. dist. 4, de trina. Et in ipsa missa consuetudo metropolitanae ecclesiae et in aliis divinis officiis ab aliis ecclesiis suae provinciae debet observari, de conse. dist. 2, institutio; et 12. dist., placuit. Sic et in matrimonio quandoque attenditur, infra, de cognat. spir., super eo; et in ieiunio, infra, de observ. ieiun., consilium § 1. Et sic patet generalem ecclesiae consuetudinem ab omnibus esse observandum, 100. dist., contra morem. Et sic saltem credamus, quod haec consuetudo a sanctis ecclesiae patribus fuit instituta, quasdam enim consuetudines solus usus approbavit, 11. dist., ecclesiasticarum. Et ita solo usu antiquorum patrum ponitur plus de vino quam de aqua. Et alia ratio posset assignari: vinum delectabilius est ad bibendum quam aqua, et ideo ponitur plus de vino quam de aqua. Nam si plus poneretur de aqua, non transiret ita suaviter, et ne horrorem generaret, unde posset periculum imminere, quia aqua malum stomachum facit. Quare aqua misceatur cum vino dicitur supra, de celeb. miss., cum Marthae § quaesivisti, ad fine. Sicut dicitur de sanguine Christi, quia sub alia similitudine sanguinem Christi bibis, ne aliquis horror sit, de conse. dist. 2, panis. Ber.

X 3.41.14 *Litteras tuas*

Confessus
Ergo pro convicto haberi debet, supra, de confess., cum super; et C. de confes., confessos.

Fermentato
Quod quidem non licet, quia scriptum est: non in fermento veteri, sed in azymis sinceritatis etc. Unde dixit Hug. quod si quis conficeret de fermentato pane in ecclesia occidentali, nihil fieret, de conse. dist. 2, in sacramento corporis.

Ligneo
Quod non licet, de conse. dist. 1, vasa. Propter hoc tamen non minus conficeret, quia olim in vasis ligneis conficiebant sacerdotes, sed propter decus ecclesiae Sylvester Papa viii instituit, ut vasa argentea essent in ecclesia, ut de conse. dist. 1, vasa. De aere aut auricalco provocat, nec hodie de ligno vel vitro fieri debet, de conse. dist. 1, ut calix.

Iterans
Non super his criminibus super quibus inquisitio facta fuit, sed super aliis, infra, de accusat., de his; infra, de collus., in tantum. Quia crimina semel dimissa, iterum in ultionem venire non patimur, 24. q. 4, si illic. Et de delicto unius hominis non est saepe quaerendum, ff. naut. caup. stab., licet § ulti.

Sine igne
Quod fieri non debet, quia legitur: ignis in altari meo semper ardebit, et ille ignis luxit sub aqua septuaginta annis, qui extinctus fuit Antiocho vendente sacerdotium Iasoni, 1. q. 1, sicut eunuchus. Item nec sine aqua sacrificare potuit, sed utrumque in calice mixtum esse debuit, quia utrumque de latere salvatoris exivit, supra, de celeb. miss., in quadam; de conse. dist. 2, in sacramentorum; et de conse. dist. 2, sic in sanctificando. Alios errores de isto sacramento habes de conse. dist. 2, cum omne crimen.

Nimia desipientia
Unde ei parcendum non fuit, quia ab aliis quaerere poterat, 37. dist. § cur ergo; et 37. dist. § ut itaque; et 38. dist., qui ea; et de conse. dist. 2, scriptura. Ber.

X 3.42 DE BAPTISMO ET EIUS EFFECTU

X 3.42.01 *Si quis puerum*

Immerserit
Id est, immergendo dixerit in nomine patris et filii etc.

Ego te baptizo
Numquid pronomen ego est de substantia formae? Non, quia plenum generat sensum haec vox baptizo, sine hoc pronomine ego, arg. de conse. dist. 4, retulerunt, ubi dicitur, si quis ita dicit: baptizo te in nomine patris et filii etc., baptizatus est, quia ex quo baptizare intendit, pronomen ibi non ponitur.

In nomine patris
de conse. dist. 4, in synodo; de conse. dist. 4, multi. Arg. contra de conse. dist. 4, a quodam. Solutio: illa littera in nomine Trinitatis intelligitur explicite. Et quod sequitur sibi in nomine Christi tantum, dispositum fuit illud ab Apostolis ex causa, ut in principio baptizarent in nomine Christi, in quo verbo intelligitur unctus, iniungens et per quem ungitur, id est, pater, filius et spiritus sancti. Sed hodie non servatur forma illa. Tamen si aliquis sic hodie baptizaretur sub his verbis, baptizatus esset, licet fieri non debeat, ut dixit Io. in illo capitulo de conse. dist. 4, a quodam. Haec est ergo forma baptismi quae hic traditur, quam servat ecclesia. Et qui omittit hanc formam nihil agit, infra, de presb. non bapt., veniens. Salvo eo quod dicitur in nomine Christi, quia illud intelligitur implicite, quod est in ista explicite. Et hoc dicunt quidam dictum fuisse ex causa in primitiva ecclesia, ut ampliaretur nomen Christi in illo tempore, quod nomen homines abhorrebant tunc. Et quod tunc implicite dicebatur in nomine Christi, modo explicite debet dici nominibus trium personarum expressis, ut dicitur in hac decretali. Alias Nicolaus decepisset illos quibus respondit, illos esse baptizatos, qui baptizati erant in

nomine Trinitatis, vel in nomine Christi tantum in primitiva ecclesia, ut in actibus Apostolorum legitur, ut dicitur in capitulo praedicto de conse. dist. 4, a quodam, ubi Hug. manifeste comprobat formam quae hic traditur ostendando causam quare in primitiva ecclesia tempore Apostolorum baptizabant in hac forma: in nomine Trinitatis sive in nomine Christi tantum. Et Nicolaus in sua responsione quam fecit in capitulo de conse. dist. 4, a quodam, retulit se ad tempus primitivae ecclesiae. Dixit Hug. quod de hac forma quae hic traditur, nihil est mutandum vel diminuendum secundum quod notavit de conse. dist. 4, multi. Ber.

Baptizatus
Arg. quod ubi aliquid deest de substantia eius quod exigitur ad esse rei, nihil actum est, arg. 1. q. 7, Daibertum. Arg. contra supra, de sacram. non iter., pastoralis; et supra, de sacram. non iter., presbyter, ubi supplentur quae omissa erant. Sed illa unctio non est de substantia sacramenti.

X 3.42.02 *De quibus dubium*

De quibus dubium
Sic de conse. dist. 4, si nulla; et de conse. dist. 1, solemnitates; et de conse. dist. 1, ecclesiae vel altaria. Idem in ordine, 68. dist., presbyteris; et 68. dist. § quod ergo.

Baptizo
Dicunt quidam quod si prius fuit baptizatus, eundem charactarem iterare non est inconveniens ut reiteretur. Arg. illius capituli 68. dist., presbyteri quos, quod nihil facit. Et dicunt simile, quia eadem possessio ex pluribus causis acquiritur, ff. de acq. poss., possideri § si ex pluribus. Sed hoc non est verum, quia si primo baptizatus fuit, nihil secundo additur, sed ad vocem refertur talis reiteratio. Et est signum solummodo quod sit baptizatus, arg. ad hoc 68. dist., presbyteris § quod ergo, ubi Gratian. hoc dicit. Arg. C. de indict. vid., ambiguitates, ubi dicitur secundam manumissionem nihil addere vel minuere. Ala.

X 3.42.03 *Maiores ecclesiae*

Causas praesertim
17. dist., huic sedi; et 24. q. 1, quotiens.

Eum
Id est, Petrum.

Ne deficiat
Ex hoc patet quod ecclesia non potest esse nulla, 23. q. 1, pudenda, in fi., ubi Augustinus hoc probat. Ad idem 21. dist., cleros, ad fi., in vers.: ego pro te rogavi etc.

Caritas operit
Haec est prima obiectio haereticorum, quod si non habuerimus caritatem, etiam si sanguinem nostrum effuderimus et nostram substantiam totam dederimus pauperibus,

magis tormenta sunt quam corona victoriae, 1. q. 1, vide quantum bonum. Unde dicitur caritas recta voluntas, bonis terrenis ac sumptibus semper adversa, de poen. dist. 2, caritas.

Circumcisioni successit
Quae supplebat vicem baptismi in parvulis, qui erant de stirpe Abrahae. In aliis autem supplebat fides parentum, de conse. dist. 4, quod autem apud; et de conse. dist. 4, ex quo.

Circumcidimini
28. q. 1, sic enim, circa fi., per unam columnam, vers. ecce ego Paulus etc.

Ex praecepto
In veteri testamento.

Feminae
Sed circumcisio ad feminas non pertinebat, sed offerebantur, 28. dist., in templum, et ibi nomen imponebatur. Unde baptismus generalior est.

Peribit de populo
Hic colligitur quod per circumcisionem salvabantur in veteri testamento. Sic de conse. dist. 4, qui apud; et de conse. dist. 4, ex quo. Sed contra de poen. dist. 1 § item ut Christus ait, in fi., ubi dicitur quod circumcisio data est Abrahae in signum iustitiae, non in causam iustificationis. Sed illud intelligitur quo ad ipsum Abraham, qui iam iustificatus erat et non quo ad alios. Vel exponitur illa littera et suppletur ibi, solum vel tantum. Ber.

Non intrabit
de conse. dist. 4, firmissime. Ber.

Aetatem excludens
Immo includit, quoniam sub nomine masculino dum dixit, nisi quis renatus fuerit etc., femina comprehenditur, ff. de ver. sig., verbum hoc; et de poen. dist. 1 § si quis cum telo.

Culpa remittebatur
Id est originale peccatum, non tamen penitus adhuc est sublatum, sed manet in homine. Non tamen obest de conse. dist. 4, per baptismum.

Pervenitur
de conse. dist. 4, per aquam.

Reseravit
de conse. dist. 4, proprie.

Auctoritates
Scilicet Iacobi, scilicet caritas operit multitudinem etc. Et illam in Evangelio de peccatrice, dimissa sunt ei etc.

Et caetera
Scilicet salvus erit. Qui autem non crediderit nec baptizatus fuerit, condemnabitur.

Tota auctoritas
Uniformis enim debet esse cuiuslibet auctoritatis intellectus, arg. 16. q. 7, et hoc dicimus. Arg. contra 3. q. 4, hi qui.

Ad aptitudinem
Sicut et illud participium retinens, quod ponitur in descriptione matrimonii, ad aptitudinem non ad actum refertur, quae habetur 27. q. 2 § 1. Matrimonium est coniunctio maris et feminae individuam vitae consuetudinem retinens. Intellige quamvis non retineatur quo ad actum, tamen quo ad aptitudinem retinetur, sicut consuevit dici de iustitia, ff. de iust. et iure, iustitia, secundum quod iustitia est in creatura.

Absolute
Id est, indifferenter.

Ex hac solutione
Et ita oritur quaestio ex solutione. Sic supra, de voto et vot. redem., ex multa.

In consimilibus
Arg. quod de similibus simile iudicium debet esse, supra, de rescript., inter caeteras; et supra, de translat., inter corporalia; et supra, de re iudic., in causis; et ff. de legib., non possunt; et C. de legi. et const., si imperialis; et supra, de confirm. util. vel inutil., cum dilecta. Quia ubi eadem ratio, et idem ius ut ibi, et supra, de celeb. miss., cum Marthae § ulti.

Duplex
de conse. dist. 4, non ex quo.

Sine consensu
Partium, infra, de reg. iur., omnis. Simile de conse. dist. 4, filius Dei.

Opus imperfectionis
Duplicitatis enim Deus aspernator est, 22. q. 5, qui peierare paratus est § ex his omnibus.

Ex parte
de conse. dist. 4, regenerante; et de poen. dist. 3, sunt plures. Et est arg. quod si aliquis excommunicatus est pluribus excommunicationibus, si absolvatur, omnini est absolutus. Sed est arg. contra infra, de sent. excom., cum pro causa; 2. q. 3, si quem § praevaricator, vers. si crimina plura. Item arg. quod nihil reputatur actum dum aliquid superest ad agendum, 7. q. 1, nihil; 38. dist., quae ipsis; C. de his quib. ut indign., talis. Et est arg. quod sententia non debet pro parte valere et pro parte non valere, ff. fam. ercis., in hoc iudicio. Item non valet pro parte aliquid fieri nisi ad totum fiat, ff. de procur., in causae; ff. pro derelic., an pars; ff. de transaction., cum hi. Sic nec liberatur pignus, licet de parte

debiti sit satisfactum, C. de distract. pign., quamdiu. Et qui aliquid debet facere, faciendo pro parte non liberatur, ff. de ver. oblig., in executione § penulti. Et impietas est ab eo qui iustus est, dimidiam sperare veniam, ut in praeallegata de poen. dist. 3, sunt plures.

Carentia visionis

Parvuli enim qui sine baptismo decedunt, in tenebris manent, de conse. dist. 4, nulla praeter. Et poena illa mitissima est omnium, de conse. dist. 4, regenerante. Et tamen sempiterno igno puniuntur, de conse. dist. 4, firmissime. Sed mitis dicitur poena illa carentiae visionis respectu aliarum. Sed mors perpetua dicitur, 30. q. 1, ad limina. Ber.

Propter originale

Sed nonne propter actuale debetur carentia visionis Dei adulto? Quid ergo expedit originale dimitti, cum etsi dimittatur, tamen debetur carentia visionis Dei ob aliud scilicet actuale. Nam et ubi aliquid debetur ex pluribus causis, una remissa alia petitio restat. Unde qui repudiavit successionem partium liberi, admittitur ad successionem partium cognati, ff. de succ. edict., successorium § sed et videndum; et arg. ff. de servitu. urb. praed., si domus. Arg. pro et contra supra, de caus. poss. et propr., pastoralis; et supra, de iudic., examinata. Sed potest dici quod haec ratio superficialis est, et prima verior est, quia Deus opus imperfectionis non novit, quia in baptismo omnia crimina dimittuntur, de conse. dist. 4, regenerante. Vel diversifica pro actuali re vera debetur non solum carentia visionis Dei, sed et maior poena, et ita non directe. Sed pro originali debetur tantum carentia visionis Dei directe. Et sic non prodest dimissio originalis peccati, cum postea actuale supervenit tamquam maius de quo non poenituit, quia qui peccat in uno, factus est omnium reus, infra, de reg. iur., defleat. Sed parvuli nullum peccatum habent actuale, et ideo non est simile de amentibus et dormientibus, qui originali et actuali gravantur, et ideo etiam originale non tollitur, quia non prodesset. Nec debet probari quo probato non prodest, C. de probation., ad probationem; et supra, de offi. deleg., cum contingat, in illa glossa quae incipit: nota quod non debet.

Incompassibilia

Arg. quod eadem res non operatur contrarios effectus, 57. dist., si quis in aegritudine. Praesumitur enim ibi quod peccata non sint dimissa ei qui timore aegritudinis baptizatur. Quae praesumptio non tollitur per baptismum, cum baptismus ipsam inducat. Unde non operatur hos contrarios effectus. Sic eadem res non parit obligationem et liberationem, ff. de solut., qui hominem § ulti.

Quae per se sortiuntur

Id est, absque consensu accipientis. Laur.

Ad rem

Id est, quantum ad solutionem peccatorum. Ber.

Sed et ficti

Ut 1. q. 1, sicut ficti; et de conse. dist. 4, solet quaeri. Ber.

Contrarium
Arg. quod ad fidem nullus debet compelli invitus. Sed sicut libera voluntate periit, ita libero arbitrio convertatur, 45. dist., de Iudaeis; et 45. dist., qui sincera; et 23. q. 5, ad fidem. Arg. contra 23. q. 6, schismatici, ubi dicitur quod Paulus coactus venit ad fidem. Sed illud divino iudicio fuit factum, cuius facta ad consequentia trahi non debent. Speciale in ipso fuit, vel ita: Paulus persequebatur fideles et inter ipsa flagella mutatus fuit et factus volens, 23. q. 4, displicet, vers. qualiter Paulus etc.

Conditionaliter volens
Et sic coacta voluntas, voluntas est, 15. q. 1, merito quaeritur. Et ita coactio conditionalis non impedit sacramentum baptismi, ut hic patet. Sicut non impedit sacramentum ordinis, 74. dist., ubi ista; 45. dist., de Iudaeis. Neque sacramentum matrimonii, 22. q. 4, inter caetera; et infra, de spons., veniens 1. Talia enim iuramenta sine interitu salutis aeternae possunt servari, supra, de iureiur., si vero; supra, de iureiur., cum contingat. Impedit tamen matrimonium spirituale, supra, de his quae vi met. caus. fi., perlatum. Sed ibi fuit iustus metus mortis, scilicet qui cadit in constantem virum. In praedictis vero concordantiis non fuit metus quae caderet in constantem virum, sed coactio quaedam conditionalis, quae non impedit matrimonium spirituale sive carnale, quia idem esset in utroque. Sed numquid ille qui conditionali coactione recipit ordinem tenetur continere? Bene videtur quod sic, quia coacta voluntas est voluntas, 15. q. 1, merito. Maxime si dicatur quod votum est annexum ordini, 28. dist., diaconi; et 84. dist., cum in praeterito. Satis videtur quod continere compellatur, quia licet quodam modo invitus ordinem susceperit, volens tamen fuit. Unde ratione illius indirectae voluntatis cogitur continere. Io. dixit quod non cogitur, quia integritas corporis res est voti et non praecepti, 32. q. 1, integritas; et supra, de his quae vi met. caus. fi., perlatum. Nam continentia non est nisi voluntaria, 31. dist., ante triennium; et arg. 20. q. 3, praesens clericus. Et sic ordinatus non habet privilegium clerici. Si tamen vult uti eo, potest. Secus dicit in baptismo, quia illud est sacramentum necessitatis. Similiter non valet testamentum eius qui invitus testatus est, vel si testes teneantur inviti, ff. qui testam. fac. pot., qui testamento § ulti.

Concilii Toletani
45. dist., de Iudaeis, cuius verba haec sunt.

Plus est
Sic infra, de simon., sicut tuis; et infra, de homic., Petrus; et 1. q. 4, quia praesulatus. Arg. ff. de recepti., non cogendum, in fi.; C. de fil. famil., patrem, lib. 10. Simile est in personis coniunctis quae agere possunt sine mandato, supra, de rescript., nonnulli; et supra, de rescript., ex parte decani; ff. de procur., Pomponius, ad fi. Sed contra mandatum non possunt, ff. de procur., sed et hae personae.

Perdurare
Simile infra, de sent. excom., a nobis est. Nam semper durare praesumitur voluntas, nisi probetur mutata, supra, de his quae vi met. caus. fi., perlatum; ff. de probation., eum qui; et ff. de leg. 2, Lucius, in fi. Sed quid si quis ab instantia fuit amens, numquid prodest ei si baptizetur? Arg. quod sic, ff. de leg. 2, cum pater § surdo. Quia perinde habetur ac si nunc sit infans, quia nullo peccato gravatur nisi originali, 3. q. 9, indicas. Sed quare

amens vel dormiens non recipit sacramentum baptismi, et ille qui coactione absoluta cogitur, cum in baptismo non requiratur intentio baptizati sed baptizantis, 1. q. 1, sicut ficti; et de conse. dist. 4, solet? Haec quaestio quam movet hic Io. solvitur per litteram, quia amens et dormiens qui ante catechumini fuerunt, recipiunt bene sacramentum. Qui vero semper inviti fuerunt et contradixerunt, non recipiunt. Unde adhuc praesumuntur inviti, et nemo invitus ad fidem compellitur, ut dicitur supra. Et 1. q. 1, sicut ficti; et de conse. dist. 4, solet, non contradicunt, quia illi ore exprimunt licet corde dissentiant, et ideo sacramentum recipiunt, quia ecclesia dare intendit. Sed tale sacramentum non prodest ad remissionem peccatorum, nisi cum fictio illa recesserit, de conse. dist. 4, tunc valere.

Non suscipiunt
Sed quid si excitati a somno ratum habeant? Non prodest, quia nihil recipit. Et ideo non est quod ratum habeat, sed iterum baptizetur. Ber.

Tales
Scilicet catechuminos.

Obsistentem
Simile de conse. dist. 4, quaeris a me; ff. de Maced., si filius; et ff. de acq. hered., qui in aliena § si is. Ber.

X 3.42.04 *Debitum*

Discretio
Sicut inter praesentatum et praesentantem, supra, de iure patron., per nostras, et inter dantem et recipientem, supra, de instit., cum ad nostram, quia nemo oriri debet a se ipso, 24. q. 1, didicimus. Potest tamen apud semetipsum emancipari, ff. de adopt., si consul.

A Ioanne
de conse. dist. 4, per aquam; et de conse. dist. 4, catechuminum.

Talis
Scilicet Iudaeus ille. Ber.

Evolasset
de poen. dist. 7, nullus expectet, vers. nullus expectet quando peccare non poterit.

Veritas ait
1. q. 1, firmissime.

In carnali
Sicut alia est similitudo inter carnalem et spiritualem generationem, ut sicut vir non potest sibi filium legitimum carnalem quaerere cuius uxor mater non sit. Ita nec spiritualem, quin uxor eiusdem commater sit parentibus illius, 30. q. 4, si quis ex uno; et infra, de cognat. spir., Martinus. Laur.

Referantur
Natura enim correlativorum est, quod simul non patiuntur se in eodem subiecto, arg. 35. q. 1, cum igitur. Laur.

X 3.42.05 *Non ut apponeres*

Verbum
1. q. 1, detrahe, ubi de hoc. Ista duo necessaria sunt in baptismo aquae. Secus in baptismo sanguinis vel flaminis, de conse. dist. 4, baptismi vicem. Quod dicit verbum sic intellige: si quis baptizat et non dicit in nomine patris et filii et spiritus sancti, non est baptizatus, quia nec elementum nec verbum tantum sufficiunt. Vel verbum, id est, filius, quasi diceret: si quis baptizat et non addit in nomine filii, non est baptizatus, de conse. dist. 4, in synodo. Vel verbum, id est, forma, quasi diceret: si non servetur forma quae traditur, supra, de bapt. et eius effect., si quis, et hic, non est baptismus.

Elementum
Id est, aqua. Et sic non est baptismus sine aqua.

Veritas ait
de conse. dist. 4, proprie.

De elemento
de conse. dist. 4, necessarium; et 1. q. 1, firmissime. Hic enim exprimitur forma baptismi, quae si observata non fuerit, non est baptismus. De hoc dictum est supra, de bapt. et eius effect., si quis.

Utrumque
Scilicet aqua et verbum.

X 3.42.06 *Licet Graecos*

Revertentes
De iure enim ecclesia Graecorum subiecta est Romanae ecclesiae, 24. q. 1, rogamus.

Tamquam per hoc
Dictum est supra, de maior. et obed., solitae.

Ut sit unum
Supra, de maior. et obed., solitae, circa fi.

X 3.43 DE PRESBYTERO NON BAPTIZATO

X 3.43.01 *Si quis presbyter*

Ordinatus
De facto, quia qui de iure ordinatus non est, presbyter non est censendus, ut 1. q. 1, si quis confugerit; et 1. q. 1, si quis per ignorantiam.

Iterum ordinetur
Et hoc patet quod nullum ordinem recepit, infra, de presb. non bapt., veniens, quia baptismus est ianua omnium sacramentorum, 32. dist., praeter § verum; et infra, de presb. non bapt., veniens. Si ergo primo ordinem suscepisset, iterum non esset ordinandus, 1. q. 1, quod quidam. Ber.

X 3.43.02 *Apostolicam sedem*

Ab originali
Et etiam ab actuali peccato, de conse. dist. 4, catechuminum. Sed contra de conse. dist. 4, firmissime; et 1. q. 1, firmissime, in quibus dicitur quod sine baptismo nullus salvatur. Quod verum est de eo qui potest baptizari et non baptizatur. Iste vero credebat se baptizatum et in fide illa salvatur, et iste non contempsit. Et est triplex baptismus, scilicet fluminis et flaminis et sanguinis. Hic autem baptismo flaminis invisibili baptizatus fuit per fidem quam habuit de baptismo. Simile supra, de bapt. et eius effect., debitum.

Augustini
Prout habes de conse. dist. 4, baptismi vicem; et de conse. dist. 4, catechuminum; et de conse. dist. 4, non dubito, alias non dubium.

Beati Ambrosii
Legitur beatum Ambrosium dixisse de Valentiniano, qui dum properaret ad baptismum in itinere decessit: ventrem meum doleo, quia quem regeneraturus eram perdidi. Ille tamen gratiam quam poposcerat non amisit. Laur. Sic ergo patet quod iste per solam fidem quam habebat de baptismo salvatus est. Iste credebat se sacerdotem fuisse, sed non erat in veritate, supra, de presb. non bapt., si quis. Numquid conficiebat? Non in veritate, sed quo ad se bene conficiebat, et quo ad alios qui hoc credebant. Et tamquam verum sacramentum conficeret, sibi et recipientibus ab ipso credo quod proficiebat. De hac materia dicitur supra, de elect., dudum ecclesia.

X 3.43.03 *Veniens*

Evangelii
Ite per mundum universum, baptizate omnes gentes in nomine patris et filii et spiritus sancti, quam habes supra, de bapt. et eius effect., non ut; et supra, de bapt. et eius effect., debitum; de conse. dist. 4, proprie.

Omnium sacramentorum
32. dist., praeter § verum. Ber.

Superaedificari
1. q. 1, cum Paulus.

Per sacramentum fidei
In cuius perceptione gratia confertur. Secus in sacramento matrimonii, quod est etiam apud infideles, infra, de divort., gaudemus; et 26. dist., deinde opponitur; et supra, de translat., quanto.

Habet per fidem
Quam quis habet de ipso sacramento, licet ipsum sacramentum non habeat, sed credat se habere, supra, de presb. non bapt., Apostolicam; et supra, de bapt. et eius effect., debitum. Et ita talis baptismus dicitur baptismus flaminis. Idem est in baptismo sanguinis per quem salvati sunt innocentes.

De novis
Id est, de sacramentis novi testamenti.

De veteribus
Id est, de sacramentis veteris testamenti.

Coniugii
Infra, de divort., gaudemus; et infra, de divort., quanto; et 26. dist., deinde opponitur.

A non baptizatis
Scilicet baptismo fluminis. Sed baptismo flaminis baptizatis, cum illi quo ad gratiam baptizati intelliguntur, et accipere possunt sacramentum Eucharistiae.

Videtur
Sed non est verum quod conferatur, ut infra patet. Sed allegatum dicit hoc.

In concilio apud Compendium
Supra, de presb. non bapt., si quis. Et hic ponit quaestionis solutionem per concilium apud Compendium celebratum.

Usque
Inclusive per hoc quod sequitur.

Ministrare
Sed obiicitur: ille credebat se baptizatum, et sic habebat sacramentum fidei, ergo fuit ordinatus, arg. supra, de presb. non bapt., Apostolicam; et supra, de presb. non bapt., si quis. Quare ergo ordinatur, cum per hoc fiat iniuria sacramento, 1. q. 1, quod quidam. Haec obiectio non valet, quia licet quis habeat sacramentum per fidem, quam cito incipit scire se non habere sacramentum baptismi, et contemnit illud recipere, statim amittit sacramentum fidei. Unde iterum ordinatur, quia certus est quod non receperat ordines ante baptismum. Sed quae forma servabit circa istum, si omnino certum esset quod non fuit baptizatus? Tunc communis forma servabitur, quam habes supra, de bapt. et eius effect., non ut. Sed si illud habetur dubium, servabitur forma illa supra, de bapt. et eius effect., si quis.

Intelligitur iteratum
Sic de conse. dist. 1, solemnitates.

Nec male
Tacita responsio videtur, quasi dicat: licet dicamus istum baptizandum, non ideo male sentimus de sacramento baptismi, quia si aliquis in articulo mortis velit baptizari, nec est qui velit eum baptizare, propter hoc non minus erit salvus, supra, de bapt. et eius effect., debitum; de conse. dist. 4, catechuminum. Cum illud non religionis contemptus, sed necessitas articulus impedit.

Necessitatis
Vel ignorantiae facti quae excusat, supra, de presb. non bapt., Apostolicam.

Contrarium probaretur
Nota violentiam praesumptionem admittere probationem in contrarium, 35. q. 3, extraordinaria; et 27. q. 1, nec aliqua; supra, de probat., proposuisti; et supra, de probat., causam matrimonii. Ber.

X 3.44 DE CUSTODIA EUCHARISTIAE CHRISMATIS ET ALIORUM SACRAMENTORUM

X 3.44.01 *Statuimus*

Fideli custodia
Simile supra, de celeb. miss., sane. Et per laicos ad infirmos non debet deferri Eucharistiae sacramentum. Sed presbyter hoc facere debet, de conse. dist. 2, pervenit, vel per diaconum si necesse est, 93. dist., praesente; et 93. dist., diaconus. Secundum formam quae traditur supra, de celeb. miss., sane § sacerdos vero.

Graviori
Arg. quod propter culpam tenetur ad omnia illa quae sequuntur ex illa culpa, 31. q. 2, de neptis; et 1. q. 1, placuit. Arg. contra 15. q. 1, inebriaverunt; ff. de fur., verum. Item arg. quod qui occasionem damni dat, damnum dedisse videtur, 50. dist., saepe; ff. ad leg. Aquil., qui occidit § in hac. Et haec poena erit ad arbitrium iudicis, ex quo non determinatur, supra, de offi. deleg., de causis. Sed supra imponitur certa poena trium mensium.

X 3.44.02 *Relinqui*

Ecclesias
In ecclesiis tamen potest et debet iudicium ecclesiasticum exerceri, 2. q. 2, praeceptum. Sed non saecularia, infra, de immun. eccl., ut in domibus.

Vestimenta
Vestimenta ecclesiae honesta et munda debent esse, de conse. dist. 1, vestimenta.

In profanis
Id est, privatorum vestibus. Et ita est arg. quod clerici debent incedere ornati vestibus, non tamen ad iactantiam, 21. q. 4, omnis iactantia. Quia dissolutos et fractos vestibus non recipimus, 41. dist., parsimoniam. Et incompositio corporis qualitatem indicat mentis, ut dicitur 41. dist. § sicut ergo, in fi. Nec tamen prohibitas portare debent, supra, de vit. et honest. cler., clerici officia.

X 3.45 DE RELIQUIIS ET VENERATIONE SANCTORUM

X 3.45.01 *Audivimus*

Cum vix
Quasi dicat non in omni casu, quia tunc non orat ecclesia pro eo, cum ebrietas fuerit mortale peccatum, ut puta assidua, de conse. dist. 5, nullus; et 25. dist. § alias autem ea demum; et 35. dist., episcopus. Secus cum ebrietas fuerit veniale peccatum, 25. dist. § alias autem ea demum, vers. quotiens.

In ebrietatibus
In ebrietate non potuit demereri, 15. q. 1, sane; et 15. q. 1, concupiscentia. Ita nec meritum augeri arg. hic, et 22. q. 4, unusquisque.

Miracula
Quoniam miracula fiunt quandoque per malos, 1. q. 1, teneamus. Ideo non debet venerari pro sancto quisquis miracula facit, nisi ab ecclesia Romana prius fuerit per testes legitimos approbatus, ut hic dicit, et infra, de rel. et ven. sanct., cum ex eo; et supra, de testib., venerabili, ubi testes super vita et miraculis recipiuntur, quia quem ipsa reprobat, reprobandus est, et quem approbat, approbandus est, 24. q. 1, haec est fides; et 24. q. 1, quoniam vetus; et 24. q. 2, sane profertur.

X 3.45.02 *Cum ex eo*

Venales
Quod esse non debet, quia reliquiae sanctorum martyrum, vel ipsi martyres vendi non possunt, C. de sacro. eccl., nemo. Quia res sacra non recipit aestimationem, ff. de rerum div., sacra loca § ulti. Et ideo non potest vendi, quia venditio sine pretio non consistit, Inst. de emp. et ven. § pretium; et ff. de contrah. empt., inter patrem § sine pretio. Et spiritualia vendi non possunt nec spiritualibus annexa, infra, de simon., querelam; et supra, de iure patron., de iure. Immo qui spiritualia vendit, capitale crimen cum simonia committit, 1. q. 1, qui studet. Ideoque reliquiae sacrae vendi prohibentur, ut infra sequitur.

Auctoritate
Ut supra, de rel. et ven. sanct., audivimus, receptis testibus super vita et miraculis illius, supra, de testib., venerabili.

X 3.46 DE OBSERVATIONE IEIUNIORUM

X 3.46.01 *Ex parte*

Die sabbati
Simile infra, de verb. sign., quaesivit. Sic videtur quod dies sabbati debeat servitutem diei lunae. Sed contra, dies Dominicus qui est medius impedire debet illam servitutem, ff. de servit., servitutes § sacri. Et medium praedium quod non fuit in servitute impedit servitutem, ff. de servitu. rust. praed., qui sella § in rusticis. Sed istud non est servitus, immo est debitum quoddam. Unde cum non possit solvi una die, debet solvi alia, arg. 76. dist., ieiunium, vers. et hoc sciendum est. Sic supra, de dolo et contu., cum dilecti; ff. de recepti., Celsus § 1. Quia ad duo tenetur, scilicet ieiunare vigiliam Apostoli et ieiunare. Unde si non potest ieiunare vigiliam ob reverentiam diei Dominicae, ieiunet die sabbati, arg. praedictae legis et ff. de usuri., debitor.

X 3.46.02 *Consilium nostrum*

Omnium Apostolorum
Qui omnium dicit, nihil excipit, nisi tres vigilias quae sequuntur. Ergo in omnibus aliis est ieiunandum, nisi consuetudo contraria sit, ut in § proxima. Ex quo excipit tantum de istis, ergo de omnibus aliis intelligendum est, quia doli clausula non refertur ad ea de quibus specialiter cautum est, ff. de ver. oblig., doli clausula. Non obstantibus versibus illis: Petrus et Andreas Paulus cum Simone Iudas // ut ieiunemus nos admonet atque Mathaeus.

Paschalem
Inter quam nullum ieiunium necessitatis est, 76. dist., ieiunium § non autem. Nisi rogationes et vigilia Pentecostes, de conse. dist. 3, rogationes.

In praecedenti sunt sabbato
Supra, de observ. ieiun., ex parte; et infra, de verb. sign., quaesivit.

Consuetudinem
A qua recedi non debet sine magna causa, cum ex hoc scandalum generetur. Immo tamquam contemptores legum puniendi sunt qui contra faciunt, 11. dist., in his. Si tamen periculum contigerit, non est servanda ut hic dicit inferius, quia utilius etiam scandalum nasci permittitur quam veritas relinquatur, infra, de reg. iur., qui scandalizaverit.

Indulgeri
Non ex debito, sed ex humanitate.

Necessitas
de conse. dist. 1, sicut; et infra, de reg. iur., quod non est.

Ut maius periculum
Scilicet mortis, sicut olim permittebatur dare libellum repudii, ut maius periculum vitaretur, ut 33. q. 2, si quod verius.

X 3.46.03 *Explicari*

Nec voto
Ergo si voto tenentur, non debent comedere carnes, quia quae sine conditione voventur, sine conditione solvantur, 32. q. 8, non solum, quia ex quo in voto emisso nihil exceperunt, generaliter tenentur, arg. infra, de privileg., quia circa; et ff. de servitu. urb. praed., si servitus.

Consuetudinem
Quem pro lege servari debet, 11. dist., in his; et 12. dist., diuturni. Et sic consuetudo ecclesiae generalis servanda est tamquam lex, supra, de celeb. miss., perniciosus.

Voluerint
Immo magis laudandi sunt, quia ea sunt in nostris officiis gratiora, quae cum licet nobis non impendere, gratia tamen dilectionis impendimus, 28. q. 1, iam nunc. Quia maioris gratiae est offerre quod non debes quam reddere quod teneris, 33. q. 5, qui sitit, alias est sub illo capitulo 33. q. 5, tunc salvabitur. Quia nemo in necessitatibus liberalis existit, ff. de adimen. leg., rem legatam; et ff. de donat. inter vir. et uxor., si quis pro uxore. Ber.

X 3.47 DE PURIFICATIONE POST PARTUM

X 3.47.01 *Volens*

Certi dies
Scilicet pro masculo quadraginta dies, pro femina octaginta, dist. 5 § 1. Et ideo ad litteram hoc fiebat, quia reputabantur immundae usque ad tempus illud. Ber.

Intrare voluerint
Prohiberi non debent, ne poena eis vertatur in culpam, 5. dist., si mulier; et 5. dist., ad eius vero; et 7. q. 1, cum percussio.

Ex veneratione
de conse. dist. 2, quotidie. Et quia bonarum mentium est etc., supra, de observ. ieiun., consilium § 2; et 5. dist., ad eius vero.

X 3.48 DE ECCLESIIS AEDIFICANDIS VEL REPARANDIS

X 3.48.01 *Quicumque*

Ad tecta
Nam ubi est emolumentum, ibi debet esse onus, quia non est ferendus is qui lucrum amplectitur, onus autem subire recusat, C. de caduc. toll., et nomen § pro secundo, in fi.;

et C. de caduc. toll., et nomen § ne autem, vers. si nec talis. Sicut ad quem spectat onus et emolumentum, C. de furti. et serv. cor., manifestissimi § penulti., in fi. Sic supra, de his quae fi. a maior. par. cap., ex parte; et infra, de eccl. aedif., de his. Nam et ipse fructuarius tenetur ad sarta tecta, C. de usufruct. et habit., eum ad quem; et ff. de usufru., usufructu legato, 1. resp., in fi.; et ff. de usufru., usufructu legato § hactenus. Et hoc intelligo, cum quarta ad hoc deputata non sufficit, de qua habes 10. q. 3, unio. Alias si sufficeret, non teneretur.

X 3.48.02 *Cum dicat*

Tot
Sed quot sufficiunt? Forte decem, ut 10. q. 3, unio. Vel etiam pauciores, dummodo velint ecclesiam dotare, arg. de conse. dist. 1, nemo.

Veteribus
Veteres enim ecclesiae propter novas laedi non debent, 16. q. 1, quicumque. Ecclesiae tamen de decimis modicum damnum possunt sustinere, infra, de eccl. aedif., ad audientiam 1.

Aliorum iniuriam
Arg. nullius inopiam relevari cum alterius iactura, 22. q. 2, primum; et ff. de condi. indeb., nam hoc; arg. 14. q. 5, denique; arg. C. de emancip. lib., nec avus. Quia et si princeps concedit alicui aedificare in loco publico, hoc intelligitur facere sine damno alterius, ff. ne quid in loc. pub., praetor ait § si quis a principe; et ff. ad Trebel., sed cum ab herede; ff. de admin. tut., impuberi; et infra, de eccl. aedif., ad audientiam 2. Sic enim interpretanda sunt beneficia principis, ut non incipiant esse iniqua, ff. de vulg. et pup., ex facto; ff. de praet. stipul., Paulus; ff. ex quib. cau. maio., sciendum; supra, de auctor. et usu pal., ex tuarum; et supra, de offi. ord., licet.

Nutrimentis
De omnibus autem aliis solvant decimas, ex quo de istis tantum prohibentur, quia quod de uno prohibetur de alio concessum intelligitur, 25. dist., qualis. Nisi religionem aliquorum assumerent, tunc gauderent eorum privilegio, supra, de statu monach., recolentes, in fi.; et arg. supra, de decim., ex parte tua 1. Io.

X 3.48.03 *Ad audientiam*

Magna difficultate
Haec est iusta causa constituendi ecclesiam in alterius parochia, et in eius praeiudicium. Et ita difficultas aliquid permittit quod alias prohibetur. Simile 63. dist., cum longe; et 93. dist., iuxta; et ff. de iud., si longius; et ff. de recepti., si cum dies § si arbiter; et C. in quib. caus. tut. hab., propter late; et C. in quib. caus. tut. hab., cum ob augmentum. Simile supra, de rescript., nonnulli; supra, de elect., nihil est § ulti.; et 7. q. 1, temporis qualitas § 1.

Convenienter
Alias non permitteretur, 16. q. 1, quicumque; et 16. q. 1, ecclesiae; et 16. q. 1, de decimis; et supra, de eccl. aedif., cum dicat; 12. q. 2, bonae rei.

Rectoris
Praesentatio rectoris est necessaria, quia ille est ei subiectus, arg. 24. dist., quando; 50. dist., in capite. Et quod ipsum tangit, approbare debet, supra, de temp. ord., si archiepiscopus; C. de aucto. praestan., veterem; et 16. q. 1, statuimus. Sed quare praesentatio non spectat principaliter ad patronum, ut supra, de iure patron., per totum? Potest dici quod ideo spectat ad maiorem ecclesiam, quia in eius praeiudicium fundatur alia in ipsius parochia. Unde quasi quadam compensatione praesentat cum assensu patroni, et hoc providet Papa forte de consensu patroni. Vel potest dici quod patronus tantum eliget et praesentabit electum rectori maioris ecclesiae, qui illum postea episcopo praesentabit, arg. 24. dist., quando. Sed primum verius videtur. Sed quid si patronus non concordat cum illo rectore? Nisi iustam causam contradictionis ostendat, non nocet. Vel dic quod ambo sunt patroni, et ambo debent similiter eligere, quia de bonis utriusque dotatur ecclesia, et presbyterum praesentabunt archiepiscopo. Ber.

Obventiones
Et ita videtur quod debeat habere decimas illius villae. Sed contra 16. q. 1, quicumque; et 16. q. 1, ecclesiae. Non sunt contraria, sed Papa hoc fecit ex plenitudine potestatis. Et hoc ideo quia propter proventus illius villae rector maioris ecclesiae poterat competenter sustentari, ut supra dicitur. Sed episcopus hoc facere non posset nisi de consensu rectoris maioris ecclesiae, quia non potest iura illius ecclesiae dare alteri, supra, de rebus ecc. non alien., non licet; et arg. 16. q. 1, constitutum; et 16. q. 1 § sicut duo. Gratian. tamen contradicere videtur, ut colligitur ex illo 16. q. 1 § sicut duo, a contrario sensu praecedentium capitulorum. Licet possit dici, scilicet oblationibus, et de personalibus decimis quae dantur diebus quibus accedunt ad ecclesiam et ex mortuariis et consimilibus, quia de iure communi perceptio decimarum pertinet ad parochialem ecclesiam, supra, de decim., cum in tua. Et si Papa de illis intellexisset, bene expressisset, arg. supra, de decim., ad audientiam. Sicut expressit de obventionibus, expressisset supra de decimis. Arg. contra infra, de verb. sign., cum inter.

Honor
Scilicet ut aliquid annuatim in signum subiectionis praestetur, arg. supra, de censib., omnis, moderandum tamen ad arbitrium episcopi, supra, de offi. deleg., de causis.

Arcas
Mensura terrae est, et est vulgare Anglorum.

Distulerit
Et patronus cum eo.

Cogi debent
Si partem fabricae recipiant, arg. 10. q. 1, decrevimus; et 10. q. 3, unio. Immo certe et sine illa si possunt, ut colligitur supra, de his quae fi. a maior. par. cap., ex parte; et arg. 12. q. 3, pontifices; et supra, de testamen., cum in officiis; et supra, de eccl. aedif., quicumque, ubi de hoc.

Exemplo
Qui alium invitat ad aliquid faciendum, in se debet habere quod praedicat, 26. dist., una tantum; et 25. dist., primum; et ff. de negot. gest., si pupilli § ulti.; et ff. de fideiussor., tutor; ff. si serv. vend., altius; et 61. dist., miramur; 42. dist. § 1; et 47. dist., sicut § necesse.

X 3.48.05 *Ad audientiam*

Indulgemus
Sed quid valet ista indulgentia, cum hoc non possit sine licentia diocesani, quia et hoc idem poterat, si tantum licentiam episcopi habuisset? Quantum ad hoc parum valet, nisi quia episcopus citius movebitur ad consentiendum. Et si non consentiret, facilius compelleretur, arg. supra, de iure patron., nullus. Sed in hoc prodest, quia hoc facere poterit clericis invitis, dummodo aeque ibi vel alibi provideat eis, alias eis invitis hoc facere non posset. Similis indulgentia est supra, de auctor. et usu pal., ex tuarum. Et est optimum argumentum quod Papa non intendit alicui facere praeiudicium per suum privilegium. De hoc nota plura argumenta supra, de eccl. aedif., cum dicat.

Ibi
Sed hoc videtur contra ius, quia homines diversae professionis in eodem officio non debent associari, 16. q. 7, in nova; et supra, de elect., cum causam; arg. supra, de postuland., clerici, in fi. In potestate episcopi erit an velit eis providere ibi vel alibi, sed honestius est, ut eis alibi provideat. Arg. est hic quod aliquis punitur sine culpa, quod esse non debet, 56. dist., satis perversum; et 16. q. 7, inventum. Et hoc quidem regulare est, sed hoc facit Papa ex speciali indulgentia, ut removeantur favore religionis. Et est summa ratio quae pro religione facit, ff. de rel. et sump. fun., sunt personae. Propter quam multa fiunt quae alias non fierent, infra, de apostat., ex litterarum; et supra, de fil. presbyt., ut filii.

Non possumus
Sic ergo patet quod rei quod non est, non datur privilegium. Non enim ante ratio quaerenda est quam persona, ff. de iure cod., quidam referunt; et ff. comm. praed., aedificia; et infra, de despon. impub., ad dissolvendum. Sic rescriptum non datur ad lites quae nondum sunt, supra, de rescript., quia nonnulli, ubi plures concordantiae sunt ad hoc. Arg. contra ff. de servitu. urb. praed., si servitus § futuro. Solve istud contrarium cum suis concordantiis, et dic quod futuro aedificio non potest servitus constitui, ut statim sit servitus, quia non est cui serviat, sed aliquis potest obligari ad eam constituendam cum fuerit aedificium, arg. ff. fam. ercis., heredes § an ea stipulatio.

X 3.48.06 *Tua nos*

Non alienandis
Simile 28. dist., de Syracusanae, 10. q. 3, illud magnitudinem; et supra, de rebus ecc. non alien., ut super. Sic et rex in sua coronatione iurat regni sui iura illibita conservare, supra, de iureiur., intellecto.

Destitui videatur
Trepidavit ubi non fuit timor. In hoc facto videbatur praeiudicium fieri ecclesiae suae, quia parochiani illi veniebant forte ad ecclesiam suam. Ber.

Iuramenti
Iuramentum enim non extendebatur ad hunc casum, licet illi essent parochiani sui, ex quo populus indigebat. Arg. supra, de consti., cum M; et supra, de eccl. aedif., ad audientiam 1. Nec poterat illud servare iuramentum sine periculo animarum propter carentiam sacerdotum. Unde si propter episcopi negligentiam aliqui perirent, imputaretur ipsi, 26. q. 6, si presbyter; et 26. q. 6, agnovimus.

Indigenti
Ecce causa quare nova potest constitui ecclesia in praeiudicium etiam alterius. Sic supra, de eccl. aedif., ad audientiam 1; 16. q. 1, praecipimus; et 16. q. 7, ecclesias.

X 3.49 DE IMMUNITATE ECCLESIARUM COEMITERII ET RERUM AD EAS PERTINENTIUM

X 3.49.01 *Ut in domibus*

Ut in domibus
Supple statuimus.

Missus
Id est, executor vel officialis. Vulgare est Italiae.

Placitum
Et ita placita saecularia non sunt in ecclesia tractanda sed ecclesiastica. Sic 2. q. 8, per scripta.

Hospitium
C. de episc. et cler., iuxta sanctionem, in fi. Quod quasi debitum non debent habere, sed caritativum hospitium petere possunt a clericis ad quod tenentur, 42. dist. § 1; et supra, de supp. neg. prael., sicut; et supra, de praeben., de monachis.

X 3.49.02 *Pervenit*

Nullum
De hominibus ecclesiae.

Aut alio modo
Id est, sub hoc praetextu excusari quod sit homo ecclesiae nostrae vel suae.

Omnes
Nisi sint senes, ut eo praetextu excusentur, C. de decur., leges, lib. 10; et 12. q. 2, ecclesiarum servos, contra. Sed hoc est speciale. Ber.

Vigilantibus
Vicissim et successive, vel etiam simul si periculum imminet, quia expedit reipublicae plures habere defensores, ff. de novi operis nunc., nam reipublicae. Vincen.

X 3.49.03 *Indicatum est*

Rustici ecclesiae
De illis intellige qui glebae sunt astricti, ut recedere non possint, C. de agric. et cens., cum satis omnino, lib. 11. De quibus habes infra, de Iudae. et Sarrac., multorum § 1.

X 3.49.04 *Non minus*

Non habebat
Et ideo minus peccavit. Unde Apostolus: misericordiam merui, quia ignorans feci, 8. dist., consuetudo. Sed isti excusationem hanc habere non possunt.

Subactis
Id est, redactis.

Angariis
Angariae dicuntur personalia obsequia propriis sumptibus praestita, parangariae ubi persona servit sumptibus alienis.

Sub tributo
Arg. quod sacerdotes et clerici debent esse immunes ab omni exactione saeculari, 23. q. 8, convenior; et 23. q. 8, tributum § quamvis; C. de sacro. eccl., ad instructiones; et C. de sacro. eccl., placet; et. 11. q. 1, si tributum; et 16. q. 1, generaliter § novarum; et 11. q. 1, sacerdotibus. Arg. contra 23. q. 8, tributum; et 11. q. 1, magnum; supra, de censib., sancitum, in fi.; C. de episc. et cler., de his; ff. de publican., imperatores. Solutio: quae usibus ecclesiasticis deputantur quo ad fundationem ecclesiarum et coemiterium et domos et hortos iuxta positos, immunia debent esse ab omni exactione. Caetera autem transeunt cum suo onere ad ecclesiam, arg. supra, de censib., sancitum, ubi de hoc.

Tantam necessitatem
Et ita ex arbitrio episcopi dependet inspicere hanc necessitatem, tamen aliquid conferre non debent, nisi super hoc prius Romanus Pontifex consulatur, infra, de immun. eccl., adversus, 1. resp., in fi.

X 3.49.05 Cum ecclesia (rev. 9/23)

Relevandas

Conferre enim debent sicut et alii possessores ad iter faciendum vel pontem aedificandum vel reficiendum, in Auth. de eccl. titul. § ad hoc, coll. 9; C. de sacro. eccl., ad instructiones.

Commoniti

Admonitio enim semper praecedere debet vindictam, 12. q. 2, indigne. Et nisi se correxerint post admonitionem, sunt ipso iure excommunicati, ut hic dicit, et fautores ipsorum et successores ipsorum si non satisfecerint infra mensem, infra, de immun. eccl., adversus § ulti. Ber.

X 3.49.05 *Cum ecclesia*

Cum ecclesia

Hic ergo propter reverentiam loci non tractantur causae saecularium in ecclesia, supra, de immun. eccl., ut in domibus. Sic et alibi expelluntur de ecclesia, 2. q. 7, accusatio. Alibi habes de reverentia diei in quo causae etiam ex consensu partium tractari non possunt, 15. q. 4, nullus episcoporum; C. de feri., omnes dies; et melius supra, de fer., conquestus.

Effusione

Maxime, quia nec aliae civiles causae, supra, de immun. eccl., ut in domibus. Secus de ecclesiasticis, 2. q. 2, praeceptum; et arg. supra, de appell., qua fronte. Quid ergo si alteri parti vel utrique esset interdictus ingressus ecclesiae? Respondet nihilominus possunt intrare, quia interdictum non extenditur ad hunc casum. Arg. quod etiam post votum vel iuramentum de carne non comedenda comedere debet, ut se purget si esset suspectus, 30. dist., si quis presbyter; arg. supra, de consti., cum M; et supra, de eccl. aedif., tua. Vel tunc causae tractantur extra ecclesiam, ut illic servetur interdictum, quia nihilominus valeat iudicium, nec est praeceptum ita quod non possit alibi tractari quam in ecclesia. Sed de honestate dictum est, ut propter loci reverentiam forte magis caveant a periuriis et mendaciis.

Coemiteriis

Quae eodem privilegio gaudent cum ecclesiis, 17. q. 4, quisquis; et 17. q. 4, id constituimus; et supra, de consecr. eccl. vel alt., consuluisti.

Anathematis

Non credo quod ipso iure sint excommunicati, sed post admonitionem sunt excommunicandi. Ber.

Tutela

Sic confugiens ad ecclesiam tutus debet esse, quia est tutela refugii, ut hic dicit, et infra, de immun. eccl., inter alia; et 17. q. 4, finivit. Ber.

X 3.49.06 *Inter alia*

X 3.49.07 Adversus consules (rev. 9/23)

Canonum

17. q. 4, diffinivit; 17. q. 4, id constituimus; 17. q. 4, reum ad ecclesiam; et 17. q. 4, metuentes.

Legum

C. de his qui ad eccl. confug., praesenti.

Extrahendus

Etiam Iudaeus, dummodo absit simulatio, C. de his qui ad eccl. confug., Iudaei.

Ad poenam

Ab omni genere poenarum interim sunt securi, 17. q. 4, id constituimus.

Puniendus

Pecunialiter dumtaxat vel alia satisfactione praeter poenam corporalem, 17. q. 4, reum; et 17. q. 4, id constituimus.

Nisi publicus latro

Ut 17. q. 4, sicut antiquitus. Lex tamen plures personas excipit, in Auth. de mandat. princip. § quod si deliquentes, coll. 3, vers. neque ubi homicidae, adulteri et raptores virginum extrahuntur ab ecclesia, secundum quod isti de quibus hic dicitur. Sed decretalis tantum duas personas extrahit, ut hic. Et canon expresse praestat immunitatem raptoribus virginum, 36. q. 1, de raptoribus. Et sic in casu isto derogatur illi authenticae per ista iura omnibus aliis immunitatem praestat, nisi in casu infra, de immun. eccl., immunitatem. Publicos enim latrones cuilibet impune occidere licet et sine peccato, 23. q. 5, cum homo; et C. quan. lic. sin iud. uni. vind., liberam. Et tales famosi latrones capti in furto, in furca suspenduntur, ff. de poe., capitalium § famosos. Sed si famosus non est, tunc iubetur castigari, sed nec vitam nec membrum perdit, C. de fug. serv., authen. sed novo. Vincen.

Nocturnus depopulator

De istis duobus habes C. quan. lic. sin iud. uni. vind., liberam, cuius verba haec sunt; et C. quan. lic. sin iud. uni. vind., opprimendorum.

Canonicas

Signitas in principio decretalis.

Compellitur

17. q. 4, metuentes; et 17. q. 4, id constituimus; et C. de his qui ad eccl. confug., si servus.

X 3.49.07 *Adversus consules*

Lateranense concilium

Supra, de immun. eccl., non minus, cuius verba hic inferius ponuntur. Ber.

BOOK III **X 3.49 DE IMMUNITATE ECCLESIARUM COEMITERII ET RERUM AD EAS PERTINENTIUM**

X 3.49.08 Quia plerique (rev. 9/23)

Excommunicationi

Scilicet post admonitionem, supra, de immun. eccl., non minus.

Propter imprudentiam

Ab hoc loco usque ad findem additur praedicto concilio Lateranensi.

Mandato

Simile supra, de procurat., consulti.

Tempore valiturae

Sic ergo patet quod sententia excommunicationis lata nulla est, infra, de haeret., excommunicamus itaque § credentes. Nec etiam convalescere potest, ut hic patet. Immo et si detegatur post sententiam, quia aliquis fuerit publice excommunicatus, retractatur sententia, supra, de re iudic., ad probandum. Quia haec exceptio in qualibet parte litis potest opponi, supra, de except., exceptionem. Immo nec privilegium ipsorum valet, 3. q. 4, nullus.

Infra tempus

Et ita est hic arg. quod iudex post officium depositum conveniri potest. Et hoc ideo quia convenitur de maleficio quod commisit in ipso officio. Secus si conveniretur ex contractu, nam administratores civitatum, et tutores et curatores non coveniuntur post depositum officium ex contractu, quem fecerunt nomine civitatis vel pupilli, ff. de admin. rer., curatores § in eum; et C. de admin. tut., cum quaedam; ff. de evict., illud § 1. Sed ex maleficio convenitur deposito officio, 1. q. 1, iubemus, et legibus sequentibus ad finem quaestionis; et illa lex C. ad leg. Iul. repet., iubemus. Tamen procurator negotiorum bene convenitur deposito officio, ff. de procur., procurator qui pro evictione.

Succesorem

Et ita delictum praedecessoris praeiudicat successori. Sed hoc non est verum, immo est proprium delictum ex quo ipsum non purgat, quia consentit. Et sic incipit esse proprium delictum, unde punitur eadem poena cum praedecessore. Sic supra, ut lite non cont., ad hoc, in fi. Praeterea cum iste generalis successor habeatur, si succedit in vitium, eadem sententia ligatur, ff. de diver. temp. praescr., cum heres. Et vitia a maioribus contracta perdurant, C. de acq. poss., vitia; ff. de acq. poss., Pomponius § 1. Et facto auctoris successio damnatur heredis, 1. q. 1, cito turpem. Tamen iste successor quia prius communicavit ei in crimine, statim fuit excommunicatus post ambitionem, infra, de sent. excom., nuper; et infra, de sent. excom., si concubinae. Sed cum ille iudex non excommunicetur expresso nomine, quare statim non transit ad successorem, supra, de offi. deleg., quoniam abbas; et supra, de offi. ord., pastoralis? Respondetur hoc provenit ex delicto, unde non descendit statim ad alios, 24. q. 3, si heres. Sed datur tempus infra quod purget illud vitium, quo elapso nisi hoc fecerit, praesumitur consentire, 1. q. 1, constat. Quia ex quo succedit in honore, debet succedere in onere, ut dicit in fine. Ber.

X 3.49.08 *Quia plerique*

X 3.49.09 Ecclesiae (rev. 9/23)

Pauperibus

Supra, de censib., procurationes. Contra in fine, ubi dicitur quod illud dari debet ecclesiae a qua illud accepit, et hic datur pauperibus. Solutio: hic ignoratur quantum quilibet contulisset. Et ideo iubetur dari pauperibus, ut dixit Io. Sed haec solutio non est vera, quia sicut restituit sic extorta ultra quam debuit, ita potest eisdem a quibus recepit, tantumdem dare. Et ita non est verum quod dicit Io. quod ignoratur quantum quilibet contulisset, quia inde potest fieri scriptura, et quilibet scit quantum dedit. Unde dicas quod illud capitulum supra, de censib., procurationes, loquitur de alio casu, scilicet cum praelatus visitat ecclesiam sibi subiectam. Si tunc exigit plures procurationes quam sint dies quibus ibi moratur, gravius excedit quam in praesenti casu et plus gravat ecclesiam. Et dicitur tum committere crimen concussionis, unde posset puniri in quaduplum, 18. dist., quoniam quidem, in fi.; et 1. q. 7, sancimus; et 23. q. 1, militare. Quod optime dicit hic, quia tamquam calumniator et concussor talis puniri debet. Sed in hoc capitulo supra, de censib., procurationes, punit illos poena dupli. In casu isto non ita excedit crimen concussionis, quia a nullo exigit ultra quam solvat, sed facta coacervatione plus recipit. Sufficit ergo istis, ut recipiant quod ultra dederunt. Et ille in poenam sui tandumdem solvat pauperibus. Simile infra, de Iudae. et Sarrac., ad liberandam.

X 3.49.09 *Ecclesiae*

Celebrantur

Ex hoc videtur quod si adhuc ibi non sunt divina officia celebrata, nondum gaudeat privilegio illarum in quibus celebrantur divina, quia nondum plene dedicata videtur divinis obsequiis. Unde sacrilegium ibi non diceretur committi, nec debet aspergi propter hoc, quia nullum divinum officium fuit ibi celebratum. Aspergi tamen debet si aliquid turpe ibi factum est antequam ibi celebretur.

Admittitur

Sic ergo patet quod ecclesia non consecrata eodem gaudet privilegio quo et consecrata, ratione divini officii quo ad privilegium immunitatis. Unde si cuiuscumque semine vel sanguine fuerit polluta, debet aqua exorcizata lavari antequam celebretur in ea, supra, de consecr. eccl. vel alt., si ecclesia; et de conse. dist. 1, ecclesia. Et confugientes ad ipsam privilegium immunitatis, ac si consecrata esset, habebunt, supra, de immun. eccl., inter alia, cum suis concordantiis.

Obsequiis divinis dicata

Quicquid enim Domino consecratur, sanctum sanctorum erit Domino, 12. q. 2, nulli licet. Unde ad usus profanos et ad humanos redire non debet, supra, de rerum perm., mancipia; et supra, de relig. dom., ad haec.

X 3.49.10 *Immunitatem*

Sperantes

Nemo enim sub spe veniae peccare debet, infra, de cleri. excom., illud; et de conse. dist. 4, quando quis. Quia facilitas veniae incentivum tribuit delinquendi, 23. q. 4, est iniusta; et supra, de vit. et honest. cler., ut clericorum.

In eo in quo delinquit
Sic supra, de temp. ord., litteras; et supra, de iure patron., pastoralis, cum suis concordantiis.

Frustra legis
Infra, de usur., quia frustra; infra, de sent. excom., in audientia; ff. de minor., auxilium, in fi.

Quo faciunt se indignos
Et merito, quia non iure ad supplicandum debet admitti ubi committere sacrilegium non expavit, 17. q. 4, frater et coepiscopus; et 17. q. 4, ad episcopos, unde sumptum fuit. Idem dicit lex. Quomodo illis qui in ecclesia scelus studuerunt perpetrare, permittimus aliquid auxilium ex terminis ecclesiasticis invenire, in Auth. ut liceat mat. et avi. § quia vero, coll. 8. Et est hoc contra Hug. qui dicit super illo capitulo 17. q. 4, frater et coepiscopus, quod et isti debent habere immunitatis privilegium si confugerint ad ecclesiam. Et nisi satisfecerint, non admittuntur postea ad supplicandum, id est, orandum in ecclesia. Et pro eo est supra, de immun. eccl., inter alia, ubi tantum duae personae excipiuntur, 17. q. 4, sicut antiquitus, ubi canon tantum publicum latronem excipit. Et ita hic contradicit praedictis iuribus proximis et Hug. Dicas quod non contradicunt, quia illa decretalis supra, de immun. eccl., inter alia, et omnia alia iura quae illud dicunt, intelliguntur quando confugientes ad ecclesiam non deliquerunt in ecclesia vel coemiteriis, sed alibi. Unde ecclesia praestat tunc eis immunitatem. Et Hug. male dixit quod isti non habebant immunitatem ab ecclesia, quia reddiderunt se indignos eius praesidio. Et si fuerint stulti in culpa, sint sapientes in poena, 38. dist., qui ea. Sed quare publicus latro et depopulator potius extrahuntur ab ecclesia quam alius malefactor, qui forte est deterior? Quia plurimum interest illos puniri quam alios malefactores, cum pluribus exitia cogitent quam alii, 23. q. 3, est iniusta.

X 3.50 NE CLERICI VEL MONACHI SAECULARIBUS NEGOTIIS SE IMMISCEANT

X 3.50.01 *Multa sunt*

Pauca
Ut eorum exemplo omnia similia caveantur, et exempli causa pauca sunt exprimenda, 25. dist., unum § criminis appellatio; 24. q. 5, de Liguribus; et ff. ad leg. Aquil., ita vulneratus § ulti. Sic quod uni dicitur, omnibus intelligitur esse dictum, 61. dist., miramur; et de poen. dist. 1, nunc autem.

Appetit
32. q. 4, origo.

Munera
14. q. 4, clerici; et 14. q. 4, quicumque; 11. q. 3, non licet; et 18. dist., quoniam quidem.

BOOK III **X 3.50 NE CLERICI VEL MONACHI SAECULARIBUS NEGOTIIS SE IMMISCEANT**

X 3.50.01 Multa sunt (rev. 9/23)

Dare
14. q. 5, non sane.

Conducere
Ad peccandum, quod non licet, 22. q. 4, si ad peccatum. Vel pro saeculari quaestu prohibito clericis, quia nec per se nec per alium licet, 98. dist., negotiatorem; et 98. dist., fornicari.

Lites
11. q. 1, te quidem. Et quia criminibus materiam creare noscuntur, C. de iud., properandum, in princ.

Rixas
46. dist. § 1; et in aliis per totum.

Saecularibus
Supra, de postuland., clerici.

Orphanorum
88. dist., decrevit. Et in aliis pluribus capitulis.

Conductores
Si tamen conductori succedunt, bene possunt in conductione remanere, ff. de decur., decurio, arg.

Procuratores
In negotiis saecularibus, sed pro ecclesiasticis possunt, in Auth. de sanct. episc. § alium, coll. 99; et 21. q. 3, credo; et 21. q. 3, Cyprianus; et infra, ne cler. vel mon. saecul. neg., sacerdotibus.

Ioculatorem
46. dist., clericum scurrilem.

Aleas
35. dist., episcopus; 35. dist., ante omnia; et in Auth. de sanct. episc. § interdicimus, coll. 9; et supra, de vit. et honest. cler., clerici officia.

Ornamentum inconveniens
21. q. 3, credo; et 21. q. 3, placuit; et supra, de vit. et honest. cler., clerici officia.

In deliciis
35. dist., ecclesiae principes.

Pondera
Supra, de empt. et vend., ut mensurae.

BOOK III **X 3.50 NE CLERICI VEL MONACHI SAECULARIBUS NEGOTIIS SE IMMISCEANT**

X 3.50.02 Sacerdotibus (rev. 9/23)

Apostolos
Paulum scilicet, 21. q. 1, clericus, in fi.

Canes
Infra, de cleri. ven., episcopum; et supra, de cleri. ven., omnibus; et 86. dist., qui venatoribus; et 86. dist., Esau; et 86. dist., an putatis.

Nemo militans
21. q. 3, pervenit; 21. q. 3, credo; et 21. q. 3, placuit; et infra, ne cler. vel mon. saecul. neg., sed nec.

X 3.50.02 *Sacerdotibus*

Procuratores
Sic supra, ne cler. vel mon. saecul. neg., non magnopere. Sacris enim Dei sacerdotes vacare oportet assidue, 31. dist., sacerdotibus; et ff. de recepti., non distinguemus § 3.

Ab ecclesia
Quia se fecerunt indignos veniendos contra ipsius prohibitionem, administrationem saecularem recipiendo. Et frustra legis implorat auxilium qui committit in legem. Sic supra, de immun. eccl., immunitatem. Et ex hac littera sumunt quidam arg. quod laicus auctoritate huius canonis possit clericum occasione administrationis capere cessante privilegio clericali. Quod est falsum, quia prohibiti sunt laici clericos avocare a divinis officiis, 21. q. 3, Cyprianus; et 88. dist., neque. Unde si contra fecerint, non debent ex delicto proprio commodum reportare, arg. 16. q. 1, legi; et ff. de donat. inter vir. et uxor., haec ratio § 1; et ff. de regul. iur., non fraudantur § nemo; ff. de fur., itaque fullo § sed nemo. Et unde sunt puniendi, privilegium habere non debent, 24. q. 1, didicimus. Intelligo ergo quod tali clerico non subvenitur ab ecclesia postquam legitime admonitus est, ut hic dicit in principio. Cum pro hoc delicto commonitus tertio, ab ecclesia sit alienus si non desistat, arg. infra, de sent. excom., in audientia. Vel verius non debet ei ecclesia subvenire in fraude commissa in administratione, nec pecunia nec alio auxilio, cum alias ecclesia teneatur clericos defendere ab oppressionibus laicorum.

X 3.50.03 *Non magnopere*

Obtentu
Arg. quod praetextu sive compensatione boni, malum non est faciendum, 1. q. 1, non est putanda; 14. q. 5, forte; et 27. q. 2, si tu abstines; et infra, de usur., super eo; 32. q. 4, sicut sanctius; 22. q. 2, primum; 22. q. 2, ne quis arbitretur. Arg. contra 11. q. 3, quod praedecessor; 33. q. 5, tunc salvabitur; supra, de iureiur., pervenit 2. Solutio: multiplex est recompensatio. Quandoque enim recompensatur minus malum, ut maius evitetur, et haec compensatio penitus inhibetur, 14. dist., quod ait; nisi forte in una et eadem persona, 13. dist., duo mala; et 13. dist., nervi; et 33. q. 2, si quod verius. Quandoque malum compensatur propter sequelam alicuius boni, ut cum quis committit furtum vel rapinam ut pascat pauperes, vel subtrahit debitum uxori causa continentiae, vel facit contra votum vel contra matrimonium, ut aliqua efficiatur Christiana. Omnis talis compensatio

inhibetur, ut in primis concordantiis, et 30. q. 1, nosse; 33. q. 5, si dicas; 32. q. 4, sic non sunt. Quandoque compensatur damnum corporale propter bonum spirituale, et haec compensatio prohibetur, 55. dist., si evangelica. Quandoque compensatur damnum corporale propter bonum corporale, ut cum femina amittit florem virginitatis, videlicet ut ei recompensetur in fructu sobolis. Hoc non reprobatur, sed laudatur, ut 33. q. 5, tunc salvabitur. Quandoque relaxatio iuris ecclesiastici recompensatur per acquisitionem aliquorum, et hoc similiter admittitur 23. q. 4, ipsa pietas, vers. item si inquiunt Donatistae. Quandoque illicita communio alicuius recompensatur per acquisitionem plurium, 2. q. 1, multi; 11. q. 3, antecessor; et 11. q. 3, quod praedecessor. Vel potest dici quod primum verum est. Secundum sic exponitur, sub compensatione boni malum non est faciendum, id est, illud quod est de genere mali quod alias esset malum, nisi canonis auctoritate excusaretur, ut patet per contraria signata.

Infra duorum
Verba ista habebis infra, ne cler. vel mon. saecul. neg., super specula, ubi de hoc.

Misericordia
Nota quod abbates vel episcopi cum talibus dispensare non possunt. Arg. contra infra, de sent. excom., cum illorum, in fi. Sed hoc ad terrorem aliorum et cautelam statutum fuit, vel quo ad dignitates hoc intelligitur. Ber.

X 3.50.04 *Sed nec procurationes*

Villarum
16. q. 1, de praesentium; 21. q. 3, pervenit; 21. q. 3, credo; 21. q. 3, placuit; et supra, ne cler. vel mon. saecul. neg., multa; et supra, ne cler. vel mon. saecul. neg., sacerdotibus; et supra, ne cler. vel mon. saecul. neg., non magnopere, cum concordantiis ibi positis.

Nemo
Supra, ne cler. vel mon. saecul. neg., multa; et supra, ne cler. vel mon. saecul. neg., sacerdotibus; et supra, ne cler. vel mon. saecul. neg., non magnopere.

Districtius
Arg. quod dignitas personae aggravat peccatum, 32. q. 5, qui viderit; supra, de iureiur., cum quidam, ubi de hoc; et 40. dist., homo Christianus; et 25. q. 1, nulli fas.

X 3.50.05 *Clericis*

Concilio Toletano
23. q. 8, his a quibus; infra, ne cler. vel mon. saecul. neg., sententiam; infra, de rapt., in archiepiscopatu; et 24. q. 3, illud sane.

Aut iudicent
Per se quidem iudicare non debet praelatus aut clericus quicumque qui habet iurisdictionem vel ipsemet inferre, vel consilium dare aut sententiam dictare nec etiam interesse, infra, ne cler. vel mon. saecul. neg., sententiam. Quia efficeretur irregularis et

deponeretur, infra, de excess. praelat., ex litteris, et hic. Debet ergo praelatus habens iurisdictionem temporalem committere generaliter alicui laico, ut faciat de omnibus malefactoribus vindictam iuxta illud: homicidas et maleficos non patiaris vivere, 23. q. 5, rex debet; 23. q. 5, si homicidium; 23. q. 5, qui malos. Quoniam multa licent in genere, quae non licent in specie, supra, de offi. ord., si sacerdos; 8. q. 1, quid autem; de conse. dist. 2, non prohibeat. Et si ex mandato generali aliquos interficiat, non imputaretur ei, 23. q. 5, de occidendis, arg. 2. q. 8, hortatu; et 2. q. 8, omni tempore. Sed quid si ad eum appellaretur qui delegavit? Iterum deleget alii, quia per se hoc facere non debet, ut hic dicit, et 23. q. 8, his a quibus; infra, ne cler. vel mon. saecul. neg., sententiam.

Praepositi saecularis
Supra, ne cler. vel mon. saecul. neg., sed nec; et supra, de vit. et honest. cler., clerici officia.

Excommunicationi subiaceat
Et sic videtur quod sit canon latae sententiae, supra, de immun. eccl., non minus.

X 3.50.06 *Secundum instituta*

Causa lucri
Sed causa necessitatis possunt, supra, ne cler. vel mon. saecul. neg., multa, ad fi.

Firmas
Quia suspicionem habet cupiditatis, et quasi negotiatio est, arg. supra, ne cler. vel mon. saecul. neg., multa. Hoc intellige suo nomine, ut hic dicit, sed nomine monasterii causa necessitatis licitum est, supra, ne cler. vel mon. saecul. neg., multa, in fi.

Neque laici
Nullam dispositionem de rebus ecclesiasticis laici habere debent, supra, de aetat. et qualit., ex ratione. Quos obsequendi manet necessitas, non auctoritas imperandi, 16. q. 7, non placuit; et 16. q. 7, laicis; et supra, de consti., ecclesia, ubi de hoc; et supra, de rebus ecc. non alien., cum laicis.

X 3.50.07 *Relatum*

Appellatione remota
Maxime quia idem etiam si non apponatur, quia in huiusmodi correctionibus non admittitur appellatio, supra, de appell., reprehensibilis; et supra, de appell., cum speciali, in fi.; et supra, de appell., ad nostram. Ber.

Eis eiectis
In poenam illorum. Episcopus illud auctoritate sua facere posset, arg. 16. q. 6, de lapsis; 18. q. 2, abbates. Sed si non delinquunt, eos expellere non potest, 16. q. 7, inventum; 56. dist., satis perversum. Nec etiam arctiorem regulam potest eis imponere, arg. 32. q. 1, integritas; supra, de eccl. aedif., ad audientiam 2. Item dicitur hic quod universitas

delinquere potest, arg. 25. q. 2, ita nos; et 7. q. 1, sicut vir; et ff. quod metus cau., metum § animadvertendum.

Inducas
Sed qualiter ibi erunt? Refert qualiter introducantur et qualiter expulsi sint, an in perpetuum an ad tempus donec illi corrigantur et revertantur, arg. infra, de divort., gaudemus; C. de poe., servus; 81. dist., dictum, et hic in fine dicitur.

Impiorum
23. q. 7, quicumque; et 23. q. 7, si de rebus.

X 3.50.08 *Sicut te accepimus*

Clericis in sacris
Sed quare isti prohibentur exercere officium tabellionatus, dum tamen abstineant a saevis scripturis sive sententiis? Dicas quod isti passim utebantur officio illo in omnibus causis in quocumque foro, ut habetur in integra. Vel verior est illa ratio, officium illud extraneum est ab officio clericorum saltem in ordine sacro, 20. q. 3, eos, quia genus negotiationis est etiam abstinendo a criminalibus, maxime si competentia beneficia habent, arg. supra, de postuland., clerici. Sed numquid in causa ecclesiastica sive spirituali coram ecclesiastico iudice possunt esse tabelliones? Videtur quod non, quia simpliciter prohibentur, unde generaliter intelligendum est, arg. 19. dist., si Romanorum; et infra, de privileg., quia circa; ff. de servitu. urb. praed., si servitus. Arg. contra supra, de probat., quoniam; 27. q. 2, multorum.

X 3.50.09 *Sententiam sanguinis*

Sanguinis
Episcopi non possunt sententias sanguinis ferre, infra, de excess. praelat., ex litteris; et supra, ne cler. vel mon. saecul. neg., clericis, ubi de hoc. Nec dare consilium, nec interesse, nec dictare, nec scribere sententiam, ut hic dicit, et 23. q. 4, illud. Sed aliis debent vices suas committere, ut dictum est supra, ne cler. vel mon. saecul. neg., clericis; et arg. praedictae decretalis 23. q. 4, illud; et 2. q. 7, sicut. Licet secundum leges non possit delegare nisi cum iudex necessariam habeat causam proficiscendi, ff. de off. eius cui man. est iur., quaecumque. Sed si interest tantum, numquid propter hoc efficitur irregularis, ut propter hoc deponatur? Non videtur quod debeat deponi. Sed alias debet puniri, quia interfuit contra praeceptum huius canonis.

Principum
Supra, ne cler. vel mon. saecul. neg., clericis; et supra, ne cler. vel mon. saecul. neg., sed nec. Ber.

Adustionem
Ex hoc videtur quod ecclesia poenam adustionis infligere non debet, et sic est contra illud infra, de crim. falsi, ad audientiam, ubi dicitur quod nota cum ferro candenti ponitur in fronte. Sed illud intelligitur ita quod ad effusionem sanguinis non procedat.

BOOK III **X 3.50 NE CLERICI VEL MONACHI SAECULARIBUS NEGOTIIS SE IMMISCEANT**

X 3.50.10 Super specula (rev. 9/23)

Monomachiis
Id est, de pugnis singularibus. Dicitur enim monomachia a monos, quod est unum, et machia, pugna, quasi pugna unius contra alterum.

X 3.50.10 *Super specula*

Leges vel physicam
C. de episc. et cler., repetita; et C. de episc. et cler., parabolani.

Duorum mensium spatium
A tempore scientiae huiusmodi constitutionis sive publicationis connumerandum. Et nisi destiterint, ipso iure sententiam excommunicationis incurrunt, ut infra sequitur. Verba ista quae hic ponuntur usque ibi, verum quia, sunt Turonensis concilii, supra, ne cler. vel mon. saecul. neg., non magnopere.

Audiantur
Tamquam ipso iure excommunicati, alias etiam monachi et canonici regulares ab advocatione repelluntur, supra, de postul. praelat., gratum; et 16. q. 1, alia; et 16. q. 1, placuit; et 16. q. 1, monachi; et 16. q. 1, de praesentium; et 15. q. 2, observandum, in fi. Nisi pro utilitate ecclesiae suae abbate nihilominus imperante, ut in praedicto capitulo 16. q. 1, monachi.

Amittant
Dic ut supra, ne cler. vel mon. saecul. neg., non magnopere.

Facto
Sic ipso facto negamus Deum, 22. q. 5, cavete. Et ipso facto amittit quis privilegium suum. Sic supra, de vit. et honest. cler., ex litteris, ubi plures concordantiae de hoc.

Praedictis poenis
Scilicet quod promoveri non possunt sine dispensatione Apostolicae sedis et aliis superius positis.

Bellatorum
Id est, praedicatorum, qui possunt haereticis resistere auctoritate divinae scripturae, qui contra nos surgunt et ex adverso impugnant nos, quos praelati ecclesiarum de sua diocesi expellere tenentur in tantum, quod si negligentes extiterint, ab administratione removeantur, infra, de haeret., excommunicamus itaque, in fi.

Presbyteros
Ad omnes praedictas personas poena ista extenditur, etiam si huiusmodi personatus curam animarum non habeat, quia idem iudicium est de personatibus curam animarum non habentibus, sicuti de beneficiis curam animarum habentibus annexam, supra, de elect., dudum ecclesia. Et quod habentes curam animarum tenentur, patet quia qui ad curam animarum eligitur, debet primo promoveri ad ordinem sacerdotii. Alias sit in eas

ipso iure privatus, supra, de praeben., extirpandae § qui vero, et in propria persona deservire, nisi in duobus casibus, ut ibi dicitur. Et idem iudicium de personatibus et de habentibus curam animarum est habendum, ut in praedicta decretali supra, de elect., dudum ecclesia; et supra, de praeben., de multa. Maior enim ratio est de habentibus curam animarum quam de personatibus non habentibus curam animarum. Credo quod nullus archidiaconus, decanus, plebanus, praepositus, cantor, et nulli qui habent personatus et qui habent curam animarum possint audire leges vel physicam propter poenam istius constitutionis, nulla facta distinctione ex quo tales sunt, nisi aliam interpretationem super hoc viderent, quia Papa nullam adhibuit interpretationem, ergo nec nos adhibere debemus, 2. q. 5, consuluisti; et supra, de translat., inter corporalia. Sufficit enim quod ita scriptum est, ut 6. q. 3, scriptum est; et ff. qui et a quib. man. lib., prospexit.

Ab his
Scilicet legibus vel physica, de quibus praemissum est supra. Ber.

Spatium praescriptum
Duorum mensium connumerandorum a tempore publicationis huius constitutionis, quia ante publicationem nemo tenetur, supra, de consti., cognoscentes. Ex quo enim constitutio publice promulgata est et publicata, quilibet tenetur ad eius observantiam post duos menses, in Auth. ut fact. novae const., circa princ., coll. 5; 16. dist., quod dicitis; supra, de postul. praelat., ad haec; sed ante non, arg. 32. q. 4, dixit Sara.; 82. dist., proposuisti. Sed cum ista constitutio sit iam diu publicata, nullus habet excusationem. Sed numquid episcopi possunt tales absolvere? Credo quod sic, quia conditor huius constitutionis non retinuit sibi absolutionem, et ideo aliis relicta videtur, infra, de sent. excom., nuper; infra, de crim. falsi, dura; et supra, de praeben., de multa, in fi.

Hoc extendi
Scilicet praemissas poenas de quibus superius facta mentio est, scilicet quod sint excommunicati et in nulla causa patrocinium praestantes audiantur. Et ita videtur quod isti spem promotionis amittunt, nisi cum eis per sedem Apostolicam fuerit dispensatum, sicut dicitur supra de monachis, quia pronomen hoc ostendit omnes poenas supradictas. Sed hoc non credo quod isti propter hoc sine dispensatione domini Papae promoveri non possint, et quod dicit, hoc extendi etc., respicit tantum quod dixit supra excommunicati, et quod in nulla causa eorum patrocinium admittatur, quia si hoc voluisset, hoc dixisset de istis quod dixit de illis, arg. supra, de translat., inter corporalia; supra, de decim., ad audientiam. Et poenae non sunt ampliandae sive odia, sed potius restringendae, de poen. dist. 1, poenae; ff. de lib. et post., cum quidam; ff. de hered. instit., qui testatur § ulti. Et illa clausula, nisi forte ex misericordia etc., respicit tantum praecedentia et non subsequentia, arg. supra, de appell., inquisitioni. Tutius est dicere quod incurrat omnes poenas praedictas, cum littera hoc expresse dicat, dum dicit hoc extendi etc., et supra dum dicit praedictis poenis obnoxii. Ber.

BOOK IV

X 4.01 DE SPONSALIBUS ET MATRIMONIIS

X 4.01.01 *De Francia*

Lege
Id est, consuetudine.

Legibus
Id est consuetudinibus.

Francorum lege
Quam putabat esse de substantia matrimonii, arg. 30. q. 5, aliter, ubi videtur quod matrimonium omissis solemnitatibus non valeat. Sed non est verum, quia illa quae dicuntur in capitulo, 30. q. 5, aliter, potius ad solemnitates referuntur, quae tamen servandae sunt. Sed quamvis non serventur, tenet matrimonium, quia solus consensus facit matrimonium, 27. q. 2, sufficiat.

Dimissaque
Quod facere non debuit auctoritate sua, ut 33. q. 2, saeculares; 35. q. 6, multorum. Etiam si impedimentum manifestum subesset, infra, de divort., porro.

Evangelicae legis
Qua dicitur, nullus dimittat uxorem suam excepta causa fornicationis, 32. q. 1, dixit Dominus; infra, de spons., ex parte.

Poenitentia
Pro eo quod primam dimissit, et secundum duxit.

Coniuge
Scilicet, nomine, non re.

X 4.01.02 *Praeterea*

Sine omni conditione
Per hoc videtur, quod solvi non possit, quia quae sine conditione promittuntur, sine conditione soluuntur, 32. q. 8, non solum; et 22. q. 4, inter caetera.

Inducendi
Et etiam compellendi si iurassent, infra, de spons., ex litteris 2; propter periculum iuramenti. Arg. contra, infra, de spons., requisivit. Sed illud solvitur ibi. Sed contra videtur, infra, de spons., adolescens.

Noluerint
Id est, absolute restiterint.

Deterius
Scilicet, adulterium cum secunda, vel quod eam forte interficeret.

Quam odio
Quia quod quis non diligit, facile contemnit, 20. q. 3, praesens clericus; et 31. q. 2, § 1. Ber.

Societatem
ff. pro soc., verum § ulti.; et ff. pro soc., actione § diximus. Ber.

Interpositione fidei
Sive per iuramentum etiam, quia aequipollent, supra, de fideiuss., pervenit; et 22. q. 5, iuramenti.

In patientia tolerari
Hoc ideo dicit, quia ex quo non est processum ad matrimonium, contraria voluntate accedente, possunt se invicem absolvere, ut videtur. Quia omnis res per quascumque causas nascitur, etc., infra, de reg. iur., omnis; et ff. de regul. iur., nihil tam naturale. Quia in tali casu fide praestita sive iuramento subintelligenda est conditio, scilicet, si in eadem voluntate permanserint, arg. supra, de iureiur., quemadmodum; et 22. q. 2, ne quis arbitretur. Haec fuit opinio Tanc., dicentis quod haec decretalis continebat ius commune. Hug. dicebat, et bene, quod loquitur de comparativa permissione, ut infra, qui cler. vel vov. matr. contr. poss., veniens; quod et mihi videtur, et loquitur dispensative. Et hoc aperte indicant ista verba, hoc possit in patientia tolerari, ne deterius inde contingat. Nam multa per patientiam toleramus, etc., supra, de praeben., cum iamdudum. Alias de iure mero debent compelli, ut fidem sive iuramentum servent. De hoc dicitur infra, de spons., ex litteris 2. Ber.

X 4.01.03 *Iuvenis*

Dubia
Sic ergo patet, quod in dubiis semper certius est tenendum, de poen. dist. 7, si quis positus § item si, ubi dicitur: tene certum, et dimitte incertum; et infra, de homic., ad audientiam; et 14. dist., sicut. Et in re dubia certa non potest ferri sententia, 11. q. 3, grave; et 33. dist., habuisse; et 30. q. 5 § ex praemissis; et Inst. de rerum div. § illud quaesitum; Inst. de action. § curare. Quandoque tamen cum obscura sunt iura partium, certa fertur sententia, supra, de fide instrum., inter dilectos, in fi. Sed non dicitur dubia res ibi, quia actor non probavit clare, et ita pro possessore iudicari debet. Sed quare dicit: in his quae dubia sunt? Quia si ex toto ante septennium ducta fuit, et post septimum annum non consensit, vel ante recessit, res non est dubia, sed certa, quia non impeditur matrimonium cum consanguinea, etiam cum matre, infra, de despon. impub., litteras; et infra, de despon. impub., accessit. Si post septimum annum consensit, sponsalia tenuerunt, et ita non est res dubia, infra, de spons., sponsam; et infra, de despon. impub., continebatur § si vero. Solutio: sic intellige, puella ista post septimum annum non consensit, vel non constabat de consensu, quia statim recessit ab eo, vel mortua est,

verumtamen quia tentavit forsitan quod complere non potuit, praesumitur quod erat doli capax, sive quia malitia supplebat aetatem quo ad sponsalia, sicut supplet malitia quo ad matrimonium, infra, de despon. impub., de illis 2; et infra, de despon. impub., tuae nobis. Unde propter hoc dubium, tum quia hoc plene non constabat, tum etiam propter honestatem ecclesiae non potest habere consobrinam illius, infra, de spons., ad audientiam, arg. Alias non videtur quod posset stare illa littera, si decernimus quod post septem annos consensit, ut dixit Tanc., quia sic non esset res dubia.

Coniunx
Id est, sponsa.

Dividas
Arg. contra, 35. q. 3, extraordinaria. Solutio: ibi extra naturalia eam polluit, et non maritali affectu. Hic vero tentavit in naturalibus et maritali affectu.

X 4.01.04 *Ad audientiam*

Quod si ille
Haec conditio nulla fuit, quia ex quo desponsatur uni fratrum, alius eam habere non potest, 27. q. 2, si quis uxorem; et 27. q. 2, si quis desponsaverit; nisi forte ante septennium contracta essent sponsalia, infra, de despon. impub., litteras; et infra, de despon. impub., accessit; et infra, de despon. impub., duo; cessante eo quod dicitur supra, tit. prox.; 27. q. 2, si quis desponsaverit.

Sponsam fratris
26. dist., una tantum § Ioannes; 27. q. 2, si quis desponsaverit. Arg. contra 8. q. 1, olim; et infra, de divort., Deus. Solutio: illud mysticum fuit et obtinuit in fratre sine sobole defuncto; hodie secus.

Habere non potest
Sed videtur quod haec ratio nulla fuerit, quia inter eos nullum obligatorium vinculum de iure fuit contractum, consanguinitate impediente, quia impossibilium nulla est obligatio, Inst. de inutil. stipul. § si impossibilis; et ff. quae sent. sine appel., Paulus. Sed impossibile est id quod contra bonos mores est, ff. de condi. insti., filiusfamilias; et 22. q. 2, faciat homo. Et eius quod esse non potest, nulla est promissio, Inst. de inutil. stipul. § at si quis; et arg. optimum in decretali Gergorii supra, de pact., pactiones. Ergo hic nulla sponsalia fuerunt, quae sunt promissio futuram nuptiarum, 30. q. 5, nostrates; ff. de sponsal., haec ita. Ergo nulla fuerunt praedicta sponsalia, ergo non praestant impedimentum quo minus illa possit contrahere cum alio fratre, infra, de despon. impub., litteras; et infra, de despon. impub., accessit. Sed contra, matrimonium plerumque attenditur considerato facto, non in re, supra, de bigam., nuper; et C. de adulter., eum qui. Plus enim in talibus consideratur quandoque opinio quam veritas, infra, qui fil. sint legit., cum inter. Quid ergo respondes? Potest dici quod publicae honestatis iustitia impedit, ut supra, de spons., iuvenis; et 27. q. 2, si quis desponsaverit. Ber.

Propositum
Quod illicitum fuit, et ideo non servandum, 22. q. 4, in malis.

Compellas
Arg. quod quis compelli potest ad satisfaciendum de quolibet crimine, 24. q. 3, itaque; et 6. q. 1, illi qui; et 22. q. 1, praedicandum. Et ad ecclesiam pertinet decernere de quolibet peccato, et corripere quemlibet Christianum, supra, de iudic., novit. Ber.

X 4.01.05 *De illis*

Transferentes
Unde non tenetur sequi ipsum vagabandum, ff. de oper. lib., nisi fiat § ex provincia. Et sic de sponsa intelligunt quidam illud capitulum 34. q. 2, si quis. Sed non est verum, immo de uxore iam cognita.

Liberum erit
Post tres annos secundum leges, C. de repud., liberum est. Et hoc intellige de sponsa de futuro, de qua hic loquitur; secus in sponsa de praesenti, infra, de spons., in praesentia; et infra, de secund. nupt., dominus.

Si per eas steterit
Unde in culpa fuerunt, quare imponitur eis poenitentia. Sed per eas stetit, quare dat ecclesia licentiam contrahendi? Resp.: ne deterius inde contingat, scilicet, periculum fornicationis; simile infra, qui cler. vel vov. matr. contr. poss., veniens. Sed si per eas non steterit, quo minus matrimonium complevissent, non imputaretur eis periurium, infra, de spons., sicut, si hoc certum esset. Si vero dubium esset, propter talem dubium imponitur eis poenitentia, saltem ad cautelam. Habes ergo unum casum in quo sponsalia de futuro solvuntur; alium habes supra, de iureiur., quemadmodum. Item si contrahit cum aliqua per verba de praesenti, infra, de spons., si inter; et infra, de sponsa duo., duobus. Ber.

X 4.01.06 *De muliere*

Inter vim et vim
Hoc ideo dicit, quia duplex est vis sive metus qui cadit in constantem virum, et ille metus excusat, nisi postea consentiret, infra, de despon. impub., de illis 2. Et alius est metus vanus sive vis, et illa vis non excusat, infra, de spons., veniens 2; et infra, de spons., consultationi; et supra, de his quae vi met. caus. fi., cum dilectus; et ff. de re iud., si quis ab alio; et ff. quod metus cau., vis autem. Ber.

Certum
Quia nescivit quae violentia fuit illata, unde certum non potuit dare responsum, 11. q. 3, grave; et 30. q. 5 § ex praemissis; et supra, de spons., iuvenis. Unde dicit lex: ut congruum possis habere responsum, insere pacti exemplum, C. de transaction., ut responsum. Poterat tamen si voluisset respondere distinguendo inter vim et vim, ut infra,

de spons., veniens 2; et infra, de spons., consultationi. Et supra, de ordin. ab ep. qui ren. epi., requisivit. Ber.

X 4.01.07 *Ex litteris*

Scientia
Id est, discretione. Nam furiosus contrahere non potest, quia non habet consensum, 32. q. 7, neque furiosus; et infra, de spons., dilectus; nisi per intervalla dilucida laboraret, 7. q. 1, quamvis triste; 3. q. 9, indicas.

Aetate
12 annorum in muliere et 14 annorum in viro, infra, de despon. impub., attestationes; et infra, de despon. impub., continebatur. Vel cum malitia supplet aetatem, infra, de despon. impub., de illis 2; et infra, de despon. impub., tuae nobis.

Intellexerit
Id est, si dicat se non intellexisse sive per se, sive per interpretem, ff. de ver. oblig., stipulatio non potest, in fi.; cum tamen contrarium praesumatur, cum sint eiusdem vulgaris.

Proposuit
Nota secundum canones, si actor tantum dolum adhibet, intelligenda sunt verba, ut reus intelligit, qui non adhibet dolum, 22. q. 5, humanae § item obiicitur; et 22. q. 5, quacumque. Si vero reus tantum, tunc secundum quod actor intellexit, 22. q. 5 § ex his; et 22. q. 5, quacumque; et 22. q. 2, ne quis. Si ergo uterque dolum adhibet, locum habet quod hic dicitur, ut verba prolata in suo proprio sensu intelligantur. Et sic est arg. quod non est recedendum a significatione verborum, nisi cum constat testatorem aliud coluisse, ff. de leg. 3, non aliter; et infra, de verb. sign., intelligentia; arg. de conse. dist. 4, retulerunt; et ff. qui et a quib. man. lib., prospexit. Quia non ex opinionibus singulorum, sed communi usu nomina sunt intelligenda, ff. de supel. leg., Labeo; et supra, de decim., ad audientiam. Arg. contra C. de ver. sig., cum quidam; et de conse. dist. 2, in calice.

Intelligentiam
Huiusmodi ambiguitas verborum quandoque incidit in iudiciis, quandoque in contractibus. In iudiciis circa litis exordium plus creditur actori quam reo, ff. de ver. oblig., inter stipulantem § 1. Postea in confessionibus urgeri debet confitens, ut certum confiteatur, alioquin id accipietur quod magis expedit adversario suo, ff. de confes., certum; ff. de interrog. act., de aetate § nihil. In contractibus et pactis distinguitur, aut certum est quod consenserunt, et tunc valet quod agitur, aut non consenserunt, et tunc non valet quod agitur, ff. de contrah. empt., in venditionibus; et 30. q. 2, ubi. Aut dubitatur quid senserint, et tunc subdistingue, quia aut valet intellectus secundum unam partem, aut secundum utramque. Si secundum unam partem, commodus est id accipi, ut res de qua agitur magis valeat quam pereat, ff. de regul. iur., quotiens idem sermo; et ff. de ver. oblig., quotiens; et supra, de fide instrum., inter dilectos; et infra, de verb. sign., abbate. Si secundum utramque, tunc id quod versimilius est, accipiendum est, ff. de ver. oblig., eum qui calendis. Et quod quandoque consuevit accidere, 28. dist., de Syracusanae. Vel

contra eum fit interpretatio qui pactum apposuit, qui debet legere, id est pactum apertius apponere, ff. de pacti., veteribus. Et secundum promissorem fit interpretatio, quia liberum fuit stipulatori verba late concipere, ff. de ver. oblig., quicquid.

X 4.01.08 *Sponsam*

Nubili
Illud, maxime, ponitur proprie comparative, quia ex quo habet 7 annos, tenent sponsalia, et ita nullus consanguineorum potest eam habere, infra, de despon. impub., litteras; et infra, de despon. impub., accessit. Ergo multo fortius impedit, cum est proxima nubili aetati. Idem videtur si est proxima septennio et doli capax, supra, de spons., iuvenis. Ber.

X 4.01.09 *Ex parte C.*

Pro coniuge teneret
Et sic contractum fuit matrimonium inter eos. Sed numquid per ista verba tantum contrahitur matrimonium: iuro quod de caetero habebo te pro legitima coniuge, et econverso, etc., non videtur; quia ista verba tantum futurum tempus respicere videntur. Haec quaestio ponitur 30. q. 5, si quis divinis. Et dicit Io. quod est matrimonium, secundum quod ex illa novella satis patet, et hic videtur Hug. aliter intelligere illa verba, scilicet, quod post matrimonium contractum de praesenti accedant illa verba, ut notavit ibi. Arg. contra supra, de spons., de illis. Ber.

Eandem
Supple et cum alia contraxit.

Manifesta
Probata scilicet, et sententia subsecuta, quia alias non licet dimittere, 33. q. 2, saeculares; et 33. q. 2 § in hoc; et 35. q. 6, multorum; et infra, de divort., porro.

Continere
Quia non potest cum alia contrahere, 32. q. 1, dixit. Et si cum alia postea fornicaretur, compelleretur redire ad ipsam, non obstante sententia infra, de divort., ex litteris.

Cogatis
Et superinductam, si nollet ab ea recedere, vel si impedimentum praestaret, posset excommunicari, infra, de spons., veniens 1, in fi.

X 4.01.10 *Ex litteris*

Tam patres
Simile 31. q. 3, si qui parentes. Sed videtur quod istud iuramentum non valeat, et sit anceps periurium, cum sit de facto alterius, ff. de act. rerum amot., Marcellus § 1; et ff. de in litem iuran., videamus. Et arg. ad hoc ff. de ver. oblig., stipulatio ista; quia ut ibi dicit, qui alienum factum promittit non obligatur. Tamen hic factum suum potius promiserunt

ut procurarent bona fide, quod filii contraherent, ut eadem lege et in illa stipulatione. Ber.

Quam filii sub iuramento

Isti erant impuberes, unde non tenuit iuramentum, 22. q. 5, parvuli; 22. q. 5, pueri; et 5. q. 3, si aegrotans. Sed illa intelliguntur cum ad testimonium perhibendum inducuntur, sed alias si sint doli capaces, bene tenet iuramentum, infra, de delict. puer., pueris. Hic posuit Laur. talem quaestionem: aliquis iuravit accipere in uxorem una de filiabus Titii, et postmodum dormivit cum una illarum. Quaeritur an praecise debeat compelli eam ducere, cum aliam ducere non possit? Arg. quod sic, ff. de contrah. empt., si in emptione § si emptio; et ff. de solut., Stichum aut Pamphilum. Et ipse se ad hoc arctavit, ff. si quis caut., non exigimus § ulti.; 15. q. 1, si quis insaniens. Immo videtur quod statim sit matrimonium, infra, de cond. appos., de illis; et infra, de spons., is qui. Arg. contra ff. de ritu nupt., generali; et ff. si quis caut., sed et si § quaesitum; et ff. de usufru., quotiens. Quidam dixerunt eum non compellendum, quia invitae nuptiae, etc., 31. q. 2 § quod autem aliqua; 31. q. 2, si verum; et supra, de spons., praeterea 1. Sed contrarium est verum, quod debeat compelli. Sed videtur quod non sit compellendus eam recipere, quia in veritate nec sponsalia praecesserunt, nec matrimonium, quia cum dixit, volo accipere unam de filiabus Titii, nulla cum aliqua illarum sponsalia contracta sunt, quia in personam certam consentire debuit, et incerta sponsalia non sunt sponsalia, 30. q. 5, nostrates. Et arg. ff. de testam. tut., duo sunt Titii. Et si dico, exheredo unum de filiis meis, cum plures habeam, nullus est exheredatus, ff. de lib. et post., nominatim. Et certus debet esse heres, alias non valet testamentum, ff. de hered. instit., in tempus § quotiens; et ff. de manum. test., cum ex pluribus. Dic quod non compellitur ex vi sponsaliorum, sed propter iuramentum forte debet compelli, licet ad illam recipiendam non se obligaverit directe, nisi deterius inde contingeret, ut notatur supra, de spons., praeterea 1; et infra, in glossa quae incipit: arg. contra. Ber.

Eum moneas

Et si non acquieverit, arg. quod admonitio semper debet praecedere vindictam, 12. q. 2, indigne; et infra, de sent. excom., sacro.

Compellas

Arg. contra, infra, de spons., requisivit. Hoc consuevit intelligi pluribus modis, quod hic dicitur de rigore intelligitur, ibi de misericordia, ne deterius inde contingat, arg. supra, de spons., praeterea 1. Vel conditionaliter sunt cogendi, ut de nolentibus fiant volentes, sed non finaliter, 23. q. 6, vides. Sed neutra solutio videtur sufficere, quia iste mortaliter peccat veniendo contra iuramentum. Ergo potest compelli finaliter, 24. q. 3, tam sacerdotes; et 24. q. 3, ecce autem crimina. Sed quomodo potest iste excommunicari, quia nondum venit contra iuramentum? Potest dici quod ille qui iuravit, de iure communi compelli debet ut iuramentum servet, licet nondum sit transgressus. Quia post transgressionem contrahendo cum alia per verba de praesenti non posset ulterius compelli, cum iam fortius vinculum supervenerit, et ecclesia non solum peccata commissa punire debet, ut dicunt iura praedicta, sed etiam committenda prohibere, ut si videat aliquem vicinum praecipitio, vel paratum ad peccandum, 93. dist., diaconi; 23. q. 4, ipsa pietas; et 22. q. 5, hoc videtur. Alioquin consentire videtur, 83. dist., quasi per

totum. Et sic debet ecclesia excommunicare, et facere quod potest, quia excommunicatio est medicinalis, 2. q. 1, multi; et 24. q. 3, corripiantur; et 24. q. 3, notandum. Et hoc solum bene agitur, ut vita hominum corrigatur, 23. q. 5, prodest. Hoc quidem ius commune est, casus tamen potest esse, ubi non compellit finaliter ex causa, ut in capitulo infra, de spons., requisivit. Et causa redditur in littera ipsius capituli requisivit; et supra, de spons., praeterea 1. Ex causa quandoque detrahitur severitati, ut 50. dist., constitueretur. Vel potest exponi littera ipsius capituli infra, de spons., requisivit, potius monenda quam cogenda, id est, prius monenda, et postea cogenda, nisi acquiescat? Et ita non contradicit isto modo, immo concordat cum ista. Tamen si contrahat cum alia, tenet contractus, et absolvetur, nec compellitur finaliter. Ber.

Rationabilis causa
Puta consanguinitas vel affinitas, vel aliquod aliud perpetuum impedimentum.

X 4.01.11 *Non est vobis*

Uxores
Possunt enim filii regis petere uxores suas per interdictum de liberis exhibendis, immo de uxore exhibenda, ff. de liber. exhib., immo; et C. de liber. exhib., si ad instar; et C. de nupt., si invita. Et hoc habet locum cum invita detinetur uxor, sicut hic. Si vero volens, detinetur tunc per officium iudicis vel eipiscopi loci. Cum enim volens detinetur filius, non datur interdictum de liberis exhibendis, nisi inter duos, qui dicunt se esse parentes vel dominos, et controversia esset, ff. de liber. exhib., si filius sua.

Provinciarum
Sic ergo pro delicto unius, tota provincia interdicitur, ut supra, de offi. deleg., sane quia. Ber.

Donec ibi fuerint
Ergo videtur quod postquam inde recesserint, possint celebrare, arg. ff. de postulan., imperator; C. ex quib. caus. infam., et si severior; arg. contra C. ex quib. caus. infam., ad tempus. Dico quod hic est suspensio iuris, et cum temporis diffinitione, et ideo tempore elapso non indiget absolutione, et ita illis recedentibus celebrabunt; simile 81. dist., si qui sunt presbyteri. Vincen. Sed numquid tunc possunt celebrare submissa voce, et ianuis clausis? Non, nisi essent privilegiati, infra, de privileg., quod nonnullis; vel nisi esset episcopus, infra, de privileg., quod nonnullis. Et singulariter in conventualibus ecclesiis bini, et bini possunt dicere horas suas, ut legere videantur potius quam cantare, infra, de poenit. et remiss., quod in te. Ber.

Baptismum parvulorum
Ista duo sacramenta semper excipiuntur de quolibet interdicto, quia sunt necessitatis, 1. q. 1, remissionem § sed notandum est; et 1. q. 1, si quis haereticae § ecce si clericus; et melius, 32. dist., praeter § verum. Unde etiam in necessitate possunt recipi ab haeretico, 24. q. 1, si quem forte; secus de aliis, 24. q. 1, coepit.

Poenitentias morientium
Et praeter communionem, quae viaticum appellatur, infra, de poenit. et remiss., quod in te. Et etiam suscipientibus signum crucis, et peregrinis poenitentia conceditur, ut in capitulo infra, de poenit. et remiss., quod in te. Ber.

X 4.01.12 *Praeterea*

Publice confiteri
Quid si publice confitetur? Duplici ratione non debet ei credi. Primo quia unius confessio in alieno facto nulla est, 4. q. 4, placuit § item in criminalis, vers. item unius testimonium; et supra, de testib., veniens 1. Secundo quia turpitudinem suam confitetur, supra, de dona., inter dilectos; 14. q. 5, non sane; et infra, de eo qui dux. in matr. quam pol. per adult., propositum. Sed consanguineo revelare tenetur, 35. q. 3, si homo.

Nisi iuramentum
Et ita si iuramentum intervenit, non debet matrimonium prohiberi propter confessionem illius secretam, nisi aliter probaretur, nam si legitima affinitas probaretur, impediretur matrimonium non obstante iuramento illo, quod habuit conditionem annexam, scilicet, nisi iusta caus prohibeat, supra, de iureiur., quemadmodum. Immo iam contractum separaretur, infra, de eo qui cog. consang., de illo. Si vero iuramentum non intervenisset, ad testimonium unius, sive ad famam impediretur matrimonium contrahendum, supra, de testib., super eo 2 § 1; et infra, de cons. et affin., super eo; et hic.

X 4.01.13 *Veniens ad Apostolicam*

Reclamantem
Ergo non fuit matrimonium, 31. q. 2, si verum; et 31. q. 2, tua; et infra, de spons., cum locum.

Cognosci permisit
Quod si fecessit, amplius reclamare non posset, infra, de eo qui dux. in matr. quam pol. per adult., propositum; et infra, qui matrim. acc. poss., insuper.

Inter eos
Scilicet, ipsam mulierem et primum virum.

Separavit
35. q. 3, progeniem; et 35. q. 3, contradicimus.

Tractaretur
Cum secundo, vel potius cum primo. Ber.

Nupsit
Quod fieri non debuit lite pendente, ut arg. infra, de sponsa duo., tua fraternitas. De hoc habes supra, de spons., cum in Apostolica.

Decessit
Maxime quia idem esset si viveret, quia si invita tradita ei fuit, nullum fuit matrimonium, infra, de spons., cum locum.

Recipiat
Ergo propter solum scandalum non separetur matrimonium, quia iudicium ecclesiae non expectavit, infra, de spons., cum in Apostolica; et infra, de matr. contrac. con. int., litterae; et infra, de matr. contrac. con. int., ex litteris. Et est hic arg. quod non praestat impedimentum, quod de iure non sortitur effectum, supra, de iure patron., illud, cum suis concordantiis.

Restiterint
Omnes impedimentes iurisdictionem iudicis possunt excommunicari, supra, de offi. deleg., quia quaesitum; et supra, de testib., tam litteris. Ber.

X 4.01.14 *Cum locum*

Metus
Qui possit cadere in constantem virum, infra, de spons., veniens 2; et infra, de spons., consultationi, in fi.; et ff. quod metus cau., metum. Minor tamen metus magis excusat feminam quam virum, arg. 32. q. 6, indignantur; et arg. infra, de homic., sicut dignum, 1. resp.

Solo consensu
27. q. 2, sufficiat. Et ita omnia quae dicuntur 30. q. 5, aliter; et 30. q. 5, nostrates. Referuntur tantum ad solemnitatem.

De ipso
Scilicet, consensu. Ber.

Plena debet
Ille vel illa, qui in alium, vel aliam consentire debet.

Indagandus
Id est, inquirendus ad consentiendum.

Provenire
Quia quod quis non diligit, facile contemnit, 20. q. 3, praesens; et supra, de spons., praeterea 1; et infra, de spons., requisivit; et 21. q. 2 § quod autem.

Nihil eam timere
Est ergo hic arg. quod ad officium iudicis pertinet, locum securum assignare partibus, et honestum, 3. q. 9, hortamur; et 33. q. 2, sive; et ff. de recepti., si cum dies § si arbiter. Alioquin potest appellari si requisitus iudex hoc non fecerit, supra, ut lite non cont., accedens 2; et supra, de appell., ex parte 1.

Donec
Id est, quousque constet de matrimonio iustius puellae inter eos qui illam petunt, et cui ipsa consenserit. Sic stabit quasi in sequestro in loco tuto. Ista puella timebat sibi inferri violentiam a quibusdam nobilibus civibus Papiensibus. Et ideo ne raperetur ab illis, ponitur in loco securo, postquam constiterit cui consenserit, tradetur ei, ut hic in fi.

X 4.01.15 *Veniens ad nos*

Recepit
Ut concubinam.

Praestitit
Post prolem susceptam, et sic sponsalia de futura contracta fuerunt. Unde si postea antequam contraheret cum alia, illam cognovit, indictum fuit matrimonium praesumptum, contra quam praesumptionem probatio in contrarium non admittitur, infra, de spons., is qui; et infra, de cond. appos., de illis. Ber.

Pernoctaverit
Pernoctare, totam noctem significavit, ff. de ver. sig., Urbana § pernoctare. Sic infra, de accusat., si constiterit. Tanc.

Post fidem praestitam cognoverit
Quod si est ita, matrimonium est inter eos, ut dixi, quamvis non credebat tali tacito consensu contrahere. Veluti si quis se filiumfamilias existimaverit, cum sit paterfamilias, poterit acquirere hereditatem, ff. de condi. et demon., multum interest.

In virum constantem
Quia tunc nullum fuit matrimonium, infra, de spons., consultationi; quia libertatem debet habere qui consentit, supra, de spons., cum locum. Quis metus excuset et quis non, dictum est supra, de his quae vi met. caus. fi., cum dilectus; et supra, de his quae vi met. caus. fi., abbas.

Ut uxori
Quia fortius vinculum superveniens praeiudicat primo, infra, de sponsa duo., duobus; sicut matrimonium adoptioni, ff. de ritu nupt., non solum § 2. Et est hic arg. quod licet culpa mea inciderim in metum, nihilominus excusor propter metum, arg. ff. quod metus cau., nec timorem; cum lege sequenti, ff. quod metus cau., isti quidem. Arg. contra ff. quod metus cau., si mulier. Ber.

X 4.01.16 *Commisum*

Lege
19. q. 2, duae sunt; et supra, de regular., licet; et supra, de renunciat., nisi § sed dices.

Tutius
Sed contra videtur quia dicitur, qui se dat nuptui bene facit, qui se non dat nuptui melius facit, ut 27. q. 1, nuptiarum. Et utrumque expedit, sed unum plus, alterum minus, 28. q. 1, sic enim neque, vers. ideo. Et sic tutius esse non contrahere, saltem propter pronitatem exigendi postea debitum. Non contradicit, quia hoc faciendo potest utrumque servare, et iuramentum et propositum suum, et ideo dicit, tutius. Vel dic, tutius, saltem quo ad opinionem, ne de facto dicatur iste venire contra iuramentum. Praeterea non videtur infringere iuramentum, qui illud in melius commutat, supra, de iureiur., pervenit 2; supra, de voto et vot. redem., scripturae. Et ille intrando religionem servat iuramentum, et ita tutius est con contrahere. Et qui bona agunt, si meliora deliberata non faciunt, ceciderunt in conspectu Dei, 17. q. 1, qui bona. Et si contrahat, videtur facere contra conscientiam, et sic peccat. Ergo non est tutius, 28. q. 1, omnes § ex his. Sed dicas, iste nullum votum emisit, sed ad votum suspirat, unde non debet dici voti transgressor, etiam si non intret religionem, si amplius non processit, supra, de voto et vot. redem., litteraturam. Et non facit contra propositum suum, quia licet gerat in corde virginitatem, consentire potest in matrimonium, 27. q. 2, Beata Maria. Potest ergo servare utrumque, ut dixi, si vult; tamen sine peccato potest intrare religionem, et non contrahere. Ber.

X 4.01.17 *Requisivit*

Cum libera
Supra, de spons., cum locum. Et arg. supra, de procurat., accedens; et supra, de spons., praeterea 1; et 31. q. 2, quod autem; et 31. q. 2, si verum; et 31. q. 2, de neptis; 20. q. 3, praesens. Sed numquid erit minus libera, si compellatur ex post facto, ad quod iureiurando se astrinxerit? Videtur quod non, quia nec invitus crescere ad ordines dicitur, qui propter iam susceptum beneficium ad ordines urgetur, 60. dist., innovamus; et supra, de aetat. et qualit., ut abbates; et supra, de aetat. et qualit., quaeris; cum sponte susceperit beneficium. Et non dicitur invitus qui propter voluntariam promissionem urgetur ad promissionem urgetur ad promisi solutionem, 12. q. 2, quicumque 2. Item propter delictum praecedens quandoque quis compellitur ad matrimonium, infra, de eo qui dux. in matr. quam pol. per adult., propositum. Et ita videtur quod ista compellenda sit. Simile supra, de spons., ex litteris 2; arg. 22. q. 4, inter caetera. Sed littera ista contradicit potius monenda quam cogenda. Sed expone: potius monenda, id est, prius monenda, et postea cogenda propter iuramentum suum. Similis expositio 23. q. 4, non invenitur, in fi. Dic super hoc quod dixi supra, de spons., ex litteris 2. Ber.

X 4.01.18 *Cum in Apostolica*

Suggesta
Numquid debuit ei credi? Non absque litteris iudicis, 8. q. 5, quilibet; simile 8. q. 4, nonne; C. de mand. princ., si quis. Quare ergo excusatur mulier, cum lite pendente nihil debeat innovari, supra, ut lite penden., a memoria? Ideo excusatur, quia omnes ita credebant, et verius, quia nullum erat matrimonium cum prima.

Nesciam
Et ideo videtur quod marito privari non debuit mortua prima, etiam si fuisset matrimonium cum prima, infra, de eo qui dux. in matr. quam pol. per adult., propositum; et 17. q. 2, nos novimus, in fi.

Imposita viro poenitentia
Sed quare imponitur viro poenitentia, cum nullum fuerit matrimonium primum? Ideo quia lite pendente contraxit cum secunda, in contemptum ecclesiae, infra, de matr. contrac. con. int., litterae; infra, de matr. contrac. con. int., ex litteris; et infra, de matr. contrac. con. int., de muliere.

Commercio
Interim. Sed quare punitur hic mulier in debito suo? Potest dici quod ipsa ex post facto consensit, ut praesumitur, quia postea causa tractata fuit, vel punitur vir in exigendo, sed non in reddendo, si exigatur debitum ab uxore; simile infra, de sent. excom., inquisitioni; et infra, de secund. nupt., dominus. Si vero illa scivisset, puniretur, ut dixi infra, de matr. contrac. con. int., ex litteris; et infra, de matr. contrac. con. int., de muliere.

Remanere
Sic patet quod si aliquis habens uxorem, licet ea vivente et lite etiam pendente contrahat cum alia, soluto primo matrimonio, tenet secundum. Sed hoc locum habet cum primum matrimonium fuit nullum, aut hic, et supra, de spons., veniens 1; et etiam sciente secunda uxore. Et quod dicit supra, facti nesciam, dicas maxime, quia non praestat impedimentum quod de iure non sortitur effectum, ut hic, et supra, de iure patron., illud; et supra, de iure patron., cum laici, cum suis concordantiis; et infra, de despon. impub., litteras; et infra, de despon. impub., accessit. Et tunc primo apparet per sententiam quod nullum fuit primum matrimonium, sic infra, de frig. et malef., fraternitatis, in fi. Arg. contra, supra, de spons., ad audientiam; et supra, de bigam., nuper. Si vero contrahat cum secunda, ignorante prima uxore cum qua de iure tenuit matrimonium, tunc nullum est matrimonium cum secunda, sed mortua prima potest remanere cum secunda, si ipsa voluerit, et vir compellitur eam recipere propter dolum suum, infra, de eo qui dux. in matr. quam pol. per adult., veniens; et infra, de eo qui dux. in matr. quam pol. per adult., significavit; infra, de coniug. serv., proposuit. Si vero scienter contraxit cum illo, tunc nullum est matrimonium, nec esse potest etiam post mortem prioris, infra, de eo qui dux. in matr. quam pol. per adult., ex litterarum; et infra, de eo qui dux. in matr. quam pol. per adult., cum haberet.

X 4.01.19 *In praesentia*

Quantocumque
Arg. contra ff. de divorti., uxores, ubi dicitur quod per quinquennium debet expectari. Solutio: lex illa et consimiles non tenent per C. de repud., authen. hodie.

Viris
Ubi tamen versimiliter praesumitur de morte, si mulier nubat, excusatur, et viro reverso nisi sponte redeat ad virum, statim merito sunt notandae de adulterio, ut 34. q. 2, cum per

bellicam. Si vero matrimonio contracto dubitant de morte, non exigant debitum se reddant. Et si postea certificatae fuerint de vita, statim recedant, infra, de secund. nupt., dominus.

Donec certum nuncium
Sic infra, de secund. nupt., dominus; et C. de repud., authen. hodie; et in Auth. ut liceat mat. et avi. § quod autem, coll. 8. Sed pone quod fuit aliquis in exercitu Sarracenorum, vel etiam in aliis, nec est reversus, nec potest certificari mulier de morte per magistrum militum, vel per alium. Tunc mittat ad locum si potest, vel ad vicina loca, ut inquirat si potest; alias expectet quamdiu certificata fuerit de morte, ut patet hic, et per iura praedicta. Ber.

X 4.01.20 *Inter opera*

Revocare
Hoc est unum genus eleemosynarum, 45. dist., tria sunt genera. Et hoc quantum in te est, 43. dist., Ephesiis. Et primo a te, alias inordinata esset talis eleemosyna. Unde dicit Augustinus: qui vult dare eleemosynam, a se debet incipere. Unde scriptum est: miserere animae suae placens Deo, de poen. dist. 3 § sed si verba; de poen. dist. 3, qui vult. Sine hac, eleemosyna nulla valet ad vitam. Ad hoc enim praecipue tenentur praelati, 23. q. 4, ita plane. Hic tamen crimen meretricii sub dissimulatione pertransit ecclesia.

Publicas
Nulla necessitas eas excusat, ff. de ritu nupt., palam § non est; 32. q. 5, ita ne. Arg. infra, de poenit. et remiss., cum infirmitas, in fi. Quas etiam vilitas vitae indignas facit legum observatione, C. de adulter., quae adulterium, in fi. Et dicitur meretrix quae multorum libidini patet, 34. dist., vidua; vel quarum publice venalis est turpitudo, 32. q. 4, meretrices.

In uxores
32. q. 1, non est culpandus. Arg. contra, 32. q. 1, sicut crudelis. Solutio: contrarium loquitur de illa quae meretricari non desinit, et illa non est retinenda, ne patronus turpitudinis videatur. Hic de ea quae continere libenter vellet, si inveniret qui eam ducere vellet in uxorem. Ber.

X 4.01.21 *Ad quod*

Undecim annos
Et sic infra duodecim annos potest esse uxor, et hoc si malitia supplet aetatem, infra, de despon. impub., de illis 2; infra, de despon. impub., tuae nobis.

Per annum et dimidium
Et ita per patientiam sequentis temporis proxima causa sublata est per consensum sequentem, sicut infra, de despon. impub., de illis 2; et infra, de eo qui dux. in matr. quam pol. per adult., significavit; et infra, qui matrim. acc. poss., insuper. Et eo ipso in domum viri traducta patienter perficit aetatem, et amplius praesumitur consensisse, ff. de ritu

nupt., minorem. Contra quam praesumptionem probatio in contrarium non admittitur, infra, de sponos., is qui; et infra, de cond. appos., de illis. Et praecipue quia haec non posset probare se virginem, si vir dicat quod eam cognovit per aspectum corporis, sum iam sit corrupta, ut dicit in fi. Item est hic arg. ad multa de tacito consensu, 1. q. 1, constat; 50. dist., presbyteros; et ff. de liber. exhib., si filius sua. Unde versus: effuge cum poteris ne consensisse puteris. // Nam si perstiteris illius uxor eris.

Transivit
Unde neuter potest obiicere alteri adulterium, quia paria delicta mutua compensatione tolluntur, infra, de adult., intelleximus; et infra, de adult., tua; ff. solut. matrim., viro; et 32. q. 6, nihil. Ber.

X 4.01.22 *Sicut*

Iurantis
Hic videtur promitti factum alterius, et quod alteri possit stipulatio fieri. Sed contra Inst. de inutil. stipul. § alteri; ff. de ver. oblig., stipulatio ista § alteri; et ff. de ver. oblig., stipulatione. Et si puella nollet illi nubere, non dicitur pater periurus dummodo per patrem non stet, quia hoc solum intelligitur iurare se facturum et curaturum, ut illa contrahat cum illo si poterit, alias esset periurus. De hoc dicitur supra, de spons., ex litteris 2. Ber.

Per mulierem
Unde non fuit ei imputandum, si hoc verum fuit, arg. supra, de offi. ord., pastoralis; et 47. dist., quod ad nos; et supra, de spons., de illis. Immo pro completa habenda est conditio, ff. de condi. et demon., iure civili.

Quinque annis
Non tenebatur sponsus tamdiu expectare, nisi vellet, C. de sponsal., si is qui; nisi causa subesset, ff. de sponsal., saepe iustae. Sed hoc verum est si terminus fuisset appositus, ut infra sequitur, ubi iuramentum intervenit. Ber.

Ad statutum terminum
Sed videtur quod etiam nihilominus post terminum teneatur, supra, de dolo et contu., cum dilecti; ff. de recepti., Celsus § 1. Sed aliud est in matrimonio, quia res ipsa non capit tantam dilationem, propter periculum fornicationis, supra, ut lite non cont., quoniam § 1. Et ubi terminus apponitur, ultra triennium non tenetur ad contrahendum; alias nihil operaretur appositio termini. Ubi terminus non apponitur, ei nocet qui ultimo est in mora, ff. de peric. et comm. rei vend., illud sciendum. Et quia nulla est contracta obligatio de praesenti, sed in contrariis obligatio est pura et de praesenti, quare obligatio non tollitur propter lapsum terminum, sed solutione eius quod debetur, arg. ff. de act. et oblig., obligationum 2 § placet. Et ita ista sunt dissimilia, et non contraria.

Servandum compellas
Supra, de spons., ex litteris 2. Arg. contra, supra, de spons., requisivit. Dic ut supra, de spons., ex litteris 2.

Tamdiu
Sic supra, de probat., causam matrimonii; et infra, de cons. et affin., ex litteris; et 30. q. 5, iudicantem. Et ita est hic arg. quod in causa matrimoniali secundo inducantur testes super eodem articulo post publicationem, ut in praedictis capitulis.

X 4.01.23 *Cum apud*

Surdus
Qui prorsus non audit quia de alio non est dubium, quoniam potest postulare, ff. de postulan., hunc titulum § propter casum. Sic ergo surdus et mutus possunt contrahere matrimonium, ff. de iure dot., mutus; et infra, de spons., tuae fraternitati. Quae fuit ergo dubitatio huiusmodi quaestionis? Illa potuit esse dubitatio, quia certa forma est expressa ad contrahendum, infra, de spons., si inter; et infra, de sponsa duo., licet. Et quia isti non possunt servare illam, dubitatur quid iuris, et quantum ad ecclesiam verba sunt necessaria, infra, de spons., tuae fraternitati. Unde altero subtracto non videbatur matrimonium, arg. 1. q. 1, detrahe. Sed non est ita, quia solus consensus sufficit, ut hic dicit, et 27. q. 2, sufficiat. Unde si non potest exprimi per verba, exprimatur per nutum vel signum, ut hic patet in fi., et infra, de spons., tuae fraternitati.

Prohibitorium
Ut 30. q. 4, qui spiritualem. Unde omnes admittuntur, qui non expresse prohibentur, ff. de procur., mutus. Simile ff. de testi., testimoniorum; aliter accipitur prohibitiorum, ff. de novi operis nunc., praetor § hoc enim interdictum.

Non prohibetur
Arg. id quod non prohibetur, concessum videtur. Arg. contra ff. de colleg., collegia; et 2. q. 5, consuluisti. De hoc traditur supra, de translat., inter corporalia.

X 4.01.24 *Dilectus*

Copulavit
Ignorans quod ille esset furiosus. Ber.

Furore
Si tempore contracti matrimonii taliter laborabat, non fuit matrimonium, 32. q. 7, neque furiosus. Simile supra, de regular., sicut tenor. Si tamen tempore sanae mentis contraxit, durat, ut in 32. q. 7, neque furiosus; quia enim retinet dignitatem, ff. de statu hom., qui furere; et ff. de sponsal., furor. Et retinet filios in potestate, ff. de his qui sui vel alien. iur. sunt, patre furioso. Sed quomodo potuit hoc esse, quia si quando mulier ista contraxit, laborabat illo furore, stulta sunt. Sed hoc non est versimile, quod aliqua cum tali contrahere. Sed si tunc non laborabat furore, tenuit matrimonium, unde adveniente furore non dissolvitur. Ergo non debent isti separari, quia initium considerandum est, ut 32. q. 7, hi qui; et 32. q. 7, neque. Potest dici quod ille tempore contractus erat furiosus, et pater iste et filia ignorabant illum furiosum. Saepe enim furiosi sunt constituti in conspectu umbratae quietis, ff. de acq. poss., quod meo § si furioso; nec tamen sunt

mentis sanae, licet videantur. Et si tunc mulier ista cum eo contraxit, non tenuit matrimonium, et si hoc probaverit, separabuntur. Et qui tali furioso tradit possessionem, non transfert eam in ipsum, nec adipiscitur possessionem, sed tradens eam perdit. Sufficit enim si existimat se transferre, ff. de acq. poss., quod meo § si furiosos. Quandoque tamen furiosus per dilucida intervalla redit ad sanam mentem, et tunc si contrahat, tenet, arg. 7. q. 1, quamvis; et 3. q. 9, indicas; et ff. de off. praes., divus; et C. de curat. fur., si furioso. Sed pone quod mulier contrahat cum furioso, si consentiat in eum postquam reversus est ad sanam mentem, numquid est matrimonium? Videtur quod sic, infra, de eo qui dux. in matr. quam pol. per adult., propositum; et infra, de eo qui dux. in matr. quam pol. per adult., veniens; et infra, de coniug. serv., proposuit. Io. dixit quod non est matrimonium, quia ibi non fuit consensus, 30. q. 2, ubi non est; ff. de ver. oblig., stipulatio non potest. Verum est quod dixit Io., si referas te ad primum consensum. Tanc. dixit quod est matrimonium, quod intellige non ex tunc, ut referas te ad primum, sed ut ex nunc ex novo consensu. Ber.

X 4.01.25 *Tua fraternitati*

Consensum
27. q. 2, sufficiat; supra, de spons., cum locum.

Verba
Licet enim solo consensu contrahatur matrimonium sine verbis, ut in mutis, supra, de spons., cum apud. Tamen in his qui loqui possunt, non contrahitur sine verbis, per quae exprimatur consensus, quae ad hoc inventa sunt, 22. q. 2, is autem qui. Vel per aliquod aliud, puta ipso facto per quod intelliguntur consentire, contraheret matrimonium, sicut dicit lex de fideicommisso, quod nutu relinqui possit, dum tamen possit loqui, C. de fideicomm., et in epistola; ff. de leg. 3, nutu. Si tamen parentes contrahant pro filiis praesentibus et scientibus, sufficit nutu eorum taciturnitas, 32. q. 2, honorantur; ff. de sponsal., sed ea quae patris. Et idem credo si per alios contrahatur subsequente annuli subarrhatione, ut notatur infra, de despon. impub., tuae nobis, in prima notula. Et in mutis solus consensus non sufficit, immo signa necessaria sunt consensum exprimentia. Et ita hoc idem faciunt signa in mutis, quod verba in loquentibus, supra, de spons., cum apud. Et hoc intellige cum matrimonium contrahitur solis verbis exprimentibus consensum mutuum de praesenti. Et hoc expresse apparet ex forma consultationis, dum dicit: utrum ex solis verbis; et ad hoc respondet. Secus in matrimonio praesumpto, ubi ipso facto praesumptive contrahitur matrimonium, infra, de spons., is qui. Et secundum quod notatur infra, de despon. impub., tuae nobis; et supra, de re iudic., tenor.

Nam
Et istud, nam, respicit quod dixit supra, per legitimum viri, et mulieris consensum, quia mutus contrahit per consensum.

Sine verbis
Sed non sine signis vel nutibus, supra, de spons., cum apud.

Verba
Ergo patet quod duo sunt necessaria ad istud sacramentum, scilicet, verba, et signa vel consensus. Altero subtracto non est matrimonium, sicut dicitur de baptismo, 1. q. 1, detrahe.

Non contrahunt
Quia non possunt reddere debitum, infra, de frig. et malef., quod sedem. Et consensum non habent, ut hic dicit, quia aetas illa ignorat quid videat, C. de fals. mon., quoniam. Ber.

X 4.01.26 *Tua nos*

Mulierem
Si iste desponsavit istam mulierem, quibuscumque verbis usus fuerit, potius considerandum est quod fuerit factum quam quid dictum, arg. supra, de appell., ad audientiam; et infra, de verb. sign., in his; C. plus val. quod agit., si quis. Item simulatio sive dolus non impedit matrimonium spirituale, 27. dist., quod interrogasti; ergo nec carnale. Sed haec non procedunt, quia simulatae nuptiae non sunt nuptiae, ff. de ritu nupt., simulatae; et propter rationem quae inferius redditur. Sed pone quod aliquis protestetur coram pluribus, quod omnia quae dicet vel faciet, non faciet animo contrahendi matrimonium, et postea publice dicat, consentio in te, numquid est hic matrimonium, vel non? In casu isto dico quod ecclesia iudicare debet pro matrimonio, quia recurrendum est ad communem verborum intelligentiam, supra, de spons., ex litteris 1. Talia enim verba non possunt servire suae intentioni. Praeterea si probet quod illa verba protestatus fuit primo, potuit postea recedere ab illa voluntate, et consentire in illam, et hoc videtur per illud quod postea publice facit. Et si dicat quod adhuc tempore contractus erat in eadem voluntate, non creditur ei, quia contra eum debet fieri interpretatio, quod dolum adhibet, ut dictum est supra, de spons., ex litteris 1.

Copula subsecuta
Per hoc videtur consensisse, infra, de spons., is qui; et infra, de cond. appos., de illis; et infra, de cond. appos., per tuas.

Videtur forte
Quibusdam non recte intelligentibus est dubium, sed recte intelligentibus non est dubium.

Qualiter tibi constiterit
Immo bene potuit constare, quia vir ille hoc ei confitebatur, quia hoc dicimur scire, quod ab aliis audivimus, 22. q. 5, hoc videtur. Vel quia ille hoc ei confessus fuit in poenitentiali iudicio, in quo cuilibet est credendum, ut infra, de homic., significasti 2. Quia soli sibi fit praeiudicium, unde non est versimile, quod sit immemor suae salutis, 1. q. 7, sancimus. Sed in iudicio pro tribunali non crederetur ei in praeiudicium alterius.

Nec forma
Nota quod ad esse matrimonii duo sunt necessaria, scilicet, substantia et forma, sicut ad esse hominis, pro substantia est ibi consensus, et pro forma verba ad exprimendum

consensum deputata, quam formam habes infra, de spons., si inter; infra, de sponsa duo., licet. Et quia hic defuit substantia et forma, nullum fuit matrimonium. Idem esset et si alterum deesset, supra, de spons., cum apud; et supra, de spons., tuae fraternitati; et infra, de frig. et malef., quod sedem. Et matrimonium quamvis duo exigat, res tamen simplex est et individua, 27. q. 2 § sequitur. Et in matrimonio praesumpto ipsum factum habetur pro substantia, per quod praesumitur sufficiens consensus, infra, de spons., is qui.

Sine quo
Supra, de spons., cum locum; et 27. q. 2, sufficiat. Ber.

X 4.01.27 *Cum in tua*

Bannis
Id est, denunciationibus. Et hodie consuetudo ista reducta est ad ius commune, infra, de clan. despon., cum inhibitio.

Licet fama privatum
Et sic est fama aliquid quod dicitur occultum sive privatum, supra, de cohab. cler. et mul., tua. Et ideo dicitur fama privatum impedimentum, quia per famam solam non constat de impedimento, nisi alia probatio adsit, ut supra, de cohab. cler. et mul., tua. Sed si fama haec erat de consanguinitate, quare non interdicitur matrimonium, ut infra, de cons. et affin., super eo? Quod signatur pro contrario, sed non est contrarium, quia hic non constabat de fama, ut infra dicitur, sed denunciatur fama. Vel privatum impedimentum deferebat, unde primo debet inquiri de fama, contrarium intelligitur quando constat de fama.

Persona gravis
Immo et turpis persona videtur admitti ad impediendum, supra, de spons., praeterea 2. Sed illud obtinet cum impedimentum oritur a persona denunciante consanguinitatem, quae tenetur revelare consanguineo, 35. q. 3, si homo. Est ergo hic arg. quod criminosi non admittuntur ad denunciationem criminum, arg. 35. q. 6, episcopus in synodo; et supra, de testibus cog., praeterea § 1. De hoc notatur 2. q. 1, si peccaverit.

De fama
Ergo fama probari potest, supra, de testib., tam litteris; et supra, de testib., cum causam quae. Arg. contra infra, de accusat., inquisitionis, in fi. Item sola denunciatio non impedit matrimonium, nisi adsit fama, et ita sola fama impedit matrimonium, infra, de cons. et affin., super eo; et unus testis, supra, de testib., super eo 2. Sed iste denuncians non testificabatur.

Scandalo
Nota quod propter scandalum impeditur matrimonium, ut hic patet; sic infra, de cognat. spir., super eo, in fi. Et ita habes quod scandalum sive consuetudo reddit aliquos inhabiles ad contrahendum, secundum quod notatur in illa decretalis infra, de cognat. spir., super eo.

De plano
Summaria cognitio sufficit hic; sic infra, de accusat., sicut; et infra, de accusat., olim. Sic eodem modo videtur quod iudex possit inquirere de fama alicuius de plano, et sine iudiciorum strepitu. Multiplex enim clamor famam inducit, ita ut praelatum moveat ad inquirendum, infra, de accusat., qualiter et quando 2.

Famam
Nota hic quod si probes famam contra aliquem, quod potest probari contrarium ad tollendam famam. Et ita si probasti aliquem esse malae famae, ipse potest probare se esse bonae famae, 2. q. 5, presbyter si a plebe; et 2. q. 5, si mala.

X 4.01.28 *Consultationi*

Assertio
Assertioni illarum non est credendum, sed potius testibus, qui iurati probaverunt contrarium. Ergo si vellent probare contrarium, videtur quod sint audiendae, sed non videtur quod possent hoc probare, cum sit negativa, scilicet, quod numquam consenserunt, supra, de elect., bonae 1. Immo possent probare metum, ut dicit in fi.

Ante carnas copulam
Secus si post, quia tunc consensisse videntur, ita quod postea in contrarium reclamantes non audiantur, supra, de spons., ad id quod; et infra, qui matrim. acc. poss., insuper.

Cum diligentia
Nota quod dicit, cum diligentia, quia ubi maius periculum vertitur, cautius et diligentius agendum est, 7. q. 2, nuper. Et circa maiora maius periculum vertitur, 42. dist., quiescamus; ff. de Carb., si cui controversia § si quis; ff. de Carb., si cui controversia § 3; et arg. 61. dist., miramur. Unde causae matrimoniales non sunt committendae nisi iurisperitis, et qui potestatem habeant iudicandi, infra, de cons. et affin., ex litteris, in fi.

In constantem
Sic supra, de spons., veniens 2. Et talis metus continet mortis periculum, aut corporis cruciatum, C. de transaction., interpositas; supra, de his quae vi met. caus. fi., cum dilectus; et supra, de his quae vi met. caus. fi., perlatum; 31. q. 2, Lotharius; et 31. q. 2, si verum. Alias vanus timor non excusat, ff. quod metus cau., metum autem 2; ff. de re iud., si quis ab alio. Ber.

X 4.01.29 *Gemma mulier*

Infra septennium
Unde non tenuerunt sponsalia, infra, de despon. impub., litteras; infra, de despon. impub., accessit; et supra, de restit. spol., ex parte. Ergo nec poena, etiam si licita fuisset; alias non tenuit, quia si principale non tenuit, nec accessorium, supra, de re iudic., cum inter vos; et C. de legi. et const., non dubium, cum suis concordantiis. Sed si post septem annos forte consenserunt, et tenuerunt sponsalia, poena tamen non tenuit. Ber.

Libera debeant
Ab omni coactione, supra, de spons., cum locum; et supra, de spons., requisivit. Et etiam a poena pecuniaria, ut hic patet.

Stipulatio
Stipulatio poenae in sponsalibus apposita non tenet propter rationem quae redditur in littera. Sed arrhas datas pro sponsalibus perficiendis amittit qui resilit sine iusta causa, C. de sponsal., mulier; et ff. de ver. oblig., Titia, unde haec decretalis sumpta fuit; C. de inutil. stipul., libera; et hic. Sed videtur quod idem sit in arrha quod dicitur de poena, quia eadem est ratio utrobique, ergo debet esse prohibitio, et idem ius, supra, de confirm. util. vel inutil., cum dilecta, cum aliis concordantiis ibi positis; et supra, de translat., inter corporalia. Sed secus est secundum leges, ut dicit lex praedicta C. de sponsal., mulier.

X 4.01.30 *Is qui fidem*

Redire tenetur
Sic supra, de spons., veniens 2; et infra, de cond. appos., de illis; et infra, de cond. appos., per tuas.

Contra praesumptionem
Nota circa huiusmodi praesumptiones, quod praesumptio alia est iuris et canonis sive legis, alia hominis, alia naturae, alia facti. Praesumptio iuris et canonis, sive legis, sive iuris, sive de iure, quod idem est, non recepit probationem in contrarium, ut lex praesumitur, mulierem stipulatam dotem sibi reddi, quae non est stipulata. Et si quis vellet probare contrarium, non auditur, C. de rei uxor. act., rem § rei uxoriae. Idem est in arrogatoris, si emancipatur, ff. de adopt., si arrogator; et de tali loquitur hic. Et ita praesumptum dicitur istud matrimonium. Similis praesumptio est 11. q. 1, si qui clericorum; et infra, qui matrim. acc. poss., insuper; simile supra, de spons., ad id quod; et 54. dist., fraternitatem; et infra, de Iudae. et Sarrac., nulli, quod loquitur in eodem casu cum capitulo 54. dist., fraternitatem. Praesumptio hominis est cum praesumitur contra aliquem hominem propter malam famam. Contra hanc praesumptionem bene admittitur probatio in contrarium, supra, de spons., cum in tua; et 2. q. 5, presbyter si a plebe; et 2. q. 5, si mala fama; infra, de purg. can., cum P; et ff. quod metus cau., non est. Praesumptio naturae est ut cum exheredo filium meum, praesumitur contra me quod iniuste exheredaverim eum, et hoc propter naturam, et ideo heredes mei probare tenentur quod iuste exheredaverim eum, C. de inoffic. testam., omnimodo, vers. si tamen. Praesumptio facti alia praecedentis circa futura, ut si semel calumniatus es contra me, et iterum velis me accusare, praesumitur modo te velle iterum calumniari, ff. de accusation., si cui § hisdem; 3. q. 10, placuit; et 3. q. 10, si accusatorum; et supra, de praesump., mandata; et supra, de praesump., scribam. Praesumptio facti subsequentis circa praeterita est, ut si aliqui fuerint accusati de crimine adulterii, quod depellebant praetextu proximitatis, si postea in matrimonium se coniunxerint, manifesta praesumitur facinus, in quo accusati fuerunt, C. de adulter., si hi qui adulterii; ff. de Maced., item si filius § interdum, alias incipit ff. de Maced., sed Iulianus § interdum, circa fi.; et in Auth. ut nulli iudic. lic. hab. § si quis vero, coll. 9. Et est alia praesumptio iuris tantum, ut si vir diu cohabitavit uxori, praesumitur ab eo cognita, 32. q. 1, dixit Dominus; et 27. q. 1, nec

aliqua. Et contra hanc praesumptionem probatio admittitur, supra, de probat., proposuisti; et ff. de probation., si chirographum. Sed hic non fuit substantia et forma coniugalis contractus, de qua dicitur supra, de spons., tua nos; unde non est matrimonium. Satis dicitur hic fuisse substantia et forma, quia consensus et forma fuit hic, licet per verba de futuro, quae per carnalem copulam subsequentem fiunt de praesenti praesumptive, sed per carnalem copulam subsequentem praesumitur consensus, per verba praecedentia designatur forma, licet illa ab initio fuerint de futuro. Ber.

X 4.01.31 *Si inter virum*

Dicente
Ergo altero loquente tantum non est matrimonium, quia non loquens suum consensum non exprimit, arg. 30. q. 2, ubi non est. Item arg. quod qui tacet, non consentit, quia verba sunt necessaria consensum exprimentia, supra, de spons., tuae fraternitati; simile ff. de procur., filiusfamilias § invitum. Et si consensum exprimat alter aliquo signo vel nutu, licet nihil exprimat ore, satis videtur idem. Arg. contra quod non sit matrimonium, quia stipulatio non contrahitur nisi utroque loquente, etiam si annuat sine verbis, ff. de ver. oblig., stipulatio non potest, in princ.; et ff. de ver. oblig., stipulatio non potest § si quis ita; ergo idem in matrimonio. Arg. istius litterae, utroque dicente, muti tamen sine ista forma contrahere possunt, dum tamen consensum exprimant signis, supra, de spons., cum apud; et ff. de iure dot., mutus; arg. ff. de tutel., muto; et illa signa aequipollent huic formae. Et ita non refert dummodo consensus exprimatur, etiam in loquente subsecuta subarrhatione per immisionem annuli, nam multae propter verecundiam anuunt potius quam loquantur, maxime praeferentibus parentibus, 32. q. 2, honorantur.

Alia verba
Supra, de spons., ex parte; et 30. q. 5 § si quis divinis.

Iuramentum
Et ita iuramentum non est de substantia matrimonii.

Ad alia vota
Ad religionem tamen bene posset ante carnalem copulam transire, supra, de conver. coniug., ex publico.

Non poterit separari
Quia fortius vinculum supervenit, et sic solvuntur sponsalia non obstante iuramento. Sic et votum simplex solvitur superveniente matrimonio, 27. dist., si vir; et 27. q. 1, nuptiarum. Et minus punitur propter bonum matrimonii subsequentis, ut capitulum 27. dist., si vir. Ber.

X 4.01.32 *Adolescens*

De praesenti contraxit
Et sic soluta priora sponsalia, supra, de spons., si inter; et infra, de sponsa duo., duobus. Ber.

Nec praesumptum
Verum non fuit, quia ibi non fuit consensus de praesenti. Praesumptum non fuit, quia non fuit carnalis copula subsecuta. De praesumpto matrimonio habes supra, de spons., is qui; supra, de re iudic., tenor, ubi de hoc; et 27. q. 2, si quis uxorem.

Conatus
Nota quod conatus sive voluntas sine effectu non nocet, ut hic patet, et de poen. dist. 1, haec autem verba; et de poen. dist. 1, cogitationis poenam; et ff. quib. mod. pig. vel hyp. sol., sicut § si voluntate; et 17. q. 4, si quis suadente; et ff. quod quisque iur., hoc edictum summam, in fi. Et eum condemnatum accipere debemus tantum, qui iure condemnatus est, ita ut sententia teneat. Et si nulla est sententia, non dicitur condemnatus, ff. de re iud., si se § condemnatum. Item arg. quod verba cum effectu sunt accipienda, supra, de cleri. non residen., relatum; et ff. ne quis eum qui in ius voc., si per alium § docere. Arg. contra quod voluntas seu conatus delinquentis puniri debeat, quamvis sine effectu, supra, de bigam., nuper; et supra, de bigam., a nobis; et 51. dist., si quis post acceptum; et de poen. dist. 1, si quis non dicam; et de poen. dist. 1 § si quis cum telo; et quatuor § sequentes; et ff. de extraord. crim., sollicitatores; et C. si quacum. praed. pot., si quis, in princ.; et supra, de spons., iuvenis.

X 4.02 DE DESPONSATIONE IMPUBERUM

X 4.02.01 *Tua fraternitas*

Consentit
Si coactione paterna ductus consentiret in aliquam, quam alias non esset ducturus, eam voluisse videtur, et est matrimonium, ff. de ritu nupt., si patre. Cogi tamen non debet, ff. de ritu nupt., non cogitur; et C. de nupt., nec filium. Nec potest eum compellere invitum, ff. de sponsal., filiofamilias; quia invitae nuptiae difficiles exitus consueverunt habere, supra, de spons., requisivit; et 31. q. 2 § quod autem. Secus videtur de filia secundum leges, nam illa contradicere non potest, nisi pater dederit ei turpem, vel moribus suis indignum, ff. de sponsal., sed quae patris. Secus tamen secundum canones, supra, de spons., cum locum; et 27. q. 2, sufficiat. Ber.

Debet
Debito honestatis, non necessitatis, supra, de testib., placuit.

X 4.02.02 *Ubi non est*

Consensus
Verus vel praesumptis.

Canonibus
Aetas ad matrimonium contrahendum tam secundum leges quam secundum canones est duodecim annorum in femina, ff. de ritu nupt., minorem; et infra, de despon. impub., continebatur. In viro quatuordecim annorum, infra, de despon. impub., attestationes;

quantum ad sponsalia aetas septem annorum, ff. de sponsal., et in sponsalibus; infra, de despon. impub., litteras; infra, de despon. impub., accessit; infra, de despon. impub., duo. Ber.

Coniungatur
Matrimonialiter, quia consentire non possunt, infra, de frig. et malef., quod sedem. Vel intellige quantum ad sponsalia, et ideo prohibentur, quia saepe mutant postea voluntatem, unde propterea oritur discordia inter ipsos. Et divertentes consanguineis copulantur, ut supra, de spons., iuvenis; quod esse non potest, supra, de spons., sponsam. Ber.

Pacis
Nota pro bono pacis admittendum, quod alias prohibetur, 3. q. 6, hoc quippe, unde versus: pax ut servetur moderamen iuris habetur.

X 4.02.03 *Puberes*

Pudentia
Id est, pudore quem patiebantur inspicientes, et inspecti in patribus sive membris pudendis, ut Inst. quib. mod. tutel. fin., circa princ.

Quatuordecim annos
20. q. 1, illud; et supra, de regular., ad nostram.

Tardissime
Quid si iste qui iam complevit quatuordecim annos, talis appareat, quod nullo modo possit generare, et contrahat, numquid tenet matrimonium? Dicunt quidam quod tenet matrimonium. Contrarium credo, quia nec est pubes, ut infra, dicitur. Nec in eo reperiuntur tria bona matrimonii, quae sunt fides, proles, et sacramentum, 27. q. 2, omne itaque. Iste non est talis, qui possit habere prolem, quod etiam satis patet per litteram sequentem. Arg. contra infra, de despon. impub., de illis 2.

Ostendit et generare
Ergo pubertas ex vigore naturali, non ex annorum numero comprobatur, quod verum est quo ad matrimonium contrahendum, ut dixi infra, de despon. impub., de illis 2; et infra, de despon. impub., tuae nobis, ubi malitia supplet aetatem. Ex quibus etiam probatur, quod matrimonium consideratur ex pubertate tantum, et non ex annorum numero, quo ad tutelam vel curam aetas annorum tantum consideratur, C. quan. cur. vel tut. esse des., indecorum; Inst. quib. mod. tutel. fin., in princ. Sed quo ad matrimonium bene inspicitur mulier, et etiam vir, an sint apti ad matrimonium, 27. q. 1, nec aliqua; et supra, de probat., proposuisti; et supra, de probat., causam matrimonii. Ber.

X 4.02.04 *Litteras*

Dissolvas
Arg. quod sponsalia contracta de facto non inducunt publicae honestatis iustitiam. Arg. contra supra, de spons., ad audientiam, ubi de hoc; et supra, de spons., iuvenis.

Ex tunc
Scilicet, post septem annos, 30. q. 2, ubi non est.

Placere consueverint
Et si placuerint, sola ratihabitione confirmantur, licet ab initio nulla fuissent. Et intelliguntur ratum habere, nisi expresse contradixerint aetate legitima adveniente, ut hic colligitur. Sed intelligo quod sponsalia debeant placere, cum simul cohabitant, quia tunc intelliguntur consentire, ex quo non contradicunt, ff. de ritu nupt., minorem. Secus credo si seorsum habitant, quia tunc non intelliguntur consentire, nisi vel verbo ipso facto, puta quia vadit ad domum suam, vel dat aliqua munuscula et consimilia, quae sponsi facere consueverunt; arg. ad hoc infra, de despon. impub., accessit, in princ., ubi dicit, et postea in eum non consenserit. Item arg. ad ea quae frequentius accidunt iura adaptari debent, 28. dist., de Syracusanae; et supra, de cleri. coniug., diversis; C. de Lat. libert. toll., cum dediticii § sed et si quis homini; et 14. q. 5, denique; et Inst. de rerum div. § illud; et 19. q. 2, duae sunt; et ff. de servitu. rust. praed., cum essent § per plurium; ff. de usucap., iusto, 1. resp., in fi.; ff. de legib., nam ad ea; et 3. q. 5, accusatores. Immo quandoque ad ea quae numquam vel raro accidunt, ff. si pars haer. pet., antiqui; 19. dist., in canonicis, in fi.; ff. de regul. iur., ea quae raro; de conse. dist. 4, sanctum est baptisma, in fi.; C. de legit. hered., si maior; et 51. dist., qui in aliquo, vers. quicumque; ff. de statu hom., non sunt; et ff. de statu hom., arescusa. Solutio: regulariter obtinet prima rubrica. Contraria casualia sunt, quae negotiis non cohaerent, ff. de regul. iur., ea quae raro.

Filiam
Quam habere non potest propter affinitatem supervenientem, 35. q. 3, nec eam quam; nec matrem propter publicae honestatis iustitiam, ut infra, de despon. impub., accessit; et supra, de spons., ad audientiam; et infra, de despon. impub., continebatur § ulti. Ber.

X 4.02.05 *Accessit*

Consenserit
Dic super hoc ut supra, de despon. impub., litteras.

Absolutus
Maxime haec absolutio factum tantum respicit, cum nulla fuissent sponsalia, supra, de despon. impub., litteras. Ber.

Prolem
Quia ubi matrimonium legitimum est, et filii legitimi erunt, 34. dist., si quis viduam; et 32. q. 4, dicat aliquis. Et si matrimonium reputatur legitimum, licet non sit, filii tamen erunt legitimi, infra, qui fil. sint legit., cum inter. Hodie idem obtinet denunciatione praemissa, infra, de clan. despon., cum inhibitio.

Accedit
Tacite vel expresse, ut dictum est supra, de despon. impub., litteras.

Ante desponsationem
Ipsius puellae. Ber.

Ipso iure
Hoc ideo dicit, quia cum maior contrahit sponsalia cum minore, adveniente aetate, si minor noluerit consentire in matrimonium, ab ecclesia debet absolvi. Et quia illa noluit consentire, fuit absolutus ab episcopo. Nec intelligas ipso iure, id est, sponsalia nulla fuerunt ipso iure, ut quidam dixerunt, quia ipsa non consensit in sponsalibus. Sed hoc stare non potest, quia si hoc fuisset, non separetur matrimonium contractum cum matre, cum nulla fuissent sponsalia, ut patet per princ. capituli, ubi non separantur.

Inhonestum
Quia nullam de consanguinitate illius puellae poterit recipere in uxorem. Ergo multo minus matrem, supra, de spons., ad audientiam; et supra, de spons., sponsam; et supra, de spons., iuvenis; cum illa puella fuerit sponsa illius, ut infra, de despon. impub., continebatur.

X 4.02.06 *Continebatur*

In decretis
33. q. 1, si quis acceperit uxorem § 1.

Viri standum est veritati
Arg. contra 27. q. 2, quod interrogasti; et 33. q. 1, requisisti. Solutio: ubi vir se dicit cognovisse uxorem, et ista negat, statur verbo viri, ut hic, et 33. q. 1, si quis acceperit. Sed 33. q. 1, requisisti, intelligitur quando uterque confitetur quod carnaliter iungi propter frigiditatem non possunt, et uterque septima manu propinquiorum debet iurare, quod non possunt carnaliter commisceri. 27. q. 2, quod interrogasti, intelligitur quando maritus non dicit quod uxorem cognoverit; unde auditur mulier. Praeterea quod dicit hic, fides est adhibenda viro si iuraverit, hoc intelligo quando mulier non probat se virginem per aspectum corporis, quia tunc bene auditur, supra, de probat., proposuisti; et supra, de probat., causam matrimonii.

Iuramento
Sed quare compellitur iste iurare, cum sit reus, 6. q. 5, actor? Ideo compellitur iurare ne hoc diceret in fraudem, et in praeiudicium mulieris, nec credere tenetur ei mulier sine iuramento, praecipue in causa matrimonii propter periculum animae. Laur. dixit quod hoc ideo, quia fundata videbatur intentio mulieris, quia traducta mulier fuerat minor. Unde ad tollendam praesumptionem illam debet iurare. Secus esset si mulier omnino nihil probasset, ut supra, de iureiur., iuramentum, ubi de hoc; simile infra, de despon. impub., attestationes. Et sic est arg. quod in causis matrimonialibus non debet omitti iuramentum, ne in fraudem aliquid tentetur, supra, de testib., tuis quaestionibus.

Proxima
Sed quando dicitur aetati proxima? Potest dici quod cum distat a pubertate per sex menses vel minus, infra, de despon. impub., attestationes; et ff. de excusat., non tantum.

Et sic proximus pubertati furti obligatur, Inst. de oblig. quae ex del. nasc., in summa. Et intellige nihilominus quod malitia supplebat aetatem, alias non esset matrimonium etiam post duodecimum annum, ut dixi supra, de despon. impub., puberes.

Praesertim
Id est, maxime. Et quod parentes confitebantur illam legitimae aetatis, multum facit pro viro et contra puellam.

Alicui de consanguinitate
Sic supra, de despon. impub., accessit, in fi.; supra, de spons., ad audientiam; et supra, de spons., iuvenis; et supra, de spons., sponsam.

X 4.02.07 *De illis*

De illis
Tres articuli continentur in hac decretali. Primus est hic in principio, de illis, usque si vero. Secundus est ibi, si vero alteruter. Tertius ibi, mulier autem. Ber.

Ullatenus audiendi
Propter fragilitatem aetatis. Et est arg. quod impubes de eo quod facit ante pubertatem, reclamare non valet, arg. 28. dist., de his; et 20. q. 1, illud; et ff. de negot. gest., Pomponius; et arg. ad hoc ff. de minor., denique § 1. Ber.

Sponsalia contrahuntur
Id est, altero existente infra annos pubertatis, sicut existebat quando sponsalia contrahebantur. Si alter perveniat ad aetatem, non est audiendus si petat separari, sed expectabit quousque alter ad aetatem pervenerit. Quidam dicebant quod alter eorum erat maior, et alter minor, quando sponsalia contrahebantur, et secundum hoc non differret a sequenti versu. Ala.

Minoris aetatis
Videtur quod in optione illius qui ultimo ad aetatem pervenit, sit reclamare. Et tu dic quod idem iuris est de alio, quod potest reclamare, etiam si minor vellet consentire; aliter non differret a sequenti versu.

Iudicio ecclesiae
Sic infra, de despon. impub., a nobis. Et ita patet quod sponsalia dissolvi debent iudicio ecclesiae tantum, nisi fortius vinculum superveniat, puta matrimonio cum alio, vel totum solemne. Quia tunc ipso iure soluta sunt, arg. supra, de spons., si inter; et infra, de sponsa duo., duobus. Arg. contra infra, de despon. impub., ex litteris, ubi solvuntur sponsalia antequam alter perveniat ad aetatem. Sed non est contra, quia ibi non tenuerunt sponsalia, ut patet ex fine, hic vero tenuerunt. Item simile supra, de spons., praeterea 1; et supra, de spons., requisivit. Ibi similiter solvuntur sponsalia, ne deterius inde contingat. Et ita sponsalia contrahentes, si nolunt uterque vel alter perficere matrimonium, non sunt compellendi, ut colligitur per haec iura. Sed contra est expressum, quod omnino sunt comepellendi per ecclesiasticam censuram, supra, de

spons., ex litteris 2; et supra, de spons., sicut. Quid ergo respondebis? Dicas quod illa decretalis, supra, de spons., ex litteris 2; et supra, de spons., sicut, loquuntur quando iuramentum intervenit, licet illi etiam essent impuberes, sed erant doli capaces, ita quod tenuit iuramentum. Unde propter periculum iuramenti compelli debent ad contrahendum. Et illa decretalis, supra, de spons., requisivit, reducitur ad illam supra, de spons., ex litteris 2, ut ibi plene dictum est. Et quod dicit illa decretalis, supra, de spons., praeterea 2, potius est dispensatio, ut ibi dictum est. Et quia uterque dissentiebat, ideo toleratur. Hic ergo loquitur de sponsalibus minorum. Si ergo iuramentum interveniat, compellendi sunt perficere matrimonium, sive sint maiores sive minores, dum tamen fuerint doli capaces, quia aetas illa plena est periuriis, infra, de delict. puer., pueris. Si vero iuramentum non intervenit in sponsalibus, non sunt inviti compellendi, quia invitae nuptiae difficiles exitus consueverunt habere, et ita planum est. Ex causa tamen compelluntur, ut dictum supra, de spons., ex litteris 2.

Nupsit
Id est, sponsalia contraxit, quia matrimonium contrahere non poterat, sic infra, de despon. impub., a nobis.

Semel consenserit
Arg. quod semel probatum est, amplius non possum reprobare, 3. q. 3, offeratur; et 8. q. 2, dilectissimi; et 20. q. 3, eos qui; 32. q. 5, horrendus; et 4. dist., in istis; et supra, de caus. poss. et propr., cum olim; ff. de negot. gest., Pomponius 1; et ff. de adulter., si uxor, in fi. Arg. contra ff. de muner. et honor., ut gradatim § reprobari. Item arg. supra, de elect., nosti; et 32. q. 5, proposito; et 32. q. 2, aliquando; et 33. q. 5, manifestum; 12. q. 2, si qua de rebus; et Inst. de auct. tut. § 1; et C. de procur., non eo minus. Arg. contra ff. de recepti., si cum dies § sed et si; et ff. de recepti., sed si interpellatur § ulti.; 21. q. 5, si quis cuiuslibet; et 4. q. 5, quisquis. Solutio: verum est quod multi contractus claudicant, et ex una parte possunt tenere, et ex altera non, ut si pupillus contrahat cum minore sine tutoris auctoritate, Inst. de auct. tut. § 1; et lex praedicta, C. de procur., non eo minus, et 12. q. 2, si qua de rebus. Secus in matrimonio, quia illud vinculum non potest constare nisi ex duobus consensibus, supra, de spons., tua nos. Et quod dicit hic non obstat, quia ille tenetur expectare non ratione matrimonii, sed ratione suae promissionis. Unde si contraheret cum alia, teneret, etiam si iuramentum intervenisset, supra, de spons., si inter.

X 4.02.08 *A nobis*

Matrimonii nomen
Scilicet futuri, quia loquitur de sponsalibus, supra, de despon. impub., de illis 1.

Consensum non habent
Quousque perveniant ad aetatem legitimam, sic etiam et in voto, 20. q. 1, firma; infra, de frig. et malef., quod sedem. Sed pone quod dicant: accipio in meum, et ego te in meam, intendentes etiam contrahere matrimonium? Resp.: matrimonium non contrahunt aetate prohibente, sponsalia non contrahunt, quia nolunt, ff. de sponsal., quaesitum; arg. supra, de offi. deleg., cum super; et C. si quis alt. vel sib. sub alt., multum interest; si in eadem voluntate persistant usque ad legitimam aetatem, matrimonium prius inutile ratihabitione

tacita vel expressa confirmatur, arg. infra, de despon. impub., de illis 2; et ff. de sponsal., quaesitum; ff. de ritu nupt., minorem. Posset tamen probabiliter dici, quod sponsalia contrahunt iuris potestate, licet ea contrahere non intendant, infra, de despon. impub., attestationes, arg.; et infra, de despon. impub., duo. Ala.

Tenentur
Supra, de despon. impub., de illis 1; et 20. q. 1, illud; 28. dist., de his.

Anticipare
Infra, de despon. impub., de illis 2; et infra, de despon. impub., tuae nobis; et supra, de despon. impub., puberes.

X 4.02.09 *De illis*

Desponsantur
Et traducuntur in domum, postea allegant minorem aetatem vel violentiam.

Copula carnali coniungi
Hoc solum consideratur, ut possint coniugati vinculo sociari, et non numerus annorum, supra, de despon. impub., puberes.

Consensisse
Quod facere potuerunt, licet nondum pervenerint ad aetatem, cum pubertas praevenisset aetatem.

Malitia
Alibi appellatur prudentia, infra, de despon. impub., tuae nobis; simile C. si min. se maior. dix., si alterius.

Excusare
Sic supra, de spons., veniens 2; et supra, de spons., consultationi.

Consensus
Expressus vel praesumptus, ut si patienter cohabitat illis, talis violentia transit in consensum, supra, de spons., ad id quod; et infra, qui cler. vel vov. matr. contr. poss., insinuante; C. quod metus cau., cum te; vel si carnalis copula subsequatur, infra, de eo qui dux. in matr. quam pol. per adult., significavit; et infra, qui matrim. acc. poss., insuper. Ber.

X 4.02.10 *Attestationes*

Nisus fuisset
Et ita conatus non praeiudicat, cum non habuit effectum, supra, de spons., adolescens, ubi de hoc. Ber.

Evasisse
Cui creditur in hoc, quod contra se confitebatur, 14. q. 2 § de eo autem; et ff. de interrog. act., de aetate § 1. Alias staretur verbo viri, ut supra, de despon. impub., continebatur, prout ibi dicitur. Ber.

Per idoneos testes
Quod facere poterit non obstante publicatione aliorum testium, cum ipse sit alius articulus, supra, de testib., fraternitatis; et supra, de testib., tam litteris; et supra, de testib., causam quae 2; et supra, de testib., ex tenore; et supra, de testib., series.

Circa finem
Forte per sex menses, ff. de excusat., non tantum 2; ff. de muner. et honor., ad rem publicam; et supra, de despon. impub., continebatur. Arg. contra 20. q. 2, illud; hoc intellige si iuvenis iste tunc esset viripotens, quia malitia praevenit aetatem quandoque, supra, de despon. impub., de illis 2. Alias non tenet matrimonium, etiam si complevisset quatuordecim annos, ut supra, de despon. impub., puberes, dictum est. Ber.

Ab ipso iuramento
Sed quare exigitur iuramentum, cum ipse sit reus, 6. q. 5, actor? Ideo defertur ei iuramentum, quia praesumptio erat pro muliere, quia constabat, quod cum ipsa contraxerat, et quia aspiraverat ad carnalem copulam. Unde ex hoc erat praesumptio contra illum, sic supra, de despon. impub., continebatur. Dic ut ibi. Quando debeat iuramentum deferri reo vel actori, quare illud supra, de iureiur., iuramentum. Et ideo iurat quod poterat esse, quod post quatuordecim annos consensisset in illam, et timore iuramenti confitebitur veritatem. Ber.

X 4.02.11 *Ex litteris*

Desponsata
Ea non consentiente.

Potius
Elective et non comparative. Ber.

Per annum
Si hoc fecisset sponte, sic tenuissent sponsalia ex patientia consequentis temporis, supra, de spons., ad id quod. Et sic non fuisset ista mulier audita, quousque alter pervenisset ad aetatem, supra, de despon. impub., de illis 1.

Carnaliter
Quod si fecessit, statim praesumeretur consensisse, infra, de eo qui dux. in matr. quam pol. per adult., significavit. Ber.

Tribuas
Arg. contra supra, de despon. impub., de illis 1; et supra, de despon. impub., a nobis. Solutio: illud verum est, quando certum est, quod sponsalia tenuerunt, hic non tenuerunt. Et ideo datur ei licentia cum alio contrahendi. Ber.

X 4.02.12 *Duo pueri*

Matrimonialiter
Id est, ut matrimonialiter iungerentur aetate adveniente, sed sponsalia contrahendo. Ber.

Per tres annos
Et ita tenuerunt sponsalia ratihabitatione sequenti, supra, de despon. impub., ex litteris. Et quae patri in sponsalibus non contradicit, consentire videtur, ff. de sponsal., sed ea quae patris. Ber.

In uxorem
Quam habere non potuit, supra, de spons., sponsam.

Rediret
Rediit iste pater ad id quod damnaverat, 26. q. 5, nec mirum. Ber.

Matrimonia
Sed sponsalia fuerunt tunc iuris potestate, quia si non valet quod ago ut ago, valeat ut valere potest. Intendebant enim obligari adinvicem, et ideo interpretatio fieri debet ut res potius valeat quam pereat, supra, de fide instrum., inter dilectos § caeterum; ut dictum est supra, de despon. impub., a nobis. Et hoc patet per sequentia, arg. ff. de act. et oblig., obligationum § verborum obligatio.

Publicae honestatis iustitiam
Quae impedit etiam matrimonium contrahendum, et dirimit iam contractum, quare ille Guilelmus non potest habere aliquam de consanguinitate Guilelmae, supra, de spons., ad audientiam; et supra, de spons., iuvenis; et supra, de spons., sponsam; et supra, de despon. impub., accessit, in fi.; et supra, de despon. impub., litteras. In quibusdam tamen sublata est publicae honestatis iustitia, ut in sobole suscepta ex secundis nuptiis, et in secundo et terio genere affinitatis, infra, de cons. et affin., non debet.

Legitime
Id est, per matrimonium, quod tamquam fortius vinculum solvit sponsalia, supra, de spons., si inter; et infra, de sponsa duo., duobus. Alias non contraxit legitime, quia non debuit frangere fidem, de qua debet agere poenitentiam, ut supra, de spons., si inter.

Caput
Sic 33. q. 5, cum caput. Unde sibi potius creditur quam uxori, supra, de despon. impub., continebatur; et 33. q. 1, si quis acceperit.

Dicat
Satis fuit de facili credendum, quia nihil iuris acquirebat alteruter, quia sive cognoverit, sive non, eam habere non potest, ut supra eodem capitulo patet. Secus si coitus faceret ad probationem obligationis, ut supra, de probat., proposuisti; et infra, de frig. et malef., accepisti.

Sive antea
Hoc est, postquam fuerit compulsus redire ad Guilelmam, sive ante compulsionem sive post cognovit Stephanam.

Neutri dabitur licentia
Sed quare hoc, cum inter Guilelmum et Guilelmam non fuit matrimonium? Potest dici quod propter scandalum, ut innuit littera praecedens. Vel potius propter delictum utriusque propter sponsalia quae praecesserant inter eos, et sic orta erat publicae honestatis iustitia. Unde non poterant Guilelmus et S. ulterius carnaliter coniungi, et ideo prohibentur, quia ex certa scientia contraxerunt, et carnaliter coniuncti fuerunt. Tamen si contrahunt matrimonium tenebit, infra, de matr. contrac. con. int., litterae.

Cum M.
Nisi voluerit eam repellere praetextu adulterii.

Non requisito
Nota quod sine iudicio ecclesiae nullus debet dimittere uxorem suam, cum haec sit poena, quae nulli est inferenda nisi per iudicem, 33. q. 2, saeculares; et 33. q. 2 § in hoc; et 35. q. 6, multorum; quantumcumque etiam impedimentum sit manifestum, infra, de divort., porro; tunc circa coitum distingue, infra, de sent. excom., inquisitioni.

X 4.02.13 *Ad dissolvendum*

Accusatione
Hoc intellige ita, quidam Iohannes nomine contraxit cum quadam puella infra septennium constituta, tandem ex parte puellae accusabatur matrimonium propter consanguinitatem. Et dum vellent producere testes ad probandum consanguinitatem contra illos accusatores, exceptiones propositae fuerunt ex parte viri, ut an accusatione repellerentur. Super hoc pronunciavit Papa secundum quod in littera sequitur. Ber.

Matrimonium
Simile supra, de restit. spol., ex parte. Nec consensit post septem annos, quia si post consensisset, tenuissent sponsalia, nisi consanguinitas impediret, supra, de despon. impub., litteras; supra, de despon. impub., accessit; simile supra, de iudic., examinata. Sic isti ineptam proposuerunt accusationem manifeste, et ideo statim debent repelli, ut ibi dicitur. Unde adhuc possunt proponere aptam, scilicet, denunciare.

Legitime accusari
Bene dicit, quia primo debet existere in rerum natura, id de quo agitur, nec ante iuris ratio quam persona quaerenda est, ff. de iure cod., quidam referunt § 1. Sic et collegio quod

nondum est, non datur privilegium, supra, de eccl. aedif., ad audientiam 2; nec rescriptum datur ad lites futuras, supra, de rescript., quia nonnulli; nec potest dici verum quod numquam fuit, de poen. dist. 2, in fi.; nec dicitur mortuum quod nondum vixit, 32. q. 2, quod vero non, ubi de hoc; et infra, de homic., sicut ex litterarum. Et testamentum quod nondum est, rumpi non potest, ff. de iniust. rup. testam., nam et sub conditione; arg. ff. de aedil. edict., bovem § ulti. Sic aquae quae nondum apparet, non potest constitui servitus aquaeductus, ff. si serv. vend., si qua aqua; et ei quod nondum natum est, non praescribitur, C. de annal. except., super annali § nemo; et ff. quemad. serv. amit., si quis alia, ubi dicitur quod quamdiu paries non est, servitus non acquiritur. Arg. contra, quia aedificio quod nondum est, praescribitur, ff. de servitu. urb. praed., si servitus § futuro; et ff. de servitu. rust. praed., Labeo; et usuris futuris praescribitur, C. de usuri., eos; et arg. supra, de consuet., cum olim. Solutio: verum est quod rei quae nondum est non potest servitus constitui, ut dicunt primae concordes. Potest tamen obligatio acquiri de ipsa constituenda, cum res fuerit in rerum natura, et sic intelliguntur contraria.

Denunciari

Et ita denunciari potest crimen nondum commissum, 93. dist., diaconi; et ff. de damn. infect., damnum infectum. Immo unus solus potest impedire matrimonium, supra, de spons., praeterea 2; et valet denunciatio in principio, nam statim dicuntur malaefidei possessores; arg. C. de rei vend., si fundum. Et in matrimonio contrahendo, id quod certius est tenedum est, ff. de ritu nupt., adoptivus § 1, in fi.; et supra, de spons., iuvenis. Ad hanc denunciationem non admittitur nisi gravis et honesta persona, supra, de spons., cum in tua. Et quilibet tenetur ad hanc denunciationem, infra, de cognat. spir., tua. Et etiam admittuntur qui denunciant famam, supra, de spons., cum in tua; et 22. q. 5, de auditu. Hoc videtur sine aliqua admonitione praemissa, quod non fit in aliis denunciationibus, 2. q. 1, si peccaverit; et supra, de iudic., novit. Et est ius commune, quod quilibet tenetur et potest denunciare, infra, de clan. despon., cum inhibitio.

Salvis exceptionibus

Sic patet quod cum variatur modus agendi, possunt opponi exceptiones omissae in primo iudicio, sic supra, de testib., veniens 2. Unde non obstat supra, de except., pastoralis. Io. Sed quae fuerunt huiusmodi exceptiones? Potest esse quod excipiebat vir, quod accusatores erant criminosi, vel malae famae. Vel forte dicebat quod admonitio non praecesserat, sed in isto casu non est necesse admonitionem praecedere. Vel forte dicebat, non sunt admittendi ad accusandum tamquam suspecti, quia tempore contractus nihil dixerunt, et erant praesentes quando denunciatum fuerat matrimonium contrahendum, infra, qui matrim. acc. poss., cum in tua.

Interdicimus

Ita quod per extorsionem vel violentiam quicquam fieret in praeiudicium puellae, sive in iudicio, sive extra, non praeiudicaretur ei.

Irritum

Quo ad iudicium, quod movetur in praeiudicium ipsius; simile supra, de praeben., inter caetera. Secus esset si clausula illa non apponatur, licet mandet Papa aliquid fieri, supra, de praeben., dilectus filius 1; et supra, de praeben., dilectus filius 2. Sed quid si

contraherent matrimonium contra interdictum Papae, numquid irritabitur matrimonium? Dico quod non, sed separabuntur ad tempus, supra, de spons., cum in Apostolica; quousque cognoscatur de impedimento, infra, de matr. contrac. con. int., ex litteris; et infra, de matr. contrac. con. int., de muliere. Nam fortius est matrimonium quam interdictum Papae.

X 4.02.14 *Tua nobis*

Subarrhavit
Sic 27. q. 2, si quis uxorem; et 27. q. 2, si quis desponsaverit. Et haec subarrhatio sit quandoque per immisionem annuli iuxta illud, annulo suo subarrhavit me; quandoque per dationem aliarum rerum, vel aliorum insignium; et quandoque fit talis subarrhatio interveniente consensu expresso, ut hic. Quandoque etiam non interveniente, sed sive interveniat sive non, dummodo constet de subarrhatione, praesumitur matrimonium, donec probetur contrarium. Arg. 30. q. 5, nostrates; et 30. q. 5, feminae; 27. dist., quod interrogasti; et supra, de spons., is qui. Quia nihil interest an facto an verbo quis declaret voluntatem suam, 43. dist., sit rector; ibi pastorem recta loqui timuisse, quid aliud est dicere, quam terga tacendo praebuisse? Vel ibi, vestimenta sacerdotis, quid aliud quam recta opera, etc., ubi de hoc, ff. de legib., de quibus; et supra, de regular., statuimus, arg. optimum. Et si fiat a patre praesumuntur sponsalia, ut 30. q. 5, nostrates. Sed inter sponsos praesumitur matrimonium, ut hic in fi., nisi consuetudo in contrarium esse, arg. supra, de praesump., illud.

Circiter
Sic supra, de despon. impub., continebatur; et supra, de despon. impub., attestationes. Ad modicam quantitatem refertur haec dictio, circiter, et consimiles, ut ff. de ver. sig., haec adiectio. Ber.

Nubilis
Nota nubilis aetas in viro est quatuordecim anni, in femina duodecim, ut dixi supra, de despon. impub., ubi non est. Et ita si non fuit talis, non fuit matrimonium inter eos, sed sponsalia tantum, nisi malitia suppleret aetatem, ut infra, sequitur.

Prudentia
Id est, carnalis concupiscentia, arg. 32. q. 1, non in sola. Alibi appellatur malitia, supra, de despon. impub., de illis 2; sic etiam in delictis doli capacitas supplet aetatem, infra, de delict. puer., pueris; et Inst. de oblig. quae ex del. nasc. § in summa, circa fi.; et ff. ad leg. Aquil., sed et si § 1; C. si min. se maior. dix., si alterius; simile 77. dist., monachus novitius; et C. de his qui ven. aet. impetr., omnes.

Subarrhata
Et ita collige quod per subarrhationem contrahitur matrimonium verum vel praesumptum, ut dixi in principio, nisi aetas repugnet, ut hic patet. Et est hic arg. manifestum, quod si minor in contrahendo utatur verbis pertinentibus ad matrimonium contrahendum, contrahit sponsalia.

X 4.03 DE CLANDESTINA DESPONSATIONE

X 4.03.01 *Si quis clam*

Viro incumbit probatio
Quia caput est mulieris, 32. q. 6, non moechaberis; 33. q. 5, cum caput; et 33. q. 1, si quis uxorem. Hoc dixit Rich. Ex hac littera innuitur, quod sive vir neget desponsationem sive mulier, semper viro incumbit probatio. Sed hoc non videtur, quia negantis factum nulla est probatio, 6. q. 5, accusator § ulti.; et supra, de elect., bonae 1. Et ei qui dicit, non qui negat, incumbit probatio, ff. de probation., ei qui. Dixit Ala. quod viro incumbit probatio, ubi ipse negat clandestine ductam esse uxorem, quia potius negat ius quam factum. Et qui ius negat, probare debet, ff. de probation., ab ea parte. Sed ille intellectus non placet, quia ex quo publice confitetur factum coram ecclesia, approbatur matrimonium, infra, de clan. despon., quod nobis. Dixit Tanc. quod legitur secundum quod dixit Gratian., 32. q. 7, quod proposuisti § sed illud Ambrosii; ut vir dicatur hic a virtute, vel a virilitate, quia stat pro matrimonio, et non a sexu, et mulier a mollitie mentis. Et dic, viro, id est, qui stat pro matrimonio, vel dicas quod capitulum legitur cum reduplicatione litterae hoc modo, si quis clam desponsaverit aliquam, et mulier negat desponsationem, mulieri incumbit probatio. Et ideo non resumpsit expresse, quia idem iudicium est de muliere quod de viro, sic 32. q. 7, Apostolus. Et hoc verum est, et sic servatur, si vir negat matrimonium, mulieri incumbit probatio, et econverso.

X 4.03.02 *Quod nobis*

Compellendi
Si alter vel uterque negaverit se contraxisse, non debent compelli ut simul maneant, ex quo non probatur, quia ecclesia non iudicat de occultis, 32. dist., erubescant; et 32. q. 5, Christiana, et hic. Immo potius sunt abinvicem separandi, quia contubernia vel stupra praesumuntur, 35. q. 5, series. Ber.

Rationabilis causa
Puta consanguinitatis, 32. q. 5, horrendus; 35. q. 3, contradicimus; vel affinitas vel aliud, infra, de eo qui cog. consang., super eo.

A principio
Arg. quod ab initio non valebat, tractu temporis convalescit, supra, de elect., quod sicut § si autem. Arg. contra supra, de elect., dudum ad audientiam, ubi de hoc; supra, de censib., scientes. Sed hoc in principio valebat quo ad Deum, licet non quo ad ecclesiam, sed nunc primo declaratur, sic infra, de frig. et malef., fraternitatis, in fi.; simile ff. si serv. vend., sicut autem § sed si quaeritur; ff. de acq. rer. dom., adeo § cum quis, in fi.

X 4.03.03 *Cum inhibitio copulae*

Revocata
Per illam constitutionem, infra, de cons. et affin., non debet.

Praedecessorum
Supra, de clan. despon., quod nobis; et 30. q. 5, aliter legitimum.

Clandestina
Dicitur clandestinum matrimonium tribus modis. Uno modo cum non habentur testes, supra, de clan. despon., quod nobis. Secundo cum non fit cum solemnitate, 30. q. 5, aliter. Tertio dicitur clandestinum quod fit contra tenorem huius constitutionis, videlicet, non praemissa denunciatione. Tenet tamen quo ad ecclesiam, sed filii nati inde detecto impedimento illegitimi erunt, ut infra sequitur.

Quorundam locorum
Ut infra, qui matrim. acc. poss., cum in tua; et supra, de spons., cum in tua.

Voluerit
Quasi publicum crimen videtur, quia quilibet admittitur, immo quilibet tenetur saltem denunciare, infra, de cognat. spir., tua; et supra, de spons., cum in tua, ubi etiam de hoc. Consanguinei tamen potius admittuntur quam extranei, 35. q. 6, consanguineos. Sed pone matrimonium contractum est nulla praemissa tali denunciatione, aliquibus praesentibus quando contrahitur, et scientibus impedimentum, et nihil obiicientibus. Numquid isti debent admitti postea ad accusandum vel ad testificandum contra illud matrimonium in vita vel etiam post mortem? Videtur quod non, quia qui scivit, certiorari non debuit, ff. de act. emp. et vend., si res vendita, in fi.; quia denunciatio non fit nisi propter ignorantes. Item licet contrahentes non fuerint in culpa, tamen scientes impedimentum fuerunt in dolo, et dolus praeponderat culpae, ff. ad leg. Aquil., item Mela, in princ. Et ex quo factum est publice non admittitur contradictor, 8. q. 1, licet. Quare isti quibus videntibus et scientibus impedimentum, matrimonium contractum est, non debent amplius admitti, quia non videntur carere suspicione. Qui ergo debeant admitti post denunciationem, dicitur infra, qui matrim. acc. poss., cum in tua. Post mortem etiam admittitur accusatio propter bona, infra, qui fil. sint legit., causam quae 2; C. ne de stat. def., quamvis.

Probabilis coniectura
Nota quod probabilis causa impedit matrimonium contrahendum, supra, de spons., praeterea 2; et supra, de spons., cum in tua; et infra, de cons. et affin., super eo.

Clandestina
Scilicet, non praemissa denunciatione, ut dictum est supra. Ber.

Interdicta
Post causam probabilem allegatam, nec finitam.

De tali
Scilicet, clandestina vel interdicta.

Si ambo parentes
Et ideo non prodest opinio ecclesiae, si ambo parentes sciant impedimentum, quin sint filii illegitimi. Sed quid si unus scit et alter nescit? Dixit Hug. et Laur. quod quantum ad scientem sunt illegitimi, quantum ad ignorantem legitimi, arg. C. de incest. nupt., qui contra. Quod non credo, immo legitimi sunt, infra, qui fil. sint legit., ex tenore. Monstrum enim esset partim legitimus, sicut quod aliquis esset partim servus et partim liber, ff. de statulib., si duobus. Et hoc innuitur cum dicit, ambo parentes.

Tales
Scilicet, post allegatum impedimentum.

Poenitentia
Nota quod puniuntur contrahentes, et tamen nullum subest impedimentum. Sed illud ideo fit, quia contrahunt contra interdictum ecclesiae, unde puniuntur non propter impedimentum, sed quia mandatum ecclesiae contemnunt, infra, de matr. contrac. con. int., litterae. Mandatum enim iudicis contemni non debet, ut ibi, et ff. ne quid in loc. pub., sicut is. Et ita est arg. quod iudex potest punire illum qui venire ad eius citationem contemnit, ff. si quis in ius voc. non ierit, ex quaecumque; etiam si ius non habeat actor.

Malitiose
Qui enim calumniose denunciat, punitur, ut hic dicit. Et haec poena arbitrio iudicis committitur, supra, de offi. deleg., de causis. Tamen clericus qui calumniose denunciat, ab officio et beneficio suspenditur, infra, de calumniat., cum dilectus.

X 4.04 DE SPONSA DUORUM

X 4.04.01 *Duobus*

Pactionis
Hoc est dicere, una est fides desponsationis de futuro, et alterus consesus de praesenti.

Non debet
Tamen si duxerit, tenet matrimonium, et agat poenitentiam de fide mentita, ut hic dicitur, et supra, de spons., si inter, in fi.; forsitan trium annorum, 27. dist., si vir.

Sacramentum
De isto sacramento habes supra, de bigam., debitum. Quod dissolvi non debet per sponsalia, quae sunt minus vinculum, arg. ff. de fideiussor., si debitori 2.

Priori
Uxori, non obstante aliqua consuetudine in contrarium, infra, de sponsa duo., tuas.

Est autem
Exponit quod dixerat in principio.

X 4.04.02 Accepisti (rev. 9/23)

Si permisserit

Si de fornicario coitu intelligas, conditio turpis est, et ideo pro non adiecta debet haberi, infra, de cond. appos., si conditiones. Unde si postea rem secum habuerit, statim est matrimonium, infra, de cond. appos., de illis; et infra, de cond. appos., per tuas. Si de legitimo intelligas, multo fortius tenet matrimonium, si coitus subsequatur potius enim videtur hortatio, id est, quod permittat ei rem secum habere; simile ff. de tutel., muto § sub conditione. Ala. dixit quod istud, si, non tenetur conditionaliter, sed causative, quia in omni matrimonio haec causa, scilicet, carnalis copula, debet intervenire, saltem quo ad propositum, 27. q. 2, Beata Maria. Et expone: si permiserit, id est, quia permiserit; simile supra, de elect., significasti, in verbo, si diligis me. Laur. dixit quod per hoc quod dicit, si permiserit, etc., notat conditionalem fidem pactionis, per hoc quod sequitur, vel etiam pro consensu, notat simplicem et absolutam fidem pactionis, vel per utrumque notatur conditio. Vel potest dici quod per hoc notatur quod fides pactionis, id est, sponsalia sub conditione contracta, duobus modis transit in fidem consensus, id est, in matrimonium de praesenti, scilicet, per carnalem copulam, vel per consensum de praesenti, ut infra, de cond. appos., de illis; et infra, de cond. appos., per tuas.

Et si non stringit manum

Forte per annuli immisionem, 30. q. 5, feminae. Cum enim stringit manum, signum dilectionis est, vel forte alludit consuetudini alicuius loci. Ber.

X 4.04.02 *Accepisti*

Desponsatam

Per verba de praesenti, ut supra, de sponsa duo., duobus.

Numquam potest tibi

Arg. quod ab initio non valet, tractu temporis non convalescit; sic supra, de elect., auditis; et supra, de elect., dudum ad audientiam. Et arg. 16. q. 3, placuit ut § potest, vers. quod si privatus; et ff. de regul. iur., quae ab initio. Arg. contra supra, de clan. despon., quod nobis; et supra, de elect., quod sicut.

Carinam

Vulgare est Italicorum, et dicitur carina a carentia hominum, vel etiam cibariorum, nam illis quadraginta diebus includuntur in aliquo loco secreto iuxta ecclesiam, ubi non habent consortium hominum. Ber.

X 4.04.03 *Licet pater*

Praeter

Quod dicitur hic habuisti, supra, de spons., si inter.

Iudicatum

Consuetudo fuit olim in Mutinensi civitate, sed illa correcta est, infra, de sponsa duo., tuas. Ber.

X 4.04.04 *Tua fraternitas*

Ante decisionem
Appellatione enim pendente nihil innovari debet, 2. q. 6, post appellationem § appellatione; et ff. nihil inn. appel., appellatione.

Poteris irritare
Simile supra, de despon. impub., ad dissolvendum, in fi. Ex quibus colligitur quod matrimonium contra interdictum ecclesiae contractum sit omnino dimirendum, ut 35. q. 3, contradicimus; et 33. q. 4, non oportet 2; et 10. dist., vides; et C. de legi. et const., non dubium; et 25. q. 2, imperiali; et C. qui pro sua iur. iud., in causarum. Arg. contra infra, de matr. contrac. con. int., litterae; infra, de matr. contrac. con. int., ex litteris; et infra, de matr. contrac. con. int., de muliere. Solutio: cum matrimonium interdicitur ab ecclesia, aut causa prohibitionis est perpetua, aut temporalis. Si est perpetua, separantur a cohabitatione quousque cognoscatur de impedimento, quo probato separantur ex toto, lata sententia divortii inter eos, infra, de matr. contrac. con. int., de muliere. Et sic intelligitur 35. q. 3, contradicimus; 10. dist., vides; et C. de legi. et const., non dubium. Et sic intellige quod dicit hic, et supra, de despon. impub., ad dissolvendum; quo non probato remanebunt simul. Si vero causa prohibitionis fuerit temporalis, puta tempus in quo matrimonium prohibetur contrahi propter reverentiam dierum. Vel consensus de futuro cum alio, tunc non deberent separari, sed poenitentia debet eis imponi, quia contra interdictum ecclesiae hoc fecerunt, infra, de matr. contrac. con. int., ex litteris. Tamen ne mandatum iudicis contemptibile videatur, si vult, potest eos ad tempus separare, et sic intelligitur capitulum, 33. q. 4, non oportet 2; et infra, de matr. contrac. con. int., litterae. Interdictum enim ecclesiae non est tantae efficaciae, ut separetur matrimonium contra illud contractum, nisi subsit causa perpetua. Tamen praesentia debet semper imponi, sive causa sit perpetua sive non, propter contemptum ecclesiae, ut patet per iura praedicta, infra, de matr. contrac. con. int., per totum; et supra, de clan. despon., cum inhibitio.

X 4.04.05 *Tuas*

Cognovisset
Videbatur quod secundus ideo esset potior, quia illi tradita esset possesio, sicut est in venditione et donatione, C. de rei vend., quotiens; et in matrimonio spirituali, supra, de iure patron., quod autem; et supra, de iure patron., pastoralis; et in obligatione pignoris, ff. qui pot. in pign. hab., potior. Sed non est ita, immo qui prior est tempore, potior est iure, supra, de maior. et obed., cum certum. Quia iam contractus perfectus est per solum consensum, licet cum secundo processum sit ad carnalem copulam, quae matrimonium non facit sine consensu, ut infra dicitur; simile supra, de iure patron., cum autem; et ff. locat. et conduct., in operis. Licet hic circa matrimonium non stetur consuetudini, alias tamen servatur consuetudo, ut qui legitimus est ad matrimonium, consuetudo facit illegitimum, infra, de cognat. spir., super eo.

Ne vero turpis
Sic 8. dist., quae contra mores; et 11. dist., nolite; et 12. dist., non decet; supra, de praescrip., cum non liceat.

Beati Petri sedem et suam metropolim
Haec verba sunt 11. dist., nolite; et 12. dist., placuit omnibus; et supra, de postul. praelat., ad haec.

Et si solus
Solus consensus facit matrimonium, supra, de spons., per totum; et 27. q. 2, sufficiat.

X 4.05 DE CONDITIONIBUS APPOSITIS IN DESPONSATIONE VEL IN ALIIS CONTRACTIBUS

X 4.05.01 *Quicumque*

Frangatur
Intellige hoc capitulum de conditione turpi, quae tamen non sit contra naturam matrimonii, ut infra, de cond. appos., si conditiones. Per quod intellige hoc capitulum ut puta, si furtum fecerit, si hominem interfecerit, talis conditio non impedit matrimonium, immo pro non adiecta debet haberi, infra, de cond. appos., si conditiones, ubi de hoc.

X 4.05.02 *Cum sit*

Hac conditione
Arg. contra 1. q. 2, quam pio; et supra, de pact., pactiones. Dixerunt quidam quod libertas est res spiritualis, et ideo potest venire in commutationem cum alio spirituali; arg. supra, de serv. non ordin., nullus. Vel dic quod non contradicunt, quia monachatus hic non datur sub conditione, sed libertas datur si voluerint monachari, alias non erunt isti liberi, nec possent ad hoc compelli, 32. q. 1, integritas.

Ubi ipse fuerat
Potest intelligi quod ipse fuerit clericus vel patronus, 20. q. 3, praesens. Et non monachus, quoniam monachus libertatem donare non potest, cum nihil habeat, 54. dist., abbati. Nec servum proprium potest habere, 12. q. 1, non dicatis; nisi hoc fecisset in ipso ingressu. Vel quod dicit, ubi ipse fuerat, scilicet, ipse presbyter, et sic planum est.

Servituti iterum subderetur
Sic ergo videtur in servitutem redigi possunt si inde exierint, ex quo hac conditione liberi facti sunt, arg. supra, de serv. non ordin., de famulis; et supra, de serv. non ordin., nullus; C. de episc. et cler., authen. si servus; quod quidam concederunt. Laur. et Tanc. dixerunt quod haec verba non fuerunt efficacia ad revocandam libertatem, et sic remanebit liber, et iudicis officio compelli debet iussa testatoris adimplere, ff. de manumiss., testam Maevia; et ff. de manumiss., imperatores. Et littera capituli coadiuvat ad hoc, scilicet, ut nec illi deserendi, etc. Alia ratio videtur fuisse quare iste non revocatur in servitutem, quia iste quam cito acceptavit conditionem, fuit liber et monachus, et sic monachatum ulterius deserere non potuit, etiam si vellet redire in servitutem. Immo Papa cum ipso dispensare non posset, ut monachus non esset, supra, de statu monach., cum ad monasterium, in fi. Unde dicitur infra, sic te exhibe, ut nec illi deserendi monasterium sit facultas, ex quo

enim semel fuit monachus, semper erit monachus. Et ideo conditio apposita non potest revocare illum in servitutem, sed compelli debet, ut in monasterio perseveret. Secus circa alios contractus, qui revocari possunt, si pactum sive modus appositus non servetur, infra, de cond. appos., de illis. Et secus in his qui promoventur ad clericatum, supra, de serv. non ordin., de famulis; et supra, de serv. non ordin., nullus.

X 4.05.03 *De illis*

Huiusmodi verbis
Statim conditione adiecta, alias ex intervallo admitti non debet, C. de donat. quae sub mod. vel cond., perfectam.

Si tantum
Talis conditio licita est in sponsalibus, ut hic patet, et haec, si patri meo placuerit, infra, de cond. appos., super eo; et infra, de cond. appos., per tuas. Si tamen in modum poenae adiiciatur, ut si tecum non contraham, dabo centum, non valet, supra, de spons., Gemma; et ff. de ver. oblig., Titia; et C. de inutil. stipul., libera matrimonia.

Consensus de praesenti
Tunc enim recedit a conditione apposita, et simpliciter intelligitur consentire; simile supra, de despon. impub., de illis 2, in fi.

Carnalis
Et per hoc videtur recessisse a conditione, infra, de cond. appos., per tuas. Et sic est matrimonium praesumptum, contra quod non admittitur probatio, supra, de spons., is qui. Et sic duobus modis recedit a conditione, infra, de cond. appos., super eo. Ber.

X 4.05.04 *Verum*

Qualibet
Id est, aliqua de quibuslibet; sic 15. q. 1, mulier; et 1. q. 7, si quis omnem.

Conditione donatur
Si aliquis donet aliquod praedium ecclesiae sub aliqua conditione, puta ut illud restituatur Titio, si consul factus fuerit, vel consimile, statim tenet donatio. Vel quod restituatur eidem, qui donavit, vel heredibus suis, donum revocari non potest, nisi conditione adveniente; sic 12. q. 3, pontifices, in fi. Quilibet enim in traditione suae rei potest apponere pactum legibus non improbatum, ff. de pacti., in traditionibus; et C. de contrah. empt., si donationis, in fi. Et sic donatio statim tenet, licet possit per conditionem resolvi sicut venditio, supra, de pignor., illo; et ff. de in diem add., quotiens fundus. Sed huic intellectui contradicit verbum quod est in fine capituli, ea cessante. Unde expone, interposita conditione, id est, modo vel pacto. Unde nota differentiam inter donationem sub conditione et donationem sub modo: donatio enim sub conditione facta non tenet, nisi adveniente conditione, sive ea impleta, ff. de condi. et demon., qui heredi § ulti.; et ff. de condi. et demon., qui sub consitione; sic et venditio, ff. de contrah. empt., haec venditio; ff. de leg. 3, si tibi legatum; ff. locat. et conduct., insulam § ulti.; arg. infra, de cond.

appos., super eo; et infra, de cond. appos., per tuas; et de tali non intelligitur haec decretalis. Donatio sub modo statim tenet et non revocatur, quamdiu modus servatur; modo illo non extante potest revocari, prout dictum est ab initio, si hoc dictum sit, ut revocetur, si modus non servetur, ut dicit in fi., et C. de donat. quae sub mod. vel cond., si doceas; et C. de donat. quae sub mod. vel cond., si praediorum. De tali donatione loquitur decretalis ista, et huic donationi concors, quod dicit, ea cessante debeat revocari. Sic ergo expone, conditione, id est modo vel pacto. Haec expositio probatur, ff. de manum. test., Maevia. Et fit sic: dono tibi hoc, ut singulis annis hoc facias, vel consimile aliquid, sive ut alimenta mihi praestes, alioquin revocetur donatio. Donatio sub conditione fit sic: dono vel lego si hoc feceris. Unde versus: scito quod ut modus est si conditio quia causa.

Debeat revocari

Sic ergo patet quod lex in donatione dicta servari debet, alias revocatur, C. de condi. ob caus. dat., dictam legem; et C. de condi. ob caus. dat., advocationis; ut et C. de revoc. donat., etsi perfectis; et C. de donat. quae sub mod. vel cond., si doceas; et C. de donat. quae sub mod. vel cond., si praediorum. Arg. contra C. de rescind. vend., ea conditione. Sed ibi non fuit dictum, quod venditio non valeret, si non satisisfecerit reipublicae, ubi ibi agitur tantum ad interesse, ut fiat quod convenerit, ut ff. de manum. test., Maevia. Et ex hoc videtur quod res tali modo donata, scilicet, ut non alienetur, alienari non possit; quod si fiat, revocabitur. Sed pone causam necessitatis alienandi imminere, puta debitum, vel redemptionem captivorum, numquid poterit res ista alienari, vel alia quae sic tradita est, ne alienetur, alias revocetur? Videtur quod sic, quia talis conditio, ne liceat alienare rem meam, reprobatur a iure, ff. de pacti., nemo paciscendo. Et casus isti excipiuntur a iure, 10. q. 2 § hoc ius. Arg. contra expressum est quod alienari non potest, ex quo prohibetur a donatore, in Auth. de alien. et emphyt. § sanctissimas, coll. 9; C. de reb. alien., sancimus; et C. de pac. inter emp. et ven., si quis ita paciscatur. Tanc. et alii quidam dicunt, quod in tali casu res tali modo sine conditione donata ecclesiae, ne alienetur, bene potest alienari, dummodo alias possessiones non habeat ecclesia. Quoniam si alias haberet, non posset alienari propter inhibitionem testatoris sive donatoris, in quo casu dicunt intelligendam dictam Auth. de alien. et emphyt. § sanctissimas, coll. 9. Quia ut dicit canon, pro captivorum redemptione res ecclesiae alienatur, 12. q. 2, aurum. Alii dicunt, quod verius videtur, quod res tali modo donata, ne alienetur, alienari non potest etiam pro redemptione captivorum, ut dicit dicta Auth. de alien. et emphyt. § sanctissimas, coll. 9. Quia non invenitur expressum contrarium in eo casu, ergo illi stabimus, et capitulum 12. q. 2, aurum, non loquitur de talibus rebus, sed de vasis tantum loqui videtur. Ber.

X 4.05.05 *Super eo*

Si pater

Sic infra, de cond. appos., per tuas. Sic ergo matrimonium contrahitur sub conditione, sicut et emptio vel alii contractus, ff. de contrah. empt., haec venditio. Nec obstat ff. de regul. iur., actus legitimi; actus enim illi non sunt contractus, sed quasi contractus.

X 4.05.06 Per tuas (rev. 9/23)

Alieno arbitrio

Ubi enim substantia contractus confertur in arbitrium expressae personae non valet contractus, nisi ille arbitretur, C. de contrah. empt., super rebus. Sed testamentum in alterius voluntate expresse commissum non valet, ut si ita dicam, instituo te heredem, si Titius voluerit, ff. de hered. instit., si quis Sempronium; et ff. de condi. et demon., nonnumquam. Sic nec legatum expresse commissum in alterius voluntate, ut ipse det, sed ut arbitretur bene, ff. de leg. 2, in arbitrium. Sed pone, iste significavit hoc patri absenti, sed antequam pater consentiat, mutat voluntatem, et dicit quod nullo modo vult illam, etiam si pater consentiret. Pater hoc ignorans consentit, numquid est matrimonium inter eos? Videtur quod sic, ff. mand. vel cont., si mandassem; et supra, de rescript., ex parte decani; et supra, de procurat., mandato. Dico quod ex quo pater consensit, compelli debet ut illam recipiat, arg. supra, de despon. impub., de illis 1, in fi. Non est tamen matrimonium inter illos, unde si contrahat cum alia, tenebit, quia non dicitur consensus, nisi sit tempore quo pater consensit. Quia nec dicitur habere talem potestatem, nisi cui concessa durat, arg. ff. quod cui. univ. nom., item eorum § quod si actor. Quia ubi deest legitimus consensus, non est matrimonium. Ber.

Non improbet

Arg. contra, supra, de cond. appos., quicumque. Ibi loquitur de conditione inhonesta, quae tamen non est contra substantiam matrimonii, infra, de cond. appos., si conditiones. Io.

Alexander

Supra, de cond. appos., de illis. Ber.

Consensus

De praesenti, sic supra, de cond. appos., de illis; et infra, de cond. appos., per tuas.

Nequaquam

Sic hoc facit conditio apposita, quae suspendit contractum usque ad tempus conditionis extantis, ut dictum est supra, de cond. appos., verum.

X 4.05.06 *Per tuas*

Non negaret

Sed confitebatur se illam pluries diversis temporibus congniovisse post sponsalia contracta, ex tali confessione proceditur contra ipsum, quia non probavit contradictionem ante carnalem copulam.

Subsecuta

Pluries et diversis temporibus, alias non videretur bene sententiatum, cum probatum fuerit per testes viri, quod post contradictionem patris eam cognovisset; simile supra, de fide instrum., cum Ioannes, ad fi.; et supra, de probat., in praesentia. Et ita dubia probatio non sufficit.

X 4.05.06 Per tuas (rev. 9/23)

Praesumendum

Sed quare praesumitur istum recessisse a conditione, quia non est praesumendum aliquem recedere a iure suo, supra, de renunciat., super hoc. Cum praecedens consensus durare intelligatur, arg. supra, de bapt. et eius effect., maiores, in fi. Et ex eo quod primo et ultimo contradixit, praesumitur quod medio tempore non consensit, 28. dist., quia sunt culpae; et supra, de celeb. miss., cum Marthae, vers. si tunc igitur in caelum; et 1. q. 1, iudices, in fi. Et praecedens voluntas probatur per sequentem, 34. q. 1, cum per bellicam. Praeterea si pendente conditione res traditur, et postea non existat conditio, res tradita repetitur, ff. de condi. indeb., sub conditione; ff. de peric. et comm. rei vend., quod si. Praeterea conditionalis consensus nullus est ante conditionem extantem, ff. de ver. sig., cedere diem. Si ergo nullus praecessit consensus, solus coitus matrimonium non facit, infra, qui cler. vel vov. matr. contr. poss., insinuante. Dicas ergo quod consensus praecessit de futuro, ut patet in fine, quamvis per verba de praesenti expressit, supra, de cond. appos., super eo. Et ita carnalis copula subsecuta inducit matrimonium praesumptum, supra, de cond. appos., de illis; et supra, de cond. appos., super eo. Et in favore matrimonii inducta est haec praesumptio, quia per carnalem copulam ipso facto videtur consensum exprimere de praesenti, et a conditione recedere. Sic per puram conditionem receditur a conditionali, ff. de contrah. empt., sed Celsus § ulti. Sed quid si ante coitum protestetur se nolle propter hoc recedere a conditione? Nec illud prodest, supra, de consti., cum M; et supra, de appell., sollicitudinem. Item quid si dicam: contraho tecum si virginem invenero? Videtur quod sit matrimonium, supra, de cond. appos., quicumque; et infra, de cond. appos., si conditiones; et 32. q. 2, solet. Quia nec talis error dirimit matrimonium, 28. q. 2 § quod vero; sed nec dirimit emptionem, ff. de contrah. empt., alioquin § 1. Dicas quod talis conditio non impedit matrimonium. Item quid si contraho cum aliqua sub conditione, deinde cum alia pure? Tenet matrimonium. Sed pone quod postea existat conditio? Videtur quod teneat primum, quia perinde videtur ac si a principio pure contraxisset, ff. qui pot. in pign. hab., potior; arg. infra, de frig. et malef., fraternitatis, in fi. Sed secus est in matrimonio, quia non trahitur retro, ubi ab initio non fuit. Quantum tamen ad filios legitimandos retrotrahi videtur, infra, qui fil. sint legit., tanta. Item quid si contrahitur matrimonium sub conditione, quae omnino extitura est? Videtur idem ac si pure contraxisset, ff. de condi. indeb., quod si. Et secundum hoc est matrimonium antequam existat conditio. Sed dic quod ibi non est matrimonium, sed expectatur eventus conditionis, et tunc primo erit. Et si medio tempore contraheret cum alia, teneret matrimonium, licet videatur quod ex futuro eventu pendeat, an sit matrimonium, ut dixit Io. per decretalem infra, de frig. et malef., fraternitatis.

Sponsalibus

Ergo si contraxissent ante carnalem copulam, coitus nihil postea operaretur, quia nihil est ibi purum vel conditionale, quod confirmet vel ducat ad esse talis coitus, supra, de sponsa duo., tuas, in fi.; arg. supra, de confirm. util. vel inutil., examinata. Ber.

Probatum

Nota quod contra eum interpretatio, qui testes produxit, cum expresse non probant id ad quod inducuntur, sed obscure; sic supra, de probat., in praesentia. Et quia per confessionem utriusque constabat, quod pluries post sponsalia contracta carnalis copula fuit subsecuta. Et ideo quia non expresse constat per testes, quod contradictio patris

praecessit copulam, fit interpretatio pro matrimonio praesumpto, cum iam esset fundata mulieris.

X 4.05.07 *Si conditiones*

Contra substantiam coniugii
Quod dicitur hic sumptum fuit de illo canone 22. q. 2, solet; et 22. q. 2, aliquando. Nota ergo quod quaedam conditiones apponi possunt in matrimonio licitae, quae a iure admittuntur, puta si centum mihi dederis, si patri meo placuerit, ut supra, de cond. appos., de illis; supra, de cond. appos., super eo; supra, de cond. appos., per tuas. Huiusmodi enim conditiones honestae sunt, nec sunt contra substantiam matrimonii, quia potest esse cum illis et sine illis, unde non probat hoc esse, quod ab hoc contingit abesse, supra, de translat., inter corporalia. Est et alia conditio honesta, quae est de substantia matrimonii, ut cum Christianus dicat Iudeae vel haereticae, contraho tecum si vis fieri Christiana, sine ista non teneret matrimonium, 28. q. 1, non oportet. Sunt et aliae conditiones inhonestae, et turpes, de quibus hic fit mentio, et illarum quaedam sunt contra substantiam matrimonii, ita ut illis appositis non teneat matrimonium, de quibus hic habes in principio et capitulis praedictis, 22. q. 2, solet; et 22. q. 2, aliquando. Sunt et aliae inhonestae, turpes, aut impossibiles, ut si dicatur, contraho tecum si furtum feceris, si homicidium feceris, istae enim sunt turpes. Idem est si sit impossibilis, ut si dico, contraho tecum si dederis mihi imperium, si digito caelum tetigeris, ff. de iniust. rup. testam., cum in secundo. Huiusmodi conditiones non sunt contra substantiam matrimonii, et de talibus intelligitur, quod dicitur in fine, si turpes vel impossibiles. Et ideo si apponatur, pro non adiectis haberi debent, ut dicit in fine, et supra, de cond. appos., quicumque. Quod de huiusmodi conditionibus intelligitur, et matrimonium tenet. Et sic videtur quod omnis conditio quae est contra naturam contractus, ipsum impediat si apponatur. Et haec est ratio, cum tria debeant esse bona matrimonii, saltem quo ad propositum, scilicet, fides, proles, et sacramentum, 27. q. 2, omne itaque. Per illas tres conditiones extinguuntur illa tria bona, quae in quolibet matrimonio necessario requiruntur, aliter non erit matrimonium, ut hic patet. Sed contra videtur, 10. q. 1, sic quidam contra, ubi tenet contractus non obstante conditione contra naturam contractus. Et arg. contra, 28. dist., diaconi, ubi tenet ordinatio, licet dicat se velle habere uxorem, quod est contra ordinis substantiam. Idem quid si dicat, profiteor talem religionem, ita quod possim proprium habere, et uti matrimonio? Videtur quod tenet monachatus, infra, qui cler. vel vov. matr. contr. poss., insinuante. Non credo quod teneat monachatus sub hac conditione, quia illa est contra substantiam monachatus, supra, de statu monach., cum ad monasterium, in fi.; et arg. supra, de conver. coniug., dudum. Haec fuit opinio Hug. quam invenies, 19. q. 3, si qua § nunc autem. Alii contradicunt.

Si generationem, etc.
Ista conditio est contra bonum prolis.

Donec inveniam aliam
Haec conditio est contra sacramentum, quod debet esse individuum.

X 4.06.01 De diacono (rev. 9/23)

Aut si pro quaestu
Exemplum est de conditione, quae est contra bonum fidei.

Impossibiles
Simile supra, de pact., pactiones. Et sic in testamento turpis conditio pro non adiecta habetur, C. de insti. sub cond. fac., reprehenda; et ff. de condi. insti., quidam; et C. de his quae poen. nom., supervacuam, in fi.; et ff. de leg. 1, turpia; ff. de usufruct. et habit., sed neque. Sic turpis sive impossibilis stipulatio, etiam in aliis contractibus non obligat; ff. de ver. oblig., generaliter; et ff. de ver. oblig., veluti si quis; et ff. de act. et oblig., non solum; Inst. de inutil. stipul. § impossibilis.

Propter eius favorem
Sic ergo matrimonium res favorabilis est, unde propter ipsius favorem pater et mater in ipsius praerogativa ad testimonium admittuntur, qui in aliis contractibus repelluntur, infra, qui matrim. acc. poss., videtur, in fi.; et plura alia specialia ibi observantur, ut notatur supra, ut lite non cont., ad hoc.

X 4.06 QUI CLERICI VEL VOVENTES MATRIMONIUM CONTRAHERE POSSUNT

X 4.06.01 *De diacono*

Uxorem accepit
De facto, quia non potuit de iure, 32. dist., erubescant; et 32. dist., placuit.

Contrito et humiliato
Alias non est recipiendus, quia venia non datur nisi correctis, 24. q. 2, legatur. Nec potest gaudere se correctum, nisi prius doleat si fuisse perversum, 23. q. 7, quemadmodum. Et dicit lex, delicti enim veniam poenitentibus indulgemus, C. de haeretic., Manichaeos; et C. de summ. trinit. et fide cath., inter claras; et de poen. dist. 1, neminem; et de conse. dist. 4, omnis qui. Et dixit Salomon: qui abscondit peccata sua non videbit lumen in aeternum.

Absolutione obtenta
Non dicit a quo debet peti, unde videtur quod a Papa tantum, 17. q. 4, si quis suadente. Et praecipue propter atrocitatem facti, unde etiam si esset monachus, abbas ipsum absolvere non posset, infra, de sent. excom., cum illorum. Vel forte ex ista indulgentia speciali ipsum potuit absolvere, quod est verum, ut patet in antiqua.

Dispensative
Et ita episcopi possunt etiam dispensare cum clericis constitutis in sacris ordinibus, si contrahant de facto, sic supra, de cleri. coniug., sane 2. Arg. contra supra, de bigam., nuper. Sed illud intellgiitur de illo, qui in saeculari habitu unam habuit de iure uxorem, et in sacro contraxit, cum illo tamquam cum bigamo non potest dispensari. Arg. contra infra, qui cler. vel vov. matr. contr. poss., ex litterarum. Sol. ut ibi. Ber.

X 4.06.02 Ex litterarum (rev. 9/23)

Interfecerit

Putabat enim forte iste archiepiscopus propter homicidium, quod degradari debeat, et quod amisisset ordinem, quod non est verum, quia character in anima impressus non tollitur, ut 1. q. 1, quod quidam. Unde non potest contrahere, propter delictum enim non est alicui subveniendum, ff. ex quib. cau. maio., sed et si per praetorem § actio. Nec stulti melioris conditionis debent esse quam periti, ff. quod vi aut cla., servus. Nemo enim delinquendo fit melior, ff. ad leg. Falc., pretia; et 16. q. 1, legi. Sic malae fidei possessor non debet esse melioris conditionis quam bonae fidei, ff. de pet. hered., si a domino vel a patre § si praedo.

Canonum

32. dist., si quis eorum; et 32. dist., de illo; et 32. dist., omnium sacerdotum; et 84. dist., cum in praeterito. Ber.

X 4.06.02 *Ex litterarum*

Abiurare

Arg. contra, supra, de cohab. cler. et mul., clericos. Illud intelligendum est ubi suspicio habetur de periurio, ut saepe faciunt inter se concubinarii, tunc non exigitur iuramentum, ut ibi satis colligitur, vel illud circa contubernium, hoc in divortio cuiuscumque matrimonii, 35. q. 6, ab isto die.

In subdiaconatu ministrare

Arg. contra, supra, qui cler. vel vov. matr. contr. poss., de diacono, ubi dispensatur cum eo qui in pluribus deliquerat quam iste. Quae fuit ergo ratio? Placuit hoc domino Papae, ut maiorem gratiam faceret illi quam isti. Illa potuit esse ratio, quia non videbatur vere poenitens, et praesumptio erat contra ipsum de sua incontinentia, et cum talibus non est dispensandum, cum pro reversionis spe pravae actionis desideria concipere non formidant, 50. dist., si lapsis; et 50. dist., ut constitueretur. Et ideo Papa prohibet, ne cum ipso dispenset, cum alias suo iure dispensare posset, ut supra, qui cler. vel vov. matr. contr. poss., de diacono. Sed si iurare voluerit religionem, tunc favore religionis poterit circa ordinem dispensare, sic infra, de apostat., ex litterarum; vel de consilio loquitur cum de iure suo episcopus posset dispensare cum ipso, ut supra, qui cler. vel vov. matr. contr. poss., de diacono; et supra, de cleri. coniug., sane 2. Ber.

In minoribus

Simile 50. dist., placuit; et 15. q. 8, si quis presbyter. Ber.

X 4.06.03 *Meminimus*

Professionem

Quae etiam sola facit monachum, supra, de regular., porrectum. Unde in saeculo remanere non debuit, nec contrahere matrimonium, immo compelli debet redire ad monasterium, supra, de regular., sicut nobis, ut hic dicitur; arg. 27. dist., quod interrogasti; et 27. q. 1, quasi per totum.

X 4.06.04 Consuluit (rev. 9/23)

Nec habitum

Maxime, quia solus habitus non facit monachum, sed professio regularis, supra, de regular., porrectum; nisi gestaret habitum monachalem cum aliis per annum, quia tunc praesumitur professionem fecisse, ut postea ei exire non liceat, supra, de regular., ex parte; et supra, de regular., vidua.

Transituram promissit

Et ita votum fuit simplex tantum, quod per fortius vinculum tollitur, infra, qui cler. vel vov. matr. contr. poss., rursus; 27. dist., si vir; 17. q. 2, nos novimus. Aequaliter tamen cum solemni obligat apud Deum, ut dicit illa decretalis, infra, qui cler. vel vov. matr. contr. poss., rursus, ubi de hoc dicetur.

X 4.06.04 *Consuluit*

Mutavit habitum

Nulla facta professione seu voto, unde non impeditur matrimonium, 17. q. 2, Gonsaldus; et supra, qui cler. vel vov. matr. contr. poss., meminimus. Ber.

Presbyteri velamen

Scilicet, probationis, qui distinctus esse debet ab habitu professorum, supra, de regular., statuimus; qui non dirimit matrimonium iam contractum, supra, qui cler. vel vov. matr. contr. poss., meminimus; et infra, qui cler. vel vov. matr. contr. poss., rursus.

Non renunciavit

Per haec quae hic enumerantur, patet quod non assumpsit religionem, nec habuit propositum mutandi saeculum. Unde libere exire potuit infra annum, et etiam anno completo, supra, de regular., statuimus, ubi dicitur quod evidenter debet apparere si saeculum mutare voluerit. Et ita signa mutationis evidenter debent apparere, ad hoc ut aliquis censeatur monachus, alias exire poterit infra annum, et anno finito, 20. q. 1, illud.

Super altare

Vide qualiter quis potest profiteri in manu episcopi, 27. q. 1, viduitatis; et in manu etiam monachi, infra, qui cler. vel vov. matr. contr. poss., insinuante; et coram sacerdote per ipsius benedictionem, 27. q. 1, sciendum; et 20. q. 1, vidua; et super altare, ut hic dicit.

Non dirimit

27. dist., presbyteris § hinc distinguendum; et 27. dist., si vir; et infra, qui cler. vel vov. matr. contr. poss., rursus; supra, de regular., porrectum.

Susceptus

Sed videtur quod eo ipso quod suscepit habitum et velamen, votum suum solemnizaverit, ita ut ad monasterium redire cogatur; arg. supra, de regular., vidua; 27. dist., quod interrogasti. Littera istius capituli satis solvit contraria illa. Hic constabat quod absolute habitum non mutavit, ibi vero eo animo et proposito habitum et velamen susceperunt, ut monachae essent, unde postea non audiuntur, etiam si contrarium vellent iurare. Ber.

X 4.06.05 *Veniens*

Absenti
Arg. quod matrimonium inter absentes contrahi potest, 32. q. 4, honorantur; et 30. q. 5, nec illud; et supra, de conver. coniug., ex parte tua; et eodem modo sponsalia, ut hic, et ff. de sponsal., sufficit nudus; et ff. de sponsal., haec ita. Ber.

Promissit
Per interpositam personam, quae mandatum habebat ad hoc, alias nihil esset.

De severitate
Timor iste vanus erat, unde non excusatur quo minus debeat compelli ad matrimonium contrahendum propter fidem datam, si ille cum alia non contraxisset, non obstante voto simplici, arg. supra, de spons., ex litteris 2. Prima enim fides servari debet, supra, de spons., sicut; nisi fortius vinculum superveniat, ut supra, de spons., si inter.

Continentia votum
Mulier ista vovit continentiam, nec mutavit locum nec vestem, nec etiam fecit professionem, et tamen post votum continentiae de praesenti contrahere potest. Et ita est arg. optimum quod votum non solemnizatur per votum continentiae tantum. De hoc dicitur infra, qui cler. vel vov. matr. contr. poss., rursus.

Fornicationis
Arg. minus malum tolerandum, ut maius evidenter, 33. q. 2, si quod verius; 27. q. 1, hi qui; 22. q. 1, considera; et 4. dist., denique.

Voto violato
Id est, violando. Simile ff. de iureiuran., admonendi, in vers. absolutus id est absolvendus. Vel dic, violato animi destinatione, quia petebat sibi dari licentiam contrahendi. Nec intelligo quod imponatur poenitentia nisi sub ea conditione, si contraxerit, vel imponetur postquam contraxerit, vel etiam de voluntate mutata agitur poenitentia; arg. 17. q. 4, sunt qui opes.

Non postponas
Sed qualiter datur huic licentia contrahendi contra votum continentiae, licet sit simplex, cum apud Deum aequaliter obliget cum solemni, infra, qui cler. vel vov. matr. contr. poss., rursus. Ergo debuit compelli, ut servet votum, sicut fit in sponsalibus, supra, de spons., ex litteris 2. Dicas quod non dat hic ecclesia licentiam contrahendi directe, sed est hic quaedam comparativa permissio, ne deterius inde contingat, ut ex littera patet. Et quia in perturbatione animi votum emisit, arg. 17. q. 2, Gonsaldus. Unde datur ei licentia contrahendi, alias non daretur, nam votum continentiae servandum est a coniugatis, 33. q. 5, quod Deo pari.

X 4.06.06 *Rursus*

X 4.06.06 Rursus (rev. 9/23)

Castitatis

Simpliciter, supra, qui cler. vel vov. matr. contr. poss., veniens.

Apud Deum

Ergo videtur aequaliter observandum ut solemne, quod falsum est, quia solemne servatur post contractum matrimonium, infra, qui cler. vel vov. matr. contr. poss., insinuante; istud vero non, 27. dist., si vir. Et hic dicas quod ab initio sunt aequaliter observanda, et utrumque in tantum obligat, quod qui contravenit, peccat mortaliter. Et dico non minus, id est, non minori tempore, quia utrumque in perpetuum obligat, et utriusque factio est mortale peccatum, licet unus minus peccet alio, quod patet ex minori poenitentia, 27. dist., si vir; et 27. q. 1, virginibus; et 27. q. 1, devotam. Vel hoc contingit propter adiunctum, scilicet, propter bonum matrimonii, arg. 27. q. 1, nuptiarum. Et est simile quod dicitur inter simplicem loqualem et iuramentum non facit Deus differentiam, 22. q. 5, iuramenti. Et collige ex hoc quod hic dicitur, votum ex sui natura non dirimere matrimonium, sed constitutio facta super voto. Quia fit hic mentio de voto simplici et solemni, vide quid sit utrumque. Votum solemne est quod fit interveniente aliqua istarum solemnitatum, videlicet, per susceptionem sacri ordinis, 28. dist., diaconi; et 84. dist., cum in praeterito. Item per susceptionem sacrae vestis, quae tantum praesentibus dari debet, supra, de regular., statuimus; et maxime cum aliis incipiat cantare, et oblationem facere in ecclesia, 27. q. 1, vidua; et supra, de regular., vidua; et 27. dist., quod interrogasti. Tertio modo cum per professionem devovet se alicui religioni in manu abbatis vel abbatissae, vel etiam in manu monachi, supra, de regular., statuimus; et supra, qui cler. vel vov. matr. contr. poss., consuluit; et infra, qui cler. vel vov. matr. contr. poss., insinuante; praesentibus testibus per quos probari professio, si ille negaret. Et ne hoc negari possit, fiat inde publica scriptura, 27. q. 1, omnes feminae; in qua scriptura profiteatur se velle religiose vivere, 30. q. 1, vidua; et tale votum impedit matrimonium contrahendum, et dirimit iam contractum, 27. q. 1, per totum, usque ad 27. q. 1, nuptiarum. Alias autem votum continentiae factum, quamvis coram multis, dicitur simplex, quasi non vestitum sive institutum aliqua solemnitate. Et tale votum impedit matrimonium contrahendum, sed non dirimit iam contractum. Quasi dicat non debet contrahere post tale votum, tamen si contrahat, tenet, supra, qui cler. vel vov. matr. contr. poss., consuluit; et supra, qui cler. vel vov. matr. contr. poss., veniens; et 27. q. 1, nuptiarum; cum sequentibus capitulis. Et post hoc votum continentiae, cum quis dicit: voveo continentiam, dat ecclesia licentiam contrahendi, supra, qui cler. vel vov. matr. contr. poss., veniens. Haec opinio hodie quasi communis est, et in hac opinione fuit Gratian., 27. dist. § hic distinguendum; et 27. dist., presbyteris. Hug. vero dixit quod votum continentiae perpetuae inter omnia vota impedit et dirimit matrimonium iam contractum, et in nullo casu est matrimonium post votum perpetuae continentiae, quo ad Deum. Et si postea contrahat, de solo facto contrahit, et mortaliter peccat. Et hoc dicit esse verum si votum continentiae proprie teneatur. Proprie dicitur votum continentiae cum dico: voveo perpetuam continentiam. Improprie cum dicitur: voveo sive promitto quod post annum sive post mortem uxoris meae vovebo perpetuam continentiam; quod est dicere, votum de praesenti et de futuro. Et dicit Hug. quod solemnitates praemissae non sunt de substantia voti, sed signa et probationes voti, si votum revocetur in dubium. Io. dixit quod si aliquis coram tota ecclesia dicat: voveo perpetuam continentiam, non solemnizatur votum, nisi aliquid de praemissis interveniat. Unde si postea contrahat,

tenet matrimonium. Hug. vero contra, ut patet. Sed certe quod dicit Hug. magis videtur tutum, licet enim aliquis non efficiatur monachus, bene potest se obligare ad continentiam perpetuam per votum, sicut potest se obligare ad alia vota, quia votum continentiae excedit omnia alia vota, unde non posset commutari in maius bonum; arg. 32. q. 1, nuptiae. Unde et si coniugati continentiam promittant, eam servare tenentur, 33. q. 5, quod Deo pari. Hug. contradicit Alexandrum, supra, qui cler. vel vov. matr. contr. poss., veniens; cui potius standum est.

Observaro
Quod si prius iurasset, et postea votum simplex emisisset, tene quod dicitur supra, de spons., commissum.

Videtur
Quia remanebit cum illa, supra, qui cler. vel vov. matr. contr. poss., consuluit.

X 4.06.07 *Insinuante*

Supplicatum
Contra illa iura, nam a principe non est petenda uxor, 36. q. 2, nullus; et poenam deportationis meretur, C. si nup. ex resc. pet., quidam vetusti; et quia debent esse libera matrimonia, supra, de spons., Gemma.

Quod in manibus
Et ita solemnizavit votum contientiae tradendo se ordini sancti Augustini in manibus illius monachi, ut infra patet, et habitum professorum suscipiendo.

Ut in domo proprio
Ergo non erat monacha, ex quo potest proprium retinere, arg. supra, de statu monach., cum ad monasterium, in fi.; cum talis conditio sit contra substantiam monachatus, supra, de cond. appos., si conditiones; et 32. q. 2, solet; et arg. ff. de act. et oblig., non solum. Arg. 10. q. 1, sic quidem; et supra, de cond. appos., quicumque. Talis enim conditio est contra substantiam monachatus, unde ea retenta impedit monachatum. Quidam tamen dicunt quod ea adiecta tenet monachatus, et pro non adiecta haberi debet arg. huius littera. De hoc dixi supra, de cond. appos., si conditiones; verba ista in domo propria, cum omni sua substantia, sic expone, id est, cum usufructu suae substantiae olim ante monachatum, ut de usufructu illarum rerum victum et vestitum haberet in vita sua, quicquid enim superest, debet esse et est monasterii. Et si quid deest ei, suppletur a monasterio; similis enim expositio habetur 27. q. 1, si quis rapuerit. Et sic ista erit monacha, et potest remanere in domo quondam sua, cum usu rerum quas contulit monasterio, 27. q. 1, viduis.

Metu regio
Arg. quod imperium regium non sufficit ad iustum metum, arg. C. quod metus cau., ad invidiam. Arg. contra C. quod metus cau., venditiones; et 23. q. 8, convenior. Similiter imperium parentum non sufficit, ff. de ritu nupt., si patre; 32. q. 7, omnes causationes.

X 4.07.01 Propositum est (rev. 9/23)

Vel modica

Nota quod levis metus non excusat in voto, ut hic, et supra, de his quae vi met. caus. fi., cum dilectus. Sed in electione levis metus sufficit, 1. q. 1, si quis autem. Similiter in matrimonio, ut videtur, quia plena debet securitate gaudere, supra, de spons., cum locum; ff. de ritu nupt., si patre. Tamen talis debet esse quod possit cadere in constantem virum, supra, de spons., veniens 2; et supra, de spons., consultationi.

Patientia

Nota quod ratione temporis evanescit exceptio, quia praesumitur consentire, 1. q. 1, constat; supra, de spons., ad id quod; infra, de frig. et malef., accepisti; C. quod metus cau., si vi; ff. de condi. ob turp. caus., si ob turpem; ff. de ritu nupt., si pater. Ber.

X 4.07 DE EO QUI DUXIT IN MATRIMONIUM QUAM POLLUIT PER ADULETRIUM

X 4.07.01 *Propositum est*

Insciam

Hoc excusavit mulierem ab adulterio, quia ignorans non committit adulterium, 34. q. 2, in lectum; et ff. de adulter., defuncta. Alioquin si fuisset conscia, non posset postea cum eo remanere, infra, de eo qui dux. in matr. quam pol. per adult., cum haberet. Immo plus prodest, quia filii de tali matrimonio legitimi sunt censendi, propter bonam fidem uxoris, infra, qui fil. sint legit., ex tenore; et infra, qui fil. sint legit., cum inter. Et tamen non fuit matrimonium inter eos, etiam post mortem primae uxoris, licet enim ista crederet eum liberum, ligatus tamen erat. Et in primo consensu, qui nullus fuit, intelligitur perdurare, sicut nec matrimonium contrahitur cum servo, licet credatur liber, alias non contractura, etiam si postea manumitteretur eo ignorante. Quia post manumissionem factam manendo cum eo, approbare semper intelligitur primum consensum, qui erroneus fuit, et non alium, unde matrimonium non procedit. Arg. contra ff. de off. procon., observare § ulti. Immo videtur expressum ff. de iure dot., Proculus; prius dictum verum est, tamen si mulier vult, compellitur ipsam ducere propter dolum et fraudem illius, ut in fine dicit.

In canonibus

21. q. 1, nullus ducat; et infra, de eo qui dux. in matr. quam pol. per adult., ex litterarum; infra, de eo qui dux. in matr. quam pol. per adult., cum haberet; et infra, de eo qui dux. in matr. quam pol. per adult., si quis, in fi.

Fidem dederat

Vel si de facto eam duxit, infra, de eo qui dux. in matr. quam pol. per adult., cum haberet. Et supple et eam cognovit vivente sua uxore, alias non impediretur contrahere cum ea, infra, de eo qui dux. in matr. quam pol. per adult., si quis.

Machinata

31. q. 1, si quis vivente; et infra, de eo qui dux. in matr. quam pol. per adult., super hoc.

BOOK IV **X 4.07 DE EO QUI DUXIT IN MATRIMONIUM QUAM POLLUIT PER ADULETRIUM**

X 4.07.02 Significavit (rev. 9/23)

De suo dolo

Supra, de rescript., sedes; et 30. q. 1, dictum.

Nisi mulier

Et ita compellitur vir remanere cum ea, si voluerit, propter culpam et dolum ipsius viri, sed non econverso; simile infra, de adult., pervenit. Et ita est hic arg. quod contractus pro parte tenet, et pro parte non, supra, de despon. impub., de illis 1; ff. mand. vel cont., potest; C. de rescind. vend., rem maioris; et Inst. de auct. tut., circa princ.; ff. locat. et conduct., sicut emptio § interdum; et ff. de act. emp. et vend., Iulianus § si quis a pupillo; 29. q. 2, si quis ingenuus; 32. q. 5, proposito; 32. q. 2, aliquando; 27. q. 2 § sequitur; et 31. q. 2, si verum; et 31. q. 2, tua. Si tamen contraheret cum alia, teneret matrimonium, infra, de eo qui dux. in matr. quam pol. per adult., veniens.

X 4.07.02 *Significavit*

Significavit

Iste O. coactus fuit quandam depsonsare in uxorem praestito iuramento. Postea vero contraxit cum alia spontanea voluntate conscia huius facti. Prima petit illum in virum coram Eboracensi archiepiscopo, qui eum compulit recedere a secunda praestito iuramento, donec lis esset iudicio ecclesia terminata inter ipsum et primam. Lite pendente mortua est prima. Dubitabat iste O. an deberet redire ad secundam, quam sponte duxerat in uxorem. Respondet Papa prout sequitur.

Tanta vis

Quae posset cadere in constantem virum, supra, de spons., veniens 2; et supra, de spons., consultationi; simile supra, de his quae vi met. caus. fi., perlatum; et supra, de his quae vi met. caus. fi., cum dilectus. Arg. contra 15. q. 1, merito quaeritur; et supra, de iureiur., si vero. Iuramentum istud poterat servari sine interitu animae, ergo debuit servari ut ibi dicitur. Et haec non habent hic locum, quia matrimonia libera debent esse et non coacta, supra, de spons., cum locum; et supra, de spons., praeterea 1; et supra, de spons., requisivit; et supra, de spons., Gemma.

Cognoverit

Quod si fecit antequam contraheret cum secunda, consensisse videtur, unde amplius secundam habere non posset, supra, de spons., ad id quod; supra, de despon. impub., de illis 2; et infra, qui matrim. acc. poss., insuper. Et est arg. quod ratihabitio retrotrahitur, sic supra, de regular., significatum, ad fi.; 1. q. 1, constat; 63. dist., Salonitanae; de coniug. serv., proposuit; et supra, de his quae vi met. caus. fi., perlatum.

Ne ad secundam

Consciam huius facti, alias enim bene posset eam habere, supra, de eo qui dux. in matr. quam pol. per adult., propositum.

Revertatur

Arg. est hic quod ab initio non valet, tractu temporis non convalescit, licet perveniat ad eum casum, a quo potuit habere initium, Inst. de legat. § an servo; 2. q. 1, in primis, circa

princ.; Inst. qui test. tut. dari poss. § si quis; 36. q. 2, placuit. Arg. contra 30. q. 1, ad limina; ff. de servit., ut pomum; 34. q. 2, in lectum. Prima rubrica locum habet quando perpetuum subest impedimentum. Contraria adaptantur ad hanc regulam: multa impediunt faciendum quae iam factum non dirimunt, quia quod ab initio legitime factum est, ex supervenienti delicto non mutatur, ff. de itin. act. priv., nec enim; nisi lege vel canone illud exprimatur, ut patet per contraria, quod perpetuo prohibetur fieri, quolibet casu superveniente, prohibitio durat, ut in primis concordantiis, et infra, de eo qui dux. in matr. quam pol. per adult., super hoc.

X 4.07.03 *Super hoc*

De facto matrimonio copulavit
Et eam vivente sua uxore cognovit, alias non prohiberetur, infra, de eo qui dux. in matr. quam pol. per adult., si quis. Et ea sciente quod haberet uxorem, secus si ignoraret, supra, de eo qui dux. in matr. quam pol. per adult., propositum; et supra, de eo qui dux. in matr. quam pol. per adult., significavit; et infra, de eo qui dux. in matr. quam pol. per adult., ex litterarum; et infra, de eo qui dux. in matr. quam pol. per adult., cum haberet.

Revertatur
31. q. 1, si quis vivente; et supra, de eo qui dux. in matr. quam pol. per adult., propositum. Et intellige cum effectu, ut dicit 31. q. 1, si quis vivente. Quod dicit, machinata, quia verba cum effectu sunt accipienda, supra, de cleri. non residen., relatum; et supra, de spons., adolescens; de poen. dist. 1, haec autem verba; et ff. quod quisque iur., hoc edictum summam § hoc autem; et arg. infra, de eo qui dux. in matr. quam pol. per adult., si quis. Quid si aliquis interficit aliquem in bello, non eo proposito quod velit uxorem? Dicas quod sic, supra, de conver. infid., laudabilem.

Fidem dederit
31. q. 1, relatum; et infra, de eo qui dux. in matr. quam pol. per adult., significasti. Ber.

X 4.07.04 *Ex litterarum*

Aliam superinduxit
In uxorem quae fuit conscia, quod aliam habeat uxorem; alias non noceret, supra, de eo qui dux. in matr. quam pol. per adult., propositum; et infra, de eo qui dux. in matr. quam pol. per adult., veniens.

Separare
Infra, de eo qui dux. in matr. quam pol. per adult., cum haberet; et infra, de eo qui dux. in matr. quam pol. per adult., significasti; 31. q. 1, relatum.

Aliam ducere poterit
Acta poenitentia, arg. supra, de spons., cum in Apostolica. Vel etiam parte poenitentiae, si timetur de incontinentia, 33. q. 2, in adolescentia. Ber.

X 4.07.05 *Cum haberet*

Perpetua continentia
Hoc fit propter causas quae hic ponuntur, et quia ambo processerant in dies suos. Tamen si timeretur de incontinentia ipsorum, puta si essent iuvenes, daretur eis licentia contrahendi, 33. q. 2, adolescentia; et 33. q. 2, antiqui. Sed contra videtur supra, de eo qui dux. in matr. quam pol. per adult., ex litterarum, ubi datur licentia contrahendi in simili casu, sed ratio redditur in littera, quod isti plus peccaverunt quam alii, unde plus puniuntur, et quia senes videbantur.

Leo Papa
31. q. 1, nullus ducat.

Et quod hic plus
Sic infra, de eo qui dux. in matr. quam pol. per adult., si quis. Sed videtur quod casus iste non sit alius ab aliis duobus, de quibus habes supra, de eo qui dux. in matr. quam pol. per adult., super hoc. Quia si ducit illam, fidem dat illi, et ita idem est ducere sic eam de facto, quod fidem dare. Satis potest dici quod iste casus non est diversus ab illis, et hic non dicitur quod sit alius omnino, sed quod plus est hic, quam si fides tantum detur, quia hic primo intervenit fides in desponsatione tali de facto, et postea eam ducit. Sed verius est quod est tertius, et bene differt ab aliis, quia hic est fides de praesenti contrahendo cum ea quatenus potest. Sed in alio casu est tantam fides de futuro, et est similis differentia, sicut inter sponsalia et matrimonium; arg. infra, de eo qui dux. in matr. quam pol. per adult., si quis. Et plus est hoc quam fidem dare, ut hic dicitur, et plus peccat.

Cum eadem
Scilicet, uxore. Ber.

Iuramenti
Iuramentum istud quod fecit iste, ut ei ulterius non adhaereret, non sufficit, quam eam habere non possit, quia idem esset si eam abiurasset, cum aliud subsit impedimentum, ut patet per hanc litteram; unde supple maxime.

Quam Triburiensis
31. q. 1, relatum; et 31. q. 1, sequenti.

Multiplicitas
Quandoque tamen favor filiorum dispensationem inducit, 25. q. 8, de gradibus; et ff. de ritu nupt., qui in provincia, alias incipit, divus.

Non minuat
Infra, de simon., non satis; et infra, de simon., cum in ecclesiae; et supra, de consuet., cum tanto.

X 4.07.06 Significasti (rev. 9/23)

Intererit

Apud quem debeant demorari filii facto divortio, habes C. divort. fact., licet. Et apud talem commorari debent, qui eorum vitae vel sanguini non insidietur, supra, de conver. infid., ex litteris, ubi de hoc.

Secundum facultates

Hoc est regulare, quod secundum facultates alimenta ministrentur, ff. de liber. agnosc., si quis a liberis, 1. resp.; et ff. de liber. agnosc., si quis a liberis § si quis ex his; et C. de alend. lib., si competenti; et C. de alend. lib., si patrem. Et si procuratio exhiberi debet secundum facultates ecclesiae, supra, de censib., sopitae; et supra, de censib., cum nuper. Et nota quod filius minor triennio ali debet apud matrem, maior triennio apud patrem, C. de patr. potest., nec filium; et supra, de conver. infid., ex litteris, in fi.; et arg. ff. de liber. agnosc., si quis a liberis § non tantum. Illud scias quod sicut parentes alere debent filios, 1. dist., ius naturale; sic et filii parentes si egeant, ut in ff. de liber. agnosc., si quis a liberis, in princ.; et ff. de liber. agnosc., si quis a liberis § si impubes; et C. de alend. lib., parentum; et C. de alend. lib., competens; et 30. dist., si qui filii; et 22. q. 4, inter caetera. Tamen recusare potest pater alere filium iusta de causa, si forte eum accusavit, ut ff. de liber. agnosc., si quis a liberis § si quis ex his, in fi. Ubi autem pater et filius egent, mater compellitur eos alere, ut ff. de liber. agnosc., si quis a liberis § utrum; et ff. de liber. agnosc., si competenti; et C. de alend. liber., authen. quemadmodum; et in Auth. ut liceat mat. et avi. § illud, coll. 8. Si autem mater alit filium dum pater abundat, potest petere expensas, si hoc fuerit protestata, ff. de negot. gest., Nesennius; post triennium tamen. Sed haec quae dicta sunt intelliguntur de legitimis, unde signantur contraria in Auth. quib. mod. nat. fil. effic. legit. § ulti., coll. 6; et C. de incest. nupt., authen. ex complexu; et C. de nat. lib. et mat., authen. licet parti; et infra, qui fil. sint legit., per venerabilem, in fi. Sed illa contraria intelliguntur de rigore iuris civilis. Quod videtur inductum in detestationem criminis, hoc intelligitur de benignitate canonica, quae vigorem summit a iure naturali. Nam educatio filiorum de iure naturali est, 1. dist., ius naturale; et ex instinctu naturae procedit. Unde ius istud praefertur civili, tamen filii non succedunt in bonis patris et illegitimi sunt, supra, de clan. despon., cum inhibitio § 1. Ber.

X 4.07.06 *Significasti*

Adhaesit

Et quia eam non dimittebat, fuit excommunicatus. Et ideo dicit in fine, si petierit absolutionem, ipsum absolvas.

Machinatus

31. q. 1, si quis vivente; et supra, de eo qui dux. in matr. quam pol. per adult., super hoc.

Fidem dederit

31. q. 1, relatum; et infra, de eo qui dux. in matr. quam pol. per adult., si quis. Idem est si de facto eam in uxorem ducat, supra, de eo qui dux. in matr. quam pol. per adult., cum haberet. Et hoc verum est cum mulier ista scit illum aliam habere, alias non noceret, quo minus post mortem uxoris posset secum remanere, supra, de eo qui dux. in matr. quam pol. per adult., propositum; et infra, de eo qui dux. in matr. quam pol. per adult., veniens.

X 4.07.07 Veniens (rev. 9/23)

Si petierit

Immo videtur quod compelli debet, arg. 22. q. 1, praedicandum; et 93. dist., diaconi. Sed qualiter potest compelli, cum iam sit excommunicatus? Hoc modo, ut alii compellantur ne ei communicent, infra, de usur., post miserabilem. Alii dicunt quod non est absolvendus nisi petat, ut ista littera satis innuit, quia impoenitenti non datur remissio, 24. q. 2, legatur; et 23. q. 7, quemadmodum. Sed haec non est contrarietas, quia utrumque fieri potest, ut ille indirecte compellatur, et sic absolvi et satisfaciet.

X 4.07.07 *Veniens*

Insciam

Si hoc fuit verum, legitime poterit remanere cum illo; simile supra, de eo qui dux. in matr. quam pol. per adult., propositum.

De novo

Ut sic teneat matrimonium ut ex nunc, si illa voluerit in eum consentire, alias non compellerentur, sed vir, supra, de eo qui dux. in matr. quam pol. per adult., propositum. Sic et transactio dolo alterius tantum initia, ab eo revocari non potest, C. de transaction., transactione; simile ff. de off. procon., observare § ulti.; simile ff. de leg. 3, si incertus § 1.

Fidem adultera

Hoc ideo dicit, quia et si illa hoc scivisset, et quod haberet aliam uxorem, adultera diceretur. Unde non posset esse cum illo propter fidem datam, et quia etiam plus fuit hic, quia in uxorem eam duxit, supra, de eo qui dux. in matr. quam pol. per adult., cum haberet. Sed quia fuit ignorans, adulterium non commisit, 34. q. 2, in lectum; ff. de adulter., si ex lege.

X 4.07.08 *Si quis uxore*

Cognovit eandem

Sic patet quod sola fides data, vel tantum de facto contrahere, non impedit matrimonium, uxore defuncta, nisi ad carnalem copulam sit processum. Et sic intellige omnia illa iura, quae dicunt quod nullus ducat in matrimonium, cui dedit fidem de ea ducenda post mortem uxoris, vel cum qua contraxit de facto. Et ita est argumentum quod voluntas sive factum, nisi fuerit subsecutus effectus, non nocet. Quia non obfuit conatus, ubi iniuria non habuit effectum, supra, de spons., adolescens, ubi de hoc; et arg. 35. q. 3, extraordinaria; et ff. quod quisque iur., hoc edictum summam, in fi. Arg. contra 32. q. 5, qui viderit; et supra, de bigam., nuper; et supra, de bigam., a nobis; et 51. dist., si quis post acceptum; et de poen. dist. 1 § si quis cum telo; supra, de spons., iuvenis. Et idem intellige de eo vel ea, quae machinata est in mortem alterius, scilicet, cum effectu, ut 31. q. 1, si quis vivente. Alias solus conatus non impediret arg. istius capituli, quia eadem ratio videtur utrobique.

X 4.08 DE CONIUGIO LEPROSUM

X 4.08.01 *Pervenit*

De consuetudine
Quae est iure canonico approbata, supra, de eccl. aedif., cum dicat; quia ut ibi patet cum aliis habitare non debent; et etiam de iure veteris testamenti, 33. q. 2, hoc ipsum. Sed in hoc quod viri sani non sequuntur uxores, vel econverso, mala erat consuetudo, ut infra sequitur, et infra, de coniug. lepr., quoniam.

Una caro
Hoc expositum est, supra, de bigam., debitum.

Sine altero
34. q. 2, si quis necessitate; et 32. q. 5, si uxorem.

Diutius
Hic non determinatur quantum extendatur istud, diutius, et ideo in arbitrio boni viri consistit, supra, de offi. deleg., de causis; et ff. de iure delib., ait praetor. Permittuntur tamen mariti quandoque ab uxoribus recedere, et abesse per multa tempora, in favorem tamen terrae sanctae, supra, de voto et vot. redem., ex multa, ad fi. Diutius, quandoque extenditur usque ad biennium, ff. locat. et conduct., cum domini horreorum. Quandoque usque ad quinquennium, ff. de separat., sciendum § quod dicitur.

Sequantur
Nota quod vir tenetur sequi uxorem, sicut econverso, cum non ad imparia iudicentur, 32. q. 1, si quis uxorem, in fi. Et hoc cum ex iusta causa recedit uxor, alias retineat eam maritali potestate, 33. q. 5, cum caput; et 33. q. 5, manifestum; et 33. q. 5, noluit. Et mulier semper tenetur sequi virum ex quacumque causa, 13. q. 2, unaquaeque; nisi ipsam trahere vellet ad infidelitatem, infra, de divort., quaesivit; vel nisi efficiatur vagabundus, 34. q. 2, si quis inevitabili necessitate, arg. ff. de oper. lib., quod nisi, in fi. Ber.

Ministrent
Numquid in eodem lecto et domo morari debent? Non debent ad lectum continue compelli, sed sufficit leproso, quod suo debito non fraudetur. Sed quare non compelluntur praecise, 33. q. 5, notificasti? Resp.: forte ideo, ne leprosi nimis improbi efficiantur in exactione sui iuris, tamen si sani omnino recusarent, bene compellerentur; sed primo exhortandi sunt, ut hic dicit, ut in fine patet; et infra, de coniug. lepr., quoniam, in fi. Nam illud potest referri ad continentiam, quae suaderi potest, imperari vero minime, 32. q. 1, integritas. Et unam solam causam excipit dominus, infra, de coniug. lepr., quoniam; et 32. q. 7, omnes causationes. Ber.

X 4.08.02 *Quoniam*

Excepta causa fornicationis
32. q. 1, dixit Dominus; et 32. q. 7, Apostolus; et 32. q. 7, omnes causationes.

Lepra
Sic propter lepram alter alterum dimittere non potest, supra, de coniug. lepr., pervenit; et supra, de iureiur., quemadmodum. Sed sponsa de futuro dimitti potest propter lepram supervenientem, ut ibi, supra, de coniug. lepr., pervenit.

Gravi infirmitate
32. q. 7, hi qui sani; et 32. q. 5, si uxorem quis. Simile supra, de cleri. aegro., cum percussio; supra, de cleri. aegro., presbyterum; supra, de cleri. aegro., de rectoribus; et supra, de cleri. aegro., consultationibus; et ff. de tutor. et curat., nec ille; et 7. q. 1, pontifices. Arg. contra, supra, de cleri. aegro., tua; sed ibi solvitur.

Liberum
Cum non sit eis prohibitum, quia edictum de matrimonio prohibitorium est, supra, de spons., cum apud.

Generali praecepto
Nota quod generaliter dicitur, generaliter est intelligendum, de conse. dist. 4, ut ostenderet; et ff. de procur., procurator cui; 12. q. 1, dilectissimis; ff. mand. vel cont., creditor § Lucius. Immo etiam indefinita generaliter intelligitur, 20. dist., si Romanorum; et 23. q. 5, si non licet; et infra, de privileg., quia circa; ff. de servitu. urb. praed., si servitus; et ff. de accep., pluribus. Arg. contra, quod indefinita non aequipollet universali, supra, de decim., ad audientiam; ff. de leg. 3, non aliter; de conse. dist. 2, liquido. Item contra, quod generale verbum restringitur, 2. q. 2, omnes leges; et 1. dist., omnes leges; et infra, de sent. excom., si vero alicuius § si vero; et ff. ad leg. Aquil., scientiam § qui; ff. de pignorib., obligatione generali. Solutio: verbum, generali, intelligendum est generaliter, prout hic dicitur et in primis concordantiis, nisi constet contrahentem vel testatorem aliter intellexisse de quibusdam, C. de transaction., age cum Geminiano; vel nisi sensus non patiatur, ut in ultimo concordanti. Et quod dicitur, indefinita aequipollet universali, illud regulariter obtinet in iure, si lege vel canone non detrminatur, 31. q. 1, quod si dormierit. Ber.

Exceptio
Et ideo nos ex consensu nostro recipere non debemus, 2. q. 5, consuluisti; et 55. dist., si Evangelica; et 61. dist., miramur; 7. q. 1, scripsit; et 31. q. 1, quod si dormierit; et supra, de translat., inter corporalia. Arg. contra, de conse. dist. 2, liquido. Ber.

X 4.08.03 *Litteras*

Cogi non debet
Sic ergo patet quod lepra superveniens soluit sponsalia de futuro, et eadem ratione quaelibet alia enormis deformitas, ut supra, de iureiur., quemadmodum. Secus in matrimonio de praesenti, ut patet ex proximis capitulis, supra, de coniug. lepr., pervenit; supra, de coniug. lepr., quoniam; et supra, de iureiur., quemadmodum. Item arg. quod ea quae de novo emergunt, auxilio indigent, ff. de interrog. act., de aetate § ex causa; et supra, de offi. deleg., insinuante; et ff. ad Velleia., si mulier in iure.

X 4.09 DE CONIUGIO SERVORUM

X 4.09.01 *Dignum est*

In Christo Iesu
Id est, in fide Christi suscipienda.

A sacramentis
Quae suscipientis causa conferuntur, ut baptismus, confirmatio, sacramentum Eucharistae, viaticum, poenitentia. Ab istis sacramentis nullus fidelis debet excludi, immo tenetur ea recipere, infra, de poenit. et remiss., omnis. Sic a matrimonio nullus debet excludi, quia edictum de matrimonio prohibitorium est, supra, de spons., cum apud. Secus de aliis sacramentis, ut ordo, qui ratione aliorum datur, quoniam nullus servus debet ordinari praeter domini voluntatem, supra, de serv. non ordin., consuluit, et per totum tituli; nullus illegitime natus, supra, de fil. presbyt., ut filii, et per totum; et hoc probatur 1. q. 1, remissionem § si ergo sacramenta; et 1. q. 1, si quis haereticae § ecce si clericus.

Removendus
In Auth. de monach. § hinc nobis autem, coll. 1.

Inter servos
Nec etiam inter liberum et ancillam si contrahere voluerint scienter, 29. q. 2, si quis ingenuus; et infra, de coniug. serv., proposuit.

Dissolvenda
Coniunx enim a coniuge separari non debet, C. commun. utrius. iud., possessionem. Partus tamen penes dominum ancillae remanet, ff. de statu hom., et servorum.

Servitia
Ergo si dominus servitium exigit, et uxor debitum a viro petit eodem tempore, domino est potius obediendum. Dicunt quidam quod potius est obediendum domino, nisi periculum fornicationis timeatur, vel magnum praeiudicium fiat uxori, sed potius videtur quod uxori ipsius reddat debitum, cum per hoc nullum praeiudicium vel saltem modicum fiat domino propter moram modici temporis, nisi forte dominus in auxilium personae peteret servum suum. Quid si dominus vellet vendere servum suum alicui, qui vellet eum ducere ad extraneas partes, forte in Graeciam? Dixit Ala. quod potest, et uxor tenetur eum sequi. Verius videtur, ut alii dicunt, quod talis venditio prohibenda est, arg. C. commun. utrius. iud., possessionem; arg. 54. dist., fraternitatem; et arg. infra, de Iudae. et Sarrac., nulli. Interest enim reipublicae, ne quis re sua male utatur, Inst. de his qui sui vel alien. iur. sunt § sed hoc; et ff. de his qui sui vel alien. iur. sunt, si dominus. Ber.

X 4.09.02 *Proposuit*

Liberam esse credebat
Et sic nullum fuit matrimonium, si erat ancilla quam credebat liberam, 29. q. 2, per totum. Error enim conditionis impedit matrimonium, 29. q. 2, si quis ancillam § his ita.

Audivit
Supple et credidit. Non enim cuilibet referenti credere tenetur, arg. 23. q. 4, quam magnum; et ff. quod fals. tut., si id. Titubans enim pro ignorante habendus est, C. de condi. indeb., pro dubietate; ff. de liber. exhib., deinde ait praetor § is qui; et arg. infra, de secund. nupt., dominus; et 34. q. 2, cum per bellicam. Arg. contra, 22. q. 4, innocens; et ff. de pet. hered., item veniunt § cum antequam partes. Dic quod si iste habet conscientiam servitutis ex probabili causa et discreta, tunc praeiudicat sibi si carnaliter cognoscat. Si ex levi et temeraria, cui credi non debet, non videtur quod et praeiudicet, arg. infra, de sent. excom., inquisitioni; et infra, de coniug. serv., ad nostram. Sed pone quod iste movet ei litem conditionis, ipsa petit quod lite pendente reddat ei debitum, cum lite pendente iure suo privari non debeat, supra, ut lite penden., a memoria; supra, ut lite penden., laudabilem; et 16. q. 4, volumus; et 8. q. 4, nonne. Numquid ecclesia debet ei praecipere, ut debitum reddat, quod videtur per iura praedicta? Dicunt quidam quod bene tenetur reddere debitum ad mandatum ecclesiae, sed ipse non debet exigere, nec sibi fit praeiudicium. Tanc. dixit quod non debet exigere, nec exigenti reddere, quia ei fieret praeiudicium, quod videtur per istam litteram innuere. Et si compellatur, non reddat, quia si eam cognoscit uxoris affectu, fit ei praeiudicium si habeat conscientiam ex causa probabili et discreta, et sic statim esset matrimonium. Si fornicario affectu, peccaret mortaliter, quod facere non debet, immo potius pati debet excommunicationem, supra, de restit. spol., litteras. Et hoc dixit arg. illius decretalis, de sent. excom., inquisitioni. Sed satis videtur quod possit reddere ad mandatum ecclesiae, ut ex primo consensu ei coniungatur, quamdiu constet per sententiam de impedimento conditionis, et hoc ubi non est certus, licet aliquas inde habeat praesumptiones; secus si sciret pro certo. Et quod dicit littera ista, postquam audivit illam ancillam, cognoverit eandem, intellige ante litem motam, et sine mandato ecclesiae. Tunc enim intelligitur consentire, non obstante illo impedimento, et ita secus videtur si ad mandatum ecclesiae eam cognoscat. Ber.

Pro dote
Id est, vice dotis. Non enim fuit dos si fuit ancilla, ff. de iure dot., si mulier § ulti.; alias ff. de iure dot., Proculus. Ber.

X 4.09.03 *Licet*

Secundum leges provincia
Innuit aliter esse de iure communi, quod est verum, C. de rei vend., partum; ff. de statu hom., et servorum; et supra, de serv. non ordin., dilectus, ubi de hoc.

Decennio
Sufficit tamen quinquennium, C. ne de stat. def., si pater; et C. ne de stat. def., aditus; sed hic contingit de facto.

Favore libertatis
Favore enim libertatis multa contra rigorem iuris statuta sunt, ff. de fideicommi. liber., generaliter § si quis servo; C. commun. de manum., sancimus; supra, de probat., ex litteris; et supra, de iudic., significaverunt; 12. q. 2, cum redemptor. Ber.

X 4.09.04 *Ad nostram*

Conditionis separavit
Quod bene potuit, supra, de coniug. serv., proposuit; et 29. q. 2, si quis ingenuus. Quia errantis nullus consensus est, 29. q. 1, si quis ancillam § his ita; et ff. de iuris., si per errorem; et C. de iuris et fact. ignor., non idcirco.

Nec facto
Puta carnaliter, cognoscendo eam postquam intellexit illam esse ancillam, supra, de coniug. serv., proposuit; 29. q. 2, si quis ingenuus; supra, de cond. appos., de illis; et supra, de spons., is qui. Et ita ipso facto matrimonium contrahitur, sicut et verbo, 32. q. 2, honorantur; et ff. de sponsal., sed quae. Item patet hic quod matrimonium quod nullum est, tractu temporis confirmatur, sic supra, de despon. impub., litteras; supra, de despon. impub., accessit; et supra, de coniug. serv., proposuit; ff. de ritu nupt., si quis. Sed contra videtur, quod verba necessaria sint, supra, de spons., tuae fraternitati; et supra, de spons., si inter; et de conse. dist. 4, cum pro parvulis. In his qui loqui possunt, necessaria sunt verba, ff. de leg. 3, nutu; sicut in solvendo matrimonio requiritur expressus consensus, ff. de ritu nupt., in eo. Praeterea prior consensus non facit matrimonium, quia nullus fuit, sed novus requiritur, supra, de eo qui dux. in matr. quam pol. per adult., veniens; et supra, de eo qui dux. in matr. quam pol. per adult., propositum. Et ita videtur antiquus perdurare, nisi novus exprimatur, simile supra, de bapt. et eius effect., maiores, in fi.; ff. de preca., sed si manente; ff. de recepti., si cum dies, in princ.; et ff. de recepti., Labeo § penulti.; et ff. de ver. oblig., stipulatio non potest § cum adiicitur. Dicas quod de facto tunc contrahitur matrimonium, quando aliqua verba praecesserunt ad sponsalia vel matrimonium, licet tunc non haberent effectum, postea vero ipso facto contrahitur matrimonium sive sponsalia, supra, de despon. impub., litteras; supra, de despon. impub., accessit; et ff. de sponsal., sed quae patris. Et tale matrimonium praesumptum appellatur, supra, de spons., is qui. Sed pone quod aliquis contraxit cum ancilla ignoranter, et dominus postea illam etiam manumittat viro ignorante, numquid est matrimonium? Dico quod non, quia adhuc commiscetur ei ex priori consensu, qui nullus fuit, arg. C. ad Velleia., quamvis; et C. ad Velleia., si mulier 2; ff. de minor., denique § scio. Item si dominus ancillae tamquam liberam eam alicui tradat in uxorem, qui liber est, eo ipso intelligitur ei dedisse libertatem, in Auth. de nupt. § si vero ab initio, coll. 4. Sed pone, libera contraxit cum eo quem credebat liberum, postea scivit illum esse servum, nihiliominus vult esse cum eo, sed ille non vult remanere? Dicit Io. quod non est matrimonium, tamen illa debet compelli, ex quo vult cum eo esse, supra, de eo qui dux. in matr. quam pol. per adult., propositum. Io. quod verum credo.

X 4.10 DE NATIS EX LIBERO VENTRE

X 4.10.01 *Indecens*

Ex liberta
Fallit tamen in casibus, 15. q. 8, cum multae. Item in alio, infra, de Iudae. et Sarrac., ita quorundam. Ber.

Huiusmodi documentis
Quia dicebat mulier iste se habere de manumissione matris suae sive de sua, quaedam instrumenta, quae forte ostendit Papae, quibus instrumentis stabitur, nisi ex parte ecclesiae contraria instrumenta ostendantur. Et sic est arg. quod instrumentum per aliud instrumentum potest reprobari, et per alias etiam probationes poterit ecclesia reprobare huiusmodi documenta.

Ab ecclesia
87. dist., libertos.

A qua tueri
Arg. quod non debeo id facere, a quo teneor alium prohibere, et quod me defendere tenetur, me non debet impugnare, ff. si serv. vend., altius; ff. de condi. indeb., frater a fratre; et 26. dist., una tantum; et 25. dist., primum; et 11. q. 1, Sylvester; ff. de fideiussor., tutor; et 42. dist., hospitalem; ff. de admin. tut., quotiens § 2; ff. de negot. gest., si pupilli § videamus. Secus in marito, qui alios ab uxore prohibere debet, et arg. 3. q. 6, quamvis. Sol. in praemisso generali suppletur, nisi sit tale factum, quod sibi soli ex officio competebat. Ber.

X 4.11 DE COGNATIONE SPIRITUALI

X 4.11.01 *Utrum autem*

Filii
Scilicet, duorum compatrum.

Posterius
Primus canon est 30. q. 3, post susceptum. Et debet esse Pachalis primi, licet in quibusdam libris dicatur Paschalis secundi. Canon posterius editus est 30. q. 3, super quibus, qui corrigit primum, ut hic dicit. Sed canon ille ita potest legi quod teneat, prout ibi exponitur. Sed Alexander aliter illum intellexit, ut hic patet.

Nisi consuetudo qua scandalum
Hug. dixit quod Alexander male dixit hic, quia innuit hic quod legitime coniuncti debeat separari, quod esse non debet propter aliquam consuetudinem vel scandalum, quia a Deo sunt coniuncti, et quod Deus coniunxit, homo non separet, 33. q. 2, quos Deus, etc.; arg. pro eo supra, de sponsa duo., tuas, ubi non statur consuetudini, sed potius iuri. Arg. contra quod consuetudo personas legitimas ad contrahendum reddit illegitimas, infra, de cognat. spir., super eo; et supra, de cleri. coniug., cum olim; et arg. 32. dist., placuit. Solutio: potest dici quod hoc locum habet in matrimonio contrahendo, ut propter

scandalum impediatur matrimonium, quod alias legitimum est, sed non dirimitur iam contractum propter scandalum, ut hic satis patet ex consultatione. Et non dixit hic Alexander, quod coniuncti separentur, sed respondet quod coniungi non debent si scandalum est. Nam multa fieri prohibentur, facta tamen manent, supra, de iureiur., quemadmodum; et supra, de regular., ad Apostolicam; et 30. q. 5, nec illud § sed obiicitur; et 15. q. 1 § sicut ergo. Vel dic quod propter scandalum derogatur iuri, ut propter scandalum separentur, licet de iure non deberent separari, ut infra, de cognat. spir., super eo. Sed prius verius videtur, quia propter scandalum matrimonium quod Deo auctore in paradiso institutum fuit, per ecclesiam dissolvi non debet, 26. dist., deinde opponitur. Et ita remanet contraria illa decretalis, infra, de cognat. spir., super eo, sed intellige hoc prout ibi dicitur. Ber.

X 4.11.02 *Si vir*

Institutum
30. q. 1, pervenit; et 30. q. 1, si quis filiastrum.

Statuerunt
30. q. 1, dictum; 30. q. 1, de eo; 30. q. 1, ad limina.

Debitum debet subtrahere
Sed numquid potest exigere? Potest dici quod ille qui hoc fecit ignoranter potest reddere et exigere, quia non peccavit. Qui vero scienter satis videretur quod non deberet exigere, sed reddere tenetur, tamen non invenimus prohibitum in hoc casu quod non exigat, ergo nec nos prohibeamus.

Si ex ignorantia
Probabili, alias non excusaretur a peccato, supra, de ordin. ab ep. qui ren. epi., requisivit, in fi.; et infra, de cleri. excom., Apostolicae. Et est arg. hic quod ignorantia excusat, ut ibidem, et 1. q. 4 § in hoc autem; et 8. dist., consuetudo.

Patrocinari
Supra, de eo qui dux. in matr. quam pol. per adult., propositum; et infra, de collus., audivimus; 30. q. 1, dictum; et supra, de rescript., sedes.

X 4.11.03 *Super eo*

Alterum vel utrumque
Supra, de cognat. spir., utrum; et 30. q. 3, super quibus.

Separare
Quia contra canones coniuncti sunt, unde separandi sunt, 10. dist., vides; et C. de legi. et const., non dubium; et 35. q. 3, contradicimus.

Metropolitana
Sic 12. dist., de his. Sed contra quod consuetudo Romanae ecclesiae potius sit sequenda, de conse. dist. 4, de trina; 11. dist., quis nesciat, in fi. Contraria intellige de forma sacramentorum servanda, quam quilibet tenetur servare et credere, prout tenet Romana ecclesia, infra, de haeret., ad abolendam, 1. resp. Item est arg. quod prius recurrendum est ad consuetudinem metropolitanae ecclesiae quam aliarum, ad quarum consuetudinem recurrendum est, supra, de censib., super eo. Demum ad Romanam, arg. ff. de legib., de quibus; vel potius ad ius scriptum.

Consuetudo
Et intellige de tali consuetudine, quae scandalum generaret, nisi fuerit observata, supra, de cognat. spir., utrum, in fi. Et surgit consuetudo ista ex quadam affinitate contracta ex compaternitate unius filiorum, ut etiam alii coniungi non possint, prout olim observabatur secundum intellectum Alexandris, ut supra, de cognat. spir., utrum; et 30. q. 3, post susceptum; licet illud immutatum fuerit, ut omnes possint coniungi, praeter illas personas, quibus mediantibus compaternitas contracta fuerit, 30. q. 3, super quibus; et supra, de cognat. spir., utrum. Et sic si scandalum magnum sit in aliquo loco, quod tales coniungantur, vel remaneant coniuncti, adhuc propter scandalum servabitur ibi illud ius, non obstante coniunctione quae emanavit postea in contraria. Unde forte simili modo potest dici, si in aliquo loco esset magnum scandalum et horror, quod aliqui contraherent in quinto gradu, illud non toleraretur, non obstante constitutione illa, infra, de cons. et affin., non debet. Quia propter scandalum multa etiam contra ius omittuntur, ergo multo fortius ubi alia ratio subesse videtur, et ita hic, et supra, de cognat. spir., utrum, in fi. Scandalum impedit matrimonium et dirimit. Et est simile, quia consuetudo facit aliquem illegitimum ad eligendum, supra, de cleri. coniug., cum olim. In prohibitione talis matrimonii nullum est peccatum, ergo si scandalum est quod coniugatur, propter scandalum prohibendi sunt, arg. infra, de nov. oper. nunc., cum ex iniuncto. Sed si nulla prohibitio umquam fuisset, inter tales personas contractum matrimonium non deberet dissolvi propter scandalum, quia talis dissolutio sine peccato mortali fieri non posset, arg. infra, de nov. oper. nunc., cum ex iniuncto. Quidam tamen volunt intelligere versiculum istum: ita quod si eiusdem ecclesiae, etc., de primis personis de quibus praemisit, in principio capituli, quia inter eas, de quibus secundo dicitur, licitum est matrimonium, ut supra, de cognat. spir., utrum. Nec de tali matrimonio dixit Alexander quod sit dissimulandum, ne in exemplum trahatur, cum ecclesia talia matrimonia approbet. Sed verius credo primum dictum. Verumtamen si consuetudo habet, ut postquam contracta sunt, tolerentur, poterit iste dissimulare, ita quod nec consentiat, nec contradiceret videatur, propter rationem quae infra sequitur.

Dissimulare
Talis dissimulatio loco approbationis tacitae habetur, et merito, cum nullum subsit impedimentum.

Nec contradicere
Nota quod tacet, neque consensit neque negat, ff. de regul. iur., qui tacet. Quandoque tamen taciturnitas habetur pro consensu, 54. dist., si servus; supra, de praesump., nonne.

Et aliquando pro contradictione, de conse. dist. 4, cum pro parvulis; ff. de procur., filiusfamilias § invitum; 65. dist., si forte.

Circumadiacentium
Et ita vicinorum locorum non est contemnenda consuetudo, immo servanda, ne si contrarium fieret, sumeretur inde exemplum, quia cum illa consuetudo satis sit honesta, non debet iste videri auctor, ut alii recedant ab illa consuetudine. Et ita taceant, si sine scandalo id sustineant.

Assumi
Ab aliis, qui talia coniugia non contrahunt de consuetudine.

X 4.11.04 *Martinus*

Per connubium
Id est, per carnalem copulam, 27. q. 2, Agathosa.

Una caro
30. q. 4, scisciatur; et 30. q. 4, si quis ex uno.

Eius
Scilicet, Lotharii.

Cum quo
Scilicet, Lothario. Nota quod post matrimonium carnali copula consummatum, de quo intellige quod dicitur hic, si alter coniugum suscipit filium alterius de sacro fonte, ambo coniuges compatres efficiuntur parentibus infantis. Et ita si vir suscipiat filium altrerius de sacro fonte, uxor mediante viro commater efficitur parentibus infantis, et mater spiritualis efficitur illius, et econverso, 30. q. 4, sciscitatur; 30. q. 4, si quis ex uno. Si vero compaternitas matrimonium praecessit, sive carnalem copulam, puta, suscepisti filium Berthae et Martini de sacro fonte, et postea contraxisti cum Teberga et eam cognovisti, vel licet contraxisti, nondum carnaliter illam cognovisti, quamvis illam postea cognoscas, uxor tua non efficitur commater parentibus illius infantis, quia nondum eras effectus una caro cum ea. Quia per unionem carnis sequentem compaternitatem, non transitur ad unionem spiritus praecedentem matrimonium. Unde te mortuo et mortua uxore Martini, quorum filium antequam haberes Tebergam, de sacro fonte levaveras, Martinus poterit habere Tebergam in uxorem, 30. q. 4, qui spiritualem; et 30. q. 4, post uxoris obitum. Et sic Teberga potest habere duos compatres, unum post alium. Unde nota versus: quae mihi vel cuius mea natum fonte levavit // hac mea commater fieri mea non valet uxor. // Si qua mea natum non ex me, fonte levavit // hanc post fata mea non inde vetabor habere. Sic quandoque facto suo alter coniugum solemnizat votum alterius, putra vir qui volente uxore ordinem suscepit, 28. dist., quia sunt.

X 4.11.05 *Contracto*

Sacrati salis pabulo
de conse. dist. 4, sal caelestis.

Concubinae
Quidam dicunt quod ille filius tantum erat filius concubinae ipsius P. de alio viro, dicentes quod compaternitas contrahitur per illud sacramentum sacrati salis, sed secundum hoc nulla fuisset quaestio.

Vix contrahendo
Ex hoc videtur quod per illa quae praecedunt baptismum, non contrahitur compaternitas, arg. 32. dist., praeter § verum, in fi., ubi dicitur quod baptismus est ianua omnium sacramentorum. Item propter catechismum non fit aliquis aptus contrahere matrimonium, 28. q. 1, cave. Item si decederet sine baptismo, non prodesset ei catechismus quin perpetuo damnaretur, de conse. dist. 4, firmissime; et de conse. dist. 4, nulla. Et sic est adhuc membrum diaboli, ergo non potest esse spiritualis filius. Arg. contra quod contrahatur compaternitas per catechismum, 30. q. 1, pervenit, ubi dicitur quod a primo pabulo sacrati salis usque ad confirmationem contrahitur compaternitas, 30. q. 4, si quis ex uno; de conse. dist. 4, in catechismo. Nam et Christiana dicitur postquam est catechizata, 28. q. 1, cave. Hug. dixit super illo capitulo 30. q. 1, pervenit, quod sicut septem sunt dona spiritus sancti, ita septem dona baptismi. Et per quodlibet illorum contrahitur compaternitas, ita quod impedit et dirimit matrimonium. Primum est collatio sacrati salis, de conse. dist. 4, ex hinc. Secundum aurium et narium linitio cum sputo, de conse. dist. 4, postea tanguntur. Tertium in fronte et pectore crucis signatio, de conse. dist. 4, postea signatur. Quartum olei sacri perunctio, de conse. dist. 4, deinde. Quintum ablutio baptismi, de conse. dist. 4, venit. Sextum in vertice chrismatis perunctio a sacerdote, de conse. dist. 4, postquam ascendit. Septimum confirmatio chrismatis in fronte per episcopum, de conse. dist. 4, persbyteri. Et illi qui sequuntur Hug. dicunt quod ille filius non fuit filius Petri, sed tantum concubinae. Et dicunt hanc decretalem non tenere, dato quod fuerit filius Petri. Alii dicunt quod per tria sacramenta tantum contrahitur compaternitas, scilicet, per catechismum, baptismum, et confirmationem, de conse. dist. 4, in catechismo; 30. q. 4, si quis ex uno. Et haec mulier non tenuit illum filium ad totum catechismum, sed tantum ad immissionem salis, quod satis apparet per hanc litteram. Alii dicunt quod licet compaternitas contrahatur per catechismum, per illam tamen non dirimitur matrimonium contractum, prout innuitur per hanc litteram, tali ratione, quod baptismus est ianua omnium sacramentorum, ut dictum est in 32. dist., praeter § verum; et supra, de presb. non bapt., si quis; et supra, de presb. non bapt., veniens. Ergo si ianua non est aperta, nullum sacramentum recipitur. Item alia ratione, quia ante baptismum non est filius ecclesiae, non est filius spiritualis. Et si non est filius spiritualis, nulla per eum est cognatio contracta. Ergo propter hoc non debet matrimonium separari. Sed certe contra istos qui dicunt, quod etiam per catechismum non dirimatur matrimonium, manifeste faciunt illa duo canones, 30. q. 4, si quis ex uno; et de conse. dist. 4, in catechismo, quia ibi aequiparantur ista tria, catechismus, baptismus, et confirmatio. Unde credo quod si quis teneat aliquem in toto catechismo, in quo unus patrinus debet esse, quod ille sit compater effectus parentibus infantis. Sed haec mulier non tenuit illum filium infantem nisi in primo pabuli sacrati salis, nec expresse dicit littera quod fuerit filius P. Et ideo dico quod catechismus impedit et

dirimit. Tanc. dixit quod compaternitas per catechismum contracta invalida est ad matrimonium dirimendum, quod satis posset tolerari ratione praedicta.

X 4.11.06 *Veniens*

De sacro fonte
Idem si tenuisset eum in catechismo, vel in confirmatione, ut supra, de cognat. spir., contracto, dictum est.

Antequam
Bene dicit, antequam, quia si post contractum matrimonium hoc fecisset, non separaretur matrimonium contractum, supra, de cognat. spir., si vir; et 30. q. 1, ad limina, dictum est de eo.

X 4.11.07 *Tua nos*

Filiam
Spiritualem, per quam compaternitas est contracta, supra, de cognat. spir., utrum; et supra, de cognat. spir., super eo, in princ.

Possunt
Id est, debent in iure, supra, de cognat. spir., utrum; et supra, de cognat. spir., super eo., in princ.

Nunciare
Nota arg. quod denunciatio criminum ad omnes spectat, et non tantum ad praelatos. Item personae illae quae sciverunt contrahi matrimonium non admittuntur ad accusationem matrimonii, aut etiam ad testificationem, infra, qui matrim. acc. poss., cum in tua. Non tamen repelluntur a denunciatione, ut hic patet. Et tamen hic consequitur idem per denunciationem in hoc casu, quod per accusationem, non enim potest poenitere ille cui denunciatur tale crimen, nisi remota uxore, 14. q. 6, si res, arg. Item alia via excluditur, et alia admittitur, sic supra, de iureiur., quemadmodum; supra, de despon. impub., ad dissolvendum. Arg. contra supra, de procurat., tuae, ubi de hoc.

X 4.11.08 *Ex litteris*

Baptizavit
Et ita fuit filius spiritualis ipsius sacerdotis, 30. q. 1, omnes quos, ubi de hoc; et 30. q. 1, non debet; et 30. q. 4, si quis ex uno, arg. Ergo et filia illius effecta est soror spiritualis viri, ac si ipsum sacerdos de sacro fonte levasset, quia tunc illam habere in uxorem non posset, quia ea mediante compaternitas esset contracta, supra, de cognat. spir., utrum; et supra, de cognat. spir., super eo; et 30. q. 3, super quibus. Ergo multo fortius cum sit pater spiritualis illius. Sed quid movit istum officialem ad sententiandum pro matrimonio? Haec potuit esse causa, quia edictum de matrimonio prohibitorium est supra, de spons., cum apud. Sed hoc non inveniebatur prohibitum expressis verbis de his qui baptizant, quod filii eorum cum talibus non possent contrahere, sed licet expresse non

esset prohibitum, satis videbatur esse prohibitum, ex quo pater est ipsius spiritualis. Quia in eo quod minus est prohibitio invenitur, scilicet, in filio illius, quia aliam de sacro fonte levavit, simile est quod dicit Urbanus, nulla ratione prohibitum invenitur, quod vir et uxor simul non possint filium alterius de sacro fonte suscipere, 30. q. 4, quod autem. Hoc est verum verbis expressis, sed in genere prohibitum est, dum prohibetur, quod plures simul non suscipiant puerum de sacro fonte, de conse. dist. 4, non plures. Et quia prohibetur commisceri filiae spirituali, 30. q. 1, non debet. Sed numquid filius sacerdotis potest contrahere cum filia illius, quam recepit ad poenitentiam? Videtur quod non, quia et illa filia spiritualis est sicut illa, quam baptizavit, 30. q. 1, omnes quos. Sed non est ita, quia non contrahitur tanta affinitas in poenitentia sicut in baptismo, quia per poenitentiam non efficiuntur filii sacerdotis affines filiis eorum, quibus poenitentiam iniungunt, nec usquequaque invenitur prohibitum directe vel indirecte. Ergo intelligitur esse concessum, supra, de spons., cum apud.

X 4.12 DE COGNATIONE LEGALI

X 4.12.01 *Si qua per*

Quamdiu

30. q. 3, ita diligere. Ergo ea finita cum ea possum contrahere, Inst. de nupt. § sed et si qua. Item arg. hic quod causa cessante cessat effectus, supra, de renunciat., post translationem; supra, de iureiur., et si Christus, ad fi.; et 61. dist., statuimus § his omnibus; ff. de ritu nupt., per adoptionem. Nota ad intelligentiam huius decretalis quod cognatio quaedam est spiritualis, de qua dicitur supra, de cognat. spir. Quaedam etiam legalis, de qua hic dicitur. Legalis cognatio fit duobus modis, vel per adoptionem, vel per arrogationem. Dicimur autem arrogare illum, qui sui iuris est, et per arrogationem transit in nostram potestatem, et fit arrogatio principis auctoritate, adoptio autem per quemlibet magistratum, Inst. de adopt. § sed hodie; et Inst. de adopt. § cum autem; nec transit in potestatem adoptantis, C. de adopt., veteres; et Inst. de adopt., sed hodie; remanet in potestate sui patris. Et tam arrogati quam adoptati dicuntur filii adoptivi sive fratres. Et inter fratres adoptivos sive naturales et legitimos impeditur matrimonium quamdiu durat adoptio, ut hic, et ff. de ritu nupt., per adoptionem; et 30. q. 3, ita diligere. Sed inter ascendentes et descendentes, id est, inter adoptantem et adoptatum semper impeditur matrimonium, ff. de ritu nupt., adoptivus; licet solvatur adoptio, ff. de ritu nupt., quin etiam. Item posset dici, quod filius adoptatus non transeat in potestatem adoptantis, Inst. de adopt., sed hodie. Sic etiam potest dici quod filius illegitimus potest copulari filiae adoptivae, quia illegitimus non est in potestate patris, Inst. de nupt. § aliquando. Illegitimus non potest copulari filiae spirituali. Alii dicunt quod adoptatus non potest copulari filiae adoptantis, quia licet adoptatus non transeat in potestatem adoptantis, acquiritur tamen ei quaedam iura per adoptionem, quae dissolvuntur per emancipationem, C. de adopt., cum in adoptivis § sin autem. Et hoc idem videtur per decretalem istam, quae indistincte loquitur de adoptione, non distinguendo inter arrogatum et adoptatum. Et hoc impedimentum desinit per emancipationem alterutrius, ff. de adopt., in omni; ff. de ritu nupt., per adoptionem. Sed numquid filii adoptivi possunt contrahere inter se? Dici potest quod sic, quia non invenitur prohibitum. Item quid si adoptivus durante adoptione contrahat cum legitima? Dicunt quidam quod non dissolvitur matrimonium,

cum illud impedimentum sit temporale. Hug. dicit quod non est matrimonium, nec obstat quod temporale sit impedimentum. Et inducit simile, hodie non possum contrahere cum illa quae habet virum, tamen cras potero mortuo viro suo. Et haec decretalis satit pro Hug.

X 4.13 DE EO QUI COGNOVIT CONSANGUINEAM UXORIS SUAE VEL SPONSAE

X 4.13.01 *Si quis cum*

Filiastra
32. q. 7, quaedam; et 32. q. 7, qui dormierit; et 32. q. 7, si quis viduam.

Scienter
Secus si ignoranter, 3. q. 2, in lectum.

Petere
Exactus tamen reddere tenetur, infra, de eo qui cog. consang., transmissae; non obstante affinitate inique ex post facto contracta. Et sine culpa privari iure nemo debet, infra, de eo qui cog. consang., discretionem; et infra, de eo qui cog. consang., Iordanae; et infra, de eo qui cog. consang., tuae.

Nec ille
Post mortem uxoris.

Copulare
Propter incestum, 32. q. 7, qui dormierit; et infra, de eo qui cog. consang., ex litteris. Tamen si contraheretur, tenet matrimonium. Et etiam si essent iuvenes, dispensaretur cum eis, 33. q. 2, in adolescentia. Ber.

X 4.13.02 *Veniens*

Matrem sponsae
De futuro. Unde affinitate superveniente, illam in uxorem habere non poterit solutis sponsalibus, infra, de cons. et affin., super eo; et infra, de eo qui cog. consang., ex litteris.

Adhaesit
Postquam cognovit matrem.

Paulo maior quam pro adulterio
Quare maior poenitentia imponitur quam pro adulterio, cum tamen publicae honestatis iustitiam violaverit, cum illa esset sponsa de futuro? Dicas quod non solum violavit publicae honestatis iustitiam, sed adulterium commisit cum matre sponsae suae, quae nupta erat patri suo, ut patet in antiqua. Alias si mater sponsae non esset coniugata, non puniretur plus, nec etiam tantum. Unde iste multo plus debet puniri quam pro adulterio

propter tria, videlicet, propter honestatis iustitiam, propter adulterium, et incestum etiam, quod perpetravit cognoscendo affinem primi generis et primi gradus.

Vel parte
Arg. quod sufficit aliquid inchoare, et non sit completum, supra, de elect., cum in cunctis § inferiora.

Ex dispensatione
Incestuosi enim contrahere non debent, et ideo dispensatur cum eo, quia iuvenis erat. Alias sine peccato contrahere non posset, 33. q. 2, in adolescentia. Tamen si contraheret citra aliquam dispensationem, teneret matrimonium.

Cognovit antequam matrem
Unde statim fuit matrimonium praesumptum, supra, de spons., is qui; et supra, de cond. appos., de illis. Unde matrem ulterius habere non posset, etiam si non esset cognita. Et hoc idem esset, etiam si numquam cognovisset ipsam, supra, de spons., sponsam. Ber.

Eam
Scilicet, matrem, ut dictum est. Vel dic eam, id est, sponsam suam, et secundum non tenet, infra, de eo qui cog. consang., discretionem; et infra, de eo qui cog. consang., Iordanae.

Aliam
Post mortem istius, quia ex quo eam cognovit antequam matrem, non dissolvitur matrimonium, licet postea cognoverit matrem, non dissolvitur matrimonium, licet postea cognoverit matrem, infra, de eo qui cog. consang., discretionem; et infra, de eo qui cog. consang., tuae; et infra, de eo qui cog. consang., Iordanae. Sed ea mortua cum alia propter incestum contrahere non debet, infra, de eo qui cog. consang., transmissae, in fi.

X 4.13.03 *De illo*

Occasione
Quia confessio illa sola non praeiudicat, etiam si rumor viciniae consentiret, infra, de eo qui cog. consang., super eo. Secus esset in matrimonio contrahendo, supra, de spons., praeterea 2; et infra, de cons. et affin., super eo. Ber.

X 4.13.04 *Transmissae*

Illicitam rem
Incestui adulterium adiungendo.

Legitima
Sic patet quod incestus non impedit quo minus matrimonium sit legitimum, licet contrahere non debeat, sicut votum simplex, supra, qui cler. vel vov. matr. contr. poss., rursus. Talia enim crimina impediunt matrimonium contrahendum, sed non dirimunt iam contractum, nisi in tribus casibus: si machinatus fuerit in morte alterius, si dedit fidem

adulterae, si duxit eam de facto, supra, de eo qui dux. in matr. quam pol. per adult., cum haberet; et supra, de eo qui dux. in matr. quam pol. per adult., super hoc.

Fuerit requisitus
Et sic intellige supra, de eo qui cog. consang., si quis.

Sine spe coniugii
32. q. 7, si quis viduam; et 35. q. 3, de incestis; supra, de eo qui cog. consang., veniens 1; et infra, de poenit. et remiss., qui presbyterum, ubi de hoc.

X 4.13.05 *Super eo*

Confessionem
Sed videtur quod confessioni standum sit, quia confessus in iure pro iudicato habetur, C. de confes., confessos; et ff. de confes., confessus; et ff. confes., certum; et supra, de censib., olim. Dicas quod in casu isto non statur confessioni contra matrimonium, propter rationem quae hic in littera redditur. Et est ratio quia contra se quisque testificari potest, pro se vero minime, 14. q. 2, de eo; et ff. de interrog. act., de aetate § 1. Praeterea iste non confitetur contra se, immo pro se, unde iure communi non prodest ei talis confessio. Nam iste petit separari ab uxore, quia dicit se cognovisse eius consanguineam. Si confiteretur aliquis contra hoc, propter quod ei praeiudicaretur, tunc videretur standum suae confessioni. Sed ut dixi, speciale est in matrimonio, ubi non creditur viro vel uxori in praeiudicium coniugii, sed si confiteatur pro matrimonio contrahendo, bene statur confessioni. Puta si petam aliquam in uxorem, et ipsa confiteatur matrimonium, praeiudicatur ei, licet ipsa nollet me habere, quia modo directe confitetur contra se. Secus in confessione quae fit quantum ad tori separationem propter adulterium, quia ibi statur confessioni, infra, de divort., ex litteris. Arg. contra 35. q. 6, si duo. Solutio: ibi confitentur consanguinitatem esse inter eos, et fama publica confessioni coniugum consentit, et tunc statur famae et confessioni, sed hic tantum est rumor, et aliud est fama, et aliud rumor, ut hic videtur.

Concurrendum
Quod faciendum non est propter rationem hic expressam, immo ex colludio puniri debent, 2. q. 3, si quemquam; et infra, de collus., scripta; et infra, de collus., audivimus.

Rumor
Arg. contra supra, de praesump., illud; et supra, de praesump., tertio. Ut dixi, aliud est rumor quam fama, et illa decretalis supra, de praesump., tertio, loquitur de matrimonio contrahendo, quod ad solam famam impeditur, infra, de cons. et affin., super eo.

X 4.13.06 *Discretionem tuam*

Tradidit
Et ideo non potest illi opponere adulterium, arg. 32. q. 5 § quod autem; et 32. q. 5, tolerabilius; et 32. q. 5, proposito. Nec adulterium dicitur hic commisisse, ut ibi dicitur, quia non consensit. Et hoc patet ex eo quod quam cito potuit, aufugit, ut sequitur; arg. 1.

X 4.13.06 Discretionem tuam (rev. 9/23)

q. 1, constat. Secus esset si occasionem adulterandi ei dedisset, quia nihilominus imputaretur ei, arg. 27. q. 2, Agathosa; et 27. q. 2, si tu abstines; infra, de divort., significasti; ff. solut. matrim., cum mulier; ff. de adulter., ex lege. Sed contra videtur per capitulum praedictum, 27. q. 2, si tu abstines. Et arg. 23. q. 4, Nabuchodonosor; et in Auth. ut liceat mat. et avi. § quia vero plurimos, in fi., coll. 8. Vir enim debet esse mulieri auctor colendi bonos mores, ff. de adulter., si uxor § si iudex; et 32. q. 6, indignantur. Alioquin esset detrahenda a viri potestate, C. de episcopal. aud., si lenones.

Publicam honestatem

Id est, affinitatem, quae sic inique contrahitur.

Reatum adulterii

Quia primus est maritus illius, et non secundus. Et est hoc notabile, quod adulterium committitur cum sponsa nondum cognita a viro. Unde si alias commisisset adulterium, posset accusari a sponso, ff. de adulter., miles § quaerebatur; supra, de iureiur., quemadmodum; quia iniuria facta est ei, ff. de iniuri., item apud § sponsum.

Praesertim

Id est, tantum, quia in talibus quae sine peccato mortali committi non possunt, mandatum non obligat, 32. q. 5, ita ne; et supra, de his quae vi met. caus. fi., sacris.

Nam et si

Responsio videtur tacitae quaestionis.

Fornicationis

32. q. 7, omnes causationes.

Exceptione

Puta quod ipse tradidit eam invitam, vel quia idem similiter fornicatus est, infra, de adult., intelleximus; et infra, de adult., tua; 32. q. 6, nihil.

Nec affinitas

Hic reprobatur illorum opinio, qui dicebant quod per fornicarium coitum non contrahitur affinitas, et infra, de eo qui cog. consang., tuae; et infra, de eo qui cog. consang., Iordanae; arg. 35. q. 3, nec eam quam. Arg. contra ff. de gradib., non facile § sciendum; et ff. de gradib., non facile § affines; sed illa non obstant.

Officere

Arg. quod legitime factum est, non irritatur, licet deveniat ad eum casum a quo non potuit habere principium, ff. de itin. act. priv., nec enim; ff. de postulan., hunc titulum § casum; et 30. q. 1, ad limina. Arg. contra ff. de iud., si a me.

Sine sua culpa

Hoc generale est, simile infra, de eo qui cog. consang., Iordanae. Si qua contraria sunt, casualia sunt.

X 4.13.07 Fraternitati tuae (rev. 9/23)

A praedecessore
Scilicet, Alexandro, sed illa decretalis remota est de hac compilatione.

X 4.13.07 *Fraternitati tuae*

Contractis sponsalibus
Et sic maritali affectu, cum esset sponsa ipsius, eam polluit; sic supra, de spons., iuvenis. Et ita non est contrarium, 35. q. 3, extraordinaria.

Extraordinaria
Id est, extra naturalia, cum nondum esset idonea.

X 4.13.08 *Ex litteris*

In uxorem
Futuram, scilicet.

Carnali commixtione
Post contractam affinitatem, unde illam in uxorem habere non poterat.

Poenitentiam
Pro incestu, sed maior debet imponi quam pro adulterio, quia incestus vincit adulterium, 32. q. 7, adulterii; et supra, de eo qui cog. consang., veniens 1.

Separatis
Si ita esse constiterit, alias fiat quod dicitur infra, de eo qui cog. consang., veniens 2. Et nota quod affinitas superveniens sponsalibus de futuro rumpit ea, supra, de eo qui cog. consang., veniens 1; et infra, de cons. et affin., ex litteris; et infra, super eo; secus in matrimonio, supra, de eo qui cog. consang., discretionem; et infra, de eo qui cog. consang., tuae; et infra, de eo qui cog. consang., Iordanae; 34. q. 2, in lectum.

Numquam debent
Incestuosi contrahere non debent propter enormitatem delicti, ut dictum est supra, de eo qui cog. consang., veniens 1.

De lapsu carnis
Si timeretur de hoc, dispensaretur cum eis, supra, de eo qui cog. consang., si quis; et 33. q. 2, in adolescentia.

X 4.13.09 *Veniens*

Infantia
Infantia dicitur ante septennium, C. de iure delib., si infanti. Sed tales iurare non debent, nec tenet iuramentum eorum, cum ipsi non intelligant, 22. q. 5, parvuli. Nam et furtum non cadit in infantem, ff. de fur., impuberum. Secus post infantiam, si sit doli capax, ut

ibi, et infra, de delict. puer., pueris. Sed hoc potius videtur sumi pro aetate pueri, post septennium annum.

Firmata
Obligatio quae intervenit in matrimonio, non recipit poenae adiectionem, ut supra, de spons., Gemma; et C. de sponsal., mulier; et C. de inutil. stipul., libera; et ff. de ver. oblig., stipulatio ista; et ff. de ver. oblig., Titia, in princ.

Carnaliter
Et ideo affinitate interveniente illam quam desponsaverat, habere non potuit de iure, nec illam eandem quam cognovit, supra, de eo qui cog. consang., fraternitati; et supra, de spons., sponsam.

In uxorem
De facto, quia de iure non potuit, eo sibi viam praecludente.

Utramque
Addens iniquitatem iniquitati; simile supra, de eo qui cog. consang., transmissae.

Confiteri
Tamen talis confessio non profuisset, ut matrimonium separaretur in facie ecclesiae contractum, nisi aliter probaretur, supra, de eo qui cog. consang., super eo.

A malo
Supra, de vit. et honest. cler., cum ab omni.

Consulas
Hoc intellige esse dictum in iudicio animae, ut ad neutram accedat. Et si propterea excommunicetur, sustineat potius excommunicationem quam veniat contra conscientiam, infra, de sent. excom., inquisitioni; et supra, de restit. spol., litteras. Sed in iudicio ecclesiae praecipietur, ut ei debitum reddat. Et ita aliud est iudicium ecclesiae, et aliud iudicium animae, supra, de offi. ord., si sacerdos. Sed contrarium videtur supra, de eo qui cog. consang., ex litteris. Non est contrarium, quia quaeritur quid de iure sit ibi faciendum. Et respondetur quod si ita est, separentur. Hic vero consulitur in iudicio animae, quid sit faciendum cum factum esset occultum, et sic non contradicit. Et illa clausula, si res ita se habet, debet ibi suppleri, sicut erat in antiqua compilatione.

X 4.13.10 *Tuae*

Honestatem
Id est, affinitatem, supra, de eo qui cog. consang., discretionem. Simile infra, de eo qui cog. consang., Iordanae.

Solvere
Sed non exigere, infra, de eo qui cog. consang., Iordanae; et supra, de eo qui cog. consang., si quis; infra, de sent. excom., inquisitioni.

Affinitas
Supra, de eo qui cog. consang., discretionem; et infra, de eo qui cog. consang., Iordanae.

X 4.13.11 *Iordanae*

Carnaliter cognita
Et sic statim fuit matrimonium, malitia supplente aetatem, supra, de despon. impub., a nobis; et supra, de despon. impub., tuae nobis.

Sine sua propria culpa
Nullus sine sua culpa iure suo debet privari; simile supra, de eo qui cog. consang., discretionem; 56. dist., satis perversum; 16. q. 7, inventum. Arg. contra supra, ut lite non cont., quoniam § si vero, in fi.; et infra, de privileg., antiqua; contra 22. dist., renovantes; sed ibi causa subest quare puniuntur sine culpa.

Poenitentia
Et maior debet imponi quam pro adulterio, supra, de eo qui cog. consang., veniens 1; quia incestus vincit adulterium, 32. q. 7, adulterii.

Exactus
Sed exigere ipse non debet; simile supra, de eo qui cog. consang., si quis; et supra, de eo qui cog. consang., transmissae. Et post mortem uxoris iste contrahere non debet, supra, de eo qui cog. consang., veniens 1; et supra, de eo qui cog. consang., ex litteris.

X 4.14 DE CONSANGUINITATE ET AFFINITATE

X 4.14.01 *Ex litteris*

Subarrhasset
Simile supra, de despon. impub., tuae nobis, ubi de hoc.

Quarto gradu consanguinitatis
Unde mulier illum habere non poterat, cum esset ei affinis in primo genere affinitatis, et in quarto gradu, 35. q. 5, porro.

Iuramento
Et sic matrimonium contraxerunt publice et in facie ecclesiae.

Coram archipresbytero
Forte ad hoc delegato, vel de loci consuetudine, quae tribuit iurisidictionem, supra, de offi. archidiac., dilecto; et C. de emancip. lib., si lex; et C. de emancip. lib., cum inspeximus.

Quinto consanguinitatis gradu
Primi dicerunt de quarto, non nocet, quia aliud iudicium fuit illud, nec fuit aliquid probatum.

Coram te iurare
Sed quare post publicationem iterum inducunt testes contra illud in Auth de testi. § illud, coll. 7; et supra, de testib., fraternitatis? Dicunt quidam quod hoc est speciale in matrimonio. Vel dicas quod non iurant iterum, quia isti erant accusatores. Unde necesse habebant testes producere, et nulli testes inducti fuerunt in causa ista. Et hic nota arg. quod in causa matrimoniali iterum recipiuntur testes post publicationem; arg. ad hoc supra, de spons., sicut, in fi.; et supra, de coniug. serv., ad nostram; et supra, de probat., causam matrimonii. Sed hoc non bene colligitur hic.

Maiores
Illi dicuntur omni exceptione maiores, qui repelli non possunt aliqua exceptione.

Quarto gradu
Sed quare dicit Papa quod separantur si sunt in quarto gradu vir iste et maritus praemortuus? Nonne idem esset si essent in quinto vel ulteriori secundum illa tempora? Dic quod dispensative tolerabatur in quinto et ulteriori, si ignoranter contraxissent, 35. q. 8, de gradibus. Et ideo dicit quod separentur in quarto, et non in quinto vel ulteriori. Ber.

Ut canones
35. q. 3, aequaliter; 35. q. 3, nullum de propinquis, in fi.

A consanguineis uxoris
Istud dicit: si contraxisti sponsalia sive matrimonium cum aliqua, mortua illa, nullam poteris postea ducere in uxorem de consanguinitate illius. Et econverso illa sponsa vel uxor tua te mortuo, nullum poterit habere de consanguinitate tua, supra, de spons., sponsam. Sic ergo mulier ista non poterat illum habere, qui fuerat priori viro suo in quarto gradu, sive in quinto, vel ulterioribus coniunctus secundum antiqua iura. Hodie ultra quartum non impeditur, infra, de cons. et affin., non debet.

Potestatem
Nota quod duo exiguntur ad cognoscendum et iudicandum de causa matrimoniali, scilicet, scientia canonum, et quod habeat iurisdictionem ordinariam vel delegatam, arg. 21. dist. § decretis. Et arg. quod causa non est deleganda nisi perito et exercitato, arg. 2. q. 2, praeceptum; de poen. dist. 6, qui vult, in princ.; et C. de iud., certi. Item habes hic arg. quod de causa matrimoniali non potest in arbitrium compromitti, et expressum est de transact., ex parte; et supra, de restit. spol., saepe, in fi.; et arg. ff. de recepti., non distinguemus § Iulianus; et ff. de recepti., non distinguemus § de liberali. Et potest esse ratio: arbitrium enim non constringit nisi metu poenae, C. de recepti., ex sententia; et poena non debet apponi in matrimonio, supra, de spons., Gemma; cum libera debeant esse, et ne alia via fiat, quod alia via prohibetur, supra, de procurat., tuae, cum suis concordantiis. Vel quia matrimonium Deo auctore fuit institutum, infra, de frig. et

malef., litterae. Et ita non potest dissolvi quo ad ecclesiam, nisi per illum qui habet auctoritatem cum iurisdictione, quam non habet arbiter.

X 4.14.02 *Super eo*

Nondum nubilem
Legitima tamen fuit ad sponsalia.

Fide
Id est, iuramento. Ex quo mulier fortius ius quaesivit petendi illum, arg. supra, de spons., praeterea 2.

Affidavit
Per verba de futuro.

Manifestum
Ita quod notorium, 2. q. 1, de manifesta.

Cognovisse
Si cognovit propinquam illius, soluta fuerunt sponsalia, supra, de eo qui cog. consang., veniens 1; et supra, de eo qui cog. consang., ex litteris.

Fama
Nota quod fama impedit matrimonium contrahendum, supra, de spons., cum in tua. Et plus facit fama hic quam dictum unius, ubi iuramentum intervenit, supra, de spons., praeterea 2. Alias dictum unius sicut et fama, impedit matrimonium contrahendum, supra, de testib., super eo 2 § 1.

X 4.14.03 *Quod dilectio*

Stipite
Stipes appellatur communis parens, a quo plures descenderunt, sicut Isaac fuit stipes Esau et Iacob. Et stipes non facit gradum. De hoc stipite habes infra, de cons. et affin., vir.

Descendentem
Hic ergo habes duas lineas descendentes, sic infra, de cons. et affin., vir. Et istae duae lineae descendentes unam faciunt transversalem.

Indulgentiam
Quae de auctoritate speciali domini Papae facta fuit. Alias non tenuisset, quia solus Papa in tali facto dispensat, infra, de cons. et affin., quia circa; et supra, de translat., licet.

Quolibet
Hanc regulam habes infra, de cons. et affin., vir. Et intellige usque ad lineam aequalitatis, quia in sequentibus gradus adiicitur.

Proximiorem
Id est, propter eum qui est in gradu proximiori a stipite.

Uterque coniugendorum
Arg. contra, ff. de constit. princ., beneficium; et supra, de dona., cum dilecti, in fi.; et infra, de verb. sign., olim; et infra, de cons. et affin., vir. Solutio: beneficium principis latissime interpretandum est ab aliis. Sed ab eo a quo indultum est, vel eius auctoritate potest interpretari prout ei placet, ff. de legib., et ideo; arg. infra, de sent. excom., inter alia. Et ratio litterae interpretatur indulgentiam, quia sic observabatur de consuetudine, ut uterque esset in sexto gradu a stipite, alias scandalum erat, ut infra, de cons. et affin., vir. Et loquitur de iure communi. Sed hodie non habet locum talis indulgentia, infra, de cons. et affin., non debet.

Non debent
Quia quanto remotiores sunt a stipite, tanto minor memoria consanguinitatis habetur, quod hic considerabatur, 35. q. 3, de consanguinitate; et 35. q. 3, in copulatione.

Observata consuetudini
Nota quod antiqua consuetudo, quae tamen non sit a iure reprobata, servanda est praecipue propter scnadalum, 9. q. 3, conquestus. Et mos fidelissimae vetustatis servandus est, C. de testament., testamenta; et ff. de publican., licitatio § earum; et supra, de consuet., cum dilectus. Et in matrimonio servatur consuetudo, supra, de cognat. spir., utrum, in fi.; et supra, de cognat. spir., super eo. Item arg. pro scandalo vitando, supra, de regular., ne religiosi; et infra, de nov. oper. nunc., cum ex iniuncto.

Novitati
Nota novitates vitandas, supra, de consuet., cum consuetudinis; et 11. dist., quis nesciat.

X 4.14.04 *De infidelibus*

Conversis
Supple quaesivistis.

A canone
35. q. 3, de affinitate; et 35. q. 3, coniunctiones; et 35. q. 3, contradicimus; et in aliis ibidem; et 35. q. 5, ad sedem.

Dominus requisitus
26. dist., deinde opponitur.

Esse matrimonium inter eos
Si matrimonium est inter Iudaeos, ibi est individua coniunctio, 27. q. 2 § sequitur; sed ipsi deparantur dato libello repudii, 34. q. 2, non satis. Ergo non est matrimonium inter eos. Sed hoc non fit sine peccato, infra, de divort., gaudemus. Item alter infidelium si convertatur ad religionem, reliquo nolente illi cohabitare sine contumelia creatoris, solvitur matrimonium, infra, de divort., gaudemus, in fi.; et infra, de divort., quanto.

Ergo non est inter eos individua coniunctio, et sic non est matrimonium. Sed potest exponi individua, id est, apta non dividi. Vel intellige illam descriptionem de matrimonio rato et consummato, quod est tantum inter fideles. Item alia ratione non est matrimonium inter eos. Ipsi enim contrahunt eo proposito, ut cum voluerint separentur dato libello repudii. Sed hoc est contra substantiam matrimonii, 32. q. 2, solet aliquando; supra, de cond. appos., si conditiones. Respondeo: si hoc pactum exprimatur in ipso contractu, nec inter eos nec inter Christianos esset matrimonium, sed non copulantur ex pacto, licet postea abiiciant uxores de facto, est ergo matrimonium inter eos, sed non ratum, infra, de divort., quanto.

X 4.14.05 *Quod super*

Impediri
Affinitas enim contracta inter consanguineos viri et uxorem ipsius non transit ad consanguineos uxoris, nec econverso. Unde non possunt legitime copulari.

Non obstante consuetudini
Ergo consuetudo non excusat in matrimonio, supra, de sponsa duo., tuas. Arg. contra supra, de cognat. spir., utrum; et supra, de cognat. spir., super eo; 32. q. 4, obiiciuntur. Sed consuetudo quandoque propter scandalum legitimas personas ad contrahendum facit illegitimas, et sic loquuntur illae decretales supra, de cognat. spir. Et capitulum 32. q. 4, obiiciuntur, non contradicit, quia quando mos ille erat, crimen non erat contrahere cum illis personis, sed modo est. Sed consuetudo quantumlibet longa, non potest personas illegitimas ad contrahendum facere legitimas, prout hic intelligitur. Nulla consuetudo posset facere matrimonia inter consanguineos licita. Immo quanto plus simul essent, tanto gravius peccarent, infra, de cons. et affin., non debet. Sed econverso bene, ut in capitulum supra, de cognat. spir., super eo. Ubicumque consuetudo rationabilis est, et potest servari sine mortali peccato et sine scandalo, iuri praeiudicat. Exemplum habes supra, de cons. et affin., quod dilectio; et supra, de cognat. spir., super eo.

X 4.14.06 *Quia circa*

Quinto
Hodie non est necesse in isto gradu aliqua indulgentia, infra, de cons. et affin., non debet.

A sede Apostolica
Nota quod solus Papa potest dispensare circa gradus consanguinitatis, et non legatus, supra, de transact., ex parte; et 35. q. 3, quaedam lex; et 35. q. 3, scripsit; 27. q. 2, erat. Et arg. contra supra, de cons. et affin., quod dilectio; ibi solvitur.

Falsa nobis causa
Nota quod falsa causa allegata non vitiat dispensationem. Sic et falsa causa non impedit religionem, supra, de conver. coniug., ex parte tua. Et falsa demonstratio non perimit legatum, C. de fals. caus. adiec., etiam si; et ff. de condi. et demon., falsa demonstratio; et ff. de condi. et demon., cum tale § falsum; Inst. de legat. § huic proxima; et Inst. de legat., longe; et ff. de leg. 1, si sic § 1. Item causa semel probata sive vera sive falsa,

concessum ex illa causa non revocatur, Inst. qui ex quib. caus. man. non poss. § semel. Sed contra videtur quod isti ex tali dispensatione non sunt securi, quia tacita veritate et falso suggesto, dispensatio est obtenta, unde non debet valere, supra, de rescript., super litteris; et expressum videtur infra, de sent. excom., cum pro causa, ubi de hoc; sic et in voto, et supra, de fide instrum., quod super; et 2. q. 3, si quem § notandum. Arg. est in hoc quod dicit, dissimulare, quod falsa causa dispensandi in gradu prohibitio; sic 35. q. 8, de gradibus; et ff. de ritu nupt., qui in provincia. Non credo quod valuisset ista dispensatio sic obtenta, nisi haec decretalis postea emanasset. Et ita ex ista dissimulatione ex causa quae hic subiicitur licite poterant simul esse; alias non essent tuti.

X 4.14.07 *Tua nos*

Multum favoris
Supra, de cond. appos., si conditiones; infra, qui matrim. acc. poss., videtur.

Vel germanis
Et ita non est necesse incipere a stipite, sed sufficit a fratribus, supra, de testib., series; et supra, de testib., licet ex quadam, in princ.; et 35. q. 5, series; et infra, de divort., porro, ad fi. Sic ergo patet quod omnes gradus et personae sunt denegandae, 35. q. 6, de parentela; supra, de testib., licet ex quadam.

Aequipollentibus
Non refert an proprio nomine, vel per circumlocutionem expressam aliquid exprimatur, quod aequipolleat proprio nomini, supra, de testib., licet ex quadam; et ff. si cert. pet., certum.

X 4.14.08 *Non debet*

Temporum
29. dist., sciendum; 3. dist., erit autem; 32. q. 4, quis ignoret; et 32. q. 4, obiiciuntur; et 23. q. 8, occidit; et supra, de transact., ex parte; et infra, de sent. excom., super eo vero.

Mutavit
de poen. dist. 1, novit Deus; 22. q. 4, incommutabilis.

In secundo et tertio
Ut melius intelligas hanc litteram, videas quid sit primum genus affinitatis, quid secundum et tertium genus. Primum, secundum et tertium invenire debes per hanc regulam: persona addita personae per carnis copulam mutat genus, et non gradum. Genus dico attinentiae, verbi gratia, ego et frater meus sumus consanguinei in primo gradu consanguinitatis. Frater meus duxit uxorem. Illa est persona addita personae per carnis copulam, illa mutat genus attinentiae, id est, alio genere attinentiae attinet mihi, quam frater meus, quia ille est mihi consanguineus, et illa est mihi affinis, sed non mutat gradum, quia sicut frater est mihi consanguineus in primo gradu, sic et illa mediante fratre meo, est mihi affinis in primo gradu primae affinitatis. Ergo si vis habere primum genus affinitatis, adde per carnis copulam alicui de tua consanguinitate aliquam

personam, et illa persona est affinis omnibus consanguineis viri sui, in primo genere affinitatis. Et hoc genus tantum hodie prohibitionem habet, unde mortuo viro illius mulieris, puta fratre tuo, illa non potest habere aliquem de consanguinitate viri sui. Ergo patet quod omnes consanguinei et consanguineae uxoris meae sunt mihi affines in primo genere affinitatis. Si vis habere secundum genus affinitatis, adde personam per carnis copulam primo generi hoc modo: uxor fratris mei est mihi in primo genere affinitatis. Mortuo fratre meo adde illi alium virum, et ille erit mihi affinis in secundo genere affinitatis, et ille secundum antiqua iura, mortua illa, non poterat accipere aliquam de consanguinitate prioris mariti, usque ad quartum gradum. Et de isto secundo genere habes, 35. q. 3, de propinquis. Sed hodie non prohibetur, ut hic dicitur. Si vis habere tertium genus, adde personam personae per carnis copulam secundo generi, et sic habes tertium genus, verbi gratia, Seius fuit maritus relictae fratris tui, mortua illa relicta, maritus eius, qui est tibi in secundo genere, accipit aliam, illa est tibi in tertio genere, et illa olim mortuo viro suo, non poterat copulari alicui de consanguinitate tua, cum illa esset tibi, et consanguineis fratris tui in tertio genere usque ad secundum gradum; de hoc genere habes 35. q. 3, porro. Et primum genus contrahitur tantum ex una parte, secundum et tertium genus quandoque ex una parte, ut in praedictis exemplis, quandoque ex utraque parte, ut in uxoribus duorum fratrum, quae sunt inter se in secundo genere ex utraque parte apposito altero fratre mortuo, sil illa copulatur alteri, ille erit in tertio genere uxori alterius fratris. Primum genus dicitur, quia primo emanat de consanguinitate, vel quia una persona mediante contrahitur. Secundum dicitur, quia secundo loco emanat post primum, vel quia duabus personis mediantibus. Tertium quia in tertio loco, vel quia tribus personis mediantibus emanat; sic intellige quod hic dicitur. Sed numquid publica honestas est sublata? Videtur quod non, quia de ea nihil dixit. Sed contra videtur per capitulum 35. q. 3, porro, ubi prohibetur secundum genus. Et praeter istud impedimentum est ibi publica honestas, ut in uxoribus duorum fratrum, sive consobrinorum, sed secundum genus remotum est, ergo illa publica honestas. Potest dici quod ubi publica honestas simul incidit in eundem casum cum secundo vel tertio genere, ut in uxoribus duorum fratrum sive consobrinorum, uno sublato tollitur et aliud per hanc constitutionem. Quotiens enim vitium ex una etiam radice nascitur, consequens est ut una lege tollatur, C. de nupt., si libertam, in fi.; et ff. de iureiuran., duobus § colonus; et ff. arb. furt. caes., si colonus, arg. Et alia publica honestas, ut soboles suscepta ex secundis nuptiis non copulanda cognationi viri prioris sublata est, ut statim dicit sequens littera. Alias vero publica honestas adhuc est, supra, de despon. impub., duo.

Secundis nuptiis

Hoc ita intellige, frater meus habet uxorem; eo mortuo relicta eius contrahebat cum secundo. Soboles nata de illis secundis nuptiis non poterat olim copulari alicui de consanguinitate prioris mariti, et hoc propter publicae honestatis iustitiam, quae hodie sublata est in hoc casu. In alio casu adhuc durat, ut dixi in sponsa de futuro, quia in matrimoniis non quid liceat, sed quid honestum est consideratur, ff. de ritu nupt., semper. Et ideo frater impeditur sumere sponsam fratris habere non potest, supra, de spons., ad audientiam; et arg. ad hoc, ff. de adopt., qui in adoptionem. Io. dixit quod publica honestas in omnibus est sublata, nisi in sponsa de futuro. Ego intelligo esse tantum sublatam in casibus omnibus, qui hic ponuntur, et non in aliis.

Revocantes
Gregorius tamen dixit, qui dissolvit haec genera affinitatis, negat verbum Dei in aeternum manere, 35. q. 10, fraternitatis, ultra medium, vers. fi. Qualiter ergo Innocentius dissolvit? Hoc intellige sine causa, et ab alio quam a successore Gregorii.

De caetero
Sic ergo videtur quod matrimonium illorum qui ante constitutionem istam contraxerant in quinto vel in sexto gradu, non confirmetur hic, quia constitutiones matrimonii non trahuntur ad praeterita matrimonia, 35. q. 3, de incestis; et 31. dist., ante triennium. Et generaliter constitutiones non trahuntur ad praeterita, nisi hoc ibi dicatur, supra, de consti., quoniam. Sed pone quod post istam constitutionem publicatam simul steterunt scienter. Dico quod hoc ipso intelliguntur ratum habere matrimonium, arg. supra, de coniug. serv., proposuit; et supra, de despon. impub., litteras; et supra, de despon. impub., accessit; et ff. de ritu nupt., si quis in senatorio. Quia et si primus consensus nullus fuit, postea potest confirmari, in Auth. de nupti. § si vero ab initio, coll. 4. Sed videtur quod verba necessaria sint, supra, de spons., tuae fraternitati; et 29. q. 2, si quis ingenuus; et novus consensus requiritur, supra, de eo qui dux. in matr. quam pol. per adult., veniens. Nisi expresse consentiat, antiquus consensus videtur perdurare, qui nullus fuit, ff. de preca., sed si manente; ff. de recepti., si cum dies, in princ.; et ff. de recepti., Labeo § penulti.; ff. de ver. oblig., stipulatio non potest § si quis simpliciter, vers. cum adiicit. Io. dicit quod pro matrimonio standum est, ex quo ex certa scientia post publicatam constitutionem simul steterunt, ipso enim facto matrimonium inducitur, saltem praesumptum. Ber.

Quatuor sunt humores
De quibus habes supra, de celeb. miss., in quadam, in fi.

Nulla longinquitate
Et ita nulla praescriptio currit contra matrimonium, sicut olim currebat. Et sic contra votum nulla currit praescriptio, 33. q. 5, quod Deo pari; et supra, de regular., sicut nobis, in fi.

Infelicem
Sic supra, de consuet., cum tanto; et supra, de consuet., quanto; et infra, de simon., non satis; et infra, de simon., cum in ecclesiae.

X 4.14.09 *Vir qui*

Quarto
Idem esset si tertio vel secundo, secundum regulam sequentem, quia nihil attinet ei, qui est ex alia linea in quinto, licet magis appropinquet communi parenti.

Approbatam
Nota quod regula a magistris tradita, approbatur hic a iure, et sic pro iure servabimus regulam istam, arg. supra, de cons. et affin., quod dilectio.

X 4.15.01 Accepisti (rev. 9/23)

Remotior

Si vis scire in quo gradu aliquae dua personae diversarum linearum sibi attineant, recurre ad communem stipitem sive parentem a quo descenderunt. Et descende aequaliter computando per ambas lineas, quousque altera illarum primo occurrat. Et si ambae simul occurrant, erunt in eodem gradu primo, secundo, tertio vel quarto, et istae personae quae aequaliter descendunt, non dicuntur distare a gradu, sed potius sunt in gradu aequali descendente a communi stipite aequaliter. Et si sunt infra quartum gradum, non possunt matrimonialiter coniungi. Sed si una primo occurrit quam altera, descende per lineam alterius usque ad illam. Et semper post illum gradum, in quo occurrit prima persona, additur gradus pro numero personarum. Et sic habebis quoto gradu una distat ab altera, et istae personae non dicuntur esse in gradu, sed distant gradu, sicut istae personae de quibus hic dicitur, cum una distet quarto gradu, et alia quinto a communi parente, quod planum est videre. Et quoto gradu remotior persona distat a communi parente, toto distat a quolibet alio descendente per aliam lineam, verbi gratia, communis parens istorum fuit Petrus, eius filii fuerunt Martinus et Berta, qui sunt in primo gradu. De Martino descendit Ioannes, de Berta ex alia parte natus fuit Robertus, qui Ioannes et Robertus sunt in secundo gradu aequaliter descendentes a Petro. De Ioanne natus est Stephanus. De Roberto est Albertus natus, qui sunt in tertio gradu, et aequaliter descendunt a Petro tertio gradu, scilicet, de Stephano natus est vir iste, de quo hic quaeritur. De Alberto natus est Titius, qui est in quarto gradu cum viro isto, aequaliter distantes a Petro. Primo loco occurrit tibi vir iste, qui quarto gardu distat a Petro, et sic est ultima persona in consanguinitate Petri ex una linea, et Titius ex alia linea. De Titio nata est haec mulier, de qua hic quaeritur. Et distat quinto gradu a Petro, et sic exivit iam consanguinitatem Petri. Ergo eodem gradu distat a Martino, Ioanne, Stephano, et ab isto viro, videlicet, filio Stephani. Ideoque recte potest illum habere in virum, et quemlibet descendentem a Petro per aliam lineam posset accipere, cum omnes illa personae huic sint in quinto gradu. Hoc in arbore melius videtur.

X 4.15 DE FRIGIDIS ET MALEFICIATIS ET IMPOTENTIA COEUNDI

X 4.15.01 *Accepisti*

Iudicium

Scilicet, quod uterque iuret cum septima manu propinquorum, 33. q. 1, requisisti.

Diiudiceris

Nota contrarii operis evidentia mendacium convinci, supra, de praesump., litteras; arg. supra, de maior. et obed., legebatur; et 22. q. 5, cavete.

Reparare

Nota quod sententia contra matrimonium lata, non transit in rem iudicatam, cum appareat ex post facto ecclesiam fuisse deceptam; sic supra, de re iudic., lator; et supra, de re iudic., consanguinei; et infra, de frig. et malef., fraternitatis. Quare priora etiam matrimonia restaurantur, etiam muliere contradicente, si fraudis fuerit conscia, ff. de adulter., si uxor § iudex; et ff. de adulter., si uxor § idem dicendum, ut dixit Ala. Si vero conscia fraudis non fuerit, poterit repellere eum, si voluerit, praetextu adulterii, arg. 32. q.

X 4.15.02 Quod sedem (rev. 9/23)

1, de Benedicto; et 32. q. 6, nihil. Sed non credo quod hoc non obstet, quin matrimonia priora debeant restaurari, infra, de frig. et malef., laudabilem; et infra, de frig. et malef., fraternitatis. Item arg. contra, 33. q. 1, si per sortiarias; sed ibi separantur propter maleficium, non propter frigiditatem.

Missum
Simile supra, de regular., si quis. Et expone missum, id est, vicarium, qui fungitur vice episcopi, supra, de instit., ex frequentibus.

Affirmas
Quod eam cognovisti.

Caput
Supra, de despon. impub., continebatur; 33. q. 1, si quis acceperit. Et hoc intellige, nisi ipsa velit se probare virginem per aspectum corporis, supra, de probat., proposuisti; et supra, de probat., causam matrimonii.

Tacuit
Ergo videtur quod post annum et dimidium reclamare non poterit. Sed contrra videtur C. de repud., in causis, ubi dicitur quod usque ad triennium, in Auth. de nupti. § per occasionem, coll. 4; et infra, de frig. et malef., laudabilem. Quod dicitur in istis duabus ultimis concordnatibus tenendum est, et non tenet quod hic dicitur de anno et dimidio. Et est arg. ad praescriptionem, si quis taceat usque ad completam praescriptionem, quia gesta taciturnitate firmavit, C. de his qui a non dom. man., si non a dominis.

Probari
Hoc ideo dicit quia non est standum eorum confessioni contra matrimonium. Et si uterque confiteatur, non videtur credendum, ne in fraudem hoc diceretur, supra, de eo qui cog. consang., super eo; nisi quod asserunt, probaverint cum septima manu propinquorum, 33. q. 1, requisisti. Sed pro matrimonio bene creditur eis, supra, de clan. despon., quod nobis. Et quod dicitur, non creditur eis contra matrimonium, verum est quantum ad hoc, ut contrahendi facultatem acquirant; sed si vellent in continentia manere, creditur eis, 33. q. 5, quod Deo pari.

X 4.15.02 *Quod sedem*

Non est aptus
Supra, de despon. impub., a nobis; arg. supra, de despon. impub., puberes, ubi de hoc.

Impotentes
Hac ratione videtur, quod senes qui a naturali calore defecerunt, contrahere non possunt. Sed contrarium est verum, C. de nupt., sancimus; 27. q. 1, nuptiarum. Quia in senibus dicitur esse legis obsequium, et humanitatis solatium, ut ibi, et 31. q. 1, aperiant; et 31. q. 1, quod si dormierit. Sed hic non loquitur de tali impotentia, sed de eo qui sectus est, et qui perpetuo impotens est. Sed senes aliquando aliquo beneficio moventur.

X 4.15.03 Ex litteris (rev. 9/23)

X 4.15.03 *Ex litteris*

Contraxit
Id est, contraxisse apparuit, vel in veritate contraxit, ex eo quod contra naturam vim ei forsan intulit, quia arcta fuit. Unde nullo modo sibi potuit commisceri, unde magis inhabilis reddita fuit, et sic non fuit matrimonium, infra, de frig. et malef., fraternitatis. Si enim non loqueretur de impedimento praecedente matrimonium, stare non posset quod dicitur in fine, 32. q. 1, dixit; et 32. q. 5, si uxorem; et supra, de coniug. lepr., pervenit; et supra, de coniug. lepr., quoniam.

A natura
Quia erat arcta, ut dixi.

Medicorum
Infra, de frig. et malef., fraternitatis. Et ita non fuit matrimonium. Et intellige quod dicit, non poterit adiuvari ope medicorum sine periculo corporali; alias non deberent separari, immo modicam violentiam debet sustinere, ut arg. infra, de frig. et malef., fraternitatis. Et si talis fuit, non habuit propositum reddendi matrimonii debitum exacta vel exigendi, et sic nullum matrimonium, 32. q. 2, solet; et 32. q. 2, aliquando; et supra, de cond. appos., si conditiones. Et secundum leges esset in causa redhibitionis, ff. de aedil. edict., quaeritur § mulierem. Arg. contra, infra, de frig. et malef., consultationi.

X 4.15.04 *Consultationi*

Incredibile
Quia conditionem corporis sui sciens, non contraheret de levi. Ala.

Iudicare
Ergo et nos sic iudicare debemus, supra, de re iudic., in causis; C. de legi. et const., si imperialis. Quod verum est, ubi ipsa sic praecipit iudicandum, arg. 11. q. 3, nolite. Alias non permittitur aliter fieri, 11. dist., quis nesciat. Sed hic non praecepit eius consuetudinem esse servandum illam decretalem, infra, de frig. et malef., fraternitatis, ut dixi supra, de frig. et malef., ex litteris.

X 4.15.05 *Laudabilem*

Celebrati
Et a tempore cohabitationis, nec sufficit cohabitare, nisi dent operam carnali operi, 33. q. 1, requisisti.

Frigiditas
Quod hic dicitur de frigido, idem intelligo et de maleficiato, ut usque ad triennium expectet, maxime quia magis sperandum est quod impedimentum removeri possit, quod non processit a naturalibus. Laur.

X 4.15.06 Fraternitatis (rev. 9/23)

Prius probari
Arg. quod si prius probari possit impedimentum, non expectabunt per triennium, infra, de frig. et malef., fraternitatis. Si vero manifeste non constet, tunc cohabitent simul per triennium continuum, in quo debent dare operam carnali operi, ut hic, et arg. infra, de frig. et malef., litterae; in Auth. de nupti. § per occasionem, coll. 4.

Gregorii
33. q. 1, quod autem.

Iustum iudicium
Id est, per testes, vel aspectum corporis, arg. supra, de probat., proposuisti; et infra, de frig. et malef., litterae.

Separentur
Propter naturalem frigiditatem; secus si propter maleficium, 33. q. 1, si per sortiarias.

Quod si ambo
Vel solummodo mulier. Ille enim qui scienter contraxit non videtur quod possit contradicere, arg. supra, de eo qui dux. in matr. quam pol. per adult., propositum; ff. de lege comm., cum venditor. Vel dicas et verius quod necesse est ut ambo consentiant, sufficit quod ita scriptum est, etsi perquam durum est, ff. qui et a quib. man. lib., prospexit; et 6. q. 3, scriptum est. Quia cum nullum sit matrimonium, non tenetur alter alteri.

Septima manu
Sic infra, de frig. et malef., litterae; et 33. q. 1, requisisti.

Uterque iureiurando
Uterque vir et mulier iurare debent, quod fide bona dederunt operam copulae carnali per triennium, nec una caro affici potuerunt. Propinqui iurabunt quod credunt eos verum iurasse, arg. infra, de purg. can., quotiens.

Hi qui
Scilicet, vir et uxor. Et non alii compurgatores, si bona fide iuraverunt.

Redire
Cum propter frigiditatem separantur. Secus si propter maleficium, 33. q. 1, si per sortiarias.

X 4.15.06 *Fraternitatis*

Matronas
Talibus credendum est, si honestae sint et peritae in arte illa, ff. de ven. inspic., temporibus, in princ.; et supra, de probat., proposuisti; et supra, de probat., causam matrimonii; et infra, de frig. et malef., litterae. Oculus enim obstetricum in talibus saepe

fallitur, 27. q. 1, nec aliqua. Et in hoc casu non requiritur iuramentum propinquorum, sicut in frigiditate, ut supra, de frig. et malef., laudabilem.

Districte
Per iuramentum. Hoc iuramentum non est remittendum istis testibus, ne aliquid in fraudem matrimonii dicerent, supra, de eo qui cog. consang., super eo; et infra, de frig. et malef., litterae.

Poterat esse
Sed qualiter hoc potuit probari, cum sit negativa? Sic potuit probari, dicendo quod haec mulier caret membro apto ad copulam carnalem. Qualiter negativa probatur, supra, de elect., bonae 1, dictum est. Ber.

Deerat
Nota quod non dicitur esse, quod inutile est, supra, de translat., inter corporalia; et ff. quod cui. univ. nom., neque societas § et quidam. Nec dicitur habere actionem, qui habet inutilem, ff. de dolo mal., nam is; et supra, de restit. spol., olim vobis; arg. supra, de solution., Odoardus.

Invenit
Non dicit quod per medicum vel alium.

Divinum miraculum
Arg. quod nullum maleficium est perpetuum, cum possit removeri praeter divinum miraculum, saltem per illum qui ipsum induxit, quia quicquid ligatur, dissolubile est, in Auth. de nupti. § nuptias, coll. 4. Et secundum hoc non tenet illud capitulum 33. q. 1, si per sortiarias, ut quidam dicunt. Potest dici quod aliud est cum allegatur impotentia ex parte mulieris, ut hic; aliud ubi ex parte viri allegatur maleficium, ut in capitulo 33. q. 1, si per sortiarias; et infra, de frig. et malef., litterae. Et hic allegata fuit falsa causa, ut postea apparuit. Unde postea debet restitui viro, arg. supra, de re iudic., lator; et supra, de re iudic., consanguinei. Ad hanc causam refertur haec ratio, attendentes quod impedimentum, etc. Vel potest dici quod maleficium est perpetuum, ex quo enim mulier cohabitavit viro per triennium, et dederunt operam copulae carnali, nec poetrunt commisceri, praesumitur perpetuum impedimentum, et possunt separari et alteri nubere, ut in capitulo 33. q. 1, si per sortiarias. Quia potest aliquis maleficiatus esse cum una, et non cum alia. Et hoc intelligo de maleficio quod praecessit matrimonium, nam post matrimonium contractum si superveniat impedimentum, non debent separari, 32. q. 7, hi qui sani; et 32. q. 5, si uxorem. Si vero post separationem eam cognosceret, matrimonium debet redintegrari, ut hic patet, quia impedimentum non erat perpetuum.

Corporali periculo
Ubi vero grave periculum timeretur, non est matrimonium, sed ubi levi periculo potest removeri, debet illud pati, infra, de frig. et malef., fraternitatis § per hoc, a contrario sensu.

X 4.15.06 Fraternitatis (rev. 9/23)

Per errorem

Propter quem excusatur iudex, infra, de sent. excom., sacro. Et intellige quod error iste intervenit in aspectu corporis, in quo matronae deceptae fuerunt, quia manus et oculus obstetricum saepe fallitur, supra, de probat., causam matrimonii; et 27. q. 1, nec aliqua. Et sic patet quod sententia per errorem lata, a qua non est appellatum, revocatur, si error probabilis postea detegatur, infra, de purg. vulg., significantibus; et ff. de condi. sine caus., si fullo. Item habes hic quod sententia per errorem lata contra matrimonium non transit in rem iudicatam, quo minus potest revocari quandocumque apparuerit ecclesiam deceptam fuisse, ut hic patet; et supra, de re iudic., lator; et supra, de re iudic., consanguinei; et infra, de frig. et malef., litterae; et supra, de frig. et malef., accepisti; et supra, de frig. et malef., laudabilem.

Erat illi

Scilicet, primo viro a quo fuerat separata.

Simili

Sic 33. q. 1, requisisti. Et innuitur hoc ex eo quod in fi. huius capituli dicitur quod si prior vir non possit eam cognoscere sine gravi periculo, quod non sit reddenda primo viro, licet ex post facto per consuetudinem secundi viri reddita sit apta priori. Quod bene potest concedi, quia non fuit matrimonium inter eos, ut dixerunt Vincen. Io. et Tanc.

Remaneat

Quia si ingressa fuit et professa, statim solutum fuit matrimonium, si quod fuit inter eos, supra, de conver. coniug., ex publico. Secus si ingressa fuit causa probationis, quia si ista tunc ad saeculum rediret, compellitur redire ad virum priorem.

Alioquin

Id est, si non transivit cum effectu.

Se voto

Solemni, scilicet, et tunc debet compelli votum servare, et per hoc intelligitur fornicata cum secundo, cum ipsa contrahere non potuit post votum solemne.

Fornicario modo

Quia si legitime contrasxisset cum altero, illud ei obiici non posset repelli a viro, arg. infra, de divort., gaudemus. Immo videtur quod nullam fornicationem ei obiicere posset. Nullam enim iniuriam fecit nec intendebat facere viro, quia fornicata fuit tamquam soluta, 15. q. 1, illud; ff. locat. et conduct., si ignorans. Nam adulterium non comittitur sine dolo, 34. q. 2, in lectum; ff. de adulter., si ex lege. Item si aliqui sint separati per sententiam ecclesiae, et post alter eorum fornicetur, minorem iniuriam committit, et minus peccat, 32. q. 7, quemadmodum. Praeterea per primam fornicationem non fuit apta viro suo, sed forte nec per multas alias, ergo illam solam potest opponere cum reddita fuerit apta primo viro, quae postea secuta est, quia tunc primum laeditur ius matrimonii, arg. supra, de dona., Apostolicae. Potest dici quod sicut ex futuro eventu apparet retro fuisse matrimonium, ut dicitur in fine, sic ex futuro eventu apparet retro fuisse factam iniuriam priori viro, ff. de capt. et de post. et red., in libello § 1. Sed quid si post primum

coitum cum secundo, prior petit eam? Dico quod est ei reddenda. Et si non intervenerit eam aptam, est restituenda secundo. Et sic etiam post secundum vel tertium coitum secundi, et sic in infinitum, ut dixit Io. Tanc. dixit quod usque ad tertiam vicem tantum, et non ultra debet restitui primo. Immo remanere debet cum secundo, quoniam duae tantum sententiae post primam sunt ferendae, quia tertio appellare non licet, 2. q. 6, si quis in quacumque; et supra, de appell., sua nobis. Ber.

Praesumi
Simile 33. q. 2, cum per bellicam; et infra, de divort., gaudemus.

Ammodo
Scilicet, veritate revelata, quod fuerat uxor primi.

Solutam
Arg. a contrario sensu sumpto ex illo verbo, supra, de frig. et malef., accepisti, ibi, absque corporali periculo, etc. Et est arg. validum a contrario sensu, supra, de his quae fi. a prael., cum Apostolica, in fi.; et supra, de regular., cum virum.

Idonea prohiberi
Et certe non.

Similiter
Resume, per haec noveris quaestionem illam esse solutam, qua quaeritur, utrum illa quae viro cui, etc.

Debeat
Quasi dicat, non debet. Intellige tamen secundum distinctionem praemissam, an sit grave periculum si reddatur apta vel non. Vincen.

De talibus
Sinile supra, de in integ. restit., cum venissent.

Non est facile
Quia nescitur an sit apta viro primo. Et hoc aliquo iure perpendi non potest, sed potius per experientiam facti; simile supra, de dona., Apostolicae, cum suis concordantiis.

Ex futuro
Sic ff. de reb. dub., quaedam; et ff. si cert. pet., proinde; et ff. qui pot. in pign. hab., potior; ff. de Maced., verba § 1. Nec intellige quod matrimonium retrotrahatur, sed hoc ideo dicit, quia in dubio est an sit matrimonium cum primo. Nec intelligas quod tunc primo incipiat esse apta sibi, sed tunc primo declaratur fuisse matrimonium; simile ff. si serv. vend., sicut § sed si quaeritur; et ff. de acq. rer. dom., adeo § cum quis, in fi.; et 33. q. 1, requisisti; ff. qui testam. fac. pot., heredes palam § primo

X 4.15.07 Litterae (rev. 9/23)

Adhuc integra

Et intellige quod viripotens erat haec, quae virum pati poterat. Licet esset virgo, dicitur viripotens, ff. de ver. sig., mulieris, in princ.

Cognoscendi alias

Et ita allegebat iste maleficium quantum ad istam, et non quantum ad alias, et non frigiditatem. Quia si quis est frigidus quo ad unam, quo ad omnes est frigidus, cum impedimentum a natura procedat, arg. supra, de frig. et malef., ex litteris. Secus in maleficiato, ut dictum est supra, de frig. et malef., fraternitatis. Unde postquam constiterit de maleficiato, post triennium debent separari, et ad alia vota transire. Secus in frigido, ut supra, de frig. et malef., accepisti; et supra, de frig. et malef., laudabilem; et 33. q. 1, de his requisisti.

In fraudem

Confessioni coniugum contra matrimonium non est credendum, propter collusionem quam multifacerent, supra, de eo qui cog. consang., super eo.

Fide dignis

Supra, de frig. et malef., fraternitatis, ubi de hoc.

De commissis

Quia infirmitas corporalis ferquenter provenit ex peccato. Et sic causa cessante forte cessabit effectus, infra, de poenit. et remiss., cum infirmitas.

Institutor

Simile 32. dist., deinde opponitur; at arg. supra, de cons. et affin., de infidelibus; et 32. q. 2, sicut § his ita. Et quidam dicunt quod his verbis fuit institutum matrimonium: hoc nunc os ex ossibus meis, etc. Sed illa verba prolata sunt ab Adam, ut supra, de bigam., debitum, unde videtur verius quod per illa verba: crescite et multiplicamini, ab ipso Domino prolata.

Continuum triennium

Qui enim separantur propter frigiditatem naturalem, per triennium continuum debent cohabitare simul, et dare operam carnali operi, supra, de frig. et malef., laudabilem; et in Auth. de nupti. § per occasionem, coll. 4. Idem tempus dico dandum maleficiato, et multo fortius, cum sit accidentale illud impedimentum.

Septima manu

Sed quare requiruntur iuramenta propinquorum, cum sufficere debeat iuramentum viri et mulieris, cum iuramento illarum, quae illam virginem asseverant, ut supra, de probat., proposuisti; et supra, de probat., causam matrimonii. Vel etiam iuramenta propinquorum sufficiunt, cum uterque id confitetur, 32. q. 1, requisisti. Sed hic uterque id confitebatur, sed hoc ideo, quia saepe fallitur et manus et oculus obstetricum, 27. q. 1, nec aliqua; ideo iuramenta propinquorum requiruntur. Omnis enim cautela, quae adhiberi potest in talibus, est adhibenda propter periculum animae. Et ideo circa maiora cautius est agendum, arg. 7. q. 2, nuper; et 42. dist., quiescamus; et ff. de Carb., si cui controversia §

2; et 61. dist., miramur. Tamen si alterum omitteretur, nihilominus valeret sententia, ut 32. q. 1, requisisti; et supra, de probat., proposuisti; et supra, de probat., causam matrimonii.

X 4.16 DE MATRIMONIO CONTRACTO CONTRA INTERDICTUM ECCLESIAE

X 4.16.01 *Litterae*

Daturum uxorem
Futuram scilicet, cum sponsalia tantum contaherentur.

Praesente et consentiente
Expresse, et hoc agebatur, quod mediante fratre tamquam per procuratorem sponsalia contraherentur, quod fieri potest, ff. de sponsal., in sponsalibus. Alias si per fratrem tantum contraherentur, non valerent, nisi ipsa postea consentiret. Sed frater tantum ad hoc obligatur, ut sororem inducat, ut cum illo matrimonium contrahat, ff. de ver. oblig., in illa stipulatione; et ff. de ver. oblig., quotiens quis alium.

Dona et munera
Differentia est inter donum et munus, ff. de ver. sig., inter donum.

Tamquam proprium virum
Spe futuri matrimonii, non rei praesentis. Et ita non est matrimonium, et hoc patet per finem. Et hoc ipso etiam si ea absente contracta fuissent sponsalia, consentire videntur ipso facto.

Viri
Id est, sponsi; sic 22. q. 2, genuit.

Permisit
Et male, quod facere non debuit, supra, de spons., ad audientiam; et supra, de spons., sponsam.

Prohibuisses
Et bene, supra, de sponsa duo., tua fraternitas; et supra, de sponsa duo., tuas.

Alii
Scilicet, tertio.

Mandatum
Nota quod remittitur causa ad eum a quo appellatum est, vel quia non tenuit appellatio, vel quia ipsa non fuit prosecuta suam appellationem, et episcopus factum significavit Papae. Unde mandat ei, ut si est ita, ipsam compellat redire ad domum matris, quia ipsa contempsit mandatum ecclesiae, a tertio viro propterea non separabitur. Et est hic arg. quod mandatum iudicis non est contemnendum, 34. dist., quorundam; arg. 8. q. 1,

sciendum; 11. q. 3, si autem vobis; et 11. q. 3, quando ergo; et ff. ne quid in loc. pub., sicut is. Et puniri debent contemptores, ut hic patet; et infra, de matr. contrac. con. int., ex litteris; et ff. ne quid in loc. pub., sicut is; et arg. ff. si quis ius dic. non obtem., omnibus. Alias delusorium videretur edictum iudicis, ff. de re iud., contumacia § contumax.

Excessu
Scilicet, de fide violata prioris sponsi, et quia desponsare se permisit a fratre sponsi, et quia mandatum ecclesiae contempsit. Et sic patet quod iudex potest punire contumacem, ut dictum est.

X 4.16.02 *Ex litteris*

Absentem
Quae postea consensit, alias non tenuissent sponsalia. Et ita inter absentes contrahuntur sponsalia et matrimonium, ff. de sponsal., in sponsalibus; et 32. q. 2, honorantur.

Interminatione
Comminatio tantum fuit, non sententia. Arg. contra infra, de eo qui furt. ord. recep., veniens; et supra, de loc. et cond., ex rescripto.

Prohibuit
Quod facere debuit, supra, de matr. contrac. con. int., litterae; et infra, de matr. contrac. con. int., de muliere.

Districtius interdixit
Nota quod licet iudex deferat appellationi, nihilominus mihi potest interdicere, ne faciam id propter quod appellavi, vel quod ex eo sequitur. Nec mirum, cum sit ordinarius, et potest etiam statuere terminum appellanti, supra, de appell., saepe. De causa tamen invito appellante, postquam detulit appellationi, cognoscere non posset, quia iam remisit eam ad superiorem, 2. q. 1, nomen; et supra, de offi. deleg., licet.

Donec causa ipsa
Hic fertur sententia ipsa sub conditione, 63. dist., Salonitanae; 5. q. 1, quidam; 17. q. 4, si quis suadente; et supra, de appell., praeterea requisiti. Arg. contra 2. q. 6, biduum. Sententia excommunicationis bene potest fieri sub conditione, ut in capitulo supra, de appell., praeterea requisiti. Aliae vero sententiae non debent ferri sub conditione, latae tamen tenent, ut in praedicto capitulo 2. q. 5, biduum.

Ob id
Sic patet quod interdictum ecclesiae non dissolvit matrimonium, ut supra, de matr. contrac. con. int., litterae. Quia non est perpetuum impedimentum, ut dixit supra, de sponsa duo., tua fraternitas. Sed poenitentia debet ei imponi, quia mandatum ecclesiae contempsit, supra, de matr. contrac. con. int., litterae.

X 4.16.03 *De muliere*

Contra interdictum
Quod facere non debuit, ut supra, de matr. contrac. con. int., ex litteris; et supra, de sponsa duo., tua fraternitas, ubi de hoc; 33. q. 4, non oportet.

Donec separentur
Haec sententia est ad tempus, unde ex tempore tollitur sine aliqua absolutione, ut hic videtur; arg. supra, de spons., non est; et 81. dist., si qui sunt. Sed tutius est quod etiam post separationem absolvantur, saltem ad cautelam, licet videantur excommunicationi tantum dum simul manent.

Quousque
Arg. contra supra, de sponsa duo., tua fraternitas, in fi. Sed ibi solvitur qualiter illud, et ea quae in hoc titulo dicuntur intelliguntur circa huiusmodi separationem.

X 4.17 QUI FILII SINT LEGITIMI

X 4.17.01 *Conquestus*

Acceperit in uxorem
Et sic legitimata fuit per subsequens matrimonium, infra, qui fil. sint legit., tanta.

Legitimam
Inst. de nupt. § aliquando; et in Auth. quib. mod. nat. fil. effic. legit. § sancitum, coll. 6; et infra, qui fil. sint legit., tanta; et 30. q. 5, nullum.

Hac occasione
Quia ex quo pronunciata fuerit legitima, cessabit occasio ista. Unde si propter hoc vellet eam molestare, potest et debet ab ecclesia excommunicari, cum causa matrimonii ad ecclesiam spectet, et per consequens legitimatio, quae est accessoria. Arg. contra infra, qui fil. sint legit., causam quae 2. Non est contra, ibi principaliter committitur causa super quaestione spoliationis, quae ad Papam non pertinet, inter eos qui non sunt suae iurisdictionis, sed ad iudicem saecularem, ut ibi patet, et 8. dist., quo iure. Hic vero principaliter committebatur causa filiationis, quae ad ecclesiam pertinet. Et ea determinata, determinatur per consequens causa inquietationis, quae fiebat huic mulieri, eo quod illegitima dicebatur. Et ita cessante illa causa patet quod iniusta esset ulterius inquietatio ex illa causa, unde Papa ratione saltem peccati potest se intromittere, supra, de iudic., novit; et arg. 2. q. 1, si peccaverit. Vel Papa habebat hic utramque iurisdictionem, arg. supra, de appell., si duobus; et ita nulla est oppositio.

X 4.17.02 *Cum inter*

Publice
Scilicet, denunciatione praemissa in ecclesia publice; alias hodie dicitur clandestinum, supra, de clan. despon., cum inhibitio.

Sine contradictione
Si quis contrahat non praemissa denunciatione, vel ea praemissa contingat matrimonium ex iusta causa interdici, et non obstante contradictione contrahat, si postea impedimentum probetur, filii medio tempore nati, illegitimi erunt, et ideo publice dicit hic et sine contradictione. Et hoc totum habes in illa constitutione supra, de clan. despon., cum inhibitio.

Concepti fuerant
Sic ergo tempus conceptionis spectandum est, cum de commodo alicuius tractatur, ff. de statu hom., Paulus. Et quotiens de commodo alicuius tractatur, pro iam nato habetur, ff. de statu hom., qui in vetero est; ff. de senat., emancipatum, vers. si quis conceptus sit; et Inst. de ingen. § ex contrario. Arg. contra 15. q. 8, cum multae; et de conse. dist. 4, firmissime; arg. contra ff. de decur., qui ad tempus § in filiis; et ff. de decur., qui ad tempus § sed si pater; pro prima parte facit 26. q. 4, igitur, in fi. Solutio: quod primo dicitur, verum est propter favorem filiorum et libertatis, quandoque tamen consideratur odium paternum, ut in capitulo 15. q. 8, cum multae. Contrarium illud igitur locum habet, ut varietas fatorum adaptetur diversitati horarum.

Ante latam sententiam
Pro iam nato habetur cum ante sententiam sit conceptus, ut dictum est. Arg. contra C. de liber. caus., licet dubitatum. Sed illi qui nascuntur post litem contestatem, conditione matris utuntur.

Nutriantur
30. dist., si quis reliquerit; 1. dist., ius naturale; infra, de infant. et lang. exp., si a patre. Qualiter filii alendi sint dicitur supra, de conver. infid., ex litteris; et supra, de eo qui dux. in matr. quam pol. per adult., cum haberet. Sed quid si moveatur quaestio alicui puero vel infanti, quod non sit filius illius cuius dicitur? Iudex summatim cognoscere debet, ut alatur rebus interdum forsitan alienis, C. de Carb., carbonianum; et ff. de Carb., carbonianum § causae cognitio. Laur.

X 4.17.03 *Transmissae*

A vicinia
Multum valet in talibus fama viciniae, supra, de praesump., illud; et supra, de probat., per tuas; 3. q. 4 § item saepe; 35. q. 6, si duo.

Spurius
Id est, non legitimus vel naturalis. Quia forte susceperat eum de alia muliere, vel ante matrimonium, vel durante matrimonio, et ita spurius.

Negabant
Talis negatio praesumptionem inducit contra illum, sed praeiudicium non generat. Quia licet aliquis negetur filius, nihilominus de inofficioso testamento agere potest, ff. de inoffic. testam., si instituta § ei qui. Sicut econverso licet appellatur filius, non tamen

succedit cum aliis, si probatur quod non sit filius, C. de testament., neque professio; et C. de hered. instit., si pater; et C. de probation., non nudis.

Mota

Sed quis provocavit hic ad iudicium? Planum est quia filii legitimi provocaverunt, ut patet per litteram supra, ubi dicit: quibus paternam hereditatem petentibus; et ex eo quod dicit: noluit stare iuri, fuit excommunicatus. Ipse enim hereditatem possidebat vel partem, unde isti petebant illam dicentes ipsum non fuisse legitimum. Sed quomodo isti poterant agere, cum parentes istorum viverent, ut videtur ex eo quod dicit: standum est verbo viri et mulieris. Quia de hereditate viventis agi vel pacisci non potest, C. de pacti., de quaestione. Nec dicitur hereditas nisi mortuo eo cuius fuit, ff. de hered. vel act. ven., si hereditas. Dicunt quidam quod illi erant facti monachi. Vel forsitan pater concesserat eis hereditatem totam, retentis aliquibus fructibus pro victu suo et uxoris. Vel potest dici quod isti iam mortui erant, et quod dicitur: standum est verbo viri et mulieris, scilicet, quod dicebant illum publice filium suum non esse dum vivebant, arg. supra, de probat., per tuas. Et merito statur verbo illorum, quia non est versimile quod paterna pietas contra illum mota fuisset, si filius fuisset, supra, de praesump., afferte; C. de adopt., cum in adoptivis § si vero; et C. de inoffic. testam., si mater; 23. q. 4, ea vindicta, circa princ. Et nullus affectus vincit paternum, C. de curat. fur., cum furiosus § quis enim. Et affectio causam suspicionis removet, ff. de ritu nupt., non solum § de uno. Et ideo eis etiam creditur, quia iste numquam fuit in possessione filiationis, quia viciniae fama hoc habebat, cui in talibus creditur cum verbo viri et mulieris, arg. supra, de praesump., illud; et 35. q. 6, si duo.

Indiciis

Per indicia enim fit probatio, C. de rei vend., indicia; et C. de rei vend., cum super; et C. de fid. instrum., debitores; et supra, de probat., per tuas; et C. fam. ercis., in ipsius; et C. de pacti., pactum quod. Ex quo negatur filius, cum non sit in possessione filiationis, eum oportet probare, ff. de probation., quotiens quaereretur; et ff. de probation., ei incumbit; et ff. de probation., imperatores. Et viderentur sufficere huiusmodi indicia, si probet quod illi tenebant eum pro filio, et ille eos pro parentibus, et maxime si fama viciniae consentiat, ut dicit decretalis supra, de probat., per tuas. Et quia natus est de illorum matrimonio, quia is filius est quem nuptiae demonstrant, ff. de in ius voc., quia mater. Et dicit lex quod debet probare se filium, si negatur filius a patre, ut ff. de lib. et post., si posthumus § ulti., vers si quis ita; et ff. de his qui sui vel alien. iur. sunt, nepotes § filium, arg.; alias est lex.

Et testibus

Quibus probantur indicia, quia res ista vere probari non potest, nisi per indicia exteriora, ut dictum est, et hic est arg. quod statur praesumptioni, scilicet, dicto patris et matris, donec probetur contrarium, 1. q. 1, si quis a simoniacis. Et quod praesumptio contrariam admittat probationem, supra, de praesump., quia versimile; et supra, de renunciat., super hoc; et ff. quod metus cau., non est. Arg. contra, scilicet, quia praesumptio praesumptione rescinditur, 11. q. 3, absit; et 34. dist., quorundam; et supra, de praesump., cum in iuventute; et C. de episc. et cler., eum qui; ff. de in int. rest., divus; sortiori praesumptioni statur semper. De hac materia dicitur supra, de spons., is qui.

X 4.17.04 *Causam quae*

Muliere
Et de R. prout sequitur in alia clausula. Sed quare quaeritur modo de nativitate Agathae, utrum nata sit de legitimo matrimonio vel non? Ideoque quia de hereditate patris ipsius Agathae, et F. avunculum magnum ipsius R., qui F. fuit frater patris Agathae. Et iste F. spoliavit istum R. hereditate avi sui, ut infra, qui fil. sint legit., causam quae 2. Et istae duae causam quae et illa supra, de dolo et contu., causam quae; et supra, de offi. deleg., causam quae, loquuntur de eodem facto. Et olim haec et illae duae erant una decretalis in hoc titulo.

Tempore Alani
Unde post mortem Alani, si R. contraxisset cum Anelina, legitimari non posset per subsequens matrimonium, infra, qui fil. sint legit., tanta.

Publice tenente
Tamquam uxorem.

Viri sui
Scilicet, Alani. Ber.

Alii
Scilicet, R. patri Agathae, scienti quod illa habebat alium virum, scilicet, Alanum, unde non potest esse uxor illius, etiam post mortem Alani viri. Quia plus est eam ducere de facto, quam fidem dare, supra, de eo qui dux. in matr. quam pol. per adult., cum haberet. Secus si ignorasset illam habere alium virum, ex quo bona fide et publice contraxisset cum illa, filii sic suscepti iudicarentur legitimi, infra, qui fil. sint legit., ex tenore. Et cum ea post mortem mariti remanere posset, supra, de eo qui dux. in matr. quam pol. per adult., propositum; et supra, de eo qui dux. in matr. quam pol. per adult., veniens.

X 4.17.05 *Lator*

Iure successorio
Quod verum est si esset naturalis, ex quo alia proles ei legitima supererat; alias enim filius naturalis succedit patri ab intestato in duabus unciis, C. de nat. lib. et mat., authen ut liceat patri; et in Auth. quib. mod. nat. fil. effic. legit. § si quis autem, coll. 6; de quo loquitur C. de nat. lib. et mat., nec igitur; alias illegitimi in nihilum succedunt.

Quaestione nativitatis
Quae ad iudicium ecclesiae tantum pertinet, infra, qui fil. sint legit., causam quae 2; et supra, qui fil. sint legit., conquestus. Tamquam praeiudicalis primo debet terminari, antequam intentetur quaestio hereditatis, supra, de ord. cognit., tuam. Ber.

Appellatum
Ex parte ipsius, id est, prosequentis appellationem, altera parte eam non prosequente. Ber.

Infra duos
Nota quod terminus certus statui potest a superiore volenti agere, post quem non auditur iusta causa cessante, supra, de clan. despon., cum inhibitio; et infra, qui matrim. acc. poss., cum in tua; et C. de ing. manum., diffamari. Nec istud tempus prorogari potest praeter consensum partium, supra, de offi. deleg., de causis.

Probare legitime
Sed videtur quod iste potius debeat probare patrem suum legitimum, quia praesumitur adulterium, nisi probetur matrimonium, ut 30. q. 5, aliter. Sed ibi agitur contra clam coniunctos, unde praesumitur potius adulterium. Hic pater ipsius R. erat in possessione filiationis, quia habebatur pro filio, et possidebat bona paterna, et natus fuerat de ea quae credebatur uxor. Eo mortuo H. iste coepit totam hereditatem possidere.

Non dimittat
Sed videtur quod iudex saecularis possit cognoscere de quaestione nativitatis, C. de iud., quotiens; et C. de ordi. iudic., aditae. Quare ergo non processit iudex iste? Dic quod cum causa ista sit mere spiritualis, principaliter spectat ad ecclesiam, supra, de ord. cognit., tuam. Unde saecularis iudex non incidenter nec alio modo potest de ea cognoscere, infra, qui fil. sint legit., causam quae 2; nec de annexo spirituali, supra, de iudic., quanto. Ber.

X 4.17.06 *Tanta est vis*

Legitimi
Ecce quanta est vis matrimonii, ut illegitimos faciat legitimos, Inst. de nupt. § aliquando; in Auth. quib. mod. nat. effic. sui § si quis igitur dotalia, coll. 7; et C. de nat. lib. et mat., cum quis; Inst. de hered. quae ab int. def. § quibus, vers. necnon; et supra, qui fil. sint legit., conquestus. Sed numquid dices tales legitimos quo ad ordines et honores? Videtur quod non, quia non sunt nati de legitimo matrimonio, supra, de elect., cum in cunctis; et arg. 30. q. 5, qualis. Sed credo quod legitimi sunt quo ad omnia, quia matrimonium omnia praecedentia purgat. Et sic proxima, sive etiam praecedens causa turpitudinis sublata est; simile C. quod metus cau., cum te; ff. de condi. ob turp. caus., si ob turpem.

Aliam
Scilicet consciam adulterii, supra, qui fil. sint legit., causam quae 1; secus si ignoranter, arg. supra, qui fil. sint legit., cum inter; arg. infra, qui fil. sint legit., ex tenore; supra, de eo qui dux. in matr. quam pol. per adult., propositum. Contrarium videtur, scilicet, quod talis non sit legitimus, quia hic non distinguitur. Sed primum verius est. Ber.

Licet post mortem
Arg. quod licet res deveniat ad eum casum a quo incipere potuit, non tamen valet. Arg. contra supra, de conver. coniug., placet, ubi de hoc. Item arg. quod ab initio non tenuit,

tractu temporis non valere, 16. q. 3, placuit ut § potest, vers. quod si privatus. Arg. contra hic in principio.

Repellendus
Nota quod quidam filii dicuntur legitimi tantum, ut adoptivi sive arrogati, de quibus habes supra, de cognat. leg., si qua. Alii dicuntur legitimi et naturales, ut nati ex legitimo matrimonio vero vel putativo, sive ab initio sive ex post facto. Isti succedunt parentibus suis, supra, qui fil. sint legit., cum inter; et infra, qui fil. sint legit., ex tenore; et supra, qui fil. sint legit., conquestus; C. de legit. hered., per totum. Alii dicuntur naturales et non legitimi, ut nati ex concubinis in domo. Isti succedunt in duabus unciis ab intestato, C. de nat. lib. et mat., authen. licet patri. Alii dicuntur spurii, ut nati ex adulterio, vel vulgo concepti, ff. de statu hom., vulgo. Et isti in nullo succedunt, nec institui possunt a patre, ut in praedicta authentica C. de nat. lib. et mat., authen. licet patri; et 32. q. 4, dicat aliquis. Nec ali debent de bonis paternis, C. de incest. nupt., authen. ex complexu. Arg. contra supra, de eo qui dux. in matr. quam pol. per adult., cum haberet; ibi solvitur.

X 4.17.07 *Causam quae inter*

Causam
Nota ordinem huius facti: Radulphus, de quo habes supra, qui fil. sint legit., causam quae 1, et F. iste de quo habes hic fuerunt fratres. R. iste suscepit Agathem de Anelina, muliere uxore Alani. Agatha ista de legitimo matrimonio suscepit istum R., de quo habes hic. Et sic Radulphus fuit avus istius R. Radulphus iste, scilicet, avus, ivit ultra mare et dimisit istum R. et Agathem matrem ipsius R. filiam ipsius Radulphi in possessione omnium bonorum ipsius. Audito quod Radulphus mortuus esset ultra mare, iste F. statim spoliavit ipsum R. possessione omnium bonorum Radulphi avi sui, in quorum possessione remansit quando ivit ultra mare, quia dicebat Agathem neptem suam matrem ipsius R. non fuisse natam de legitimo matrimonio, ut supra, qui fil. sint legit., causam quae 1. Et sic nec ipsa nec R. eius filius debebat succedere Radulpho fratri eiusdem F., sed ipse F. Unde iste R. sic spoliatus ab F. avunculo suo impetravit litteras super restitutione sua ad istos episcopos Londonensem et Wigoriensem et Exoniensem sub hac forma, ut ante ingressum principalis causae deberent cognoscere super eo, quod mater ipsius R. dicebatur de non legitimo matrimonio nata, ita tamen ut ante principalis causae ingressum, deberent ei restituere hereditatem avi sui. Sed quia rex turbatus et motus fuit, quod Papa iudicium possessorium commiserat illis, revocavit iudicium istud de restitutione, quod pertinet ad regem, et mandat ut procedant super quaestione nativitatis ipsius Agathae, prout patet in littera. Postea vero quia isti episcopi forsitan non procedebant, iste impetravit eandem causam committi episcopis Exoniensi, Wigoriensi et eidem Londonensi. Et quia F. habebat episcopum Londonensem suspectum, fecit illum removeri, et loco illius substitui abbatem Herefordensem, ut supra, de offi. deleg., causam quae; et supra, qui fil. sint legit., causam quae 1. Et sic habes hic totam continentiam istarum decretalium. Et haec decretalis deberet procedere in titulo isto aliam. Ber. Nota quod iurisdictio temporalis non pertinet ad Papam. Item Papa non intendit iuri alicuius detrahere. Item de statu alicuius quaeritur post eius decessum.

Ad regem
Et sic patet quod iurisdictio spiritualis et temporalis distincta est et divisa, de conse. dist. 3, celebritatem, in fi.; et in Auth. de fid. instrum., circa princ., per unam columnam. Et sic Papa non habet utramque iurisdictionem, arg. supra, qui fil. sint legit., lator; et 23. q. 5, regum; et 8. dist., quo iure; et 33. q. 2, inter haec, in fi.; et 23. q. 4, quaesitum. Arg. quod Papa intromittit se de hereditate. Arg. contra supra, qui fil. sint legit., conquestus; et 20. q. 3, praesens, in fi.; 15. q. 6, alius; et 24. q. 1, loquitur. Hug. dixit quod imperator a solo Deo habet potestatem in temporalibus, Papa vero in spiritualibus, et sic divisa est iurisdictio. Prius enim fuit imperator quam coronam reciperet a Papa, et gladium ab altari, 93. dist., legimus. Quia ante fuit imperium quam Apostolatus. Sed Ala. et Tanc. dixerunt quod imperator, licet imperium a solo Deo dicatur, executionem gladii temporalis recepit ab ecclesia. Ecclesia enim est unum corpus, ergo unum solum caput debet habere. Item Deus utroque gladio usus est, ut notat de iudic., novit. Hic adde quod ibi dicitur. Item Moyses utrumque gladium habuit, cuius successor est Papa. Praeterea Papa ipsum confirmat et consecrat et coronat, et eum deponit, supra, de elect., venerabilem; et 15. q. 6, alius. Hoc ultimum verius credo.

Mater
Scilicet, Agatha.

Incongruum
Quia crimina morte extinguntur, C. si reus vel accus. mort., etsi Marcellus; C. si reus vel accus. mort., si is; C. si reus vel accus. mort., si ut proponis; 23. dist., quorundam; et 33. q. 2, admonere. Et ideo post mortem nullus accusari potest nisi in tribus casibus, ut de haeresi, 24. q. 2, sane profertur; et forte in crimine laesae maiestatis propter bona et filios, arg. 6. q. 1, quaero § verum; 6. q. 1, si quis cum militibus; et hic, ratione bonorum quaeritur delicto aliquorum post mortem, scilicet, utrum Agatha fuerit nata de legitimo matrimonio. Dicebatur enim nata de Anelina et Radulpho, et modo quaeritur utrum inter eos fuerit legitimum matrimonium, sic supra, qui fil. sint legit., lator; et de statu alicuius quandoque quaeritur propter bona, C. de liber. caus., principaliter; et C. ne de stat. def., quamvis. Ber.

Genetrices
Id est, matrimonium de quo nata est Agatha genetrix praefati R. ut dixi, et non de matrimonio de quo natus fuit R., quia non agitur de illo.

X 4.17.08 *Perlatum est*

Parentibus
Et amicis similiter mittere debuit, ff. ex quib. cau. maio., ergo. Et edictum publice proponi debet, supra, de dolo et contu., causam quae; et supra, de dolo et contu., venerabilis. Sed in hoc casu non est taliter procedendum, nisi se per contumaciam absentasset, supra, ut lite non cont., quoniam § porro; et supra, ut lite non cont., quoniam § si vero. Ber.

Promulgavit
Probato impedimento perpetuo. Sed numquid episcopus iste legitime praecessit lite non contestata? Arg. quod sic, infra, qui matrim. acc. poss., relatum. Et illud factum videtur ex necessitate, ne ius mulieris periret. Sed contra supra, ut lite non cont., quoniam § porro; et supra, ut lite non cont., quoniam § si vero; cui hodie standum videtur. Sed utrum episcopus bene vel male processerit non quaerebatur, sed tantum utrum filii, nati de alio viro cum quo auctoritate episcopi contraxit, legitimi essent. Et respondetur quod sic, et non aliud, arg. ff. si quid in fraud. pat. fac. sit, si quid dolo § si quid in fraudem. Et quia de illo quaesitum non fuit, responsum non extitit, sic supra, de elect., innotuit, ad fi. Et ideo filii isti legitimi erunt, quia auctoritate ecclesiae et publice contraxit, supra, qui fil. sint legit., cum inter. Ber.

X 4.17.09 *Quod nobis*

De clandestino
Quot modis matrimonium dicatur clandestinum, dicitur supra, de clan. despon., cum inhibitio.

Fuerint
Post approbatum matrimonium ab ecclesia, servata solemnitate quae traditur, supra, de clan. despon., cum inhibitio. Quia legitimi erunt, etiam si postea matrimonium separetur iusta de causa. Secus si ante approbationem generati fuerunt de clandestino matrimonio ab ecclesia non approbato, vel non servata forma praedicta contraxerunt, quia filii non excusantur, si contra matrimonium aliquid postea probetur, ut in praedicta constitutione supra, de clan. despon., cum inhibitio. Tales ergo filii, scilicet, de clandestino matrimonio ante approbationem ecclesiae nati, post approbationem legitimi erunt, 32. q. 4, dicat aliquis; et supra, qui fil. sint legit., tanta, arg.; si postea contra matrimonium aliquid non probetur, de quibus hoc intelligitur, supra, de clan. despon., quod nobis, cuius pars haec est; et supra, qui fil. sint legit., tanta. Ber.

X 4.17.10 *Referente*

Referente
Casum pone per illam, supra, de despon. impub., duo, sic: quidam contraxit sponsalia de futuro cum quadam. Tandem illa mutate voluntate contraxit per verba de praesenti cum alio, et sic soluta fuerunt sponsalia priora. Ille vero qui sponsalia cum ea contraxerat, matrimonium cum quadam consaguinea illius, ex certa scientia utriusque contraxit. De tali matrimonio nati sunt filii. Quaerebatur an essent legitimi? Et respondetur quod non, quia publicae honestatis iustitia impediente, non potuit esse matrimonium inter eos. Nec ignorantia excusat eos, quia parentes scienter contraxerunt; nec dispensatio ecclesiae fuit secuta. Ber. Nota quod publicae honestatis iustitia impedit et dirimit matrimonium. Item paterna ignorantia non excusat filios.

Separari
Sic patet quod impedimentum istud perpetuum est, ex quo impedit et dirimit matrimonium iam contractum, sic supra, de spons., ad audientiam; et supra, de spons., iuvenis.

Permissionem
Id est, ecclesia non approbante tale matrimonium; vel permissionem, id est, dispensationem, quia postea ecclesia cum eis non dispensavit, et per dispensationem ecclesiae approbatur matrimonium causa filiorum, supra, de cons. et affin., quia circa; infra, qui fil. sint legit., per venerabilem; et 35. q. 8, de gradibus.

Ignorantiam
Paterna enim ignorantia utriusque, vel alterius tantum excusat filios, sive legitimat eos, infra, qui fil. sint legit., ex tenore; et supra, qui fil. sint legit., cum inter. Item subsequens matrimonium, supra, qui fil. sint legit., tanta; et supra, qui fil. sint legit., conquestus. Item legitimatio principis, infra, qui fil. sint legit., per venerabilem. Hodie vero paterna ignorantia non excusat filios omissa illa solemnitate, supra, de clan. despon., cum inhibitio. Ber.

X 4.17.11 *Pervenit*

Si est ita
Arg. contra supra, qui fil. sint legit., causam quae 2; ibi mandatur inquiri de matrimonio post mortem coniugum; hic autem videtur denegari. Ala. dicit quod hic lapsum erat quinquenium a morte coniugum, ibi non; arg. ff. ne de stat. def., de statu; et ff. ne de stat. def., non esse; et C. ne de stat. def., si is qui, et per totum. Vel hic mater dicebatur nata de non legitimo matrimonio impediente statu, unde post mortem quaeri non debet. Sed hoc est divinare. Unde dicimus quod ex quo constat matrimonium in facie ecclesiae contractum, et bona fide filii legitimi sunt, ut hic. Et ideo dicit, si est ita quod legitime contractum sit, et haec mulier probare debet, et sic intelligitur quod dicitur. Sed ibi non constabat de matrimonio, quia dicebatur quod Agatha nata fuit eo tempore, quo Anelina mater eius habebat alium virum. Et hoc adversarius probare debebat, ut supra, qui fil. sint legit., causam quae 1. Et hic non negatur quin alia pars possit probare contrarium si voluerit. Unde si nihil probat, eo ipso quod parentes istius in facie ecclesiae contraxerunt, et approbante ecclesia simul fuerunt usque ad mortem, praesumitur legitimum matrimonium inter eos, quare filii legitimi sunt habendi, quousque contrarium ostendatur. Aliud contrarium fortius signatur, supra, qui fil. sint legit., lator; et supra, de ord. cognit., tuam. Ibi ille qui opponit adversus legitime natum, debet hoc probare, hic contra, quod videtur iniquum. Potest dici quod hic non constabat de matrimonio parentum istius viduae, nec erat communis opinio quod illi fuissent legitime coniuncti. Et ideo mulier debet probare narrationem suam. Unde dicit Papa, si est ita, arg. ad praedicta, infra, qui fil. sint legit., per tuas.

X 4.17.12 *Per tuas*

Ea
Scilicet, uxore quam duxit, illa concubina dimissa.

Affidaverat
Id est, fidem dederat, quod eam duceret in uxorem.

Ex ea
Quam affidaverat.

Filium appellavit
Eo ipso, quod quis filium naturalem in extrema voluntate nominat filium, et heredem instituit, intelligitur eum legitimasse, C. de nat. lib. et mat., authen. item si quis. Et hoc intellige, si alias legitimos non habet, in Auth. quib. mod. nat. fil. effic. legit. § si vero non habes, coll. 6. Item si pater offerat filium naturalem imperatori, et fiat curialis, legitimus erit, in Auth. quib. mod. nat. effic. sui § si quis vero, coll. 7. Item si nullo alio filio existente, ipse filius naturalis patre defuncto, offerat seipsum curiae, legitimus efficitur, in Auth. quib. mod. nat. effic. sui § palam; et in Auth. quib. mod. nat. effic. sui § si quis vero. Item si pater filium naturalem in publico instrumento, vel cum subscriptione testium nominavit filium, nec adiecit naturalem, legitimus est, in Auth. ut liceat mat. et avi. § ad hoc, coll. 8. Item est hic arg. quod ex sola nominatione aliquis acquirit ius, 32. q. 4, dicat aliquis; et arg. supra, de praesump., illud; et supra, de probat., per tuas; Inst. de adopt., apud Catonem; et ff. de probation., imperatores. Arg. contra 2. q. 1, multi, in fi.; 27. q. 2, inventa; 23. q. 4, forte; C. de probation., neque; et C. de probation., non epistolis; et C. de liber. caus., iubemus. De hoc dictum fuit supra, qui fil. sint legit., transmissae.

Commissum
Id est, a iudice saeculari causa filiationis fuit huic remissa, arg. supra, qui fil. sint legit., lator. Vel forte a Papa fuit ei causa commissa.

Ex quadam decretali
Supra, qui fil. sint legit., transmissae.

Comprobavit
Sic videtur quod aliquis possit probare se filium alicuius, supra, de fil. presbyt., Michael. De hoc dicitur supra, qui fil. sint legit., transmissae.

Assidasse
Supple antequam ipsum suscepisset ex ea. Unde postea per carnalem copulam subsequentem, fuit matrimonium praesumptum inductum, contra quam praesumptionem non admittitur probatio in contrarium, supra, de spons., is qui; alias si simpliciter probasset quod eam affidasset, non determinando tempus, insufficiens fuisset talis probatio, supra, de probat., in praesentia; supra, de cond. appos., per tuas.

Agitur
C. plus val. quod agit., per totum; in rubro et nigro.

Ipso facto
Sicut ipso facto negatur matrimonium, sic et ipso facto renunciatur matrimonio spirituali, sive privilegio clericali, supra, de vit. et honest. cler., ex litteris. Sic opere contrario vel facto negamus Christum, 22. q. 5, cavete; et 11. q. 3, existimant. Et sic praesumitur quod a primo odio recessit, 33. q. 1, requisisti; et 33. q. 2, saeculares.

In casu dissimili
Nam ibi parentes testificabantur contra illum, qui dicebat se eorum filium, hic vero pro ipso filio. Et ita multum prodest filio dictum parentum, ff. de probation.; et ff. de liber. agnosc., senatus § Iulianus; et supra, de praesump., afferte; et C. de rei uxor. act., rem § si liceat; et ff. de probation., imperatores; ff. de Carb., si cui controversia § si quis; et ff. de Carb., quod Labeo. Io.

X 4.17.13 *Per venerabilem*

Arelatensem archiepiscopum
Nunc; olim fuit sedes episcopalis, ut 8. q. 3, Artaldus; et fuit suffraganeus Narbonensis, ut ibi.

Habeat potestatem
Ex eo enim quod legitimat aliquem in spiritualibus, per consequentiam et in temporalibus, prout ipse Papa argumentatur hic. Propter hoc tamen quod legitimat aliquem in spiritualibus, non probatur quod habeat iurisdictionem in temporalibus. Legitimare enim pertinet ad voluntariam iurisdictionem, ff. de off. procon., omnes proconsules. Item quia ad Papam nihil spectat de temporalibus, supra, qui fil. sint legit., causam quae 2; et supra, qui fil. sint legit., lator; et supra, de iudic., novit; nisi in casibus, supra, de for. compet., licet ex suscepto; et supra, de for. compet., ex tenore, ut ibi dicitur. Et sic videtur quod Papa quo ad temporalia legitimare non possit, ubi non habet temporalem iurisdictionem. Ad hoc dixit Io. quod dominus Papa non habet potestatem legitimandi in temporalibus, sed eo ipso quod legitimat aliquem quo ad spiritualia, per consequens legitimat eum quo ad temporalia, quae sunt minus digna, et sic legitimat per consequentiam, sed non directe. Saepe enim permittitur aliquid indirecte, quod non permittitur directe, arg. 4. q. 3, si testes § servi, 1. resp.; et ff. de auct. tut., quamquam. Io. adhaesit allegationi quam ponit hic dominus Papa. Sed contrarium credo, scilicet, quod dominus Papa non possit legitimare aliquem quantum ad hoc, ut succedat in hereditate tamquam legitimus heres, qui non sit. Dico de sua iurisdictione temporali, sic enim esset mittere falcem in messem alienam, et usurpare alienam iurisdictionem, quod esse non debet, supra, de iudic., novit; et 6. q. 3, scriptum est; et privare aliquem iure succedendi. Unde credo quod non possit legitimare nisi quo ad actus spirituales, tamen quidam legitimationem extendunt ad honores saeculares, ut per hoc intelligatur esse legitimatus, ut possit esse iudex, et habere huiusmodi honores temporales, quos alias habere non posset, et in hac sententia fuerunt Laur. Vincen. et Tanc.

Non naturalibus
Naturales large omnes appellantur, praeter adoptivos et spirituales, 30. q. 3 § quod autem. Plerumque enim illi tantum qui ex liberis concubinis nascuntur, ut hic, et 32. q. 4, liberi.

Aduletrinis
Ut puta filiis presbyterorum, qui cum fornicantur, adulterantur, cum sint quasi mariti ecclesiarum, ut 56. dist., Cenomanensem.

Praesertim
Id est, maxime, secundum Io. Secundum alios praesertim, id est, tantum.

Superiorem
Papa enim super omnes est, 96. dist., duo sunt; et 9. q. 3, cuncta; et supra, de maior. et obed., solitae.

Requiratur
Supple quantum ad temporalia.

In minori
95. dist., illud; 16. q. 2, admonemus; et supra, de decim., ex parte tua 2. Et econverso cui interdicitur minus, et maius interdictum esse videtur, infra, de sent. excom., cum illorum; et 74. dist., gesta; et ff. de serv. export., error § si cui; et ff. de interdict. et releg., relegatorum § solet.

A patria potestate
53. dist., si servus; et in Auth. const. quae de digni. lib. a pat. pot. § palam, coll. 6.

Ordinare
54. dist., si servus absente; et 54. dist., ex antiquis.

Beati Petri
Dicebat Io. maxime. Sed tu dic tantum, ut dixi supra, quia quo ad forum saeculare non potest legitimare, nisi princeps ei permitteret, in servo scienter ordinato secus est, sed ipse tenetur Domino satisfacere, ut hic dicitur.

Per sententiam
Cui standum est, donec in contrarium probaretur, supra, de re iudic., sicut; et supra, de renunciat., in praesentia; licet iniqua, ff. de iust. et iure, ius pluribus § 1; et ff. de regul. iur., res iudicata.

Separasti
Quod facere non debuit, etiam si causa esset manifesta, infra, de divort., porro. Cum talis separatio sit poena, quae non debet inferri nisi per iudicem, 33. q. 2, sine § in hoc.

Iudicarium ordinem non servatum
Ut 2. q. 6, ei qui § diffinitiva. Et arg. supra, de probat., quoniam; et supra, de elect., dudum ecclesia; et supra, ut lite non cont., accedens 2. Arg. contra supra, ut lite non cont., ad hoc; et supra, ut lite non cont., quoniam § 1, ubi dicitur quod ordo iudicarius non usqueuaque servatur in causis matrimonialibus, sed hic cassata fuit propter hoc sententia. Illa contraria intelliguntur quando altera pars est absens per contumaciam. Tunc enim ordo iuris non servatur per omnia, immo testes recipiuntur lite non contestata, et fertur sententia propter periculum fornicationis, ut in supra, ut lite non cont., quoniam. Sed ubi altera pars non est absens, sed praesens utraque pars, debet ordo iuris servari; alias non valet sententia, ut hic. Et dic cassata, id est, cassa et irrita nunciata, ut supra, ut lite non cont., accedens 1.

De tribus bonis coniugii
Nota quod tria sunt bona matrimonii, ut hic dicit, scilicet fides, proles et sacramentum, 27. q. 2, omne itaque; 32. q. 1, non enim in sola. Fides, quia nullum adulterium dicitur fides tori coniugalis, ut 32. q. 1, non enim in sola. Proles, id est, ipse Deus. Sacramentum, quia nullum debet esse divortium, ut 27. q. 2, omne itaque. Ubi alterum istorum non servatur, frangitur lex matrimonii. Iste non servata ista tria, scilicet, fidem, quia cum alia adulterium commisit. Sed rex Franciae non fecit hoc, propter sententiam. Et quamvis fides non servetur, matrimonium tamen durat, ut hic dicitur.

Violasset
Id est, dissolvisset, quia in nullo casu solvitur matrimonium post carnalem copulam, nisi in casibus infra, de divort., gaudemus.

Dubitari
Et sic ex futuro eventu pendet, an sint iudicandi legitimi, arg. supra, de frig. et malef., fraternitatis, in fi. Sed certe contrarium videtur si secundum matrimonium contractum fuit auctoritate ecclesiae ex vi sententiae latae, et toleratum fuit. Lite pendente super primo, filii legitimi erunt, supra, qui fil. sint legit., perlatum; et supra, qui fil. sint legit., cum inter; et supra, qui fil. sint legit., referente, arg. Et ita sine aliqua dispensatione legitimi erunt.

Comprobata
Maxime, quia et si non fuerit comprobata, et restituatur viro, nihilominus proles legitima erit nata ex secunda uxore, quam auctoritate ecclesiae recepit post sententiam latam, ut dixi in proxima notula. Sed non est verum, quia sententia non tenuit propter ordinem non servatum, et ideo necessaria esset dispensatio si non probaretur affinitas.

Minime recognoscat
De facto; de iure tamen subest Romano imperio, 7. q. 1, in apibus. De hoc dicitur supra, de elect., venerabilem.

Subiicere potuit
ff. de iuris., est receptum.

Tamquam princeps
Nota quod facit aliquid non tamquam rex, ut supra, de elect., quod sicut § penulti; et supra, de elect., cum inter canonicos; et supra, de elect., cum inter universas; et 23. q. 4, si ecclesia, in fi.; et ff. de adopt., si consul § 1; et ff. quod cui. univ. nom., item eorum § 1. Et ita rex erit hic actor et iudex proprii facti. Et licet forte rex hoc facere possit, melius tamen facit si abstinet a talibus, ff. de off. procon., ne quicquam. Ne videatur praestare auctoritatem suo proprio facto, ut supra, de instit., cum ad nostram; et supra, de iure patron., per nostras. Io.

Regi gratiam
Quia non potuit rex legitimare filium suum, licet posset alienum. Vel quia licet eum posset legitimare ut subditum, scilicet, ut succederet alii, non tamen ut succederet sibi, arg. 8. q. 1, in scripturis; et 24. q. 1, didicimus. Immo videtur quod ipso iure legitimi erant, cum nati fuissent de matrimonio auctoritate ecclesiae contracto. Sed non est ita, ut supra dictum est in notula, maxime.

Patrimonio
Illos tantum de patrimonio suo legitimare potest, ut dictum est supra.

Certis causis
Scilicet, cum requirimur. Et hoc probatur auctoritate Deuteronomii, scilicet, cum variatum est inter iudices, sive ambiguum, tunc recurritur ad iudicium ecclesiae, ut infra sequitur. Et licet ex certis causis, non ideo est ordinarius quo ad temporalia, supra, de offi. ord., pastoralis, 1. resp. Sed casualiter, ut dicit littera, supra, de for. compet., licet ex suscepto; et supra, de for. compet., ex tenore; et supra, de for. compet., ex parte. Et ita est hic arg. de iurisdictione distincta, supra, qui fil. sint legit., causam quae 2, ubi de hoc; et supra, de iudic., novit; et supra, de appell., si duobus.

Inter sanguinem
Haec verba exponuntur inferius.

Videris variari
Inter iudices sive sapientes.

Veniens ad sacerdotes
Arg. quod ex defectu iudicis saecularis recurritur ad ecclesiasticum, supra, de for. compet., licet ex suscepto; et 23. q. 5, administratores.

Sane
Hic incipit Papa exponere auctoritate Deuteronomii.

Ex vi vocabuli
Interpretatur enim nova lex antiquam.

Reversus
Ipse Petrus, et ibi postmodum martyrium sustinuit, 2. q. 6, Beati Petrus et Paulus.

Inter sanguinem et sanguinem
Haec est expositio eius quod praemisit in auctoritate Deuteronomii.

Civile
Hoc est saeculare iudicium.

Criminale
Id est, ecclesiasticum secundum canones.

Medium inter causam
Nota quod ista tria iudicia clarissime secundum Host. possunt exponi. Primum, inter sanguinem et sanguinem, istud est criminale, civile sive saeculare, quod idem est hic, ut quia accusator dicit esse probatum quod reus sanguinem fudit, id est, aliquid criminale commisit, puta homicidium, adulterium, furtum, vel aliquod aliud simile. Ultimum inter lepram et lepram, quia accusator dicit reum esse infectum lepra haeresis, vel simoniae sive sacrilegii, vel alterius criminis ecclesiastici, et reus negat. Medium inter causam et causam, quia actor dicit quod reus tenetur sibi in centum ex mutuo vel commodato, vel alia civili actione, vel etiam teneris mihi ad decimas praestandas, vel habeo ius patronatus in ecclesia ista, vel alia simili actione ecclesiastica, et reus negat. In his enim omnibus, si quid difficultatis emerserit, est ad sedem Apostolicam recurrendum, supra, de appell., ut debitus; et supra, de bapt. et eius effect., maiores.

Praecipitur
11. q. 3, absit.

Mortuus
11. q. 3, nihil sic debet; et 24. q. 3, corripiantur.

Canonica
56. dist., presbyterorum; et supra, de fil. presbyt., ut filii; et 15. q. 8, cum multae.

Detestatur
Nisi cum eis fuerit dispensatum, 56. dist., Cenomanensem.

Manzeres
De his dictum est supra, de renunciat., nisi § personae.

Canone
Supra, de elect., cum in cunctis.

Etiam alimenta
C. de nat. lib. et mat., authen. licet patri; et C. de incest. nupt., authen. ex complexu. Arg. contra supra, de eo qui dux. in matr. quam pol. per adult., cum haberet. Solutio: ibi.

X 4.17.14 *Ex tenore*

Restitui postularet
Tamquam tutrix, C. quan. mul. tut. off. fun. pot., matres; et C. quan. mul. tut. off. fun. pot., authen. matri. Olim si mater curam vel tutelam filiorum subire volebat, oportebat eam iurare, quod non transiret ad secundas nuptias, hodie vero remittitur illud iuramentum, quia veniebant contra, sed renunciant beneficio Velliani, in Auth. ut sine prohib. mat. deb. § quia vero multam, coll. 7; et praedicta authentica C. quan. mul. tut. off. fun. pot., authen. matri. Et si contraxerit, statim expellitur a tutela, C. quan. mul. tut. off. fun. pot., authen. sacramentum; et supra, de appell., ex parte 2, ubi de hoc.

Ignaram
Haec ignorantia facit, quod filii sunt legitimi censendi, alias non essent legitimi, ut supra, qui fil. sint legit., referente, ubi de hoc.

Legitimum
Ex hoc patet quod sufficit bona fides alterius parentis, ut filii dicantur legitimi. Et si nascantur lite mota legitimi sunt, licet postea separentur, vel si ante sententiam sit conceptus, supra, qui fil. sint legit., cum inter. Circa huiusmodi scientiam vel ignorantiam tenendum est, ut dicitur supra, de clan. despon., cum inhibitio. Sed numquid idem esset si aliquis crederetur liber cum esset servus, ut filius eius propter opinionem ecclesiae iudicetur liber, et legitimus quo ad ordinem? Non, ut C. solut. matrim., si ignorans. Arg. contra, ff. solut. matrim., si cum dotem § ulti.

X 4.17.15 *Gaudemus*

Coniunctionibus
Scilicet, paganorum sive Iudaeorum ad fidem postea conversorum, ut supra, de cons. et affin., de infidelibus; et infra, de divort., gaudemus, cuius pars haec est.

Opinionem
Talis opinio non legitimat, sed praestat occasionem legitimandi, arg. supra, qui fil. sint legit., ex tenore; et supra, qui fil. sint legit., per venerabilem; et ff. de ritu nupt., qui in provincia. Sed numquid est matrimonium inter tales? Videtur quod sic, 26. dist., deinde opponitur; et supra, de cons. et affin., de infidelibus. Solutionem collige infra, de divort., gaudemus, cuius haec est pars, et decisa videtur ante illum § qui autem, etc., ut praecedat sermo de coniunctis cum secundis, post divortium factum adhuc viventibus repudiatis, in quibus non est matrimonium, ut ibi dicitur. Filii tamen eorum reputantur ab ecclesia legitimi utilitate publica suadente, ut alii facilius convertantur. Sed si intelligatur de filiis illorum, de quibus dicitur in principio illius capituli gaudemus. Tunc planum est, quia inter illos est matrimonium, ut ibi patet. Et sic deciditur ante § quia vero; quod potius credo, et filii talium legitimi sunt.

X 4.18 QUI MATRIMONIUM ACCUSARE POSSUNT VEL CONTRA ILLUD TESTIFICARI

X 4.18.01 Relatum (rev. 9/23)

X 4.18.01 *Relatum*

Aliquot annos

Sed de quot annis intelliges? Potest dici quod de duobus, quia pluralis locutio duorum numero contenta est, 4. q. 3, si testes, vers. ubi numerus; ff. de ver. sig., inter illam, in fi.; et ff. de manum. test., libertas § ulti.; ff. de testi., ubi numerus.

Exivit

Nonne illa sequi eum tenebatur, quod videtur 13. q. 2, unaquaeque; et 34. q. 2, si quis necessitate inevitabili? Et potest dici quod tenebatur, quia ibi remanere non poterat iusta de causa, nisi forte vagabundus discurreret, quia tunc non posset ipsum sequi, arg. ff. de oper. lib., quod nisi § ex provincia.

Manifestum

Ita quod notorium, alias non bene sequeretur, aut legitimi, etc., quia quod manifestum est probatur, 11. q. 3, eorum qui, in fi.

Legitimi

Secundum quod traditur infra, qui matrim. acc. poss., cum in tua.

Testes

Ergo altera parte absente, et non per contumaciam testes recipiuntur lite non contestata, et sententia fertur ut dicit. Nam ordo iuris in casu isto non est usquequaque servandus, supra, ut lite non cont., ad hoc. Sed contra supra, ut lite non cont., quoniam § 2, cum iste propter culpam suam absens fuerit, nec posset inveniri, illa culpa loco contumaciae habetur, ut contra eum procedatur, nec debeat mulieri obesse, quae in culpa non fuit. Iniquum est enim alium alterius odio praegravari, C. de inoffic. testam., si quis in suo, ad fi. Nec propter hoc ius mulieris debet perire, maxime cum habeat legitimos testes et accusatores, et tanto tempore fuerit expectatus, et cum diligentia requisitus, unde procedi potuit contra illum. Et illa decretalis supra, ut lite non cont., quoniam, non contradicit, si tu bene videas illam, quia ibi dicitur cum sine culpa sit absens, et non malitiosa voluntate, hic ergo culpa et malitia facientibus est absens. Sed praesumptio in hoc videtur contra mulierem, quod eo praesente tanto tempore tacuit. Sed praesumptio tollitur si testes et accusatores legitimi sunt, prout dicitur infra, qui matrim. acc. poss., cum in tua. Quidam dicunt quod corrigitur per illam decretalem supra, ut lite non cont., quoniam, et ei standum est. Item sic contra videtur, supra, qui fil. sint legit., perlatum. Sed ibi non agitur an sententia tenuerit vel non, sed an filii legitimi essent.

X 4.18.02 *A nobis*

Accusatione

Licet littera ista videatur intelligenda de accusatore, tamen de teste potius intelligitur, de utroque tamen est verum. De accusatore habemus 2. q. 8, per scripta; quod est de teste verum similiter. Testibus enim et non testimoniis est credendum, 3. q. 9, testes; et supra, de cohab. cler. et mul., tua. Et quod debeat intelligi de teste, colligitur ex illa littera, nisi

quantum ad praesumptionem, etc., quia sententia ad dicta testium profertur, non ad dicta accusatoris.

Ad praesumptionem
Nota quod praesumptio non probat nisi sit violenta, 32. q. 1, dixit; et 2. q. 1, primo. Et hoc est regulare, ff. de testi., testium § idem divus; et 3. q. 9, testes; et supra, de cohab. cler. et mul., tua. Tamen praesumptio coadiuvat, si adsint alia suffragia, supra, de succ. ab intest., cum dilectus; et supra, de testib., praeterea; et supra, de praesump., illud; et supra, de praesump., ex studiis. Et propter praesumptionem defertur iuramentum quandoque actori, quandoque reo, ut supra, de iureiur., iuramentum; supra, de eo qui cog. consang., super eo.

X 4.18.03 *Videtur nobis*

Antiqua consuetudine
Nota quod antiqua consuetudo pro lege servanda est, 11. dist., in his; et 12. dist., diuturni; et 9. q. 3, conquestus. Et mos fidelissimae vetustatis servandus est, C. de testament., testamenta. Et haec consuetudo servatur quo ad parentes, tamen in matrimonio coniungendo fallit, cum alter est superior nobilitate, potentia vel divitiis, quia parentes inferiores non admittuntur pro matrimonio coniungendo, supra, de testib., super eo 2; quia suspectum est tunc testimonium illorum. Sed haec decretalis non videtur loqui in eo casu, ut dicitur infra.

Legibus
Id est, canonibus; sic 31. dist., Nicaena. Et loquitur de illis canonibus, 35. q. 6, consanguineos; et 35. q. 6, videtur nobis; et sic tam de consuetudine approbata quam secundum canones admittuntur. Si vis intelligere de legibus civilibus, dicas quod ad probandum quod matrimonium contrahi possit non obstante consanguinitate, vel ad dirimendum matrimonium propter consanguinitatem, est arg. quod parentes et consanguinei sint admittendi, quia melius sciunt suam proximitatem quam extranei, C. de in int. restit. min. vig. qui. ann., de tutela; et C. de liber. caus., si filium; et ff. de probation., etiam; et quod aliis praeferantur est arg. ff. de adulter., si maritus sit.

Genealogiam
Haec est ratio quare huiusmodi personae admittantur et aliis praeferantur, 35. q. 6, consanguineos; et 35. q. 6, videtur nobis.

Sciunt
Consanguinitatem, scilicet, et per hoc videtur quod non loquitur de testimonio ferendo pro ipso consensu, quia si extraneus interesset, aeque bene sciret sicut pater et mater, an consensissent tunc adinvicem. Sed littera sequens bene innuit de ipso contractu.

Nullum
30. q. 5, aliter; et ff. de ritu nupt., nuptiae consistere.

X 4.18.04 Insuper (rev. 9/23)

Non recipiatur
4. q. 3, si testes § item testis idoneus; et ff. de testi., idoneus.

Coniungendo
Ex hoc videtur quod ad probandum matrimonium esse contractum, admittuntur parentes, et inducitur ad hoc a pluribus; simile supra, de testib., super eo 2. Sed non loquitur in eo casu. Sed quod dicit, in coniungendo, intellige si diceretur quod essent consanguinei, qui contrahere volunt; vel fama esset de hoc, pater et mater et consanguinei admittuntur ad probandum consanguinitatem, supra, de spons., cum in tua. Intellige loqui hanc decretalem quando propter consanguinitatem tantum dicitur, quod non possunt coniungi, et quando propter consanguinitatem debent separari. Et hoc etiam satis colligitur ex rubrica. Consuevit tamen induci, quod pater et mater admittuntur ad probandum ipsum contractum matrimonii, quod verum est secundum distinctionem illius decretalis supra, de testib., super eo 2.

Favorabilis
Supra, de cond. appos., si conditiones, ubi de hoc; et arg. ff. de regul. iur., in ambiguis; ut supra, de appell., directae, in fi. Ber.

X 4.18.04 *Insuper*

Probat
Id est, probare intendit, iuxta illud versus: est mihi pro facto saepe quod esse potest. Laur.

Fama
Tales enim debent testes esse sine omni suspicione infamiae, 2. q. 7, testes.

Cum potuit
Si enim semper invita detenta fuisset, et verbo et facto contradixisset, audiretur quandocumque postea, arg. 16. q. 3, prima. Sed ex tempore praesumitur contra istam; sic supra, de spons., ad id quod; et arg. 1. q. 1, constat.

Duodecimo anno
In muliere, ff. de ritu nupt., minorem; et quatuordecim in viro, supra, de despon. impub., attestationes.

Copula carnali
Ex quo enim carnali copulae consensit, omnis violentia sublata intelligitur, et matrimonium tenet, supra, de despon. impub., de illis 2; supra, de eo qui dux. in matr. quam pol. per adult., significavit; et supra, de spons., veniens 2. Et ita ratihabitio confirmat, sive validum facit, quod ab initio non valebat, supra, de regular., cum virum.

X 4.18.05 *Significante*

X 4.18.06 Cum in tua (rev. 9/23)

Malitiis
ff. de rei vend., in fundo; et ff. de recepti., ita demum; et supra, de rescript., sedes. Quandoque tamen auditur qui non facit nisi ut noceat, ut dicit Laur.; arg. inducit C. de nat. lib. et mat., authen. licet. Sicut et prior poenitentia facta non prodest, et tamen aufert usum posterioris, de poen. dist. 3, in salicibus.

Repellentes
Nota quod repellitur accusator propter turpem quaestum; simile 2. q. 1, prohibentur. Item repellitur si infra tempus statutum non accusaverit, infra, qui matrim. acc. poss., cum in tua, nisi iusta de causa, ut ibi. Et est arg. quod simonia committi possit in matrimonio, cum sit spirituale. Sed contradici consuevit, quia ibi gratia non confertur.

X 4.18.06 *Cum in tua*

Consuetudinem
Haec consuetudo consona fuit iuri, unde hodie pro iure communi statuitur; qua omissa si postea impedimentum appareat, filii non erunt legitimi, supra, de clan. despon., cum inhibitio; et simile supra, de spons., cum in tua, quae est pars istius. Et ei continuat in integra.

Non potuit
Quia erat in remotis partibus; simile 17. q. 2, si quis incognitus.

Fervore
15. q. 1, illa; et 17. q. 2, Gonsaldus; et supra, de regular., sicut tenor.

In annis
Sed quomodo potest hoc esse, quod iste in talibus annis denunciationem factam non comprehendat, et habilis videtur ad impedimentum comprehendendum, quia videtur quod impedimentum debeat scire tempre contracti matrimonii? Sed potest esse quod tunc nesciebat, nec sufficiebat aetas ad hoc, sicut nec ad comprehensionem denunciationis, et tamen postea potuit scire impedimentum, ut infra sequitur. Tamen tempore denunciationis eius aetas sufficere non valebat, quia aetas illa nescit quid videat, C. de fals. mon., quoniam; et arg. supra, de spons., tuae fraternitati.

Publice
Et ideo nullus potest ignorare, 16. dist., quod dicitis; et 12. q. 2, qui et humanis; et supra, de postul. praelat., ad haec; arg. 82. dist., proposuisti.

Repellendus
Et ita qui infra tempus constitutum non proponit ius suum, postea repellitur et ab accusatione et a testimonio, arg. supra, de clan. despon., cum inhibitio. A contrario et C. de ing. manum., diffamari; et supra, de probat., licet. Sed numquid admittuntur ad denunciandum? Videtur quod sic, cum et iuramentum ei non obstaret, supra, de iureiur., quemadmodum; et arg. supra, de cognat. spir., tua. Dicas quod non est admittendus, cum sit suspectus, ut hic dicit, et suspectae personae removeantur a denuciatione, sicut ab

accusatione, infra, de accusat., cum dilectus; et supra, de spons., cum in tua. Nam cui una via aliquid prohibetur, alia via ad idem non debet admitti, supra, de procurat., tuae, cum suis concordantiis ibi positis. Et ita taciturnitas nocet accusare volenti, nisi forte tacuit, quia non habuit tunc probationem, 2. q. 7, plerique. Et ideo dixit forte, quod licet tunc non haberet testes, ipsemet potuit impedire matrimonium contrahendum, unde non prodest, quia propter hoc tacuit, supra, de spons., praeterea 2; et supra, de testib., super eo 2. Et sola fama impedit matrimonium, supra, de cons. et affin., super eo. Taciturnitas vero ipsorum contrahentium non praeiudicat eis, arg. supra, de restit. spol., ex conquestione; et supra, de clan. despon., cum inhibitio; et infra, de sent. excom., inquisitioni.

Iuramento
Sic supra, de testib., praesentium; et supra, de except., pastoralis. Item nota hic quod plus valet iuramentum unius quam praesumptio iuris, quia per istud iuramentum eliditur praesumptio, 35. q. 3, extraordinaria.

Excluderet
Hic habes quod aliquis admittitur ad accusandum cuius auctor repellitur; secus est in testibus, supra, de testib., licet ex quadam; et infra, de haeret., fraternitatis, arg. Sed quae est ratio diversitatis? Dic quod aliud est in accusatore, et aliud in teste. Modicum praeiudicium fit si accusator admittitur, cuius auctor repellitur propter culpam propriam. Et iste culpabilis non existit, et ad dictum testis quis condemnatur. Et ideo debent esse tales auctores, ut ipsorum facta sufficerent, ad hoc ut illi admittantur, qui causam habuerunt ab eis; arg. C. de acq. poss., vitia. Sed numquid statim elapso termino obstabat talis taciturnitas? Videtur quod incontinenti, nisi infra terminum accuset, 32. q. 2, mulier; arg. supra, de offi. deleg., cum olim abbas; ff. de leg. 2, cum quidam, in fi.; et ff. de Maced., si filius. Arg. contra 20. q. 2, puella, ubi usque ad annum et diem tutores et parentes puellaem, quae sacrum velamen assumpsit, contradicere possunt, ultra non, ut ibi. Vel saltem usque ad decem dies, ff. de constit. pecun., promissor; et C. quom. et quan. iud. sent. prof., ab eo. Io. dixit quod taciturnitas ista cum quodam temperamento intelligi debet; arg. ff. de solut., quod dicimus; et ff. ex quib. cau. maio., ab hostibus § ulti. Et bene facit ad hoc supra, de loc. et cond., propter; et supra, de loc. et cond., potuit. Ego credo quod quamdiu res est integra, quod potest et debet admitti. Contracto vero matrimonio de praesenti, non videtur audiendus tamquam suspectus, si potuit infra, tempus procedere et denunciare impedimentum.

X 4.19 DE DIVORTIIS

X 4.19.01 *Si qua mulier*

Voluerit
Quia quantum ad hoc non impeditur, quo minus contrahere possit post mortem uxoris, cum tale homicidium directe non fuerit voluntarium, et homicidium non impedit matrimonium contrahendum, nisi in casibus 33. q. 2, interfectores; et 33. q. 2, admonere; et infra, de poenit. et remiss., qui presbyterum; nisi sint iuvenes, ut 33. q. 2, interfectores; et 33. q. 2, adolescentia; et tunc dispensative.

Insidiatrix
Licet ista mulier non fuerit consecuta effectum, nihilominus punitur quo ad legem coniugii, et est arg. quod conatus sine effectu punitur; simile 51. dist., si quis post; et de poen. dist. 1 § si quis cum telo; et supra, de bigam., nuper; et supra, de bigam., a nobis. Arg. contra supra, de spons., adolescens, cum suis concordantiis ibi positis, ubi de hoc; tamen si contraheret, teneret.

X 4.19.02 *Quaesivit a nobis*

Vel alio crimine
Pro nullo crimine potest vir dimittere uxorem, vel uxor virum, vel pro alio quod ei contingat, 32. q. 1, in coniugio; et 32. q. 5, si quis uxorem; et 32. q. 5, praecepit; et 32. q. 5, praeceptum; et 32. q. 7, omnes causationes; nisi pro crimine fornicationis, ut in capitulis praedictis; vel pro spirituali fornicatione, 28. q. 1, idololatria. Et hoc etiam si viro suo mortem machinetur; supra, de divort., si qua. Et si talis turpis conditio in matrimonio apponatur, si furtum feceris, pro non adiecta habetur; supra, de cond. appos., si conditiones.

Non licebit
Cum matrimonium eorum sit ratum et consummatum; secus est de matrimonio infidelium; infra, de divort., quanto; et infra, de divort., gaudemus.

Coniuges erunt
Quia vinculum coniugii semel habitum numquam amittitur viventibus coniugibus, etiam separatis, 32. q. 7, licite; et 32. q. 7, Apostolus; sicut nec baptisma vel ordo, 1. q. 1, quod quidam, vers. cum videamus.

In viris
Quia vir et uxor non ad imparia iudicantur, 32. q. 1, si quis uxorem; et 32. q. 5, praecepit; et 32. q. 7, Apostolus. Laur.

X 4.19.03 *Porro de Comite*

Notoria
Arg. quod in notoriis servandus est ordo iuris, arg. 11. q. 3, eorum; et 24. q. 1, pudenda, in fi.; et 3. q. 5, quia suspecti. Arg. contra 2. q. 1, de manifesta; et infra, de accusat., evidentia; et supra, de iureiur., ad nostram 3; et ff. ad leg. Aquil., proinde, in fi. Solutio: quo ad sententiam semper servandus est ordo iuris, quantum ad alia non.

Separari
33. q. 2, saeculares; 35. q. 6, multorum. Et est ratio quare, quia sententia divortii poena est, et poena non est inferenda nisi per iudicem, 33. q. 2, interfectores § in hoc; et ut nemo ius sibi dicat, C. de Iuda., nullus.

Petit restitutionem
Restitutio enim facienda est, supra, de offi. deleg., causam matrimonii; et supra, de restit. spol., ex conquestione; et supra, ut lite non cont., accedens 2, in fi. Arg. contra supra, de restit. spol., litteras, ubi dicit quod si probationes incontinenti sunt paratae, non est facienda restitutio, ergo multo minus est facienda, ubi notorium est impedimentum, ut hic. Dic quod facienda est praeterquam ad carnalem copulam, ut intelligas istam decretalem secundum illam.

Super inductam
Sic supra, de spons., veniens 1.

Seu publica
Et si manifesta non esset vel publica, dummodo fama esset, quod essent consanguinei in gradu prohibito, ex officio suo posset episcopus inquirere et compellere, ut quicumque veritatem sciret, perhibeat testimonium, 35. q. 6, episcopus in synodo; et supra, de testibus cog., praeterea; et supra, de offi. ord., perniciosa; et 2. q. 1, Deus omnipotens. Immo quilibet tenetur denunciare ecclesiae, supra, de cognat. spir., tua.

Vel secundo
Et ita videtur quod consanguinitas ultra secundum gradum non posset esse notoria, sed fama esse publica potest, 35. q. 6, si duo.

Interest
Id est, ad ecclesiam pertinet.

X 4.19.04 *Significasti*

Materiam adulterandi
Quod videtur, quia ipse dedit ei materiam adulterandi, quare sibi imputet vir, arg. 27. q. 2, si tu abstines; et ff. de minor., cum mandato, in fi.; ff. solut. matrim., si mulier. Quod magister Ioan. Favent. concedebat, quia qui occasionem damni dat, damnum dedisse videtur, 50. dist., studeat; 50. dist., saepe; et ff. ad leg. Aquil., qui occidit § in hac; et infra, de iniur. et damn. dat., si culpa, in fi.; et arg. ad hoc supra, de eo qui cog. consang., super eo; et supra, de eo qui cog. consang., discretionem. Sed contrarium est verum, quia mulier ad hoc nulla conditione debet adduci, 32. q. 5, ita ne. Nec est ignoscendum ei, quae praetextu paupertatis turpissimam vitam ducit, ff. de ritu nupt., palam § non est. Nec obstat si replicaret etiam illa, ff. de adulter., ex lege § si publico; nisi eam invitam tradidisset adulterandam, quia tunc non posset ei obiicere adulterium, ut in decretali supra, de eo qui cog. consang., discretionem. Sed pone quod mulier recessit a viro auctoritate propria et nihilominus petit restitui. Videtur quod non sit audienda, quia ipsa non fuit eiecta, sed ipsa se eiecit. Dicas quod est audienda, quia eo ipso quod rediens non admittitur, spoliata intelligitur, ff. de acq. poss., clam possidere § ulti.; et de acq. poss., si id quod § ulti.; et ff. de vi et de vi arm., praetor ait § sive autem. Sed numquid potest a viro petere expensas, quas fecit postquam ipsa recessit ab ipso? Non credo, cum maritus ipsam non expulerit, sed si eam revertentem non admittat, postea tenetur.

Si notorium
Quod si occultum est et in modum exceptionis obiiciat ei illud adulterium petenti restitutionem? Dico quod non auditur quousque fuerit restituta, supra, de restit. spol., item cum quis; et supra, de restit. spol., sollicite; et supra, de restit. spol., accepta; et supra, de restit. spol., in litteris; secus in petitorio, 27. q. 2, Agathosa.

Nisi constaret
Ita quod esset notorium adulterium viri, alias ipsam oporteret prius probare adulterium viri, et sic crimina mutua, pari compensatione tollitur, 32. q. 6, nihil; et infra, de adult., intelleximus; et infra, de adult., tua; ff. solut. matrim., viro; 25. dist., primum; et 26. dist., una tantum; et 6. q. 1, qui crimen; ff. de eo per quem fac. erit, ex hoc edicto § sed et si; et ff. de adulter., si uxor § iudex. Arg. contra ff. de dol. except., apud Celsum § Marcellus. Hoc contrarium solvitur supra, de except., dilecti filii.

X 4.19.05 *Ex litteris tuis*

Compulsa
Non ideo tamen excusanda est, quia non est ignoscendum ei, qui praetextu paupertatis turpiter degit, ff. de ritu nupt., palam § non est. Et potius debuit omnia mala pati, quam malo consentire, 32. q. 5, itane. Arg. contra C. de patr. qui fil. distr., si quis; et C. de inoffic. testam., authen. sed si post; et 27. q. 2, si tu abstines.

Admonita
Sed numquid debuit iudex hoc fecisse, cum hoc ipsum factum respicere videatur? Sed pone de hoc quod de consilio alicuius hoc dixisset, numquid poterit revocare huiusmodi confessionem, cum in tali facto non possit dici ignorans? Potest dici quod sic, cum haec causa quasi criminalis sit vel mixta, supra, de procurat., tuae. Confessio enim in crimine non praeiudicat, nisi perseveret, ff. de quaest., in criminibus § divus; et ff. de quaest., in criminibus § si quis ultro. Sed illa lex loquitur de confessione, quae extorquetur per tormentum. Laur. dicit quod potest revocari. Sed si fiat ex deliberatione, et non ex calore iracundiae, non videtur quod revocari possit, quia non posset probare errorem.

Abinvicem segregati
Ex hoc videtur, quod sententia divortii lata fuit, cum de consilio capituli videatur fecisse, quia sine consilio capituli fieri non debet, 15. q. 7, episcopus nullius; et 86. dist., si quod vero. Et est notandum, quod delictum superveniens rei iudicatae praeiudicat ei pro quo lata est sententia, quod verum est, etiam si iurassent se ulterius non repetituros, arg. supra, de iureiur., tua nos 2.

Redire compellas
Quia non continuit secundum quod ei fuit iniunctum, et eam recipere compellitur, supra, de divort., significasti; et 32. q. 6, nihil. Sed sententia lata fuit hic ut videtur propter adulterium. Numquid poterat vir eam sibi reconciliare invitam? Videtur quod sic, arg. C. de legi. et const., quod favore. Innocens enim non privatur servitute, quam habet in eo qui peccavit, C. de adulter., authen. sed hodie, unde vir potest etiam illam adulteram sibi reconciliare, si vult, supra, de conver. coniug., gaudemus; et arg. ff. de excepti. rei iud.,

evidenter. Poena enim non praestat immunitatem, ff. de interdict. et releg., relegatorum § ulti. Praeterea vir solummodo fuit absolutus a servitute, quam ipsa prius habebat in ipsum, et non econverso. Unde adhuc remansit salva viro servitus, quam habuit in muliere, cum tantum ipsa fuerit condemnata, arg. supra, de conver. coniug., quidam; et 27. q. 2, qui dormierit. Item si hoc verum esset, quod non posset, sic daretur mulieribus occasio delinquendi, ut a viris separarentur; sic supra, de consuet., ex parte, unde reprobata fuit illa consuetudo; infra, de divort., quanto, in fi.; et ff. de regul. iur., non fraudatur; arg. 33. q. 5, haec imago. Arg. contra quod non possit, quia sententia statim est pro muliere, arg. 6. q. 4, quod bene semel. Saepe enim condemnatus ex sententia commodum sentit, ut in duobus reis debendi condemnatis, ff. de re iud., Paulus. Dicas quod vir bene potest sibi illam reconciliare invitam, ut Laur. dixit. Hug. dixit quod si uxor publice sit fornicata, ante iudicium ecclesiae potest illam sibi reconciliare etiam invitam, nec potest intrare religionem eo invito. Sed postquam sententia divortii auctoritate ecclesiae lata est, neuter tenetur alteri, et uterque altero invito monasterium intrare potest, quia uterque in separatione cessit iuri suo, arg. 7. q. 1, quam periculosum est; nec vir poterit uxorem invitam reconciliare. Sed haec decretalis videtur contra sententiam Hug., unde standum est prout dicit Laur. Unde nota hic quod delictum superveniens rei iudicatae praeiudicat sententiae, ut sententia non obstante revertatur in idem, infra, de adult., tua, ubi de hoc. Arg. contra, quia ea quae legitime facta sunt, ex supervenienti delicto non retractantur, ff. de itin. act. priv., nec enim.

X 4.19.06 *De illa quae*

Confusione affectus
Ad similitudinem contumacis, qui possessione privatur, ut taedio affectus veniat responsurus, supra, ut lite non cont., quoniam § in aliis; C. de praescri. long. temp. dec., si quis emptionis § sed et si quis non per vim.

Reddenda
Et merito, quia per poenitentiam est sanatus, 32. q. 1, quod autem; et etiam est compellenda.

Compellendam
In alio casu compellitur, et sic aliud ante iudicium ecclesiae et aliud post. Eandem diversitatem dixit Hug. in carnali fornicatione, ut dicitur supra, de divort., ex litteris. Sed contra infra, de divort., quanto, in fi., ubi de hoc. Et potest dici quod ei standum est, ut in utroque casu compellatur redire ad virum, nisi cum iudicio ecclesiae separata voluerit religionem intrare, supra, de conver. coniug., mulier. Ber.

X 4.19.07 *Quanto te novimus*

Distinguimus
Hanc distinctionem ponit Gratian., 28. q. 2 § hic distinguendum.

Praedecessor
Scilicet, Celestinus. Dictum cuius habuisti olim in decretali supra, de conver. infid., laudabilem; et male dixit Celestinus.

Apostolus
28. q. 1, si infidelis.

Canonem
28. q. 2, si infidelis.

Contumelia
Iuxta illud versus: desere spernentem vel blasphemare volentem // vel te credentem scelus ad mortale trahentem // nam sunt absque mora sic vincula rupta priora. Vincen.

Qui relinquitur
Scilicet, qui convertitur circa eum qui relinquit, quia non potest claudicare matrimonium. Sed potius dixit de eo qui relinquitur, quia ille solus potest contrahere sine peccato. Ille qui relinquit transeuntem ad fidem, peccat. Et sola contumelia creatoris solvitur, et non per ecclesiam. Et statim solvitur quam cito non vult cohabitare secundum modum qui traditur infra, de divort., gaudemus, ad fi. Et pervenit ad notitiam alterius, tamen debet adhibere testes, quod illa non vult ei cohabitare, ne impediatur postea contrahens. Si autem antequam contrahat cum alia, convertatur ad fidem, vir ipsam recipere tenetur, infra, de divort., gaudemus § ulti. Et videtur novum matrimonium, ut ibi dicetur.

Casu maior
Magis etiam delinquunt fideles apostatando, quam infideles in infidelitate remanendo, 32. q. 4, in eo fornicator. Et nemo respiciens retro, aptus est regno Dei, supra, de voto et vot. redem., magnae; simile de poen. dist. 4, si refugientes. Sic magis delinquit, in Auth. de litigios. § edicta, in fi., coll. 8; C. quom. et quan. iud. sent. prof., authen. qui semel.

Ratum
Quia potest dissolvi, ut hic, et 28. q. 1, si quis iudicae § item illud.

Numquam amittitur
32. q. 7, interveniente; et 32. q. 7, licite; et 1. q. 1, quod quidam.

Sine culpa
Nemo sine culpa iure suo privari debet, 16. q. 7, inventum; 56. dist., satis perversum; supra, de eo qui cog. consang., discretionem; et supra, de eo qui cog. consang., Iordanae; et supra, de consti., cognoscentes. Sed si causa subest, privatur quis quandoque iure suo, supra, ut lite non cont., quoniam § 2; et infra, de privileg., antiqua; et 22. dist., renovantes; et hic subest causa quae subiicitur inferius.

Multis casibus
In quibus quis privatur iure suo, 14. q. 6, comperimus; et 54. dist., frequens; 34. dist., si cuius; 16. q. 7, decernimus; 70. dist., neminem; 18. q. 2, diffinimus; et supra, de cleri. aegro., tua.

Incidatur
32. q. 7, illi.

Simularent haeresim
Haec est causa quare privatur quis iure suo sine culpa; simile 32. q. 1, dixit Dominus.

Redire cogatur
Et re vera cogi debet, nisi velit religionem intrare, cum iudicio ecclesiae separati fuerint, supra, de conver. coniug., mulier. Laur. dixit eam non cogendam redire ad eum, cum distinctione illius decretalis supra, de divort., de illa. Sed verius est quod indistincte debet compelli, nisi cum vult intrare religionem secundum illam decretalem supra, de conver. coniug., mulier.

X 4.19.08 *Gaudemus*

In secundo
Non prohibito, quia secundus gradus erat prohibitus, sed non omnis. Istae enim erant personae prohibitae in lege: mater, noverca, soror, neptis, amita et matertera, et uxor patrui, et uxor fratris, filia, et privigna. De hoc dicitur supra, de restit. spol., litteras.

Existat
26. dist., deinde opponitur; et supra, de cons. et affin., de infidelibus.

Constitutionibus
Quae non arctant nisi illos, qui subsunt ecclesiae directe. Sed indirecte bene compelluntur, infra, de usur., post miserabilem; et infra, de usur., quanto; et infra, de Iudae. et Sarrac., et si Iudaeos.

Quid enim
2. q. 1, multi, interpositio est.

Remanere coniuncti
Supra, de cons. et affin., de infidelibus.

Sed crimina coniunti
26. dist., deinde opponitur.

Vel quam
Ad istam quaestionem non respondet directe, sed indirecte satis respondetur, quod prima sit uxor, ex eo quod dicit pluralitem in utroque sexu reprobandam, in fine istius §.

Verum absonum
Hic ostendit quod unam tantum debeat habere.

In carne una
Supra, de bigam., debitum.

Duo
Hic pluralis numerus ponitur ad exclusionem maioris pluralis. Arg. contra 31. q. 1, quod si dormierit. Quandoque ponitur ad exclusionem minoris numeri, ut cum dicitur, unus non stet contra alium, sed in ore duorum stet omne verbum, ut supra, de testib., licet universis, in fi.

Uxores
Unde etiam lex plura coniugia prohibet Iudaeis, C. de Iuda., nemo Iudaeorum, in fi.; et C. de incest. nupt., cum ancillis; C. de donat. ante nupt., ea quae.

Divina
Non ergo sunt sufficientes excusationes, quas habes 32. q. 4, dixit Sara; et 32. q. 4, obiiciuntur. Sed illud fuit ante legem, et talis mos fuit divinitus inspiratus.

Quae
Scilicet, divina revelatio censetur quandoque mos, etc.

Mendacio
22. q. 2, item ponitur.

Furto
14. q. 5, dixit Dominus.

Homicidio
23. q. 5, si non licet, circa fi.; et 23. q. 8, occidit.

Pluralitatem
Hic innuit solutionem quaestionis, quasi diceret, prima tantum est uxor, ut dixi supra.

Non ad imparia
Id est, quo ad mutuam servitutem et debitum carnis et fidem servandam, 32. q. 1, si quis uxorem; et 32. q. 5, praecipit. Alias pene famula uxor est, 33. q. 5, haec imago.

In Evangelio
Dicendo excepta causa fornicationis uxorem non esse dimittendam, 32. q. 1, dixit Dominus; et 32. q. 7, Apostolus; et 32. q. 7, omnes causationes; et 28. q. 2, si infidelis.

Absque contumelia
Supra, de divort., quanto.

In quo casu
Id est, in quolibet casu praemissorum trium.

Negaretur
Hic habes casum in quo denegatur restitutio, quamvis constet de iniusta spoliatione; alium habes supra, de divort., significasti. Item ubi excipitur de alia spoliatione, supra, de ord. cognit., super spoliatione. Item ubi timetur de saevitia viri, 33. q. 2, sive de coniugii; et supra, de restit. spol., ex transmissa; et supra, de restit. spol., litteras, ubi de hoc; et 32. q. 1, de Benedicto.

Apostolum
28. q. 1, si infidelis.

Compelletur
Ex hoc videtur quod contumelia creatoris non solvit ius matrimonii ipso iure; alias si solutum fuisset ius matrimonii, non compelleretur eam recipere. Io. dicit quod ipso iure solutum est matrimonium contumelia creatoris, ea nolente viro cohabitare, ut supra, de divort., quanto. Licet matrimonium sit solutum, tamen restituitur quasi iure postliminii, arg. 34. q. 2, cum per bellicam. Sicut haeretico reverso restituuntur alia bona, C. de haeretic., authen. idem est de Nestorianis. Et licet non sit matrimonium inter eos, tamen eam recipere compellitur ex consequentia prioris matrimonii in favorem fidei. Alii dicunt quod matrimonium ipso iure non solvitur, sed ius matrimonii solvitur, id est, ius petendi debitum. Et hoc satis videtur dicere littera supra, de divort., quanto. Ibi contumelia creatoris solvit ius matrimonii, et tunc vere primo solvitur matrimonium quando contrahit cum secunda, et non ante, quia si esset ex toto solutum, non compelleretur eam recipere. Et est arg. ad hoc quod dicit in fine, quod potes ei obiicere fornicationem, quia si ex toto et omnino solutum esset matrimonium, non posset ei obiicere fornicationem praecedentem, supra, de iureiur., quemadmodum. Sed numquid etiam posset intrare religionem ea invita, antequam contrahat cum alia? Dico quod sic, cum iudicio ecclesiae fuit a viro separata, arg. supra, de conver. coniug., mulier, in fi.

Poterit obiicere
Quia intelligitur legitime contraxisse, quae auctoritate legis contraxit, 23. q. 4, qui peccat; et arg. supra, de frig. et malef., fraternitatis, circa fi.; et ff. de acq. poss., iuste possidet. Sed illud quaeritur, qualiter posset ei obiicere fornicationem ante baptismum commissam, cum omne peccatum et sequela peccati in baptismo deleatur, 26. dist., deinde opponitur; et 32. q. 1, quod autem. Cum dona baptismi sint sine omni luctu, de conse. dist. 4, per baptismum; et de conse. dist. 4, sine poenitentia? Dicas quod omne crimen tollitur in baptismo quo ad Deum, et quodcumque et qualitercumque contraxit ante vel adulterando seu fornicando. Sed quatenus illa fornicatio respiciebat virum, non tollitur in baptismo, quia illud crimen non tam virum quam uxorem commaculat, 32. dist., in coniugio. Et sic ius quod competebat viro ex sola fornicatione remanet ei salvum, et sic potest excipere contra illam. Sic etiam per poenitentiam tollitur crimen, quod mulier contraxit fornicando quo ad Deum, et tamen post quantamcumque poenitentiam potest maritus illam accusare, 33. q. 2, admonere. Nec eam etiam recipere compellitur post poenitentiam, supra, de conver. coniug., gaudemus. Iniquum enim esset quod baptismus

X 4.19.09 Deus qui ecclesiam (rev. 9/23)

tolleret beneficium alicui competens, sicut in libertate. Delictum enim quod commisit quis in se, per libertatem tollitur, sed delictum quod commisit in alium non tollitur, ff. de his qui not. infam., imperator; et ff. de his qui not. infam., athletas § Pomponius. Vel expone quod dicitur, nisi alias fuerit fornicata, scilicet, alias, id est, in alio tempore post baptismum. Sed prius verius est. Io.

X 4.19.09 *Deus qui ecclesiam*

Concedimus

Propter novitatem fidei dispensatur circa gradus prohibitos, sic 35. q. 3, quaedam; et 35. q. 3, quod scripsi; supra, de cons. et affin., de infidelibus; simile supra, qui fil. sint legit., gaudemus. Sed post fidem receptam contrahere non debent, ut dicit in fine.

Ut semen defuncti

Hac de causa tantum olim concessum fuit, ut frater uxorem fratris sumeret in uxorem, 8. q. 1, olim; alias non.

X 4.20 DE DONATIONIBUS INTER VIRUM ET UXOREM ET DOTE POST DIVORTIUM RESTITUENDA

X 4.20.01 *Mulieres*

Licita

Puta consanguinitatis, vel alia legitima, et ignoranter contraxit, tunc restitui debet quicquid altero ab altero habuit, supra, de coniug. serv., proposuit; quia nullum fuit matrimonium. Alias si scienter contraxissent, perdere debent quicquid alter alteri dederit, et fisco applicatur, nisi errore aut minori aetate excusentur, C. de incest. nupt., qui contra. Arg. contra infra, de don. int. vir. et uxor., etsi necesse, ubi de hoc.

Totam

Si totam reddere potest, alias in quantum facere potest, C. de rei uxor. act., rem § cum autem; et ff. de re iud., non tantum; nisi dolo diminuerit suam substantiam, ut in C. de rei uxor. act., rem § cum autem. Et si pervenerit ad pinguiorem fortunam, totum restituet ut ibidem, supra, de solution., Odoardus. Et si maritus paciscatur ut totum restituet, tale pactum non valet, cum sit contra bonos mores, ff. solut. matrim., alia causa § 1. Si tamen soluerit, repetere non potest, ff. de condi. indeb., nam et si maritus. Sed numquid fructus restitui debent, quod videtur ff. de regul. iur., in condemnatione? Sed non restituuntur nisi illi, qui ante matrimonium obvenerunt, quia illi ipso iure augent dotem, sed post matrimonium obvenientes non augent dotem, et non restituuntur, sed fiunt mariti propter onera matrimonii supportanda, ff. de iure dot., dotis fructus; et infra, de usur., salubriter. Et expensae necessariae minuunt dotem ipso iure, utiles vero non, sed petuntur actione mandati vel negotiorum gestorum. Voluntariae expensae permittuntur abradi sine laesione prioris status, C. de rei uxor. act., rem § sileat; et ff. de impen. in re. dot., impensarum; et ff. de impen. in re. dot., quod dicitur. Et hoc verum est, cum fit separatio quo ad foedus matrimonii; secus si quo ad torum propter adulterium, infra, de don. int. vir. et uxor., plerumque, ubi de hoc.

X 4.20.02 *Significavit*

Celebrato
Ex licita causa, supra, de don. int. vir. et uxor., mulieres.

Vendicare
Id est, retinere.

Non est aliud
Puta pactum vel consuetudo, quod restitui non debeat, infra, de don. int. vir. et uxor., donatio; ff. ad exhib., in hac actione § ibidem; et C. de pac. convent., ex morte. Vel si propter adulterium quo ad mutuam servitutem divortium sit factum, infra, de don. int. vir. et uxor., plerumque. Vel si sententia lata esset super hoc, a qua non esset appellatum, 2. q. 6, ei qui § diffinitiva; ff. fam. ercis., cum putarem. Vincen.

Divisionem
Hoc intelligitur de his quae communiter empta fuerunt de bonis propriis uxoris et viri, et hoc constat. Alias enim praesumuntur omnia esse de bonis mariti, ff. de donat. inter vir. et uxor., Quintus Mucius; et C. de donat. inter vir. et uxor., etiam. Et est simile: quicquid praelatus ecclesiae acquirit, totum intuitu ecclesiae acquisitum videtur, nisi appareat contrarium, 12. q. 4, sacerdotes; et supra, de pecul. cler., investigandum; et supra, de pecul. cler., presbyter; arg. 12. q. 1, sint manifestae. Ber.

X 4.20.03 *De prudentia*

Repetebat
Sed qua actione agebat mulier pro dote sua? Actione de dote non, quia nullum fuit matrimonium, ergo nulla dos, ff. de iure dot., dotis appellatio. Et sic agit conditione sine causa, ff. de condi. sine caus., avunculo; et C. de condi. ob caus. dat., pecuniam quam; quia causa secuta non fuit, propter quam dos dabatur. Olim recipiebat mulier dotem annua, bima, trima die. Hodie vero illico restituuntur immobilia, mobilia, usque ad annum, C. de rei uxor. act., rem § cum autem.

Incidens accessorie
Bene dicit accessorie, quia si non est matrimonium, neque dos, ff. de iure dot., dotis appellatio. Et sic accedit matrimonio dos, unde et dos promissa per vim vel metum, non tenet, ff. quod metus cau., si mulier § si dos; sicut nec matrimonium, supra, de spons., veniens 2; et supra, de spons., cum locum; et supra, de spons., consultationi. Et sic qui cognovit de principali, cognoscere debet de accessorio, ut hic dicit, et supra, de offi. deleg., praeterea; et supra, de offi. deleg., prudentiam § sexta, in fi.; et supra, de offi. deleg., suspicionis; ff. de iuris., cui iurisdictio. Et si alias cognoscere non posset, incidenter tamen posset, C. de iud., quotiens; et C. ubi et apud quem cog. rest. agit. sit, cum scimus; supra, de in integ. restit., causa. Et sic causa dotis ad iudicem ecclesiasticum spectat, supra, de don. int. vir. et uxor., mulieres; et supra, de don. int. vir. et uxor., significavit. Et hoc ubi iudex ecclesiasticus de matrimonio cognoscit. Si vero

X 4.20.04 Plerumque (rev. 9/23)

constante matrimonio agat mulier de dote, quia forte maritus labitur facultatibus, vel dissipat bona sua, vel quia mortuus est, tunc causa illa agi debet coram iudice saeculari, quia modo causa dotis principalis est, C. de iure dot., ubi; et C. de iure dot., in rebus; et ff. de iure dot., mutus § 1; et ff. de iure dot., quemadmodum § 1. Alias constante matrimonio dos peti non potest, C. si dos const. mat. sol. fuer., si constante. Et sic qui cognovit de principali, cognoscere debet de accessorio, etiam lata sententia super principali, ut hic innuit, et supra, de don. int. vir. et uxor., significavit. Sed numquid procedant isti auctoritate primi mandati? Non videtur, quia functi sunt semel officio suo, sive bene sive male, supra, de offi. deleg., in litteris; et supra, de offi. deleg., significasti; et ff. de re iud., iudex; procedent enim ex isto secundo mandato. Ecclesia enim favore dotis semper ipsam causam delegat, quia reipublicae utile est mulieres dotes salvas habere, propter quas nubere possint, ff. de iure dot., rei publicae; et ff. solut. matrim., dotium causa. Et etiam Papa simpliciter causam dotis committit secundum consuetudinem ecclesiae, infra, de don. int. vir. et uxor., per vestras. Sed hic petebat mulier dotem sibi restitui tamquam accessorium principali quaestioni, et ideo debuerunt pronunciare super dote. Unde videtur quod auctoritate primi rescripti procedere possunt. Sed melius est dicere quod auctoritate istarum litterarum procedant, quia functi sunt officio suo super principali. Unde cum tunc nihil dixerint super accessorio, ulterius non videtur quod per primas litteras procedere possunt super accessorio.

Sic ut canonicum fuerit

Hoc est, si nihil obsistat quod impediat. Et si totum restituere possit, habita ratione ne egeat, ut dixi supra, de don. int. vir. et uxor., mulieres; et supra, de don. int. vir. et uxor., significavit.

X 4.20.04 *Plerumque*

Iudicio ecclesiae

Alias non licet, etiam si nota esset fornicatio, supra, de divort., porro, ut ibi dicitur; et supra, de divort., ex litteris.

Propria voluntate

Resume ob hanc causam fornicationis, alias non noceret.

Nec reconciliata

Ad quod compelli non potest, etiam post poenitentiam, supra, de conver. coniug., gaudemus; 32. q. 2, admonere. Sed si reconciliata fuerit, postea illam fornicationem obiicere non poterit, quia ei remisit hoc quod ei licet secundum Evangelicam veritatem, supra, de iureiur., quemadmodum; et 32. q. 1, quod autem; et 32. q. 1, non erit; et quia mores illius iam comprobavit, ff. de adulter., si uxor, in fi.; et 32. q. 5, horrendus; nisi postea fornicetur.

Dotalitium

Id est, donationem propter nuptias. Sed haec expositio non videtur bona, quia donatio propter nuptias debet redire ad virum, sicut dos ad mulierem, infra, de don. int. vir. et uxor., donatio, in fi. Et ita non posset repetere dotalitium, etiam alias post separationem.

X 4.20.05 Etsi necesse (rev. 9/23)

Sed potest hoc intelligi, cum mulier lucratur donationem vel partem ex pacto, infra, de don. int. vir. et uxor., donatio. Et sic illam donationem, quam ex pacto habuisset, perdere debet. Vel appellatur hic dotalitium res paraphernales, ad quarum restitutionem tenetur maritus, C. de pac. convent., si mulier; et C. de pac. convent., hac lege.

Repetere non valebit

Sed pone sententiam latam esse quo ad tori separationem propter fornicationem, et sic amisit dotem mulier. Demum probatur consanguinitas inter eos, et pronunciatur matrimonium nullum fuisse inter eos. Mulier repetit dotem tamquam non commiserit adulterium. Quaeritur an possit repetere cum effectu. Quod possit probatur, quia ex futuro eventu patet, quod non fuit matrimonium, et si non fuit matrimonium, non fuit adulterium, supra, de frig. et malef., fraternitatis, in fi. Et veritate manifesta non obstat res iudicata, infra, de purg. vulg., significantibus; et 8. dist., veritate; et ff. de condi. sine caus., si fullo; et ff. de condi. sine caus., avunculo; ff. de re iud., res iudicata; et ff. de usufruct. legat., uxori 2. Ex quo enim fuit nullum matrimonium, nulla fuit dos, C. de condi. ob caus. dat., pecuniam. Item ex nova causa tollitur prima sententia, supra, de divort., ex litteris; et arg. infra, de don. int. vir. et uxor., etsi necesse. Ergo quicquid datum fuit nomine dotis potest repeti, quia patet nullum fuisse adulterium, et sic ecclesia decepta fuit in illa sententia, ergo revocari debet, supra, de frig. et malef., fraternitatis. Item per secundam sententiam tollitur prima, supra, de re iudic., inter monasterium; et supra, de re iudic., suborta. Sed contra, res iudicata pro veritate accipitur, ff. de re iud., res iudicata; et ff. fam. ercis., cum putarem. Et ex sententia ius factum est inter partes, supra, de re iudic., cum inter vos; et ff. de liber. agnosc., sive, in princ. Et secunda sententia contra res prius iudicatas a quibus appellatum non fuit, nulla est, 2. q. 6, ei qui § diffinitiva. Praeterea adulteria sicut et alia crimina secundum intentionem iudicantur, et ex corde procedunt, 15. q. 6 § quod vero; et 34. q. 2, lectum; et de poen. dist. 1, super tribus; ff. de fur., qui iniuriae; et infra, de sent. excom., cum voluntate; et iniuria ex affectu mentis fit, 15. q. 1, illud. Et negari non potest, quin mulier ista ex affectu mentis iniuriam faceret ei quem pro vero marito tenebat, et ita dolum commisit, sine quo non fit adulterium, ff. de adulter., si ex lege. In contrarium pro prima parte allegari potest illud, quid obfuit iniuria, ubi conatus non habuit effectum, supra, de spons., adolescens, ubi de hoc. Super hoc dicunt quidam, ut Tanc., quod mulier ista dotem sive dotalitium suum repetere potest. Alii dicunt, ut Laur., quod non est ulterius audienda, licet modo appareat quod non fuerit matrimonium, quia nihilominus puniri debet propter intentionem cum opere subsecuto, fecit enim quod potuit, supra, de bigam., nuper; et supra, de bigam., a nobis; et ff. de adulter., si uxor § 1. Et arg. huius capituli et eo ipso quod uxor condemnata est de adulterio, vir debet habere ante nuptias donationem et dotem, in Auth. ut liceat mat. et avi. § si adulterio; alias est vers. sub illo § in Auth. ut liceat mat. et avi. § quia vero plurimas, coll. 8. Et istud verius credo. Principium enim debet considerari in talibus et non exitus, ut per hoc caeteris delinquendi audacia auferatur. Sed si hoc esset falsum, posset committi in probatione impedimenti. Prima opinio magis benigna apparet, sed non est extendenda licentia.

X 4.20.05 *Etsi necesse*

BOOK IV **X 4.20 DE DONATIONIBUS INTER VIRUM ET UXOREM ET DOTE POST DIVORTIUM RESTITUENDA**

X 4.20.05 Etsi necesse (rev. 9/23)

In dotem

Id est, in donationem propter nuptias, quam fecit maritus uxori, prout fecit iste, infra, de don. int. vir. et uxor., nuper, in fi.

Ut si eam

Sub tali forma, prohibetur contrahi matrimonium, ff. de ver. oblig., si ista stipulatio; et C. de inutil. stipul., liber; et supra, de spons., Gemma, ubi de hoc. Et istud pactum perinde haberi debet, ac si non fuisset appositum, C. de condi. ob caus. dat., pecuniam quam. Pactum enim contra bonos mores non valet, ff. solut. matrim., alia § 1; et C. de pacti., pacta quae; et 8. dist., quae contra mores.

Ob nullam

ff. de condi. sine caus., avunculo; et C. de condi. ob caus. dat., pecuniam quam.

In poenam

Simile 16. q. 1, legi; et ff. de negot. gest., sive. Et ex improbitate nemo consequitur actionem, ff. de fur., itaque fullo.

Restitui

Ex hoc videtur quod si contra canones vel contra praecepta legum vel constitutiones principum contrahitur matrimonium, soluto matrimonio licite repetitur quicquid dotis nomine, vel donationis datum est, ut ff. de condi. sine caus., avunculo; et ff. de ritu nupt., praefectus; et C. de condi. ob caus. dat., pecuniam quam. Sed contra videtur: qui enim scienter contra praecepta legum vel constitutiones principum nuptias contrahunt, quicquid alteri datum est, debet ei auferri et fisco applicatur, C. de incest. nupt., qui contra; ff. de donat. inter vir. et uxor., cum hic status § ulti.; et Inst. de nupt. § si adversus. Quidam dicunt quod si ignorabant se esse consanguineos, tunc revertitur quod datum est, alias non, C. solut. matrim., si ignorans; et C. solut. matrim., praedicta; C. de incest. nupt., nuper qui contra. Istud satis videtur, sed obviat hoc exemplum, quia isti bene sciebant se esse consanguineos, nec hoc ignorare poterant, quod in tali gradu erant, arg. C. de liber. caus., si filium; et C. de in int. restit. min. vig. qui. ann., de tutela. Dixit Io. quod si aliqui sciunt se esse consanguineos, sed credunt quod liceat sibi invicem contrahere matrimonium, tunc competit repetitio, ff. de adulter., si adulterium § stuprum; et ff. de adulter., si adulterium § fratres; et ff. de adulter., si adulterium § incestum. Et in eo casu potest intelligi quod hic dicitur. Si autem sciebant se non posse contrahere, tunc non repetunt quod dederunt, sed fisco applicatur, C. de incest. nupt., authen. incestas; et C. de incest. nupt., qui contra. Tanc. dicit quod haec non est accusatio, quia isti sciebant se esse tales, quod non poterant contrahere, ut dictum est. Unde debebant perdere quicquid hinc inde datum est. Et providit hic dominus Papa propter bonum pacis, quia nisi castra restituerentur, non poterat pax inter eos reformari. Et alia ratio est: hic non poterat servari poena statuta, quia non erat cui applicarentur bona illa, cum nullum habeant illi regem superiorem seu fiscum. Unde merito et iure restitui debuerunt illa castra, et alia quae data sunt, ne alter in lucro remaneat. Unde potius puniri debuit si superiorem habuisset. Et hoc satis colligitur per litteram, ne ad commodum ei cedat, etc. Et sic cessant contraria Tanc.; et quia rex aliter ab illa coniunctione non recedebat, ut dicit illa littera.

X 4.20.06 *Nuper a nobis*

Vixerit
Simile 10. q. 2, hoc ius porrectum § si oeconomus; C. de usufruct. et habit., si patri.

Tertiam
Idem esset, si totam.

In dotem
Id est, donationem.

Viduarum
Tamquam miserabilium personarum, 87. dist. § viduis; et 87. dist., licet. De hoc dicitur supra, de for. compet., ex tenore.

Nullus plus iuris
Ut 1. q. 7, Daibertum; ff. de regul. iur., nemo plus; ff. de acq. rer. dom., traditio; et supra, de iure patron., quod autem, in fi.; et supra, de iure patron., cura. Arg. quod ff. de usufru., quod nostrum non est; ff. de acq. rer. dom., non est novum; contraria casualia sunt.

Quo ad vixerit
Et sic habes quod feudum potest alienari ad tempus; alias non potest alienari, supra, de feud., ex parte, ubi de hoc.

Consentire
Ex quo alienationi consentit, rem postea revocare non potes, arg. ff. quib. mod. pig. vel hyp. sol., sicut re corporali § si voluntate; et ff. quib. mod. pig. vel hyp. sol., sicut re corporali § sed et si permiserit; et ff. quib. mod. pig. vel hyp. sol., si debitor § si in venditione.

Favorabilem
87. dist., licet; et 87. dist., defensionis; C. quan. imp. int. pup. vel vid., si contra; et supra, de for. compet., ex tenore, ubi de hoc.

Sanctiones
C. de donat. ante nupt., multum; et C. de donat. ante nupt., cum multae § sancimus. Et dos ad uxorem, et donatio ad virum soluto matrimonio revertitur, nisi ex pacto lucretur, infra, de don. int. vir. et uxor., donatio.

X 4.20.07 *Per vestras*

Convenire
Id est, ad iudicium evocare ad petitionem H.

X 4.20.07 Per vestras (rev. 9/23)

Repulerat

Et ideo audiri non debuit, nisi primo ipsam restituere, supra, de restit. spol., ex conquestione; et supra, de ord. cognit., super spoliatione; et supra, de ord. cognit., cum dilectus.

Tacita veritate

De processu negotii, ut sequitur; sic supra, de re iudic., inter monasterium.

Ad inopiam vergere

Et bona videbatur illa pronunciatio, quia ex quo maritus incipiebat labi facultatibus, et re sua male uti, cogendus erat eam restituere, C. de iure dot., ubi; et in Auth. de aequal. dot. et prop. nupt. don. § illud quoque, coll. 7. Immo etiam sequestranda est, cum praesumitur vir eam dissipaturus, ff. solut. matrim., si cum dotem § si vero dotem. Si ergo tenetur eam reddere, ergo non potest eam repetere, supra, de iureiur., quemadmodum; quia turpius eiicitur, etc., et dolo petit, qui restituere statim debet, ff. de regul. iur., in condemnatione, in fi. Sed haec non habent locum in casu isto, ut hic dicitur. Cum enim corpus suum uxor ei commiserit, multo fortius et dotem sibi committere debet, sub ea quam potest cautione praestare, ut sequitur, C. de pac. convent., hac lege; et est simile 12. q. 1, praecipimus. Immo uxor tenetur alere virum suum egentem de dote, ff. de iure dot., mutus § manente. Et praemissa locum habent cum maritus suspectus est de dilapidatione, quia male versatur in re sua, et non cum paupertate laborat, ut hic faciebat, et ita restituetur huic dos, prout hic dicitur in fi. Laur.

Nisi cautionem

Lex enim prohibet fideiussorem dari pro dote, C. ne fid. vel mand. dot. dent., sive; et C. ne fid. vel mand. dot. dent., generali. Sed in alio casu illud intelligitur.

Et infra

Sed cum ipse cautionem praestare non posset, ad instantiam ipsius domino Papae haec rescribere curaverunt.

Quam potest

Iuratoriam scilicet, in Auth. ut nulli iudic. lic. hab. § si vero crimen, coll. 9, ubi dicitur quod si mulier accusatur de crimine pro quo debeat custodiri, debet dare fideiussorem. Si fideiussorem dare non potest, iuratoriam cautionem praestet, et sufficit, C. de episc. et cler., authen. generaliter 1; et in Auth. de litigios. § ad excludendas, unde sumpta est haec authentica C. de episc. et cler., authen. generaliter 1, coll. 8.

Honesti lucri

Non enim tenetur foenerari dotem, et de usuris alere uxorem, arg. C. de admin. tut., authen. novissime. Sed convertat eam in societatem honestam, vel aliquod commercium, et ex lucro honesto eam alat, arg. in Auth. ut hi qui oblig. se hab. per. res min. § quoniam autem videmus, coll. 6. Ibi tamen dicitur quod si minor non habet unde vivat, sed tantum pecuniam, tum curator cogitur foenerari. Laur.

Onera
ff. de iure dot., si is qui Stichum § ibi dos; et infra, de usur., salubriter. Tanc.

X 4.20.08 *Donatio*

Constante matrimonio
Nota quod donatio inter virum et uxorem moribus prohibita est, ne mutuo amore invicem spolientur, non temperando a donationibus, sed profusa erga se facilitate utentes. Maiores enim nostri hoc prohibuerunt, amorem honestum solis animis existimantes, et ne alter in paupertatem incideret, et alter ditior fieret, nec esset illis studium filios educandi, ff. de donat. inter vir. et uxor., moribus; ff. de donat. inter vir. et uxor., ne cesset; ff. de donat. inter vir. et uxor., haec ratio; et in Auth. quib. mod. nat. fil. effic. legit. § illud quoque, ad fi., coll. 6. Et nulla est donatio ubi matrimonium tenet. Si vero matrimonium non tenet, donatio de iuris rigore valet. Sed fas non est tales donationes esse ratas, ne melioris conditionis videantur delinquentes, quam qui non deliquerunt contrahendo, ff. de donat. inter vir. et uxor., haec ratio § 1; et C. de donat. inter vir. et uxor., si ex voluntate. Sed inter sponsum et sponsam tenet donatio, ff. de donat. inter vir. et uxor., inter eos; et ff. de donat. inter vir. et uxor., cum hic status § si quis sponsam. Tamen si donator in eadem voluntate usque ad supremum vitae exitum perduraverit, valet donatio, C. de donat. inter vir. et uxor., bona quondam; et C. de donat. inter vir. et uxor., donatio mancipiorum; et hic, ubi dicitur, nisi donatoris obitu confirmetur. Et si donatio legitimum modum excedat, et non fuit insinuata usque ad legitimum modum, valebit, si permansit in ea voluntate, usque ad mortem, C. de donat. inter vir. et uxor., donationes.

Locupletior
Donatio ex qua hoc contingit, nulla est, ff. de donat. inter vir. et uxor., haec ratio, 1. resp. Et ex eo quod dicit, ex qua alter locupletior, et alter pauperior, a contrario sensu datur intelligitur, quod donatio teneat his cessantibus, quod verum est. Si ergo maritus non fit pauperior, tenet donatio, ut si maritus sit institutus heres, et repudiet hereditatem donationis causa, ut deferatur uxori sibi substitutae, vel si repudiet legatum, ut remaneat penes uxorem oneratam pro legato praestando. Vel si rogatus esset restituere hereditatem uxori, ne detrahat quartam causa donationis, tunc tenet donatio, ff. de donat. inter vir. et uxor., si sponsus § si maritus; et ff. de donat. inter vir. et uxor., si sponsus § si quis. Vel si donaverit uxori rem alienam, ff. de donat. inter vir. et uxor., sed et si constante. Item licet pauperior fiat donator, et accipiens non fiat locupletior, tenet donatio, ut si emerit inde unguenta, ff. de donat. inter vir. et uxor., quod autem § 1. Item valet quandoque donatio licet donator fiat pauperior, et accipiens locupletior, si in tempus finiti matrimonii sit collata, sed ante tempus illud non efficitur res donata donatarii, sed differtur in tempus, in quo mulier a lege viri soluta est, ff. de donat. inter vir. et uxor., si servum uxori § ulti.; et ff. de donat. inter vir. et uxor., quia; et ff. de donat. inter vir. et uxor., si inter. Item in alio casu valet donatio, licet alter fiat pauperior, et alter ditior, ff. de donat. inter vir. et uxor., quod si vir. Fit autem donationis revocatio quatenus donator pauperior, et accipiens locupletior factus est, ff. de donat. inter vir. et uxor., si sponsus § ulti.

Tacite vel expresse
Tacite autem fit revocatio per divortium, nisi in divortio voluerit donationem valere, ff. de donat. inter vir. et uxor., sed interim § si maritis; et ff. de donat. inter vir. et uxor., cum hic status § si divortium; et C. de donat. inter vir. et uxor., a marito. Item tacite sit revocatio, si prius, qui libertatem acceperit, decesserit, quam is qui contulit, ut in lege praedicta C. de donat. inter vir. et uxor., a marito. Si vero prius decedat is qui donavit, nec revocavit donationem, confirmatur morte per silentium, C. de donat. inter vir. et uxor., donationes; et C. de donat. inter vir. et uxor., bona quondam; et C. de donat. inter vir. et uxor., donatio mancipiorum. Si autem simul moriantur, puta naufragio vel ruina, valet donatio, ff. de donat. inter vir. et uxor., cum status § si ambo. Expresse revocatur donatio cum donator eam revocat, C. de donat. inter vir. et uxor., a marito; nisi poeniteat eum revocasse donationem, ut supremum iudicium eius sive voluntatem spectemus, ff. de donat. inter vir. et uxor., cum hic status § poenitentiam. Item expresse fit revocatio, si maritus ea quae donavit, postea pignori dedit vel alii donavit, vel alio modo alienavit, C. de donat. inter vir. et uxor., si maritus tuus; simile supra, de procurat., non iniuste. Et haec quae dicta sunt de donationibus inter virum et uxorem inter parentes et liberos pene intelligi debent, inter quos prohibita est donatio, cum una persona intelligantur, C. de impub. et al. subst., si quis; et 35. q. 3 § hac auctoritate, nisi in casibus.

Qui donatum
Ut C. de donat. inter vir. et uxor., a marito; et ff. de donat. inter vir. et uxor., cum hic status § si ambo. Et ista verba tacite vel expresse, vel qui donatum accepit, etc., sumpta sunt ex illis duabus legibus.

Sicut dos
Dos enim datur viro a muliere, et donatio datur uxori a viro, supra, de don. int. vir et uxor, nuper, in fi.; C. de donat. ante nupt., multum; et C. de donat. ante nupt., cum multae. Et ideo redire debent ad eos, ut hic dicitur, et dos et donatio propter nuptias debent esse aequales hinc inde, C. de pac. convent., authen. aequalitas; et in Auth. de aequal. dot. et prop. nupt. don. § hoc igitur; et in Auth. de aequal. dot. et prop. nupt. don. § de caetero, coll. 8. Et verum est quod ista debent redire ad mulierem et virum, nisi consuetudo sit in contrarium, ut dicitur hic; nisi pactum de dote vel donatione lucranda vel parte sit factum inter eos, ut hic dicitur, et C. de pac. convent., ex morte; C. de pac. convent., authen. aequalitas; et in Auth. de aequal. dot. et prop. nupt. don. § hoc igitur, coll. 8; C. de rei uxor. act., rem § illo procul dubio. Et istud pactum debet esse aequale hinc inde. Et si non sit aequale, maior pars lucri ad minorem debet reduci, ut legibus praedictis C. de pac. convent., ex morte; et C. de pac. convent., authen. aequalitas; et C. de pac. convent., lege leonis.

X 4.21 DE SECUNDIS NUPTIIS

X 4.21.01 *Capellanum*

Cum secunda
Secundae nuptiae benedicendae non sunt, infra, de secund. nupt., vir autem. Et secundam accipere secundum veritatis rationem, vere fornicatio est, 30. q. 1, hac ratione. Sed illud

intelligitur primo vivente, et non debet benedici secundae nuptiae ad exhortationem continentiae. Sic et sacerdos interesse non debet nuptiis clandestinae contractis, supra, de clan. despon., cum inhibitio § sane; multo minus debet illas benedicere. Et alia ratio est, quia sacramentum iterari non debet, infra, de secund. nupt., vir autem, ubi haec ratio notatur.

X 4.21.02 *Dominus*

Ei constet
Supra, de spons., in praesentia, ubi notatur quid iuris sit de hac materia, C. de repud., authen. hodie; et in Auth. ut liceat mat. et avi. § quod autem, coll. 8.

Non deneget
Et ita propter dubium pro matrimonio, quod fieri debet, supra, de spons., iuvenis; et arg. supra, de matr. contrac. con. int., litterae; et ff. de iure dot., in ambiguis; nisi quando dubitatur an contractum sit matrimonium, quia clandestinum est. Quo casu potius praesumitur adulterium quam matrimonium, 30. q. 5, aliter; et arg. supra, de clan. despon., quod nobis.

Nullatenus exigendum
Hoc est propter conscientiam dubiam ex probabili causa; simile infra, de sent. excom., inquisitioni, in fi.

Adulterinis
Hoc intellige si postquam intellexerit pro certo de vita prioris mariti, cum secundo remaneat, quia statim est adulterium et non ante, 34. q. 2, cum bellicam. Et est arg. quod matrimonium quod ab initio valuit tractu temporis infirmatur, ff. de iud., si alter; et ff. de iud., si a me. Sed non fuit matrimonium ab initio in veritate. Sed nunc primo declaratur matrimonium non fuisse, sicut econverso, et ex futuro eventu apparet matrimonium ab initio fuisse, supra, de frig. et malef., fraternitatis, in fi.

X 4.21.03 *Vir autem*

Benedici
Supra, de secund. nupt., capellanum, ubi de hoc.

Iterari
Sacramenta enim iterari non debent, 1. q. 1, hanc regulam; et 1. q. 1, hi qui; ne fiat eis iniuria, 1. q. 1, quod quidam; et de conse. dist. 4, ostenditur; 23. q. 7, quemadmodum; et C. ne sanct. bapt. iter., antistitem; et C. ne sanct. bapt. iter., si quis. Videretur enim quod sacramentum huiusmodi non fuisset collatum, vel quod inefficax fuisset omnino, et sic fieret iniuria ei, 1. q. 1, sacramenta. Tamen poenitentia bene iteratur, de poen. dist. 3, adhic instant. Fallit etiam secundum quosdam in extrema unctione. Quid enim impediret hanc iterari, cum non sit sacramentum, sed oratio super hominem, 1. q. 1, manus. Et solemnis poenitentia non iteratur, 50. dist., quamvis; et 50. dist., in capite. Gratian.

tamen dicit quod iteratur secundum consuetudinem quorundam locorum, et hoc si Papa sciat talem consuetudinem; alias non licet.

X 4.21.04 *Super illa*

In Domino nubat
Infra, de secund. nupt., cum secundum. Ergo cum Apostolus nullum tempus adiiciat, nec nos adiicere debemus, 31. q. 1, quod si dormierit; et 2. q. 5, consuluisti; et supra, de translat., inter corporalia. Soli ergo honestati suae consulat mulier, quia statim licet, ex quo tempus non adiicitur, Inst. de ver. oblig. § pure.

Per licentiam
Quae intelligitur intervenire, eo ipso quod non prohibetur, ut 11. q. 1, sint nonnulli.

Infamia
Infra, de secund. nupt., cum secundum.

X 4.21.05 *Cum secundum*

Cui vult
Sic 7. q. 1, sicut alterius; et supra, de secund. nupt., super illa.

Legalis infamiae
Quam inflixit lex ei, quae nubit infra annum, ne turbaretur sanguis et de prole dubitaretur, C. de repud., consensu § si vero; ff. de his qui not. infam., liberorum § et si. Et nota quod canones isti non solum talem mulierem liberant ab infamia, sed omni poena quam exprimit lex, C. de secun. nupt., si qua mulier; et C. de secun. nupt., authen. hisdem poenis; et in Auth. de restitut. et ea quae par. § secundum vero, coll. 4. Quae virum suum ita velociter dehonestavit, ut appareat etiam eo vivente, eam non caste vixisse, ut ibi dicitur. Et ideo perdere debet quicquid ex liberalitate viri ad eam potuit pervenire, nec ecclesia in hoc potuit poenam illam tollere, quia quandam ingratitudinem videtur mulier commisisse, arg. supra, de dona., propter. Nec est hoc contra Apostolum, supra, de divort., gaudemus.

Concessa sibi tamen ab Apostolo
Quam alicui auferre non possumus, 28. dist., de his. Beneficium enim iuris nemini est auferendum, 5. dist., ad eius vero; ff. de re iud., si se non § si quis condemnatus. Et beneficium principis latissime interpretandum est, ff. de constit. princ., beneficium. Et sic ad omnes mulieres hoc beneficium extenditur.

Cum in his
Scilicet, matrimoniis contrahendis in quibus sacrae leges sacros canones imitantur, in Auth. quom. oport. episc. § sed neque effusas, coll. 1; et in Auth. ut cler. apud prop. episc. § si vero ecclesiasticum; et supra, de iudic., at si clerici; et in Auth. de eccl. titul., circa princ., coll. 9.

BOOK V

X 5.01 DE ACCUSATIONIBUS INQUISITIONIBUS ET DENUNCIATIONIBUS

X 5.01.01 *Si legitimi*

Legitimus
Legitimus ideo dicit quia si sit criminosus, non potest alium accusare, 3. q. 7, qui sine; et 3. q. 7, postulatus. Et qui trabem gestat in oculo, festucam de oculo fratris non potest eruere, 3. q. 7 § tria, vers. porro, in fi.; et 1. q. 1, multi; et 6. q. 1, qui crimen. Qui enim alium accusat, debet esse bonae famae, non suspectus per iura praedicta. Si enim ad denunciandum viles personae non admittuntur, ut supra, de spons., cum in tua. Multo fortius nec ad accusandum. Item nec debent esse inimici, infra, de accusat., cum oporteat; et infra, de accusat., cum P; et infra, de accusat., meminimus. Debet enim esse sine crimine, non inimicus, bonae famae et opinionis qui alium accusat, alias non est legitimus accusator. Criminosus enim criminosum accusare non potest aut etiam denunciare.

Non fatigetur
Sed repellatur accusator et absolvatur reus ab observatione iudicii, 7. q. 2, accusator; nisi fuerit infamatus, quia tunc debet iudici ei purgatio, 2. q. 5, presbyter si a plebe; et infra, de purg. can., cum P. Et haec decretalis pertinet ad primam partem rubricae.

X 5.01.02 *Si quis epicopus*

Accusatoribus
Id est, denunciatoribus.

Accusatus
Id est, denunciatus.

Caritative
Arg. quod admonitio semper est praemittenda ante accusationem et ante vindictam, 12. q. 2, indigne; et 16. q. 1, quidam monachi; et 16. q. 7, omnes decimae; et 24. q. 3, de illicita; et infra, de sent. excom., sacro. Cum agitur in modum denunciationis ad poenitentiam, tunc necessaria est admonitio secundum Evangelicam veritatem, supra, de iudic., novit; et 2. q. 1, si peccaverit; et infra, de simon., licet Heli; et infra, de accusat., cum dilectus; in quo casu loquitur hoc capitulum. Et ita pertinet ad ultimam partem rubricae. Et ubi dicit accusatoribus, expone, id est, denunciatoribus; accusatus, id est, denunciatus ut dictum est.

Conventus
Id est, admonitus, ut sequens littera indicat.

X 5.01.03 Illa praepositorum (rev. 9/23)

Non olim
Id est, non ante admonitionem admittatur ad denunciandum.

Nunc
Id est, post admonitionem debet admitti, ut dictum est.

X 5.01.03 *Illa praepositorum*

De monasterio
Nota quod non debent admitti ad denunciandum, nisi illi quorum interest, ut monachi, ut hic, aut etiam patroni, 16. q. 7, filiis; aut etiam parochiani, 63. dist., vota civium; et 7. q. 1, factus est.

Dicere
Id est, accusare, infra, de accusat., ex parte; et 2. q. 4, Euphemium. Sed potius loquitur in modum inquisitionis sive denunciationis, in quo casu tenentur ad denunciandum, ut 2. q. 6, qua propter; et arg. supra, de cognat. spir., tua. Ad hoc enim quilibet tenetur, etiam si iurasset non denunciare, supra, de iureiur., quemadmodum.

Quorum interest
Scilicet fratrum suorum, 86. dist., si quid vero.

Condemnetur
Hoc semper debet continere diffinitiva sententia: condemnationem vel absolutionem, alias non tenet, 2. q. 6 § diffinitiva; et 23. q. 4, illud etiam; vel aequipollens, infra, de verb. sign., in his; et ff. de recepti., quid tamen § si arbiter. Sic et sententia quae sine certa quantitate profertur nulla est, nec in aliqua parte actorum hoc reperitur, C. de sent. quae sine cert. quant., haec sententia omnem; et C. de sent. quae sine cert. quant., haec sententia quae. Tanc.

X 5.01.04 *Omnipotens*

Nunciantur
Et sic ad ultimam partem tituli pertinet, cum etiam aliquis accusatur aut denunciatur vel etiam inquiritur, gravata est statim eius opinio, ut interim non debeat promoveri, 81. dist., tantis; et supra, de testib., non debet; C. de procur., reum; et ff. de muner. et honor., reus, 1. resp.; nisi post annum, ut ff. de muner. et honor., reus § eum.

Honoretur
Id est, ad honorem promoveatur.

X 5.01.05 *Nulli episcoporum*

X 5.01.06 De his (rev. 9/23)

Repellere

Iudex tamen ex officio suo potest repellere accusatorem si non fuerit idoneus, arg. 2. q. 7, alieni; et 2. q. 7, si qui sunt; et 2. q. 7, quaerendum; ff. de postulan., quod prohibet; et supra, de except., exceptionem, in fi.; et ff. de pet. hered., filius.

Familiaritate

Non enim modo potest reprobare etiam mores quos prius approbavit, ff. de adulter., si uxor, in fi.; et 32. q. 5, horrendus; et supra, de fil. presbyt., veniens; ff. de negot. gest., Pomponius. Sed contra 2. q. 7, alieni; et 3. q. 11 § si quis ex familiaribus; et C. qui accus. non poss., iniquum. Immo videtur quod criminosus criminosum accusare possit, 2. q. 7 § in hoc; et C. de haeretic., quoniam; et C. de inoffic. testam., in arena. Arg. quod nullus criminosus reputatur legitima persona ad accusandum vel ad denunciandum, ut dixi supra, de accusat., si legitimus; arg. C. de adulter., quoniam; 32. q. 6, nihil iniquius; et C. de liber. caus., si filium. Vel forsitan iste episcopus accusabatur de crimine excepto, quia et erat malae famae, 2. q. 1, in primis. Unde admittebantur viles personae contra eum. Sed dic quod speciale est in episcopis et in odium ipsorum statutum, quia debent secum habere honestas personas quae perhibeant testimonium de vita eorum, 2. q. 7, cum pastoris. Et ideo si pravos et viles habent secum, sibi imputent. Alias vilis persona non est audienda, ut dixi supra, de accusat., si legitimus. Vel forte superior ex officio suo posset tales repellere, ut dicitur in principio capituli et in praecedenti notula.

X 5.01.06 *De his*

Replicari

Quia si probato crimine iudex cum illo dispensavit, si fuit tale crimen quod potuit dispensare, crimina semel dimissa iterum in ultionem divina clementia venire non patitur, de poen. dist. 4, divina clementia, ad fi. distinctionis; et 23. q. 4, si illic, ubi de hoc; et 2. q. 3 § notandum. Si vero absolutus est, quia accusator non probavit, tutus est quia de delicto unius hominis saepius quaeri non debet, ff. naut. caup. stab., licet § ulti.; et 35. q. 9, veniam. Et hoc verum est nisi in duobus casibus, puta si secundus accusator primum doceat praevaricatum fuisse, ff. de praevaric., praevaricationis; C. de accusation., si quis homicidii; et infra, de collus., scripta. Item si suum dolorem prosequatur ignorans accusationem ab alio institutam, ff. de accusation., si cui § hisdem. Et hoc intellige cum actum est in forma iudicii. Si autem poenitentiam egisset occulte. quo ad Deum absolutus est, sed accusatio in iudicio facienda non cessat propter hoc, 33. q. 2, admonere. Vincen.

X 5.01.07 *Repellantur*

Cohabitantes

Non solum inimici sed eis cohabitantes repellantur, quia ex hoc inimici praesumuntur, 4. q. 3 § item testes; et infra, de accusat., cum oporteat; C. de inoffic. testam., liberi; 93. dist., si inimicus. Arg. contra ff. pro soc., nam socii; et 81. dist., legitur. Et est arg. ex cohabitatione praesumendum pro aliquo vel contra aliquem, 18. q. 2, diffinimus; et supra, de accusat., nulli; et supra, de offi. deleg., insinuante; 3. q. 5, accusatores.

Amicitiae
3. q. 5, accusatores. Propter amicitiam vel odium humanum iudicium saepe pervertitur, 11. q. 3, quatuor.

X 5.01.08 *Accusati*

Per tuam
Tantum accusationem calumniosam et non culpa sua. Nam si quis iuste accuset criminosum et crimine probato interficiatur reus, immunis est accusator, 23. q. 4, illud; et iudex et minister, 23. q. 5, cum homo; 23. q. 5, qui malos; et 23. q. 5, iudex; et 23. q. 5, homicidas; et 23. q. 5, miles, in fi.

Nisi pro pace
Non tenetur proprie illud, nisi quia si proprie sequeretur quod pro pace posset quis accusare alium iniuste, quod non est verum, quasi simile habes 2. q. 1, notum. Sed pro pace servanda licitum est accusare, ut boni quiete vivunt, 23. q. 5, non frustra. Alias accusare mortale peccatum est, scilicet calumniose. Ber.

Carina
Vulgare est Lombardorum, et dicitur a carentia hominum, quia tales reducuntur solitarii per quadraginta dies ad agendum poenitentiam. De qua poenitentia habes 50. dist., in capite. Ber.

Debilitatus
Id est, mutilatus in membris.

X 5.01.09 *Evidentia*

Sceleris
Id est, scelus quod notorium est per operis evidentiam, et est unus modus notorii quem et alios habes supra, de cohab. cler. et mul., quaesitum.

Non indiget clamore
Id est, non indiget aliquo proponente accusationem, quia factum se ostendit, arg. ff. de in int. rest., utilitas. In confessum etiam nullae sunt partes iudicis, ff. ad leg. Aquil., proinde; nisi quo ad sententiam tantum. Et quae in iudicio publicantur, non requirunt accusationem aut etiam probationem, ff. de adulter., ex lege § si publico; et C. de testi., nullum. Sic in quocumque notorio, tantum sententia semper est necessaria. Vincen.

X 5.01.10 *Cum P.*

Laicus
Nota quod laici in accusationem vel testimonium clericorum non sunt admittendi, et hoc regulare est nisi suorum vel suam iniuriam prosequantur, 4. q. 6, omnibus. Nec tunc ad testimonium, quia in facto suo nemo testis idoneus est, supra, de testib., de caetero; et 2. q. 1, prohibentur; et 4. q. 3 § item omnibus. Et hoc verum est nisi in criminibus exceptis,

ut est crimen simoniae, haeresis, et laesae maiestatis, infra, de simon., tanta; et 2. q. 7, sacerdotes; et 2. q. 7, oves; 15. q. 3, sane; C. de episc. et cler., si quemquam. Et in his casibus et consimilibus admittuntur, si bono zelo et non ex odio procedant, quia tunc nec ad accusandum nec ad testificandum admittuntur, infra, de simon., licet Heli; et infra, de simon., per tuas 1; et infra, de accusat., meminimus; et infra, de accusat., cum oporteat. Inimici in nullo casu admittuntur. Laici enim bonae famae admittuntur in huiusmodi exceptis criminibus. Sed si laici sint malae famae et viles personae, tunc distinguitur: si clericus super illo crimine sit infamatus et malae opinionis, admittuntur laici et viles personae. Si vero sit bonae famae et opinionis, non admittuntur, et hoc bene colligitur, 1. q. 2, in primis, ad fi.; et infra, de simon., tanta; et infra, de simon., per tuas 1. Et hoc exceptis conspiratoribus et inimicis, ut dixi, et excipitur particeps criminis, supra, de testib., veniens 1. Et testibus vilibus sine corporali tormento credi non debet, ut 2. q. 1, in primis, ad fi. Sed accusator non torquetur, 4. q. 3 § si autem ea rei. Et sic Iohannes iste quia laicus erat, non admittitur contra clericum. Sed quare repellitur cum accusaret illud de simonia, quae est crimen exceptum, et quia etiam erat infamatus, ut patet ex eo quod indicitur purgatio illi? Respondeo quia erant inimici, quod bene colligitur propter mutuas accusationes et officia permista, ut patet ex ipsa littera.

Illius causae

Scilicit Ioannis laici fratris B. Iste enim Ioannes prius accusaverat forte ipsum P. coram episcopo et B. fratrem suum induxit in testem, ut hic viditur. Et ideo ipse repellitur tamquam inimicus, infra, de accusat., meminimus.

Purgationem

Quia uterque fuerat infamatus, infra, de simon., de hoc; et infra, de simon., insinuatum. Alias non esset indicenda purgatio, 15. q. 5, de crimine.

Cum tribus

Arbitrarius enim est numerus purgatorum secundum arbitrium praesidentis et qualitatem infamationis, arg. 2. q. 5, omnibus; 2. q. 5, presbyter si a plebe. Simile infra, de purg. can., inter sollicitudines. Numquid episcopus potest diminuere de hoc numero ex quo praefigitur a Papa? Ex quo est arbitrarius? Dicas quod non postquam Papa statuit, arg. supra, de offi. deleg., de causis § ulti. Quid si non potest habere compurgatores? Distingue: si hoc contingat ex eo quod est taliter infamatus, tunc puniri debet tamquam convictus, infra, de simon., insinuatum; et infra, de purg. can., cum P, quae est pars huius. Si vero non potest habere quia est advena, potest credi suo iuramento, cessante probatione, arg. supra, de iureiur., iuramentum; et ff. de his qui not. infam., accipe § qui iussu, vers. sed et si iure; in Auth. ut nulli iudic. lic. hab. § necessarium, vers. si vero crimen, coll. 9; C. de cust. reo., authen. novo iure. Quid si habet bonos laicos? Admittuntur, arg. 2. q. 1, in primis. Vincen.

X 5.01.11 *Ex parte tua*

Alia rationabilis causa

Puta quod essent excommunicati, de except., exceptionem. Vel si essent inimici vel conspiratores, infra, de accusat., meminimus; et infra, de simon., per tuas 1; et infra, de

accusat., cum oporteat; et in casu infra, de accusat., veniens, ut dixi supra, de accusat., si legitimus. Sed pro eo quod obedientiam promisit, non repellitur ab eius accusatione. In hoc enim quod malus est, non tenetur obedire ei, immo potius tenetur illum denunciare sive accusare, cum eorum intersit, supra, de accusat., illa; et 11. q. 3, non semper; et 11. q. 3, Iulianus; arg. supra, de maior. et obed., dilecti filii, in fi.; et 2. q. 7, qua propter; 10. q. 2, episcopus; 17. q. 4, quaesti. Et quia utilitatem ecclesiae procurant, debent eis expensae ab ecclesia ministrari, ut hic dicit, et infra, de accusat., olim. Et ipse abbas debet habere expensas ut se defendat usque ad finem causae.

Licet alios
Alios vero accusare non possunt nisi intersit monasterii, de licentia tamen abbatis, 16. q. 1, monachi; cum mortui sint mundo, 16. q. 1, placuit. Et non tamen humanis vocibus sed divinis mortui sunt, 2. q. 7, placuit. Funesta est eorum vox, ut ibi dicitur, id est, semper flere debet et tristes esse, 16. q. 1, placuit. Denunciare autem possunt ad poenitentiam quemlibet Christianum, quia cuilibet dictum videtur, si peccaverit in te etc., nulla facta exceptione, maxime si dicitur esse praeceptum, arg. supra, de iureiur., quemadmodum. Sed contra videtur praedictum capitulum 16. q. 1, placuit, ubi dicitur quod monasterium exire non debet monachus, sed tamquam mortuus ibi esse. Sed pone, monachus est in scholis de licentia abbatis, numquid potest accusare vel aliter agere? Respondeo: potest si eius interest, quia eo ipso quod monachus de licentia abbatis est in scholis per consequens omnia ei concessa intelliguntur, sine quibus commode non possit vivere, arg. supra, de offi. deleg., praeterea; et supra, de offi. deleg., prudentiam § 6; et supra, de offi. deleg., suspicionis. Tamen pro alienis debitis intercedere non posset, ut per hoc monasterium obligaret, cum hoc non intellexerit abbas, arg. supra, de fideiuss., quod quibusdam; et supra, de solution., si quorundam; nisi quantum pertinet ad propriam necessitatem, et hoc si abbas et concedat. Tanc.

Expensae necessariae
Arg. adversarium adversario compellendum in expensis providere contra se, arg. ff. de inoffic. testam., si instituta § 3; C. de Carb., carbonianum; C. de ordi. cog., si quando § 1, vers. nam si tales. Et istae expensae necessariae tantum erunt sine quibus causa explicari non potest. De expensis satis habes supra, de dolo et contu., finem.

X 5.01.12 *Si constiterit*

Commendata
Sic supra, de elect., dudum ecclesia; et 21. q. 1, qui plures. Commendare enim est idem quod deponere, ff. deposi., depositum; ff. deposi., Lucius; et supra, de deposit., gravis. Qui enim deponit rem penes alium, possessionem intelligitur retinere, ff. deposi., licet. Et quandocumque vult, potest depositum sive rem commendatam revocare, supra, de deposit., bona fides § 1, ubi de hoc; et ff. deposi., depositum § penulti. Et ita licite huic presbytero potuit auferri ecclesia cum ipse non possideret, et sic non fuit spoliatus.

De vinolentia
Id est, ebrietate. Alias est de violentia, quia forte quandam stupraverat.

X 5.01.13 Meminimus (rev. 9/23)

In taberna
44. dist., non oportet.

Pernoctaverit
Pernoctare noctem totam significat, ff. de ver. sig., urbane § pernoctare; et supra, de spons., veniens 2.

Dormitione
Unde non videtur ieiunus propter indigestionem, sed pransus celebrasse, quod fieri non debet, de conse. dist. 1, sacramenta; et de conse. dist. 2, liquido.

Ante episcopum
Supra, de confess., cum super. Et praesente adversario, ff. de confes., certum § 2. Ergo si coram alio non suo iudice, non noceret talis confessio, supra, de iudic., at si clerici.

Sine coactione
Talis confessio sic per coactionem extorta non praeiudicat, 31. q. 2, Lotharius; 15. q. 6, si quandoque; C. quor. app. non rec., observare; et 2. q. 6 § sunt etiam quorum, vers. nullus etiam homicidarum.

Convictus
Unde privari non debuit sine culpa, 56. dist., satis perversum; et 16. q. 7, inventum.

Post appellationem
Quod enim post appellationem legitime interpositam sit, debet in irritum revocari, supra, de offi. deleg., super quaestionum, in fi.; et supra, de appell., bonae.

Restitui
Cum fructibus perceptis, supra, de restit. spol., gravis, ubi de hoc.

X 5.01.13 *Meminimus*

Pro altera parte
Id est, pro seipso ex adverso.

Accusaret
Sed non videtur quod locum haberet adhuc accusatio, cum nondum habuisset plenum ius, sed potius debuisset excipere contra eam quod posset concedi. Sed quia repellitur ab obtento, potest admitti accusatio. De hoc dicitur infra, de accusat., super his.

Inimicus
Ergo si non fuisset manifestus inimicus deferendum fuisset appellationi, quia tunc cum crimen simoniae exceptum sit, eam poterit accusare, ut plenum dictum est. De hoc supra, de accusat., cum P.

Testimonium tulerit

Et forsitan super eadem causa vel alia consimili alio ipsam accusante, et ob hoc solum praesumeretur inimicus; simile supra, de accusat., cum P; et simile 4. q. 3 § item in criminali, in princ., ubi de hoc. Ber.

X 5.01.14 *Licet*

Quaesivimus

Sed quare Papa quaesivit ab istis utrum vellent aliquid proponere contra ipsum? Si enim accusator non compareret in termino praefixo, amplius non auditur nisi probet iustam absentiam, 4. q. 5, quisquis; et C. qui accus. non poss., si ea quae; et supra, de fide instrum., accepimus? Respondeo: non statim debet iudex absolvere praesentem licet accusator sit absens, quia potest esse quod habeat iustam causam absentiae, ut supra, ut lite non cont., quoniam. Iudex habere debet rationem viarum et temporis et alterius etiam impedimenti, ff. de vac. mun., tempus; ff. ex quib. cau. maio., si cui § 1; ff. de damn. infect., si finita § si forte; ff. de iud., si praetor, in fi.; et supra, de re iudic., cum Bertholdus. Et ideo Papa istos requisivit, quia forte non credebat quod iusta causa impediti tacerent, arg. 2. q. 7, plerumque. Et nota quod licet absenti restituatur accusatio sua, ff. ex quib. cau. maio., si cui § 1. Tamen minor non restuitur ad accusandum, ff. de minor., auxilium. Vel ideo non imponitur silentium accusatori, quia accusator prius monendus est, ut procedat, C. qui accus. non poss., qui crimen. Et ideo isti requisiti fuerunt si vellent aliquid proponere, quia si requisitus accusator non procedat, ammodo non auditur, ut hic patet et per iura praedicta. Sed videtur quod isti debuerunt puniri in expensis, quia fecerunt illum citari ad curiam malitiose, arg. praedicta lege C. qui accus. non poss., qui crimen; et ff. de iud., eum quem temere. Sed excusantur propter nuncium qui formam mandati excessit, unde non tenebantur. Idem videbatur dicendum ubi etiam de crimine agitur civiliter, ff. de iure fisc., ex quibusdam § senatus. Sed in negotiis civilibus aliter proceditur contra absentem actorem, C. de iud., properandum. Io. De hoc dictum est supra, de dolo et contu., prout.

Excessit

Et ideo non valuit, nec praeiudicat eis ex quo non habent ratum, supra, de offi. deleg., cum olim abbas; et supra, de rescript., cum dilecta.

De caetero

Supra, de accusat., de his; 4. q. 5, quisquis; et 5. q. 5, illi qui; C. qui accus. non poss., si ea; ff. ad Turpil., qui destitit; nisi iterato crimen committeret, arg. 6. q. 1, imitare. Nam exceptio rei iudicatae non obstat nisi de praeteritis commissis, ff. de excepti. rei iud., si rem meam; et ff. de excepti. rei iud., si quis ad exhibendum; et C. ad exhib., neque; et C. ad exhib., non ignorabit; et supra, de except., adversario.

Citra vinculum inscriptionis

Et quia ante inscriptionem destiterunt eis non imputatur, quia nemo compellitur accusare, 2. q. 3, si quem; et 2. q. 3, si quis iratus. Post libelli oblationem sine poena disistere licet, ff. ad Turpil., quaesitum; ff. de in ius voc., libertus. Tamen ille qui infamavit, tenetur iniuriarum, ff. de iniuri., item apud § si quis libello. In civilibus tamen actionibus bene

compellitur agere post libellum oblatum reo instante, C. quom. et quan. iud. sent. prof., authen. qui semel. Io.

Delectemur
Arg. quod praestantius est privilegium bonae famae quam malae opinionis, arg. infra, de purg. can., cum in iuventute.

X 5.01.15 *Veniens*

Criminali
Habes ergo hic expresse quod in causa criminali non intervenit procurator, nec ad agendum nec ad defendendum, 5. q. 3, in criminalibus; et 3. q. 9, absens per alium; ff. de public. iud., accusatore § 1; et hoc est generale. Fallit tamen in certis casibus: in crimine iniuriarum, ut 3. q. 9, absens vero § nisi; et C. si quando. Sed ad excusandum vel excipiendum admittitur procurator, ut hic, et 23. q. 5, reos; et supra, de dolo et contu., cum dilecti. Item cum agitur de crimine non criminaliter, intervenit procurator, supra, de procurat., tuae; et infra, de accusat., super his, in fi. Item in levibus criminibus, ff. de accusation., levia, arg. Item si crimen non excedit poenam relegationis, ff. an per al. caus. app., quaeri. Item in crimine suspecti tutoris, ff. de procur., licet. Sed pro publico non intervenit procurator ad agendum sed ad defendendum, ff. de popul. act., qui populari. Item dominus defendit servum in crimine, ff. de accusation., si cui § penulti. Melend. dixit quod ex parte rei post litem contestatam semper potest procurator intervenire, 23. q. 5, reos. Sed illud loquitur in procuratore ad allegandas causas absentiae, quia reipublicae utile est absentes a quibuscumque defendi, et quemlibet pro eo verba facientem audiri, ff. de procur., servum quoque § publice. Et hic isti admittuntur ad excusandum, et sic intelligitur 23. q. 5, reos.

Tale recepisse mandatum
Quod de iure fieri potuit, supra, de accusat., licet.

Silentium
Nota quod qui iuravit se non accusaturum aliquem, amplius non auditur contra illum, supra, de iureiur., quemadmodum. Et maxime ubi primo calumniose accusaverit, ut hic, quia praesumitur postea quod malo animo moveatur, unde non est ulterius audiendus, arg. 3. q. 10, placuit. Vel etiam si simpliciter remisit accusationem, 23. q. 4, si illic; et de poen. dist. 4, divina. Et eo ipso quod quis dixit se nolle accusare illum, amplius non auditur, ff. de adulter., si maritus sit § si negaverit. Sed numquid talis potest ipsum denunciare non obstante iuramento? Quod videtur per decretalem praedictam supra, de iureiur., quemadmodum. Quod non est verum, cum primo calumniatus fuerit, quia calumniose denuncians non auditur, immo punitur de calumnia, infra, de simon., qui alium. Sed numquid alius potest illum accusare de crimine, de quo absolutus est? De hoc dic ut supra, de accusat., de his; et quod habes 2. q. 1, prohibentur. Io.

Propter contumaciam
Sic patet quod semper debet quis venire ad iudicem sive iuste sive iniuste vocetur, alias punitur ut contumax, ut hic patet, et ff. ne quis eum qui in ius voc., sed eximendi § item si

quis; ff. iudi. solv., si reus. Quod verum est cum dubitatur an citatio teneat, supra, de appell., si duobus; et supra, de appell., cum parati; et ff. de iud., si quis ex aliena. Sed si evidens est quod citatio non tenet, non tenetur venire citatus, puta si citetur aliquis tempore feriato, arg. 5. q. 2, vocatio. Et est expressum supra, de fer., conquestus; ff. de feri., ne quis messium. Nisi esset iusta causa ut ibidem dicitur, puta res peritura vel ratione criminis, vel nisi pietas vel necessitas hoc suadeat. Quandoque non valet ratione personae, ut 4. q. 3 § liberti. Quandoque ratione loci inhonesti, ff. de recepti., si cum dies § si arbiter. Vel si esset nimis remotus forte ire non teneretur, si constaret quod in litteris non contineretur illa clausula: non obstante constitutione de duabus dietis, supra, de rescript., nonnulli. Si evidens sit ipsum non esse iudicem qui citat, supra, de offi. deleg., ex litteris. Vel si ordinarius citat illum qui non est de sua iurisdictione, nec ratione criminis seu contractus, supra, de for. compet., licet ratione. Ubicumque dubitatur de iurisdictione debet quis ire et allegare privilegium suum, alias tamquam contumax potest puniri, ut hic patet. Io.

X 5.01.16 *Super his*

Tribus modis
Quartum modum habes, scilicet per inquisitionem, infra, de accusat., inquisitionis; et infra, de accusat., qualiter et quando 1; et infra, de simon., licet Heli; exceptis notoriis, ut in capitulo infra, de simon., licet Heli. Et lex etiam dicit quod quatuor sunt genera cognitionum, quia aut agitur de capitali crimine, aut de fama, aut de pecuniaria re, aut de honoribus vel muneribus agendis, ff. de var. et extraord. cog., cognitionum.

Oportet inscribi
Sic infra, de simon., licet Heli; nisi in casibus: primo in crimine abigeatus, C. de abige., abacti. Item in levibus et paucis criminibus, arg. ff. de accusation., levia. Item in his quae apparitores referunt, C. de accusation., ea quidem. Item in crimine apostasiae, C. de apost., apostatarum. Item cum accusatur Christianus, qui contraxit cum Iudaea vel econverso, C. de Iuda., ne quis. Inscribere est obligare se ad eandem poenam si non probaverit quam reus debuit pati, si probasset ipse accusator, ut 2. q. 8, quisquis; et 2. q. 8, qui crimen.

Denunciatio
Praecedente legitima admonitione, alias repellitur, infra, de accusat., cum dilectus; nisi in casibus infra, de accusat., inquisitionis, 1. resp.

Accusatione
Potest accusator repelli, obiecto sibi maiori crimine pari vel etiam minori in modum exceptionis, quia criminosus accusare non debet, ut dixi supra, de accusat., si legitimus; et supra, de accusat., nulli; et 2. q. 7, si qui sunt; et 2. q. 7, quaerendum. Sed ab excipiendo non repellitur quis propter crimen seu propter excommunicationem, supra, de except., cum inter; et supra, de except., dilecti filii; quia cuilibet servatur legitima defensio, ut ibi dicitur.

X 5.01.17 Qualiter et quando (rev. 9/23)

Testificatione
Supra, de ord. cognit., cum dilectus; et supra, de testib., super eo 1; et supra, de testib., testimonium; et supra, de except., denique.

Impedit promovendum
Et obstat etiam in dignitatibus postmodum acquirendis, supra, de elect., super eo; et arg. 2. q. 1, prohibentur; et supra, de accusat., omnipotens.

Non deiicit
Id est, propter hoc non privatur aliis dignitatibus seu beneficiis, quia non agebatur ad hoc, supra, de ord. cognit., cum dilectus; ff. de liber. agnosc., senatus, in fi. Sed si ex tali probatione gravata sit eius opinio, non promovebitur, supra, de testib., testimonium; et 81. dist., tantis; et supra, de accusat., omnipotens; nisi se purgaret.

Post confirmationem
Tunc enim spirituale vinculum est contractum, supra, de translat., inter corporalia.

Arbitrium
Hoc generale est quod ubi certa poena expressa non est in iure, arbitrio iudicis relinquitur, supra, de offi. deleg., de causis; ff. de iure delib., si servus, in fi. Et a tali poena imposita potest appellari, secus a poena expressa in iure, ff. de ver. sig., si qua poena. Sic et ubi ius expressum non est, secundum aequitatem est procedendum, supra, de translat., licet.

Adstringendus
Licet enim non inscribat, obligabit se ad extraordinariam poenam ad arbitrium iudicis, ut hic patet, et arbitrium iudicis aequum esse debet. Unde si excederet reducenda esset illi poena ad arbitrium boni viri, supra, de iureiur., Quintavallis; et supra, de iureiur., veniens, ad fi.

Criminalis
Et tamen requiritur in tali causa praesentia plurium episcoporum, ac si esset criminalis, 23. dist., illud; et 3. q. 6, haec quippe. Et in hac causa testes compellendos credo. De hoc dixi supra, de testibus cog., dilectorum, in fi. glossae.

Per procuratorem
Sic supra, de procurat., tuae. Sed ubi de crimine agitur criminaliter, non intervenit procurator, supra, de accusat., veniens, ubi de hoc.

X 5.01.17 *Qualiter et quando*

Inquisitionis ordinem
Qui continet duo: primum quod regulariter non fit inquisitio nisi contra infamatum, secundum quod ex quo constat de infamia, inquiri debet de veritate. Host.

BOOK V **X 5.01 DE ACCUSATIONIBUS INQUISITIONIBUS ET DENUNCIATIONIBUS**

X 5.01.18 Cum dilecti (rev. 9/23)

Observari

Arg. quod iudex qui male iudicavit, non dicitur functus officio suo, sed iterum debet procedere et bene iudicare, arg. ff. de recepti., dicere autem § sed si de pluribus. Arg. contra, quia sive bene sive male sententiam dixit, ulterius se intromittere non potest, ff. de recepti., quia arbiter; ff. de re iud., iudex; et supra, de offi. deleg., in litteris. Secus in casu isto, quia isti erant generales legati ad inquirendum, unde poterant mutare si errassent et nondum tulerant etiam sententiam, sed erraverunt in processu.

Nascantur iniuriae

C. und. vi, meminerint; et 21. q. 3, pervenit; et supra, de rescript., nonnulli.

Corrigere

Nota quod iudex potest corrigere errorem suum si male interlocutus sit, ut hic patet, et supra, de appell., cum cessante; et infra, de sent. excom., sacro; ff. de re iud., quod iussit. Et ecclesia cum errat mutat sententiam, supra, de frig. et malef., fraternitatis; et 35. q. 9, loci § his ita; et 35. q. 9, sententiam; et 35. q. 9, grave; et 22. q. 4, magnae. Et testis potest corrigere suum errorem, supra, de testibus cog., praeterea; supra, de auctor. et usu pal., nisi. Et dicit imperator: non enim erubescimus, si quid melius horum quae prius ipsi diximus, adinveniamus competentem prioribus imponere correctionem ne ab aliis corrigi expectemus, in Auth. de nupt., circa princ. per unam columnam, coll. 4.

Inordinate

14. q. 5, neque enim si agris; et 14. q. 5, forte; et 1. q. 1, non est putanda.

Via regia incedentes

Hoc est a iustitia non declinantes.

Personarum acceptione

Sic supra, de iudic., novit; et supra, de statu monach., ea quae.

In similibus

Ut supra, de translat., inter corporalia; et supra, de re iudic., in causis; et ff. de legib., non possunt.

Exceptis occultis

Quia super his inquisitio fieri non debet, sed super illis tantum de quibus infamia praecessit, infra, de accusat., inquisitionis § 1; et infra, de accusat., qualiter et quando 2. Et si testes de occultis dicant, non puniuntur, ut infra, de accusat., inquisitionis, quia super his non iuraverunt.

Plenam

Cum iurant secundum hanc formam. Secus si iurant respondere ad interrogata tantum, infra, de accusat., cum dilecti.

X 5.01.18 *Cum dilecti*

X 5.01.18 Cum dilecti (rev. 9/23)

Clamorem

2. q. 1, Deus omnipotens; et infra, de accusat., qualiter et quando 2; et 86. dist., si quid vero.

Plenam

Scilicet quod nullum verum tacere debet, 3. q. 9, hortamur.

Meram

Scilicet a falsitate, 2. q. 4, nullam; et 3. q. 9, pura. Et hoc idem debent facere testes, ut notatur supra, de testib., fraternitatis; et supra, de testib., licet ex quadam; et supra, de accusat., qualiter et quando 1, in fi.

Responsionem eorum

Simile supra, de elect., cum dilectus. Creditur ergo istis si confiteantur, quod iuravit ut ad inquisita responderet. Sed si contrarium dixerint, poterit probare contra dictum illorum, ut hic patet, et supra, de testib., cum a nobis. Quia non creditur iudici in praeiudicium alterius, nisi quatenus constat per legitima documenta, supra, de probat., quoniam. Sed contra supra, de elect., cum dilectus. Sed ibi de necessitate statur dicto illorum, quia illa inquisitio per alios probari non poterat, quia soli interrogati fuerint prout hic inferius dicetur.

Valeant retorqueri

Unde in humaniorem partem sunt intelligendae sive interpretandae, infra, de reg. iur., estote; et supra, de transact., ex parte; ff. de regul. iur., semper in dubiis; et ff. de reb. dub., quotiens 2. Tanc.

Ex causa

Causa enim semper consideranda est ex qua causa aliquid sit factum et etiam tempus, supra, de transact., ex parte; et 5. q. 5, non omnis; et infra, de verb. sign., intelligentia; et 23. q. 8, occidit; et ff. de fur., verum. Ber.

Dilapidatione

Episcopus iste propter formam iuramenti tria confessus est contra se: simoniam, dilapidationem et quod habuerat res naufragii. Et contra ista admittuntur eius excusationes. Potuit se excusare de dilapidatione interrogatus utrum alienasset bona ecclesiae, vel utrum obligasset ecclesiam? Respondet quod sic propter formam iuramenti. Contra istam confessionem bene poterat se excusare, scilicet quod debitum imminebat nec aliunde solvere poterat, 10. q. 2, hoc ius. Et ita si propter hanc causam alienavit vel obligavit ecclesiam, non peccavit. Et sic iudicari debet confessio sua ex causa quae bona et licita fuit, et ad malum et ad bonum poterat se habere. Vel aliter etiam si alienavit contra utilitatem ecclesiae, et ipse postea reddidit ecclesiam indemnem, sufficere videbatur supra, de elect., quod sicut, ubi de hoc. Sed illud non sufficit, ut ibi notatur, unde prima excusatio verior est. Interrogatus fuit an habuerit res naufragii. Respondit quod sic, unde videbatur propterea excommunicatus, infra, de rapt., excommunicationi. Et nihilominus furtum committit, ff. de acq. rer. dom., qua ratione § ulti., in fi. Propter hoc erat puniendus. Haec confessio poterat se habere ad bonum, ut

scilicet recolligeret res naufragii ut salvas faceret, et restitueret illis qui passi fuerant naufragium. Et hoc probare volebat cum intentio sua fuisset honesta, quia ad alios pervenissent, qui non restituissent illas. Sed si illas habuisset ut sibi retineret, hoc malum erat. Interrogatus etiam fuerat utrum ordinasset aliquem per simoniam. Respondit quod sic. Contra hoc se excusare volebat, quia aliquos ordinavit per simoniam eo ignorante sed ex post facto hoc scivit, puta praesentator receperat pecuniam ut aliquem faceret ordinari, infra, de simon., ex tuae. In hoc non peccavit, vel potes ponere exemplum infra, de simon., sicut tuis. Ber.

Prima forma
Quae fuit quod meram et plenam diceret veritatem. Et nunc non prosunt illae excusationes, quia tunc se debuit excusare, prout sequitur. Ber.

Posset
Et si verum fuisset quod illas exposuisset coram illis, non valet, cum eas probare non posset. Deficit ergo sibi non ius sed probatio iuris, 32. q. 5, Christiana; et ff. de testam. tut., duo sunt Titii; et ff. de reb. dub., si fuerit legatum; ff. de adimen. leg., si quis § si duobus; et ff. de hered. instit., in tempus § 1. Et est simile supra, de elect., bonae 1. Et est arg. quod testis qui est singularis in dicto suo non probat, ut dicit deceratlis supra, de elect., bonae 1; et supra, de probat., licet. Ber.

X 5.01.19 *Cum oporteat*

Hostibus conversentur
Unde sunt repellendi, quia conversantur cum inimicis et sunt ipsi inimici. De hoc dicitur supra, de accusat., si legitimus, arg. ad hoc; C. de inoffic. testam., liberi; et supra, de accusat., repellantur; et arg. ff. de off. praef. urb., omnia § cum patronus; et 3. q. 5, accusatoribus; et ff. de leg. 3, si incertus § 1. Arg. contra ff. pro soc., nam socii; et 81. dist., legitur; et 3. q. 5, accusatoribus. Et est arg. hic contra aliquem ex inhonesta conversatione.

Consanguineosque
Qui in casu criminali non admittuntur, ut consuevit notari 3. q. 5, consanguinei.

Ad denunciandum
Sed numquid criminosi et infames repelluntur a denunciando? Non videtur, quia quilibet tenetur ad hoc, 2. q. 7, quapropter; et supra, de cognat. spir., tua. Item haereticus admittitur, 24. q. 1, quisquis; et viles personae admittuntur, supra, de spons., praeterea 2; et qualecumque testimonium videtur sufficere, 22. q. 5, hoc videtur. Sed contra videtur quod tantum honestae personae admittuntur, 35. q. 6, episcopus in synodo; et supra, de testibus cog., praeterea; et supra, de spons., cum in tua. Et ad populares actiones non admittuntur personae non integri status, ff. de popul. act., popularis. Credo quod honestae personae tantum debeant admitti ad denunciandum, prout hic infra dicitur. Io. dixit quod infamis persona admittitur, dum tamen non sit criminosa et irregularis. Sed hoc non credo de infami. De hoc nota 2. q. 1, si peccaverit; et supra, de spons., cum in tua; et infra, de accusat., cum dilectus; et 3. q. 5, accusatores et testes. Ber.

Famam ipsius
Hoc ideo dicit, quia non est procedendum ad inquisitionem contra aliquem nisi contra infamatum, infra, de accusat., inquisitionis; et infra, de accusat., qualiter et quando 2, ubi de hac materia explicatur.

Inimicos
Patet hic quod inimici, nec ad prosequendam inquisitionem vel testimonium admittuntur vel ad denunciandum sive accusandum, ut supra, de accusat., si legitimus; et infra, de accusat., cum dilectus. Sed non determinatur quales inimicitiae repellant hic ab inquisitione vel testimonio. Et videtur quod capitales et conspirationes tantum, infra, de simon., per tuas 1; et infra, de accusat., cum dilectus; et Inst. de excusat. § inimicitiae; et Inst. de excusat. § item si propter inimicitias; et ff. de recepti., licet. Quia non quilibet inimicus repellitur, sed ille tantum qui nimia familiaritate coniunctus est, ff. de ver. sig., latae § amicos. Item propter leves inimicitias non extinguitur legatum, ff. de adimen. leg., si quis § non solum, in fi. Sed contra videtur quod propter leves etiam repellantur, quia propter civilem controversiam repellitur quis ab accusatione, supra, de restit. spol., item cum quis. Illae dicuntur graves inimicitiae quae sunt de statu hominis vel de bonis eius, 3. q. 5, accusatores; et arg. opt. supra, de dona., propter; et C. de revoc. donat., generaliter; ff. de excusat., propter litem. Solutio: arbitrio iudicis relinquitur quae inimicitiae repellant in talibus, arg. in Auth de testi. § si vero dicatur, coll. 7; et supra, de accusat., super his; et supra, de offi. deleg., causam matrimonii. Et dicit lex quod non semper repellitur testis propter inimicitias, sed iudex aestimabit an sit ei credendum vel non, ff. de quaest., in criminibus § praeterea inimicorum; et ff. de quaest., in criminibus § quaestionum. Io.

Per viros idoneos
Ex hoc videtur quod si ille impetravit inquisitionem, remotus sit propter aliquam causam, quod alter possit prosequi eandem inquisitionem, arg. ff. de inoffic. testam., posthumus § 1. Non enim refert per quem preces sint oblatae, C. de precib. imper. offer., licet; et C. de precib. imper. offer., universis. Nec refert undecumque crimina claruerint, 24. q. 3, ecce. Item quia iudex hic ex officio suo procedit, unde propter inhabilitatem agentis non impeditur eius officium, quod posset concedi forte ubi ex officio procedit. Sed aliter non audiretur. Sed verius videtur ut dicit Io., quod non possit quia Papa litteras non dedisset ad petitionem illius, si talem se dixisset. Et eadem ratio etiam delegatum movere debet, supra, de rescript., super litteris, in fi. Tanc. dixit quod bene poterat iudex procedere. Io. melius dicit, ut mihi videtur, quod hic procedere possunt non ex vi primarum litterarum, sed secundarum. Ber.

Indicatis
Et ita levia potest leviter indulgere, supra, de accusat., cum dilecti; et ff. de poe., respiciendum, in princ.

X 5.01.20 *Cum dilectus*

X 5.01.21 Inquisitionis (rev. 9/23)

Concubinarios

Sed isti prosequebantur suam iniuriam vel suorum, quare non admittuntur ad denunciandum, cum admitterentur ad accusandum quantumcumque criminosi sint, 4. q. 6, omnibus? Respondeo: non prosequebantur iniuriam propriam, unde cum essent publici concubinarii non erant admittendi ad aliorum peccata denuncianda, cum suspensi etiam sint, 32. dist., praeter § verum. Sed viles personae non admittuntur ad denunciandum, ut saepius dictum est. Sic supra, de accusat., si legitimus; et supra, de spons., cum in tua.

Praemonitum

Qui enim non admonuit, repellitur a denunciatione, infra, de accusat., qualiter et quando 2 § ad corrigendos; et infra, de simon., licet Heli.

Conspirasse

Isti nullatenus sunt admittendi, infra, de simon., per tuas 1; et supra, de re iudic., cum I et A.

Donec causa supradicta

Quia tunc praesumitur quod ex odio procederet et merito possent eum recusare tamquam suspectum, arg. supra, de appell., proposuit; et supra, de appell., ad haec si in. Ber.

X 5.01.21 *Inquisitionis*

Si homicidium

Hic confirmatur quod dici consuevit, quod in nullo occulto crimine impeditur executio post peractam poenitentiam praeterquam in homicidio. Et hoc idem probatur supra, de temp. ord., quaesitum; et in simonia. De hoc notari consuevit, 50. dist., de his. Ber.

In accusationis

Videtur quod in casibus istis denuncians debeat se obligare ad poenam talionis, cum aeque puniantur, supra, de accusat., super his, arg. Sed non credo quod se debeat obligare ad poenam talionis sed ad extraordinariam poenam, sicut excipiens supra, de accusat., super his. Item nec videtur hic habere locum admonitio, quia non potest se corrigere retento benficio si quis vellet denunciare in his casibus contra, infra, de simon., licet Heli, ubi admonitio probata fuit. Item idem est si quis per simoniam adeptus est beneficium sicut et ordinem, ut hic dicit. Signatur contra infra, de simon., dilectus 2, ubi dicitur quod si in modum accusationis convincitur quis de simonia, deponitur. Si in modum inquisitionis convincitur, removetur ab illis ecclesiis, et in arctioribus ponitur ad peragendam poenitentiam, infra, de simon., de regularibus. Et hic puniuntur sicut si directe accusarentur. Quod dicit ita procedendum esse sicut in accusationis iudicio, potest dici verum esse quantum ad hoc ut priventur officio et beneficio, non tamen quantum ad depositionem, quia depositio non est effectus inquisitionis, sed privatio administrationis vel beneficii, infra, de accusat., qualiter et quando 2; infra, de simon., per tuas 1. Unde illud, sicut, non notat omnimodam similitudinem, quia nullus debet puniri certa poena nisi ad hoc actum sit, supra, de ord. cognit., cum dilectus. Et secundum formam iudicii formari debet sententia, infra, de simon., licet Heli. Et hoc intellige quod hic dicitur de saecularibus. Contraria loquuntur de regularibus circa quos servatur quod

hic dicitur, infra, de simon., quoniam. Vel posset dici quod etiam per inquisitionem deponuntur saeculares propter enormitatem criminis, ut haec littera velle videtur, supra, de dolo et contu., veritatis, ubi deponitur episcopus in modum inquisitionis cui probatum fuit homicidium in modum denunciationis. De regularibus fiat prout dicitur in illa constitutione ubi dicetur de hoc. Ber.

Alioquin

Id est, si aliud crimen ab istis duobus sit probatum in modum inquisitionis quod non impediat ordinis executionem, etiam post peractam poenitentiam, tunc procedat iudex secundum quod sibi videbitur, sed non in officio vel beneficio, cum in aliis duobus casibus non puniantur in plus, ut dixit Io. in proxima notula. Regulares tamen praelati bene removerentur, qui pro modicis causis removentur ab administratione, infra, de simon., per tuas 1. Ber.

Secreto

Exemplo Danielis. Arg. ad hoc C. de testament., nullum; et simile supra, de elect., quia propter. Et est expressum quod sigillatim sunt testes examinandi, supra, de testib., venerabili. Ber.

Solummodo super illis

Ex hoc habes quod de occultis non est inquirendum nec super illis iuratur, supra, de accusat., qualiter et quando 1. Unde si dicant testes super his, non valent talia dicta utpote non iurati, ut supra, de testib., de testibus, quia ad hoc non inducuntur. Simile ff. de iureiuran., si duo § item Iulianus. Fama ergo alicuius prius laesa debet esse, supra, de accusat., cum oporteat; et infra, de accusat., qualiter et quando 2. Ber.

In occulto

Immo tales sunt puniendi, 5. q. 1, quidam. Et deteriores sunt tales quam illi qui substantias et praedia aliorum diripiunt, 6. q. 1, deteriores; et 6. q. 1, ex merito; et illud detrahentem secreto proximo suo, hunc persequebar, 23. q. 4, nimium sunt; et 23. q. 4, qui peccat. Ber.

Inimicos se asserunt

Iudex enim debent interrogare testem an sit inimicus alteri parti, ut 4. q. 3, si testes § item testium. Quia inimici testes esse non debent, supra, de accusat., cum oporteat, ubi de hoc. Sed numquid debet inquiri an alias sit criminosus? De hoc nota supra, de testib., cum causam quae. Ber.

Praesumantur

Quia forte nollent ferre testimonium, et ideo ante iuramentum dicunt se esse inimicos illorum. Quid si post iuramentum dicat se esse criminosum vel alias inimicum, credetur ei? Certe non. Immo removebitur sicut ordinandus qui confitet crimen in scrutinio, supra, de aetat. et qualit., quaeris. Ber.

Depositionis

Id est, remotionis ab officio et beneficio.

Dicta paucorum
Nota quod dicta paucorum non infamant, sive non inducunt famam. Unde praelatus propter hoc non movebitur ad inquirendum. Fama enim debet esse per villam sive parochiam ad hoc ut fiat inquisitio, infra, de accusat., qualiter et quando 2; et 2. q. 1, Deus omnipotens. Sed quot appellabis paucos, ut non dicatur infamatus? Pauci dicuntur quadraginta, infra, de cleri. excom., latores. Et viginti tres millia dicuntur pauci, 45. dist., disciplina. Credo quod maior pars viciniae requiratur, quia fama loci requiritur non fama aliquorum, supra, de praesump., illud; et supra, de cons. et affin., super eo; ut ex hoc scandalum generetur et hoc innuitur, infra, de accusat., qualiter et quando 2. Io.

X 5.01.22 *Ad petitionem*

Nec reclamante
Per hoc videbatur recesisse a beneficio litterarum, consentiendo inquisitioni legati tacite renunciando, supra, de offi. deleg., gratum; et supra, de appell., sollicitudinem; ff. de recepti., sed si in servum, in fi.; cum lege ff. de recepti., litigatores; et ff. de recepti., si quis rem; C. commun. utrius. iud., etiam si; et C. de his qui a non dom. man., si non a dominis, in fi. Sed contra videtur quod non consentit in iudicem qui petit inducias vel causam absentiae allegat coram ipso, supra, ut lite non cont., ad hoc; et supra, ut lite non cont., accedens 2. Vel qui postulat sibi edi genus actionis, ff. de iud., non videtur. Et praeterea legatus generalis non potest se intromittere generaliter de causa specialiter alteri commissa, supra, de offi. legat., studuisti. Unde non valuit quod fecit iste legatus, quare cassatur electus auctoritate ipsius. Et est hic arg. quod qui tacet non consentit, ff. de servitu. urb. praed., inuitum; et 27. dist., diaconus; et 28. dist., diaconi. Io.

Facta fides
Nota quod probationes factae coram eo qui non est iudex faciunt fidem in alio iudicio, ut hic patet, 2. q. 1, in primis; et 3. q. 6, haec quippe; et supra, de testib., praesentata. Contra illud supra, de iudic., at si clerici. Item habes hic quod sententia quae nulla est ipso iure rata potest haberi a principe, ut hic patet, et in capitulis praedictis. Sed hoc propter plenitudinem potestatis, quia ipse mutat substantiam rei, C. de rei uxor. act., rem, in princ. Alias talis sententia nulla erat. Io. Vel dic quod non propter acta quae habita sunt coram legato, voluit Papa ipsum manere privatum, quia nulla erant. Sed Papae fuit facta fides de talibus propter quae sententiam legati voluit ratam habere, ut haec littera innuit. Ber.

Et si restituendus
Hic enim de iure fuerat restituendus propter iudiciarum ordinem non servatum, sed Papa de officio suae potestatis voluit eum manere privatum. Et forte propter scandalum restitutio quandoque differtur, ut dici consuevit, 3. q. 6, haec quippe; et ut factum legati palliaret. Contrarium tamen signatur supra, de accusat., qualiter et quando 1. Dicit Papa quod ordo iuris qui servatus non fuit, corrigatur. Io.

X 5.01.23 Accedens (rev. 9/23)

Non servatum

Nota quod in inquisitionibus servandus est ordo iuris, infra, de accusat., qualiter et quando 2 § debet; sicut in aliis iudiciis ordinariis. Sed hoc est verum circa saeculares. Secus in regularibus ubi non usquequaque servatur, infra, de accusat., qualiter et quando 2, in fi. Quia de plano et sine strepitu iudiciorum debet cum eis procedi, infra, de accusat., olim. Sed hic peccatum fuit in alio ordine, scilicet in iudice qui cognoscere non debuit, supra, de offi. legat., studuisti § de offi. legat., studuisti. Ber.

Providemus

De plenitudine potestatis sed non de iure. Ber.

Inordinate

Id est, per eum ad quem non spectabat, cum dictus G. non consenserit in legatum.

Per consequentiam

Sic ergo sententia lata contra unum praeiudicat alii consocio propter connexitatem negotiorum. Simile 81. dist., tantis; et 3. q. 6, haec quippe. Et simile 59. dist., ordinatos; et 7. q. 1, praesentium; arg. supra, de appell., una. Simile supra, de probat., per tuas, ubi per primum praesumitur consequens. Arg. contra supra, de praeben., dilecto.

Amovimus

Quasi quadam brevi manu. Simile supra, de caus. poss. et propr., cum ecclesia; et ff. de iure dot., licet § quotiens; eo prius citato, alias non procederetur contra abbatem. Ber.

X 5.01.23 *Accedens*

Publice

Hic videtur quod si aliqua exceptio obiiciatur electo, quod differenda sit donec electus admissus fuerit nisi ipse sit de ea publice infamatus, arg. supra, de appell., constitutus, in fi.; C. ad leg. Corn. de fals., satis aperte; et C. de edict. div. Had. toll., quamvis. Arg. contra supra, de accusat., omnipotens; 81. dist., tantis; et C. de procur., reum. Solutio: sed in electo si obiiciatur exceptio, statim est audienda antequam confirmetur. Sed hic alia ratio est, quia iam fuerat institutus per dominum Papam, nec deerat sibi nisi sola possessio. Unde mitti debet in possessionem, nisi esset publice infamatus, propter quod differtur, quia etiam si iam esset in possessione, propter tantam infamiam et scandalum, deberet suspendi usque ad purgationem, 2. q. 5, presbyter si a plebe; et 2. q. 5, si mala fama. Sed ubi non est infamatus, non debet differri executio, secus in his qui adhuc non habent plenum ius.

Indicatis

Ut infamia expurgetur.

In expensis

Qui enim exceptionem opponit, fundata intentione actoris, et eam non probat, punitur in expensis, ut hic, et supra, de dolo et contu., finem, ubi de hoc; et supra, de maior. et obed., humilis; quia malitiose eam videtur opponere. Ber.

X 5.01.24 *Qualiter et quando*

Ad inquirendum

Videamus qualiter et quando praelatus procedere debeat ad inquisitionem faciendam et quali poena sit puniendus qui convincitur in modum inquisitionis. Tunc autem debet praelatus procedere ad inquirendum, cum famam et frequentem clamorem intelligit de excessibus alicuius seu etiam aliquorum, prout patet ex tenore istius constitutionis, et quod sit infamatus non a malevolis et inimicis sed a bonis et discretis, ut hic dicit, et infra, de purg. can., cum in iuventute; et 11. q. 3, in cunctis. Et tunc distingue, quia aut procedit ex officio suo, aut aliquo postulante inquisitionem. Si ex officio suo, tunc praelatus cum aliquibus de canonicis suis debet descendere ad locum, 2. q. 1, Deus omnipotens; et 86. dist., si quid vero. Quia ibi potest melius inquiri, 24. q. 1, pudenda; 23. dist., illud; et supra, de elect., postquam; et 23. q. 1, paratus, vers. eum procul dubio qui in eodem populo creverat etc. Et recipere iuramenta praelati et clericorum super statu ecclesiae, cum ecclesia est infamata vel etiam cum praelatus, ut supra, de accusat., cum dilecti; secundum illam formam supra, de accusat., qualiter et quando 1 § formam. Et sic recipiat dicta illorum. Et ille contra quem fit inquisitio debet esse praesens et omnes contra quod proceditur, nisi per contumaciam se absentent, et ea quae obiiciuntur et nomina testium sunt illi exponenda, ut infra § debet; et 5. q. 2, si primates. Item si ille contra quem fit inquisitio habet iudicem suspectum, potest illum recusare, ut supra, de appell., cum speciali; et infra vers. non ex odii fomite. Vel quod iudex sit criminosus, arg. 3. q. 7, iudicet; et 25. dist., primum; et 26. dist., una tantum. Et contra testes excipere potest, ut in § debet. Et si testes dicant super his de quibus infamia non praecessit, non valent, supra, de accusat., inquisitionis § 1. Crimine vero sic probato si praelatus est, debet removeri ab administratione secundum quod vilicus a villicatione removetur, ut infra dicitur. Alii vero puniuntur secundum arbitrium iudicis, secundum personae meritum et qualitatem excessus, nisi tale crimen probatum fuerit quod post poenitentiam peractam impediat ordinis executionem, ut homicidium et simonia. Tunc procedendum est ac si in modum accusationis directe probatum fuisset crimen, ut supra, de accusat., inquisitionis, 1. resp., et ibi dicitur. Qualiter puniuntur de homicidio habes supra, de temp. ord., quaesitum. De poena regularium propter simoniam commissam ab eis, dic ut infra, de simon., dilectus 2; et infra, de simon., quoniam, ubi dicitur qualiter contra eos procedatur. Si vero probatum non fuerit et mala fama perdurat, purgationem indicat iudex infamato secundum qualitatem personae et quantitatem infamiae; in quasi defecerit, puniatur, infra, de simon., de hoc; et infra, de simon., insinuatum; et infra, de purg. can., cum P. Si vero infamatus contumax fuerit et non comparet, iudex nihilominus contra eum testes recipiat lite non contestata et eum puniat, ut supra, ut lite non cont., quoniam § sunt et alii; et infra § debet. Quales testes recipi debeant dictum est supra, de accusat., cum oporteat. Quales debeant esse qui recipiuntur in simonia contra regulares dicitur infra, de simon., per tuas 1. Si vero procedat iudex ad petitionem alicuius procurantis inquisitionem, sive sit ordinarius sive delegatus, ad locum accedat si potest, et vocet illum contra quem procedere debet. Et tunc recipiat testes quos ille producet qui impetravit inquisitionem. Tamen si ille negaret infamiam praecessisse, cognoscet primo iudex utrum sit infamatus, et postea procedet super his quae denunciata sunt, alias non procedat nisi primo constet quod infamatus sit, supra, de accusat., cum oporteat; et supra,

X 5.01.24 Qualiter et quando (rev. 9/23)

de accusat., qualiter et quando 1. Et si actor probet illum esse infamatum, reus potest probare quod sit bonae famae, arg. infra, de purg. can., cum in iuventute; cum potius sit privilegium bonae famae quam infamiae, arg. supra, de accusat., licet, in fi. Si vero crimen probetur, puniatur, ut supra dictum est. Si autem non probavit, puniri debet, qui impetravit inquisitionem, ut infra, de calumniat., cum dilectus. Et ita idem est quantum ad poenam quando proceditur ad petitionem alicuius prosequentis inquisitionem, sicut quando proceditur per officium iudicis ad famam vel clamorem. Et cum proceditur ad denunciationem alicuius prosequentis inquisitionem, non credo necessariam admonitionem, quia non agitur ad poenitentiam, in quo casu necessaria est admonitio secundum formam Evangelii. Sed in praedictis duobus casibus agitur ad poenam ut praedictum est, et aliter formatur petitio denunciationis cum agitur ad poenam, et aliter cum denunciatur ad poenitentiam, quia tunc agitur ad poenitentiam peragendam non ad poenam imponendam officii vel beneficii. Et sic intelligitur finis illius glossae infra quae incipit sic, infra, de simon., licet Heli; de hoc notatur in glossa praedicta. Item numquid reus potest petere a iudice ut reinquireret contra illum qui impetravit inquisitionem, sicut contingit in aliis iudiciis ubi admititur reconventio, supra, de mut. petit., per totum? Dicas quod non, quia inquisitio iudicis officio expeditur, non iure actionis. Sic nec renunciatio aut reaccusatio, quia tunc praesumitur quod ex odio hoc fiat, ut supra, de accusat., cum P; et 3. q. 5, accusatores et testes; et non relatione criminis, sed innocentia reus purgatur, ff. de public. iud., is qui. Item testes compelli possunt ad probandum inquisitionem, supra, de testibus cog., super his. Licet in iudiciis ordinariis compelli non debeant in criminibus, si qua principaliter vel incidenter obiiciantur, ut supra, de testibus cog., dilectorum, ubi de hoc. Dic ut ibi notatur in fine notulae. Item et illud potest facere praelatus, cum infamia contra aliquem ad ipsum pervenit, ut praefigat terminum volentibus accusare, ut si aliquis apparuerit accusator, audiat illum et procedat legitime in accusatione, supra, de accusat., accedens; et 15. q. 5, de crimine; infra, de purg. can., ex tuarum. Si autem non apparuerit, tunc potest procedere ad inquirendum, ut supra dicitur. Vel indicere purgationem in qua si defecerit, puniatur, ut supra, de accusat., accedens. Sed melius est quod inquirat, quia periculosum est accusare, quia de facili nullus accusaret. Quid si aliquis alterius diocesis vel de alia parochia hoc tacito impetret inquisitionem vel denunciet, numquid debet audiri, cum ipsius non intersit? Praesumitur quod non caritative denunciet vel impetret inquisitionem. Unde credo illum repellendum, arg. supra, de testib., ex parte, in verbo illo, tacito quod miles fuerit, etc. Ber.

Distinximus

In parte decisa ab illa decretalis, supra, de accusat., qualiter et quando 1, cuius verba hic ponuntur usque ad § debet. Ber.

Redde rationem

Sed qualiter debet rationem reddere praelatus administrationis suae? Praelatus enim debet reddere ratione suae administrationis tamquam tutor, C. de iud., licet; quia comparatur tutori et procurator est, non dominus, supra, de dolo et contu., ex litteris; et 12. q. 1, dilectissimis. Potest dici quod staretur suo iuramento, si aliter non potest reddere rationem, arg. C. de dolo mal., si maior; et C. und. vi, si quando; 2. q. 1, in primis, vers. gloriosus vero; et supra, de his quae vi met. caus. fi., super eo. Ber.

X 5.01.24 Qualiter et quando (rev. 9/23)

Et famam

Arg. famam nihil per se probare, 35. q. 6, si duo; supra, de eo qui cog. consang., super eo. Arg. contra supra, de praesump., illud; et supra, de cons. et affin., super eo; et 4. q. 3, si testes § item saepe.

A malevolis

11. q. 3, in cunctis. Si hoc constaret quod a talibus esset orta, alias difficile est probare famam ortam esse a talibus, cum fama ab incerto auctore procedat, de conse. dist. 4, sanctum est. Unde satis potest dici quod indicenda est purgatio undecumque procedat infamia saltem propter scandalum, arg. infra, de purg. can., accedens. Ber.

Concussis columnis

12. q. 2, gloria episcopi; et 2. q. 7, accusatio 1.

Morbum utrumque

Unus morbus est quando falso vel malitiose accusantur. Contra hunc remedium medicinale est insciptio, infra eodem capitulo, vers 1. Alter morbus est quando delinquunt insolenter. Contra hunc remedium medicinale est inquisitio, infra eodem capitulo, vers. 2. Host.

Praecedat inscriptio

Sic supra, de accusat., super his; et infra, de simon., licet Heli.

Praesens is contra quem

Ex hoc § colligitur manifeste quod ordo iuris servandus est in inquisitione facienda, supra, de accusat., ad petitionem. Sed hoc verum est circa saeculare; circa regulares non est usquequaque servandus, ut dicit in fi.

Leve compendium

Id est, perversum et praecipitatum iudicium levis iudicis, quia forte vult breviare lites.

Ad grave dispendium

Id est, ad poenam auctoritate talis processus inflictam.

Forma

Sic infra, de simon., licet Heli. Forma ista triplex est, cum proceditur accusando, denunciando, et inquirendo, ut si agatur in modum accusationis et probatur crimen, deponatur reus, quia hic est effectus accusationis, ut supra dicit in verbo, et criminalis accusatio, quae ad diminutionem capitis, id est, degradationem intenditur. Cum agitur per inquisitionem alia poena imponitur, ut dictum est in illa notula magna ibi: crimine vero probato. Unde videtur scilicet per hanc litteram quod si per inquisitionem probetur simonia vel homicidium quod non deponatur, quia ad hoc non est actum, supra, de ord. cognit., cum dilectus. Arg. contra supra, de accusat., inquisitionis, 1. resp., ubi de hoc; et supra, de dolo et contu., veritatis; dic ut ibi. Cum vero proceditur per denunciationem, nisi in praedictis duobus casibus ad poenitentiam agitur peragendam, tunc in praedictis duobus casibus etiam punitur, sicut cum agitur per accusationem vel inquisitionem, ut

dicto capitulo supra, de dolo et contu., veritatis. Sed cum agitur per denunciationem, tunc in praedictis casibus non est necessaria admonitio, supra, de accusat., cum dilectus. In aliis vero casibus cum agitur per inquisitionem vel accusationem, punitur ad arbitrium iudicis, arg. supra, de accusat., inquisitionis, 1. resp., in fi.; et infra, de accusat., praelatorum; et arg. infra, de calumniat., cum dilectus. Denunciatio vero regulariter fit ad poenitentiam peragendam. Et eius effectus sive finis est poenitentiae impositio, et tunc necessaria est caritativa admonitio, ut hic dicit; et supra, de accusat., cum dilectus; et supra, de accusat., si quis; alias repellitur denunciatior, ut ibi dicitur.

Facilius
Infra, de simon., per tuas 1, circa fi. Notare potes hic argumentum quod dignior est coetus clericorum quam coetus monachorum, ut 16. q. 1, legi. Ber.

X 5.01.25 *Sicut olim*

Institutum
18. dist., quoniam.

Celebrare
Sic et abbates et priores abbates proprios non habentes de triennio in triennium celebrant capitula sua, supra, de statu monach., in singulis; et supra, de statu monach., ea quae.

Statuant
Isti erunt quasi testes synodales, sic supra, de testibus cog., praeterea; simile 35. q. 6, episcopus in synodo. Et debent esse de eodem episcopatu, honesti et discreti, quia tales melius possunt investigare veritatem quam extranei, arg. supra, de testib., veniens 2, in fi.; et 35. q. 6, consanguineos; et 35. q. 6, notificamus; supra, qui matrim. acc. poss., videtur. Et isti appellantur visitatores qui debent circuire totam parochiam de villa in villam, ut 80. dist., non debere; unde hoc sumptum videtur. Et illi procurabantur per parochias ad quas accedunt, quia suis stipendiis hoc facere non debent, supra, de praescrip., cum ex officii; et 28. q. 1, iam nunc, in fi.; et 12. q. 2, caritatem. Et officium suum non debet eis esse damnosum, arg. 4. q. 3, si testes § venturis. Arg. contra quod episcopus debeat eos procurare habes supra, de offi. ord., inter caetera; et 23. q. 1, militare. Prioribus concordantiis credo standum, moderatos tamen sumptus petent. Io.

Absque ulla iurisdictione
Si isti non habent iurisdictionem. Ergo non possunt aliquos cogere vel citare ut veniant vel respondeant, immo possunt eis dicere: ingressus es ut advena, numquid ut iudices nos, 3. q. 6, leges? Item videtur quod debeant esse iurati, 35. q. 6, episcopus in synodo. Sed sufficit quod sint honestae personae, quibus merito sit credendum super his quae referunt in concilio provinciali. Item quare prius denunciatur hoc metropolitano quam episcopo, cum prius deberet denunciari episcopo quam archidiacono, 25. dist., perlectis. Demum si episcopus esset negligens, archiepiscopo, 9. q. 3, cum simus; et 9. q. 3, conquestus. Et per hoc ecclesiasticus ordo confunditur, si sua iurisdictio episcopo non servatur, 11. q. 1, pervenit, in fi. Dicas quod isti inquisitores solam famam referunt metropolitano secundum quod intelligunt, et inquirunt sine aliqua iurisdictione ut per alios ad

denunciationem ipsorum possit visitare provinciam, quia ex hoc apparet episcopus negligens. Tamen si episcopus vellet corrigere illos excessus, non perderet suam iurisdictionem nisi tunc demum cum negligens apparet, 9. q. 3, cum simus § ulti. Et eo ipso quos haec referuntur metropolitano, apparet quod multa sunt apud eos episcopos quae egent correctione, 18. dist., pervenit. Unde videtur esse diminuta iurisdictio metropolitanorum in hoc quod olim poterant descendere et inquirere an episcopi essent negligentes, non ut statim inquirerent de criminibus, nisi postquam constaret de negligentia. Sic potest intelligi, supra, de censib., sopitae; et supra, de censib., extravag. Romana; et supra, de praescrip., cum ex officii. Hodie vero non possunt nisi primo eis per alios referatur secundum quod hic innuitur. Alias superflua et onerosa fuisset ista constitutio, et istis inquisitoribus minus creditur quam aliis officialibus, quia aliis creditur quamdiu contrarium probetur, 4. q. 4, nullus § aliquando; ff. de off. praef. urb., omnia § quies; supra, de appell., cum parati; arg. ff. de reb. eorum qui sub tut., magis § illud; ff. de cust. reo., divus. Hoc ideo quia isti famam solam referunt, nec sunt iurati. Sed illi iurati sunt et famam non referunt, sed ipsum factum. Et isti inquisitores non debent amittere officium suum, quamvis praelati inquirant, corrigant et reforment, ut referant metropolitano an oporteat ipsum supplere negligentiam episcoporum. Alias nesciret et ita non impediretur eorum inquisitio propter factum episcoporum. Io.

X 5.01.26 *Olim*

Relaxatis
Ut si oportuerit, possint ferre testimonium in negotio inquisitionis, cum per eos melius quam per alios possit inquiri veritas, supra, de testib., veniens 2; dum tamen ex alia causa repelli non possint, infra, de simon., per tuas 1; et supra, de re iudic., cum I et A.

Post incoeptum negotium
Nota quod lite pendente non est aliquid innovandum, supra, ut lite penden., a memoria; et supra, ut lite penden., per totum; et supra, de iure patron., ex litteris; arg. 16. q. 4, volumus. Item est arg. quod causa coepta inter praelatum et subditum suspensa est iurisdictio praelati ac si esset appellatum ab eo, supra, de accusat., cum dilectus. Et totum iudicium suum ad maiorem delatum est iudicem. Unde facit iniuriam iudici sub quo eorum commune negotium pendet, arg. 2. q. 1, nomen. Et iudex totum debet revocare si quid faciat in eis, ut hic videtur, cum ex odio videatur procedere negotio coepto. Arg. contra 8. q. 4, nonne, ubi dicit quod usque ad finem causae non possunt recedere a sua iurisdictione, ut ibi dicit. Arg. 15. q. 8, sciscitantibus, in fi., et obedientiam exhibere, ut dicitur. Et si non faciant per iudicem compellantur, ut infra dicitur, vers. proviso etc. Ipse autem compellere eos non debet. Si tamen iudices in hoc essent negligentes, ipsemet praelatus potest excommunicare si non obedirent vel alias excederent, arg. supra, de offi. ord., significavit; et supra, de offi. deleg., prudentiam § sexta, in fi. Alias solveretur obedientia, quod non esse debet. Ex eo quod dicit infra, contra iustitiam spoliavit, videtur a contrario, quod si iusta causa subsit quod eos punire possit, quod credo. Honestum tamen esset si per iudices hoc fieret, et quod dicit, relaxetis etc., praemisit causam ne reformatio monasterii retardetur, ut possint ferre testimonium, supra, de testib., veniens 2.

X 5.01.27 Praelatorum excessus (rev. 9/23)

Adhaerentes

Arg. quod idem iuris est in accessorio quod in principali, ut supra, de offi. deleg., prudentiam, vers. fi., ubi de hoc; et sublato principali et accessorium et quae adhaerent religiosis, religiosa sunt, ff. de rei vend., quae religiosis.

De plano et absque iudiciorum

Sic supra, de statu monach., ea quae. Et ita ordo iudicarius non videtur usquequaque servandus circa regulares, ut supra, de accusat., qualiter et quando 2, in fi. Quia de facili removentur ab administrationibus, ut ibi, et infra, de simon., per tuas 1. Quasi summaria cognitio videtur sufficere ex eo quod dicit: de plano. Sed in aliis non de plano sed magis iudice sedente pro tribunali, 2. q. 3, si quem § praevaricator, vers. abolitio; et 3. q. 3, induciae § spatium, vers. a iudice. Et manifestis probationibus, 5. q. 6, Epiphanium; C. de probation., sciant.

De tacenda veritate

Hoc ipso quod hoc fecerat suspectus erat abbas et talia iuramenta non tenent, supra, de testib., constitutis 1. Et merito talia iuramenta relaxanda sunt ut veritas reveletur. Simile supra, de testibus cog., venerabilis. Et sine peccato servari non possunt, quia celare veritatem mortale est peccatum, 11. q. 3, quisquis; et infra, de crim. falsi, falsidicus. Expedit enim peccata nocentium nota esse, ff. de iureiuran., eum qui § 1.

Copiam dari faciatis

Supra, de accusat., qualiter et quando 2 § debet. Et est hoc notabile contra quosdam qui non faciunt copiam dictorum, et supprimunt testium nomina a quibus iuste posset appellari, licet dicatur quod non usquequaque servari debet ordo iuris, tamen in hoc bene servari debet. Ber.

De bonis

Supra, de accusat., ex parte, ubi de hoc. Ber.

X 5.01.27 *Praelatorum excessus*

Adhibeatur remedium

Simile, quia nisi iustitia conatus cupiditatis reprimeret, ius litigatorum extingueretur, supra, in constitutione Gregorii ix, rex pacificus.

Prodigus

Simile supra, in constitutione Gregorii ix, rex pacificus.

Personaliter

In casu isto inquisitores non possent aliis committere vices suas. De hoc habes supra, de offi. deleg., quoniam Apostolica.

Pro meritis recepturus

Ut poena docente agnoscat qualiter ipse excesserat in praemissis; simile 27. q. 1, si homo esses; et 27. q. 1, si custos; et supra, de offi. legat., nisi specialis; ut sapiens sit in poena

qui stultus fuit in culpa, 38. dist., qui ea. Et quod Dei timor a malo non revocat etc., supra, de elect., cum in cunctis; et supra, de vit. et honest. cler., ut clericorum. Et necesse est ut ferro abscindantur, etc., 82. dist., plurimos. Ber.

Vendendi
Nota quod licet aliquis denuncietur sive accusetur ut suspectus de dilapidatione, non debet statim removeri, infra, de simon., licet Heli. Sed interdici debet eidem omne genus alienandi, ut hic patet, et supra, de offi. deleg., venerabili, ubi de hoc. Immo ei dabitur interim coadiutor sine cuius consilio nihil faciet si suspectus est, ut ibi dicitur. Ber.

X 5.02 DE CALUMNIATORIBUS

X 5.02.01 *Cum fortius*

Insontibus
23. q. 5, si non licet; et 17. q. 4, sicut qui.

Maxime sacratis
Arg. quod ex persona aggravatur iniuria, Inst. de iniuri. § atrox; ff. de iniuri., praetor; et infra, de sent. excom., cum illorum. Et qui praeposito suo manus intulerit, capite punitur. Et augetur crimen dignitate praepositi, ff. de re milit., omne delictum § 1; et ius publicum offenditur, 1. dist., ius publicum. Unde qui laedunt sacerdotes tamquam pro publico crimine puniuntur, 2. q. 1, in primis, circa fi.

Culpabiles
Ergo iudex qui non punit deficientem in accusatione peccat, et culpam contrahit, cum puniri debeat poena talionis, 2. q. 3, si quis circa. Haec decretalis competentius poneretur in praecedenti titulo, sicut erat in antiqua compilatione.

Resedistis
Ut iudices.

Privari officio
Sed videtur quod hoc contra ius factum esse ex quo enim statim non fuit de calumnia condemnatus, non debet postea condemnari nisi contra eum iterum inscribatur, C. de iureiuran., in omnibus. Potest dici quod speciale est et factum principis ad consequentiam trahi non debet, Inst. de iure natural. § plane. Vel forte iudices condemnarunt eum sed poenam non imposuerunt. Vel verius videtur quod causa exempli hoc factum sit, ne alii inde sumant exemplum. Et praeterea negligentia iudicum non debet ei prodesse, ut remaneat calumnia impunita.

Verberibus
In supplementum poenae, 5. q. 6, quia iuxta.

X 5.02.02 Cum dilectus (rev. 9/23)

In exilium
Quam poenam ecclesia imponit, 50. dist., accedens; arg. 63. dist., in synodo; et 17. q. 4, attendendum. Ber.

X 5.02.02 *Cum dilectus*

Nunciasset
Cum ad denunciationem alicuius Papa committit inquisitionem, non procedit iudex nisi denuncians probet legitimam admonitionem praecessisse, infra, de simon., licet Heli.

Calumniandi
Sic patet quod si denuncians non probat quod intendit, calumniari praesumitur sicut in accusatore, 2. q. 3, qui non probaverit; C. de advoc. div. iud., si patronum. Sed qualiter probabitur quod non calumniose denunciavit? Videtur quod per iuramentum probari posset, ut hic colligitur; arg. supra, de testib., praesentium; et supra, de except., pastoralis. Et improprie hic dicitur calumnia, quia calumniator punitur similitudine supplicii, 2. q. 8, quisquis; et 2. q. 8, qui crimen; et supra, de accusat., super his; et supra, de accusat., qualiter et quando 2. Poena ergo illius qui denunciat, si non probat, erit suspenso officii et beneficii ut hic patet, donec se purgaverit. Et huiusmodi purgatio praestabitur ad arbitrium iudicis ex quo hic non determinatur, supra, de offi. deleg., de causis § illis etiam. Et praeterea cum purgationes hodie arbitrariae sunt, supra, de accusat., inquisitionis, in fi.

Simili poena
Haec etiam est causa quare puniuntur, ut alii non sumant inde exemplum infamandi praelatos suos. Et ita poena unius est metus alterius, 2. q. 7, quapropter; ff. de poe., capitalium § famosos; supra, de offi. ord., irrefragabili. Ber.

X 5.03 DE SIMONIA ET NE ALIQUID PRO SPIRITUALIBUS EXIGATUR VEL PROMITTATUR

X 5.03.01 *In ordinando*

Imponit
Hoc sumptum fuit ex illo canone 1. q. 2, sicut episcopum.

Minister
Id est, archidiaconus qui examinat promovendos, supra, de offi. archidiac., ad haec, circa fi.

Vendere
Verbum vendere non continet gratuitum contractum, quia venditio non procedit sine pretio, ff. de contrah. empt., inter patrem § sine pretio; et C. de contrah. empt., empti fides; Inst. de emp. et ven. § pretium. Sed quare notarius non potest vendere operas suas vel chartam, cum de suo nemo beneficium facere compellatur, 10. q. 2, precariae 1. Dicunt quidam quod hoc obtinet ubi notarius percipit salarium de publico. Laur. dicit

quod etiam si nihil percipiat de publico, nihil potest recipere pro tali scriptura, quia simoniam committeret. Et est speciale in odium simoniae, ne fraus posset procurari. Ex pacto enim nihil accipere debet, sed si gratis et sponte aliquid offeratur et sine omni intentione ab initio ad hoc accessit, non credo quod peccaret notarius laicus, arg. infra, de simon., cum sit Romana; et est expressum 1. q. 2, sicut episcopum.

Pastellis
1. q. 3, si quis obiecerit. Ne in fraudem aliquid fiat non obstante aliqua consuetudine, 1. q. 1, emendari; et infra, de simon., Iacobus. Vincen.

X 5.03.02 *Qui alium*

Expulerit
Dupliciter enim peccat in dando pecuniam, et quia locum viventis occupat, arg. infra, de simon., nemo; 7. q. 1, eum; et supra, de concess. praeben., qui in vivorum. Ber.

X 5.03.03 *Si dominus*

Uni
Scilicet Iudaeo sceleratissimo, cum dixit: si enim male locutus sum etc., 2. q. 7, nos si § ecce.

Non igitur
Arg. hic a minori quasi diceret: si Iudaeus qui malus est admittitur ad testimonium contra Dominum, multo fortius catholicus admittitur, ut veritatem asserat contra simoniacam pravitatem. Simile arg. supra, de elect., cum in cunctis, in princ. Ber.

Catholicus
Arg. quod quilibet catholicus admittitur ad testimonium contra simoniacum nulla distinctione facta, arg. infra, de simon., tanta. Dic ut supra, de accusat., cum P. Ergo a contrario sensu haereticus vel paganus non admittitur, quod verum est.

Exorandus
Simile 79. dist., si quis Papa, ex eo quod dicit, exorandus. Est arg. quod testes in criminalibus non compelluntur, supra, de testibus cog., dilectorum, ubi de hoc. Ber.

X 5.03.04 *Accusatum*

Solemnia
Capitulum hoc et sequens intellige de eo qui erat publice infamatus. Alias non deberet suspendi, 2. q. 5, presbyter si a plebe; et 2. q. 5, si mala fama. Sed nonne erant isti suspensi ipso iure quare suspenduntur, infra, de simon., tanta; et 32. dist., praeter § verum, in fi.; et 1. q. 1, quibusdam; et 1. q. 1, reperiuntur? Respondetur: de facto suspenduntur cum ipso iure sint suspensi. Simoniacus enim in ordine, quantumcumque sit occultus, est ipso iure suspensus, nec potest missam cantare, infra, de simon., tanta. Quoniam ipsum charactarem habet vitiosum, in quo casu loquuntur haec duo capitula.

X 5.03.05 Quotiens (rev. 9/23)

Unde cum essent isti super hoc infamati merito ipso facto debuerunt suspendi. Si vero occultum esset, licet sit suspensus quo ad se, sicut quilibet in peccato mortali constitutus, supra, de cohab. cler. et mul., quaesitum; et 1. q. 1, sacerdotes. Non tamen quo ad alios est suspensus, arg. infra, de simon., Matthaeus; et infra, de simon., ex tuae. Ber.

X 5.03.05 *Quotiens*

Pervenit

Per famam scilicet, et ideo de hoc voluit inquirere, quia praelatorum est inquirere de excessibus subditorum, supra, de offi. ord., perniciosa; infra, de collus., crimina; 11. q. 3, praecipue. Alioquin eis imputatur, 43. dist., Ephesiis. Ber.

X 5.03.06 *Sicut simoniaca*

Vincit

Quia respectu eius caetera crimina pro nihilo reputantur, 1. q. 7, patet; et arg. infra, de simon., tanta. Arg. contra 32. q. 7, quid in omnibus. Sed ibi solvitur quod dicit ibi, gravius, id est, communius, et supra, de accusat., inquisitionis, ubi aequiparantur homicidium et simonia quo ad poenam. Horribilius est tamen homicidium cum quo numquam dispensatur, 50. dist., miror.

Sine dilatione

1. q. 1, quisquis; et 1. q. 1, reperiuntur; 23. q. 4, si ea; 35. q. 9, loci.

Per aliquam personam

Quae de iure admitti debeat, ut dixi supra, de accusat., si legitimus; et supra, de accusat., cum P; et supra, de accusat., cum oporteat.

Claruerint

24. q. 3, ecce.

X 5.03.07 *Tanta*

Ad accusationem

Si accusatus fuerit infamatus de hoc dictum est supra, de accusat., cum P; et supra, de accusat., si legitimus.

Omnis peccator

Non praecisus ab ecclesia per sententiam canonis vel iudicis toleratus et poenitens. Et sic non est obiectio de excommunicatis et suspensis, ut notorii fornicarii, 32. dist., nullus; nec de suspenso quo ad se. Nam quilibet constitutus in mortali peccato suspensus est quo ad se, supra, de cohab. cler. et mul., quaesitum; et 1. q. 1, sacerdotes; et 1. q. 1, sacrosancta. Et sic omnes alii possunt cantare missam praeter simoniacum. Vel quod dicit: omnis peccator potest cantare missam, potest referri ad facilitatem etiam dispensandi, quasi diceret, facilius dispensatur cum omnibus aliis criminosis praeter homicidium quam cum simoniaco. Vel hoc dictum est in detestationem criminis. Vel

sic, dato, quod omnis peccator possit celebrare, simoniacus tamen non potest, considerato initio, quia simoniacus in ipso sui initio commissionis suspensus est, ut 1. q. 1, quibusdam. Sic ex eo tempore quo simoniae crimen committit, damnatus est. Unde postea celebrare non potest etiam post peractam poenitentiam, nisi dispensetur cum eo, quod non contingit in aliis criminibus. Et ita plana est littera ista considerato initio cuiusque peccatoris. Sic C. ad leg. Iul. maiest., quisquis, vers. donationes et quarumlibet postremo alienationes ex omni tempore etc. Et ita simoniacus celebrare non potest nisi cum eo dispensatur. Quis posset dispensare dictum est supra, de renunciat., post translationem. Nec potest agere poenitentiam nisi renunciet beneficio et executioni, supra, de accusat., inquisitionis. Postquam vero renunciaverit et poenitentiam egerit, poterit cum eo dispensari si placuerit superiori, et sic licite poterit postea exercere officium, arg. ff. de preca., certe § Iulianus. Quia iam possidet ex nova concessione, arg. infra, de simon., ex insinuatione; ut ff. de evict., si servus § 1, in fi.

Etiam meretrix
Quae alias non est admittenda ad accusationem vel ad testimonium propter utilitatem eius, ut C. de adulter., quae adulterium; et ff. de testi., testium § lege Iulia. Eadem ratione nec ad alium legitimum actum. Ber.

X 5.03.08 *Non satis*

Requiratur
Aliquo pacto, infra, de simon., veniens; et infra, de simon., tua. Tamen si sponte sine aliqua conditione et pura intentione aliquid dare voluerit, non prohibetur, infra, de simon., tua. Sed si monasterium esset ita tenue, quod non potest sufficere, argumentum est quod tunc posset exigere hoc modo: frater scias quod nos possumus tibi providere. Si vis intrare, porta tecum unde vivere possis, ut 1. q. 2, si quis propter hoc. In simonia enim et usura amor lucri prohibetur, 14. q. 4, si quis oblitus. Vincen.

Prioratus
1. q. 1, si quis episcopus; et 1. q. 3, salvator; et supra, de statu monach., monachi.

Pro sepultura
Quot modis dicatur sepultura dictum est supra, de sepult., parochiano. Ber.

Diuturnitas
Simile infra, de simon., cum in ecclesiae; et supra, de consuet., quanto; et supra, de consuet., cum tanto; ad idem 1. q. 3, si quis praebendas. Diuturnitas temporis peccatum non excusat, 24. q. 1, schisma; et 1. q. 1, nullus episcopus gravamen; ff. de act. et oblig., obligationum § 1. Arg. contra ubicumque habet locum praescriptio, 32. q. 4, obiiciuntur. Solutio: de hoc dictum est supra, de consuet., cum tanto; et supra, de temp. ord., sane. Ber.

X 5.03.09 *Cum in ecclesiae*

BOOK V **X 5.03 DE SIMONIA ET NE ALIQUID PRO SPIRITUALIBUS EXIGATUR VEL PROMITTATUR**

X 5.03.10 Cum sit (rev. 9/23)

Introducendis
1. q. 3, si quis obiecerit.

Benedictionibus nubentium
Sic infra, de simon., suam. Pro benedictionibus nubentium aliquid accipi prohibetur, quia per eas gratia confertur, licet pro matrimonio aliquid dare vel recipere non est peccatum, 1. q. 1, quicquid; et 32. q. 2, honorantur. Quia licet fit sacramentum, per ipsum tamen gratia non confertur, 27. q. 1, nuptiarum; 32. q. 2, connubia. Unde est arg. quod non idem iuris est in accessorio, quod in principali. An pro exequiis mortuorum licitum sit recipere, dicitur infra, de simon., suam. Ala.

Consuetudine
Videtur quod talis consuetudo non sit reprobanda ut pro receptione canonica vel introductione personae in ecclesiam aliquid recipiatur, in Auth. de sanct. episc. § pro consuetudinibus, coll. 9. Dum tamen non detur ex pacto aut exigatur, sed sponte ex post facto offeratur. Et est optimum arg. 1. q. 2, sicut episcopum; et 18. dist., de eulogiis; et infra, de simon., dilectus 2. Sed hic requirebatur ex consuetudine quod est penitus reprobandum, infra, de simon., Iacobus. Ber.

Infelicem
Supra, de consuet., cum tanto, ubi de hoc. Et male adinventae consuetudines nullo tempore confirmantur, in Auth. ut nulli iudic. lic. hab. § nunc vero, coll. 9.

Giezi
Qui primo in veteri testamento simoniam invenit, unde fuit lepra percussus, 1. q. 1, qui studet; et 1. q. 1, cito turpem. Simoniaci dicuntur a Simone Mago.

X 5.03.10 *Cum sit*

Procurationem
Hanc procurationem recipit episcopus non pro aliquo sacramento, quia hoc est simoniacum, ut 1. q. 1, statuimus; sed potius pro labore. Immo nec pro labore, sed ista procuratio permissa est a iure, sicut et aliae procurationes quae fiunt ratione visitationis. Unde nullam simoniam committit, quia qui peccat legis auctoritate non peccat, 23. q. 4, qui peccat. Et ista procuratio praestari debet secundum facultates ecclesiae, sicut et aliae, supra, de censib., sopitae; et supra, de censib., cum nuper. Immo si ecclesia procurare non posset episcopum, ipse suis sumptibus consecrabit ecclesiam, 10. q. 3, cavendum; et 1. q. 2, placuit; arg. in Auth. de mandat. princip. § sit tibi, coll. 3. Ber.

X 5.03.11 *De hoc autem*

Manifestum
Id est, notorium; alias secus 11. q. 3, eorum qui; et 3. q. 5, quia suspecti.

Recepisse
Maxime arg. supra, de confess., cum super; et infra, de simon., nobis.

Confessi fuerint in iure
Alias confessio extra iudicium non praeiudicat. De hoc nota supra, de confess., ex parte. Item arg. hic quod non mitius agitur cum confesso quam cum convicto, 2. q. 1, nos; supra, de confess., cum super; et ff. de confes., confessus. Arg. contra 50. dist., presbyterum; 12. q. 1, non dicatis; et arg. 50. dist., si quis praepostera; 2. q. 1, in primis, in princ. Solutio: cum sponte confesso mitius agitur, sed non parcitur sponte confesso in iure timore probationum, non enim est beneficium quod fit ex necessitate, ff. de ritu nupt., proxime. Sed ea sunt in nostris officiis gratiora, quae cum impendere non teneamur causa tamen liberalitatis impendimus, 28. q. 1, iam nunc. Ergo qui invitus confitetur, non remuneratur.

Deponendi
Haec est poena simoniacorum. Sic supra, de confess., cum super, cum agitur in modum accusationis. Immo idem videtur si agatur in modum inquisitionis, supra, de accusat., inquisitionis, 1. resp.

Manifestum est
Non tamen notorium, quoniam tunc secus, ut patet supra eodem capitulo, ubi ponitur manifestum pro notorio. Alia littera habet: non.

Canonica purgatio
Propter infamiam, infra, de simon., insinuatum; supra, de accusat., cum P.

Regem autem et principes
Hic rex et princeps ius habebant in electione tamquam patroni quorum assensus debet requiri, supra, de elect., sacrosancta. Et ita videlicet quod si non praestitissent consensum, non confirmabitur electio. Et sic ius habebant unde nec ante nec post electionem licitum fuit redimere consensum illorum, 8. q. 3, talia; et 1. q. 3, si quis praebendas; et 1. q. 1, eos; et infra, de simon., Matthaeus.

Restituant
Quia sine periculo eam retinere non possunt, ut hic patet. Et cum poena dupli debent restituere illam, in Auth. de sanct. episc. § si vero laicus, coll. 9, in 2. colum.; et in Auth. de sanct. episc. § si autem saecularis, coll. 9; et infra, de simon., audivimus; et supra, de immun. eccl., quia plerique. Hic nota quod ecclesiae restitui debet cui facta fuit iniuria, arg. 17. q. 4, si quis in atrio; et 27. q. 1, si quis rapuerit; et in Auth. de sanct. episc. § si quis autem, coll. 2. Et ecclesia potest vendicare illam pecuniam, in Auth. de sanct. episc. § si vero laicus; et in Auth. de sanct. episc. § sed neque xenodochium. Arg. contra infra, de simon., veniens, ubi restituitur ei qui dedit. Ala. dixit quod in decretali infra, de simon., veniens, restituta fuit ei qui dedit de misericordia, et hoc quod hic dicit est ius commune. Tu dicas aliter. Illa infra, de simon., veniens, loquitur de monacho qui pecuniam dedit pro sua receptione. Et illud est ius, et hoc similiter. Si ergo aliquis det pecuniam monasterio ut recipiatur, simonia committitur, infra, de simon., quoniam. Ei ergo qui dedit debet restitui pecunia tam indigne a monachis accepta, ut cum ea in aliud monasterium intret ne sit onerosus secundo monasterio, arg. 16. q. 6, de lapsis; et 27. q. 1,

X 5.03.12 Cum essent (rev. 9/23)

si quis rapuerit. Et ubicumque sive monasterio sive ecclesiae saeculari pecunia taliter data et accepta fuerit prout dicit decretalis infra, de simon., veniens, restituenda est pecunia ei qui dedit. Nec ecclesia vel monasterium debet cum tali fraude esse in lucro, cum ipsi clerici vel monachi in hoc ita communiter delinquunt, cum ipsi clerici de hoc sint puniendi, et ex eodem facto poenam et praemium consequi non debeant, ut ff. de negot. gest., sive hereditaria. Et ex hoc contingeret viam fraudibus aperiri, quod esse non debet, 93. dist., pervenit 2; et 35. q. 9, loci, in fi. Et tale lucrum ecclesia non debet habere, nec possent clerici vel monachi poenitere, nisi restituerent quod simoniace receperunt. Vel posset dici quod si clerici saeculares sic communiter delinquunt, ecclesiae debet applicari et clerici sunt omnes ab ecclesia removendi. Cum vero pecunia datur alicui, puta praelato soli vel alii cuicumque, ita quod ecclesia non sit in culpa, tunc locum habet quod prius dicitur, quod ille qui pecuniam receperit debet illam restituere ecclesiae in cuius ignominiam data fuit. Nec debet ei restitui qui dedit, et praecipue si sit saecularis, in quo casu intelliguntur authenticae praedictae. De regulari potest dici quod et tunc non debet ei restitui simpliciter, sed assignanda est secundo monasterio ad quod transit, ut eo vivente habeat usuam illius, arg. praedictorum capitulorum 16. q. 6, de lapsis; 27. q. 1, si quis rapuerit. Et hoc cum ecclesia fuit in culpa. Ber.

X 5.03.12 *Cum essent*

Promiserat

Haec promissio sive pactio illicita fuerat et simoniaca, supra, de pact., pactiones; et infra, de simon., tua; et 1. q. 2, quam pio. Unde miles per talem promissionem non obligatur, quare ipsi R. imponitur silentium. Si vero sine aliqua pactione promovisset negotium illius vel alias servivisset eidem, bene poterat eum remunerare, sive praesentando ipsum ad aliquod beneficium, sive etiam alio modo, arg. 61. dist., quod proderit. Immo etiam naturaliter erat ei obligatus, ff. de pet. hered., sed et si lege § consuluit; et arg. 12. q. 2, haec huius placiti. Potest ergo licite quilibet servire episcopo vel alii spe futurae remunerationis, nec simonia committitur in tali spe cum sine omni pactione vel conditione serviat, dummodo principaliter hac intentione non serviat nec episcopus directe pro hoc servitio ei providere in beneficio intendat, quia sic esset immunis ab officio et obsequio, 1. q. 1, ordinationes; et 1. q. 1, sunt nonnulli. Alias nisi speraret inde remunerationem quare serviret, cum ex debito ei non teneatur, immo qui dignus est potest sperare episcopatum et alios honores, 59. dist., si officia; 74. dist., consuluit.

Silentium

Et bene, quia si ecclesiam tali modo adeptus fuisset, eam renunciare teneretur, ut 1. q. 1, si quis neque. Et in aspera poena vel poenitentia semper esset, ut ibi, quam etiam agere non posset ea retenta, supra, de accusat., inquisitionis.

X 5.03.13 *Insinuatum*

Ingressum

Unde fures sunt et latrones, quia non intrant per ostium, supra, de iure patron., relatum; et 23. q. 4, tres personas; et 1. q. 1, ordinationes; 7. q. 1, non furem.

X 5.03.14 Nemo (rev. 9/23)

Notorium

Dicitur tribus modis notorium, supra, de cohab. cler. et mul., quaesitum. Et ideo nulla probatio est necessaria, supra, de accusat., evidentia; et 2. q. 1, de manifesta.

Quinta vel sexta manu

Arg. contra 2. q. 5, presbyter si a plebe; et 2. q. 5, si mala fama; et 2. q. 5, omnibus. Solutio: regulare est quod ipse episcopus debet se purgare cum duodecim presbyteris, presbyter cum quinque, diaconus cum tribus, unde versus: pontificem parium manus expurgat duodena // quinta sacerdotem levitam tertia poena // maior maiori minor est adhibenda minori. Quandoque tamen sunt pauciores, ut supra, de accusat., cum P; 2. q. 5, omnibus; quandoque plures, infra, de purg. can., inter sollicitudines. Hodie vero numerus compurgatorum arbitrarius est, secundum arbitrium iudicis, supra, de accusat., inquisitionis, in fi.

Perpetuo prives

Nota quod deficiens in purgatione punitur, ut hic patet, et supra, de simon., de hoc; et infra, de purg. can., cum P. Sed purgatio indicitur propter probabilem praesumptionem ortam ex fama. Ergo videtur quod ex probabili praesumptione possit diffinitiva sententia ferri, quod non est verum. Sed ista probabilis praesumptio transit in violentiam, ex eo quod non habet testes suae honestatis. Ber.

X 5.03.14 *Nemo*

Quodlibet

Id est, aliquod de quibuslibet. Simile 15. q. 1, mulier; et supra, de cond. appos., verum; et 1. q. 7, si quis omnem, in primo vers.

Celet

Nota quod simoniam committit, qui pro aliquo temporali celat peccatum alicuius, quod peccatum corrigere vel denunciare tenetur episcopo, sicut simoniacum est aliquid recipere, ut qui ordinandus est, non ordinetur, vel ut electioni quis non consentiat, 1. q. 1 § qui autem; et 1. q. 1, sunt quidam, ad finem quaestionis. Et est hic arg. quod celare est aliquid facere, simile 36. dist., si quis vult. Arg. contra ff. de praescr. ver., solent; et ff. de condi. ob turp. caus., ubi autem § ulti. Solutio: illa non tangunt istam materiam. hic loquitur de iudicio quod fit ad poenitentiam ad quod tenetur quilibet, unde nihil potest quis propter hoc accipere, cum sit spirituale. Illud de iudicio quod fit ad furem capiendum vel servum fugitivum pro quo potest recipi merces laboris. Ber.

Consanguinitatis

Ergo videtur quod consanguinitas simoniam inducat, quia non refert an iniustus cordis amor, an sordidae preces interveniant, 1. q. 1, si quis neque.

Alienis communicans

78. dist., quid est; 86. dist., facientis.

X 5.03.15 Querelam (rev. 9/23)

Reconciliationis

Pro reconciliatione vel absolutione pretium exigi non debet, infra, de simon., ad aures.

Utrumque

Primum scilicet digne poenitentiam vel minus digne, gratia vel favore adducere ad reconciliationem. Aliud est digne poenitentiam removere a reconciliatione aliquo livore. Utrumque enim istorum simoniacum est, et ita respicit istos duos modos tantum. Et quod primo dixit, simoniacum est. Similiter ut dicitur ibi, vel potest respicere omnia praecedentia, ut ista duo ultima quasi pro uno reputentur. Et quod primo dixit, celet, et innotescere detractet, quasi idem sunt. Et sic illud utrum quae potest respicere illa sic convicta. Ber.

X 5.03.15 *Querelam*

Inconsulto

Unde non valet resignatio, 12. q. 2, sine exceptione; supra, de empt. et vend., cum dilecti.

Concordia

5. q. 2, si primates; et supra, de transact., ex parte, ubi plures concordantias invenies de hoc.

Emi non potuit

Quia nullum spirituale vel spirituali annexum potest vendi vel emi, supra, de iure patron., de iure; et supra, de pact., cum pridem; et supra, de pact., pactiones; et supra, de transact., super eo; et 16. q. 7, decimas quas populus; ergo non redimi. Sed haec ratio non videtur habere locum, quia ecclesia vel spirituali annexum potest vendi cum universitate et obligari, supra, de iure patron., ex litteris; et supra, de iure patron., cum saeculum. Sed manerium fuit, ut videtur, principale in quo erat ecclesia. Et ita potuit redimi tamquam accessorium. Dicas quod manerium cum pertinentiis suis et ecclesia fuerunt monachis concessa, ita quod neutrum fuit accessorium alteri. Et hoc colligitur bene ex littera ut ibi dicit in principio: quoddam manerium cum pertinentiis suis et ecclesiam. Et ita ecclesia non fuit pertinens manerii, quia separata fuit a pertinentiis. Et ita redemptio quantum ad ecclesiam nulla fuit ipso iure. Sed haec ratio non habet locum in manerio, quod bene potest vendi et redimi, et ita hac via non possunt revocare manerium. Qualiter ergo agent pro manerio? Dicas quod contractus sive redemptio quo ad manerium nullus fuit ipso iure ex alia causa, quia hoc factum fuit irrequisito capitulo. Simile supra, de empt. et vend., cum dilecti; et 12. q. 2, sine exceptione. Et hac eadem ratione non tenuit redemptio ecclesiae. Et ita etiam si ecclesia fuisset accessoria ad manerium, idem esset.

In possessionem

Causa rei servandae si lis non fuerit contestata, supra, ut lite non cont., quoniam § in aliis. Et si lis contestata esset et non liqueret de causa, adiudicaretur eis possessio salva quaestione proprietatis absentibus, supra, de dolo et contu., prout, ubi de hoc. Quam possessionem debent eis defendere iudices, ut dicit in fine, cum remaneant adhuc iudices de illa re usque ad diffinitivam sententiam, supra, de testib., ex parte, ubi de hoc. Ber.

X 5.03.16 *Ea quae*

Chrismate
Pro chrismate nummos accipere non conceditur, immo simoniacum est, ut 1. q. 3, si quis praebendas; et infra, de simon., in tantum; et supra, de simon., non satis; et supra, de simon., cum in ecclesiae; et infra, de simon., ad nostram.

Appellatis
Similis variatio nominis habetur infra, de simon., in tantum. Sed bona denominatio non excusat malum, quia quodcumque nomen imponas simonia est, sicut in usura, 14. q. 3, plerique. Ber.

Consuetudinis
Consuetudo ista quantumcumque longa non excusat malum, immo magis accusat, supra, de simon., non satis; et supra, de simon., cum in ecclesiae; et supra, de consuet., cum tanto. Cum sit contra ea quae in veteri testamento prohibita sunt, et in sui natura mala, ut vendere sacramenta, 1. q. 1, qui studet; et 1. q. 1, sicut eunuchus. Secus de illa consuetudine quae inducta est contra ius positivum, supra, de consuet., cum tanto, ubi de hoc.

Periculum ordinis
Scilicet depositionem, quia poena simoniacorum est depositio, ut supra, de simon., de hoc; et supra, de simon., insinuatum; et supra, de accusat., inquisitionis, 1. resp. Ber.

X 5.03.17 *Ex diligenti*

Obligatio
Obligatio ista turpis fuit et illicita, ideo neque de iure neque de facto ligat, supra, de pact., pactiones. Et est illud munus ab obsequio indebite impenso, unde simoniam inducit, 1. q. 1, sunt nonnulli. Et pro spiritualibus homagium exigi non debet, infra, de reg. iur., indignum.

Contra tuae salutis
Iuramentum istud vergit in dispendium salutis aeternae, quia praestitum est pro re spirituali, pro ecclesiastico beneficio scilicet, unde non potest servari, supra, de cond. appos., si conditiones; et supra, de iureiur., si vero; et supra, de his quae vi met. caus. fi., cum dilectus; et 22. q. 4, si aliquid. Ala.

Nihil omnino
Alias certe poenitentiam agere non posset, supra, de accusat., inquisitionis, quia venia non datur nisi correcto, 24. q. 2, legatur; 23. q. 7, quemadmodum. Sed poenitere non potest nisi renunciet illud beneficium, ut dixi in praedicta decretali supra, de accusat., inquisitionis.

X 5.03.18 Etsi quaestiones (rev. 9/23)

Divinis

Id est, canonicis. Sic exponitur 3. q. 5, quod suspecti; et 1. q. 2, quam pio; et 1. q. 3, si quis obiecerit; et 1. q. 3, salvator. Vel proprie quia hoc est contra vetus et novum testamentum, 1. q. 1, qui studet.

Humanis

C. de episc. et cler., si quemquam; et in Auth. de sanct. episc. § sed neque, circa princ., coll. 9. Nota ergo quod crimen simoniae gravissimum reputatur ex quo divinis et canonicis et humanis legibus condemnatur, arg. 1. q. 7, patet. Ber.

Absolvimus

Ipso iure tamen absolutus erat, unde expone: absolvimus, id est, absolutum ostendimus, et potius factum respicit talis absolutio. Tanc.

Discreto

Nota verbum istud, quod discretus poenitentiarius est quaerendus qui sciat solvere ac ligare, de poen. dist. 6, qui vult. Petita et obtenta licentia prius proprii sacerdotis, alias non debet fieri, infra, de poenit. et remiss., omnis § 1. Ber.

Infamia

Simoniaci enim infames sunt, 1. q. 3, si quis praebendas. Et haec est talis infamia quod nisi cum eo dispensetur per principem ad aliquod ecclesiasticum beneficium admitti non debet, quo ad Deum acta poenitentia tollitur, arg. 2. q. 3 § hinc colligitur.

Demonstrare

Alias non crederetur secum fuisse dispensatum nisi ostenderet indulgentiam, infra, de schismat., fraternitati. Ber.

X 5.03.18 *Etsi quaestiones*

Tenui religione

In lege dicitur quod quidam subtili reverentia tenti, ut nec verum iuramentum praestare velint, C. de fid. instrum., cum quidam, ad fi. Quandoque dicitur verecundia vel timiditas, ff. de constit. pecun., illud, in fi.; ff. de condi. insti., quae sub conditione.

Necessaria

Haeretici etiam veritatem nolunt iurare, unde eo ipso tamquam haeretici reputantur, infra, de haeret., excommunicamus itaque § adiicimus, vers. si quis vero.

Haesitat

Simile 24. q. 2, sane quod super, in princ.; et supra, de rescript., cum contingat. Ber.

Dandis muneribus

Aliud est munus et aliud donum, ff. de ver. sig., inter donum. Muneribus dandis attendas quatuor ista: quis dans, quisve petens, quae res, quae causa petendi. Laur. Considerari debet quid offeratur, 19. dist., secundum. Quale, 49. dist., hinc; et 49. dist., sacerdotes.

X 5.03.18 Etsi quaestiones (rev. 9/23)

A quo etiam, arg. 3. q. 7, in gravibus. Et pro quo, 1. q. 1, dictum est 2. Item ad quid offeratur, de conse. dist. 2, et dixit. Qua intentione, 8. q. 1, in scripturis. Quantum, 17. q. 1, Ananias. Et hic consideratur quantitas ex persona dantis et recipientis. Unde Seneca: quidam cynicus petiit a rege Antigono talentum. Respondit rex quod plus est quam cynicus petere debeat, et sic fuit repulsus. Petiit denarium cynicus, respondit rex, quod minus esset quam deceret regem dare. Et ita turpissimam cavillationem invenit qua neutrum daret, cum posset dare talentum tamquam rex et denarium tamquam cynico.

Equum

Quandoque tamen sex solidi simoniam inducunt, infra, de simon., ex tuae.

Non petenti

Et ideo gratius. Unde Seneca: non gratis accipitur munus quod petenti donatur. Unde illud Apostoli: beatius est dare quam accipere, 16. q. 1, praedictor. Qui enim donat, alium sibi naturaliter obligat, ff. de pet. hered., sed et si § consuluit. Et ille cui donatur exhibere reverentiam donatori compellitur et obedire, 8. q. 2, illud quidam. Unde versus: gratius est donum quod venit ante preces. Vincen.

Donaret

Quod de iure fieri non debet, quia quod ioculatoribus donatur arti nequissimae donatur, 86. dist., donare.

Intentione

Hic interpretatur Papa intentionem alterius partis per exteriora. Aliter non posset divinare de intentione alieni cordis, quia nec etiam Paulus, licet spiritu Dei plenus fuerit, potuit divinare, 22. q. 2, beatus; et supra, ut eccl. ben., ut nostrum; et ff. ad leg. Aquil., si putator, in fi., et quod dicit hic.

Constat factum fuisse

Id est, praesumitur. Et est arg. quod per exteriora praesumitur de interioribus, supra, de praesump., afferte; et supra, de praesump., ex studiis. Et ita videtur per litteram istam a contrario, quod si alia intentione equum cardinali dedisset, alias non daturus nisi ut posset facilius expediri negotium fratris, licet eo ignorante praeiudicasset ei, 1. q. 5, praesentium; nisi in odium eius hoc fecisset, infra, de simon., nobis; vel nisi eo prohibente hoc fecisset, infra, de simon., sicut tuis. Et recurrendum est in talibus ad intentionem et ex intentione ista considerantur, et in incertis locus est coniecturis et non in his quae certa sunt, ff. de ver. oblig., continuus § cum ita, in fi. Cum enim res certa est, secus fit, ff. locat. et conduct., sed addes § 1. Ber.

Qui excutit

1. q. 1, sunt nonnulli.

Modici pretii

Quae videlicet ad magnam quantitatem non producantur, ff. de off. procon., solent, in fi.; et ff. de off. praes., plebiscito. In his enim interpretatur ecclesia simoniam non committi,

quia non est versimile quod propter huiusmodi modica aliquis moveretur ad aliquod iniquum faciendum. Ber.

X 5.03.19 *Veniens*

De consuetudine
In hoc non valet consuetudo, infra, de simon., Iacobus; et 1. q. 3, si quis praebendas. Et talis conuetudo dicenda est potius corruptela, infra, de simon., sicut pro certo.

Restituendam
Arg. contra supra, de simon., de hoc, ubi habes quid iuris sit super tali restitutione facienda.

Indigne
Simoniace. Simile infra, de simon., tua; et supra, de pact., pactiones. Ber.

Maiores
Quorum consilio abbas regitur, arg. 10. q. 2, episcopus habeat. Unde gravius puniuntur, quia fuerunt auctores facti qui debebant hoc prohibere, arg. infra, de cleri. excom., latores; 24. q. 3, qui aliorum. Simile infra, de simon., dilectus 2, ubi de hoc.

Suspendens
De poena istorum regularium qui per simoniam recipiuntur et qui recipiunt habes infra, de simon., quoniam. Ber.

Praecipias
Ex eo quod dicit, praecipias, apparet quod monachus fuit, alias non praeciperet. Sed videtur quod non deberet esse monachus, quia istud esset contra substantiam monachatus, arg. supra, de cond. appos., si conditiones, in textu et in glossa quae incipit: quod dicitur, ad fi. Ber.

X 5.03.20 *Ex tuae*

Sex solidos
Nota quod quantitas muneris diversitatem iuris non inducit, 14. q. 6, fur; et 1. q. 1, iudices; et 1. q. 1, placuit; et 1. q. 3, si quis praebendas. Sicut in usura quicquid sorti accedit, usura est, 14. q. 3, plerique; et 14. q. 3, esca; alias est sub capitulo 14. q. 3, plerique; infra, de usur., consuluit. Arg. contra supra, de simon., etsi quaestiones. Solutio: intentio consideranda est. Furtum enim sine affectu furandi non committitur, 14. q. 6, fur. Sic etiam est in simonia, ut dictum est supra, de simon., etsi quaestiones. Ber.

Secreto
2. q. 1, si peccaverit; et 6. q. 2, si tantum; et supra, de temp. ord., ex tenore; et supra, de temp. ord., quaesitum; et infra, de simon., Matthaeus. Alias prohiberi non potest ut dicunt iura praedicta, et hic. Sed contra arg. quod coerceri possit, supra, de temp. ord., ad aures, ubi dicitur quod contra voluntatem praelatorum suorum subditi promoveri non

debent, ergo eadem ratione debent abstinere. Illud loquitur de regularibus qui contra obedientiam sui praelati promoveri non debent, nec habent titulum ratione cuius promoveri debeant. Hic loquitur de executione ordinis iam suscepti a qua sine manifesta causa aliquis removeri non debet.

Coercere
Arg. quod simoniacus non est ipso iure suspensus. Arg. contra supra, de simon., tanta; et 1. q. 1, reperiuntur. De hoc dictum est supra, de simon., accusatum.

Secretam poenitentiam
Arg. contra 24. q. 2, legatur; 23. q. 7, quemadmodum; et arg. supra, de accusat., inquisitionis; et infra, de simon., Matthaeus, in fi. Solutio: poenitentia quantum ad vitam aeternam sibi dari non potest nisi recedat a peccato, ut dicunt iura praedicta, et de poen. dist. 3, poenitentes; et de poen. dist. 5, falsas. Tamen danda est ei ne indurescat in peccato suo, infra, de poenit. et remiss., quod quidam; et 90. dist., si quis contristatus. Arg. quia forsitan timore poenitentiae citius renunciabit ad quod tenetur, 1. q. 1, si quis neque. Ber.

X 5.03.21 *Ad nostram*

Ecclesiastico
Supra, de simon., non satis; supra, de simon., cum in ecclesiae; supra, de simon., ea quae; et infra, de simon., in tantum, in quibus habes plene de his quae hic prohibentur.

X 5.03.22 *De simoniace*

Remanere
Dispensative, quia de iure renunciare tenentur postquam hoc sciverint, ut 1. q. 5, praesentium; et infra, de simon., de regularibus; et infra, de simon., ex insinuatione; et infra, de simon., nobis; et supra, de elect., si alicuius. Et etiam post liberam resignationem potest episcopus cum talibus dispensare, ut in eisdem ecclesiis recipiantur, ut dicit 1. q. 5, praesentium; et infra, de simon., ex insinuatione. Cum illis vero qui simoniam commiserunt vel eis scientibus est commissa, episcopi dispensare non possunt sed solus Papa, infra, de simon., nobis, in fi.; et infra, de simon., si quis ordinaverit. De hoc plene nota supra, de renunciat., post translationem. Ber.

X 5.03.23 *Matthaeus*

Maioris
Unde valere debebat electio sua non obstante aliorum contradictione nisi aliquod rationabile opponeretur, supra, de his quae fi. a maior. par. cap., cum in cunctis. De hoc nota supra, de elect., ecclesia vestra 2.

Paucis
Licet pauci essent, poterant tamen se opponere, quia forte erant contempti, supra, de elect., quod sicut; et supra, de elect., venerabilem. Vel aliam exceptionem poterant

opponere electo, forte quod erat maritus corruptae, et ita ius habebant contradicendi, unde nihil eis dare debuit. Et quia eo sciente et non contradicente pecunia data est, simoniacus est non obstante voluntate turbata sive coacta, quia voluntas turbata sive coacta voluntas est, supra, de elect., cum inter R. Nisi ex toto esset mente alienatus, 15. q. 1, merito. Et ei est imputandum, 14. dist., quod ait. Quia malorum mores infirmitas animi non excusat, C. si adv. del., in criminibus. Si vero prohibuisset quam cito hoc intellexerit, non imputaretur ei, infra, de simon., sicut tuis. Et est arg. quod turbata voluntas, voluntas est sicut coacta, supra, de elect., cum inter R.

Consulis
Hoc ideo dicit, quia etiam peccatum occultum erat, unde illum expresse non poterat prohibere nisi consulendo, supra, de temp. ord., ex tenore; et supra, de temp. ord., quaesitum; et supra, de simon., ex tuae, ubi de hoc. Et licet dicatur consulis, necessitatem tamen importat si vult salvari, quia nisi renunciet salvari non potest, ut dixi supra, de simon., ex tuae, in fi. Et hoc idem dicit littera in fi. Et illud est salubre seu salutare consilium.

Celeriter
Id est, incontinenti, quia quanto rem amplius contrectat, tanto gravius peccat, supra, de simon., cum in ecclesiae. Sicut fur qui semper est in mora, ff. de condi. furt., in re furtiva § 1; et ff. de condi. furt., licet. Ber.

Sponte
1. q. 1, si quis neque.

X 5.03.24 *Ad aures*

Absolutionis
Beneficium absolutionis cum sit ecclesiasticum ministerium et spirituale, nihil est exigendum pro ipso praestando, supra, de simon., ad nostram; et supra, de simon., nemo; et supra, de simon., cum in ecclesiae. Et ideo qui pretium pro ipso recipit simoniacus est, 1. q. 3, non solum; et 1. q. 3, quaesitum. Sed illud potest dubitari utrum si dedisset aliquid pro absolutione simoniam comittat? Et potest dici quod non, quia iniuste absolutio denegatur sibi ex quo satisfecit, cum vexationem suam redimat, infra, de simon., dilectus 1, ubi de hoc. Unde non potest ab eo legitime appellari, cum grave immineat animae periculum, arg. supra, de appell., ut debitus. Nihil ergo directe iudici pro absolutione dari debet. Secus si adversarius propter illius contumaciam fecit sumptus, quia illos solvere debet antequam absolvatur, supra, ut lite non cont., quoniam § in aliis. Et idem credo si propter hoc iudex fecisset sumptus propter contumaciam excommunicati, illos refundere debet antequam absolvatur, quia non dantur intuitu absolutionis, arg. infra, de sent. excom., sacro, ut puta cum iudex procedit ex officio suo, supra, de appell., cum speciali. Sed si iniuste illum excommunicasset sine omni difficultate absolvi debet absque gravamine, infra, de sent. excom., sacro. Ber.

X 5.03.25 *De regularibus*

X 5.03.26 Ex inseinuatione (rev. 9/23)

Auctoritates
1. q. 1, si quis neque; et 1. q. 1, qui studet; et in multis capitulis eiusdem quaestionis et per totam illam causam.

Taliter
Simoniace scilicet.

Dimittant
Numquid licet simoniaco dimittere ecclesiam sine licentia superioris? Arg. quod non, supra, de renunciat., nisi § 1; et supra, de renunciat., post translationem § rursus, sed illa loquuntur tantum in episcopo. Circa regulares tene quod dicitur infra, de simon., quoniam. De aliis vero dic quod episcopi non possunt renunciare in manibus praelatorum sine licentia domini Papae. Inferiores renunciant in manibus praelatorum suorum, arg. supra, de renunciat., admonet. Qui se nollent recipere resignationem, nihilominus cedant, quia non dimittitur peccatum nisi resitituatur ablatum, 14. q. 6, si res; quia furtivum est beneficium, 1. q. 1, ordinationes. Et semper est in mora, sicut fur, ff. de condi. furt., in re furtiva § 1; et ff. de condi. furt., licet.

Ignorantibus
Isti non sunt simoniaci, licet simoniace promoti, ut supra, de simon., de simoniace. Et ideo possunt in suis ordinibus remanere et post renunciationem seu resignationem ad beneficia restitui dispensative, ut ibi dicitur. Et hoc idem dicit Tanc.

Ad renunciandum
Quia aliter agere poenitentiam non potest, de poen. dist. 5, falsas. Arg. supra, de renunciat., nisi § 1.

In ipsum
Infra, de simon., quoniam. Ber.

X 5.03.26 *Ex inseinuatione*

Interveniente pecunia
Ex pacto, supra, de simon., de hoc. Quod esse non debet, infra, de simon., tua; 1. q. 2, quam pio; et supra, de pact., pactiones.

Tibi
Ignoranti. Aliter capitulum vel episcopus cum eo dispensare non potuisset, infra, de simon., nobis, in fi.

Resignasti
Postquam intellexit simoniam fuisse commissam, quia ad hoc tenebatur, ut infra, de simon., nobis. Et sic factum alterius ei praeiudicat, et sic punitur sine culpa, quod est contra illud generale: rem quae culpa caret etc., supra, de consti., cognoscentes. Sed hoc est speciale in casu in odium simoniacorum, quia si non punirentur, nimis frequentaretur illud crimen.

BOOK V **X 5.03 DE SIMONIA ET NE ALIQUID PRO SPIRITUALIBUS EXIGATUR VEL PROMITTATUR**

X 5.03.27 Nobis (rev. 9/23)

Elegerunt

Dispensative, et ita habes hic arg. quod capitulum dispensat cum simoniaco. Sed potest dici quod capitulum non dispensat, sed ipsum eligit per dispensationem episcopi. Nam episcopus de consilio capituli cum talibus dispensat, 1. q. 5, praesentium; et supra, de elect., si alicuius. Observata distinctione ibi circa praelationes, arg. infra, de simon., nobis, in fi; et supra, de iudic., at si clerici; 1. q. 7, patet; et 1. q. 1, erga simoniacos. Contraria intelliguntur quando ipsimet simoniaco committunt vel consentiunt, sed iste simoniacus non fuit, supra, de simon., de simoniace. Et ideo non fuit indignus misericordia, quia alieno vitio laboravit, C. de nat. lib. et mat., legem. Et ideo propter vitium alienum dispensatur cum eo.

Indulgentia

Ex hoc notatur quod capitulum dispensavit cum isto, sed potest intelligi ut dictum est in proxima notula, et expone indulgentia, id est gratia, quia non tenebantur eum eligere nisi vellent, et ita gratiam fecerunt ei.

Primae

Simile ff. de pac. dotal., inter socerum, in fi.; ff. de statu hom., liber homo; C. de remiss. pign., solita, in fi.; et supra, de renunciat., cum inter. Et ita habes hic quod actio semel extincta amplius non reviviscit, de conse. dist. 4, quaeris; ff. de solut., qui res § aream; et C. de remiss. pign., cum ex causa. Arg. contra supra, de appell., cum cessante. Ber.

X 5.03.27 *Nobis*

Tamen ignorante

Nec ratum postmodum habente quia tunc ei non noceret, infra, de simon., sicut tuis. Ala.

Interveniente

Innuitur ex hac littera quod licet pecunia promissa vel data interveniat, si propter hoc ad eum eligendum non fuerunt moti quem alias electuri erant, non propter hoc est electio vitiosa, arg. C. si ex fals. inst. vel test., falsam; et supra, de re iudic., cum I et A.; et 1. q. 6, sicut. Sed verius est quod simonia commissa est, quia constat promissionem intervenisse ante electionem, qualiscumque fuerit intentio eligentium? Nulla promissio vel pactio debuit tunc intervenire, arg. 100. dist., novit, quod habetur ibi pro palea; et 1. q. 1, placuit. Tanc.

Malitiose fecisse

Nota quod malitiis hominum non est indulgendum. Sic infra, de simon., sicut tuis; et supra, qui matrim. acc. poss., significante; et supra, de rescript., super litteris; et supra, de rescript., sedes; et ff. de rei vend., in fundo. Et alterius odio alius praegravari non debet, C. de inoffic. testam., si quis in suo.

Reprobanda

Et ita alienum factum alii obest. Sic alienum factum impedit usucapionem bonae fidei possessoris, C. de usuca. pro empt., mancipia. Licet enim iste non peccaverit, electio

tamen vitiosa est propter eligentes, id est, cum peccant electores in forma licet electus non sit in culpa, supra, de elect., Cumana; et supra, de elect., ecclesia vestra 2. Et quamvis ignoraverit iste de illa simonia, episcopus hac vice cum illo non potest dispensare. Secus in simplici beneficio post liberam resignationem, supra, de elect., si alicuius.

Cuiuslibet
Id est, alicuius. Simile supra, de simon., nemo, in princ.

Ab episcopo suo dispensationem
Potest hoc intelligi quando electus simoniam commisit vel alius eo sciente et ratum habente. Unde episcopus cum tali dispensare non potest, quia erga tales nulla misericordia est adhibenda, 1. q. 1, erga simoniacos; et supra, de iudic., at si clerici; ut sic differat casus iste a praecedenti, cum eo qui simoniam commitit solus Papa dispensare potest. Cum ignorantibus dispensant episcopi, ut dicitur supra, de simon., de simoniace; et plenius supra, de renunciat., post translationem. Vel intellige § istum in eodem casu cum principio. Et prima quaestio fuit quid iuris esset super electione taliter facta, ut ponitur in principio. Ultimo adiecit si talem electionem contingeret reprobari, utrum episcopus posset cum eo dispensare ut iterum eligeretur et ad eandem praelationem? Et respondet quod non, et intellige quod non potest illa vice quia hoc quaerebatur, ut dixi supra, in principio 1. responsionis, in fi. Et hoc videtur velle illa littera, ut dictum est per pravitatem simoniacam etc. Et sic refert se ad primum casum, scilicet quando eo ignorante simonia commissa fuit. Ber.

X 5.03.28 *Dilectus filius R.*

Restituere quod accepit
Cum indebite receperit, 1. q. 1, nullus episcopus. Nota ex eo quod praecipitur ei restituere quod accepit ei qui dedit, innuitur non esse turpitudinem ex parte dantis ius suum redimere volentis, arg. infra, de magistrat., prohibeas; et arg. 1. q. 3, quaesitum; et infra, de usur., plures; et supra, de feud., insinuatione. Dicas quod ius suum nulli redimere licet in re spirituali, ubi ille qui petit ius habet in re illa, quia simoniam committeret, ut supra, de simon., Matthaeus. Sed agere debet per superiorem, arg. supra, de simon., ad aures. Sed cum ille qui vexat nullam ius habet nisi quia illum vexat de facto, malitiose et iniuste. Dicunt quidam quod nullo modo potest redimere. Sed verius et aequius videtur quod cum iniuste vexatur, quod possit redimere suam vexationem sine peccato iuxta illud Apostoli: redimentes tempus quoniam dies mali sunt, et hic est arg. Contrarium tamen arg. est 16. q. 7, decimas quas populus, ubi dicitur quod episcopi decimas redimere non debent a populo, et tamen populus non habet ius retinendi. Solutio: prohibetur ibi quod episcopi decimas non redimant a rusticis, ne alii inde sumant exemplum et ne propterea credant se habere ius in decimas, unde compellant rusticos. Et ita intelligitur 16. q. 7, decimas quas populus. Sed non committeret episcopus simoniam si quandoque redimeret decimas. Idem dicendum est de beneficio vel officio iniuste interdicto et excommunicatione iniusta, scilicet quod non committit simoniam qui dat pro sua restitutione officii vel beneficii vel absolutione excommunicationis vel interdicti. Sed ille qui recipit simoniam committit. Qui dat nullum ius acquirit, sed dat ut ius acquisitum

retineat vel redimat, quod licitum est, arg. 1. q. 3, quaesitum; et infra, de usur., plures. Si vero iuste sit suspenus vel excommunicatus, si pretium dat ut restituatur vel absolvatur, simonia ex utraque parte committitur, supra, de simon., nemo; 1. q. 1, nullus episcopus; et § praecedenti; et supra, de simon., ad aures; et 1. q. 3, non solum.

Promissionem

Ergo videtur quod si contra promissionem non venisset, quod non compelleretur restituere quod taliter recepit, quod non est verum. Unde supple maxime. Quia si constiterit quod iniuste acceperit, compelleretur ad restituendum et crimine concussionis puniretur, C. de condi. ob turp. caus., quod evitandi. Crimen vero concussionis est cum quis minatur alicui nisi ita vel ita faciat, ut 23. q. 1, militare; et ff. de concuss., si simulato; et ff. de concuss., concussionis. Praeterea non dimittitur peccatum nisi restituatur ablatum, 14. q. 6, si res; et de poen. dist. 5, falsas. Et quod possit repetere est arg. 14. q. 5, non sane. Item arg. ex hac littera quod non servanti fidem, fides est servanda, sic supra, de iureiur., pervenit 2. Arg. contra 33. q. 5, quod Deo pari. Ber.

X 5.03.29 *Suam*

Pro exequiis

Sed numquid licitum est sacerdoti recipere pro exequiis? Dico quod sic si ei sumptus desunt, 1. q. 1, iudices. Et tamen gratis dicitur celebrare, sicut testis qui recipit sumptus, 4. q. 3, si testes § venturis. Et episcopus recipit procurationem pro consecratione ecclesiae, supra, de simon., cum sit Romana. Et iudex gratis iudicat, et tamen recipit sumptus, ff. de off. praes., plebiscito; et supra, de vit. et honest. cler., cum ab omni. Nec est inconveniens quod clericus locet operas suas, cum non habeat unde vivat, 91. dist., Eleutherius; et 91. dist., clericus victum. Sed sacerdos quo ex officio suo ad hoc tenetur. Et qui habet victum suum suis sumptibus tenetur spiritualia ministrare, de conse. dist. 1, sufficit. Si tamen consuetudo est quod aliquid detur in exequiis mortuorum et consimilibus, licet sacerdoti non detur actio ad hoc petendum, tamen potest cogi populus ad observandam honestam consuetudinem, infra, de simon., ad Apostolicam. Consuetudo enim attenditur in recipiendis muneribus circa spiritualia, arg. 1. q. 3, quaesitum; et 63. dist., Agathosa; 9. q. 3, conquestus; et in Auth. de sanct. episc. § pro consuetudinibus, coll. 9. Io.

Benedictionibus nubentium

Quae sacramenta sunt, unde non reiterantur, supra, de secund. nupt., capellanum; et supra, de secund. nupt., vir autem. Sic supra, de simon., cum in ecclesiae, ubi de hoc.

Satisfaciat competenter

Restituendo ablata, 14. q. 6, si res. Et ita si satisfacere vult et se emendare, non punitur. Unde non videtur simoniam commisisse directe. Quod si esset, deponeretur, supra, de simon., de hoc; et supra, de simon., insinuatum. Si non destiterit, punietur canonica poena quia poterit ab ecclesia removeri. Ideo noluit Papa eum punire si se correxerit, quasi cum eo dispensando.

X 5.03.30 Dilectus filius A. (rev. 9/23)

X 5.03.30 *Dilectus filius A.*

Invitari

Ex hoc videtur quod in talibus non potest intervenire pecunia ubi quis est invitandus, supra, de pact., pactiones; et infra, de simon., tua; et 1. q. 3, quam pio. Ad hoc enim ut ad fidem aliquis convertatur, bene potest dari pecunia, 23. q. 4, debet homo; et 23. q. 7, quod autem; 45. dist., qui sincera. Et sub tali conditione possumus aliquam ducere in uxorem, 28. q. 1, cave. Et duriori pensione possum aliquem onerare, ut convertatur ad fidem, 23. q. 6, iam vero. Talis enim conditio bona est.

Multitudo

Propter multitudinem detrahendum est severitati, 50. dist., ut constitueretur; et 44. dist., comessationes; et 23. q. 4, non potest; et supra, de temp. ord., sane, ubi de hoc.

Dantes

Arg. quod ratione connexitatis sententia lata contra dantem praeiudicat recipienti, arg. 81. dist., tantis; 3. q. 6, haec quippe; 59. dist., ordinatos; et supra, de accusat., ad petitionem. Arg. contra infra, de adult., significasti; et 2. q. 5, interrogatum. Dixit Io. quod tunc praeiudicat quando sunt praesentes et sciant causam agi, aliter non, ff. de re iud., saepe; supra, de re iudic., quamvis. Dic ut dixit Vincen. et Tanc. quod praeiudicat quando tam accipientes quam dantes de hoc accusantur et convincuntur, alias non, ff. de adulter., denunciasse § quaeritur. Nisi quo ad praesumptionem, ut si ob hoc esset orta infamia, indiceretur purgatio, arg. illius decretalis infra, de adult., significasti. Ber.

Severitatis

Scilicet depositionis, supra, de simon., de hoc; et supra, de simon., insinuatum; et supra, de accusat., inquisitionis.

Amotos

Hic patet quod convictus de crimine simoniae in modum inquisitionis non deponitur. Sed tantum removetur ab administratione sive beneficio, sicut in aliis criminibus fit, ut supra, de accusat., qualiter et quando 2; et supra, de accusat., cum dilecti; et supra, de simon., de regularibus. Contrarium tamen habes supra, de accusat., inquisitionis, ubi de hoc. Hodie videtur standum illi constitutioni infra, de simon., quoniam, circa regulares simoniacos.

Officialibus

Sic supra, de simon., veniens. Sed quare tantum praelati et officiales puniuntur et non totum capitulum, cum omnes in hoc deliquerint et omnes de capitulo intelliguntur scire quae sciunt eorum maiores vel administratores, ut ff. ad municip., municeps? Potest dici quod ideo praelati et officiales puniuntur, quia eorum consilio et auctoritate omnia fiunt, 10. q. 2, episcopus; C. de appellat., iudicibus; et C. de appellat., quoniam 2, ubi officiales puniuntur quia non restituerunt iudicibus perperam procedentibus, et arg. 2. q. 7, quapropter. Sed numquid collegium ipsum poterit accusari aut inquiri de crimine ipsius? Videtur quod sic, 12. q. 2, qui manumittitur; et supra, de simon., veniens. Nam universitas convenitur ratione metus, ff. quod metus cau., metum § 2. Ecclesiam enim delinquere potest, 7. q. 1, sicut. Sed contra videtur quod universitas non potest

X 5.03.31 Licet Heli (rev. 9/23)

excommunicari, ut arg. 24. q. 3, si habes; infra, de sent. excom., extravag. Romana § ulti. Nec dolum committere potest, ff. de dolo mal., sed si ex dolo § sed an. Nec universitas dicitur aliquid possidere, ff. de acq. poss., possessio appellata § penulti. Item universitas per actorem vel procuratorem syndicum debet se defendere, sed in crimine non intervenit procurator, 5. q. 3, in criminalibus; et supra, de accusat., veniens. Io. dicit quod universitas non potest accusari vel puniri, sed maiores de universitate ut hic dicitur, et supra, de simon., veniens. Tanc. dixit et bene quod licet universitas sive collegium non possit accusari, potest tamen inquisitio fieri de excessibus collegii et canonice puniri possunt. Sed illi plus quod magis delicti causam esse constiterit, infra, de cleri. excom., latores; et hic, et supra, de simon., veniens; et 44. dist., comessationes; et 25. q. 2, ita nos; et ff. de condi. et demon., municipibus.

Suspendas
Sed nonne sunt ipso iure suspensi? Sic. De hoc dictum est supra, de simon., accusatum. Acta vero poenitentia restituuntur executioni auctoritate Papae. Ber.

Taxatione
Hoc ideo dicit quia taxatio est quaedam venditio, ff. de iure dot., plerumque § si ante. Et quasi quaedam pactio videtur.

Gratis
Infra, de simon., tua. Simile, 18. dist., de eulogiis.

X 5.03.31 *Licet Heli*

Excepit
Id est, recepit. Sic, 23. q. 5, non est nostrum; supra, ut lite non cont., quoniam § penulti.

Filiis
Scilicet Ophni et Phinees.

In bello
Quod habuerunt filii Israel cum Philisthaeis. Tanc.

Expiravit
37. dist., legant.

Damnabilius
81. dist., dictum est; et supra, de offi. ord., irrefragabili.

Notoriis
In notoriis non est necessarius accusator vel testis vel inquisitio vel denunciatio, supra, de accusat., evidentia; et 2. q. 1, de manifesta; et 2. q. 1, scelus. Sic supra, de accusat., qualiter et quando 2. Nec est purgatio indicenda, infra, de purg. can., cum dilectus. Tanc.

BOOK V **X 5.03 DE SIMONIA ET NE ALIQUID PRO SPIRITUALIBUS EXIGATUR VEL PROMITTATUR**

X 5.03.31 Licet Heli (rev. 9/23)

Inscriptio

Ex hoc patet quod ubi agitur in modum accusationis, non debet praecedere admonitio. Ad quid enim fieret admonitio, cum etiam post poenitentiam posset accusari et deponi si esset convictus, arg. 33. q. 2, admonere; et 25. dist., primum. Sed ubi de crimine civiliter agitur ad poenitentiam praecedere debet admonitio, et sic loquuntur illae decretales 2. q. 7, accusatio; et 2. q. 7, si quis erga; et supra, de accusat., si quis. Item ubi agitur ad poenam excommunicationis praecedere debet admonitio, 16. q. 7, omnes decimae; 17. q. 4, de presbyterorum; 12. q. 3, indigne; et infra, de sent. excom., sacro. Sed in pecuniariis causis non est necessaria admonitio, licet sit arg. contra C. de pignorib., debitores. Sed illud intelligitur ex honestate. Et sic possent intelligi praedicta capitula 2. q. 7, accusatio; et 2. q. 7, si quis erga. Sed cum agitur in modum inquisitionis non est necessaria admonitio, sed sufficit sola fama vel clamor, ut hic patet. Io.

Descendam

2. q. 1, Deus omnipotens.

Canonicas sanctiones

86. dist., si quid vero.

Iudex

Non enim potest quis esse accusator et iudex simul vel accusator et testis, 2. q. 1, in primas; et 2. q. 1, multi; et 4. q. 4, nullus umquam; et 4. q. 4, nullus introducatur. Nisi in causa denunciationis, 11. q. 3, praecipue; et supra, de testib., in omni. Et idem videtur in causa matrimonii, 35. q. 6, episcopus in synodo. Sed ille talis accusator sive testis non sufficit nisi testes inducantur. Io.

Iudicii formam

Sic supra, de accusat., qualiter et quando 1, vers. fi., et ibi expositum est. Et ita iudex semper secundum finem ad quem quis agit, formabit sententiam. Hoc est depositionis in accusatione, remotionis ab administratione in inquisitione, poenitentiae peragendae in denunciatione, supra, de ord. cognit., cum dilectus; et supra, de except., denique; et supra, de accusat., super his; et ff. de negot. gest., Pomponius 2, in fi.; ff. comm. divid., ut fundus. Arg. contra supra, de concess. praeben., ex parte, ubi iudex aliter sententiat quam allegaretur, supra, de accusat., inquisitionis, 1. resp., ibi solvitur. Item contra ff. de aedil. edict., bovem § aliquando, ibi dicitur quod licet sit actum quanto minoris, iudex tamen potest condemnare ac si esset actum redhibitoria.

Detulerunt

Id est, denunciaverunt, ut sequentia probant ibi.

Evangelicam

Supra, de iudic., novit; et 2. q. 1, si peccaverit.

Ex officio nostro

Quo praelatus debet purgare provinciam, supra, de offi. ord., perniciosa; et supra, de accusat., qualiter et quando 2; et 35. q. 6, episcopus in synodo; et supra, de accusat., sicut;

X 5.03.31 Licet Heli (rev. 9/23)

ff. de off. praes., praeses provinciae in suae provinciae; ff. de susp. tut., tutor § praeterea. Et nota quod dicit quod illi qui venerant ad denunciandum inquisitionem testes admissi sunt. Sic supra, de elect., in causis; et supra, de renunciat., post translationem. Arg. contra supra, de accusat., cum P; et supra, de elect., innotuit, ad fi. Sed hoc non nocet, quia in illa supra, de accusat., cum P, repelluntur propter inimicitias et mutuas accusationes. Hic secus quia hic non erant inimici denunciatores, alias non admitteruntur, unde possunt perhibere tesimonium in inquisitione, quia ex quo admittuntur ad unum et ad aliud. Vincen.

Propositis

Scilicet criminibus praedictis de quibus denunciatus fuerat et clamor ad Papam pervenerat, plenam et meram debent dicere veritatem, supra, de accusat., qualiter et quando 1 § formam. Ber.

De dilapidatione

Qui enim denuciatur de dilapidatione suspectus, interim dum cognoscitur de dilapidatione debet interdici ei omne genus alienationis. Et si merito est de dilapidatione suspectus, dandus est ei coadiutor sine cuius consilio nihil faciat de his quae pertinent etiam ad administrationem temporalem, supra, de accusat., praelatorum; et supra, de offi. deleg., venerabili, ubi plene habes qualiter procedatur in causa huiusmodi. Hoc tamen scias quod talis qui removetur ob dolum infamis efficitur, secus si ob culpam, C. de susp. tut., suspectos. Item quid si alia crimina non probarentur contra istum abbatem, numquid si vellet reddere ecclesiam indemnem, remaneret in administratione abbatiae? Videtur quod sic, supra, de rebus ecc. non alien., si quis; et supra, de elect., quod sicut, ubi haec quaestio expeditur. Dic ut ibi.

Indifferenter

Videtur quod haec duo crimina parificentur quantum ad accusationem et testimonium, 15. q. 3, sane. Item quia simonia est maius crimen quam haeresis, 1. q. 1, eos; et infamis efficitur ut 1. q. 3, si quis praebendas. Immo maius est omnibus aliis criminibus, infra, de simon., per tuas 1; et 1. q. 7, patet. Sed in haeresi quilibet admittitur, ergo multo fortius in simonia quilibet admittetur, supra, de simon., tanta; 79. dist., si quis Papa; et C. de episc. et cler., si quemquam. De hac materia dicitur plene supra, de accusat., cum P.

Alia poena

Quia in crimine laesae maiestatis capite quis punitur, 6. q. 1 § verum, vers. si quis cum. Item iura paternorum sepulchrorum adimuntur, ff. de suis et leg. hered., intestati § interdum. Item non sunt lugendi, ff. de rel. et sump. fun., minime. Quae poena non spectat ad simoniacum, sed deponitur cum nota infamiae, 1. q. 1, reperiuntur; et 1. q. 3, si quis praebendas; et C. de episc. et cler., si quemquam. Vincen.

Distinguendum

Hoc ideo dicit quia per testes crimina probantur et non per accusatores. Unde non omnes qui admittuntur ad accusandum debent admitti ad testificandum, supra, de testib., de caetero.

BOOK V **X 5.03 DE SIMONIA ET NE ALIQUID PRO SPIRITUALIBUS EXIGATUR VEL PROMITTATUR**

X 5.03.32 Per tuas (rev. 9/23)

Probandas

Scilicet conspirationes et inimicitias capitales, infra, de simon., per tuas 1, ubi haec exponuntur.

Quae probatae

Id est, quibus probatis, infra, de simon., per tuas 1, alias non habent verbum. Simile 7. q. 1, qualiter. Et illud Evangelii: illi satiati cesset murmuratio eorum.

Viderentur

In fine huius capituli remotae sunt illae exceptiones, scilicet conspirationes et inimicitiae, furtum et adulterium, etc., ut in capitulis sequentibus. Ber.

X 5.03.32 *Per tuas*

Quamvis ad abolendam

Quam habebas olim in eodem titulo in secunda compilatione.

Simoniaca pravitate

Praeterea idem videretur de alio crimine excepto, ut hic distinguitur circa modum agendi. Ber.

Simpliciter

Id est, in modum denunciationis et inquisitionis. Ber.

Excellentioris

Puta episcopus regularis, cum quo non est taliter procedendum propter maius scandalum. Sed quare hoc dicit cum in iudiciis non debeat attendi dignitas alterius, 3. q. 9, necesse. Et aequalitas servanda est in iudiciis, C. de prox. sacr. scrin., in sacris, lib. 12? Respondeo: hoc ideo dicit propter maius scandalum et reverentiam ordinis excellentioris. Et absurdum videretur si taliter removeretur episcopus, sicut abbas. Et non ita de facili proceditur contra maiorem sicut contra minorem, arg. supra, de accusat., qualiter et quando 2. Et ubi maius scandalum seu periculum vertitur, cautius est agendum, 42. dist., quiescamus; 7. q. 2, nuper; et ff. de Carb., si cui controversia § sed et si quis. Et aliter puniuntur maiores, aliter minores, 24. q. 1, qui contra ecclesiae pacem; et 45. dist., cum beatus. Io.

Infamatus

Simile 2. q. 1, in primis.

Sine scandalo

Ut ex hoc facilius admittantur vel repellantur, arg. 23. q. 4, non potest.

Vel minora

Hoc ideo dicit, quia si sint eadem crimina, ut puta simonia eadem de qua agitur, non admittitur quia socius non admittitur, supra, de testib., veniens 1. Ber.

X 5.03.32 Per tuas (rev. 9/23)

An paria

Hoc ideo forte dicit, quia licet repelli omnino non possint cum sint emendati. Quanto maiora crimina eis obiiciuntur, tanto minor fides eis adhibetur. Tanc.

Ex malignitatis fomite

Hoc dicit propter inimicos capitales et conspiratores, qui non debent admitti, ut infra dicitur. Ber.

Adminicula

Quia sine aliis adminiculis et praesumptionibus viles testes in crimine simoniae non sunt audiendi, quia vilibus sine tormentis credi non debet, 4. q. 3, si testes § si autem ea rei; et 2. q. 1, in primis. Et quia a tormentis non est incipiendum, ff. de quaest., quaestionem; et infra, de reg. iur., cum in contemplatione. Tanc.

Distinguenda

Haec est intentio praecedentium distinctionum, aut enim agitur criminaliter aut civiliter. Si criminaliter, tunc testes criminosi etiam in exceptis criminibus contra neminem audiuntur, sive accusatus sit bonae famae sive malae. Si vero agitur civiliter, tunc contra saecularem praelatum non sunt audiendi vel admittendi criminosi testes nisi sint emendati de crimine. Et tunc admittuntur de aequitate non de rigore. Nec etiam tunc audiuntur, nisi adsint alia adminicula. Sed contra regulares praelatos infamatos inferioris gradus admittuntur criminosi si civiliter agitur de aequitate, sed non de rigore et cum aliis adminiculis. Et hoc intellige in testibus ad accusandum vero bene admittuntur infames contra illum qui est malae famae, ut supra, de simon., tanta. Io.

Insufficientia

Propter insufficientiam removetur praelatus ab administratione, supra, de aetat. et qualit., quamvis; et 18. q. 2, si quis abbas.

Conspirationes

Conspiratio enim gravissimum crimen est, ita quod meretur deponi, 11. q. 1, coniurationum; et 11. q. 1, conspirationum. Et ibi in subversionem status alterius conspirant, unde tamquam inimici repellendi sunt, ut capitulis praedictis et supra, de re iudic., cum I et A.

Inimicitias capitales

Propter alias vero non removetur quis a testimonio, 4. q. 3 § item in criminali. Ibi tamen non determinatur de qua inimicitia, et ff. de recepti., licet; Inst. de excusat. § inimicitiae. Et levis offensa non adimit legatum, ff. de adimen. leg., si quis § non solum, in fi. Sed minor fides eis adhibetur, in Auth de testi. § si vero quis dicat, coll. 7; C. de testi., authen. si testis productus. Tamen si inimici et conspiratores redeant in amicitiam, post reconciliationem videtur quod possint admitti, quia et legatum per capitales inimicitias vel alias gravissimas intervenientes adimitur. Sed si redeant in amicitiam, redintegratur legatum, ff. de adimen. leg., si quis § non solum, in fi; et ff. de adimen. leg., quod si iterum. Ita tamen quod non in eo negotio vel causa pro qua conspiraverunt, et reconciliatio non sit recens, arg. 3. q. 5, accusatores. Ber.

Furti et adulterii
Et sic opponebantur minora crimina. Sed numquid periuris admitteretur? Dicendum est quod non quantumcumque sit emendatus, quia qui semel est periurus ad iuramentum non auditur, 22. q. 5, parvuli; et supra, de praesump., litteras; 2. q. 7, non potest. Quia praesumitur quod iterum deieraret, arg. ff. de accusation., si cui § eisdem; et 6. q. 1, quicumque. Et est expressum supra, de testib., testimonium. Ber.

Pro nihilo
Ut 1. q. 7, patet; et supra, de simon., tanta. Ber.

Debilitarent
Et ita testis qui fuerit criminosus, licet sit emendatus, non facit plenam probationem nisi adsint alia adminicula. Criminosus enim semper habet caput vulneratum, 1. q. 1, ventum. Quia et si poeniteat, quaedam tamen irregularitas manet quae non aboletur per poenitentiam, 50. dist., illud; 1. q. 7, si quis omnem; et 2. q. 3, Enthemium § hinc colligitur. Laur. Debilitarentur dicta talium testium si haec probarentur, sed haec non probantur, quia alia adminicula aderat. Alias si nulla fuissent adminicula, non sufficerent dicta eorum. Et est arg. quod non debet quis admitti ad probandum quo probato non prodest, C. de probation., ad probationem. Simile supra, de offi. deleg., cum contingat.

Ex toto
Cum iam essent emendati de crimine. Et dic, praesertim, id est, tantum. Non enim crederem testem infamem esse admittendum nisi alia indicia praecederent, cum a tormentis non sit incipiendum, infra, de reg. iur., cum in contemplatione. Nec tales admittuntur sine quaestione, 2. q. 1, in primis, ad fi.; et 5. q. 5, illi qui. Laur.

Praesertim
Id est, tantum. Secundum alios tenetur proprie.

Emendati
Si enim testis emndatus est de crimine, admitti debet si civiliter agitur, ut hic patet; et arg. 50. dist., quia sanctitas; et 50. dist., Domino sancto. Et hoc verum intellige, si eum ex illo crimine non comitetur infamia, et nisi in crimine periurii, qui etiam si sit emendatus, non admittetur, supra, de testib., testimonium. Sed si criminaliter agit, non admittitur etiam si sit emendatus ut in decretali supra, de testib., testimonium; et 6. q. 1, qui crimen. Item ex hoc videtur quod si testis cui obiicitur crimen, ut repellatur, vult probare se emendatum, quod debeat audiri cum iam non sit criminosus, supra, de except., denique, ubi de hoc; et arg. 3. q. 7, qui sine.

Tales contra talem
Scilicet regularem inferioris gradus et malae opinionis qui de facili potest puniri. Qualis fuit abbas iste, et respicit secundam distinctionem supra, vers. item utrum ipse regularis, et capitulum pro altera parte tantum.

X 5.03.32 Per tuas (rev. 9/23)

Taliter

Scilicet civiliter, cum agitur in modum inquisitionis secundum temperentiam aequitatis prout sequitur in littera. Et respicit primam distinctionem supra, circa princ., vers. utrum is etc. Et ita tales testes contra talem praelatum admittuntur, cum civiliter agitur secundum aequitatem, ergo a contrario sensu colligitur, quod si agatur criminaliter aut etiam civliter, secundum rigorem contra regularem et infamatum, ut dictum est, non admittuntur tales testes qui non sunt emendati, etiam cum aliis adminiculis in crimine excepto, et multo minus si agitur contra saecularem etiam civiliter et secundum aequitatem, quia tunc tales testes non admittuntur. Et sic maius est privilegium clericorum quam monachorum, quia in eodem modo agendi alii testes admittuntur contra clericos, et alii contra monachos, arg. 16. q. 1, legi; et 16. q. 1, alia est causa; et 93. dist., a subdiacono. Sed arg. contra 2. q. 1, in primis, ubi indistincte dicit non distinguendo inter regularem et saecularem. Sed illud loquitur in accusatione. Et sic patet quod si agatur criminaliter contra saecularem, aut etiam regularem infamatum de crimine simoniae sive de crimine excepto, tantum honesti testes admittuntur, et sufficit si sint emendati et hoc de aequitate. Videtur tamen per decretalem Gregorii quod de iure et non de aequitate admittendi sunt testes emendati, etiam sine aliis adminiculis cum agitur civiliter de crimine sine aliqua distinctione, supra, de testib., testimonium. Ergo in simonia multo fortius cum sit crimen exceptum, quoniam in aliis sunt admittendi testes emendati nisi in periurio, vel nisi eos infamia comitetur, ut ibi dicitur, nisi tu velles eam reducere ad aequitatem secundum istam. Sed contra potius videtur, ut scilicet ipsa reducatur ad illam tamquam ad posteriorem, ff. de legib., non est novum. Et sic non habent locum praemissae distinctiones. Ultima pars primae distinctionis tollitur, scilicet utrum agatur secundum iuris rigorem etc. Et sic remanet utrum agatur criminaliter an civiliter, ut si civiliter, admittantur testes emendati secundum tenorem illius decretalis praedictae. Secunda distinctio tollitur ex toto, scilicet utrum ipse sit regularis etc. Et illa distinctio quae fit circa personas testium remanet. Ergo hoc remanet inquirendum, utrum agatur criminaliter vel civiliter de crimine, et utrum testes sint honesti quibus crimina obiici non possunt, ut illi tantum admittantur si criminaliter agitur, aut fuerint criminosi et emendati, ut si agitur de crimine civiliter, illi bene admitti possint secundum decretalem praedictam. Et sic difficultas huius decretalis parum valet. Vel dic quod illa decretalis supra, de testib., testimonium, intelligitur cum agitur civiliter, et de crimine recipiuntur. Hoc intelligitur cum agitur de crimine excepto simoniae, scilicet civiliter. Et tunc recipiuntur testes viles et infames contra infamatos de aequitate et non de rigore. Qualis fuit iste abbas contra quem tales testes recepti fuerunt de aequitate tantum cum aliis adminiculis, ut hic patet, arg. optimum supra, de testib., non debet. Et hoc dicit Tanc. et Io. Laur. contra ut supra, in notula cum iam essent etc. Et istud praesertim secundum Io. et Tanc. ponitur comparative. Laur. exponit praesertim, id est, tantum. Et sic utraque decretalis remanet in suo loco. Et hoc innuunt ista verba, tales contra talem taliter duximus etc. Et dic tales, scilicet viles et criminosos, contra talem infamatum et irregularem, taliter, scilicet civiliter, de aequitate et non de rigore.

Duximus admittendos

Verba ista sic expone secundum Laur. tales, scilicet, testes emendatos de crimine furti, adulterii et consimilium criminum, qui ex caritate testificantur sine aliis adminiculis secundum Laur. Vel si non sunt emendati, admittuntur cum aliis adminiculis, ut dicitur

in fi. glossae secundum alios. Et respicit distinctionem supra, vers. praeterea, et vers. utrum ne testes pro altera parte, et sequentem vers. denique.

Civiliter
Quo casu admittuntur mulieres, supra, de testib., quoniam; et supra, de testib., tam litteris. Ber.

Ab administratione amoveretur
Secundum Evangelicam veritatem, supra, de accusat., qualiter et quando 2.

Levioribus
Sic supra, de accusat., qualiter et quando 2, in fi. Quia non ita pingue ius habent regulares sicut saeculares, arg. supra, de statu monach., cum ad monasterium; et supra, de statu monach., monachi, in fi. Vel potius quia non est tantum scandalum pro remotione regularis, sicut saecularis. Et hoc est de consuetudine approbata, ut dicit in fi. capituli. Tanc.

Amoveri
Ubi quis removetur propter fraudem, infamis est. Secus si propter simplicitatem, ff. de susp. tut., tutor § qui ob segnitiem; et C. de susp. tut., nihil proponi; nisi sit patronus, Inst. de susp. tut., in princ. Si vero non exprimatur an per fraudem vel per simplicitatem aliquis amoveatur, non est infamis, ff. de susp. tut., hae enim causae. Vincen.

Cessit
Et ita qui timore probationis cessit, non habebit aliquod privilegium, arg. 24. dist., si quis. Sed numquid iudex debet desistere ab inquisitione propter ipsius cessionem? Arg. quod non, ff. de iud., si quis postea. Arg. contra ff. de susp. tut., post finitam, quia nec dolum facit qui rem deserit ut litem effugiat, ff. de alien. iud. mut. caus., item si res § 1. Et qui diffidit de iure suo licite cedit liti, supra, de postul. praelat., bonae 2. Et iam finem inquisitionis consecuti sunt inquisitores, quare non debent amplius procedere inquisitores, nisi ut habeant ratam cessionem, sic supra, de elect., dudum ecclesia, in fi. Ber.

X 5.03.33 *Sicut tuis*

Canonicam
Hic habes expresse quod electio potest fieri de aliena ecclesia. De hoc nota supra, de elect., cum inter canonicos.

Ad Coloniensem
Sed quare hoc? Nonne capitulum ecclesiae cathedralis potuit eius electionem confirmare et ei dare licentiam ministrandi? Arg. quod non, 71. dist., fraternitatem; 24. dist., presbyteri. Sed verum est quod vacante ecclesia capitulum potest huiusmodi electiones confirmare, supra, de maior. et obed., cum olim, ubi de hoc. Sed hoc potest esse de consuetudine metropolis ecclesiae quod ad metropolitanum accedant. Ber.

X 5.03.33 Sicut tuis (rev. 9/23)

Sub interminatione anathematis

Arg. quod abbas confirmatus possit excommunicare, quod verum est et prior etiam, supra, de maior. et obed., cum in ecclesiis. Et haec fuit sententia excommunicationis et non comminatio ut sequentia probant. Et sic est arg. quod per talia verba, prohibeo sub interminatione anathematis vel sub excommunicatione feratur sententia, arg. ad hoc supra, de loc. et cond., ex rescripto; et infra, de eo qui furt. ord. recep., veniens. Sed dicas quod excommunicatio non fuit facta sub hac forma verborum, sed expresse excommunicavit qui contra facerent sub hac forma, quicumque solverit aliquid, illum excommunico. Et ita sub interminatione excommunicationis factae sub conditione lata fuit haec sententia. Et sententia excommunicationis sub conditione potest fieri, et qui contra facit est excommunicatus, infra, de sent. excom., a nobis fuit; et supra, de appell., praeterea requisiti. Et Papa refert hoc factum per istam formam, unde si dicatur, sub interminatione vel sub poena excommunicationis praecipio, non est excommunicatus qui contra facit, et sic est comminatio tantum. Et hoc probatur supra, de iure patron., relatum § 1; et supra, ne cler. vel mon. saecul. neg., clericis. Et sic intellige omnia illa iura, 63. dist., Salonitanae; et praedictas decretales supra, de loc. et cond., ex rescripto; et infra, de eo qui furt. ord. recep., veniens; et alia consimilia. De hoc etiam dicitur infra, de sagit., artem. Ber.

Exoluerunt

Forte bono zelo, sed non secundum scientiam, et ita erraverunt.

Canonum

1. q. 5, praesentium; et supra, de simon., de regularibus; et supra, de simon., ex insinuatione.

Praebere

Quia saepe qui tacet consentire videtur, 54. dist., si servus sciente; C. de nupt., si ut proponis. Et sic iste abbas consensisse praesumeretur, si postquam intellexerit, non contradixisset, sicut econverso videtur contradicere qui expresse non consentit, de conse. dist. 4, cum pro parvulis; ff. de procur., filiusfamilias § invitus; ff. de servitu. urb. praed., invitum; supra, de bapt. et eius effect., maiores, vers. fi. Arg. contra ff. de regul. iur., qui tacet. Vincen.

Quoniam

Pro quod. Sic et econverso quia ponitur pro quod, 3. q. 5, quod suspecti.

Consanguinitate

Supra, de aetat. et qualit., tuam.

Imputari

Dicit Vincen. quod hoc intelligitur cum iam aliquis est electus, et eo ignorante et reclamante datur pecunia confirmatori. Si autem nondum esse electus, licet eo reclamante daretur pecunia electoribus, obesset electo, quia per pecuniam eligitur, nisi dantes hoc facerent in odium eius, ut hic, et supra, de simon., nobis.

BOOK V **X 5.03 DE SIMONIA ET NE ALIQUID PRO SPIRITUALIBUS EXIGATUR VEL PROMITTATUR**

X 5.03.34 Tua nos (rev. 9/23)

Consenseris

Nam si consensisset simoniam commisisset, quia consentire est quandocumque consentire, et ante et post, 1. q. 1, eos, in fi.; et 1. q. 3, si quis praebendas; et 1. q. 3, si quis obiecerit. Quia in maleficiis ratihabitio retrotrahitur, et mandato comparatur, ff. de vi et de vi arm., praetor ait § quotiens; et supra, de restit. spol., cum ad sedem, in fi.; et 2. q. 1, notum. Et ita secundum canones possum habere ratum quod non meo nomine gestum est, 9. q. 2, Lugdunensis; et secundum leges, ff. de negot. gest., si pupilli § item quaeritur. Quidam dicunt ut Tanc. quod aliquis potest habere ratum. Sed simoniam non committit, quamvis graviter peccet, arg. infra, de simon., tua. Et in hoc dicit, pecunia solvendo potest esse arg. quod non sit simoniacus per solam ratihabitionem.

Parantis

Sic ff. si quis caut., non exigimus § ulti.

Damnosum

Quod esset iniquum cum peccata tantum tenere suos auctores debeant, C. de poe., sancimus; et supra, de his quae fi. a maior. par. cap., quaesivit. Et non debuit alius alterius odio praegravari, C. de inoffic. testam., si quis suo § legis autem.

Reportaret

Quod esse non debet, immo quandoque punitur in eo in quo deliquit, supra, de iure patron., pastoralis; et supra, de immun. eccl., immunitatem. Ber.

De occultis

32. dist., erubescant; 6. q. 1, si omnia; et 32. q. 5, Christiana; infra, de simon., tua. Ber.

X 5.03.34 *Tua nos*

Omnis pactio

1. q. 2, quam pio; et supra, de pact., pactiones.

Conventio

Et modus etiam, supra, ut eccl. ben., ut nostrum. Ber.

Rogans

Nota quod aliquis potest rogare ut in canonicum admittatur. De huiusmodi precibus nota supra, de aetat. et qualit., tuam. Ber.

Pure consentiant

Id est, sine aliqua pactione vel mala intentione. Hic enim patet quod eo tempore quo quis recipitur, potest aliquid offerre cessante omni conditione et pacto. Sed contra videtur quod non liceat tempore receptionis, arg. 1. q. 1, emendari. Ne quod gratis fieri debet, pro pretio fieri videatur. Et sic videatur habere speciem mali a qua etiam abstinendum est, infra, de simon., audivimus; supra, de vit. et honest. cler., cum ab omni. Et est arg. ad hoc 1. q. 2, quam pio, in fi., ubi dicitur, ac postmodum etc. Sed verum est ut hic dicitur quod tempore ingressus potest dari aliquid et licitum est. Dum tamen cesset

X 5.03.35 Per tuas (rev. 9/23)

pactio et conditio, ut hic dicitur, et supra, de probat., in praesentia; et supra, de succ. ab intest., cum dilectus; et supra, de simon., dilectus 2, in fi. Nec ideo minus donatio gratuita dicitur, arg. ff. mand. vel cont., si remunerandi; arg. 1. q. 1, iudices; 18. dist., de eulogiis; et arg. ff. de off. procon., solent § ulti.; et supra, de simon., dilectus 2, in fi. Alias dare sive ante sive post simonia est, 1. q. 1, eos, in fi. Sed caveat ille qui recipit et qui dat, ne sub specie talium munerum fraus committatur, 1. q. 1, si quis neque, et infra sequitur. Io.

De manifestis

Supra, de simon., per tuas 1, in fi.

Culpabiles

Non dicit simoniaci. Ad parem tamen poenam tenentur propter intentionem cum opere subsecuto, supra, de bigam., nuper. Isti simoniaci non dicuntur quantum ad ecclesiam, nisi velis dicere quod sola intentio facit hominem simoniacum, arg. 1. q. 1, qui studet; et 1. q. 1, reperiuntur; et 1. q. 3, non solum. Sicut sola spes lucri facit hominem usurarium, 14. q. 3, si foeneraveris; arg. infra, de usur., consuluit. Tanc. dicit quod sola pactio facit aliquem simoniacum, arg. huius decretalis, et supra, ut eccl. ben., ut nostrum. Io.

X 5.03.35 *Per tuas*

Ex relatione quorundam

Quibus credere non debuit, 33. dist., habuisse; arg. 81. dist., si quid vero. Arg. contra quod illud dicimur scire quod ab aliis audivimus, 22. q. 5, hoc videtur. Ber.

Secure ministret

Cum non constet ei illum simoniacum esse, alias si sciret simoniacum stultus esset, quia simoniacus non habet executionem, ut supra, de simon., tanta, unde eam dare non potest. Praeterea dixit Io. quod licet quis committat simoniam, non perdit eo ipso executionem nisi sit simoniacus in ordine. Alii dicunt contrarium quod omnis simoniacus ipso iure suspensus est, ut 1. q. 1, reperiuntur; et 1. q. 1, quibusdam. Illud videtur verum quod sive ordinem sive beneficium adeptus est per simoniam, impedit ordinis executionem etiam post peractam poenitentiam, supra, de accusat., inquisitionis, 2. resp. Praeterea si iste nescit pro vero illum esse simoniacum, quare Papa non dicit ei expresse quod recipiat ordines ab eodem, ut auferat ab eo errorem suum? Videtur quod ei laqueum iniiciat quod esse non debet, 27. q. 1, si quis votum. Solutio: Papa non debet ei dicere quod recipiat ordines ab ipso si habet super hoc conscientiam laesam, nec Papa eius conscientiam posset mutare nisi ipsemet eam mutaret, quia vis animo fieri non potest, 32. q. 5, proposito; et 32. q. 5, tolerabilius; et 32. q. 5, re vera. Unde dicit Papa consulendo potius quam praecipiendo, ut contra conscientiam non promoveatur ab illo episcopo nisi primo illam deponat, quia qui facit contra conscientiam aedificat ad gehennam, 28. q. 1, omnes § ex his; et supra, de restit. spol., litteras; et supra, de praescrip., quoniam. Sed numquid potest aliquis recipere ordines ab eo quem scit simoniacum in ordine? Dico quod non, et recipiendo ordines ab eo non recipit executionem, cum ordinator non habeat executionem, supra, de simon., tanta; et 1. q. 1, reperiuntur. Et potius debet pati excommunicationem quam recipere ordines ab ipso, infra, de sent. excom., inquisitioni.

X 5.03.36 In tantum (rev. 9/23)

Arg. si vero aliquis ignoranter etiam recipiat ordines a tali simoniaco in ordine, non recipit executionem nisi cum eo dispensetur, 1. q. 1, si quis a simoniacis; et supra, de ordin. ab ep. qui ren. epi., requisivit; et supra, de ordin. ab ep. qui ren. epi., cum clericis. Quia si eam non habent, aliis eam dare non possunt, 1. q. 1, gratia; et 1. q. 1, qui perfectionem; et 1. q. 7, Daibertum. Ber.

X 5.03.36 *In tantum*

Chrismate

Sic supra, de simon., ea quae, ubi habes similem variationem nominis. Pro chrismate vero vel oleo nil est accipiendum, supra, de simon., non satis. Et qui contra fecerit, poena canonica punitur, ut hic dicit, quae est poena depositionis cum nota infamiae, 1. q. 3, si quis praebendas. Ber.

Anticipant

Excogitata fraude de tempore ad tempus.

Variant

Talis variatio nominis non prodest, quia quodcumque nomen imponant simoniam committunt, sicut in usura, 14. q. 3, plerique. Sic enim faciunt usurarii, nunc appellant lucrum, nunc emolumentum, quandoque poenam in fraudem, arg. ff. si cert. pet., lecta est; sic C. de liber. caus., iubemus. Ber.

Qui prius

Emptor enim prius tenetur offerre pretium quam venditor ei rem tradat, ff. de act. emp. et vend., Iulianus § offerri. Sed si neuter habet fidem alteri, pretium et res deponatur apud sequestrum, ff. de solut., si soluturus. Io.

Aliorum culpa

Arg. quod delictum subditorum imputatur praelato. Simile supra, de offi. ord., irrefragabili, ubi de hoc. Ber.

Consuetudinem

In talibus enim non excusat consuetudo, sed potius accusat, supra, de simon., non satis; et supra, de simon., cum in ecclesiae. Quia malae consuetudines tempore non confirmantur, in Auth. ut nulli iudic. lic. hab. § nunc vero, vers. neque vero ab angariis, coll. 9.

Investitura

Pro qua nihil est dandum, supra, de simon., cum in ecclesiae. Nec pro aliquo sacramento spirituali, ut ibi dicitur, nec pastum nec pastellum quis dare debet, 1. q. 3, si quis praebendas. Ber.

X 5.03.37 *Per tuas nobis*

BOOK V **X 5.03 DE SIMONIA ET NE ALIQUID PRO SPIRITUALIBUS EXIGATUR VEL PROMITTATUR**

X 5.03.38 Consulere (rev. 9/23)

Intellexit

Propter hoc non excusatur, ut bene sequentia notant, quia potuit consulere peritiores, 37. dist., non omnis § ulti.; ff. de iuris et fact. ignor., regula § sed iuris. Ber.

Dispensatum

Sic infra, de simon., si quis ordinaverit, ubi etiam imponitur poena ordinatori, praesentatori et praesentato. Et ita dispensari potest cum simoniaco in ordine. Arg. contra 1. q. 1, erga simoniacos; et 1. q. 1, si quis neque. Sed illa capitula loquuntur in dignitate, et non negatur quin possit cum talibus dispensari, sed nulla misericordia est adhibenda in dignitate servanda, quin oporteat eos renunciare, quia poenitentiam ordine vel beneficio retento agere non possunt, 1. q. 7, requiritis; et supra, de accusat., inquisitionis, 1. resp. Quis possit cumo talibus dispensare dictum est supra, de simon., de simoniace; et melius supra, de renunciat., post translationem. De poena istorum dicitur infra, de simon., si quis ordinaverit, et quis cum talibus possit dispensare.

Ministrare

Triplici de causa, tum quia fuit hic munus a lingua, 1. q. 1, sunt nonnulli. Tum quia nulla conditio debet interveniri, ut supra, de simon., tua; et supra, de pact., pactiones; et 1. q. 2, quam pio. Tum quia per surreptionem voluit ordinem adipisci, arg. 24. dist., quando; et supra, de elect., cum dilectus. Io.

X 5.03.38 *Consulere*

Administrationem

Quod hic dicitur intellige per id quod habes 1. q. 3, salvator, circa medium capituli, ubi habes quod nulla administratio ecclesiastica potest vendi vel emi: praepositura, oeconomi officium, vicedominatus, advocatia sive castaldionatus, et iudicatura aut quaelibet alia administratio, ut 1. q. 1, si quis episcopus, in principio causae.

Voluerunt

Arg. quod sola voluntas facit hominem simoniacum, 1. q. 1, qui studet. Sed hoc non credo quod sola voluntas facit hominem simoniacum, dummodo contenta sit suis terminis, infra, de simon., mandato, licet alias peccet, ut ibi. Sed hic non fuit contenta suis finibus, immo processum fuit ad actum. Et hoc notatur per hoc quod dicit, tam ementes quam vendentes, vel ad studia emendi processerunt quantum in eis fuit. Unde tamquam simoniaci iudicandi sunt, 1. q. 1, qui studet. Et sic intellige quod dicit in fine, voluerunt.

X 5.03.39 *Sicut*

Per consuetudinem

Fingunt enim tales quod in consecratione aliquid licite petitur, non pro consecratione sed pro consuetudine, arg. 63. dist., quia sancta; et 63. dist., Agathosa; et 1. q. 3, quaesitum; et in Auth. de sanct. episc. § pro consuetudinibus, coll. 9. Sed hoc non est verum nec excusat consuetudo in huiusmodi spiritualibus vendendis, immo magis accusat, supra, de simon., non satis; et supra, de simon., cum in ecclesiae, ubi talia reprobantur. Io.

BOOK V **X 5.03 DE SIMONIA ET NE ALIQUID PRO SPIRITUALIBUS EXIGATUR VEL PROMITTATUR**

X 5.03.40 Quoniam (rev. 9/23)

Cum Giezi et Simone

Giezitae dicuntur a Giezi servo Helisei, qui primo in veteri testamento vendidit gratiam sanitatis Naaman principi Assyriorum. Unde venditores spiritualium proprie dicuntur Giezitae. Simoniaci dicuntur a Simone mago, qui postea in novo testamento voluit emere gratiam Spiritus Sancti, 1. q. 1, qui studet; et 1. q. 1, turpem. Ber.

X 5.03.40 *Quoniam*

Paupertatis

Praetextu enim paupertatis non debet quis operari peccatum mortale, sed potius quaelibet mala pati, 32. q. 5, ita ne; et supra, de his quae vi met. caus. fi., sacris; nec eo praetextu ignoscendum est illis, ff. de ritu nupt., palam § non est. Posset dici quod si ita pauperes sunt, quod non possunt ibi alias aliquo modo aliquem recipere, quia non haberent ibi victum, sub hac forma possent recipi: non habemus quid demus tibi pro victu nisi tu portes tecum unde vivas, dum tamen hoc non dicatur in fraudem et sine aliquo pacto, arg. 1. q. 2, si quis propter hoc. Io. Sed tutius est ut nullo casu taliter aliquis vel aliqua recipiatur. Ber.

Expellatur

Videtur hoc esse intelligendum cum distinctione illius decretalis supra, de simon., dilectus 2, ut si directe actum sit contra tales in modum accusationis quod deponantur. Si in modum inquisitionis, fiat ut hic dicitur, sic distinguit illa decretalis supra, de simon., dilectus 2. Item arg. contra supra, de accusat., inquisitionis, ubi deponitur simoniacus in modum inquisitionis. Credo quod hodie standum sit huic constitutioni circa regulares simoniacos, ut poena ista solummodo imponatur qualitercumque constet de crimine, ut in arctiori monasterio ad agendum perpetuam poenitentiam detrudatur sine ordinis sui executione, cum alias poenitentiam agere non possunt, 1. q. 7, requiritis; arg. supra, de accusat., inquisitionis. Et satis intelliguntur depositi, nam extra claustrum morari non debent ne damnabiliter evagentur, ut infra dicitur, et arg. supra, de regular., ne religiosi. Sed numquid restituitur ei pecunia? Potest dici quod sic, supra, de simon., veniens. De hoc dictum est supra, de simon., de hoc. Quid si non inveniuntur arctiora monasteria? Nihilominus mutabunt ea, arg. 81. dist., valet. Vel si visum fuerit, renunciabunt locis suis et denuo restituentur in illis dispensative, prout sequitur infra, de aliis qui ante hoc statutum sunt recepti, ut perpetuam poenitanetiam ibi agant.

Perpetuam

Sic 1. q. 1, reperiuntur; et 1. q. 1, si quis neque. Sic haeretici cum redierint ad agendum poenitentiam in perpetuum carcarem detruduntur, infra, de haeret., excommunicamus et anathematizamus, quia et simonia dicitur haeresis, 6. q. 1, sed licet. Ber.

Multitudinem

Ut propter hoc detrahatur servitati, sic infra, de cleri. excom., latores; et supra, de temp. ord., sane. Ber.

BOOK V **X 5.03 DE SIMONIA ET NE ALIQUID PRO SPIRITUALIBUS EXIGATUR VEL PROMITTATUR**

X 5.03.41 Audivimus (rev. 9/23)

Vel ignorantiam

Sic supra, de loc. et cond., ex rescripto; sic 82. dist., proposuisti.

X 5.03.41 *Audivimus*

Persolvatur

Numquid talis dicitur simoniacus qui sic solvit pecuniam? Videtur quod non quia redimit ius suum, ut supra, de simon., dilectus 1, ubi plene de hoc. Sicut licitum est alicui corrumpere accusatorem suum, ut 2. q. 3, si quem § notandum. Io.

Sed ab omni specie

Arg. 1. q. 1, emendari; et supra, de vit. et honest. cler., cum ab omni.

Duplicata

Sic supra, de censib., procurationes, in fi.; et supra, de immun. eccl., quia plerique; et in Auth. de sanct. episc. § si vero laicus, coll. 9, in 2. colum. Ber.

X 5.03.42 *Ad apostolicam*

Pietatis

Praetextu impietatis non est impietas committenda, 1. q. 1, non est putanda; et 14. q. 5, neque enim si agris; et 30. q. 1, nosse.

Libere conferantur

Sacramenta enim ecclesiastica gratis sine aliqua exactione sunt conferenda, supra, de simon., cum in ecclesiae; et supra, de simon., ea quae.

Nituntur laudabilem

Ergo laudabilis consuetudo servanda est cuius transgressor ut iuris punitur, 11. dist., in his. Et videtur ex hac littera quod clerici licet nihil petere possint pro talibus sacramentis, si consuetudo laudabilis super his servari consuevit, quod per superiorem cogi possunt officio iudicis implorato ad illam servandam, quae ex pietate introducta est. Vel potest intelligi quod hic dicitur, ut Io. dixit, quod laici abutuntur consuetudinibus quae illis pietatis causa permissae sunt, ut cum permittitur eis praesentare clericum, ipsi volunt eum instituere, vel cum ipsi requiruntur ut consentiant, ipsi volunt eligere. De quibus habes supra, de iure patron., praeterea quia, et in pluribus aliis. Quod non credo, sed dic ut prius dictum est. Ber.

X 5.03.43 *Ne Dei*

Solemnitates

Installare abbates et abbatissas in sede ponere pertinet ad officium archidiaconi, supra, de offi. archidiac., ut nostrum. Et talis installationis solemnitas non requiritur in abbatibus ordinis Cisterciensis, ut hic patet.

BOOK V **X 5.03 DE SIMONIA ET NE ALIQUID PRO SPIRITUALIBUS EXIGATUR VEL PROMITTATUR**

X 5.03.44 Iacobus (rev. 9/23)

Forma professionis

Qua profitentur se praestaturos suis episcopis subiectionem et caetera quae sequuntur. Sic et archiepiscopi debent esse contenti forma professionis a canonibus constituta, supra, de maior. et obed., dilecti filii, qua et Papa contentus est, ut ibi dicitur.

Successoribus

Et itaque postquam fecit obedientiam praedecessoribus, amplius eam facere successoribus compelli non debet, ut supra, de iureiur., veritatis; et idem in vasallo, ut ibi dicitur.

Canonice

Alias non teneretur, puta si esset intrusus sine consensu clericorum, 22. q. 2, alienationes. Ber.

Salvo ordine

Nam contra regulam obedire non tenentur, ut hic dicitur. In his quae contra regulam vel quae illicita sunt nullus obedire tenetur, 11. q. 3, si quis episcopus; et 11. q. 3, non semper; et 11. q. 3, si dominus; et 11. q. 3, Iulianus. Sed bonum agitur quandoque propter obedientiam intermittitur, 11. q. 3, quid ergo. Et est simile huic loco supra, de iureiur., ego. Ber.

X 5.03.44 *Iacobus*

Tali consuetudine

Quae non excusat. Sic supra, de simon., veniens. Immo potius simoniam inducit quia pro pastu vel pastello exigi aliquid non debet pro huiusmodi spiritualibus, supra, de simon., in ordinando; et 1. q. 3, si quis praebendas; non obstante antiqua consuetudine, ut ibi supra, de simon., in pluribus capitulis. Ber.

X 5.03.45 *Si quis ordinaverit*

Promissionem vel iuramentum

Pactum tale sive iuramentum turpe est, ideo nullam obligationem inducit, supra, de pact., pactiones; et ff. de ver. oblig., generaliter. Et quia perpetuam habet causam prohibitionis nulla est obligatio, ff. de ver. oblig., si stipuler. Et ita habes quod si principale non tenet, nec iuramentum super hoc factum. Simile supra, de for. compet., si diligenti, in fi.; C. de legi. et const., non dubium. Arg. supra, de iureiur., debitores, et licet talis obligatio non tenuerit, punitur ordinator a collatione ordinum, ut in eo puniatur in quo peccavit, supra, de iure patron., pastoralis, cum suis similibus.

Ab executione per triennium

Et ita simoniaci iudicantur nec tamen deponuntur, nisi quia ad tempus suspenduntur. Sed hoc forte ideo est quia nihil datur vel recipitur pro ordinatione vel praesentatione, quia simonia est studiosa voluntas emendi vel vendendi spiritualia, arg. 1. q. 1, qui studet. Sed emptio vel venditio sine pretio non constitit, Inst. de emp. et ven. § pretium autem; et ff. de act. emp. et vend., si in emptione § sine; sed hic nullum pretium datum est. Sed

contra, iste remisit ius quod sibi competeret ex tali praesentatione contra praesentatorem vel ordinatorem qui tenebatur sibi ad provisionem, supra, de praeben., cum secundum Apostolum. Sed idem est remittere quod dare, supra, de testib., veniens 1; et ff. de calum., quin etiam, et ita debent deponi. Hic nihil remittitur, quia nihil adhuc debetur sed renunciatur iuri quod in futurum posset acquiri si praesentetur debito modo. Sed in contrariis remittitur quod in praesento debetur. Sed hic fieret talis remissio, deponeretur tam dans quam recipiens si convinceretur, supra, de simon., de hoc; et supra, de simon., insinuatum. Et ideo minor poena imponitur propter affectum cum opere subsecuto, supra, de bigam., nuper; et supra, de bigam., a nobis. Et hoc intellige si crimen sit occultum. Si vero esset manifestum, semper essent suspensi. Et si accusarentur et convincerentur, deponerentur ex tali promissione vel iuramento. Ber.

Dispensationem
Sic supra, de simon., per tuas 3.

Per sedem Apostolicam
Hic patet quod cum simoniaco scienter in ordine solus Papa dispensat. Idem intelligo in dignitate et beneficio, ut dixi supra, de simon., de simoniace; et supra, de renunciat., post translationem.

Suspensos
Ipso iure.

X 5.03.46 *Mandato*

Concilii
Supra, de simon., quoniam.

Abbates
Mandatum fuit alicui ut dispensaret cum monachis qui per simoniam monasterium sunt ingressi, nulla mentione habita de abbatibus, et tamen hoc extenditur ad abbates, et ita habes hic arg. quod beneficium principis largissime interpretandum est, infra, de verb. sign., olim; et ff. de constit. princ., beneficium; et supra, de dona., cum dilecti, in fi. Arg. quia in beneficiis, ut ibi dicitur, plena est interpretatio facienda. Item arg. cui conceditur minus et maius concessum videtur, ut 16. q. 2, visis; sed potius contrarium dici consuevit, supra, de decim., ex parte tua 2. Sic quod de monachis dicitur ad regulares extenditur, supra, de postuland., ex parte. Ber.

Affectu animi
Ergo sola voluntas sive affectus animi non facit aliquem simoniacum, licet aliter peccet, ut dixi supra, de simon., consulere. Et est simile supra, de simon., tua, ad fi.; et simile infra, de usur., in civitate. Sed secus videtur in usura, ubi sola spes usurarii usuram inducere videtur, ut 14. q. 3, si foeneraveris; et infra, de usur., consuluit. Item habes hic quod affectus sive voluntas punitur et merito, quia non ambitione sed labore ad honorem convenit pervenire, C. de re milit., contra publicam, lib. 12; et 61. dist., miramur, in fi. Et talibus honor est auferendus, 8. q. 1, in scripturis; et 1. q. 6, sicut is; et hic. Et haec

ambitio sola poenitentia purgatur sine renunciatione, et huiusmodi levis simonia potest leviter indulgeri, sic 68. dist., sicut; et supra, de accusat., cum dilectus. Et ita collige quod aliquis promovetur cum mortali, nec deponitur nec dicitur proprie simonia talis affectus animi. Ber.

X 5.04 NE PRAELATI VICES SUAS VEL ECCLESIAS SUB ANNUO CENSU CONCEDANT

X 5.04.01 *Praeterea*

Decani
Id est, archipresbyteri rurales, qui spirituale habent iurisdictionem, 50. dist., in capite. Sic appellantur supra, de censib., cum Apostolus; et supra, de offi. archidiac., ad haec § ulti. Ber.

Quantitate
Data episcopo pro sua iurisdictione quam emunt isti decani. Quod non licet, ut hic patet, sed econverso episcopus si committat vices suas alicui, potest et debet ei constituere salarium de camera sua, cum ille ad hoc non teneatur, arg. 12. q. 2, caritatem; et 12. q. 2, quicumque 2. Item est hic arg. quod plebani sive archipresbyteri non habent iurisdictionem, et hoc satis videtur nisi habeant ex consuetudine, infra, de excess. praelat., ad haec. Arg. contra supra, de offi. ord., cum ab ecclesiarum, ubi de hoc. Et haec decretalis et sequens pertinet ad primam partem tituli. Et expone vices, id est, iurisdictiones. Unde consuevit dici, committo tibi vices meas, id est, iurisdictionem meam.

Conferendi
Ut in eo puniatur in quo peccavit, sic supra, de simon., si quis ordinaverit; et supra, de elect., cum in cunctis; et supra, de elect., nihil est; 1. q. 1, si qui episcopi; et supra, de temp. ord., litteras, et in pluribus aliis capitulis ibi, et qui recipit officio suo privabitur. Sic ergo patet quod iurisdictio vendi non potest, infra, ne prael. vic., quoniam in quibusdam; et 21. q. 2, praecipimus. Arg. contra infra, ne prael. vic., querelam. Non est contra quia ibi non loquitur de iuridictione, sed de fructibus qui conceduntur ad firmam. Ber.

X 5.04.02 *Quoniam in quibusdam*

Pretio
Quod non licet, supra, ne prael. vic., praeterea. Immo simoniacum est. Et ne subditi hac occasione ultra debitum aggraventur, arg. 23. q. 1, militare. Et ubicumque episcopus aliquid gratis facere debet ratione officii, si aliquid exigat, simoniam committere videtur, maxime cum iurisdictio sit spiritualis, ut 1. q. 3, ex multis; et 1. q. 3, vendentes; et 1. q. 3, non solum. Tanc.

BOOK V **X 5.04 NE PRAELATI VICES SUAS VEL ECCLESIAS SUB ANNUO CENSU CONCEDANT**

X 5.04.03 Quoniam enormis (rev. 9/23)

Statuuntur

Numquid episcopus potest dare ordinarium iudicem? Non, sed tamen princeps vel lex, arg. 2. q. 6, a iudicibus § quod de arbitris; ff. de iuris., et quia. Sed ab universitate eligendus est, et tunc lex dat ei iurisdictionem ordinariam, arg. 63. dist., si in plebibus; in Auth. de defensor. civit. § nos igitur, coll. 3. Si tamen consuetudo est quod episcopus dat ordinariam admittenda est, ita tamen ut perpetuo instituatur, et non sub censu certo, arg. C. de emancip. lib., si lex. Laur.

Canonica percellatur

Ut dictum est supra, ne prael. vic., praeterea. Quandoque tamen deponitur, 81. dist., dictum. Quandoque vero ad tempus suspenditur, 1. q. 1, quicquid; et 21. q. 4, praecipimus; 21. q. 4, episcopi, arg.

X 5.04.03 *Quoniam enormis*

Regimen statuantur

Tamquam praelati quia simoniacum est, si pro pretio ecclesiarum regimen committatur, 1. q. 3, salvator. Sed si iusta causa absens esset vel alias intendere episcopus non posset, constituere potest sibi vicarium, cui de suo provideat, ut dixi supra, ne prael. vic., praeterea. Et talis vicarius habebit curam animarum delegatam, supra, de offi. vicar., ex parte. Laur.

Prohibemus

21. q. 2, praecipimus; et 1. q. 3, si quis dator.

Sacerdotium

Id est, praelatura, et pertinet ad secundam partem tituli. Vel ecclesias, id est, praelationes, quae pretio dari non debent nec esse debent censuales. Sed ecclesia bene posset constitui ab initio censualis, supra, de censib., scientes; et supra, de censib., prohibemus.

X 5.04.04 *Querelam*

Praestita fide

Si enim contra fidem vel iuramentum nulla venisset necessitate compulsus, privari poterat ecclesia, supra, de iureiur., querelam; et supra, de fideiuss., pervenit.

Statutum terminum

Sed pone quod interim moriatur G. persona ecclesiae quae locavit, numquid successor tenetur stare contractui? Potest dici, si nomine ecclesiae pro utilitate ecclesiae contraxisset et pecunia inde recepta in utilitatem ecclesiae conversa fuisset, teneretur successor stare contractui, supra, de solution., ad hoc; 12. q. 2, haec huius placiti; et 12. q. 2, quicumque suffragio; et 10. q. 2, hoc ius § et his creditor; et supra, de deposit., gravis; 35. dist., ecclesiae principes, in fi. Si vero non pro utilitate ecclesiae, sed ut ipse tamquam praelatus perciperet redditus ad firmam, successor stare non tenetur, supra, de precar., de precariis. Quia ultra tempus suum ecclesiam locare non potuit. Et si solvit

aliquid ultra sibi imputet, quia hoc praevidere debuit, ff. locat. et conduct., si quis domum § 1.

Praefatam ecclesiam
Haec decretalis videtur contraria rubricae et supra, ne prael. vic., quoniam enormis, ubi ecclesia sub annuo censu concedi prohibetur, et hic promittitur, unde non facit ad titulum istum. Solve per hanc distinctionem: ecclesia multis modis dicitur, quia dicitur ecclesia malignantium, unde Psalmista: in ecclesiam malignantium non introibo. Et dicitur ecclesia collectio fidelium, de conse. dist. 1, ecclesia. Et dicitur ecclesia murorum ambitus, de conse. dist. 1, de fabrica. Et dicitur ecclesia corpus Christi, 1. q. 1, in ecclesia; et 26. q. 2, sed et illud. Et dicitur etiam ecclesia praelatura ipsius ecclesiae, ut supra, ne prael. vic., quoniam enormis. Item dicitur ecclesia ipsae obventiones ecclesiasticae provenientes occasione ecclesiae, ut hic, et in hac significatione ecclesia conceditur ad firmam sub annuo censu reddendo. Quod licet quia nullum spirituale locatur. Et ideo non contradicit supra, ne prael. vic., quoniam enormis, neque rubricae. Sed quare ponitur in titulo isto? Melius poneretur supra, de iureiurando, ubi similis decretalis ponitur supra, de iureiur., querelam. Sed ideo ponitur, ne videretur prohibita talis locatio, eo quod simpliciter videtur prohiberi quod ecclesia sub annuo censu non concedatur in titulo isto. Sed quare potius prohibetur iurisdictio sub annuo censu concedi? Respondeo quod illi qui iudicant, nihil debent accipere, in Auth. ut iudic. sine quoq. suffr., coll. 2 Cum ex officio suo ad hoc teneantur et ex administratione, cum episcopatus ad hoc eis sint deputati, sed hic locantur ipsi fructus qui etiam alias possunt vendi et distrahi.

X 5.05 DE MAGISTRIS ET NE ALIQUID EXIGATUR PRO LICENTIA DOCENDI

X 5.05.01 *Quoniam*

Per unamquamque
Ut 37. dist., de quibusdam; et infra, de magistrat., quia.

Magistro
Nomen hoc dicitur a monendo sive a monstrando, ff. de ver. sig., quibus.

Competens aliquid beneficium
Sic infra, de magistrat., quia. Debet ergo doctor beneficium habere sui laboris. Sic et tutor dat alimenta praeceptoribuis pupilli, quoniam non tantum praeest rebus sed moribus, ff. de admin. tut., cum plures § cum tutor. Et beneficium ei constitui debet secundum dignitatem, et scientiam suam sicut advocatis, ff. de var. et extraord. cog., praeses § in honorariis; arg. supra, de praeben., de multa. Vincen.

Pretium exigat
Quod si exactum fuerit, restituatur, infra, de magistrat., prohibeas. Quia gratis est danda docendi licentia cum donum Dei sit, infra, de magistrat., prohibeas. Ber.

BOOK V **X 5.05 DE MAGISTRIS ET NE ALIQUID EXIGATUR PRO LICENTIA DOCENDI**

X 5.05.02 Prohibeas (rev. 9/23)

Consuetudinis

Quasi simoniacum reputatur hoc, quia consuetudo hic non habet locum sicut nec in sacramentis ecclesiasticis, supra, de simon., cum in ecclesiae; et in pluribus aliis capitulis. Ber.

Qui sit idoneus

Nota quod ei qui idoneus est, non est deneganda licentia docendi, quia per consequens denegat doctrinam ignorantibus, ut dicitur in fi., quam dispensare aliis tenetur, arg. 16. q. 1, revertimini. Ergo si non est idoneus, potest iuste denegari quia malorum doctorum doctrina mala est, 1. q. 7, convenientibus. Et imperitus matheseos risui patebit, 37. dist., qui de mensa. Qui alios docet ab aliis tunc edoceri non debet, in Auth. de sanct. episc. § damus, coll. 9. Poena vero huius est privatio ecclesiastici beneficii, ut hic dicit. Ber.

Sui laboris

Furorem et pietatem ex eodem facto vendicare non licet, ut hic; et 17. q. 4, miror; 17. q. 4, frater et coepiscopus; et ff. de minor., auxilium. Ber.

X 5.05.02 *Prohibeas*

Exigatur aliquid aut etiam promittatur

Ex hoc videtur quod turpitudo ex utraque parte versatur tamquam in spiritualibus, ut 1. q. 1, quos constiterit. Quid est ergo quod dicit solutum restitui, cum in pari causa turpitudinis potior sit conditio possidentis, ff. de condi. ob turp. caus., ubi autem; et ff. de condi. ob turp. caus., si ob turpem causam? Dixit Vincen. quod subvenitur huic non in favorem sui sed in odium exigentis, simile supra, de simon., veniens. Sed qualiter illud intelligitur, dictum fuit eodem titulo de hoc. Vel potest dici quod qui solvit, licet nihil dare debuerit, quia tamen quasi coactus redimit ius suum, non delinquit. Unde sibi potius restitui debet quam remanere penes illum qui plus peccavit, 1. q. 3, si quis dator.

Remitti

Hoc bene notabile est, quod auctoritate huius canonis non solum habet quis exceptionem, sed etiam liberationis conditionem, simile ff. de negot. gest., si quis mandato; ff. de contrah. empt., pactum; ff. de liberat. leg., si ei cui fundum; et ff. de condi. caus. dat., qui se; ff. de condi. sine caus., qui sine causa; ff. quod metus cau., metum § sed quod praetor; et supra, de iureiur., ex administrationis; infra, de usur., tua nos. Vel quod dicit remitti, intellige de facto, quoniam turpes promissiones nullae sunt, supra, de pact., pactiones; ff. de ver. oblig., generaliter. Laur.

Gratis accepistis

1. q. 3, si quis episcopus; et 1. q. 3, res ecclesiae.

Liceat

Negligentiam subditorum episcopus supplere debet, 9. q. 3, cum simus; et supra, de concess. praeben., nulla; supra, de supp. neg. prael., sicut; et supra, de supp. neg. prael., dilecto. Ala.

X 5.05.03 *Quanto*

A cupiditatis
Quae est radix omnium malorum, 47. dist., bonorum.

Idonei
Sic supra, de magistrat., quoniam. Huiusmodi autem magistri primum moribus, demum facundia excellere debent, C. de prof. et med., magistros, lib. 10. Bonam enim conversationem debet habere testem doctrinae, 63. dist., Valentinianus.

Permittantur
Quid si vult regere in sua persona nec licentiat alium, numquid debet compelli? Arg. quod non, 93. dist., illud. Credo quod nihilominus tenetur dare aliis licentiam.

Officiis
Sic supra, de magistrat., quoniam. Ber.

X 5.05.04 *Quia nonnullis*

Subtrahitur
Quia non habent a quo discat, unde habent excusationem, alias non, 37. dist. § ut itaque; et ff. de iuris et fact. ignor., regula § 1; ff. de bon. poss. sec. tab., in bonorum. Et quia quidam expensas non habent, unde statuitur, ut beneficia habeant, prout sequitur.

In Lateranensi
Supra, de magistrat., quoniam.

Pauperes
Sed numquid a divitibus potest petere collectam? Videtur quod non, quia si vult dici philosophus, proiiciat pecuniam exemplo Socratis, 12. q. 2, Socrates, alias est sub illo capitulo 12. q. 2, gloria episcopi. Item scientia donum Dei est, ergo vendi non potest; 1. q. 3, non solum. Item professores iuris licite recipiunt pecuniam sed non licite petunt, ff. de var. et extraord. cog., praeses § est enim quidam. Potest dici quod iste cui competens beneficium constitutum non est, a divitibus potest petere collectam. Et hoc non prohibeatur ex ista littera, sed a clericis eiusdem ecclesiae et pauperibus nihil exigere debet sed gratis docere, quia propter illos statuitur beneficium et non propter divites. Sed si ex honestate gratis omnibus serviret, honeste faceret et laudandus esset, alias divitibus gratis laborem suum impendere non tenetur. Si vero beneficium nullum super hoc constitutum est, sicut Bononiensibus doctoribus licite exigunt collectam, quia suis sumptibus hoc facere non coguntur, supra, de praescrip., cum ex officii; 12. q. 2, caritatem; et 12. q. 2, quicumque; et 12. q. 2, ecclesiasticis; et 28. q. 1, iam nunc, in fi. Sicut iurisperitus consilium vendere potest, 14. q. 5, non sane. Nec obstat si dicas quod gratis debent docere, quia nihilominus potest petere laboris sui mercedem, sicut testis qui gratis testificatur licite petit sumptus, 4. q. 4, si testes § venturis; et supra, de simon., cum sit Romana. Et iudex petit sumptus qui gratis debet iudicare, supra, de vit. et honest.

cler., cum ab omni. Licite ergo potest petere collectam cui beneficium constitutum non est. Io.

Minime observatur
Unde instaurandum est et procurandum, ut fiat, ut 8. dist., quae contra.

Unius praebenda
Quid si vacat aliqua praebenda? Expectetur quousque vacat. Numquid canonici tenentur alium eligere ut numerus sit plenus, cum ille magister non sit canonicus? Videtur quod sic, supra, de instit., in ecclesia; ff. de decur., generaliter § penulti. Et sic canonici ad tempus iusta de causa retineant fructus praebendae, nihilominus eligere debent. Alias curreret tempus, supra, ut eccl. ben., ut nostrum. Maxime si numerus certus est et iuratus. Sed hoc non videtur, quia iste electus nihil perciperet sed spiritualia sine temporalibus diu esse non possunt, sicut nec anima sine corpore, 1. q. 3, si quis obiecerit. Et dic quod canonici eligere non debent alium auctoritate huius concilii, nec dicuntur facere contra numerum vel iuramentum, nec currit eis tempus ad eligendum beneficio huius constitutionis quamdiu fuit ibi magister qui doceat et percipiat illud beneficium, quia nec dicitur beneficium illud vacare nisi ab eo tempore quo magister ibi non fuerit. Secus dico cum ex causa retinerentur proventus ad tempus, quia tunc currit tempus ut in praedicta decretali supra, ut eccl. ben., ut nostrum. Quia tunc electus modicum tempus potest expectare. Item numquid aliquis magister posset eligi in canonicum sub illa conditione, ut doceret? Non credo quia cessare debet omnis conditio. Sed si vacante aliqua praebenda statuerunt quod illud onus esset annexum illi praebendae, non credo quod tunc esset simonia, arg. supra, de praeben., significatum, immo satis licitum. Ber.

Proventus
Non tamen percipient quotidianas distributiones quae tantum residentibus dari consueverunt, supra, de praeben., licet. Ber.

X 5.05.05 *Super specula*

In concilio generali
Supra, de magistrat., quia. Ber.

Observetur
Nec tamen servatur, et ita nullus est fructus illius statuti et aliorum.

Propter raritatem
Qui non habent a quo discant bene habent excusationem, alias non; 37. dist. § ut itaque; et ff. de iuris et fact. ignor., regula § 1; et ff. de bon. poss. sec. tab., in bonorum. Et quia quidam expensas non habent, unde statuitur quod beneficia habeant prout sequitur.

Docibiles
Id est, habiles ad docendum. Et isti a capitulis possunt eligi ut mittantur, ut postmodum doceant. Et si propria beneficia illis non sufficiant, de bonis capituli suppleantur prout sequitur. Sed ut quid etiam membranas occupant, 19. dist., si Romanorum. Cum istius

constitutionis quo ad hunc articulum nullus sit electus, sicut nec praecedentis, leges enim istae impositae sunt verbis et non rebus, cum potius contrarium sit verum, C. commun. de legat., omne, in fi. Sed numquid qui docibiles sunt, possunt petere ut suppleatur quod eis desit. Arg. quod sic ex hac constitutione. Ber.

Praedicti
Scilicet praelati et capitula. Ex hoc est arg. quod possunt ad hoc compelli.

Integre
Non tamen percipiant quotidianas distributiones quae tantum residentibus dari consueverunt, supra, de praeben., licet, ubi de hoc.

Per annos quinque
Numquid determinatio ista determinat omnia praecedentia. Non videtur quod primis aliquod tempus adiiciatur, sed docentibus et aliis qui a capitulis non eligentur, et quia illi maius tempus requirunt ad hoc ut doceant, quod satis videtur ex hoc § quia hic non fit mentio de illis. Sed contra, supra, de appell., inquisitioni, arg. in fine. Quia haec determinatio in fine ponitur, ut ibi dicitur.

De licentia
Scilicet generali concessa auctoritate huius constitutionis, unde non est necesse aliam indulgentiam impetrare. Sic 80. dist., non debere; et 16. q. 1, cunctis; et 100. dist., quoniam; et supra, de translat., inter corporalia; et ff. de condi. insti., quae sub conditione § ulti. Sed executio sola impetrari debet si capitula hoc non faciant, quia parum valeret esse iura in civitate nisi esset qui ea exequatur, ff. de orig. iuris, necessarium § post originem. Ber.

Denario
Id est, praemio. Immo qui venit extremus dispensatore vocante tantumdem recipit, quantum qui venerat ante, arg. supra, de consti., cum omnes. Io.

X 5.06 DE IUDAEIS ET SARRACENIS

X 5.06.01 *Praesenti*

Serviat
Nec cum Iudaeis Christiani morentur, 28. q. 1, Iudaei; et 28. q. 1, saepe; et 28. q. 1, nullus. Sed in agro ubi cum Iudaeo non moratur bene potest servire, infra, de Iudae. et Sarrac., multorum.

Datis
Sic infra, de Iudae. et Sarrac., multorum, ubi de hoc. Et intellige hoc capitulum secundum illud de mancipio empto pro causa mercimonii, alias nullo pretio dato eripitur in libertatem. Vel si venalis infra tres menses non fuerit expositus, ut ibi. Ber.

Servitium
Non tamen erit servus illius sed restituet ei pretium, et erit omnino liberatus, arg. Inst. de noxal. act. § dominus. Vel si non potest habere statim pretium, serviat ei tantum quod servitium compensetur cum pretio, et postea eat liber quo vult, C. de capt. et de post. et red., diversarum; 36. q. 1, de raptoribus. Quid si plures emptores simul concurrant? Locus erit gratificationi, supra, de iure patron., cum autem; ff. de Sil., si quis in gravi § si cum omnes. Quid si nullus emptor appareat? Nihilominus erit liber et ostiatim quaerat pretium, ff. de manumiss., is qui § suis autem. Aut pro pecunia operas praestet, ut dicitur in lege praedicta C. de capt. et de post. et red., diversarum, scilicet quinque annis, ut ibi dicitur.

Fiat
Prout dictum est, et infra, de Iudae. et Sarrac., nulli.

X 5.06.02 *Multorum*

Libertas
44. dist., mancipia.

Sint liberi
Nota originarios sive asscriptitios liberos esse, C. de agric. et cens., diffinimus, lib. 11. Ergo non repelluntur a legitimis actibus, arg. ff. de testi., testimoniorum; C. de postulan., nemo. Quod verum est tamen ad ordines non admittuntur nisi de licentia dominorum, 54. dist., si quis obligatus; et 54. dist., admittuntur. Arg. contra 54. dist., si servus, sed ibi nihilominus tenetur servire domino. Ala.

Diutius adhaeserunt
Arg. quod ex tempore servitus acquiritur et servitia consueta praestari debent, 18. q. 2, servitium; ff. de aqua pluv. arc., si cui § sicut; ff. si serv. vend., si quis diuturno; C. de servit., si quas; et C. de servit., si aquam. Arg. contra 1. q. 1, nullus episcopus. De hoc dictum est supra, de consuet., cum tanto; supra, de censib., pervenit. Et ita habes hic quod ex tempore aliquis efficitur originarius, scilicet triginta annorum, C. de agric. et cens., cum satis, lib. 11. Arg. contra C. de praescr. long. temp. quae, solam

Debentes
Id est, obligati et adstricti ad colenda rura. Ber.

De his
Scilicet originariis vel colonis.

Retinere
Forte in domo ad serviendum sibi, quod esse non debet, ut dicit in principio capituli et supra, de Iudae. et Sarrac., praesenti; infra, de Iudae. et Sarrac., Iudaei sive.

Ipse sibi imputet
Scilicet Iudaeus qui transtulit colonum ad alium locum vel ad aliud servitium imputet sibi, quia hoc ipso amisit ius colonarium quod habebat in colono, et colonus liber erit ab illo iure. Sic et in colono liberi hominis, ut si dominus velit vendere fundum et transferre colonum ad alium locum, non potest eo invito, C. de agric. et cens., quis praedium, lib. 11. Vel si velit dividere aliquam agnationem colonorum vel affinitatem transferendo eos ad aliam colonariam, redintegrandi sunt, C. commun. utrius. iud., possessionem; et C. de agric. et cens., diffinimus, lib. 11; et sic Iudaeus sibi imputet.

Ius dominii
Scilicet quod habuit in gleba quo ab ea recedere non poterat dominus enim personae non fuit, quia homo est, ut supra eodem capitulo.

Iuris severitate
Arg. quod iuris severitas sive rigor servandus, sed hoc est in odium illorum Iudaeorum. Ber.

Damnavit
Id est, abstulit sibi ius coloniarum ipso facto. Vel expone damnavit, id est, fecit id propter quod damnatur et aufertur eis ius colonarium. Vel ipse colonus sibi imputet qui non vult agere contra Iudaeum qui transtulit ipsum. Sed primum verius quantum ad alteram partem disiunctae, ut si vellet retinere Christianum colonum secum in domo, illud non est permittendum, immo excommunicandi sunt, infra, de Iudae. et Sarrac., Iudaei sive, 2. resp.; et infra, de Iudae. et Sarrac., ad haec, ubi redditur causa quare. Ber.

X 5.06.03 *Iudaei de civitate*

Legalis diffinitio
C. de Iuda., hac victura. Ber.

Habere permittit
Etsi corruerint de novo possunt illas reaedificare in pristinum statum, non tamen ut ampliores faciant, infra, de Iudae. et Sarrac., consuluit; arg. ff. de novi operis nunc., hoc edicto § opus novum; et ff. de novi operis nunc., hoc edicto § si quis aedificium. Ber.

X 5.06.04 *Quia super*

Aperta non habeant
Consueverunt enim tunc deridere Christianos in contumeliam creatoris, infra, de Iudae. et Sarrac., in nonnullis; cum enim fidem nostram contemnatur nec ritus suos eis permittimus, C. de Iuda., Iudaeos. Unde in publicum exire non debent, infra, de Iudae. et Sarrac., in nonnullis. Ber.

X 5.06.05 *Iudaei sive Sarraceni*

Iudaei sive Sarraceni
Et ita cum Sarraceno morari non licet sicut nec cum Iudaeo, nisi aliquis spiritualis vellet ire ut eis praedicaret, quod licet ut infra, de Iudae. et Sarrac., quam sit; et sic intellige 11. q. 3, ad mensam.

Servitio
Supra, de Iudae. et Sarrac., praesenti; et supra, de Iudae. et Sarrac., multorum.

Permittantur
Sed quid ad nos de his qui foris sunt, ut 2. q. 1, multi; et 45. dist., qui sincera? Solutio: de his qui foris sunt non iudicat ecclesia, ut poenam spiritualem infligat. In casibus tamen iudicat de eis, quia repellit Iudaeos a communione Christianorum, 28. q. 1, saepe, ne ab eis corrumpantur, ut ibi; et infra, de Iudae. et Sarrac., ad haec; et hic. Repellit enim eos a legitimis actibus, 2. q. 7, alieni; et ab officiis publicis, 54. dist., nulla; et infra, de Iudae. et Sarrac., cum sit; et infra, de Iudae. et Sarrac., ex speciali. Et ne possint emere Christiana mancipia, infra, de Iudae. et Sarrac., nulli; et 54. dist., fraternitatem. Item non permittit eos facere novas synagogas, infra, de Iudae. et Sarrac., consuluit. Item quod in diebus lamentationum non exeant in publicum, supra, de Iudae. et Sarrac., quia super; et infra, de Iudae. et Sarrac., in nonnullis. Item quod solvant decimas de terris quas colunt, supra, de decim., de terris. Et ne Christiana mancipia circumcidant, 54. dist., nulla. Ne ex testamento Christiani aliquid capiant, et ille Christianus est excommunicandus etiam post mortem, 2. q. 2, sane profertur. Et excedentes verberibus subiiciuntur, infra, de rapt., in archiepiscopatu. Hic ergo ecclesia excommunicat tantum illos Christianos qui cum eis habitare praesumunt. Quandoque tamen indirecte excommunicat eos, quia excommunicat Christianos ne cum eis aliquod commercium habeant, infra, de usur., post miserabilem; et infra, de Iudae. et Sarrac., et si Iudaeos, in fi.; et infra, de Iudae. et Sarrac., postulasti. Rich.

A possessionibus
Nisi fuerint comparatae de usuris quas tenentur vendere et pecuniam restituere, infra, de usur., cum tu.

Excommunicationis
Arg. quod iudex saecularis compelli potest ad iustitiam servandam, 23. q. 5, administratores. Et hoc videtur facere ratione fidei, quod intromittit se de hereditate, alias non debet, supra, qui fil. sint legit., causam quae 2. Sed illud intellige in quocumque casu ubi iudex saecularis negligens est facere iustitiam, quod ecclesia se intromittere debet et compellere ipsum, 23. q. 5, administratores; et 23. q. 2, dominus; et infra, de maledic., statuimus. Ber.

Ex integro
Praeter servos qui eos praevenerint in fide, C. de episc. et cler., Deo nobis § his ita. Ala.

X 5.06.06 *Ita quorundam*

Qui gloriantur
Simile 18. q. 2, perniciosam; et 86. dist., tanta.

Ferrum
Ut infra, de Iudae. et Sarrac., ad liberandam, ubi hoc totum habes quod hic dicitur. De quibus hic habetur ad hostes transferri non debent, C. quae res exp. non deb., nemo; et illi sunt decapitandi, ut ibi, et C. de commer. et merc., mercatores; ff. de publican., cotem ferro; si enim non habent ferrum nec arma. Nam causatum perimit causa perempta suum, et appellatione armorum intelliguntur fustes et lapides, ff. de ver. sig., armorum appellatio. Laur.

Subministrant
Arg. clericum pro homicida haberi qui pugnantibus arma ministrat, dummodo ibi fiant homicidia, arg. 50. dist., si quis viduam; 24. q. 3, ideo; infra, de homic., sicut dignum § illi etiam; et infra, de homic., sicut dignum § hi quoque.

Subiectos
Et sic ipso iure sunt excommunicati, infra, de Iudae. et Sarrac., quod olim.

Privatione
Hoc potuit Papa facere contra laicos ratione criminis commissi. Ber.

Servos
Nota servitutem de iure naturali inductam, 35. dist., sexto die. Item de iure gentium, dist. 1, iure gentium. Item de iure canonico, 15. q. 8, cum multae; et hic, et infra, de Iudae. et Sarrac., ad liberandam. Vincen.

Crebra et solemnis in eos excommunicatio
Et tamen isti ipso iure sunt excommunicati, et sic excommunicatus potest iterum excommunicari, 3. q. 4, Engeltrudam; et arg. 11. q. 3, excellentissimus; 12. q. 2, de viro; et 87. dist., eos qui. Et qui in sordibus est adhuc sordescat, 47. dist., quantumlibet, in fi. Arg. contra 2. q. 1, multi; quia de his qui foris sunt, nihil ad nos, 24. q. 1, Achatius non est; 24. q. 1, maiores; 24. q. 1, Achatius non fuit; et 24. q. 1, audivimus; et supra, de iudic., cum non ab homine. Item qui est extra ecclesiam non potest esse magis extra ecclesiam, 11. q. 3, omnis Christianus. Item arg. contra ff. de ver. oblig., qui bis idem. Melend. dixit quod excommunicatus amplius excommunicari non potest, sed denunciari potest excommunicatus, et sic intelligit omnia iura ubi saepius videtur aliquis excommunicari. Et sic intelligit hic. Sed tu dicas quod excommunicatus potest iterum excommunicari. Et sunt duo effectus excommunicationis, ut dicunt quidam. Primus effectus est eiiciendi extra ecclesiam. Secundus est detinendi extra, sicut qui est ligatus uno vinculo potest iterum ligari. Non est dubium quin excommunicatus possit adhuc excommunicari, sicut qui est in uno peccato potest aliud committere. Et sic plus punitur, et sic potest pluries excommunicari, et magis ex hoc punietur, et secunda excommunicatio tunc primo incipit habere suum effectum, cum absolvitur a prima, et tamen prima absolutio non habuit suum effectum propter secundam excommunicationem.

Et ita finaliter non prodest prima absolutio, nisi cum absolutus fuerit a secunda. De hoc dixi supra, de offi. ord., ex parte; et infra, de sent. excom., cum pro causa. Ber.

X 5.06.07 *Consuluit*

Antiqua
Constantinus imperator contulit libertatem ecclesiis et Iudaeos servituti subiecit. Postea vero Iulianus imperator apostata dedit licentiam Iudaeis novas construere synagogas ut legitur in chronicis. Tanc.

Reaedificant
Sic supra, de Iudae. et Sarrac., Iudaei de civitate; C. de Iuda., hac victura. Quia alius est tueri quod positum est, et aliud novum facere, ff. de usufru., usufructuarius novum.

Exaltent
Non enim licet cuilibet possessori transformare possessionem, puta usufructuario, ff. de usufru., aequissimum § sed et colores. Ber.

X 5.06.08 *Ad haec*

Assidue
Sic supra, de Iudae. et Sarrac., praesenti; supra, de Iudae. et Sarrac., multorum; supra, de Iudae. et Sarrac., Iudaei sive. Et est arg. ex eo quod dicit, assidue, quod interpolatim possunt servire, quod intellige secundum tenorem illius capituli supra, de Iudae. et Sarrac., multorum § 1. Sed in domibus nullo modo, prout infra sequitur et praedictis concordantiis, 28. q. 1, Iudaeorum; 28. q. 1, saepe; et infra, de Iudae. et Sarrac., et si Iudaeos.

In eorundem domibus
Et ita videtur quod extra domum Iudaeorum possint. Eadem prohibitio est infra, de Iudae. et Sarrac., et si Iudaeos.

Concordant
23. q. 8, dispar. Et in habitu etiam differre debent a Christianis ut possint melius evitari, infra, de Iudae. et Sarrac., in nonnullis.

Simplicium
Quia innocens credit omni verbo, 22. q. 4, innocens; simile 28. q. 1, saepe.

X 5.06.09 *Sicut Iudaei*

Invitos
Hoc ideo dicit quia nullus ad fidem cogendus est, 23. q. 5, ad fidem; 45. dist., de Iudaeis. Quia si simpliciter et absolute compellantur, non reciperent characterem. Sed si conditionaliter compellantur, bene recipiunt et compellendi sunt ut fidem sic susceptam

observetur, ut supra, de bapt. et eius effect., maiores § item quaeritur; 45. dist., de Iudaeis; et ff. de ritu nupt., si patre; et C. de Iuda., nullus. Ber.

Christi fidem habere
Probatio eius quod nullus compelli debet ad fidem, quia fides ex necessitate esse non debet, 45. dist., quid autem; et 45. dist., qui sincera; et 23. q. 5, ad fidem.

Sine iudicio terrenae potestatis
Nulli enim permissum est occidere vel poenam infligere nisi cui ex officio permittitur, 23. q. 5, qui malos; et 23. q. 5, miles; et 23. q. 5, cum minister. Et poena non est inferenda nisi per iudicem, 33. q. 2, interfectores § in hoc. Ber.

Bonas
Secus si malas ne deludant Christianis praecedentibus signa lamentationis, et non prorumpant in contumeliam creatoris, infra, de Iudae. et Sarrac., in nonnullis. Et ne annuatim simulatam speciem crucis exurant, C. de Iuda., Iudaeos. Sed suas festivitates more solito celebrent, 45. dist., qui sincera, ut hic dicitur; et C. de Iuda., nemo. Ala.

Coemiterium
Arg. contra ff. de sepulch. viol., sepulchra. Solutio: sepulchra hostium religiosa non sunt, ut ibi dicitur. Nec illud infringens incidit in edictum. Iudaei vero non reputantur hostes, 23. q. 8, dispar, licet sint hostes fidei nostrae, infra, de Iudae. et Sarrac., et si Iudaeos.

Pecunia
Quae in sepulchris ponenda non est, arg. ff. de rel. et sump. fun., si quis impediat § funeris causa; et 13. q. 2, non aestimus, circa medium. Tanc.

Effodere
Quod qui fecerit, sepulchri violati tenetur, ff. de sepulch. viol., praetor ait § si quis. Et secundum quosdam haec actio infamat, ff. de sepulch. viol., sepulchri violati actio infamiam. Alii dicunt quod non infamat, cum sit actio in factum, et in lege illa improprie ponitur actio. Ala.

Aut excommunicationis
Et ita videtur in optione iudicis quod istorum pro poena imponat, si non satisfecerit. Et si iuste vult satisfacere, non punitur, simile 35. dist., episcopus; et 47. dist., episcopus aut presbyter; et 92. dist., si quis presbyter. Ita est arg. quod pro quolibet peccato non debet episcopus sententiam in aliquem fulminare vel excommunicare vel deponere. Ber.

X 5.06.10 *Quam sit laudabile*

Temporum qualitate
Ut abstineant his diebus et temporibus quibus a carne est abstinendum secundum canones, 4. dist., denique; et de conse. dist. 3, de esu carnium; et de conse. dist. 3, sabbato; de quibus canonibus hic fit mentio.

Uti liceat

Aliter enim non possent illos lucrari, et sic licet eis loqui et comedere cum eis exemplo Domini, 23. q. 4, infideles; et 11. q. 3, ad mensam, dummodo et aliis non coinquinentur. Arg. contra 28. q. 1, nullus; et 28. q. 1, omnes. Solutio: contraria intelliguntur de Iudaeis qui discernunt cibos. Hoc et 11. q. 3, ad mensam; et 23. q. 4, infideles, de paganis intelligitur. Sed quare potius vitamus convivium Iudaeorum quam paganorum? Ratio illa est quia illi scilicet Iudaei discernunt cibos nostros, unde non debemus cibis eorum uti ne videamur inferiores illis, ut dicit praedictum capitulum 28. q. 1, omnes. Pagani vero non discernunt cibos, sed hodie et isti et illi discernunt, unde non debemus comedere apud eos nec ipsi apud nos, licet hoc non contineatur in verbis edicti ut patet hic, et capitulo 11. q. 3, ad mensam. Sed quantum ad sententiam eos vitare debemus, arg. ff. de pet. hered., item veniunt § ait senatus. Sed quare potius vitamus convicium quam colloquium? Ideo loquimur eis ut eos possimus lucrari, quod alias facere non possemus, ut in capitulo 23. q. 4, infideles.

Apponuntur

Quaecumque ergo apponuntur uti possunt, nisi dictum fuerit quod sit idolis immolatum, ut 1. q. 4 § ignorabat; et 26. q. 2, si de area. Tunc enim sanctus est mori fame quam idolothytis vesci, 32. q. 4, sicut sanctius. Ber.

Requisita et habita

Quia nullus potest praedicare nisi ex officio sibi commisso vel nisi habeat auctoritatem a suo praelato, infra, de haeret., cum ex iniuncto; et infra, de haeret., excommunicamus itaque § quia vero. Nec sufficit petere licentiam nisi sit obtenta, ut hic patet. Et simile de conse. dist. 5, non oportet; 11. q. 3, quid ergo; 19. q. 2, duae. Arg. contra supra, de regular., licet; et supra, de arbitr., cum olim.

X 5.06.11 *Significavit*

Aliquod commodum

Secundum quod dicitur supra, de Iudae. et Sarrac., ita quorundam, ubi de hoc; et infra, de Iudae. et Sarrac., ad liberandam. Nihil ergo in mercibus portandum est nisi illud, unde possint redimere captivos, ut hic dicit. Sed quid si non possunt redimere captivos nisi portent eis arma vel ferrum, numquid hoc facere possunt sine poena excommunicationis? Arg. quod sic, ex eo quod hic dicit excepto redemptionis articulo. Sed non credo nisi primo requiratur auctoritas Papae ne aliquid fraudis fiat. Ber.

Iuramento

Sed nonne sufficit poena excommunicationis? Potest dici quod hoc exigatur a suspecto, arg. 28. dist., de Syracusanae; et 10. q. 3, illud magnitudinem. Quoniam eorum ruinae debent occurrere praelati, 93. dist., diaconi; et 22. q. 5, hoc videtur. Et ad maiorem cautelam exigatur iuramentum etiam a quocumque. Laur.

Excommunicationis
De qua habes supra, de Iudae. et Sarrac., ita quorundam. Et ideo quia licet treuga sit facta, non tamen pax perpetua, ut infra § proxima. Unde prohibitio non intelligitur propterea relaxata de mercibus prohibitis. Ber.

Per nuncios
Sic infra, de Iudae. et Sarrac., quod olim. Qui per alium facit per se facere videtur, ut hic; et infra, de sent. excom., mulieres; 46. dist., sicut non suo; ff. de admin. tut., ita tamen § gessisse. Ber.

Post treugam
Treuga est securitas personis et rebus ad tempus concessa, supra, de treug., treugas. Et qui facit treugam non facit pacem, nec desistit a guerra nisi ad tempus, quia qui distulit non in totum destitit, 2. q. 3 § notandum; et ff. de iud., destitisse.

Non absolvit
Nec etiam a periurio, quia licet treuga sit facta non tamen pax, et ita non extitit conditio, unde incidit in sententiam excommunicationis et in periurium. Et sic treuga non est pax.

X 5.06.12 *Quod olim*

In concilio Lateranensi
Supra, de Iudae. et Sarrac., ita quorundam. Ber.

Supponimus
Et iam supposititi erant per Alexandrum in concilio Lateranensi, ut patet in fine. Et ita videtur quod qui contra faciunt duplici excommunicatione sunt ligati. Sed quis absolvet tales? Potest dici quod episcopi ipsorum, quia ex eo quod Papa sibi hoc non retinuit, aliis indulsisse videtur, infra, de sent. excom., nuper. Quia sibi reservasset si hoc non intendebat, supra, de praeben., grave, in fi.; et infra, de crim. falsi, dura, in fi. Ber.

Subsidia
Supra, de Iudae. et Sarrac., ita quorundam; et infra, de Iudae. et Sarrac., ad liberandam; et C. quae res exp. non deb., per totum; et C. quae res ven. non poss., per totum.

Iram Dei
Ratum habentis, quod ab ecclesia iuste factum est, 24. q. 1, quodcumque.

X 5.06.13 *Et si Iudaei*

Ingrati
Si enim Iudaei isti ingrati sunt, possunt privari gratia sibi concessa, supra, de de dona., propter; et 12. q. 2, octava discussio; et C. de revoc. donat., generaliter. Ber.

Pro gratia
Supra, de fideiuss., pervenit; et supra, de renunciat., sane. Ber.

De familiaritate
Nimia familiaritas parit contemptum, ut. ff. de off. procon., nec quicquam § circa; 86. dist., quando; et ff. de off. praes., observandum.

Mus in pera
Ut 13. q. 1, ecclesias § item praecipit dominus.

Nutrices
Quod esse non debet, supra, de Iudae. et Sarrac., Iudaei de civitate; et supra, de Iudae. et Sarrac., ad haec. Ber.

Effundere
Credebant forsan corpus Christi descendere in stomachum et incorporari, quod est falsum, de conse. dist. 2, tribus gradibus. Non est iste panis, cibus enim animae est, de conse. dist. 2, credere. Laur.

Patiuntur
Arg. quod qui potest prohibere et non prohibet, sibi imputatur, 86. dist., facientis; infra, de reg. iur., quamvis; et infra, de haeret., qui alios; et 23. q. 8, praeterea; arg. infra, de sent. excom., quantae.

Libera
Id est, ecclesiae. Non enim erit heres filius ancillae cum filio liberae, 22. q. 4, dicat aliquis. Ber.

Ancilla
Id est, Agar, quae significat synagogam. Libera, id est, Sarra, quae significat ecclesiam. De Agar ancilla Sarrae descenderunt isti qui debent esse servi illorum qui descenderunt a Sarra, in quibus ecclesia fundata est. Ber.

Sub excommunicationis poena
Immo excommunicari possunt si communicent eis postea, infra, de usur., post miserabilem; et infra, de Iudae. et Sarrac., postulasti. Et sic indirecte iudicat ecclesia de Iudaeis, et de hoc dixi supra, de Iudae. et Sarrac., ita quorundam; et supra, de Iudae. et Sarrac., Iudaei sive. Ber.

X 5.06.14 *Postulasti*

Poena pecuniaria
Ad arbitrium iudicis, supra, de offi. deleg., de causis § fi. Quia spirituali poena ipsum punire non potest, cum sit extra ecclesiam, quia nihil ad nos de his qui foris sunt, 2. q. 1, multi. Quando ecclesia possit punire Iudaeos dictum est supra, de Iudae. et Sarrac., ita quorundam; et melius in capitulo supra, de Iudae. et Sarrac., Iudaei sive. Ber.

Laeso satisfactionem
Hoc regulare est ut semper ante absolutionem satisfaciat laeso, et infra, de sent. excom., porro; infra, de sent. excom., parochianos; infra, de sent. excom., conquesti; et pluribus aliis capitulis. Et ecclesiae satisfacere debet cui fuit facta iniuria in personam eius ministri, ut 3. q. 1, nulli, in fi.; et 2. q. 7, accusatio. Ber.

Christianis
Et ita indirecte excommunicantur Iudaei. De hoc dic ut dictum est supra, de Iudae. et Sarrac., ita quorundam.

X 5.06.15 *In nonnullis*

Distinguit
Sic per habitum debent distingui novitii a professis, supra, de statu monach., in singulis; et meretrix a matrona, de sent. excom., in audientia; et ff. de iniuri., item apud § si quis virgines; et masculi a feminis per crines et vestes, 30. dist., si qua mulier. Sic et liber distinguitur a servo per pileum, C. de Lat. libert. toll., cum dediticii § sed et qui. Io.

Commixitionis
Quia nec matrimonium inter Iudaeum et Christianam esse potest, 18. q. 1, cave. Ber.

Erroris
Ergo si ignoranter commisceatur Christianus Iudaeae, dummodo non sit crassa sive affectata ignorantia, excusatur in eo quod Iudaea, arg. 34. q. 2, in lectum; et infra, de cleri. excom., Apostolicae.

Prodeant
Supra, de Iudae. et Sarrac., quia super.

Illudere
Sic reddunt nobis pro gratia contumeliam et contemptum, ut supra, de Iudae. et Sarrac., et si Iudaeos.

Animadversionis
Scilicet pecuniaria poena vel alia temporali, prout visum fuerit iudici, supra, de Iudae. et Sarrac., postulasti. Ber.

Blasphemare
Supra, de Iudae. et Sarrac., praesenti; et infra, de Iudae. et Sarrac., cum sit.

X 5.06.16 *Cum sit nimis*

Blasphemus Christi
Id est, Iudaeus blasphemans Christum, supra, de Iudae. et Sarrac., praesenti.

Toletanum concilium
54. dist., nulla; et infra, de Iudae. et Sarrac., ex speciali.

Provinciale concilium
Supra, de accusat., sicut.

In usus pauperum
Sic ergo pauperibus restituitur quod iniuste extortum est, ut supra, de immun. eccl., quia plerique. Si vero officium licitum est, tunc si vellet, posset dare pauperibus quod iniuste extortum est, 14. q. 5, non sane. Sed contra videtur quod restituendum sit illis a quibus est extortum et non pauperibus, infra, de homic., sicut dignum § eos; et infra, de usur., cum tu; et supra, de iureiur., ea te; et supra, de decim., tua 2; 18. dist., quoniam. Hoc ideo fit in hoc casu, quia nescitur a quibus extortum sit. Maior poena ponitur in sequenti capitulo illis qui merces prohibitas portant ad Sarracenos. Io.

X 5.06.17 *Ad liberandam*

Excommunicamus et anathematizamus
Sicut supra, de Iudae. et Sarrac., ita quorundam; et supra, de Iudae. et Sarrac., quod olim.

Privatione
Hoc totum habes supra, de Iudae. et Sarrac., ita quorundam.

Totum quod ex commercio
Totum ergo lucrum quod ad eos pervenit ex hoc commercio debent dare in subsidium terrae Sanctae in cuius detrimentum hoc fecerunt. Et simile est crimini usurarum in quo quicquid sorti accedit, usura est, unde totum debet restitui, infra, de usur., consuluit; et 14. q. 3, putant; et 14. q. 3, plerique. Immo videtur quod maius, quia isti videntur fidem Christianam impugnare, unde plus puniuntur quia tantumdem pro poena dare coguntur in subsidium terrae Sanctae. Et nemo dubitat gravius esse commissum, quod est gravius vindicatum, 24. q. 1, non asseramus; et in Auth. ut frat. fil. succed., coll. 9, in fi., ubi dicit, in delicto enim aequali proximas eis imminere poenas iustum putamus.

In quo deliquerint
Sic supra, de immun. eccl., immunitatem; et supra, de iure patron., pastoralis; et supra, de temp. ord., litteras; et supra, de for. compet., nullus. Simile 12. q. 2, de viro; et 17. q. 4, frater et coepiscopus.

Sic alias
Quia poterunt subiici verberibus loco poenae, 14. q. 6, si res; et 12. q. 2, fraternitas; et 5. q. 6, quia iuxta.

Aliis interdicatur
Sic ergo poena unius est metus alterius, ut 2. q. 7, quapropter; et supra, de offi. ord., irrefragabili; et supra, de translat., cum ex illo, in fi.; et supra, de statu monach., ea quae;

supra, de iuram. calumn., litteras; ff. de poe., capitulium § famosos; ff. deposi., bona fides, 1. resp., in fi.

X 5.06.18 *Ex speciali*

Generalis concilio
Supra, de Iudae. et Sarrac., cum sit; et 54. dist., nulla.

Non suspectum
Qui fideliter et sine fraude officium suum exequatur ne per hoc fraus fiat Christianis clericis aut ecclesiis. Qualis fuit Ioseph de quo habes 22. q. 2, quod autem ait, qui fuit dispensator Pharaonis. Ber.

X 5.06.19 *Nulli*

Servitio
Supra, de Iudae. et Sarrac., praesenti; et supra, de Iudae. et Sarrac., Iudaei sive. Immo quam cito voluntas ipsius fuerit patefacta, quod velit fieri Christianus in libertatem modis omnibus vendicetur, 54. dist., fraternitatem, nisi emptus sit causa mercimonii, ut ibi dicitur et hic inferius. Ber.

Causa mercimonii
In quo casu non fraudabitur ex toto Iudaeus sive paganus, dummodo infra tres menses illum venalem exponat, ut 54. dist., fraternitatem. Ber.

Duodecim solidis
Sed de qua moneta dabuntur? Respondetur: de illa quae est in usu in loco illo, arg. ff. de leg. 3, nummis; ff. de leg. 1, si servus plurium § si numerus. Quid si non sit qui solvat illos duodecim solidos? De hoc dictum est supra, de Iudae. et Sarrac., praesenti.

Si autem infra tres menses
Eo ipso quod non exposuit ipsum infra tres menses venalem, praesumitur quod non causa mercimonii emerit sed ad serviendum sibi, unde nullo pretio dato perducetur ad praemium libertatis, nec admitteretur probatio in contrarium, cum hic sit praesumptio iuris ex qua ius statuitur, ut 54. dist., fraternitatem, quod capitulum intellige per illud. Et istud est quasi glossa et expositio illius si praesumptio est, supra, de spons., is qui, ubi habes praesumptionem iuris. Et si alius eum comparet, talis emptio non valeret, et nihilominus erit liber nullo pretio dato si scienter emit illum. Si ignoranter, agat ad pretium sive ad interesse contra Iudaeum qui ipsum decepit, ff. de contrah. empt., liberi hominis, arg. Et nota quod favor fidei privat aliquem servo suo, ut hic patet. Item privat aliquem filio suo, supra, de conver. infid., ex litteris. Item privat aliquem uxore sua, supra, de divort., gaudemus; et 28. q. 1, si infidelis. Ber.

X 5.07 DE HAERETICIS

X 5.07.01 *Dubius*

Dubius
De fide enim nullus debet dubitare, sed firmiter credere articulos fidei, supra, de summ. trin. et fid. cath., firmiter, in princ. Aliter salvus esse non poterit, ut in Psalmo quicumque vult, et 24. dist., quando episcopus; et 24. q. 1, aperte. Nullus enim titubare debet in fide, ut ibi dicitur. Ber.

In fide
Etiam in tenui articulo, C. de haeretic., nullus haereticis, in fi. Sic ex levi offensa revocatur libertus in servitutem, C. de libert. et eor. lib., si manumissus. Et hoc quo ad articulos fidei qui continentur in symbolo, credo in Deum, quibus per fidem sola adhibenda est credulitas, quia fides est de re non visa, de poen. dist. 4, in domo; C. de summ. trinit. et fide cath., inter claras. Non per signa sed per fidem veritas est colenda, de conse. dist. 4, venit sacerdos. Laur.

Credendum est
Ergo dubius in fide testis esse non potest, 23. q. 4, ipsa pietas.

X 5.07.02 *Qui alios*

Non revocat
Cum potest, ff. ad leg. Aquil., scientiam; 83. dist., error; et arg. supra, de Iudae. et Sarrac., et si Iudaeos; et 2. q. 7, negligere. Sed numquid istud pertinet ad omnes? Respondetur: de crimine iam commisso soli praelati tenentur corripere, 23. q. 4, duo ista; et 23. q. 4, ita plane. A peccato autem committendo quilibet tenetur alium corripere occulte, infra, de haeret., cum ex iniuncto, ubi de hoc; et arg. 23. q. 4, ipsa pietas; 22. q. 5, hoc videtur; et 93. dist., diaconi; et supra, de cognat. spir., tua; et 2. q. 7, quapropter. Sed istae duae ultimae concordantiae intelliguntur in denunciatione. Tanc.

X 5.07.03 *Firmissime*

Haereticum
Haereticus multis modis dicitur. Ille dicitur haereticus qui pervertit sacramenta ecclesiae, ut simoniacus, 1. q. 1, eos qui; et 6. q. 1, nos sequentes § sed licet. Item ille qui scindit se ab unitate ecclesiae, 7. q. 1, denique. Item omnis excommunicatus, 4. q. 1, quod autem hi. Item qui errat in expositione sacrae scripturae, 24. q. 3, haeresis. Item qui confingit novam sectam vel confictam sequitur, 24. q. 3, haereticus. Item qui aliter sentit de articulis fidei quam Romana ecclesia, 24. q. 1, haec est fides; et 24. q. 1, quoniam. Vel qui male sentiunt de sacramentis ecclesiae, infra, de haeret., ad abolendam, in princ. Tanc.

Neque mors
Unde Apostolus: et si tradidero corpus meum ita ut ardeam, caritatem autem non habeam, nihil mihi prodest, de poen. dist. 3, si quis autem, circa fi.; et de conse. dist. 4, solet; et 1. q. 1, vide quantum bonum. Ber.

Ad salutem
Aeternam scilicet. Valent tamen ad bona temporalia promerenda, arg. 22. q. 2, si quaelibet, in fi.; et ad mitius supplicium subeundum, de poen. dist. 4, ad finem § post etiam. Ber.

X 5.07.04 *Fraternitatis tuae*

Celestinus atque Pelagius
Isti duo damnati erant in synodo Ephesina de haeresi. Dubitabat Patriarcha Antiochenus an scripta eorum essent recipienda. Et dicitur quod non, quia ex quo condemnatus est auctor et scripta illius admitti non debent, ut 3. q. 4, nullus; et 16. dist., canones. Quamvis aliqua utilia sint ibi, arg. supra, de testib., licet ex quadam. Arg. tamen quod ratione etiam bonae sententiae recipi possent, 1. q. 1, dominus declaravit; 37. dist., si quid veri; sicut et notitia legis abrogatae necessaria est, 7. dist., Moyses. Et Papa etiam argumentatur ex lege Theodosiana abrogata, supra, de iudic., novit. Sed verum est quod scripta istorum non valent, etiam si alias bona sint, nec sunt recipienda, infra, de haeret., excommunicamus itaque § credentes; arg. ad hoc 96. dist., bene quidem. Tamen ratione bonae sententiae scripta Origenis approbata fuerunt, 16. q. 7, et hoc diximus; qui damnatus fuit post mortem, 24. q. 2, sane profertur. Et si approbarentur, valerent, alias non, arg. supra, de summ. trin. et fid. cath., damnamus, in fi. Item arg. quod destructo principali, destruitur accessorium, sicut in capitulo predicto, 16. q. 7, et hoc diximus. Ber.

X 5.07.05 *Si quis episcopus*

Si quis episcopus
Sic ordina istam litteram: si quis episcopus instituerit haereticos heredes extraneos a consanguinitate sua, vel etiam si instituerit consanguineos haereticos heredes aut paganos pertulerit, saltem post mortem etc. Et sic repete illam dictionem, haereticos. Et ita nullus debet instituere haereticum sive sit consanguineus sive non, ut hic patet, et infra, de haeret., in eos. Episcopus ergo instituat ecclesiam, ex quo non habet consanguineos catholicos, 12. q. 2, episcopus qui filios; et 12. q. 2, cognovimus; et in Auth. ut cum de appellation. cog. § dicimus, coll. 8; et in Auth. ut cum de appellation. cog. § si quis, coll. 8. Quia isti haeretici iam non dicuntur filii vel consanguinei, unde dicitur in lege: si frater tuus et amicus tuus, et uxor tua depravare voluerint veritatem, sit manus tua super illos, 23. q. 8, legi; et uxor est expellenda, 28. q. 1, uxor, in fi. Hoc intellige nisi poenituerint isti consanguinei. Delicti enim veniam poenitentibus non negamus, C. de haeretic., Manichaeos. Ber.

Paganos
Et ita idem iuris est in paganis quod de haereticis. Et idem est de omnibus qui catholici non sunt, infra, de haeret., in eos. Ber.

Post mortem
Sic 24. q. 2, sane profertur; et arg. C. de haeretic., Manichaeos. Arg. contra, quia crimina morte extinguuntur, 23. dist., quorundam; 23. q. 2, iustum; et crimen poena sit extinctum, C. si reus vel accus. mort., etsi Marcellus. Hoc tamen speciale est in crimine haeresis in criminis detestationem, ut post mortem possit accusari et excommunicari, et ne ecclesia oret pro eo quia non fuit accusatus in vita. Ber.

X 5.07.06 *In eos*

Etiam si consanguinei
Dic ut supra, de haeret., si quis.

Nihil conferant
Non distinguitur in morte vel in vita, ergo nec nos distinguamus quia nihil capere possunt ex testamento, infra, de haeret., excommunicamus itaque § credentes. Causa pietatis forte posset eis dari, ne perirent fame, 86. dist., pasce fame. Quia adhuc possunt converti ad fidem, quia de nemine desperandum est, de poen. dist. 7, nemo; et 32. q. 2, ancillam; et arg. etiam ad hoc 42. dist., quiescamus; et 11. q. 3, quoniam multos. Ber.

X 5.07.07 *Cum Christus*

Sub anathemate
Quicumque ergo contrarium dixerit est excommunicatus, quia hoc dicere haereticum est, et haeretici omnes sunt excommunicati, infra, de haeret., ad abolendam; et infra, de haeret., excommunicamus et anathematizamus. Et quod Christus verus sit homo ex humana carne subsistens habes supra, de summ. trin. et fid. cath., firmiter; et est articulus fidei nostrae de quo habetur in praedicta constitutione, et de aliis quod scire quilibet Christianus tenetur per fidem. Arg. ad hoc de conse. dist. 4, ante viginti; et de conse. dist. 4, baptizandos; et de conse. dist. 4, prima. Ad illos articulos de quibus tractatur in illa constitutione supra, de summ. trin. et fid. cath., firmiter, omnes indistincte tenentur tam clerici quam laici, sed clerici magis qui legem perscrutabiliter scire tenentur, 38. dist., omnes psallentes; 24. dist., quando episcopus. Quilibet ergo tenetur credere secundum quod catholica tenet ecclesia, et hoc sufficit in talibus articulis dummodo nil in contrarium sentiat, infra, de haeret., ad abolendam. Ber.

X 5.07.08 *Sicut ait beatus*

Leo
23. q. 5, res omnes.

Defensores
Infra, de haeret., excommunicamus itaque § credentes; et 79. dist., si quis Papa, arg.

Obtentu
Sic ergo ratione delicti perditur privilegium, infra, de haeret., ad abolendam, in fi. Quia privilegium non extenditur ad illicitum casum, nec tuetur aliquem in malo, infra, de sent.

excom., nulli. Et omni privilegio cessante mali puniendi sunt, C. ubi de crim. agi oport., authen. qua in provincia. Ber.

Oblatio
Quia constat eum decessisse in mortali peccato, 23. q. 5, placuit. Et est simile infra, de usur., quia in omnibus.

X 5.07.09 *Ad abolendam*

Praedicat et observat
Simile 24. q. 3, haeresis. Hoc ergo quod Romana ecclesia servat et mandat ab aliis observari, generaliter est observandum, 11. dist., quis nesciat. Quicumque ergo male sentit de sacramentis ecclesiae haereticus est habendus, ut hic patet.

Clerici ipsi sede vacante
Habes hic arg. quod vacante ecclesia iurisdictio remanet penes capitulum, arg. 65. dist., si forte; 23. dist., in nomine Domini; 7. q. 1, pontifices. De hac materia plene dictum est supra, de maior. et obed., his quae; et supra, de maior. et obed., cum olim.

Deprehensi
Facti evidentia, puta quia publice praedicat haeresim, arg. ff. de ritu nupt., palam § ulti.; vel legitima probatione, puta per testes vel ex sua confessione. Ala.

Praerogativa
Arg. quod clericus depositus non habet privilegium clericale, et hoc concedit Ala. Arg. 54. dist., ex antiquis, in fi. Quod non est verum, quia tenetur vivere clericaliter quamvis sit depositus. Unde si hoc faciat, adhuc gaudet privilegio clericali, 81. dist., dictum; et hoc dixit Hug. Si vero incorrigibilis esset, tunc non solum perderet privilegium clericale verum etiam saeculari curiae traderetur, supra, de iudic., cum non ab homine. Sed in casu isto perdit omne privilegium nisi revertatur, ut sequitur.

Relinquatur
Tribus enim casibus relinquitur aliquis curiae saeculari statim post depositionem. In crimine haeresis, ut hic; et infra, de haeret., excommunicamus et anathematizamus. Item in crimine falsi, infra, de crim. falsi, ad falsariorum. Et in alio cum propter calumniam vel contumeliam quam contulit episcopo suo aliquis depositus est, 11. q. 1, si quis sacerdotum. Alias autem licet clericus sit depositus, non traditur statim curiae saeculari. Immo adhuc tenetur vivere clericaliter et ecclesiae eum tuebitur et gaudet privilegio clericali, ut dictum est in proxima notula. Si vero sit incorrigibilis, postea traditur secundum quod dicitur supra, de iudic., cum non ab homine. Qualiter debeat tradi dicitur infra, de verb. sign., novimus. Qualiter puniri debeant haeretici dicitur infra, de haeret., excommunicamus et anathematizamus.

Sponte recurrere
Sed videtur quod etiam compelli debeat servare fidem, 45. dist., de Iudaeis. Postquam condemnatus est haereticus non compellitur, sed si vult sponte redire, debet recipi

abiurato errore, 24. q. 3, dicit Apostolus; et in perpetuum carcarem ad agendam poenitentiam intrudi, infra, de haeret., excommunicamus et anathematizamus. Ber.

Arbitrium episcopi
Arg. contra 1. q. 7, si quis epicopus. Illud olim obtinuit ut in concilio tantum reciperetur, sed hodie sufficit quod hic dicit. Tanc.

Laicus
Laici enim per ecclesiam condemnandi sunt de haeresi, sed iudex saecularis illos punire debet, nec traditur laicus curiae saeculari, sed clericum solummodo, infra, de verb. sign., novimus; quia laicus semper est de foro saeculari, sed in casu isto sententia debet ferri per ecclesiam. Executio fit solummodo per iudicem saecularem. Qualiter tales puniri debeant dicetur infra, de haeret., excommunicamus et anathematizamus. Ber.

Audientia
Simile 23. dist., in nomine Domini. Sed si volunt redire, nonne debent audiri et recipi, quia ecclesia non claudit gremium volentibus redire ad ipsam, C. de summ. trinit. et fide cath., inter claras, circa fi. Et delicti veniam petentibus non negamus dicit imperator, C. de haeretic., Manichaeos; de poen. dist. 3, adhuc instant? Videtur quod debeant recipi, quia Dominus non vult mortem peccatoris etc., 26. q. 6, agnovimus. Sed ut convertatur et in carcarem perpetuum detrudatur, infra, de haeret., excommunicamus et anathematizamus. Sed audientia denegatur quo ad bona, etiam si alias vellet se defendere, tamen littera ista contradicit Tanc. Hodie servandum est prout traditur infra, de haeret., excommunicamus et anathematizamus § si qui. Ber.

Iuramento
Hoc idem dicitur infra, de haeret., excommunicamus itaque § moneantur. Ber.

Honore
Quia hoc ipso contra ecclesiam esse videntur, unde dignitate privari, 24. q. 1, qui contra ecclesiae pacem; et simile 32. q. 5, praeceptum. Ber.

Ligandis
Simile infra, de haeret., excommunicamus itaque § moneantur.

Episcopali
Propter delictum suum, simile 35. q. 3, ita nos.

Delegatis
Auctoritate generali huius decretalis, simile supra, de offi. ord., irrefragabili § caeterum. Et sic ratione delicti perdunt privilegium, quia privilegium non dat causam delinquendi, C. de privil. scholar., hac lege, lib. 12; nec permittas nocentes aliquibus privilegiis uti, ut in Auth. de mandat. princip. § quod si delinquentes, coll. 3; et supra, de haeret., sicut ait. Sic et remissio peccati non dat licentiam delinquendi, 1. q. 7, exigant. Consuevit hic allegari quod ratione delicti perditur privilegium, quod non est verum; quia si aliqui exempti sunt et delinquant non perdunt privilegium propter hoc sed puniri debent. Nec

dicuntur proprie recidere in iurisdictionem episcoporum, quia non cognoscunt episcopi iure ordinario sed auctoritate sibi delegata, ut hic patet, et supra, de offi. ord., irrefragabili. Et perinde est ac si ipse Papa cognosceret, vel specialiter aliis delegaret, per abusum enim vel per negligentiam perditur privilegium, infra, de privileg., accedentibus; et infra, de privileg., si de terra; et 11. q. 3, privilegium. De hoc dicitur infra, de privileg., tuarum. Ber.

X 5.07.10 *Vergentis*

Praecipimus
Quod facere potest Papa ratione peccati, supra, de iudic., novit. Et potest eos dignitate privare, ut supra, de haeret., ad abolendam § statuimus. Et propter alias iniquitates potest etiam Papa removere eos a dignitate, 15. q. 6, alius. Et imperium ipse transtulit de loco ad locum, propterea quia non defendebant ecclesiam, supra, de elect., venerabilem, ut ibi notatur. Et iudex saecularis potest excommunicari si negligat facere iustitiam, 23. q. 5, administratores, et hic expresse dicitur; et supra, de haeret., ad abolendam § civitas; et infra, de maledic., statuimus.

Misereri
De sola ergo misericordia restituuntur bona, ut hic dicitur, et etiam episcopatus, ut 23. q. 4, ipsa pietas, vers. item si inquiunt, in fi.; et 23. q. 7, quod autem; et 1. q. 7, convenientibus.

Disciplina
Supra, de elect., cum in cunctis; 82. dist., plurimos, in fi.; et C. de emend. prop., in corrigendis; et arg. 50. dist., ut constitueretur. Ber.

Bona eorum confiscentur
Quod dicit hic habes 6. q. 1, quaero § verum; et 6. q. 1, si quis cum militibus; et C. ad leg. Iul. maiest., quisquis.

Longe sit gravius
17. q. 4, sicut qui ecclesiam; et 23. q. 5, si apud. Et quod in religionem divinam committitur in omnium fertur iniuriam et publicum crimen committetur, C. de haeretic., Manichaeos, unde gravius est.

Exheredatio
Hic expresse habes quod bona haereticorum confiscantur, sive habeant filios sive non. Nec catholicis filiis haereticorum aliquid relinquendum est, ut hic dicitur. Sed contra dicit lex, C. de haeretic., Manichaeos, et C. de haeretic., cognovimus; et C. de haeretic., authen. idem est de Nestorianis, ubi dicitur quod filii catholici propter hoc hereditate paterna non privantur. Statur enim hodie huic decretali in odium criminis, sicut in crimine laesae maiestatis ubi filii puniuntur quo ad bona, ut hic dicitur, et 6. q. 1, quaero § verum; 6. q. 1, si quis cum militibus, multo fortius in isto crimine, ut hic dicitur. Et hoc est expressum in constitutione Frederici, hac edictali, quae olim erat in quinta compilatione eodem titulo. Et in alio casu etiam filii pro delicto parentum puniuntur

temporaliter usque ad quartem generationem secundum quod habes infra, de poeni., in quibusdam. Et in hac opinione fuerunt Io. et Laur.

Canonicas
15. q. 8, cum multae; et 1. q. 4, cum ecclesia § item peccato Israelitarum; et supra, de fil. presbyt., per totum.

X 5.07.11 *Si adversus nos*

Quod specialiter
Hoc sumptum est ex illo canone, 23. dist., quamquam. Ea enim quae notabiliter fiunt, nisi specialiter notentur, videntur neglecta, ff. de iniuri., item apud Labeonem § ait praetor; arg. supra, de confirm. util. vel inutil., bonae; et supra, de dolo et contu., ex litteris.

Scrinariis
Id est, tabellionibus. Sic 25. q. 2, dicenti § universa.

Auxilium
Cum sint excommunicati, infra, de haeret., excommunicamus itaque § credentes; et supra, de haeret., sicut ait. Sed videtur saltem si conveniantur quod non sit auxilium denegandum aut etiam iusta sententia, supra, de except., cum inter; et in pluribus capitulis ibidem. Hoc potest habere locum infra annum postquam vero constiterit eos esse tales. Anno elapso inter haereticos computantur nisi infra annum se correxerint, infra, de haeret., excommunicamus itaque § credentes; et sicut haeretici puniuntur, infra, de haeret., excommunicamus et anathematizamus. Unde non admittuntur ad aliquam defensionem, cum ipsorum bona debeant confiscari sicut aliorum haereticorum. Immo licite eis auferuntur sua, ut 8. dist., quo iure; 23. q. 5, non vos; et 23. q. 7, quicumque; 23. q. 7, si de rebus; et 23. q. 7, quod autem. Sed melius est si auctoritate iudicis hoc fiat, 23. q. 3, sex sunt; et C. de pignorib., creditores.

Infamia
Et ita Papa potest infamiam irrogare quo ad forum civile, quia et tollere eam potest, arg. supra, qui fil. sint legit., per venerabilem. Arg. contra 2. q. 3 § hinc colligitur. Ber.

X 5.07.12 *Cum ex iniuncto*

Occulta conventicula
Sicut conspiratores, 11. q. 1, conspirationum; 79. dist., si quis Papa. Isti enim conspirant contra Deum, unde fortius sunt puniendi quam si conspirarent contra hominem, supra, de haeret., vergentis, ad fi.

Simplicitatem
Et male, 38. dist., sedulo.

Deus enim
Hic incipit improbare factum istorum.

In lumine
Haec est improbatio contra occulta conventicula.

Sicut enim
Hic improbat quod assumebant officium praedicandi.

Non omnes
Immo singula officia singulis debent esse commissa, 89. dist., singula.

Alios
Sic infra, de haeret., sicut in uno; et 16. q. 1, adiicimus. Quia nullus audet praedicare nisi sacerdos, ut ibi dicitur, et infra, de haeret., excommunicamus itaque § quia vero; vel nisi esset missus, ut ibi, 23. q. 4, displicet; arg. ibi missus est, ut qualia etc.

Praecipuus
Et privilegiatus, supra, de statu monach., quod Dei timorem.

Rogate
21. dist., in novo. Ergo quia isti non erant missi nec sacerdotes, praedicare non debebant.

Quod si forte
Hic opponit, quia possit ei opponi ab alio et ita statim respondet.

Non sufficit
Bene dicit quia et si martyres etiam aliqua mandant fieri, statim non sunt facienda. Sed ante est, ut sciamus illos impetrare a Deo quae postulant, 50. dist., si quis praepostera; et 42. dist., quiescamus. Ber.

Miraculi
Nec istud statim credendum est, quia quandoque miracula fiunt per malos, 1. q. 1, teneamus.

Virgam
de conse. dist. 2, re vera.

Licet autem
Hic improbat quod deludebant simplicitatem sacerdotum. Ber.

Labia sacerdotis
43. dist., sit rector; et 11. q. 1, sacerdotibus.

Custodiunt
Id est, custodire debent.

Exquirunt
Scilicet, subditi a scholasticis, 38. dist., sedulo. Ber.

In lege
Mosaica.

Nec quisquam
Respondet ad obiectionem quam possent facere isti haeretici.

Asina
Ut 2. q. 7, secuti sunt; et 2. q. 7, nos si § item cum. Ber.

Quod quisque tenetur
Ad correctionem quilibet tenetur, sicut hic dicit. Et hoc intellige de occulta correctione sive reprehensione, arg. 23. q. 5, non putes, ut hic dicit. Sed manifeste corripere pertinet ad praelatos, vel ad illos qui habent aliquam potestatem in aliquos, 23. q. 4, duo ista; et 23. q. 4, forte. Pater enim filium potest corripere et praelatus subditum, et occultum et manifeste. Unde Apostolus: argue, obsecra, increpa, ut 45. dist., quid autem; et 8. q. 1, quod autem. Sed filius non potest publice reprehendere sive corripere patrem nec subditus praelatum, ut hic sequitur in littera, et 21. dist., nolite. Erubescit enim lex filios castigaturos parentes, in Auth. de nupt. § sed quod sancitum est, coll. 4, vers. ulti. per unam col. Haec est canonica correctio secundum evangelicam veritatem, ut occulta ad omnes, manifesta ad praelatos, vel alios aliquam potestatem habentes pertineant, ut hic distinguit. Et sic potest intelligi 2. q. 1, si peccaverit; et est ad hoc 22. q. 5, hoc videtur. Ad denunciationem vero evangelicam quae exigit admonitionem et probationem, ut 40. dist., sed illud, vers. neque illud; et supra, de testib., in omni; et 2. q. 1, si peccaverit. Quae fit ad poenitentiam videtur quod quilibet teneatur, arg. 2. q. 7, quapropter; supra, de cognat. spir., tua, dummodo persona sit honesta et bonae famae. Quia viles personae non admittuntur ad denunciationem, supra, de spons., cum in tua, ubi de hoc.

Fatue
55. dist., si evangelica.

Supponit
Ut 2. q. 7, nos si incompetenter.

Praemissum Domini verbum
Scilicet quis ex vobis arguet me de peccato.

Inutilis
Si enim praelatus inutilis aut negligens fuerit, removendus est, supra, de offi. custod., custos ecclesiae; 81. dist., dictum; et infra, de haeret., excommunicamus itaque, in fi.; et 18. q. 2, si quis abbas; et C. de off. praef. praet. Orien., si quos.

Ordinate
Denunciando vel accusando secundum quod traditur supra, de accusat., qualiter et quando 1; supra, de simon., licet Heli. Et est arg. iuris ordinem esse servandum.

Tam instituto quam destitutio
Ad quem pertinet institutio et destitutio, supra, de capell. monach., in ecclesiis; et supra, de capell. monach., dilectus; et infra, de privileg., cum et plantare § in ecclesiis. Et examinatio pertinet ad eum ad quem manus impositio spectat, supra, de elect., venerabilem; et supra, de elect., nihil est; et supra, de elect., cum nobis. Institutio enim ad episcopum pertinet, 16. q. 6, nullus. Ber.

X 5.07.13 *Excommunicamus itaque*

Superius
Supra, de summ. trin. et fid. cath., firmiter; et supra, de summ. trin. et fid. cath., damnamus.

Damnati
Scilicet de haeresi.

Potestatibus
Sic infra, de verb. sign., novimus. Tamen si voluerint redire in perpetuum carcarem teneantur, infra, de haeret., excommunicamus et anathematizamus.

Relinquantur
Qualiter hoc intelligitur, dicitur supra, de haeret., ad abolendam. Ber.

Degradatis
Infra, de haeret., sicut in uno; et infra, de haeret., excommunicamus et anathematizamus.

Confiscentur
De hoc dictum est supra, de haeret., vergentis.

Stipendia
Si plura stipendia habuerint, inter ecclesias dividantur pro rata, supra, de testamen., relatum est 2.

Suspicione
Id est, praesumptione. Et nota quod sola suspicio sive praesumptio purgationem inducit, quod si non fiat, punitur, ut hic patet, arg. supra, de cohab. cler. et mul., tua. Et intellige quod sit probabilis praesumptio sive suspicio. Alias non indiceretur purgatio, et sic non obstat 2. q. 1, primo; et ita hic respicitur infamia.

Suspicionis
Hoc semper est attendendum, ut secundum qualitatem infamiae et personae indicatur purgatio, 2. q. 5, omnibus; et infra, de purg. can., inter sollicitudines.

Condemnetur
Videtur hic quod aliquis sit condemnandus de haeresi, licet non videatur violenta praesumptio contra ipsum. Arg. contra supra, de praesump., litteras. Ibi dicit quod licet sit vehemens praesumptio non vult Papa illum condemnare de tam gravi crimine. Haec violentissima est praesumptio, cum primo probabilis fuerit propter infamiam, et quia noluit se purgare fuit excommunicatus. Et quia per annum stetit in excommunicatione pro convicto habetur, 11. q. 3, rursus; et 11. q. 3, quicumque. Secus in aliis criminibus, quia si bona alicuius contumacis propter crimen annotata sunt, si infra annum non venit, bona devoluntur ad fiscum. Sed quo ad crimen non obest quin post annum possit probare innocentiam suam, ff. de requir., annus. Sed quid est quod dicit quod statim est condemnandus, cum saepius est admonendus ut redeat, 1. q. 7, convenientibus? Respondeo: non contradicit, quia licit sit condemnandus, monendus est, ut 34. q. 1, quae dignior, in fi., ubi dicitur quod post admonitionem est vitandus. Hoc est verum in hoc quod non sunt ei secreta nostrae fidei exponenda, 43. dist., in mandatis, ut impugnet nos, ut ibi. Nec intelligas quod si pro alio crimine seu contumacia steterit per annum in excommunicatione, quod habendus sit haereticus, sed tantum excommunicatur per suspicionem haeresis.

Iuramento firmare
Sic supra, de haeret., ad abolendam § statuimus. Et non solum hoc iurare tenetur, sed hoc iurare debet quod ipse idem catholicus sit, in Auth. iusiur. quod praest. ab his qui admin. accip., circa princ., coll. 2.

Neglexerit
Iudex qui neglegit facere iustitiam excommunicatur, 23. q. 5, administratores; et facit litem suam, 23. q. 5, causa; et 23. q. 2, dominus; et 3. q. 7, qui sine, arg.; et in Auth. ut differ. iudic. audi. § neque autem; et in Auth. ut differ. iudic. audi. § si quis autem, coll. 9; et 2. q. 7, sicut.

Absolutos
Infra, de haeret., absolutos. Et ita Papa potest propter haeresim deponere omnes tam laicos quam clericos a dignitatibus suis, ut supra, de haeret., ad abolendam § statuimus; et supra, de haeret., vergentis, ubi de hoc.

Salvo iure domini
Arg. quod propter delictum unius alius puniri non debet, quoniam poena debet tenere suos auctores, supra, de his quae fi. a maior. par. cap., quaesivit; C. de poe., sancimus. Et iniquum est aliquem alterius odio praegravari, C. de inoffic. testam., si quis in suo. Arg. contra, supra, de haeret., vergentis.

Accinxerint
Arg. quod auctoritate ecclesiae bellum fieri potest, 23. q. 8, igitur; et 23. q. 8, hortatu; 15. q. 6, auctoritatem; 53. dist., Hadrianus; quod verum est contra inimicos fidei et contra illos qui ecclesiam impugnant.

Receptatores defensores
Sine quibus haeretici manere diu non possent, arg. ff. de off. praes., congruit; ff. de receptator., pessimum. Unde merito isti sunt puniendi. Immo gravius delinquunt qui aliorum errores defendunt, et acrius puniri debent, 24. q. 3, qui aliorum. Et ideo simili poena cum haereticis puniuntur, 11. q. 3, qui consentit; et infra, de haeret., excommunicamus et anathematizamus, in fi.; et C. de his qui latron. occult., eos; etiam si essent consanguinei, arg. 27. q. 1, de filia; et supra, de haeret., si quis, ubi de hoc. Ber.

Sit etiam intestabilis
Isti enim, ut hic patet, a quolibet actu legitimo repelluntur, nec donare nec vendere nec contrahere possunt, prout haec omnia traduntur C. de haeretic., Manichaeos.

Cum auctore damnato damnentur
Sic supra, de haeret., fraternitatis, ubi de hoc; simile supra, de testib., licet ex quadam. Sic etiam scriptura vel sententia publice excommunicati non valet, supra, de re iudic., ad probandum; et supra, de except., exceptionem; nec rescriptum, supra, de rescript., dilectus filius 1. Et hoc est quod sequitur, idem in similibus praecipimus observari. Tamen de rescripto impetrato ab excommunicato secus est, quia rescriptum non sumit auctoritatem ab impetrante sed a concedente. De quo dic ut supra, de except., extravag. pia, in notula, sed mirum. Ber.

Gravior exerceatur
Ut 50. dist., quia tua. Hic habes arg. quod qui in maiori dignitate est plus punitur, et ita circumstantiae aggravant vindictam, arg. 32. q. 5, qui viderit; et 25. q. 1, nulli fas; et 40. dist., homo Christianus. Crimen enim augetur per dignitatem, ff. de re milit., omne delictum § 1; 19. dist., nulli. Et qui magnus sine comparatione creatus fuit, sine venia damnatus est, de poen. dist. 2, principium enim; et supra, de iureiur., cum quidam, ibi hoc solvitur. Ber.

Percellantur
Qui participat excommunicato scienter et non se corrigit, excommunicandus est, infra, de sent. excom., quod in dubiis; 11. q. 3, qui communicaverit.

Apostolicae speciali
Hic reservat sibi Papa absolutionem sive restitutionem talium, ergo per hoc aliis prohibuisse videtur, simile supra, de praeben., de multa, in fi.; et supra, de praeben., grave, in fi. Et sic econverso ex quo sibi non reservat, aliis indulgere videtur, infra, de sent. excom., nuper. Et est ad hoc arg. quod episcopi dispensare possunt ubi Papa non reservat sibi dispensationem. Quare ergo Papa sibi specialiter reservavit talem restitutionem, nisi ut aliis prohiberet? Et licet episcopus ipsum restituere ad officium suum non possit, tamen reconciliare potest ipsum ecclesiae, supra, de haeret., ad abolendam § 1, ubi de hoc.

Eorum privilegia
Praetextu privilegiorum participare excommunicatis non possunt, infra, de sent. excom., nulli; et in hoc casu possunt ab episcopo loci tamquam a delegato a Papa puniri, supra, de haeret., ad abolendam, in fi., ubi de hoc.

Nisi mittantur
Supra, de haeret., cum ex iniuncto, ubi de hoc.

Alia competenti
Prout visum fuerit superiori, supra, de offi. deleg., de causis.

Totam viciniam
Arg. quod universitas potest praestare iuramentum calumniae, sic 30. q. 6, episcopus in synodo; sic supra, de accusat., sicut.

Vita et moribus
Haec omnia suspicionem inducunt, 41. dist., quisquis; 86. dist., inferiorum; 23. q. 8, praeterea; ff. ad leg. Aquil., scientiam; ff. de his qui not. infam., quid ergo § 1.

Indicare
2. q. 7, quapropter; et arg. 22. q. 1, si quis per capillum.

Purgaverint
Nota deficientem in purgatione puniendum, supra, de simon., de hoc; et supra, de simon., insinuatum.

Relapsi
Isti magis puniendi sunt. Deterior namque dolus eius cognoscitur qui interruptam iterum litem deservit quam qui semel coeptam dereliquit, in Auth. de litigios. § edita, in fi., coll. 8.

Iurare
Per iuramentum debet quis purgare conscientiam suam de haeresi, de conse. dist. 2, ego Berengarius; et 1. q. 7, quotiens. Unde si iurare non vult, pro condemnato debet haberi, sicut qui de calumnia iurare non vult, actor cadit a causa et reus pro condemnato habetur, supra, de iuram. calumn., cum in causa; et C. de haeretic., cum et iudices § quod si actor. Et est similis illi qui neque defendit neque exhibet, et condemnatur ut contumax, ff. de noxal. act., quotiens § in potestate. Tenui enim religione iuramenta etiam necessaria contemnunt, supra, de simon., etsi quaestiones; et C. de fid. instrum., cum quidam. Ber.

Indiciis
Nota quod per indicia probatur crimen, supra eodem capitulo § penulti., ibi, quod si quis etc.; et 2. q. 8, sciant; et 32. q. 1, dixit Dominus; et infra, de privileg., cum olim essemus; et C. de rei vend., indicia. Item habes hic quod propter negligentiam removetur praelatus, arg. supra, de haeret., cum ex iniuncto, in fi.; et 1. q. 1, si qui episcopi § ecce cum. Ber.

X 5.07.14 *Sicut in uno*

Sub specie virtutum
Supra, de haeret., excommunicamus itaque § quia vero; 41. dist., saepe vitia; quia praetextu pietatis non est impietas committenda, 20. q. 1, nosse. Et ita nullus potest praedicare nisi mittatur. Unde dominus ait discipulis suis: euntes praedicate Evangelium omni creaturae, et iubente domino in toto orbe dispersi sunt, 21. dist., in novo. Unde Esaias: ecce ego, mitte me, 8. q. 1, in scripturis; et 16. q. 1 § hoc idem; arg. ff. de tutor. et curat., ubi; et ff. de tutor. et curat., praetor.

Alios Dominus apostolos
Sic supra, de haeret., cum ex iniuncto. Nec universitas alia poterat ratione subsistere nisi huiusmodi magnus eam differentiae ordo servaret, 89. dist., ad hoc. Laici ergo cuiuscumque ordinis sint vel meriti praedicandi officium non debent assumere.

X 5.07.15 *Excommunicamus et anathematizamus*

Conveniunt
Supra, de haeret., excommunicamus itaque. Quia ad eundem finem tendunt, scilicet deceptionis.

Puniendi
Et hoc totum habes supra, de haeret., excommunicamus itaque. Sed qualiter isti haeretici puniri debent secundum leges postquam per ecclesiam sunt condemnati, ut hic dicit? Ultimo supplicio puniuntur per iudices saeculares, cum distinctione ut videtur, ut docentes ultimo supplicio, addiscentes vero decem libris auri, ut C. de haeretic., quicumque, ad fi. Sed contra C. de malef. et math., culpa, ubi dicitur culpa similis est tam prohibita discere quam docere. Non est contra, quia lex quicumque intelligitur de illis qui nondum didicerunt, sed causa addiscendi ad haereticos accesserunt, si autem ad actum pervenissent simili poena punirentur, ut docentes secundum legem illam, C. de malef. et math., culpa. Ber.

Si qui autem
Ab hoc loco usque ad finem additum est; aliud totum habes supra, de haeret., excommunicamus itaque; et supra, de haeret., ad abolendam § 1 et 2. Ber.

Deprehensi
Publice, ita quod notorium vel etiam condemnati. Si vero postea redire voluerint recipiendi sunt, quia ecclesia non claudit gremium redeuntibus ad ipsam, C. de summ. trinit. et fide cath., inter claras, circa fi. Et delicti veniam poenitentibus damus, C. de haeretic., Manichaeos; ita tamen ut in perpetuum carcerem permaneant, ut hic patet. Sic et simoniaci in monasterio sub perenni poena detrudantur, 1. q. 1, reperiunt; et supra, de simon., quoniam. Quia et ipsi haeretici censentur, 1. q. 1, eos qui; et 6. q. 1, nos sequentes § sed licet. Ber.

X 5.07.16 *Absolutos se noverint*

Absolutos
Ipso iure ex quo manifeste lapsi sunt. Simile 15. q. 6, iuratos; et 15. q. 6, nos sanctorum. Et est arg. quod Papa potest absolvere laicum a iuramento fidelitatis, arg. praedictorum capitulorum quia ad ipsum spectat interpretatio iuramenti, supra, de elect., venerabilem.

Aliquo pacto
Ergo si sub poena aliquis tenetur eis aliquid solvere certa die, licet non solvat, non incidit in poenam, et eodem modo si per iuramentum quod est verum, quia in illa obligatione et iuramento tacite subintelligitur si talis permanserit cui communicare liceat, 22. q. 2, ne quis arbitretur; ff. de solut., cum quis, 1. resp.; supra, de iureiur., quemadmodum; et supra, de haeret., excommunicamus itaque § credentes. Ber.

X 5.08 DE SCHISMATICIS ET ORDINATIS AB EIS

X 5.08.01 *Quod a praedecessore*

Octaviano
Hic Octavianus Ioannis maledicti vocatus fuit Victor et vixit annis novem et mensibus septem. Eo mortuo successit ei Guido iste qui vocatus est Paschalis. Isti duo schismatici fuerunt quorum facta hic damnantur. Ber.

Irritas
Ut 9. q. 1, ordinationes. Et intellige quantum ad executionem nisi cum eis fuerit dispensatum, infra, de schismat., fraternitati. Vel nisi ordinatus probaret se nescivisse illum fuisse schismaticum qui ordinavit, ut 9. q. 1, ordinationes. Simile 1. q. 1, si quis a simoniacis, quia tunc dispensatur cum eis, quia conferunt sacramenta dummodo in forma ecclesiae, sed non executionem quia eam non habent.

Alienationes
Sic 12. q. 2, alienationes.

Firmitate
Quia dum ecclesia habet pastorem haereticum vel schismaticum vacare intelligitur, supra, de praescrip., placuit. Unde non valent quae a tali praelato fiunt in praeiudicium ecclesiae, 12. q. 2, si qua de rebus. Sed pone quod talis praelatus acquisivit aliqua ecclesiae, videtur similiter quod non teneat, commodum enim cum incommodo compensari debet, ff. de negot. gest., si negotia. Credo tamen quod illud in favorem ecclesiae introductum est, quod si acquirit, teneat, nec cassabitur quia quod favore alicuius introductum est non convenit in eius laesionem retorqueri, C. de legat., quod favore; et ff. de minor., si iudex. Vincen.

X 5.08.02 *Fraternitati*

Dispensatum
Nota quod non sufficit ad probandum dispensationem cum aliquo factam, quod a tali ordinatus est qui sciebat eum indignum, et qui cum eo poterat dispensare, supra, de cleri. coniug., diversis; et 51. dist., qui in aliquo, in fi.; 81. dist., quicumque, in fi., ubi deponitur concubinarius ordinatur ab eo, qui secum poterat dispensare. Exigitur ergo ut intendat dispensare, quod expressa causa praesumitur, 50. dist., clerico iaciente; 16. q. 1, cum pro utilitate; 55. dist., priscis. Poterit autem probari dispensatio per testes, vel si occultum est peccatum confiteatur episcopo in secreto et petat dispensationem et obtineat litteras super hoc. Si vero publicum fuerit crimen et publice dispensatum est, postea accusari non poterit, supra, de fil. presbyt., ex tua; et supra, de accusat., de his. Si vero dispensetur in occulto, adhuc potest accusari quia etiam post poenitentiam potest quis accusari, 33. q. 2, admonere. Vincen.

Potestatem
Alias nisi haberet potestatem, nil esset actum, supra, de consuet., ad nostram; et C. si a non comp. iud., et in privatorum. Et hoc forte ideo dicit quia ipse quidem schismaticus conversus ad unitatem ecclesiae, et receptus in ordine suo, cum ordinato a se dispensare non posset sicut nec episcopus simoniacus cum ordinato a se dispensare non potest, 1. q. 5, praesentium, ibi, non episcopo, quasi dicat si pecunia esset data episcopo, ipse non posset dispensare cum eo qui dedit. Et quia hic Papa non retinet sibi dispensationem, aliis permittere videtur. Si enim ipse tantum dispensare posset, sibi hoc reservasset, ut supra, de haeret., excommunicamus itaque § sane. Sed potius credo quod solus Papa possit dispensare cum eo qui scienter ordinem a schismatico recepit, arg. supra, de elect., quia diligentia. Sicut Papa solus dispensat cum eo qui in apostasia ordinem recepit, infra, de apostat., consultationi. Et hoc satis innuitur ex eo quod dicit, ab eo persona quae potestatem etc. Io. tamen dicit quod episcopus dispensat cum schismatico, arg. 50. dist., ut constitueretur. Ber.

X 5.09 DE APOSTATIS ET REITERANTIBUS BAPTISMA

X 5.09.01 *Praeterea*

Apostasia
Est autem triplex apostasia, scilicet perfidiae, quando quis recedit a fide, 2. q. 7, non potest. Inobedientiae quando quis transgreditur praeceptum, supra, de maior. et obed., si quis; et supra, de maior. et obed., illud. Irregularitatis cum quis recedit ab ordine suo sive sumptae religionis, ut hic, et 50. dist., his qui post. Et dicitur apostata, id est, retro stans, 26. q. 7, non observetis. Et apostata testis esse vel alium accusare non potest, 3. q. 4, si quis; et 3. q. 4, beatus. Vincen.

Liberari
Arg. contra infra, de sent. excom., si vero aliquis. Illud intelligitur quando clericus licet tonsura non portat, alias clericaliter se habet. Isti vero tamquam laici per omnia se habebant. Vel sic, non denegatur hoc quin capientes tales sint excommunicati, sed ecclesia non praecipit illos liberari. Sic supra, ne cler. vel mon. saecul. neg., sacerdotibus. Si vero tertio essent admoniti et se non correxerint, nullo privilegio postea

gauderent, infra, de sent. excom., in audientia; et infra, de sent. excom., contingit 2. Et si de talibus vis intelligere quod hic dicit, planum est.

X 5.09.02 *Ex litterarum*

Insano
Et vere insano, de conse. dist. 4, qui bis; 51. dist., qui in aliquo; 24. q. 1, miramur § his auctoritatibus.

Iniuriam
Quod fieri non debet, 1. q. 1, quod quidam, de conse. dist. 4, ostenditur; et 24. q. 1, miramur § his auctoritatibus. Sed quid est facere iniuriam sacramento? Dixit Vincen. animae infigitur quidam imago sive pictura vel character. Unde si alia imago supponeretur, illa prima pictura obscuraretur, et ita videretur obfuscari primum sacramentum.

Acolythus
Supple qui ministerium suum praestitit rei nefandae.

Minor aetas
Arg. quod aetati minori subvenitur, de conse. dist. 4, eos; de conse. dist. 4, qui bis; et 15. q. 1, illud § itaque, in fi.; et ff. de minor., auxilium § in delictis, ibi, nisi quatenus miseratio etc.; arg. ff. de minor., si ex causa iudicati § nunc videndum. Sed illud verum est quod minor aetas non excusat in totum, sed miseratione aetatis mitius punitur, ff. de minor., auxilium § in delictis; et infra, de delict. puer., pueris, ubi de hoc.

Intentio
Unde facile abstergitur haec culpa propter fraternam pietatem, 22. q. 2, si quaelibet.

Non valebit
Nam delicti manifestatio dispensationem prohibet propter scandalum quod non est in occulto, immo post actam poenitentiam et in susceptis remanere et ad alios promoveri potest praeter reos homicidii, supra, de temp. ord., quaesitum.

Religionis
Ex hoc videtur quod ingressus religionis non tollit irregularitatem, ex quo sine dispensatione promoveri non potest. Arg. contra supra, de fil. presbyt., ut filii; et 56. dist., presbyterorum; et in Auth. de monach., in princ., coll. 1, ubi dicitur quod ingressus religionis omnem tollit irregularitatem. Tollit etiam ingratitudinem, 19. q. 3, non licet. Solutio: irregularitas illa quae consurgit ex proprio delicto non tollitur per ingressum religionis, sed favore religionis cum eo dispensatur, ut hic, et infra, de eo qui furt. ord. recep., veniens. Cum vero non surgit ex delicto proprio, ut infra, de purg. can., accedens, tunc per ingressum religionis tollitur illa irregularitas ita quod sine dispensatione potest ad ordines promoveri, ut in contrariis, sed non ad dignitatem sine dispensatione, infra, de poeni., in quibusdam; supra, de fil. presbyt., ut filii. Quidam dicunt quod in neutro casu tollitur, sed defertur tantum ad facilitatem dispensandi. Ber.

X 5.09.03 *Tuae*

Habitum clericalem
Qui habitum clericalem abiicit, nisi trina monitione praemissa etiam ipsum reassumat, perdit privilegium clericale, infra, de sent. excom., in audientia; et infra, de sent. excom., contingit 2.

Tolerandi
Sed quare non sunt tolerandi in habitu saeculari, cum liceat illis qui sunt in minoribus ordinibus uxorem recipere et cum ea morari, supra, de cleri. coniug., si qui; 32. dist., si qui vero; et 32. dist., lectores; et 32. dist., seriatim. Apostasa enim excommunicatus non est. Ut cesset omnis obiectio, intellige quod hic dicitur de eo qui infamatus est in ordine sacro vel in aliqua professione cui non licet ultra ad saeculum redire, unde tolerandi non sunt in habitu saeculari sed per censuram ecclesiasticam compellendi nisi se purgaverint accusatore deficiente redire ad ordinem vel religionem, arg. supra, de regular., statuimus; et 20. q. 3, eos qui semel. Immo incarcerari possunt, infra eodem capitulo, ne damnabiliter evangentur. De aliis in inferioribus ordinibus constitutis intelligi non posset, quia possunt renunciare in totum ordini clericali, supra, de vit. et honest. cler., ex litteris; et supra, de cleri. coniug., Ioannes; et supra, de cleri. coniug., ex parte; et supra, de cleri. coniug., ut consultationi. Ber.

X 5.09.04 *Quidam*

Ut novo
Istud ut, non tenetur consecutive sed ironice hic dicitur, quia non induunt novum hominem ex quo reliquias prioris hominis retinent.

Duabus viis
Nisi quandoque ratione officii, 3. q. 7 § tria, in fi.; et supra, de praesump., litteras; et ff. de rei vend., inter officium. Sed illud ignoravit quod praestaret patrocinium in re sua.

Lanaque
16. q. 7, in nova; et supra, de elect., cum causam. Et nemo debet claudicare in duas partes, 49. dist., sacerdotes. Et nemo potest duobus dominis servire, 26. dist., acutius; et supra, de cleri. coniug., diversis. Nemo autem filius Dei et diaboli simul esse potest, de poen. dist. 1, resuscitatus § item ut Christus ait. Nec duobus dominis servire, ut ibi.

Voluntatis
Sicut enim libero arbitrio homo obediens serpenti periit, sic se gratia Dei vocante propriae mentis conversione salvetur. Sed tamen si conditionali conditione coacti fidem suscipiunt, eam servare coguntur, 45. dist., de Iudaeis; et 45. dist., quid autem; et 45. dist., neminem; et 23. q. 5, ad fidem, et hic.

Retroire
Quia qui posuerit manum ad aratrum et respexerit retro non est aptus regno Dei, supra, de voto et vot. redem., magnae; sic 12. q. 1, scimus, in fi.; de poen. dist. 4, si refugientes, vers. fi. Ber.

X 5.09.05 *A nobis*

Minis
Comminando divinum iudicium, 2. q. 1, si peccaverit; 14. q. 6, si res; et supra, de temp. ord., quaesitum.

Blanditiis
Blanditiis enim et non asperitatibus ad fidem est aliquis invitandus, 45. dist., qui sincera. Immo et praemiis quandoque, 23. q. 4, debet homo. Tamen si isti apostatae per huiusmodi non proficiunt, fiat quod hic dixitur, quod intelligo de his qui sunt in sacris ordinibus aut in aliqua professione, ut supra, de apostat., tuae.

Reservetur
Sicut reservatur vita de misericordia filiis eorum qui crimen laesae maiestatis committunt, 6. q. 1, quaero § verum, vers. fi.; C. ad leg. Iul. maiest., si quis cum militibus, ut vitam sibi poenam existiment, 74. dist., quorundam. Sic clericus potest uxorem suam ligare, 33. q. 2, placuit, ut sic poena docente humiliter debeat obedire, supra, de elect., cum in cunctis; et 27. q. 1, si homo esses.

Resipiscant
Tunc cum venia recipi quia ecclesia non claudit gremium redeuntibus, C. de summ. trinit. et fide cath., inter claras, in fi. Et est arg. 1. q. 7, si quis omnem.

X 5.09.06 *Consultationi*

Dispensatione Romani Pontificis
Hic ergo Papa reservat sibi dispensationem. Sic supra, de haeret., excommunicamus itaque § sane; sic supra, de fil. presbyt., dilectus; et supra, de fil. presbyt., nimis. Item si iterata unctione fuerit maculatus, 1. q. 7, saluberrimum, in fi. Item qui rebaptizati sunt, de conse. dist. 4, qui bis; et de conse. dist. 4, eos quos. Item et qui in subversionem fidei ordinationem recipiunt ab haereticis, 1. q. 7, convenientibus, in fi.; in quibus casibus solus Papa potest dispensare. Tamen si ad aliam religionem transisset et ordinem ibi suscepisset, sine dispensatione posset in suscepto ordine ministrare, supra, de temp. ord., ex parte, quia ordinem non suscepisset in apostasia. Ber.

X 5.10 DE HIS QUI FILIOS OCCIDERUNT

X 5.10.01 *Veniens*

Iracundiae calore
11. q. 3, ira saepe; et 11. q. 3, cum apud. Ber.

Interfecit
Sic infra, de his qui fil. occ., intelleximus. De poena istius habes C. de his qui par. vel lib. occ., si quis. Secundum canones non ita puniuntur, quia Deus non vult mortem peccatoris sed ut convertatur etc., 26. q. 6, agnovimus; et 23. q. 8, his a quibus. De hac poena secundum canones dicitur infra, de his qui fil. occ., de infantibus.

Multos
Simile 31. q. 1, quomodo virginibus; et simile supra, qui cler. vel vov. matr. contr. poss., veniens. Si autem non esset praesumptio de ipsius incontinentia, non daretur sibi licentia contrahendi propter crimen suum, 23. q. 2, in adolescentia.

X 5.10.02 *Intelleximus*

Abiurare
Et male, quia quos Deus coniunxit homo non separet, 33. q. 2, an quod. Et ob hanc causam eam maritus dimittere non posset, 32. q. 2, quicquid; et 32. q. 7, omnes causationes.

Iuramento
Tale iuramentum illicitum fuit, supra, de iureiur., tua nos 2. Tamen in hoc non multum peccavit, quia compulsus hoc fecit, sed potius debuit quaelibet mala pati quam mala consentire, 32. q. 5, ita ne. Unde iurare non debuit, quia sine periculo salutis aeternae servare non potuit iuramentum. Mitius tamen agetur cum ea propter filios quos debet nutrire.

X 5.10.03 *De infantibus*

Nec etiam sine poena
Sed si non constat eos interfectos a patre vel matre sed eventus fuit causa mortis, non debet eis poenitentia imponi, quia non peccaverunt. Licet hoc non constet, tamen ad cautelam tutius est quod inde poenitentiam agant quia forsitan minorem diligentiam illis adhibuerunt, arg. 23. q. 5, excommunicatorum; et 34. q. 2, in lectum mariti. Quia bonarum mentium est, ibi culpam timere ubi culpa non est, supra, de observ. ieiun., consilium § 2; et 5. dist., ad eius vero; et infra, de poenit. et remiss., quaesitum. Et arg. supra, de spons., iuvenis; et hoc secundum discretionem pietatis, ut hic dicit, ad arbitrium imponentis ut in capitulo infra, de poenit. et remiss., quaesitum. Si vero sponte hoc fecerunt, tunc gravissima poenitentia debet eis imponi, aliquantulum maior quam pro alio homicidio, quia magis peccare videtur proprium filium occidendo. Arg. infra, de homic., cum iuramento; et de poen. dist. 1, aut facta. Et secundum leges fortiori poena puniuntur, C. de his qui par. vel lib. occ., si quis; et ff. de lege Pomp. de parr., lege Pompeia. Si non casu sed culpa gravi praecendente, tunc poenitentia septem vel quinque annorum est eis imponenda, arg. 50. dist., si qua femina. Si quis sponte et infra, de poenit. et remiss., quaesitum. Si vero levis culpa praecessit, posset imponi poenitentia trium annorum, ut hic dicit. Si autem nulla praecessit culpa vel negligentia, de iure in nullo sunt puniendi. Arg. infra, de homic., ex litteris 1. Sed ad cautelam, ut dictum est, debet imponi propter

ambiguum duplicitatis consideratis omnibus circumstantiis, de poen. dist. 5, consideret; et infra, de poenit. et remiss., Deus. Tanc.

Eventus
50. dist., studeat.

X 5.11 DE INFANTIBUS ET LANGUIDIS EXPOSITIS

X 5.11.01 *Si a patre*

Sciente
Ipso. Simile 54. dist., si servus sciente; et supra, de his quae fi. a prael., continebatur. Et ita est hic arg. quod qui tacet consentire videtur, ut 65. dist., si forte; et 27. dist., diaconus, ubi de hoc.

Ratum habente
Rati enim habitio in maleficiis retrotrahitur et mandato comparatur, ff. de vi et de vi arm., praetor ait § sed et si cum quis; et supra, de restit. spol., cum ad sedem, in fi. Et generaliter dicit lex quod omnis ratihabitio retrotrahitur, C. de Maced., si filiusfamilias. Ber.

Pietatis officio
Et re vera relegato quia debuerunt viscera eius commoveri super filio suo, supra, de praesump., afferte. Et paternus affectus omnem vincit affectum, C. de curat. fur., cum furiosus.

Liberatus
De istis expositis habes 87. dist., si expositus. Et intelligas illud secundum istud. Nota ergo super hoc aut exponitur infans sciente patre vel domino seu patrono aut ignorante. Si sciente et non contradicente vel ratum habente expositus sit, filii sic expositi sui iuris existant, liberti in ingenuitatem, servi in libertatem eripiantur. Et multo magis si ipsemet ipsum exposuit, quia nec dicere suum postea poterit qui pereuntem contempsit, C. de infant. expos., unusquisque; et C. de infant. expos., sancimus. Tenor quarum hic comprehendit, si enim ipsum alere non poterat, eum in xenonem mittere debuit vel quo poterat modo eum adiuvare, C. de Lat. libert. toll., cum dediticii § sed scimus. Et videtur quod tamquam homicidae damnentur, ut 87. dist., si expositus; et ff. de liber. agnosc., necare. Unde expositi sanguinolenti dicuntur, C. de infant. expos., in rubrica. Si vero ignorante vel invito non praeiudicat ei quin possit illum repetere, sed restituat expensas nisi a fure vendicetur, C. de infant. expos., si invito; et hic in principio ubi dicit, sciente eo aut ratum habente ergo si ignorante vel contradicente, non nocet patri vel domino capitulum illud 87. dist., si expositus. Intelligit Hug. quando infans expositus est ab alio quam a patre vel domino, ut tunc possit repeti post contestationem publice factam infra decem dies, et hoc capitulum non contradicit. Ber.

Languidis
Idem iuris est circa praedictas personas cuiuscumque aetatis sint, si languidae fuerint sive alimenta eis impie negentur, ut tam filii sui iuris efficiantur quam servi et liberti in libertatem et ingenuitatem eripiantur, quia habent hos pro derelictis, ff. pro derelic., Sempronius; et C. de Lat. libert. toll., cum dediticii § sed scimus. Nec ad eorum bona ulterius aspirabunt, ut C. de Lat. libert. toll., cum dediticii § sed scimus. Sic et abbas debet recolligere monachum suum, ne damnabiliter evagetur ne pereat, supra, de regular., ne religiosi. Quod si non fecerit et ille in saeculo remanens aliqua acquirat et sic moriatur, monasterium quod neglexerit illum ab ipsius bonis maneat segregatum, arg. praedicti §. Et est hic arg. ad hoc quod crederem si monasterium ipsum expulit, vel etiam si redire voluit salva ordinis disciplina et non fuit admissus, quia sic impie alimenta negavit. Ber.

Vendicare
Immo liberi erunt et sibi acquirunt, ut C. de infant. expos., sancimus.

X 5.12 DE HOMICIDIO VOLUNTARIO VEL CASUALI

X 5.12.01 *Si quis*

Per insidias
Simile 24. dist. § de his. Iste qui per aggressionis insidias occidit ab ecclesia immunitatem non habet. De tali loquitur hic, nec publicus latro, supra, de immun. eccl., inter alia; et C. quan. lic. sin. iud. uni. vind., liberam; et C. quan. lic. sin. iud. uni. vind., opprimendorum; et 17. q. 4, sicut antiquitus. Item qui ea spe in ecclesia vel coemiteriis delinquunt ut ibi liberentur, non defenduntur ibidem, supra, de immun. eccl., immunitatem. Et ita iste evelletur ab altari si confugerit illuc. Ber.

X 5.12.02 *Interfecisti*

Latronem
Non intelligas de publico nocturno depopulatore agrorum, quia licitum est occidere illum, C. quan. lic. sin. iud. uni. vind., liberam; et C. quan. lic. sin. iud. uni. vind., opprimendorum; sed non clericis. Ber.

Ad imaginem
33. q. 5, haec imago. Unde facies hominis quae facta est ad imaginem caelestis pulchritudinis minime maculetur, C. de poe., si quis in metallum. Ber.

Lanea veste
Id est, cilicio, 50. dist., in capite. Ber.

Ab escis
4. dist., denique.

A toro
Quantum in ipso est, ut non exigat. Sed reddat exactus, 33. q. 4, poenitentiam; et 33. q. 5, si dicat. Sic infra, de sent. excom., inquisitioni. Ber.

Gladio
Hoc prohibetur omni poenitenti, 34. q. 2, admonere; et de poen. dist. 5, falsas. Ibi dicitur quod ab omnibus illicitis est abstinendum, non quod militare sit malum, 23. q. 1, militare. Sed propter pronitatem peccandi prohibentur poenitentes.

Cervisia
De Anglia fuit ubi fit cervisia.

Temperate
Id est, non ultra tertiam vicem ut in illa palea, 44. dist., quando presbyteri.

Bonum est tibi
Saltem ad cautelam, quia bonarum mentium etc., supra, de observ. ieiun., consilium § 2; et 5. dist., ad eius vero.

Non deponatur
Quia non dicitur directe homicidium fecisse, tamen irregularis, ut credo, factus est, quia potius debuit dimittere sua quam ipsum interficere, infra, de homic., suscepimus. Sed dispensatur cum eo ut beneficium habeat ex misericordia sine ordinis executione, arg. 28. dist., presbyterum. Vel intellige ut dicitur infra eodem titulo, sicut in glossa quae incipit: nota in fi. quando non potuit evitare.

X 5.12.03 *Si perfodiens*

Si perfodiens
De nocte scilicet, per id quod sequitur. Ber.

Intelligitur
Hucusque sunt verba Exodi, postea sunt verba Augustini exponentis praedictam auctoritatem. Ber.

Legibus saecularibus
ff. ad leg. Aquil., itaque § lex; et ff. ad leg. Corn. de sic., furem. Sed pone quod vult me interficere. Numquid possum eum praevenire? Dicunt quidam quod sic. Arg. C. ad leg. Corn. de sic., is qui adgressorem; et C. ad leg. Corn. de sic., si ut adlegas; et C. ad leg. Corn. de sic., eum qui; ff. de iust. et iure, ut vim; et lege praedicta ff. ad leg. Aquil., itaque, in princ. Sed pone quod percussit me et recessit. Numquid possum eum insequi ut percutiam? Hug. dicit quod non, quia sic iniuriam vellet ulcisi et non repellere eam, quod non licet, 46. dist., seditionarios; quia incontinenti et sine intervallo licet vim vi repellere, infra, de sent. excom., si vero alicuius; et infra, de homic., significasti 2, ubi de hoc.

Antiquior
Quoniam a lege divina omnis scientia sumpsit exordium, 38. dist., legimus § hinc etiam. Et ita primo fuit lex divina quam saecularis.

Telo
Armorum nomine fustes et lapides intelliguntur, ff. de fur., si pignore § furem. Et ferrum et omne quod arcu et manu mittitur, Inst. de public. iudic. § item lex Cornelia. Vincen.

Plus est
Et ita videtur quod liceat se vindicare, C. quan. lic. sin. iud. uni. vind., liberam; et 1. dist., ius naturale. Ber.

X 5.12.04 *Cum iuramento*

Si ob iusiurandum
Verba sunt Hieronymi exponentis praedicta verba.

Fecisse
Homicidium scilicet.

Facturus esset
Certe non debuit facere quia in generali sermone promissione multa excipiuntur, ff. de servit., si cui; quia omnia illicita intelliguntur excepta. De hoc habes plura arg. supra, de iureiur., quemadmodum. Et ea etiam non veniunt quae specialiter non dedisset, ff. de pignorib., obligatione. Unde Herodes non fuit obligatus suo iuramento ut daret caput Ioannis mulieri saltanti per illa verba generalia, quodcumque postulasset etc., quia si specialiter petiisset, non dedisset. Et ideo tale iuramentum ipsum non excusavit.

An non
Quasi dicat, non. Immo et fecisset in suis, non ideo debuisset facere in aliis. Nam in propriis saevitia culpanda in alienis coercenda est, ff. solut. matrim., si constante § si maritus. Non enim ad minorem diligentiam tenetur in rebus alienis quam in suis, C. mand. vel cont., in re mandata; Inst. quib. mod. re cont. oblig. § at is qui; ff. commodat., si ut certo. Et bona fides abesse praesumitur si rebus tuis existentibus salvis res depositas amisisti, supra, de deposit., bona fides.

Debuit
1. dist., humanum genus; 50. dist., ponderet; 2. q. 1, primo semper. Ber.

X 5.12.05 *Si aliquis*

Ut homicida
Quantum ad poenam legalem, ff. de poe., si quis aliquid § qui abortionis; et ff. ad leg. Corn. de sic., si mulierem. Et quantum ad poenam spiritualem, sed non est irregularis ac si hominem interfecisset. Illa enim irregularitas non contrahitur nisi actu homo interficiatur iam animatus, infra, de homic., sicut ex litterarum; et 32. q. 2, quod vero;

quia non videtur homicidium fecisse ut ibi dicitur, et § seq. Unde si quis percusserit mulierem et abortum fecerit, si informatum erat conceptum punitur pecunia, ut 32. q. 2, Moyses. Unde talis dicitur homicida occasionaliter, 86. dist., pasce fame; et 87. dist., si expositus; et C. de infant. expos., sancimus; et ff. de liber. agnosc., necare; et 55. dist., si quis absciderit. Ber.

X 5.12.06 *Sicut dignum*

Plenius nosti
Simile 11. dist., quis nesciat.

Quantitas
An sit enorme vel mediocre, adulterium vel incestus.

Qualitas
An sit occultum an manifestum.

Aetas
15. q. 1, illud. Ber.

Scientia
An sit discretus vel non sanae mentis, 3. q. 9, indicas; vel minus discretus.

Sexus
32. q. 6, indignantur.

Conditio
22. q. 5, qui compulsus; et de poen. dist. 1, aut facta. Haec quae hic tanguntur et alia expresse habentur de poen. dist. 6, consideret; et infra, de poenit. et remiss., Deus.

Puniendus
32. q. 5, qui viderit; supra, de haeret., excommunicamus itaque § credentes, in fi; et supra, de iureiur., cum quidam, ubi de hoc.

Animo occidendi
Ex corde enim procedunt homicidia et adulteria, 23. q. 8, occidit; 15. q. 6, si quandoque, ad fi.

Venisse
50. dist., studeat.

Mors
Nota quod voluntas punitur licet non processerit ad effectum, et ita propter propositum puniuntur. Consenserunt enim cooperando, 17. q. 4, omnes. Ideoque puniendi sunt eadem poena, ut ibi dicitur.

Qui potuit
Unde tenetur si non prohibuit, 83. dist. § 1; et 83. dist., error; et supra, de haeret., qui alios. Alias culpa caret et si prohibere non potuit, ff. de regul. iur., culpa caret.

Opem
23. q. 8, si quatuor.

Scrupulo
Supra, de testib., constitutis 1.

Occulta
86. dist., facientis.

Inflammasse
De persuasu tenetur quis, ff. ad leg. Aquil., item si obstetrix § 1; 86. dist., tanta; ff. de serv. corr., ait praetor § ulti.

Provocassent
Forte alias non facturum. Unde aeque tenentur quia dolo ad hoc induxerunt regem qui alias forte non fecisset, ut ff. de dolo mal., et eleganter.

Sicarios
Sicarii dicuntur a sica, quod significat ferrum sive cultrum, Inst. de public. iudic.§ sicarii. Et sicarii etiam possunt dici qui armis vitae alicuius insidiantur, de poen. dist. 1 § si quis cum telo. Unde tenentur lege Cornelia de sicariis, C. ad leg. Corn. de sic., is qui adgressorem. Ber.

Ministerium
Unde quodam modo consentire videbantur.

Immunes
Quia poena suos tantum debet tenere auctores, C. de poe., sancimus; et supra, de his quae fi. a maior. par. cap., quaesivit.

Restituere
Quia non dimittitur peccatum nisi restituatur ablatum si restitui potest, ut hic dicit; et 15. q. 6, si res; 12. q. 2, in legibus; de poen. dist. 5, falsas.

Si habent
Alias inanis est actio, ff. de dolo mal., nam is; et supra, de restit. spol., olim vobis; sic infra, de usur., cum tu; et ff. de fur., itaque fullo. Arg. contra 12. q. 2, fraternitas; ff. de cess. bon., per totum; C. qui bon. ced. poss., qui bonis. Solutio: hoc regulare est quod si non habent, non tenentur postea tamen actio non tollitur cum effectu. Immo si perveniant ad pinguiorem fortunam, reddere tenentur, supra, de solution., Odoardus; ff. de cess. bon., is qui bonis. Arg. 26. q. 6, is qui; et infra, de sent. excom., quamvis, in fi.; et infra, de sent. excom., de caetero, in fi.; nisi pro eo iam sustinuisset poenas corporales, ut 24. q.

6, si res; arg. 12. q. 2, fraternitas. Non enim consurget triplex tribulatio, 23. q. 5, quid ergo; ff. de in ius voc., si sine venia; et supra, de iudic., at si clerici, in fi. Laur.

Non tamen aliena

Quia non remittitur debitum sed augetur si alii solvatur quod alii ex debito est solvendum, supra, de iureiur., ea te; et supra, de decim., tua 2; et 1. q. 1, non est putanda; 90. dist., oblationes; 14. q. 5, nolite; 14. q. 5, immolans; et 14. q. 5, forte; et 14. q. 5, eleemosyna; et 14. q. 5, neque enim si agris; et C. de solut., invito. Et hoc intellige si illos quorum fuerant poterant invenire. Alias sufficit, immo tenentur pauperibus erogare, et nihilominus est talibus poena imponenda, ut hic dicit, propter peccatum quod ipsi contraxerunt contrectando res alienas invitis dominis.

Temporis mora

Quia in hoc magis gravantur, quia longo tempore talibus participaverunt, supra, de simon., non satis; et in capitulo supra, de simon., cum in ecclesiae.

Timore

Hoc ideo dicit, quia si timore participaverunt, minus punientur licet in totum non absolvantur. Quia potius debebant omnia mala pati quam malo consentire, 32. q. 5, ita ne. Sed si essent violenter attracti, absolute non punirentur, ut hic patet, et supra, de his quae vi met. caus. fi., sacris.

Affectione

Ex hoc magis puniuntur. Quaedam sunt tamen personae quae sine poena possunt excommunicatis participare, 11. q. 3, quoniam multos; et infra, de sent. excom., inter alia.

Ignoranter

In hoc casu non tenentur si ignorabant illos talia perpetrasse, quia si ignorans illum excommunicatum esse, non peccas illi participando nisi illa ignorantia crassa fuerit et supina, supra, de renunciat., litteras; et infra, de cleri. excom., Apostolicae.

Consilium

Nota quod homicidium committitur facto, consilio, praecepto et defensione, 50. dist., si quis viduam; et 23. q. 8, si quatuor; et infra, de cleri. pug., Henricus; et infra, de homic., significasti 2. Et sic distingue circa hanc materiam aut committitur homicidium voluntate, aut casu, aut necessitate. Si voluntate, quod fit tribus modis, facto, praecepto et consilio, ut capitulo praedicto 50. dist., si quis viduam. Et lingua sive adhortatione, supra, de homic., sicut dignum § qui vero; et infra, de poeni., quod in dubiis; et de poen. dist. 1, periculose. In quocumque istorum casuum quis committit homicidium, non solum non debet promoveri sed in perpetuum debet deponi, ut hic dicit, et 50. dist., si quis viduam. Et etiam si paganum interficiat, irregularis efficitur, sive Sarracenum, 50. dist., clericum; et 50. dist., de his clericis; et infra, de homic., petitio. Et cum tali numquam dispensatur, 50. dist., miror. Et si etiam sit occultum ministrare in suo ordine non potest, cum omnes alii possint, supra, de temp. ord., quaesitum, iuxta illud: non aedificabis mihi templum, quia vir sanguinem es, 1. q. 7, si quis omnem. Si vero casu committitur homicidium, aut dabat operam rei licitae aut non. Si dabat operam rei licitae et adhibuit

diligentiam quam potuit et debuit, in nullo imputatur sibi, ac si non fecisset, infra, de homic., ex litteris 2; et infra, de homic., significasti 1; et infra, de homic., dilectus; 50. dist., si duo fratres; et 50. dist., hi qui, in princ.; et 50. dist., saepe, ad fi.; et infra, de homic., quidam; nisi scandalum grave esset vel tanta laboraret infamia quod purgatio esset indicenda, infra, de homic., ex litteris 1. Si vero non adhibuit diligentiam quam debuit, imputatur ei propter negligentiam quae culpae annumerari videtur in hic, ita quod non promovetur ad ordines superiores, nec utitur ordine iam suscepto, infra, de homic., presbyterum; et infra, de homic., ad audientiam. Nisi cum eo per dominum Papam fuerit dispensatum, 50. dist., clerico iacente; et supra, de homic., continebatur; et infra, de homic., dilectus, in fi.; et arg. 15. q. 1, illud § ut itaque; ff. de regul. iur., culpa est. Si vero necessitate, sub quo continetur quod primo dixi de defensione, aut necessitas illa fuit evitabilis aut inevitabilis. Si evitabilis imputatur ita quod ad superiores ordines non potest promoveri, sed in susceptis de misericordia toleratur, 50. dist., de his clericis. Si fuerit inevitabilis, sine omni dispensatione potest in ordine suscepto ministrare, 50. dist., quia te. Quod intelligitur de inevitabili necessitate, ut puta clericus habebat gladium in manu sua ad defensionem paganorum. Paganus irruit in eum ita quod clericus nullos modo potuit evitare, et iste paganus mortuus est cum gladio quem clericus tenebat, praeter propositum ipsius clerici, arg. infra, de homic., lator, in quo potest intelligi supra, de homic., interfecisti. Sed ad superiores non ascendet sine dispensatione, ut dicit Io. Sed Hug. dixit contra, arg. infra, de homic., lator. Sed Io. intelligit illam infra, de homic., lator, de dispensatione.

Quinquennium
Haec est amplectanda tamquam benignior in quam omnes convenerint, ff. de recepti., diem proferre § si plures.

X 5.12.07 *Presbyterum*

Expirasset
Et ita excessit fines disciplinae, unde in culpa fuit, ff. ad leg. Aquil., praeceptoris. Levis enim castigatio magistris permissa est, ff. ad leg. Aquil., sed et si § ulti.; et ff. ad leg. Aquil., praeceptoris; et 23. q. 5, circumcelliones, circa fi.; et infra, de sent. excom., cum voluntate; et infra, de sent. excom., super eo vero. Arg. contra 15. q. 1, si quis non iratus. Sed ibi dicit quantum ad gratiam innocens est, sed non quantum ad legem promotionis. Et ita non contradicit quia iste quantum ad gratiam innocens erit quae voluntatem requirit, non opus ut ibi.

Debes
ff. ad leg. Corn. de sic., lege Cornelia de sicariis tenetur. Ber.

Aliam infirmitatem
Unde mortuus fuerit, 50. dist., studeat, quia occasionem dedit, infra, de homic., de caetero. Et est arg. quod ita punitur qui causam causae praestat, sicut et qui proximam causam praestat, infra, de homic., de caetero. Arg. contra ff. si quad. paup. fec., agaso. Sed illud locum habet cum alias contra naturam movetur. Sed numquid si postquam

convaluit, recidivavit, tenetur magister? Ita nam semper causa sufficit, de poen. dist. 2, si quis semel; et infra, de homic., ad audientiam; saltem propter dubium.

X 5.12.08 *Continebatur*

Ludum
Iste ludus clericis non congruebat. Et ideo si ludendo fecit, fuit in aliquantula culpa, ff. ad leg. Aquil., nam ludus.

Eiusdem diaconi
In hoc similiter fuit clericus in culpa, quod ludum miscuit cum laico, arg. 2. q. 7, laicos; 22. dist., his igitur, in princ. Cum ludus perniciosus non debeat esse impunitus, ff. de fur., in furti actione § cum eo.

Romani Pontificis
Infra, de homic., lator, contra. Ibi libere promovetur ad ordines superiores. Hic non sine licentia Papae, et idem casus videtur. Quid ergo fines fecit esse diversos? Solutio: hic dabat operam illicitae rei ludendo cum laico, quod non licet. Vel si etiam licitum fuisset, non adhibuit diligentiam quam debuit, quia cum sciret ludi consuetudinem, non removit falcem a se, unde fuit in culpa quare promoveri ad superiores ordines non debet sine licentia Papae, ut hic dicit, et in capitulo sequenti infra, de homic., lator. Ludebat cum clerico et licito ludo. Et de illo cultello non sperabatur aliquod mortale, et ille potius ingessit se proiiciendo alium ad terram. Et sic non fuit in culpa, sic 12. q. 4, inter caetera, in fi. Sed ille qui ipsum proiecit fuit in culpa, arg. ff. si quad. paup. fec., si quadrupes § cum arietes. Io. vero intelligit sequens capitulum similiter de dispensatione et cum eo dispensavit. Sed hic reservavit sibi dispensationem, et non negatur quin cum eo dispensetur, sed ex littera hoc non colligitur. Vel posset dici quod quadam inevitabili etiam necessitate hoc contigit quod non impedit promovendum, ut dictum est supra, de homic., sicut dignum, in penultima notula. Sed idem videtur in capitulo proximo infra, de homic., lator. Sed ibi ludebat cum laico, ut dictum est, quod non licet clericis in capitulo sequenti cum clerico. Ber.

X 5.12.09 *Lator*

Luderet
Licet enim quandoque ludere, sicut Isaac, 32. q. 4, recurrat. Lusit etiam Ioseph cum fratribus suis, 22. q. 2, quod autem. Et sic ludus iste licitus fuit et quia cum clerico, ut dixi in proximo capitulo supra, de homic., continebatur.

Proiecit istum ad terram
Et sic passus est tantum et nihil fecit illi. Unde huic non est imputandum. De hac materia dictum est supra, de homic., sicut dignum.

Libere
De iure communi ut dicunt quidam, quod satis videtur. Alii dicunt libere per dispensationem Papae, scilicet, ut dicitur supra, de homic., continebatur. Ber.

X 5.12.10 *Suscepimus*

Ligaverunt
In hoc excesserunt fines licitae defensionis cum possent aliter evadere. Unde homicidium subsecutum imputatur utrique, quia licet clericus latronem capere possit, ut res suas recuperet, arg. 14. q. 6, si res; et supra, de deposit., gravis. Isti tamen ad hoc procedere non debuerunt, cum res suas salvas haberent. Clericus vero sua defendendo non debet armis resistere nec aliquam propter res interficere, arg. 23. q. 8, nimium; et 23. q. 8, convenior; et arg. 36. dist., si quis vult. Arg. contra supra, de homic., interfecisti. Laicus vero potest res suas et patriam armis tueri et praevenire hostem, arg. C. und. vi, recte; et 23. q. 2, Dominus. Sed clericus cum armis pugnare non debet etiam contra Sarracenos, supra, de voto et vot. redem., ex multa; et 50. dist., clericum qui paganum. Ber.

Detinere
Immo videtur quod licitum erat occidere cum essent nocturni latrones, supra, de homic., si perfodiens. Sed non est verum, ut ff. ad leg. Corn. de sic., furem.

Interimeretur
Quia tutius est ante tempus occurrere quam post causam vulneratam remedium quaerere, C. in quib. caus. in int. rest., sancimus, in fi.; et C. quan. lic. sin. iud. uni. vind., liberam. Sed hoc non fuit licitum ei, immo potius debuit fugere dum solvere se nitebantur, sicut Dominus fugit in Aegyptum cum ab Herode ad interficiendum quaereretur, 23. q. 3 § quod vero. Ber.

Substinere iacturam
23. q. 3 § quod vero. Et dicit Apostolus: non vos defendentes, sed date locum irae; 23. q. 1, sed magis fraudem patimini; 23. q. 1, nisi bella.

Arbitrium tuum
Et ita est arg. quod poenitentiae arbitrariae sunt, 26. q. 7, tempora poenitudinis. Ber.

Utriusque ope
Alter facto iste ope, scilicet ligando, supra, de homic., sicut dignum § 2. Et ita est arg. quod ita punitur qui causam praestat, sicut et ipse faciens, arg. supra, de homic., presbyterum; et infra, de homic., de caetero.

X 5.12.11 *De caetero*

Causam dedisse
Forte consilio, praecepto vel ope, 50. dist., si quis viduam; et supra, de homic., sicut dignum § 2; et supra, de homic., sicut dignum § ulti. Vel suggestione, ut supra, de homic., sicut dignum § quia vero; et supra, suscepimus, in fi. Et est arg. quod qui causam damni dat damnum dedisse videtur, 50. dist., studeat; et ff. ad leg. Aquil., qui occidit § in hac; et ff. ad leg. Corn. de sic., nihil; et infra, de iniur. et damn. dat., si culpa; maxime

cum propinquam causam dedit. Secus videtur in remota, arg. ff. locat. et conduct., qui domum habebat, in fi.; et infra, de homic., exhibita. Idem videtur in remota si animo nocendi hoc faciat vel minori diligentia, supra, de homic., presbyterum, in fi.; C. ad leg. Corn. de sic., si quis necandi.

X 5.12.12 *Ad audientiam*

Corrigere quendam de familia
Quod bene licet leviter etiam si sit clericus, infra, de sent. excom., cum voluntate. Quia ius emendationis concessae nemo transgredi debet, C. de emend. prop., in corrigendis, in fi. Sed iste indiscrete correxit. Arg. contra supra, de homic., lator. Iste non adhibuit diligentiam removendo cultellum, ille non tenebatur ad hoc quia nec per se aliquid fecit, sed sibi factum fuit.

In dubiis
Sic supra, de spons., iuvenis; et infra, de homic., significasti 2; et infra, de homic., petitio; infra, de cleri. excom., illud. Ergo tene certum et dimittere incertum, de poen. dist. 7, si quis positus, in fi.; ff. de regul. iur., in ambiguis. Et in re dubia certa non potest ferri sententia, 11. q. 3, grave; et 30. q. 5 § in praemissis. In eo enim facto quod finitum est, non est locus coniecturis, ff. de ver. oblig., continuus § cum ita, in fi. Unde quandoque propter ambiguum duplicitatis imponitur poenitentia, supra, de his qui fil. occ., de infantibus.

Ut minoribus
Dispensative tamen, supra, de homic., continebatur. Ber.

X 5.12.13. *Dilectus filius A.*

Fraeno
Quod de levi frangi non credebat, alias in culpa esset, arg. infra, de homic., significasti 1; et ff. ad leg. Aquil., idem iuris § 1. Vel si propter imperitiam suam equus taliter lascivisset, Inst. ad leg. Aquil. § impetu quoque.

Voluntate
Et ideo non imputatur, quoniam voluntas et propositum distinguunt maleficium, ff. de fur., qui iniuriae; et infra, de sent. excom., cum voluntate. Ad cor enim respicit Deus, ut 14. q. 5, si quid invenisti; et 15. q. 6, si quandoque, ad fi. Tanc.

Nec actu
Qui tamen solus non sufficit ut reddat hominem irregularem, nisi adsit voluntas vel culpa, 50. dist., hi qui; et infra, de homic., ex litteris 1. Nisi scandalum aliud induceret, ut ibi. In promovendo tamen secus est quia solo actu redditur irregularis, 15. q. 1, si quis non iratus. De hac tamen materia dicitur supra, de homic., sicut dignum.

Nec dedit operam illicitae rei
Quod si esset, imputaretur, ut plene dictum est in capitulo supra, de homic., sicut dignum.

X 5.12.14 *Ex litteris tuae*

Circumspexisset
Et sic diligentiam adhibuit dando operam licitae rei, unde non imputatur, ut 50. dist., si duo. Ber.

Grave scandalum
Nota ergo quod solum scandalum reddit hominem irregularem, sive punitur innocens propter scandalum, supra, de cleri. aegro., tua; et supra, de praeben., cum teneamur.

Vel tanta
Et ita aliud est inframia quam scandalum, et plus importat grave scandalum quam infamia, quia infamia tollitur per purgationem, ut hic, sed ubi grave scandalum est non indicitur purgatio, ut hic patet. Arg. contra supra, de cohab. cler. et mul., tua, ubi propter scandalum indicitur purgatio, non est contra, quia purgatio ad utrumque refertur. Ber.

X 5.12.15 *Ex litteris tuae*

Si monachus
Simile infra, de homic., tua. Nam rem necessariam agebat et utilem, infra, de homic., quidam.

Transire non crederet
Vel si credebat aliquem transire, vel ibi aliquem esse et ante casum clamavit, cave cave, infra, de homic., quidam; et 50. dist., si duo; et ff. ad leg. Aquil., si putator; et Inst. ad leg. Aquil. § si putator, ubi ponitur tenor verborum quae hic sunt. Alias imputaretur 50. dist., saepe, in princ., quia non adhibuit diligentiam quam debuit, supra, de homic., ad audientiam.

Praesertim
Id est, maxime, quoniam alibi posset sine dispensatione, quia sibi imputari non debet, quia fortuitos casus qui praevideri non possunt non praevidit, infra, de homic., quidam.

X 5.12.16 *Significasti nobis*

Improviso
Et sic non affuit occidendi voluntas.

Prius scivisset
Quia si sciret, non fuisset absque culpa, cum sciret se non sufficere ad eius retentionem, ff. ad leg. Aquil., idem iuris § 1, cum affectare quisque non debeat in quo intelligit vel intelligere debet infirmitatem suam aliis periculosam futuram, ut ibi dicitur, Inst. ad leg. Aquil. § impetu quoque, vers. sed et si; et supra, de homic., dilectus. Arg. hic enim levissima culpa facit hominem irregularem, supra, de homic., continebatur.

X 5.12.17 Petrus diaconus (rev. 9/23)

Si ita est

Sed qualiter constabit de hoc? Quia forsitan solus erat ob defectum probationis per iuramentum proprium faciet fidem, quia solum Deum habet ultorem, C. de reb. credit., iurisiurandi. Et praecipue cum de conscientia alicuius quaeritur, statur iuramento ipsius, supra, de sent. excom., si vero aliquis; et supra, de testib., praesentium; et supra, de except., pastoralis; et supra, qui matrim. acc. poss., cum in tua; et 31. q. 2, si verum. Et praecipue si est bonae famae, ut ff. de re milit., non omnes § a barbaris. Et super hoc poterit adiungere compurgatores propter excellentiam ordinis, infra, de purg. can., ex tuarum, quia circa maiora cautius est agendum, 7. q. 2, nuper; et ff. de Carb., si cui controversia § 2; et 42. dist., quiescamus.

Ad cautelam

Infra, de homic., significasti 2; propter ambiguum duplicitatis, 23. q. 5, excommunicatorum. Sicut ad cautelam quandoque aliquis absolvitur, infra, de sent. excom., venerabili; et supra, de appell., ad praesentiam; et supra, de testib., veniens 2, in fi.

Competentem

Arbitrio superioris. Et levis debet esse cum in culpa non fuerit.

X 5.12.17 *Petrus diaconus*

Noveris veritate

Et qualiter poterit ei de hoc constare? Dic ut dixi supra, de homic., significasti 1. Et si infamatus esset, se expurget, infra, de purg. can., ex tuarum; nisi grave scandalum esset, supra, de homic., ex litteris 1; et infra, de homic., significasti 2, arg.

Praesertim

Id est, tantum, quia si esset infamatus debet se purgare, ut dixi.

Contra prohibitionem

Sic supra, de simon., sicut tuis. Immo etiam si non prohibuisset, dummodo tamen non dedisset consilium, non tenetur, 1. q. 4, quia praesulatus, ubi est similis casus. Nec de voluntate debet aliquis se purgare. Arg. contra in praecedenti capitulo 1. q. 4, quia praesulatus, ibi quod absque sua voluntate, et infra, de homic., significasti 2; C. de fid. instrum., cum quidam; C. de his qui ad eccl. confug., praesenti, circa princ. Quod videtur potius consentire, quia si eo audiente et non contradicente et tacente talia dicebant, consentire praesumeretur, unde imputeretur ei. Vincen.

Causam vel occasionem

Non intelligas istud ita large, ne sit contra, 23. q. 5, cum homo; et 23. q. 5, de occidendis. Sed de causa vel occasione propinqua, arg. supra, de homic., ad audientiam; et supra, de homic., de caetero, quia in veritate propter eum fuit occisus. Ber.

X 5.12.18 *Significasti nobis*

Habuerit
Arg. quod voluntas imputatur in homicidio, licet ex suo vulnere mortuus non fuerit, arg. 1. q. 4, quia praesulatus.

Studio
Id est, suggestione vel adhortatione, supra, de homic., sicut dignum § qui vero eadem; infra, de excess. praelat., ex litteris. Ber.

Consilio vel mandato
De hoc dictum est supra, de homic., sicut dignum.

Credendum sit
Arg. quod in iudicio animae cuilibet est credendum, quia non est versimile quod sit immemor suae salutis, 1. q. 7, sancimus.

Quod si discerni
Eandem distinctionem ponit lex ff. ad leg. Aquil., item Mela § sed si plures; unde hoc sumptum est. Sed in hoc est diversitas, quod si unus primo percussit et alter postea occiderit, primus non tenetur nisi de vulnerato, secundus tenetur tamquam de occiso, ff. ad leg. Aquil., huic scripturae § 1; et ff. ad leg. Aquil., item Mela § Celsus; secus secundum canones hic, et 23. q. 8, si quatuor.

In hoc dubio
In dubiis enim viam debemus eligere tutiorem, ut hic dicitur, et infra, de reg. iur., estote; et infra, de homic., petitio; et supra, de homic., ad audientiam, ubi de hoc.

Vim vi repellere
Infra, de sent. excom., si vero alicuius; 1. dist., ius naturale; ff. de vi et de vi arm., praetor ait § vim vi; ff. ad leg. Aquil., scientiam § qui cum aliter.

Moderamine inculpatae tutelae
C. und. vi, recte; et infra, de sent. excom., ut famae § ulti. Tamen si defendens ex proposito non excedat modum, non tenetur, 23. q. 3, non inferenda; et ff. ad leg. Aquil., si ex plagis § tabernarius. Nec dicitur excommunicatus qui excedendo modum non ex proposito, repercutit clericum, arg. supra, de restit. spol., olim causam, in fi.; et infra, de sent. excom., perpendimus. Arg. contra quod non liceat vim vi repellere, 46. dist., seditionarios, 23. q. 1, nisi bella; et 23. q. 3 § quod vero; et supra, de homic., suscepimus; et 23. q. 4, inter querelas; et C. de episc. et cler., si quis in hoc genus. Ad hoc dicas quod vim vi repellere licet, ut hic dicit, et in concordantiis primiis. Tamen quaedam consideranda sunt in repulsione tali, ut incontinenti fiat et non ex intervallo, ff. de vi et de vi arm., idem est § eum igitur qui; et infra, de sent. excom., si vero alicuius. Item si causa defensionis et non ulciscendi, ut ff. ad leg. Aquil., scientiam § ulti.; et 23. q. 1, quid culpatur. Et cum moderamine inculpatae tutelae, tamen si quis modum excedat et non ex proposito non tenetur, ut dictum est in praedictis concordantiis. Ala. et Io. distinguunt an fiat vis personae an rebus. Si personae tunc antequam sit vis illata repellenda est. Et si aliquis vim factam repellat, potius praesumi debeat quod defendendi, non ulciscendi

causa hoc fiat, dummodo in ipso negotio fiat, ff. ad leg. Aquil., si ex plagis § tabernarius. Et hoc si primus percussor denuo volebat percutere. Alioquin si nolebat ipsum repercutere et alter percussit, potius dicitur esse vindicta quam repulsio iniuriae, et hoc aequum videtur. Servatur enim moderamen si illud tantum fiat, quo omisso violentia repelli non posset. Si ergo violentum interficis sic quod periculum mortis ab eo vitare non poteris, eum sine poena interficis, ff. ad leg. Aquil., itaque; C. ad leg. Corn. de sic., is qui adgressorem; et C. ad leg. Corn. de sic., si ut adlegas; arg. supra, de homic., interfecisti. Si autem vis infertur rebus, licitum est repellere illatam vim incontinenti et inferendam, vel quam citius sciverit et poterit collectis amicis, ff. de acq. poss., quod meo § ulti.; et ff. de acq. poss., clam possidere § qui ad nundinas; et supra, de restit. spol., olim causam. Iniuriam vero iam illatam personae ex intervallo repellere non licet, quia sic esset vindicta. Et ita intelliguntur contraria hic signata.

X 5.12.19 *Tua nos*

Congruebat
Supra, ne cler. vel mon. saecul. neg., non magnopere; et supra, ne cler. vel mon. saecul. neg., sententiam. Unde in culpa fuit alienum officium usurpando, ff. de regul. iur., culpa est.

Diligentiam
Si per imperitiam accidisset, ei imputaretur, Inst. ad leg. Aquil. § imperitia quoque. Sed eventus mortalitatis non imputatur medico, ff. de off. praes., illicitas § sicuti. Praetextu enim humanae fragilitatis delictum decipientis in periculo hominis innoxium esse non debet, ut ibi dicitur. Simile supra, de aetat. et qualit., ad aures.

Post satisfactionem
Ex hoc patet quod fuit in culpa ex eo quod sequitur alienum officium usurpando. Et sic quandoque imputatur alicui aliquid delictum, ea tamen quae sequuntur ex eo non imputantur, 15. q. 1, inebriaverunt. Culpa enim mulieris huic imputari non debet quae contigit contra consilium ipsius. Simile 50. dist., saepe.

Alioquin
Id est, si non erat peritus. Et si non adhibuisset diligentiam quam debuit aut ex cupiditate fecit. Ber.

Nunciis tradidit
Sed videtur quod ille scholaris potius tacere debuisset, 22. q. 2, ne quis. Item nonne dictum eius est occasio mortis illius, 23. q. 5, unum solum, in fi.; et infra, de excess. praelat., ex litteris. Item promovendus abstinere debet ab omni eo per quod possit ad effusionem sanguinis pervenire, 50. dist., clericum qui. Item iste quasi testis inductus fuit, quod non licet clerico in causa sanguinis, 11. q. 1, testimonium; et supra, ne cler. vel mon. saecul. neg., sententiam. Ad hoc dico quod non fuit inductus tamquam testis, quia nec ad praesentia iudicis accessit quod fit in criminalibus, in Auth de testi. § quoniam, in fi., coll. 7. Cum ergo iste nec facto nec praecepto nec consilio nec defensione nec lingua nec adhortatione homicidium fecerit, non debet ab ordinibus impediri, quibus modis

homicidium committitur et imputatur, ut dictum est supra, de homic., sicut dignum. Et praeterea iste seipsum occidit.

Tradidit puniendum
Tamen per istud non fuit convictus de furto. Non enim eo ipso est fur qui animo furandi domum intravit, ff. de fur., vulgaris § qui furtum.

X 5.12.20 *Sicut ex litterarum*

Vivificatus
Sic 32. q. 2, quod vero; et 32. q. 2, Moyses, quod pro utraque parte potest induci. Arg. contra 2. q. 5, consuluisti; et supra, de homic., si aliquis. Capitulum illud 2. q. 5, consuluisti, intelligitur quando puerperium iam erat animatum, et 32. q. 2, Moyses. Et capitulum illud supra, de homic., si aliquis. ibi exponitur illud. Et 32. q. 2, quod vero, intelligitur quando nondum habet animam. Similiter distinguit lex ff. de poe., si quis aliquid § qui abortionis. Tamen licet non teneatur lege canonica, ut hic patet, nec lege Mosaica, tamen tenetur lege Cornelia de sicariis, ff. ad leg. Corn. de sic., si mulierem; et etiam lege Aquilia ff. ad leg. Aquil., si servus § si mulier. De eo qui procurat venena sterilitatis dictum est supra, de homic., si aliquis, ubi etiam de hoc.

X 5.12.21 *Postulasti*

Bonoroum laudem
Supra, de maior. et obed., solitae.

Imputandum
Nota quod clericus potest agere civiliter contra laicum coram suo iudice de crimine ad hoc ut sit in perpetuam carcarem vel ut puniatur pecuniariter, 23. q. 5, non vos, ad fi.; et arg. supra, de Iudae. et Sarrac., ita quorundam. Et si iudex saecularis per talem querelam durius puniat, quia ille non vult aliter obedire iudici ut hic dicit, non imputatur clerico, 23. q. 3, Maximianus; et 23. q. 5, non vos, ad fi.; et 23. q. 5, relegantes, ad fi.; ff. de bon. libert., qui cum maior § 1, vers. si tamen; et arg. ff. de evict., si per imprudentiam; et arg. supra, de homic., tua. Et absit ut ea quae propter bonum facimus nobis imputentur, si praeter voluntatem nostram cuiquam malum contingat, 23. q. 5, de occidendis. Alioquin Paulus in effusione sanguinis suum crimen agnosceret, ut ibi dicitur, quod nefas esset dicere, ut ibi. Arg. contra 23. q. 5, postea; et 23. q. 5, unum solum, in fi.; de poen. dist. 1, periculose; et infra, de excess. praelat., ex litteris.

X 5.12.22 *Exhibita*

In puerili
Unde beneficio talis aetatis excusatus videtur, de conse. dist. 4, eos; et infra, de sent. excom., super eo vero. Quia illa aetas ignorat quid videat, C. de fals. mon., quoniam; ff. qui et a quib. man. lib., pupillus.

X 5.12.23 Ioannes (rev. 9/23)

Ludens

Quod ei licebat quia lusit et Isaac, ut dictum est supra, de homic., lator. Et pueris permissum est ludere, 1. q. 1, Spiritus sanctus § ecce. Quando erat tamen doli capax, quod patet ex eo quod dicitur, non animo laedendi, alias nihil esse, quia talis furioso comparatur, 15. q. 1, illud; et ff. de acq. poss., possessio appellata § 1. Doli capax dicitur qui est proximus pubertati, ut ff. de regul. iur., pupillum.

Non animo

Ex hoc probatur quod erat doli capax nec tamen in culpa propter hoc esse videtur, quia nec voluntate nec actu homicidium perpetravit, supra, de homic., significasti 1. Quia voluntas in maleficiis spectatur, non exitus, ff. ad leg. Corn. de sic., divus; et C. ad leg. Corn. de sic., frater; et infra, de sent. excom., cum voluntate. Secundum talem legem promotionis videtur quod opus potius spectetur, non exitus, 15. q. 1, si quis non iratus.

Timorem incutiendi proiecit

In hoc videtur culpa, nam ludus noxius in culpa est, ff. ad leg. Aquil., nam ludus; et arg. supra, de praesump., sicut. Unde versus: Non lusisse pudet sed non incidere ludum.

Corruens

Ipse puer qui fugiebat propter timorem illius, unde culpam commisisse videtur ex eo quod dedit occasionem. Quare damnum dedisse videtur, ut ff. ad leg. Aquil., qui occidit § penulti.; supra, de homic., de caetero; et supra, de homic., presbyterum. Sed excusatur propter imperitiam medicantis et propter incuriam patris, arg. supra, de homic., tua; et propter aetatem, quia causa multum fuit remota.

Postulavit a nobis

Per hoc videbatur culpabilis. Sed non est verum, quia hoc fecit ex benignitate et humilitate. Unde episcopus non debuit ipsum propter hoc repellere, maxime cum pater defuncti hoc iurasset, et quia ea sunt in nostris officiis gratiora, quae cum liceret nobis non impendere causa tamen dilectionis impendimus, 28. q. 1, iam nunc.

Misericorditer

Arg. quod haec decretalis contineat dispensationem. Sed non credo, nam quicquid facit ecclesia totum est misericordia et veritas, quia ubi iustitia observatur misericordia adhibetur, 45. dist., disciplina, quod patet ex responsione. Ber.

X 5.12.23 *Ioannes*

Signo

1. dist., ius militare; et supra, de offi. custod., custos ecclesiae; et supra, de offi. custod., custos sollicitus.

Rei licitae

Supra, de homic., ex litteris 2; et infra, de homic., quidam. Ber.

Fortuitos
Infra, de homic., quidam, ubi de hoc.

Permittatis
De iure communi. Absit enim quod ea quae propter bonum facimus nobis imputentur, si praeter voluntatem nostram alicui quicquam mali contingat, 23. q. 5, de occidendis. Ber.

X 5.12.24 *Petitio*

Remordet
Scilicet quod aliquem interfeceris, licet enim clerici alios possint hortari ad pugnam in iusto bello contra hostes, quale fuit istud, ut 23. q. 8, igitur; 23. q. 8, hortatu; 23. q. 8, omni timore; 23. q. 8, ut pridem; et 23. q. 2, dominus; et 63. dist., Hadrianus. In propria tamen persona pugnare non possunt, ut 23. q. 8, quicumque; et 23. q. 8, clerici; et 50. dist., clericum qui; et 50. dist., his clericis. Quia eorum officium reddit eos inhabiles ad pugnandum, ut supra, de voto et vot. redem., ex multa, ad fi.

In huiusmodi dubio
Sic supra, de homic., significasti 2; et supra, de homic., ad audientiam, ubi de hoc. Simile infra, de cleri. excom., illud. Et sanctius est in hac vita Domino sub inferiori habitu famulari quam alta indebite appetendo damnabiliter ministrare, 50. dist., de his, in fi.; et supra, de temp. ord., ad aures.

X 5.12.25 *Quidam*

Licitae rei
Sic supra, de homic., ex litteris 2, ubi similis casus ponitur; et supra, de homic., Ioannes.

Praemonitis
Dicendo, cave cave, 50. dist., si duo. Unde si incuria illius mortuus est, huic qui ipsum monuit non imputatur, 50. dist., saepe, ad fi.

Praevideri non possunt
Fortuitos enim casus nullum hominum consilium praevidere potest, ff. de admin. rer., non utique § si eo tempore. Quare nemini sunt imputandi, ff. qui et a quib. man. lib., Iulianus. Casus enim fortuitu non imputantur nisi culpa quis incidat in casum, vel pacto vel mora praecedentibus casum, supra, de commod., cum gratia; et supra, de deposit., bona fides, ubi de hoc. Quia nemo tenetur divinare, supra, ut eccl. ben., ut nostrum; ff. ad leg. Aquil., si putator; et ff. mand. vel cont., si fideiussor § si cum debitor. Et Paulus spiritu Dei plenus divinare non potuit, 22. q. 2, beatus. Ber.

X 5.13 DE TORNEAMENTIS

X 5.13.01 *Felicis memoriae*

X 5.13.02 Ad audientiam (rev. 9/23)

Ostentationem
Secundum leges tamen licet aliquid facere ad ostentationem virium, ut ff. de aleat., solent. Alias non licet, ut lege sequenti ff. de aleat., in quibus. Nec huiusmodi tenentur lege Aquilia, ff. ad leg. Aquil., qua actione § si quis.

Temere
Et ideo talis ludus tamquam noxius prohibetur hic, et ff. ad leg. Aquil., nam ludus.

Proveniunt
Arg. aliquid prohiberi propter consequens, 22. q. 1, in novo; et supra, de iureiur., et si Christus; et de conse. dist. 3, pervenit.

Non negetur
Nec etiam viaticum, 26. q. 6, si quis de corpore; 50. dist., poenitentes. Quia et per poenitentiam viaticum intelligitur quod decedentibus poenitentibus non negatur, infra, de poenit. et remiss., quod in te.

Careat sepultura
Simile infra, de rapt., super eo. Et sic conceditur quod est maius et quod minus est prohibetur, 88. dist., episcopus gubernationem; ff. de ritu nupt., oratione; et 1. q. 1, si qui episcopi; et 33. q. 2, latorem; C. quan. imp. int. pup. vel vid., si contra; et 80. dist., episcopi non in castellis. Arg. contra 44. dist., nulli clerico; 13. q. 2, si fur; et ff. de senat., qui indignus; ff. de serv. export., cui pacto; 32. q. 7, Apostolus, in fi.; 24. q. 1, miramur; et supra, de decim., ex parte tua 2. Solutio: generale est quod cui licet maius et minus nisi ab illo minore prohibeatur ex causa, ne vilipendatur honor personae, ut patet per primas concordantias. Hic vero alia ratio est, ut potius consulatur vivis quam defunctis, ut alii terreantur et abstineant a talibus cum viderint illos sepeliri in campis, quia vilis sepultura illis defunctis non nocet, supra, de sepult., sacris; 13. q. 2, animae defunctorum. Sic intelligitur infra, de rapt., super eo. Ber.

X 5.13.02 *Ad audientiam*

Animo id faciendi
Ergo ad animum recurrendum est. Et quia iste mortuus fuerat ad locum torneamenti, denegabatur ei sepultura, et male, quia non ludebat in torneamento, sed casu sub equo mortuus est, nec ex ea causa accesserat sed alia, ut dicit littera. Voluntas enim et propositum distinguunt maleficium, ut ff. de fur., qui iniuriae; et infra, de sent. excom., cum voluntate. Et ad animum recurrendum est, 22. q. 2, is autem; et 22. q. 2, homines, in fi. Et ideo non debet ei denegari sepultura, ut dicit in fine.

Fortuito casu
Quoniam praevidere non potuit, supra, de homic., Ioannes; et supra, de homic., quidam. Unde sibi non debet obesse, 23. q. 5, de occidendis.

Dispensatione
Non intelligas quod dispensetur cum isto, ut sepeliatur in coemiterio ecclesiae, sed ex dispensatione secundum quam ecclesia disposuit ut corpora Christianorum sepeliantur in coemiteriis, quoniam olim in campis sepeliabantur, ff. de sepulch. viol., praetor ait § divus.

Maxime
Quia idem est, etiam si haec duo sacramenta non recepisset dummodo poenitentiam receperit. Et iste illa tria percepit, ut patet in integra. Ber.

X 5.14 DE CLERICIS PUGNATIBUS IN DUELLO

X 5.14.01 *Porro*

Oblatum susceperit
Nec offerre nec oblatum suscipere debuit aliquo modo, quia hoc prohibitum est, 2. q. 5, monomachiam; et infra, de purg. vulg., per totum. Sed potius debet omnia mala pati quam huic malo vel alii consentire, 32. q. 5, ita ne. Quia facere debemus quod fieri debet de iure, 22. q. 2, faciat homo.

Deponendus
Quia huiusmodi pugiles homicidae existunt, infra, de cleri. pug., Henricus. Unde cum ad hoc accesserit, non potest quis promoveri, 51. dist., si quis post. Nec dispensatur cum tali si mors vel membrorum mutilatio fuerit subsecuta, infra, de cleri. pug., Henricus. Alias potest cum tali episcopus dispensare, ut infra sequitur. Ber.

X 5.14.02 *Henricus*

Pravam
Et reprobatam, infra, de purg. vulg., per totum; et 2. q. 5, monomachiam. Quia Deum tentare videntur.

Homicidae
Vere quantum ad propositum vel occasionaliter vel vere quandoque, ut hic patet. Et sententia lata per talem probationem non transit in rem iudicatam, infra, de purg. vulg., significantibus. Ber.

Facto
Istis quatuor modis sive lingua aive adhortatione committitur directum homicidium. De hoc dicitur supra, de homic., sicut dignum.

Beneficium
50. dist., studeat; 28. dist., presbyterum. Scilicet ne cogatur in cleri opprobrium mendicare, 93. dist., diaconi, ibi: mendicat infelix clericus etc.

X 5.15 DE SAGITARIIS

X 5.15.01 *Artem*

Christianos
Secus de Sarracenis a contrario sensu. Et intellige de bello iniusto, arg. supra, de iureiur., sicut si constiterit. Quoniam si iustum esset, licitum esset pugnare, 23. q. 2, dominus; et 23. q. 8, ut pridem.

Sub anathemate
Videtur quod sit canon latae sententiae, arg. 63. dist., Salonitanae; et infra, de eo qui furt. ord. recep., veniens. Sed secus est. Nam multum interest an a lege aliquid prohibeatur sub anathemate, 30. dist., per totum; an ab homine, et tunc videtur quod sit excommunicatus, ut in capitulo 63. dist., Salonitanae. Arg. ad hoc ff. de recepti., Celsus; et ff. de recepti., si cum dies § ulti.; ff. de contrah. empt., si sciens; ut sic mitius agatur cum lege quam cum ministro legis. Dicas quod si iudex praecipio sub poena excommunicationis, sive praecipio sub interminatione excommunicationis, sive anathematis sive sub excommunicatione, ut hoc facias, non est excommunicatus contrarium faciens sed excommunicandus. Et capitulum illud 63. dist., Salonitanae; et supra, de loc. et cond., ex rescripto; et infra, de eo qui furt. ord. recep., veniens; et omnia consimilia intelliguntur cum sub conditione excommunicatio lata fuit sic: excommunico quicumque furtive ad ordines accesserit, et tunc contrarium faciens est excommunicatus. De hoc dixi supra, de simon., sicut tuis. Ber.

X 5.16 DE ADULTERIIS ET STUPRO

X 5.16.01 *Si seduxerit quis*

Dotabit eam
Id est, donationem propter nuptias assignabit ei. Vel proprie ponimus, quia dabit pecuniam mulieri quam retinebit sibi pro dote, quod fieri potest; ff. de donat. inter vir. et uxor., si quis uxori, C. de dote caut. non num., quod de suo. Et si cum ea non contrahat, nihilominus habebit illam pecuniam, ut sequitur in littera. Si vero ante matrimonium donat ei, tenebit donatio, ff. de public. in rem act., cum sponsus. Si in tempus matrimonii porrigatur donatio, non tenet, C. de donat. inter vir. et uxor., quod sponsae; supra, de don. int. vir. et uxor., donatio, ubi de hoc.

Uxorem
Si pater eam dare sibi voluerit et ipsa in eum consensit, et etiam si ipse eam accipere voluerit; alias punietur; infra, de adult., pervenit.

Iuxta modum
Qui aestimabitur iuxta facultates illius et dignitatem puellae, C. de episcopal. aud., tam dementis; C. de rei uxor. act., authen. sed quamvis; et ff. de iure dot., sive generalis; 35. q. 5, nullum. Haec olim fuit poena in Exodo. Hodie alia secundum leges, ut notatur infra, de adult., pervenit.

X 5.16.02 *Pervenit ad nos*

Plectendus
Scilicet ut relegetur. Vel si vilis persona fuerit, verberetur, Inst. de public. iudic. § publicorum iudiciorum. Si autem per vim hoc fecerit, capite plectetur, Inst. de public. iudic. § sin autem.

Stupravit
Stuprum proprie committitur in virgine, 36. q. 1 § cum ergo haec.

Uxorem habeat
Si ipsa et pater voluerit, supra, de adult., si seduxerit. Ber.

Castigatus
Secundum quod visum fuerit iudici. Aliter secundum leges, ut dictum est.

Excommunicatusque
Quo ad communionem sacramentorum quousque visum fuerit superiori. Finaliter tamen non compelletur eam recipere, sed quia illam decepit ad tempus punietur.

X 5.16.03 *Si vir sciens*

Deliquisse
Adulterando cum alio.

Reus erit
32. q. 1, si quis uxorem. Quia patronus est turpitudinis qui crimen celat uxoris, 32. q. 1, sicut crudelis; supra, de iureiur., quemadmodum; et C. de adulter., crimen lenocinii. Vel crimen lenocinii committit, et nisi denunciet eam ad poenitentiam mortaliter peccat, 2. q. 1, si peccaverit; et supra, de iureiur., quemadmodum.

Debet
Debito honestatis et non necessitatis, quia etiam post poenitentiam posset eam accusare de adulterio, 33. q. 2, admonere.

Sed non saepe
Immo videtur quod non solum semel sed septuagies septies, de poen. dist. 3, adhuc instant; supra, de iureiur., quemadmodum, ad fi. Quare ergo dicit sed non saepe? Dico quod si mulier delinquat saepius, maritus semper potest ei parcere si vult et eam post poenitentiam recipere secundum Evangelicam doctrinam. Sed ecclesia non intercedet pro ea ex quo aliquotiens ei pepecerit. Et ideo dicit hic, non saepe, ne ecclesia videatur ei dare licentiam peccandi, et ad terrorem dicitur etiam hoc. Item arg. delicta saepius commissa gravius puniri, C. de episcopal. aud., nemo; et ff. de re milit., desertorem § si tyronibus; et ff. de poe., aut damnum § quisquis; 25. q. 2, ita nos; et arg. 35. q. 3, extraordinaria.

X 5.16.04 *Maritis etiam ex*

Ex suspicione
Violenta scilicet, 32. q. 1, dixit Dominus. Ex temeraria enim non licet de qua intelligitur 2. q. 1, primo semper.

Plus caeteris
32. q. 1, apud misericordem § publico. Vel intellige quod dicit, plus caeteris, quia maritus infra quadraginta dies potest accusare uxorem iure mariti sine metu calumniae. Postea vero non nisi iure extranei, C. de adulter., iure mariti. Sed hoc hodie non videtur habere locum, supra, de procurat., tuae.

X 5.16.05 *Significasti nobis*

Celans
Et bene, supra, de offi. ord., si sacerdos; et ff. de quaest., in criminibus § qui quaestionem.

Praefata imponens
Arg. quod licet aliqua duo sint connexa, quamvis constet de uno non tamen de aliis, 2. q. 5, interrogatum; ff. de adulter., denunciasse § quaeritur; et ff. de liber. caus., duobus; et ff. de liber. caus., liberis § si duo. Arg. contra supra, de offi. deleg., praeterea; et supra, de offi. deleg., prudentiam, ad fi. Ber.

Reconciliare
Quis debeat reconciliare ecclesiam et qualiter dicitur supra, de consecr. eccl. vel alt., aqua.

Ne vituperetur
Sic 2. q. 5, si mala fama.

Iuxta arbitrium
Et sic huiusmodi compurgationes arbitrariae sunt, 2. q. 5, omnibus vobis; et infra, de purg. can., ex tuarum. Sed quare compellitur iste ad purgationem propter confessionem mulieris contra illud, C. de adulter., et si crimine. Cum non infametur apud bonos, nam leves sunt qui mala credunt, quae probari non possunt, 11. q. 3, in cunctis. Dicas quod iste infamatus erat de muliere illa, alias non indiceretur illi purgatio propter dictum illius, quia etiam dicta paucorum non infamant, supra, de accusat., inquisitionis, ad fi. Laur.

Alioquin
Nota deficientem in purgatione puniri, supra, de simon., de hoc; et supra, de simon., insinuatum; et infra, de purg. can., cum P.

X 5.16.06 *Intelleximus quod cum*

Spontanea
Licet mulier de domo viri sui sponte recedat, si tamen volens redire non fuerit admissa intelligitur spoliata, ff. de acq. poss., clam possidere § qui ad nundinas; Inst. de interdic. § quin etiam; et ideo audienda est.

Fornicatus
Et ad hoc testes induxit ad quod reprobandos maritus alios induxit, ut infra sequitur.

Evidentiam
Puta quod publice fuit fornicata vel filium inde habet testem, 28. dist., priusquam; et supra, de divort., significasti; et supra, de accusat., evidentia; et supra, de cohab. cler. et mul., quaesitum; et infra, de adult., tua.

Confessionem
Factam in iure, ut supra, de cohab. cler. et mul., quaesitum; et sponte, quia si compulsa non obesset, 31. q. 2, Lotharius. Et sic confessus sola sufficit ad tori separationem, ut hic, et supra, de divort., ex litteris.

Cessante
Eo enim probato dolus dolo compensabitur, ut sequitur hic, et infra, de adult., tua; et supra, de divort., significasti.

Mutua compensatione
Sic ff. solut. matrim., viro; ff. de compensat., si ambo; ff. de dolo mal., si duo; et supra, de except., cum ecclesiasticae; et 32. q. 6, nihil. Arg. contra ff. de dol. except., apud Celsum § Marcellus. Qualiter contrarium illud sit intelligendum dicitur supra, de except., dilecti filii. Vir enim uxori obiicere adulterium non potest si ipse est simili delicto, ut hic patet. Item si eam tradidit adulterandam, supra, de eo qui cog. consang., discretionem. Item si violenter fuerit oppressa, ff. de adulter., vim passam. Item si ignoranter cognita fuisset ab alio quem crederet virum suum fraudulenter, arg. 34. q. 2, in lectum. Item si credens virum absentem mortuum esse alii nupserit, 34. q. 2, cum per bellicam. Item si post adulterium reconciliaverit eam sibi, supra, de iureiur., quemadmodum; et 23. q. 4, si illic.

Alioquin
Id est, si constiterit de adulterio mulieris et non viri.

X 5.16.07 *Tua fraternitas requisivit*

Fornicationis
In hoc fuit dubitatio an delictum superveniens rei iudicatae de iure vel facto afferat praeiudicium. Videatur quod sic, ut hic patet. Et ex hac decretali videtur quod eo ipso quod aliter coniugum fornicatur, reliquus possit ei debitum denegare, quod verum est si publice fornicetur. Et si postmodum alter publice fornicetur, alter recuperet servitutem amissam ex delicto alterius, ut hic patet, et supra, de divort., ex litteris. Et sic paria delicta mutua compensatione tolluntur, ut supra, de adult., intelleximus. Et ita solo facto,

X 5.17.01 De illis autem (rev. 9/23)

licet non sit lata sententia de adulterio, adulterium privat iure petendi debitum nec alter ei tenetur reddere debitum, quia ubi nulla petitio nulla mora, ff. de ver. oblig., si pupillus. Et si tunc reddit debitum, sibi praeiudicat ut eam postea accusare non possit, 32. q. 1, nullos; 32. q. 1, denique; 32. q. 1, illud; et 32. q. 1, relatum est; ff. de adulter., si uxor § ulti. Sed si ad mandatum ecclesiae reddat debitum, tunc non videtur obstare quin possit postea eam accusare de adulterio, arg. supra, de restit. spol., litteras § penulti. Et licet uxori adulterae vir debitum reddere non teneatur, expellere eam de sua domo auctoritate propria non debet, etiam si sit notorium crimen eius, supra, de divort., porro, arg. Sed contrarium puto quod possit eam repellere a se, quia ex quo notorium est crimen suum privata est iure quod habebat in viro, supra, de divort., significasti. Et dotem suam amisit, supra, de don. int. vir. et uxor., plerumque. Hug. dixit quod numquam adulterium privat aliquem iure petendi debitum, sed tantum sententia ecclesiae, unde pendente lite tenetur debitum reddere alter alteri, arg. supra, ut lite penden., laudabilem; et 8. q. 4, nonne; 15. q. 8, sciscitantibus; 33. q. 2, saeculares. Quia poena non est inferenda nisi per iudicem, 32. q. 2, hoc sanctum § in hoc. Sed hoc intelligo quando crimen non est notorium, quod patet per concordantias. Item ut dixi ex hac decretali habetur quod propter superveniens delictum renascatur servitus amissa, etiam si sententia lata sit propter adulterium, ff. de adulter., adulterium; supra, de iureiur., tua nos 2; et supra, de divort., ex litteris. Nam iniuria remissa renascitur ex delicto, 15. q. 7, sexta actione; de poen. dist. 3, nihil § ex persona. In quibusdam libris est verbum illud in sequenti de poen. dist. 3 § hac auctoritate. Et sententia a qua non est appellatum revocatur, supra, de frig. et malef., fraternitatis; infra, de purg. vulg., significantibus. Io. dixit quod sententia non retractatur propter delictum superveniens, arg. ff. de itin. act. priv., nec enim; quia actio semel extincta amplius non renascitur, de conse. dist. 4, quaeris; ff. de solut., qui res § arcam. Nec praetextu novi auxilii retractatur sententia, supra, de re iudic., inter monasterium. Unde cum servitus sit sublata, non fit iniuria alteri per fornicationem alterius, 32. q. 7, quemadmodum. Sed si sententia non sit lata, tunc renascitur. Et iura praedicta intelligenda sunt quod iudex ex officio suo eos adinvicem restituat. Quod prius dictum est allegando verius credo, scilicet quod illa possit petere virum non obstante sententia, quia vir illi sententiae renunciavit adulterando post sententiam. De hoc dictum est in capitulo supra, de divort., ex litteris. Ber.

X 5.17 DE RAPTORIBUS ET INCENDIARIIS ET VIOLATORIBUS ECCLESIARUM

X 5.17.01 *De illis autem*

Excommunicentur

Quia ratione delicti facti sunt de foro illius et ibi possunt conveniri, 3. q. 6, ibi semper; et 6. q. 3, placuit 2; et supra, de for. compet., postulasti; et supra, de for. compet., licet ratione, ubi de hoc; et C. ubi de crim. agi oport., authen. qua in provincia. Dicebant quidam quod ubi quis crimen committit, ibi debet conveniri, sed causa terminabitur per suum iudicem, ff. de cust. reo., de militibus. Sed hoc non est verum, immo iudex illius loci ubi deliquit potest clericum condemnare, sententia tamen executioni mandabit per episcopum proprium, supra, de for. compet., postulasti; nisi velit iudici illius deferre, infra, de sent. excom., per tuas. Nec dicitur ferre sententiam in alienum subditum, sed in

suum ratione criminis ut dicunt primae concordantiae. Et haec sententia bene probatur per hanc decretalem, quia etiam debent redire illuc ubi delinquunt. Et est arg. ad hoc in Auth. ut nulli iudic. lic. hab. § si vero quis comprehensorum, coll. 9, quod de hoc optime dicit et concordantiae cum hac decretali. Tamen si crimen facile fuerit, potest de illo cognoscere suus iudex. Si vero grave fuerit crimen, remittitur ubi deliquit, ff. de re milit., desertorem, in princ. Ab hac tamen generalitate excipitur quilibet superior, qui ubicumque crimen committit, non potest iudicari nisi a Papa si agat ad depositionem. Quid si crimen tale est quod non iudicat depositionem? Dicit Hug. quod potest iudicari a suo maiori et non ab inferior si crimen committat in sua parochia. Sed si archiepiscopus committat tale crimen in parochia alterius archiepiscopi vel episcopi suffraganei alterius archiepiscopi, dixit Hug. quod possit tunc iudicari ab illo archiepiscopo vel episcopo. Arg. ad hoc 96. dist., duo sunt, ubi Ambrosius ratione criminis commissi in sua parochia excommunicavit imperatorem, quod alias non auderet.

X 5.17.02 *Super eo vero*

Si poterit
Bene dicit, si poterit, quia inanis est actio etc., ff. de dolo mal., nam is; et supra, de restit. spol., olim vobis; et supra, de solution., Odoardus; supra, de homic., sicut dignum; et infra, de usur., cum tu; et 14. q. 6, si res. Et impossibilium nulla est obligatio, ff. de regul. iur., impossibilium; et 23. q. 4, Nabuchodonosor.

Denegetur
Arg. contra quia si aliquis poenitentiam petat de aliquibus criminibus et non de quibusdam, poenitentia tamen non est ei deneganda, infra, de poenit. et remiss., quod quidam; et 26. q. 6, cognovimus; et de poen. dist. 3 § poenitentia ergo. Arg. contra 24. q. 2, legatur; et de poen. dist. 3, sunt plures. Quidam dicunt quod hoc statutum fuit ad terrorem ut denegetur poenitentia de omnibus, nisi de illo satisfaciat, quia talis poenitentia non est fructuosa. Alii dicunt quod melius videtur quod super illo crimine tantum denegabitur poenitentia, sed super aliis imponetur. Et licet non sit fructuosa quo ad vitam aeternam, valebit ad mitius supplicium subeundum, de poen. dist. 3 § poenitentia ergo; de poen. dist. 3, si quis autem.

Emendationem
14. q. 6, si res; 17. q. 4, si quis clericus; et 23. q. 8, si quis membrorum; et 23. q. 8, pessimam; et de poen. dist. 5, falsas.

Parum prodesse
Hoc quantum ad poenam temporalem quae pro peccato debetur. Duplex enim poena pro quolibet peccato debetur, aeterna et temporalis. Et haec aeterna sola cordis contritione remittitur, de poen. dist. 1, in princ.; et 26. q. 6, cognovimus. Et temporalis quae exteriori satisfactione remittitur. Quae satisfactio si in hac vita non fuerit completa, in purgatorio completur, arg. 23. q. 5, quid ergo. Et ita solemnitas poenitentiae parum prodest quo ad poenam purgatorii, valebit tamen quo ad vitam aeternam, si de peccato contritus fuerit.

BOOK V **X 5.17 DE RAPTORIBUS ET INCENDIARIIS ET VIOLATORIBUS ECCLESIARUM**

X 5.17.03 Excommunicationi (rev. 9/23)

Viaticum

Quod omnibus poenitentibus est dandum, infra, de poenit. et remiss., quod in te; et 26. q. 6, si quis de corpore; 50. dist., poenitentes.

Poenitentias dare

Hoc referas ad primam partem capituli de illis qui nec in vita nec in morte satisfacere volunt et possunt. Istis deneganda est poenitentia in fine et alia ecclesiastica sacramenta cum in mortali decedant, eo salvo quod dixi primo cum petunt in vita poenitentiam de aliis criminibus. Et oblationes talium non sunt accipiendae, infra, de usur., quia in omnibus; et 17. q. 4, miror; 90. dist., oblationes; et 33. q. 2, latorem. Ber.

Sepulturae

Hoc referas ad ultimam partem capituli de illis qui in morte poenitent sed satisfacere non possunt. Istis ergo denegatur sepultura, id est, clerici non debent interesse, sed coemiterium eis non denegatur. Ad terrorem potius aliorum, ut alii cum possint satisfaciant timore huiusmodi poenae, sed eis non nocet. Sic supra, de torneam., felicis, ubi de hoc. Et arg. quod cui conceditur quod est maius non conceditur quod est minus, ut ibi dicitur. Ber.

X 5.17.03 *Excommunicationi*

Honestis

Ut 24. q. 3, si quis Romipetas; supra, de treug., innovamus. Ber.

Regulam fidei

Illam scilicet: diliges proximum tuum sicut teipsum, de poen. dist. 2, caritas; et 1. dist., humanum genus; et 50. dist., ponderet.

Noverint

Et sic qui contra hoc faciunt sunt ipso iure excommunicati et tenentur infra annum in quadruplum, C. de furti. et serv. cor., in eum; ff. de incen. rui. nauf., praetor ait; et furtum isti committunt, ff. de acq. rer. dom., qua ratione § ulti. Nec fiscus etiam sibi aliquid vendicet in calamitate alterius, C. de naufrag., si quando, lib. 11. Communiter tamen damnum navis resarciet, ff. de incen. rui. nauf., ratis. Laur.

Subiacere

Post admonitionem vel postquam fuerint in mora, cum possunt restituere et non restituunt.

X 5.17.04 *In archiepiscopatu*

Abuti

Propter illud vitium ira Dei venit in filios diffidentiae, infra, de excess. praelat., clerici. Sic 56. dist., si gens Anglorum. Quia non sic homines fecit Deus ut se illo uterentur modo, 32. q. 7, flagitia.

BOOK V **X 5.17 DE RAPTORIBUS ET INCENDIARIIS ET VIOLATORIBUS ECCLESIARUM**

X 5.17.05 In litteris tuis (rev. 9/23)

Commiserit puniendos

Delegare potest princeps praelatis ecclesiarum causas criminales, ubi causa sanguinis non sequitur, ut hic, 23. q. 8, saepe. Iudices vero in causis ubi etiam poena sanguinis infertur clerici institui non debent, supra, ne cler. vel mon. saecul. neg., sed nec; et supra, ne cler. vel mon. saecul. neg., clericis; et supra, ne cler. vel mon. saecul. neg., sententiam.

Pecuniaria poteris

Commutando poenam statutam quae est poena capitis, ff. ad leg. Corn. de sic., eiusdem legis § penulti.; et C. de adulter., cum vir; C. de rap. virg., raptores; et in Auth. ut non lux. cont nat., coll. 6. Quod iudex unam poenam in aliam mutare possit est ad hoc arg. ff. de his qui not. infam., quid ergo § poena; et C. ex quib. caus. infam., et si severior.

Flagellis

14. q. 6, si res aliena; 12. q. 2, fraternitas; et 5. q. 5, illi qui. Ita quod flagella ad sanguinem non procedant, 23. q. 8, his a quibus; et 23. q. 8, si quis membrorum.

Reserves

Cum sis delegatus. Si vero habes iurisdictionem temporalem, demandes eam alicui cui hoc competat, quod licet secundum canones, 23. q. 4, illud. Sed non secundum leges nisi quando proficiscitur, ff. de off. procon., solent; et ff. de off. eius cui man. est iur., quaecumque. Omnia vero hodie committi possunt praeter ultimum supplicium aut membri abscisionem, in Auth. de collator. § ad hoc adhibemus, coll. 9. Laur.

X 5.17.05 *In litteris tuis*

Diabolo instigante

17. q. 4, si quis suadente.

Anathematis

Quod bene potuit in extrema necessitate, 17. q. 4, si quis suadente; et 26. q. 6, presbyter inconsulto episcopo non reconciliet; de conse. dist. 4, sanctum est. Alias absolvi non potuisset nisi a solo Papa. Incendiarii enim postquam sunt ab ecclesia publicati, ab alio absolvi non possunt, infra, de sent. excom., tua. Incendiarii et effractores ecclesiarum sunt ipso iure excommunicati, ut hoc colligitur, ut infra, de sent. excom., conquesti; prout ibi notari consuevit. Ber.

Sepeliri

Arg. contra supra, de rapt., super eo, sed ibi denegatur sepultura ad terrorem aliorum, nec poterat satisfacere. Hic poterat satisfacere. Ber.

Heredes

Hic habes quod heredes tenentur pro delicto defuncti. Super hoc dicas ut dixi supra, de sepult., parochiano, quae ponit similem casum et idem quasi dicitur in utraque.

X 5.17.06 Cum causa (rev. 9/23)

Iuxta facultates suas

Defuncti scilicet, ultra vires hereditatis non tenentur si fecerint iuventarium, C. de iure delib., scimus § sin autem dubius; et C. de iure delib., scimus § sin autem locis.

Liberari

Arg. contra 25. dist., qualis. Solutio: a venialibus et a temporali satisfactione liberatur quis in alio saeculo, sed a poena aeterna numquam, ut ibi.

X 5.17.06 *Cum causa*

Dicatur admitti

Secundum leges etiam in sponsa propria raptus committitur, C. de rap. virg., raptores, ad medium. Sed canon praeiudicat, ut hic, et 27. q. 2 § cum ergo; et 27. q. 2, lex illa. Qualitercumque aliqua sit rapta bene potest contrahere cum raptore si prior dissensio transeat postmodum in consensum, infra, de rapt., accedens; et 36. q. 2, tria. Sed raptus non est ubi puella consentit, ut hic patet.

Reclamarent

Talis reclamatio non impedit matrimonium, quia solo consensu contrahitur, 27. q. 2, sufficiat.

Sed maritus

Supra, de conver. coniug., quidam. Tanc.

Mulieris confessione

Ergo creditur mulieris confessioni in praeiudicium matrimonii spiritualis, quod non fit in carnali, supra, de eo qui cog. consang., super eo. Sed aliud est in matrimonio carnali et aliud in spirituali. In matrimonio carnali non statur confessioni viri et uxoris si contra matrimonium confiteantur, quia saepe adinvicem colluderent ut separarentur, ut dicit praedicta decretalis supra, de eo qui cog. consang., super eo. Sed in spirituali matrimonio si aliqua de qua constat quod fuerit primo uxor ante ingressum monasterii, postea confiteatur in iudicio quod ante ingressum cognita fuerit a viro, debet sibi restitui, quia eo invito monasterium intrare non potuit, ut hic dicit. Immo si aliter confiteretur, salvari non posset nisi ad virum rediret. Non est credendum quod illa sit immemor suae salutis, 1. q. 7, sancimus. Arg. ad hoc supra, de homic., significasti 2, unde reddenda est viro suo ubicumque confitentur vir et uxor. Ad dissolutionem matrimonii carnalis non creditur illis nisi saltem adsit fama publica, 35. q. 6, si duo. Sed ubi confitentur ad dissolutionem mutuae servitutis propter adulterium bene creditur eis, supra, de adult., intelleximus; et supra, de divort., ex litteris. Vincen.

Assensisse

Arg. quod solus consensus sufficit ad hoc ut alter coniugum possit monasterium ingredi, 27. q. 2, Agathosa, ubi de hoc; et 27. q. 2, si quis; et 33. q. 5, qui uxorem. De hoc dictum est satis supra, de conver. coniug., uxoratus; et supra, de conver. coniug., ex parte abbatis.

X 5.17.07 *Accedens*

Cum raptore
Secundum antiquos canones et secundum leges non poterat raptor contrahere cum rapta, 36. q. 2, de puellis; et 36. q. 2, si autem; et 36. q. 2, placuit; et C. de rap. virg., raptores § sin autem. Hodie secus, ut hic, et 36. q. 2, denique; et 36. q. 2, tria. Ber.

Consensum
Supra, de spons., ad id quod; et supra, de despon. impub., de illis 2. Arg. C. quod metus cau., cum te; ff. de condi. ob turp. caus., si ob turpem.

X 5.18 DE FURTIS

X 5.18.01 *Qui furatur*

Qui furatur hominem
Scilicet liberum, quia si furatur servum hac poena non tenetur, ff. de lege Fab. de plag., poena. Sed seundum canones haec poena non imponitur, supra, de rapt., in archiepiscopatu; 33. q. 2, inter heac. Tanc.

X 5.18.02 *Fures*

Non esse orandum
Quia in mortali eos decessisse constat, 23. q. 5, placuit.

Diacono
In necessitate etiam laico, de conse. dist. 4, sanctum est; de poen. dist. 1, quem poenitet, vers. fi.; et 6. dist., testamentum, circa princ.

Communionem
Id est, Eucharistiam. Simile 50. dist., poenitentes; et sepulturam etiam ex quo confessi sunt, 13. q. 2, si fur.

X 5.18.03 *Si quis propter*

Poeniteat
Ex eo enim quod poenitentia imponitur, colligitur quod modica fuerit necessitas. Si enim magna fuisset, non imponeretur poenitentia. Arg. contra dist. 5, discipulos, quia in necessitate omnia sunt communia, arg. 42. dist., si quis; et 12. q. 1, dilectissimis; 23. q. 7, quod autem; et 47. dist., sicut hi. Debuit enim credere dominum permissurum, Inst. de oblig. quae ex del. nasc. § placuit. Modica poenitentia imponitur, quia modicum peccavit. Sed quare non excusatur mulier a fornicatione propter necessitatem famis, ff. de ritu nupt., palam § non est; sicut a furto? Respondeo propter necessitatem res facta est communis quam furatur, sed in fornicatione non est ita, immo potius debet quaelibet mala pati quam malo consentire, ut 32. q. 5, ita ne. Item quare excusor ab homicidio si ex necessitate me defendendo aliquem occido, et non a fornicatione? Respondeo: non

interficio, immo potius ipse se interficit qui me aggreditur, arg. ff. si quad. paup. fec., si quadrupes § cum arietes; et arg. supra, de homic., lator.

X 5.18.04 *Qui cum fure*

Partitur
Per confessum etiam accipiendo vel occultando. Tales enim tenentur de furto, Inst. de oblig. quae ex del. nasc. § si vero ope.

Non fur
Haec sunt verba Hieronymi exponentis praecedentia verba Salomonis.

Possessore
Id est, domino vel quocumque cuius interest, ff. de ver. sig., interdum.

Indicat
Et ita habes hic quod quis tenetur indicare furem, ff. de receptator., pessimum; et ff. de receptator., eos; C. de furti. et serv. cor., civile est; ff. de iure fisc., ex quibusdam § divus; C. ad leg. Corn. de fals., maiorem; C. de his qui ad eccl. confug., praesenti § quod si in finibus. Arg. contra ff. de praescr. ver., non solent; ff. de condi. ob turp. caus., idem si § si tibi, ubi non peccat, qui aliquid accipit, ut indicet. Secus vero secundum canones, ut hic patet, quia consentire videtur. Unde dicit quod uterque reus est.

X 5.18.05 *Ex litteris*

Sponte
Arg. quod mitius agitur cum sponte confesso quam cum convicto, 50. dist., presbyterum; 12. q. 1, non dicatis.

Satisfecerit
Aliter poenitere non potest, dummodo possit satisfacere, 14. q. 6, si res aliena; et supra, de homic., sicut dignum § eos; et infra, de usur., cum tu.

Infamia
Facti quae gravat opnionem, ff. de obseq. praest., honori. Et a promotione repellit, 81. dist., tantis; et 33. dist., laici; et supra, de accusat., omnipotens.

Post peractam
Quia iam incipit esse, quod non fuit, 50. dist., ferrum; et 50. dist., cum exaudiero.

Poenitentiae
Supra, de temp. ord., ex tenore.

Promovere
Etiam de iure communi, cum peccatum sit occultum, supra, de temp. ord., quaesitum. Et praecipue secundum illos qui dicunt quod peccatum occultum non reddit hominem

irregularem. Secundum alios qui dicunt contrarium, loquitur capitulum istud de dispensatione.

X 5.19 DE USURIS

X 5.19.01 *Plures clericorum*

Generalis concilii
Scilicet Turonensis, cuius est hoc capitulum.

In clero
Maxime, quia idem est de laicis.

Aliud genus
Multa enim sunt genera usurarum, arg. 14. q. 3, si foeneraveris; 14. q. 3, putant; 14. q. 3, plerique.

Deductis expensis
Deducendae sunt expensae. Et quod superest est fructus, ff. solut. matrim., fructus; ff. de pet. hered., si a domino vel a patre § fructus, in fi.; et 12. q. 2, vobis; et C. de fruct. et lit. exp., hoc fructuum. Et ipso iure per fructus perceptos liberatur pignus, C. de distract. pign., fundum; et C. de pigner. act., quod ex operis; et C. de pigner. act., creditor qui praedium. Fructus enim semper computantur in sortem, infra, de usur., quoniam; et infra, de usur., conquestus. Et hic expensae istae non debent esse superfluae, arg. ff. de rei vend., in fundo. Et illae tantum sunt deducendae quae in ipsam rem necessario factae sunt et pro fructibus colligendis, C. de pignorib., in summa. Potest ergo rem retinere donec deducat expensas. Sed quid si restituit rem nondum deductis expensis? Petat per conditionem indebiti, ff. de impen. in re. dot., quod dicitur § si dos; vel per contrariam actionem pignoratitiam, ff. de pigner. act., si necessarias.

Post huiusmodi
Maxime quoniam idem erat ante, 14. q. 4, si quis oblitus; et infra, de usur., cum tu.

Beneficium
Hoc ita potest intelligi, puta laicus aliquis iniuste detinet possessionem aliquam quae fuerat clerico in beneficium assignata. Licitum est clerico de manu laici taliter eam redimere, ut ecclesia vel ipse clericus fructus taliter perceptos retineat. Nec est usura, cum tantum suum recipiat, quia sic forte possessio ad ecclesiam reverteretur hoc modo, quia forte alias non poterat recuperari. Et idem est si esset feudum ecclesiae, quia fructus ecclesiae non computabit in sortem, infra, de usur., conquestus. Sed ecclesia interim servitia a vasallo recipere non debet, supra, de feud., insinuatione. Idem intelligo de laico quod hoc modo sibi licet redimere possessionem de manu iniusti detentoris. Alienam tamen possessionem taliter redimere non posset, quia fructus illi non sunt sui. Unde si illos retineret, usura esset. Idem esset de clerico si possessionem ecclesiae quae non fuit sibi pro beneficio assignata taliter in pignus reciperet, nisi de licentia ecclesiae hoc faceret, quasi percipiendo eos nomine ecclesiae. Ber.

X 5.19.02 *Quoniam*

De possessionibus vel arboribus
Sic supra, de usur., plures; et infra, de usur., conquestus; et supra, de empt. et vend., ad nostram; et supra, de pignor., cum contra; C. de pigner. act., quod ex operis; et C. de pigner. act., creditor qui praedium; C. de pac. pign., qui pactus; et C. de pac. pign., quoniam; et ff. de pigner. act., si convenerit.

X 5.19.03 *Quia in omnibus*

Multi
Propterea quia multi sunt, non excusantur, 2. q. 1, multi, in fi. Et etiam si omnes homines essent usurarii, simile 32. q. 7, flagitia. Cum in veteri testamento et novo prohibitae sunt usurae, infra, de usur., super eo. Immo etiam iure civili usurae prohibitae sunt, unde nullo iure peti possunt, in Auth. de eccl. titul., in princ., coll. 9. Licet non observetur, quia ibi dicit Iustinianus se quatuor synodos generales observare, sed Nicaena synodus est una de quatuor principalibus quae ita observari debet, sicut quatuor Evangelia, 15. dist., sicut. Et in Nicaena synodo prohibetur usurae, 47. dist., quoniam multi.

Accipiant sepulturam
Idem est de quolibet quem constat decessisse in mortali, 13. q. 2, pro obeuntibus; 23. q. 5, placuit; 21. q. 3, Cyprianus; et supra, de statu monach., monachi, cum similibus.

Oblationes
Sic 90. dist., oblationes; et 17. q. 4, miror; supra, de rapt., super eo, ad fi. Et nihilominus excommunicandi sunt, si non satisfaciant, infra, de usur., praeterea; et supra, de iureiur., debitores; et supra, de iureiur., ad nostram 1.

Reddere
Sed cui debet restitui? Danti? Non videtur, 17. q. 4, sunt qui; 12. q. 2, nulli liceat. Ala. dixit quod episcopo loci. Sed potius credo quod illi qui dedit, et ille postea restituat ei a quo recepit, arg. infta, de usur., cum tu; et supra, de homic., sicut dignum § eos.

X 5.19.04 *Super eo*

Dispensationem
Arg. quod praetextu boni malum fieri non debet, 1. q. 1, non est putanda; 33. q. 5, si dicat; et 14. q. 5, nolite; 14. q. 5, immolans; 14. q. 5, forte; 14. q. 5, neque. Arg. contra 28. q. 1, non oportet. Dic ut plene dictum est supra, ne cler. vel mon. saecul. neg., non magnopere, in magna notula.

Mentiri
22. q. 2, ne quis arbitretur, ubi de hoc.

X 5.19.05 *Cum tu*

Decretum
Supra, de usur., quia in omnibus.

Privandos
Et ita canon ille supra, de usur., quia in omnibus, non est latae sententiae sed ferendae. Ber.

Donec
Ergo quam cito restituunt sunt ipso iure restitui communioni, arg. 81. dist., si qui sunt. Tamen post satisfactionem relaxandum est interdictum.

Ad excusandas
Haec verba sunt 16. q. 1, praedicator.

Sive post
Arg. quod constitutio retrotrahitur, et hoc ideo dicit quia crimen istud ante illam constitutionem prohibitum erat utroque testamento, supra, de usur., super eo. Hoc enim divinum fuit praeceptum, 14. q. 4, quoniam multi. Quando constitutio retrotrahitur dictum fuit supra, de consti., quoniam.

Per poenam
Statutum supra, de usur., quia in omnibus; et etiam per excommunicationem, infra, de usur., praeterea. Sed quare fit mentio in omnibus commissionibus de poena illius canonis supra, de usur., quia in omnibus, et non de excommunicatione? Respondeo: quia ab illa semper incipiendum est tamquam a minori, et postea infligenda est maior si hoc meruit proteruitas contumacis, supra, ut lite non cont., quoniam, in fi.

Non superstitibus
Sed pone quod ille cui debet restitui usura longe sit absens. Numquid tenetur usurarius mittere ad eum usuras? Tenetur quidem sed sumptibus illius absentis, arg. ff. de oper. lib., opere enim. Si autem sumptus itineris rei summam excedant, det pauperibus, arg. huius capituli, 2. q. 6, anteriorum. Et hoc intellige si usurarius novit ubi habitet. Quia si ignoret, non tenetur inquirendo vagari, arg. ff. de oper. lib., quod nisi, in fi. Et quousque fieri potest restitutio illi qui solvit, numquam illa pecunia debet dari pauperibus, supra, de homic., sicut dignum § eos; et supra, de iureiur., ea te.

Restituatur
14. q. 6, si res aliena.

In facultatibus
Et licet amiserint usuras nihilominus tamen tenentur propter moram quae illis nocere debet. Unde omnia refundere debent si alias facere possunt, arg. ff. de vi et de vi arm., praetor ait § rectissime; et ff. de leg. 1, cum res legata. Sed si nihil habent, liberantur ex toto, ut hic. Si tamen ad pinguiorem fortunam pervenerint, tenentur ut prius, supra, de

solution., Odoardus; et ff. de cess. bon., si debitoris. Arg. 26. q. 6, si quis de corpore; et 26. q. 6, de his vero; et insolidum, nec habetur ratione ne egeat, licet alias dicat lex quod qui bonis cedit, non convenitur postea, nisi in quantum facere potest, ff. de cess. bon., is qui. Ala.

Evidenter
Si enim credatur habere, verberibus veritas eruatur, 5. q. 5, illi qui; 14. q. 6, si res aliena. Vel iuret se non habere unde reddat, quod potius videtur quia non debet illa poena puniri, ut hic dicit, quia inanis est actio etc., ff. de dolo mal., nam is; et supra, de restit. spol., olim vobis.

Debent vendi
Ex hoc videtur quod ad quemcumque perveniat res empta de pecunia usuraria, tenetur illam restituere. Licet enim res emptae ex tali pecunia pervenerant ad filios vel consanguineos usurariorum, nihilominus venduntur, ut hic dicit. Quia res illa succedit loco alterius pecuniae, ff. de leg. 2, imperator, in fi; et ff. de leg. 3, fideicommissa § si rem suam; et supra, ut lite penden., ecclesia 1, ubi de hoc. Quod verum est ubi ex causa lucrativa res pervenit ad ipsum. Si vero ex alia causa, puta quia emit ignoranter, secus esset forte. Et speciale est hoc in re empta ex pecunia foenebri, alias regulare est quod in re empta ex pecunia tua, non nomine tuo, nihil iuris habes, C. de rei vend., si ea pecunia; et C. de probation., ad probationem; et ff. de fur., qui vas, in fi.; alium casus habes C. de rei vend., si ut proponis; tertium C. arb. tut., curator; et supra, de pecul. cler., inquirendum. Ala.

X 5.19.06 *In civitate*

Comparant
Non decepti in iusto pretio, sed scienter plus emerunt propter dilationem solutionis. Si enim decepti essent quia darent ultra pretium iustum, non haberent speciem usurae, quia licet contrahentibus sese adinvicem decipere, ff. de minor., in causae § in pretio usque ad dimidium iusti pretii; supra, de empt. et vend., cum dilecti; et supra, de empt. et vend., cum causa; C. de rescind. vend., rem maioris. Ala.

Non valent
Immo videtur quod tantum valeat. Res enim tantum valet quantum vendi potest, ff. ad Trebel., explicito § si heres; et ff. ad leg. Falc., quaerebatur; et ff. de fur., si quis uxoris § ulti.; et ff. de mort. caus. donat., mortis causa § ulti.; et ff. de lege Rhod. de iac., si laborante § portio. Pretia enim rerum non ex affectu singulorum, sed communiter aestimantur, ff. ad leg. Falc., pretiat. Arg. contra ff. mand. vel cont., cum servus. Sed hic non fuit emptio facta aestimatione communi. Ber.

Ex talis forma
Simile supra, de pignor., illo. Et ita forma contractus inspici debet ad hoc ut usurarius censeatur, quia omne esse est ex forma. Sed non est semper verum in casu isto, ut infra dicitur. Ber.

Usurarum
Arg. contra supra, de usur., consuluit, ibi solvitur. Ber.

Venditores
Isti venditores propter dubium excusantur a peccato, alias non venditur, infra, de usur., naviganti, in fi. Unde propter dubium excusantur a peccato usurarum. Et expone, peccatum, scilicet usurarum, infra, de usur., naviganti. Et secundum illam intellige istam, licet enim ex forma non sit contractus usurarius, potest tamen fieri in fraudem usurarum, unde aeque tenetur, arg. supra, de pignor., illo. Et quodcumque nomen imponas, usura est, 14. q. 3, si foeneraveris; et 14. q. 3, putant.

Nisi dubium
Infra, de usur., naviganti, ubi de hoc. In tali dubio potius esset abstinendum, quia quandoque dicunt aliqui se dubitare ubi non est dubitandum et econverso. Et tutior via est eligenda, infra, de cleri. excom., illud. Unde dicit saluti suae bene consulerent etc., quia periculum est in his. Ber.

Occultari
Quia secretorum Deus cognitor est, 32. dist., erubescant; et 2. q. 5, consuluisti. Quem non latet peccati qualitas neque peccantis affectus, 24. q. 3, Deus quando. Tanc.

X 5.19.07 *Praeterea*

Interdicas
14. q. 3, per totum; 14. q. 4, per totum; et 47. dist., quoniam multi.

Suspendas
Talis enim repellitur ab obtento, ut hic dicit, et 14. q. 4, si quis oblitus; et 14. q. 4, quoniam multi. Et repellitur ab obtinendo multo fortius, infra, de excess. praelat., inter dilectos. Sed numquid episcopus potest cum tali dispensare? Dico quod sic post satisfactionem et poenitentiam, quia hoc non prohibetur. Et hoc probatur per hanc decretalem. In antiqua dicebatur quod ad praesentiam Papae tales mittantur. Unde collige quod episcopi cum talibus misericorditer agere possunt. De hac materia traditur supra, de iudic., at si clerici.

Excommunicationis
Primo inflicta poena illius constitutionis, supra, de usur., quia in omnibus.

X 5.19.08 *Conquestus*

Sortem recepistis
Deductis etiam expensis, ut supra, de usur., plures; et supra, de usur., quoniam, ubi de hoc.

De feudo

In isto casu fructus non computantur in sortem. Interim tamen non debent servitium recipere a vasallo, nec est usura. Sic supra, de feud., insinuatione. In quo casu potest etiam intelligi supra, de usur., plures. Sed ibi illud exponitur, dic ut ibi. Habes ergo unum casum in quo non committitur usura ultra sortem recipiendo, ut supra, de usur., plures; et hoc favore ecclesiae. Item et in alio infra, de usur., salubriter, alias etiam posset attentari quod usurae possunt peti etiam secundum canones, ut cum vendo tibi praedium, et trado et percipis fructus nec solvis mihi pretium ad terminum, C. de usuri., usuras emptor. Quia huiusmodi usurae non quasi usurae sed quasi interesse petuntur, arg. 14. q. 4, quoniam multi, ibi: ad quaestum; et 14. q. 4, si quis oblitus, ibi: aliqua incrementa; et ff. pro soc., socium qui. Damna vero et interesse secundum canones peti possunt, 12. q. 2, si quis de clericis; et supra, de for. compet., dilecti; et supra, de fideiuss., pervenit; et supra, de fideiuss., constitutus. Et arg. ff. de eo quod cert. loc. dar. op., arbitraria § nunc de officio. Et maxime in contractibus bonae fidei ubi usurae veniunt ex mora, ff. de usuri., mora § in bonae; et ff. de peric. et comm. rei vend., venditori; et C. de act. emp. et vend., fructus. Quia non dicitur usura sed potius interesse, quia non dicitur recipere ultra sortem. Et quod dicit, quicquid sorti accedit, usura est. Illud potest intelligi in mutuo vel ubi aliquid excogitatur in fraudem usurarum. Illud nota quod duo sunt contractus qui de sui natura volunt esse gratuiti, ut mutuum et commodatum. Mutuum enim nisi sit gratuitum statim usura est. Unde illud, mutuum dantes, nihil inde sperantes, infra, de usur., consuluit. Item commodatum si non sit gratuitum et pecunia recipiatur pro re commodata, desinit esse commodatum et in locationem transire videtur, non tamen est usura. Item si vendo tibi fundum iusto pretio ea lege, ut quandocumque tibi solvero pretium quod mihi das, fundus ad me revertatur, C. de pac. inter emp. et ven., si fundum. In casu isto lucratur fructus. Alias si modicum esset pretium, praesumitur contractus in fraudem usurarum, supra, de empt. et vend., ad nostram. Et praecipue si emptor consuevit exercere usuras, supra, de pignor., illo. Item ubi pecunia datur ad pompam, possum inde recipere mercedem, quia non est mutuum, sed potius commodatum sive locatio, ff. commodat., sed mihi § non potest; et ff. commodat., saepe. Item ubi aliquid apponitur nomine poenae, dum tamen non in fraudem usurarum, 12. q. 2, fraternitas. Tamen in omnibus praedictis casibus non dicuntur usurae, sed potius interesse videtur. Laur.

X 5.19.09 *Tua nos*

Cogendi

Tenentur filii pro parentibus pro hereditaria portione, et illi ad quos bona usurariorum pervenerunt, ut hic dicitur, et ff. de regul. iur., ex qua persona. Sed pone quod alter heredum efficiatur non solvendo ante restitutionem usurarum. Numquid alter convenitur insolidum? Non videtur, ff. de fideiussor., inter fideiussores; ff. de fideiussori. tut., si fideiussores. Satis potest dici quod insolidum conveniri possunt quia omnia bona defuncti erant illi obligata, arg. supra, de usur., cum tu; et praecipue cum succedit in crimen. Heredis enim succedentis in vitium, par fortuna habenda est, C. de fruct. et lit. exp., litigator. Et etiam heredis ignorantia, defuncti vitium non excludit, ff. de diver. temp. praescr., cum heres. Si ergo heres succedat in bonis defuncti, sive heres idem crimen committat sive non, semper tenetur restituere usuras quas defunctus extorsit, in

quantum se extendit illius hereditas, ut hic patet. Et econverso heres potest repetere usuras extortas a patre, infra, de usur., Michael. Vincen.

X 5.19.10 *Consuluit*

Concedit
ff. quod metus cau., non est § si foenerator.

Sperantes
Supple causa mutui, in spe lucri principaliter posita. Secundario tamen aliquid sperare non puto malum ut et ipse serviat illi, arg. 61. dist., quid proderit; et 59. dist., si officia. Nec etiam recipere ex tali spe, arg. 1. q. 2, quam pio. Immo naturaliter debitor est illi obligatus ad antidora, ff. de pet. hered., sed si lege § consuluit; et supra, de testamen., cum in officiis. Ala.

In lege
14. q. 3, putant; et 14. q. 3, plerique. Ber.

Male agere
Arg. contra supra, de usur., in civitate. Illud intelligitur quantum ad iudicium ecclesiae, et potest excusari illud propter dubium istud de iudicio animae, ut hic patet. Et ita non est contra ibi quo ad formam contractus usurarii non dicuntur. Sed isti propter intentionem quam habuerunt iudicandi sunt in iudicio animae male agere. Et inducendi sunt, sed non compellendi ut sic recepta restituant. Nec tamquam usurarii puniendi sunt, sed re vera quo ad Deum usurarii videntur, quia restituere tenentur sic accepta. Et hic habes manifeste quod intentio facit hominem usurarium. Intellige cum effectu sic et expectatio, 14. q. 3, si foeneraveris; et 14. q. 4, si quid clericus. Ber.

X 5.19.11 *Quam perniciosum*

Se tueri
Id est, in quolibet crimine manifesto, supra, de appell., cum sit Romana. Alias si iniuste gravaretur, non est appellatio deneganda. Sic multotiens condemnaretur iniuste qui foret absolvendus, supra, de except., cum inter. Et ita intellige de his qui appellant existendo in crimine. Et hoc constat, quia non exprimit iustam causam appellandi. Alias non audiretur ante sententiam appellans, supra, de appell., ut debitus.

X 5.19.12 *Post miserabilem*

Principes
Quorum legibus in temporalibus subiiciuntur Iudaei, 8. dist., quo iure; et C. de Iuda., nullus. Pari ratione alios contra eos protegamus, arg. supra, de mut. petit., per totum. Maxime in his in quibus legem suam offendunt, supra, de usur., consuluit; et 14. q. 4, quoniam; et 14. q. 4, ab illo. Vincen.

Communionem
Sic infra, de usur., quanto.

Denegari
Non est dubium quin poena corporali puniantur Iudaei per ecclesiam et etiam pecuniaria, 28. q. 1, saepe, in fi.; 17. q. 4, constituit. Ita tamen quod usque ad vindictam sanguinis non procedat, supra, de rapt., in archiepiscopatu. Sed contra quia nihil ad nos de his qui foris sunt, 2. q. 1, multi; et supra, de divort., gaudemus. Solutio: quod dicitur ibi, nihil ad nos etc., illud intelligitur in quantum Deum offendunt. Sed in quantum hominem offendunt secus est. Vel potest intelligi illud de directa coertione quam in eos non exercemus; secus indirecta, ut hic, et supra, de decim., de terris. Cum etiam propter delictum efficiuntur de foro nostro, supra, de iudic., novit; et supra, de for. compet., cum sit; et 6. q. 3, placuit; et supra, de rapt., de illis. Et de hoc dictum est supra, de Iudae. et Sarrac., ita quorundam. Ber.

X 5.19.13 *Tuas dudum*

Desistere
Relaxato prius sacramento, supra, de iureiur., ex administrationis. Et hanc relaxationem potest petere qui iuravit, cum huic petitioni non renunciaverit, ut supra, de renunciat., cum inter; et supra, de his quae vi met. caus. fi., ad audientiam. Immo etsi iuravit non petere absolutionem potest illud denunciare, supra, de iureiur., quemadmodum. Et licet ob privatum commodum denunciet, non tamen repellitur ab ea, quia proderit usurario cum poenituerit, arg. 8. q. 1, sunt in ecclesia. Ber.

Vel restituere
Sic supra, de iureiur., debitores; et supra, de empt. et vend., ad nostram.

X 5.19.14 *Quia frustra*

In legem
Eandem scilicet, ff. quod metus cau., isti quidem; et supra, de appell., an sit; et supra, de appell., constitutis 1; et C. de iure delib., scimus § si vero postquam. Arg. contra supra, de appell., dilectis filiis, ubi decanus qui non detulit appellationi auditur appellans in eodem negotio. Et idem videtur si in alium delinquat, ff. de ritu nupt., filio patroni § 1, ubi patronus qui contra unam legem venit beneficium alterius amisit, ff. de minor., auxilium, in fi., ubi minor delinquens beneficium restitutionis amittit. Vincen. et Io. reliquerunt hoc disputationi, utrum delinquens contra legem unam aliarum perdat beneficium. Ego non credo quod propterea perdat beneficium alterius, quia sic puniretur in eo in quo non deliquit. Sufficit ergo quod amittat legis beneficium quam contempsit, ut dicunt primae concordantiae. Et illa lex ff. de minor., auxilium, loquitur in crimine, ubi non restituitur minor, nec illa ff. de ritu nupt., filio patroni, obstare videtur.

Restituerit
Numquid sufficit cautio de restituendo? Respondeo quod non, arg. supra, de re iudic., cum aliquibus; ff. de pigner. act., quod si non solverit. Nisi forte magna causa

intervenerit, arg. ff. de re iud., si se non obtulit § ait praetor. Puta si non sit solvendo, tunc sufficit praestare cautionem quod ipse restituet et audiri debet, ut postea alii restituat, arg. supra, de restit. spol., olim vobis; et supra, de solution., Odoardus; et ff. de cess. bon., si debitoris. Vel si ille cui debetur consentiat, quia satisfactum intelligitur, ff. de pigner. act., si rem § omnis; arg. supra, de re iudic., quod ad consultationem. Item quid si nullus agit contra istum pro usuris? Dixit Io. et Tanc. quod facta denunciatione in publico si nullus apparet qui petit, debet iste audiri per litteras sicut facit qui rem invenit alienam, ad evadendum poenam furti denunciet publice, ut cuius est res veniat, ff. de fur., falsus § qui alienum. Hoc non credo sufficere, non enim excusatur usurarius si nullus repetat ab eo vel si denunciet. Immo etiam tenetur usuram restituere saltem pauperibus si nullus apparet cui restituat. Aliter non liberatur a peccato, ut supra, de usur., cum tu. Unde cum non sit adhuc emendatus, si in crimine perseveret retinendo alienum non est audiendus. Et hoc patet per litteram istam. Quia nisi restituerit vel adhuc restituat cum effectu, ergo beneficium legis habere non debet, cum adhuc contra illam in crimine perseveret. Unde potest ei dici, eiice primo trabem de oculo suo, quam festucam de oculo fratris tui, 1. q. 1, multi; et 3. q. 7, infames § porro, in fi. Et ita iudex non procedat per litteras tales, nisi postquam constiterit, quam plene purgatus fuerit. Et hoc intellige cum est manifestus usurarius, alias iudex non denegaret ei audientiam. Et sic iudex ex officio suo potest eum repellere exemplo Domini, 3. q. 7, qui sine; 3. q. 7, postulatus; et supra, de except., exceptionem; et infra, de usur., cum in diocesi; et supra, de usur., quam perniciosum. Arg. idem erit si non sit manifestus usurarius, et reus excipiat quod non debet audiri, cum eodem reatu criminis involvatur, probatione recepta non auditur nisi restituat, ut dixi. Item quid si aliquis contendat in iure cum ipso impetrante, et appellatur ante causam, numquid expedietur ante causam appellationis? Arg. est hic quod sic ex eo quod dicit, nisi prius restituerit etc. Si usurarius impetrator appellet, non audirem illum interim per litteras illas. Item habes hic quod litterae quae ab initio non valent, postea convalescunt, supra, de for. compet., verum; supra, de for. compet., licet ex suscepto; et supra, de for. compet., ex tenore. Et hoc verum est quando ab initio non sunt nullae ipso iure. Ber.

X 5.19.15 *Cum in diocesi*

Potentum
Unde excommunicari possent si praestant impedimentum volentibus agere contra illos, supra, de offi. deleg., quia quaesitum; et 11. q. 3, iniustum.

Manifestos
Si intelligas manifestos, id est, notorios, non est opus aliis argumentis, supra, de accusat., evidentia; supra, de iureiur., ad nostram 3; et 2. q. 1, de manifesta. Si autem loquitur de manifestis non notoriis, secundum hoc evidens probatio requiritur secundum iuris ordinem, 11. q. 3, eorum, in fi. Ad hoc posset dici quod illud notorium non habet facti perseverentiam, unde aliqua requiruntur argumenta. Vel dic quod solemnis fama docet ipsos esse usurarios, et ideo per famam et alia argumenta puniuntur, quia sola fama non sufficit ad condemnationem, arg. 35. q. 6, si duo; et 3. q. 3 § item saepe fit; et supra, de iureiur., ex litteris.

Poteris
Ex officio tuo, ut dixi supra, de usur., quia frustra. Licet nullus appareat accusator.

X 5.19.16 *Salubriter*

In sortem
Hic est casus in quo fructus non computantur in sortem, alios habes notatos supra, de usur., conquestus.

Onera
Hoc ideo dicit quia fructus dotis cedunt lucro marito propter onera matrimonii, C. de iure dot., pro oneribus. Ad hoc autem ut maritus lucretur fructus rei dotalis, requiritur ut sustineat onera matrimonii, ff. de dol. except., pater. in princ. Item oportet quod possessio rei dotalis tradita sit, ff. solut. matrim., de divisione. Fructus vero percepti ante matrimonium restituuntur mulieri, nec cedunt lucro marito, ff. de usuri., videamus generali § item si dividere. Similiter fructus et foetus pecudum dotalium lucratur maritus, ff. de iure dot., plerumque § si servi. Idem est in fundo cretifodino vel argentifodino, ff. solut. matrim., fructus eos § si vir in fundo. Secus tamen est in foetu ancillarum dotalium, qui non cedit lucro ipsi marito, ff. de iure dot., plerumque § si servi. Item secus est in lapifodinis, ubi lapis non renascitur et in arboribus non caedendis, ff. solut. matrim., fructus eos § si fundum; et ff. solut. matrim., fructus eos § si vir in fundo; et ff. solut. matrim., fructus eos § sed si cretifodinae. Item fallit hic illa regula: cuius est emolumentum, eius dicitur esse periculum. Licet enim ad illos spectet emolumentum rei dotalis, non tamen rei periculum vel evictionis vel deteriorationis, ff. de iure dot., plerumque, in princ.; et ff. de iure dot., plerumque § si praediis; et C. de iure dot., evicta. Tamen cum distinctione, an res datae in dotem sint aestimatae vel non, ut ibi distinguitur. Sed hoc est verum nisi res dotalis consistat in numero, pondere, vel mensura. Nam periculum talium spectat ad virum, ff. de iure dot., res in dotem. Io.

X 5.19.17 *Michael laicus*

Extitit
Alias non teneretur nisi esset heres, supra, de usur., tua nos.

Adhuc
Hoc expositum est supra, de usur., quia frustra.

Pater
Hic habes quod filius tenetur ex delicto patris, sic supra, de usur., tua nos. Et agit ex facto patris, ut hic patet. Et sic repetitio usurarum datur heredi et contra heredem, ut hic patet. Cum enim iste agit ex persona patris, ipsum tenetur defendere, ff. de regul. iur., ex qua persona; et ff. de procur., servum quoque § aequum. Alias denegatur ei actio, ut ibi dicitur. Sed pone quod iste non agat ex persona patris, numquid obest ei si excipiatur contra ipsum quod pater vel avus receperunt usuras? Videtur quod sic, quia usurae repetuntur ab herede et a quocumque etiam extraneo, supra, de usur., tua nos. Immo heres tenetur ex delicto defuncti, etsi nihil pervenerit ad ipsum secundum canonem,

supra, de rapt., in litteris; et supra, de sepult., parochiano, ubi de hoc; et 16. q. 6, si episcopum, in fi.; 12. q. 2, episcopus qui filios. Ergo si agi potest multo fortius excipi. Et hoc concedit Io. Quia heres non convenitur hic ex maleficio, sed potius ex quasi contractu ratione indebiti soluti, Inst. de oblig. quasi ex contrac. § item is cui quis per errorem. Et quod possit sic excipi de facto patris eo agente, satis probatur per hanc litteram. Sed si non fecisset iste mentionem in litteris de patre, numquid eo agente ex facto suo potest excipi contra ipsum quod pater fuerit usurarius nec restituerit usuras? Videtur quod non, quia per tales litteras non potest agere de facto patris, ergo nec excipi potest contra ipsum, alias iniquum videtur. Arg. contra supra, de usur., tua nos. Sed ille loquitur in ordinario, immo alia ratione videtur quod possit excipi, quia in vitium successit patri, ut supra, de usur., tua nos. Et sic culpam alienam fecit suam retinendo scienter alienum. Ergo antequam alium impetat, debet esse illo crimine purgatus, ut dictum est supra, de usur., quia frustra. Satis videtur quod non possit excipi, arg. huius capituli ex querimonia et commissione, numquam enim clausula illa ponitur in litteris, nisi quando de patre fit mentio in litteris, sicut hic factum fuit. Sed ita videtur quod possit excipi. Tenetur enim restituere usuras quas pater extorsit, cum ei succedat in bonis, quod potius credo. Sed numquid repelli potest ab agendo qui nomine alieno repetit usuras? Videtur quod sic, arg. 45. dist., sicut non suo. Sed hoc non videtur, quia nihil in suam utilitatem versum est, nec secundum istum ageretur ad usuras repetendas, immo contra illum qui habuit illam utilitatem.

X 5.19.18 *Quanto amplius*

Immoderatasve
Ergo moderatas videtur permittere a contrario sensu, 25. dist., qualis; ff. de iud., cum praetor. Quod non est verum, supra, de usur., post miserabilem. Et ita cessat hoc arg. a contrario sensu, C. de episc. et cler., conventiculam. Et graves usurae dicuntur quae excedunt legitimum modum lege statutum, C. de usuri., eos.

Commerciis
Sic supra, de usur., post miserabilem.

Devenissent
Et ita res transit cum suo onere, supra, de decim., cum non sit; et supra, de pignor., ex litteris; et 16. q. 1, si quis laicus; ff. de pigner. act., si convenerit § si fundus. Ber.

X 5.19.19 *Naviganti vel eunti*

Periculum
Quia iste recipiebat in se periculum, videbatur quod quasi quadam compensatione licite aliquid ultra sortem recipere posset, quia periculum pecuniae mutuatae pertinebat ad debitorem, cum sua facta fuisset. Sed nihilominus est usurarius, cum excedat naturam mutui, ut dictum est supra, de usur., conquestus. Quia si nullum periculum secutum fuit et aliquid ultra sortem recepit, illud fuit usura, quia cum sit hinc inde mutuum, nihil inde sperare debet iuxta illud: date mutuum, nihil inde sperantes, supra, de usur., consuluit; 14. q. 3, per totum. Et nulla compensatio sive dispensatio admitti debet ut usura exigatur,

supra, de usur., super eo. Ergo sive recipiat in se periculum sive non, nihil ultra sortem recipere debet.

Versimiliter dubitatur
Ergo si certum esset, quod tempore solutionis plus valerent, usurarius est censendus, supra, de usur., in civitate; arg. infra, § proxima. Et ita propter dubium excusatur, quia tam emptor quam venditor aequaliter commodum et incommodum ex dilatione expectat, et est simile C. de solut., cum pro pecunia. Item arg. est hic quod dubia in meliorem partem interpretari debent, infra, de reg. iur., estote, quia promptiores debemus esse ad absolvendum quam ad condemnandum, supra, de probat., ex litteris; ff. de act. et oblig., Arrianus. Sed contra videtur, quam potius in tali dubio abstinendum esset a talibus contractibus propter periculum, arg. infra, de cleri. excom., illud. Quandoque enim aliqui fingunt se dubitare ubi dubitatio non est, tamen relinquendi sunt in talibus conscientiae suae. Item arg. quod ratione dubii aliquid permittitur quod alias non licet, 13. q. 2, non aestimemus; ff. de ven. inspic., temporibus § ex hoc rescripto; ff. de iud., si quis ex aliena; C. de usuri., si ea lege. Et ratione huius dubii excusatur, ut in § sequenti.

Tempore non fuerat venditurus
Alias non excusatur, quia si tunc fuerat venditurus pro minori et ex certa scientia plus recipiat alio termino, usura est. Et sic intellige supra, de usur., in civitate, ut ibi etiam dixi.

X 5.20 DE CRIMINE FALSI

X 5.20.01 *Falsidicus*

Obnoxius
Id est, obligatus.

Iudici
Qui eum extraordinarie punire potest causa durante, C. de testi., nullum. Sed causa finita potest accusari lege Cornelia de falsis, ff. ad leg. Corn. de fals., poena legis; et etiam lege Cornelia de sicariis, ff. ad leg. Corn. de sic., lege Cornelia de sicariis et veneficiis tenetur, 1. resp.; et ff. ad leg. Corn. de sic., lege Cornelia de sicariis et veneficiis tenetur § praeterea. Punitur enim falsus testis, et si conatus non habuit effectum sententia tamen per falsum testimonium dicta vel instrumenta falsa retractari debet falsitate reperta usque ad viginti annos, supra, de except., cum venerabilis. Nec est mandanda executioni si hoc obiiciatur, infra, de crim. falsi, super eo, ubi de hoc. Et nulla est secundum quosdam, quia ex ea non datur exceptio, ff. de exception., qui agnitis. Dominus Azo dicebat quod est aliqua, sed non datur ex ea exceptio cum effectu, ff. de re iud., divus. Quousque enim constet de falsitate habetur interim pro sententia, supra, de fide instrum., accepimus, ubi de hoc.

Laedit
Quia in tribus offendit triplex poena ei debetur. Primo quia Deum offendit septennis poenitentia sibi iniungitur pro periurio, 6. q. 1, quicumque. Quia iudicem delusit,

infamabitur, 12. q. 5, quisquis convictus. Et verberibus castigabitur, 5. q. 5, illi qui. Vel extraordinarie punietur, ut dictum est in proxima notula. Et quia proximum laedit iuxta modum laesionis punietur, arg. 3. q. 9, nihilominus; licet ibi non loquatur de tali poena.

Reus
De hoc habes 11. q. 3, quisquis.

X 5.20.02 *Super eo*

Falsarum
Hic dicebat Laur. quod sine temporis praefinitione semper tractanda est sententia de falso, quia ipso iure nulla est, quia defectus est in iurisdictione, quia falsae litterae nullam attribuunt iurisdictionem. Sed ubi alias ageretur de falso retractatur usque ad viginti annos, ut dixi supra, de crim. falsi, falsidicus.

Executioni
Et ita patet quod executor subsistere debet vel sustinere, si obiiciatur quod sententia lata per falsas litteras, sic ff. de iud., si praetor. Arg. contra supra, de offi. deleg., pastoralis. Et ibi solvitur hoc ubi plene habes quando fieri debeat executio vel quando non, supra, de re iudic., de caetero.

Non observes
Et si per errorem per talem sententiam solutum est, potest revocari, C. si ex fals. inst. vel test., si tabulas; C. si ex fals. inst. vel test., et qui; et ff. de exception., qui agnitis. Ber.

X 5.20.03 *Ad audientiam*

Mortis
Hanc poenam ecclesia non imponit, 23. q. 8, his a quibus; et 23. q. 8, saepe; et supra, ne cler. vel mon. saecul. neg., sententiam.

Degradatis
Sic supra, de iudic., cum non ab homine. Sed contra videtur infra, de crim. falsi, ad falsariorum, ubi traditur saeculari potestati puniendus. Sed illud speciale est in falsariis litterarum domini Papae, ut statim tradantur saeculari potestati.

Charactarem
Arg. contra supra, de rapt., in archiepiscopatu; et supra, ne cler. vel mon. saecul. neg., sententiam. Solutio: character iste non ita profunde debet infligi ut sanguinem eliciat, sed cutis superficies deformetur in signum maleficii, et hoc propter odium criminis quia facies hominis ad instar caelestis pulchritudinis facta foedari non debet, C. de poe., si quis in metallum. Sed illa poena alias infligi non debet a iudice ecclesiastico, quia periculum imminet in ipsa infligenda et huiusmodi adustio clericis est prohibita, supra, ne cler. vel mon. saecul. neg., sententiam.

X 5.20.04 *Dura saepe*

Per nuncium
Specialiter cum mandato ad hoc destinatum, supra, de rescript., nonnulli. Io.

Idoneum
Arg. quod non valent litterae per excommunicatum impetratae, alias enim per quamcumque personam etiam si per servum impetrentur valent, C. de precib. imper. offer., universis. Quod forte posset intelligi cum princeps ex certa scientia ei concessit litteras, arg. ff. de bon. poss. sec. tab., servus. Instrumentum enim suspectum est ex persona, arg. supra, de rescript., ad audientiam 2; ff. de edend., si quis. Similiter non valet rescriptum ab haeretico impetratum, C. de summ. trinit. et fide cath., nullus haereticis. Io.

Subiaceat
Ex hoc videtur quod qui contra facit, sit ipso iure excommunicatus. Sed non credo quod sit excommunicatus ipso iure, quia nec servatur hoc, immo indifferenter videmus quod quilibet per nuncium litteras impetrat, et hoc Papa scit et tolerat, nec aliquem repellit, nisi esset excommunicatus. Sed hoc intelligitur cum litterae de manibus domini Papae vel bullatoris tantum sunt recipiendae, quia alias falsae sunt, infra, de crim. falsi, licet. Et ille qui litteras recipit est excommunicatus, ut hic dicit.

Innovari
Ut supra, de Iudae. et Sarrac., ita quorundam, in fi., ubi de hoc.

Dies
In quibus deliberet super litteris. Sic 3. q. 3, induciae § offeratur; et infra, de cleri. excom., illud; et ff. ex quib. cau. maio., ab hostibus § ulti.

Destruat
Simile 5. q. 1, quidam; et C. de fam. lib., si quis famosum.

Resignet
Tali qui possit prodesse et non obesse, arg. 22. q. 5, hoc videtur.

Evadere
Si super hoc lata est per diocesanum, ut hic praecipitur, tamen aliam sententiam domini Papae sive canonis incurrit, infra, de crim. falsi, ad falsariorum. Quid si aliquis simplex utitur litteris talibus ignoranter? Non excusatur, quia per alios debet hoc inquirere, arg. 37. dist., ut itaque. Quid si falsitas fuit ita latens, quod non potuit videri etiam a perito? Respondeo: quod si fecerit diligentiam quam potuit per se et per alios, non credo ipsum teneri, alioquin non excusatur, arg. supra, de homic., Ioannes; et supra, de homic., quidam; et in aliis pluribus capitulis; et 50. dist., si duo. Ber.

Mortis articulo
Casus iste excipitur, 17. q. 4, si quis suadente; infra, de sent. excom., a nobis est; et supra, de offi. ord., pastoralis.

Relaxari
Arg. ex quo Papa sibi aliquid specialiter reservat, aliis denegat facultatem disponendi aliquid super illo. Sed ubi absolutionem non reservat, aliis intelligitur esse concessum, infra, de sent. excom., nuper.

X 5.20.05 *Licet*

Falsitatis
Circa huiusmodi vitium falsitatis nota quod praeter hos modos qui hic exprimuntur sunt alii casus falsitatis. Ex dicto enim vel tacito dicuntur litterae falsae, supra, de rescript., super litteris. Et in tali falso distinguitur prout ibi dicitur, et pro tali falso non punitur nisi quia non habet commodum litterarum. Et est arg. ad idem ff. ad leg. Corn. de fals., si quis obrepserit. Item charta dicitur falsa scripto, ut cum scriptum est in ea, omnes canonicos fuisse praesentes qui non fuerunt omnes praesentes. Et talis ut falsarius punitur, ut supra, de his quae fi. a prael., quanto. Et ab officio et beneficio talis suspenditur, supra, de testib., tam litteris. Item dicitur charta falsa si appareat rasa vel mutata in loco suspecto, infra, de privileg., cum olim propter; et supra, de fide instrum., inter dilectos; et supra, de relig. dom., cum venerabilis. Immo et qui litteras iudicium tali modo falsat, puniri debet in beneficio suo, supra, de rescript., olim. De hac rasura dicitur infra, § quinta. Item praesumitur falsum rescriptum, licet forsitan non sit, ita quod per ipsum non procedatur, si habet in se vitium latinitatis, supra, de rescript., ad audientiam 1. Item si instrumentum suspectum inducitur et ei non imponitur fides, dicitur falsum, C. de probation., iubemus. Item dicuntur litterae falsae, si episcopus appellatur filius. Vel si Papa uni loquitur in plurali, infra, de crim. falsi, quam gravi. Item rescriptum dicitur falsum si est impetratum sine mandato, supra, de rescript., nonnulli. Item alios novem modos falsitatis habes hic expressos. Et quicumque tali modo vel alio quocumque litteras domini Papae falsaverit vel usus fuerit illis scienter, excommunicatus est, ut infra, de crim. falsi, ad falsariorum. Et debet tradi curiae saeculari convictus et degradatus, ut ibi dicitur. In aliis autem falsitatibus praedictis, licet puniri debeant, non sunt ipso iure excommunicati, nec curiae saeculari tradendi, nisi forte episcopus diocesanus generalem tulerit excommunicationem, sicut Bononiensis fecit qui excommunicavit omnes illos qui falsum intrumentum fecerunt vel fieri fecerunt, vel qui testimonium falsum tulerit vel procuraverit fieri, vel qui ignem apposuerit.

Apponatur
Apponens secundum leges aqua et igne interdicitur, ff. ad leg. Corn. de fals., si quis falsis.

Tenuem
Quicumque radit vel immutat rescriptum domini Papae sibi assignatum, excommunicatus est et falsarius, ut dixi in proxima notula. Et in hoc nullam distinctionem adhibeo, licet sit arg. contra supra, de fide instrum., ex litteris. Quia intelligo illam rasuram factam per

illum qui litteras ipsas scripsit, et non per illum qui utebatur illis. Si vero litterae clausae essent, non nocet rasura in quocumque loco fuerit, quia non est praesumptio contra impetrantem. In aliis autem litteris vel instrumentis potest distingui utrum sint rasurae in loco suspecto, ut tunc obsit, supra, de relig. dom., cum venerabilis. Vel non suspecto ubi nulla vis est, et tunc non obest arg. illius decretalis supra, de fide instrum., ex litteris; et supra, de relig. dom., cum venerabilis. Et hoc intelligitur quando rasura est in loco suspecto. Et sic non contradicit infra, de crim. falsi, ex continentia, quae intelligitur quando rasura non est in loco etiam suspecto, et modica est rasura, scilicet paucarum litterarum.

In forma scripturae
Quia per comparationem litterarum probatur falsitas, C. de fid. instrum., comparationes. Et ex stylo dictandi fit comparatio, ut hic dicit. In aliis autem litteris non attenditur talis comparatio.

Chartae
Et in hoc est alia comparatio notanda, scilicet quod rasura chartae quantumcumque sit subtiliter rasa sive incisa. Si aliter discerni non possit, elevari debet ad solem et interponi debet inter solem et oculos et statim apparebit rasura.

X 5.20.06 *Quam gravi*

Dictamine
Supra, de crim. falsi, licet, in fi. Ber.

In plurali
In his ergo potest deprehendi falsitas et de facili, quia facile est videre qualiter appellet episcopium vel inferiores et cui loquitur in plurali. Secundum antiqua tempora hoc non servabatur. Gregorius enim loquebatur uni in plurali, et de se quandoque singulariter quandoque pluraliter, supra, de praescrip., nihil; 23. dist., communis filius; et 99. dist., ecce. Sed hoc faciebat ex magna humilitate et tunc erat talis consuetudo, sed illa immutata est. Alii episcopi appellant suos subditos fratres vel socios, 8. q. 1, quid autem; et 10. q. 3, cavendum; et infra, de excess. praelat., pervenit.

Tam in bulla
Ut supra, de crim. falsi, licet.

X 5.20.07 *Ad falsariorum*

Examinent
Quod si non fecerint, in dolo esse videntur. Sine dolo enim falsum non committitur, C. ad leg. Corn. de fals., nec exemplum. Et affectatores ignorantiae dici possunt, supra, de clan. despon., cum inhibitio. Unde talis ignorantia crassa et supina potest dici, infra, de cleri. excom., Apostolicae.

Dixerint
Potest suppleri: quod non probaverint, quia qui ignorantiam allegat eam probare tenetur, supra, de elect., innotuit. Maxime cum hoc inquirere teneantur auctoritate huius constitutionis. Alias si probaret se diligentiam quam potuit et debuit adhibuisse, non esset ei imputandum, ut dixi supra, de crim. falsi, dura. Quia iusta ignorantia excusat eum, quia non videtur teneri nisi postquam scit hoc, supra, de crim. falsi, dura; et infra, de crim. falsi, accedens. Ex quo enim inquisivit a peritioribus non est ei imputandum, 26. dist. § Ioannes; ff. de iuris et fact. ignor., regula § 1, in fi. Fecit enim quod potuit, et 44. dist., Ephesiis; et divinare non tenebatur. Sic infra, de excess. praelat., inter dilectos, ubi excusatur ignorantia.

Falsarios
De quibus habuisti supra, de crim. falsi, quam gravi, ut ibi dixi. Omnes enim tam principales quam fautores sunt ipso iure excommunicati, ut hic patet.

Deprehensi
Et criminaliter convicti. Ibi enim, ut dicit lex, indagatio fiet acerrima ubi poena est gravissima, C. ad leg. Corn. de fals., maiorem. Et ubi civiliter agitur, mitius est agendum, C. ad leg. Corn. de fals., damus.

Tradantur
Qualiter tradi debeant habes infra, de verb. sign., novimus. In tribus enim casibus traditur aliquis statim post degradationem curiae saeculari, ut hic, et est unus, ut dixi supra, de haeret., ad abolendam, 11. q. 1, si quis sacerdotum.

Legitimas
Poena enim falsi in libero homine est deportatio et omnium bonorum publicatio; in servo ultimum supplicium. Sic distinguit lex ff. ad leg. Corn. de fals., poena legis § poena falsi; et C. ad leg. Corn. de fals., ubi falsi. Et ibi ultimo supplicio punitur crimen falsi. Et hoc est verum de his qui falsant rescriptum principis, de quibus hic intelligitur. Qui vero falsant litteras aliorum aliter puniuntur sed levius, supra, de crim. falsi, ad audientiam. Et haec poena imponitur illis qui per se vel per alios vitium falsitatis exercent, ut patet per istam litteram ubi loquitur de his qui litteris falsis ab aliis impetratis utuntur.

Sub nomine nostro
Id est, qui litteris falsis utuntur per alios impetratis sub nomine nostro. Isti minus puniuntur quam illi qui per se hoc faciunt vel per alios, ut patet per hanc litteram et superiorem, C. ad leg. Corn. de fals., maiorem.

In istis
De quibus hic dicitur, qui utuntur litteris per alios impetratis.

In illis
Scilicet qui per se hoc procurant de quibus praemisit. Vel dic, in istis, id est, laicis; in illis, id est, clericis.

Negligentia
Haec tamen quandoque dolo comparatur, cum scilicet dissoluta est crassa et supina, ff. mand. vel cont., si fideiussor.

X 5.20.08 *Accedens*

Praesumi non debeat
Nota quod non praesumuntur litterae falsae quae sunt de simplici iustitia et quae de facili possunt haberi, sicut non praesumitur quod in re modica dolose agatur, ff. de dolo mal., si oleum § ulti.; cum lege sequenti ff. de dolo mal., id est. Unde si quis suggessit falsum in litteris quae sunt de simplici iustitia, non statim praesumendae sunt falsae nisi probetur quod ex certa scientia falsum suggessit, quia qui dicit quod falsum ex certa scientia suggessit, dolum allegat. Sed dolus ex perspicuis indiciis probari debet, C. de dolo mal., dolum. Si tamen alter vult probare ignorantiam, auditur. Sed qualiter eam probabit? Dico quod per iuramentum, infra, de sent. excom., si vero aliquis; et 34. q. 2, in lectum. Sed pone quod falsum affirmet circa rem propriam, cuius notitiam habuit? Praesumitur primo contra ipsum, quia non praesumitur quis ignorare factum propriae rei, C. de rescind. vend., quisquis, quod verum est. Sed illam praesumptionem elidit haec praesumptio, quia non praesumitur dolum commisisse circa litteras, quae de facili habentur, ut hic dicitur. Et sic una praesumptio elidit aliam circa idem factum, ff. de in int. rest., divus; supra, de praesump., litteras. Arg. contra supra, de elect., cum inter R.

Usus est
Simile infra, de excess. praelat., inter dilectos. Arg. contra supra, de crim. falsi, ad falsariorum, ubi non excusatur qui usus est falsis litteris ignoranter. Sed illud intelligendum est de his quae non sunt de simplici iustitia quae non possunt haberi de facili, unde illa praesumptio eos condemnat, hic excusatur a contraria praesumptione, in litteris de simplici iustitia non est praesumptio contra impetrantem. Unde per ignorantiam excusatur, si statim desistat quando scit eas falsas. Io.

X 5.20.09 *Ex conscientia*

Rasuras
Non in narratione facti, quia ex hoc nulla suspicio esset, supra, de fide instrum., ex litteris. Nec per talem rasuram facta fuit ambiguitas in nomine, supra, de fide instrum., inter dilectos. Contra habes quod rasura inducit suspicionem, supra, de relig. dom., cum venerabilis; et infra, de privileg., cum olim propter; et supra, de crim. falsi, licet § quinta, ubi de hac materia.

Sapientis
Modica suspicio non debet sapientis animum immutare, supra, de simon., etsi quaestiones; et 1. q. 1, iudices. Io.

Causae
Quod fieri potest, supra, de elect., cum dilectus, ubi de hoc, in fi. Et sub poena ordinis et beneficii potest se aliquis obligare, 1. q. 7, quotiens; et de conse. dist. 2, ego Berengarius. Ber.

Renunciandum
Supra, de regular., ad Apostolicam; et supra, de for. compet., dilecti; et supra, de for. compet., si diligenti; et C. de pacti., si quis in conscribendo; et C. de episc. et cler., si quis in conscribendo.

Imponatis
Sed numquid propterea est ecclesia illa adversario assignanda? Respondeo: non nisi probet primo se habere ius in illa, supra, de rescript., olim, in fi.

X 5.21 DE SORTILEGIIS

X 5.21.01 *In talibus*

Sorte
Sic electio per sortem non est facienda, infra, de sortileg., ecclesia. Arg. contra 26. q. 2, sors; et 26. q. 2, hi qui. Quia licet sors in sui natura non sit mala, tamen prohibetur ne propter assiduitatem labantur in idololatriam, sicut est in iuramento, 22. q. 1, considera. Et hoc capitulum 26. q. 2, hi qui, loquitur de comparativa permissione. Ibi potius permittuntur sortes quam ad daemonia consulenda concurrant, sic propter divinationes futuras sortes prohibentur, ut hic patet, et 26. q. 2, illud; et 26. q. 5, sortes; et 26. q. 5, pervenit. Quandoque tamen permittitur per sortem aliquid fieri, ut dicitur infra, de sortileg., ecclesia.

Quadraginta dies
Si laicus fuerit, communione ecclesiae privetur. Si vero clericus, officio et beneficio potest privari, 26. q. 5, non oportet; et 26. q. 5, si quis episcuopus; 26. q. 5, aliquanti. Et est arg. contra infra, de sortileg., ex tuarum; arg. contra infra, de sortileg., ecclesia, ubi non puniuntur.

X 5.21.02 *Ex tuarum*

Si tibi visum
Et ita tempus poenitentiae arbitrarium est, 26. q. 7, tempora poenitudinis. Sed minorem poenitentiam anno non posset imponere, ex quo Papa sibi annum praefixit, sed supra est ad arbitrium episcopi.

Liberum
Hoc intellige dictum ex dispensatione. Nam de iure communi debuit remanere privatus, et episcopus de iure contra illum processit, 26. q. 5, non oportet; et 26. q. 5, si quis episcopus; et 26. q. 5, aliquanti. Sed quia bono zelo per simplicitatem deliquit, Papa mandat ipsum restitui et episcopus auctoritate sua cum isto potuit si voluisset dispensare,

cum in casu isto ei hoc non sit prohibitum, et dispenset etiam in maioribus, 50. dist., presbyteros; et supra, de iudic., at si clerici, ubi de hoc. Ber.

X 5.21.03 *Ecclesia*

Potestatem
Simile habes supra, de elect., cum in iure. Dicunt tamen quidam quod idem esset si aliqua forma non fuisset expressa, quod possent unum de se eligere, ut dicitur in capitulo supra, de elect., cum in iure. Quod non credo, quia ubi simpliciter datur potestas eligendi tribus nulla forma adiecta, ita habent potestatem eligendi omnes, quod unus vel duo sine tertia eligere non possunt. Unde si duo eligant tertium, non valet quod faciunt, quia hanc potestatem non habent. Si ille eligat se cum aliis non valet, quia nemo seipsum eligere potest, supra, de instit., cum ad nostram. Quia alius debet esse electus et alii eligentes, ut ibi dicitur, sicut est inter baptizantem et baptizatum, supra, de bapt. et eius effect., debitum; et supra, de iure patron., per nostras; 24. q. 1, didicimus; et ff. de tutor. et curat., praetor; de testam. tut., ex sententia; ff. ad Trebel., ille a quo § tempestivum. Quia duplici officio fungi non potest, ut ibidem dicitur, sicut si tres iudices vel arbitrarii sint dati simpliciter sine illa clausula, quod si non omnes etc., duo sine tertio procedere non possunt, quia potestas indicandi ita data est omnibus, quod duo sine tertio vel alter sine altero procedere non potest, supra, de offi. deleg., uno delegatorum; supra, de offi. deleg., causam matrimonii. De hoc etiam dixi in capitulo supra, de offi. deleg., cum in iure. Sed cum datur aliquibus potestas eligendi de se vel aliis, si volunt aliquem eligere de se, tunc potestas eligendi remanet penes illos tantum, et eis solis data intelligitur, sicut quando committitur causa cum illa clausula, quod si non omnes etc. Sed si simpliciter datur aliquibus potestas eligendi, tunc non possunt aliquem eligere de se, sicut est in iudicibus, ut dictum est, et persona electa nullo modo debet computari inter eligentes, ut probatur supra, de elect., Cumana. Et ideo dicit hic quod eis licebat secundum traditam etc. Et hoc arg. non valet. Capitulum potest eligere unum de se, sed isti quibus data est simpliciter eligendi potestas funguntur vice capituli. Ergo possunt eligere unum de se. Capitulum enim eligit iure communi sive ordinario, sed isti non eligunt iure communi, sed potestate sibi concessa per capitulum. Ber.

Examinato
Et merito ad quem enim pertinet confirmatio et examinatio processus et personae, supra, de elect., nihil est; et supra, de elect., cum nobis; et supra, de elect., venerabilem; et supra, de translat., licet; et supra, de haeret., cum ex iniuncto, in fi.

Ad gratiam
Hoc ideo dicit, quia de iure debuit cassari, sed ipsum de gratia confirmavit.

In electionibus
Per hoc quod dicit, in electionibus, videtur quod in aliis usum sortis non reprobet, arg. 25. dist., qualis; et ff. de iud., cum praetor; ff. de testi., ex eo; et 15. q. 3, de crimine. Praeterea in multis casibus usum sortis admittimus, ff. de iud., sed cum ambo; ff. fam. ercis., si qui sunt; C. commun. de legat., si duobus, circa princ. Sed quare prohibetur usus talis in electionibus? Nonne Matthias sorte electus fuit, 31. dist., cleros, in princ.; et

sors non est aliquid mali, 26. q. 2, sors? Dicas quod licet Matthias et Ioannes sorte electi fuissent. Non tamen eorum exemplo eligendus est aliquis per sortem, ut 26. q. 2, non statim; et 26. q. 2, non exemplo, quia illud factum fuit divina inspiratione, sic 14. q. 5, dixit. Quod autem dicitur, sors non est aliquid mali, verum est considerata in se, sed ex causa prohibetur, ut dixi supra, de sortileg., in tabulis. Et praeterea hic non fuit servata forma concilii, supra, de elect., quia propter, ut videtur propter dissensiones vero et lites dirimendas sors admittitur circa iudicia, ut dicunt praedictae leges, in quo casu potest intelligi capitulum illud 26. q. 2, sors. Sed in electionibus licet ibi sit discordia, non licet per iura praedicta. Ber.

X 5.22 DE COLLUSIONE DETEGENDA

X 5.22.01 *Scripta fraternitatis*

Quod hi

Arg. quod plures accusatores possunt admitti contra unum super eodem crimine, supra, de accusat., licet; et 2. q. 1, in primis. Et plures procuratores admittuntur, supra, de testib., insuper. Hic enim admissi fuerunt plures accusatores, et in capitulo 2. q. 1, in primis, quod fieri non debet. Immo iudex debet eligere magis idoneum, ff. de accusation., si plures.

Qualitas

De amicitia laetatur et non de modo illo quo in amicitiam convenerunt. Et ideo praecipit inquiri de collusione, unde dixit Io. quidam sapiens phantasma, Deus non est remunerator nominum, sed adverbiorum. Hoc est dicere, non remunerat Deus bonum quod fit, sed quod bene fit. Unde non remunerat Iudaeos qui crucifixerunt Christum, licet mors Christi bona fuerit, quia propter hoc de poenis inferni nos redemit, et ideo non remuneravit eos, quia non bene fecerunt. Deus enim cor interrogat et non manum, 24. q. 5, si quid invenisti. Nec considerat quae fiunt, sed quo animo fiunt, 15. q. 7, sexta, in fi.

Dissimulare

Infra, de collus., crimina; et infra, de collus., audivimus; et infra, de collus., in tantum. Per hoc enim consentire videtur, arg. 44. dist., Ephesiis, in fi.; et 83. dist., error; et supra, de haeret., qui alios.

Gratiam

Arg. quod non liceat recedere a lite. Unde nota quod tria sunt genera causarum, scilicet civilis, criminalis et spiritualis. Dupliciter enim potest quis a lite recedere, per gratiam et per transactionem. In causa civili quandoque potest quis a lite recedere per gratiam. Et per transactionem sine aliqua poena vel nota, nisi in actione famosa in qua non licet transigere sine iudicis auctoritate; alias notatur infamia, ff. de his qui not. infam., furti § pactus. In causa vero criminali ante inchoatam litem licitum est desistere per gratiam, ff. ad Turpil., mulier; et ff. ad Turpil., quaesitum. Post inchoatam litem non licet sine iudicis auctoritate et sine consensu rei, si fuit suppositus tormento, C. de abolit., fallaciter; vel si ex hoc remaneret infamatus, ut arg. 5. q. 1, quidam. Et si destiterit, incidit in Turpillia si publicum crimen intendit, C. ad Turpil., is demum. Et fideiussor punitur in quantitate

promissa et accusator notatur infamia et extraordinarie pro motu iudicis punitur, ff. ad Turpil., qui destiterit; ff. de cust. reo., si quis reum; et ff. de praevaric., praevaricationis, in fi.; et ff. de praevaric., si vero privatum; extraordinarie punitur, ff. ad Turpil., si quis repetere, in fi. Pro motu iudicis secundum canones omne crimen quasi publicum consetur, unde per transactionem seu gratiam a lite recedere non licet, arg. hic, et infra, de collus., crimina; et infra, de collus., in tantum. Quod si fecerint inter se gratiam vel aliquam collusionem, iterum inquiretur de crimine, ut hic patet, et infra, de collus., crimina; et infra, de collus., in tantum. Iudex tamen si in crimine illo posset dispensare, praestare potest auctoritatem si voluerint inter se gratiam facere, arg. 5. q. 2, si primates; et 15. dist., canones; et 15. dist., studendum. In causa spirituali bene licet a causa recedere per gratiam, per transactionem vero non, ut proprie intelligas transactionem, supra, de rerum perm., exhibita; supra, de transact., super eo. In causa vero criminali vel matrimoniali neque per transactionem neque per gratiam seu compositionem licet discedere, supra, de transact., ex parte. Ergo si aliqui gratiam faciant inter se indebito modo, iudicis est inquirere, ut hic patet per totum, C. de gen. abolit., indulgentia; et C. de gen. abolit., cum eo. Ubi autem ex iusta causa vult discedere, iudex debet indulgere abolitionem, 2. q. 3, si quem poenituerit; et 2. q. 3 § praevaricator; C. de abolit., praeses; et C. de abolit., abolitio. In causa mixta, puta cum agitur ad tori separationem potest quando vult discedere, arg. supra, de divort., ex litteris. Quia non solum septies sed etiam septuagesies etc., supra, de iureiur., quemadmodum. Ala.

Caritatem
Si enim ex caritate hoc fecerunt accusatores, possent tolerari. Sed ex praemio non, ut hic dicit, et infra, de collus., crimina.

X 5.22.02 *Crimina*

Gregorius
Gregorius iste secundus fuit vel tertius forte, et loquitur de primo.

Praeteribat
Quia undecumque crimina claruerint, punienda sunt, 24. q. 3, ecce; et supra, de collus., scripta; et 86. dist., si quid; et 2. q. 3, si quem § notandum.

X 5.22.03 *Audivimus*

Collusione
Collusio est inter actorem et reum latens et fraudulenta conventio. Colludium enim non debet remanere impunitum, 2. q. 3, si quem poenituerit.

Pensionem
Haec pensio constitui non potest sine auctoritate episcopi. Unde vitam eius qui soluit non excedat, etiam si per collusionem facta non fuerit, supra, de transact., de caetero. Et est simile supra, de pact., cum clerici. Ber.

Spoliare
Per talem collusionem praeiudicium fit huic episcopi, quia sic praecluditur via super ordinatione ecclesiae suae, ut hic dicitur. Unde non tene eo absente facta etiam si sententia lata fuisset, ff. de re iud., de unoquoque; et ff. de collusio. det., cum non iusto; et ff. de collusio. det., sententiam. Unde merito spoliandi sunt illis ecclesiis propter dolum et fraudem taliter perpetratam. Dolus tamen talis impunitus remanere non debet, ne malitia sit illis lucrosa, ff. de dolo mal., hoc edicto, in princ.; et ff. de dolo mal., ne ex dolo. Nec est aequum quemquam suum dolum relevare, ff. pro soc., verum § tempus; et ff. de regul. iur., non fraudantur, in fi.; 16. q. 1, legi. Et ex eo quod deliquerunt, non debent esse melioris conditionis, ff. de donat. inter vir. et uxor., haec ratio § qui in eiusdem; et ff. de fur., itaque fullo § sed nemo; ff. quod vi aut cla., servus.

X 5.22.04 *In tantum*

Dissimulare
Sic supra, de collus., scripta.

Scandalo
Tunc vere debet praelatus inquirere de excessibus subditorum, cum per famam quam scandalum generat ad ipsum pervenerit, supra, de accusat., qualiter et quando 2; et 86. dist., si quid.

Periculo
Quantum ad exemplum, quia quod agitur a praelatis facile trahitur a subditis in exemplum, supra, de voto et vot. redem., magnae; et 11. q. 3, praecipue; vel quo ad dilapidationem, si in hoc laborat. Ber.

Tergiversationes
Tergiversari est in universum ab accusatione desistere, ut 2. q. 3, si quem § notandum. Unde potest exponi tergiversationes, id est, versutias sive calliditates de quibus induxit inquisitores ut desisterent ab inquisitione.

Colludente
De colludio puniri debet poena legibus consituta, 2. q. 3, si quem poenituerit. Et nihilominus inquiretur iterum de criminibus illis, ut hic dicitur, et supra, de collus., scripta. Omnes enim calumniosi pro qualitate commissi criminis extra ordinem puniuntur, ff. ad Turpil., et in privatis; ut si privatum sit crimen, officio iudicis culpa eius coercetur, ff. ad Turpil., si quis § ulti.; ff. de praevaric., sciendum. Si vero publicum, infamis efficitur, ff. de praevaric., si is qui § ulti.; ff. de praevaric., sciendum. Ad similitudinem istorum videtur quod iste esset puniendus, licet non dicatur praevaricator seu calumniator proprie, quia non licet taliter corrumpere iudicem aut etiam testes, supra, de collus., audivimus. Si de hoc constiterit, tam ille quam examinatores sive inquisitores et testes puniri possent officio iudicis extraordinaria poena, tamen non dicit quod puniatur sed iterum inquiratur de his et aliis, ut in fine puniatur. Ber.

Novis
Bene dicit, super novis, quia de delicto unius hominis saepius quaeri non debet, ff. naut. caup. stab., licet, in fi.; et supra, de accusat., de his; et supra, de accusat., licet. Quia crimen semel dimissa iterum in ultionem venire non patimur, 23. q. 4, si illic; de poen. dist. 4, divina clementia; et 3. q. 1 § prohibentur; et 3. q. 1 § ab alio delatum.

X 5.23 DE DELICTIS PUERORUM

X 5.23.01 *Pueris*

Grandiusculis
Id est, doli capacibus, videlicet septem anni. Tales enim et mentiri et verum dicere, et confiteri et negare possunt, ut dicit Augustinus in epistola ad Renatum episcopum, ut habetur in glossa Augustini super capitulo de conse. dist. 4, parvuli.

Pubescere
Ante enim pubertatem quae in anno quarto decimo solet evenire non praesumitur de quoquam nisi etiam malitia suppleat aetatem, supra, de despon. impub., de illis 2; et supra, de despon. impub., tuae nobis.

Non esse peccata
Quasi diceret nullus, cum iuramentum pupilli valeat, ff. de liber. caus., licet dubitatum. Ergo potest peierare. Item potest committere furtum cum est doli capax, ff. de fur., impuberem. Arg. contra ff. de iureiuran., qui iurasse, sed ibi non fuit doli capax. Tenentur ergo tales pueri ex delictis, C. si adv. del., in criminibus; et C. de poe., impunitas. Arg. contra de conse. dist. 4, eos; et C. de fals. mon., quoniam; et ff. de aedil. edict., cum autem § excipitur. Sed hoc intellige cum non sint doli capaces vel quo ad minorem poenam. Laur.

Non ita
Sic ergo ratione aetatis mitius agitur, ff. de minor., auxilium § etiam; et ff. de minor., si ex causa iudicati. Item nota quod omne delictum cadit in puerum postquam est doli capax praeter delictum carnis, ff. de Sil., cum aliter § impubes; et ff. de Sil., excipiuntur. Arg. contra infra, de delict. puer., referente; sed ibi solvitur.

X 5.23.02 *Referente*

Requirebat
Unde dictus H. ad sedem Apostolicam appellavit.

Inultum
15. q. 1, illud. Sed illud intellige de eo qui non est doli capax. Unde expone inultum, id est, non perfecte ultum, ut supra, de delict. puer., pueris; ff. de minor., auxilium § 1; et ff. de minor., si ex causa iudicati § 2; et C. de poe., impunitas; C. si adv. del., in criminibus; et C. si adv. del., licet; et ff. de damn. infect., damni § si pupillus; et 21. q. 5, si quis cuiuslibet, verumtamen punitur. Sed unde hoc quod non punitur propter talem excessum?

Non dicit quod non punitur secundum iura, maxime cum daret operam licitae rei et esset decem anni. Sed dicit quod propter illam consuetudinem pecuniam illam pro temporali poena non exigat si erat infra quatuordecim annos, cum ille puer nihil habeat et pater pro filio non est conveniendus, C. ne fil. pro pat., neque; nec dominus pro servo, ff. de peculi., licet § ex furtiva, maxime ratione aetatis. Et quia delictum extra venit, non ex animo licet in culpa fuerit et ideo noxam non commisit. Unde habet in integrum restitutionem si voluerit, C. si adv. del., in criminibus. Et pater eius nomine petere posset si pecuniaria poena esset sibi imposita, ff. de minor., pater pro filio, 1. resp. Irregularis tamen fuit effectus et poena spirituali debet puniri sive canonica. Et ex eo quod dicit, pro temporali poena, mitius tamen agitur cum eo propter aetatem, supra, de delict. puer., pueris.

Infra quartum decimum annum
Ex hoc videtur quod si fuisset supra quartum decimum annum, quod abbas illam poenam posset exigere, forte quia habebat ibi temporalem iurisdictionem. Et potest sumi argumentum ex hoc quod ab episcopo habente regalia a principe, pro regalibus illis appellandum sit ad dominum Papam et non ad principem, quod verum est nisi consuetudo aut privilegium contrarium inducat, infra, de appell., extravag. Romana § debet. Vel forte abbas hoc habuit ex consuetudine iam praescripta, ut pro homicidio poenam pecuniariam exigat. Arg. contra infra, de poeni., licet. Sed illud ibi etiam solvitur.

X 5.24 DE CLERICO VENATORE

X 5.24.01 *Episcopum*

Non licet
Supra, ne cler. vel mon. saecul. neg., multa; 34. dist., quorundam; 86. dist., an putatis; et supra, de censib., cum Apostolus; et infra, de cleri. ven., omnibus.

Voluptate
Ergo videtur quod causa necessitatis vel recretationis licitum sit, quod posset concedi aliis clericis excepto episcopo cui omnino non licet, 34. dist., quorundam. Dummodo clamosam venationem evitent, 86. dist., an putatis. Et non saepius ut hic dicit ne in consuetudinem perducatur. Quaedam enim venatio dicitur oppressiva hominum, et haec omnino illicita est, 6. dist., non est peccatum § his itaque. Et est adulatoria quae fit per verba, et haec est illicita, 86. dist., qui venatoribus; et 46. dist., sunt nonnulli; et 6. q. 1, sunt plurimi. Et est arenaria quae fit in arena et mala, 3. q. 6, infamis § tria. Saltuosa et clamosa licita est laicis, de qua dicitur in capitulo 86. dist., an putatis. Sed clericis omnino non licet talis venatio. Sed quieta, ut dictum est, causa necessitatis vel recreationis. Episcopo, presbytero, diacono et subdiacono qui cum diacono eodem gaudet privilegio, ut supra, de serv. non ordin., miramur. Ex toto prohibetur, quia de illis fit hic tantum prohibitio.

Officio
Plus punitur hic minor quam maior, quod est contra illud, 40. dist., homo Christianus; et 19. dist., nulli. Solutio: plus punitur hic episcopus et presbyter quam diaconus, maior

enim reputatur in episcopo ista poena vel presbytero quam suspensio ab omni officio in diacono propter maius scandalum, et magis imputatur illa poena episcopo vel presbytero quam suspensio a beneficio in diacono vel subdiacono, ex persona enim consideratur iniuria, Inst. de iniuri. § atrox. Sic et poena ex persona iudicatur parva vel magna. Ber.

X 5.24.02 *Omnibus*

Omnibus servis
Id est, clericis, qui specialiter dicuntur servi Dei qui in sortem domini ad eius obsequium specialiter sunt assumpti, supra, de praeben., cum secundum Apostolum; et 21. dist., cleros et clericos.

X 5.25 DE CLERICO PERCUSSORE

X 5.25.01 *Si quis*

Percussor extiterit
Tales enim percussores esse non debent, 45. dist., quid autem; et 45. dist., episcopum, ubi isti in sacro ordine constituti percussores esse prohibentur, et quasi per totum, et 86. dist., non licet; et in Auth. de sanct. episc. § sed neque, coll. 9; quam habes C. de episc. et cler., authen. sed neque.

Si non emendaverit
Ergo si se emendaverit, non deponitur. Sic 35. dist., episcopus. Et est arg. quod non quodlibet mortale semel commissum sufficit ad damnationem, arg. 35. dist., episcopus; et 35. dist., ante omnia. Et intelligo de eo qui in usu habuit percutere in ludo noxio, qui non caret culpa, ff. ad leg. Aquil., nam ludus. Alioquin crimen percussionis semel commissum non sufficit ad depositionem, ut hic patet. Ita tamen quod ex tali percussione non procedatur ad enormem laesionem, quia sic deponeretur, 55. dist., si Evangelica; et infra, de cleri. percus., praeterea, arg.

X 5.25.02 *Praeterea*

Crudeliter
Quod facere non debuit sed moderate, arg. supra, de rapt., in archiepiscopatu; et 45. dist., cum beatus; et ff. ad leg. Aquil., praeceptoris; et infra, de sent. excom., cum voluntate; et 23. q. 5, circumcelliones, vers. fi. Ber.

Post octo menses
Ex temporis prolixitate praesumitur, quod non ex illa percussione defuncta sit. Et econverso ex temporis brevitate contrarium praesumitur, 50. dist., si qua femina. Si enim occasionem mortis dedisset, in perpetuum deberet abstinere, supra, de homic., de caetero; et 50. dist., studeat. Et hic est arg. contra Bart. qui dixit in 50. dist., studeat, illum presbyterum non teneri de occiso sed de vulnerato si de casu interiit, et casus ex percussione processit, ff. ad leg. Aquil., qui occidit § ulti. Ber.

Duobus
Supra, de cleri. ven., episcopum. Si enim percuteret ut per hoc timeri vellet, ab officio suo debet repelli, 45. dist., episcopum. Ber.

X 5.25.03 *Praesentium*

Repellebant
Ideo rei licitae operam dedisse videtur, quia licitum est se defendere, infra, de sent. excom., ex tenore; et violentiam repellere, 23. q. 3, fortitudo; et 23. q. 3, si quis; et 23. q. 3, non inferenda. Sed ulcisi non licet, 46. dist., seditionarios. De hoc dixi supra, de homic., significasti 2.

Proiecit
Unde dubium videri poterat an fuisset in culpa vel non. Contra arg. 23. q. 8, si quatuor; 50. dist., si quis viduam; et supra, de cleri. pug., Henricus. Sed iste aliquem non percussit ut supra dicit, et hoc constabat. Intellige alias si dubium esset repelleretur, ut dicunt contraria praedicta, arg. ad hoc ff. de testam. tut., duo sunt; et ff. de manum. test., cum ex pluribus; 24. dist., quando; et 24. dist., nullus; et 2. q. 5, omnibus. Ber.

Abstinere
Ad cautelam saltem et ut clerici tales conflictus evitent, et est arg. quod aliquis punitur ex alterius facto vel culpa.

X 5.25.04 *Continentia*

Ad resistendum
Quod licet supra, de cleri. percus., praesentium, ubi de hoc cum suis concordantiis.

Neque facto
Sic 50. dist., si quis viduam; et supra, de cleri. pug., Henricus.

Ad subdiaconatus
Et non ultra, licet ergo dispensetur cum isto in subdiaconatu, non tamen poterit promoveri ad superiores ordines. Iste enim fuit in culpa assumendo arma, quod ei non licuit, 16. q. 3, porro; et 23. q. 8, quicumque. Nam lacrimae et orationes sunt arma clericorum, 23. q. 8, convenior. Etiam contra hostes, supra, de voto et vot. redem., ex multa. Unde punitur quia sine dispensatione non promovetur, etiam favore religionis cum eo facilius dispensatur, supra, de apostat., ex litterarum.

X 5.26 DE MALEDICIS

X 5.26.01 *Innotuit*

In depressionem
Et male, quia principi nemo maledicere debet, 23. q. 1, paratus. Et non solum principi detrahi non debet, immo nec fratribus, 6. q. 1, summa. Et detrahentem secreto proximo

suo hunc persequebar, 23. q. 4, minimum; et 23. q. 4, qui peccat; et de poen. dist. 1, homicidiorum; arg. infra, de excess. praelat., quam sit.

A temeritate
Id est, pertinacia, 11. q. 1, si quis sacerdotum. Arg. contra quod enim ex temeritate sive calore iracundiae fit, veniam meretur, 2. q. 3, si quem § notandum; et 2. q. 3, si quem § si quis iratus; C. de iureiuran., cum et iudices. Et dicit imperator, si quis putaverit nostra nomina lacesienda, si hoc ex levitate, contemnendum est; si ab insania, miseratione dignum; si ab iniuria, remittendum, C. si quis imp. maled., si quis; et 23. q. 4, inter querelas; et C. de episc. et cler., si quis in hoc. Quare ergo mandat Papa quod compescat contra iura praedicta? Sed Papa non mandat hic puniri propriam iniuriam ratione personae, sed quatenus contingit Romanam ecclesiam quam etiam iniuriam remittere non posset, 63. dist., Salonitanae. In quo casu loquitur 23. q. 4, Guilisarius; et 23. q. 4, si is qui. Vel potest dici quod aliquis bene potest punire iniuriam sibi factam a subdito suo, maxime cum nullum habeat superiorem, ut hic, et arg. 45. dist., et qui emendat. Et praedicta iura loquuntur de benignitate seu de mansuetudine, quia nullus tenetur remittere iniuriam sine satisfactione nisi velit, sed rancorem sic, de poen. dist. 5, fratres; et 23. q. 4, si illic; 90. dist., si quis contristatus.

Terrorem
Sic enim poena unius debet esset metus alterius, 2. q. 7, qua propter; et supra, de Iudae. et Sarrac., ad liberandam, ubi de hoc; et supra, de calumniat., cum dilectus.

X 5.26.02 *Statuimus*

Blasphemiam
Qui blasphemiam dicit in Deum sive in Spiritum Sanctum, neque in hoc saeculo neque in futuro remittetur ei, 25. dist., qualis; supple nisi poenituerit. Et longe gravius est aeternam quam temporalem laedere maiestatem, supra, de haeret., vergentis. Sed qui contra temporalem maiestatem delinquit, punitur, supra, de maledic., innotuit; et 6. q. 1, quaero § rerum; C. ad leg. Iul. maiest., si quis cum militibus. Ergo multo fortius isti puniendi sunt et gravius, quia maiora delicta maioribus poenis sunt punienda et in delicto aequali decet proximas esse poenas, in Auth. ut frat. fil. succed., coll. 9, vers. fi. Et quia hoc est gravius quam in capitulo proximo punitur gravius, quia gravius commissum intelligitur, 24. q. 1, non afferamus, in fi. Et secundum leges ultimo supplicio punitur, in Auth. ut non lux. cont nat., § 1, coll. 6. Sed secundum canones olim laicus excommunicabatur, clericus deponebatur, 22. q. 1, si quis per capillum.

Ingressurus
Quia qui peccat in Deum peccat in eius ecclesiam et econverso. Unde privatur eius ingressu, sic 12. q. 2, de viro; et 17. q. 4, frater. Nec debet eis poena remitti qui in Deum peccant, 63. dist., Salonitanae; et 23. q. 3, si is qui.

Facultates
Sic supra, de voto et vot. redem., venientis.

X 5.27.01 Si quis episcopus (rev. 9/23)

Commutetur
Arg. de commutatione poenae, 82. dist., presbyter; et 22. q. 4, innocens. De hoc dixi supra, de voto et vot. redem., de peregrinationis. Ber.

Potestatem
Arg. quod una iurisdictio per aliam iuvatur, 10. dist., quoniam; et 96. dist., cum ad verum; et 17. dist., nec licut; supra, de offi. ord., quoniam, in fi.

Contra eum
Id est, potestatem. Et ita habes hic quod si iudex saecularis negligit facere iustitiam, potest compelli per ecclesiam, 23. q. 5, administratores; et 96. dist., cum ad verum.

Usualis monetae
Idem esset si hoc non fuisset adiectum, ut de moneta quae in usu habetur solvatur secundum consuetudinem loci, ff. de leg. 1, si servus § si numerus; et ff. de leg. 3, nummis; et ff. de instruc. vel instrum., cum de lanionis § asinam, in fi. Ber.

X 5.27 DE CLERICO EXCOMMUNICATO DEPOSITO VEL INTERDICTO MINISTRANTE

X 5.27.01 *Si quis episcopus*

Diaconus
Idem est de omnibus aliis, infra, de cleri. excom., si quis presbyter; et 11. q. 3, episcopus.

Iuste
Idem esset si iniuste nisi prius restitutus fuisset, 11. q. 3, episcopus. Dummodo sententia non sit lata contra ordinem iuris, quia tunc nulla est sententia, 2. q. 6, ei qui § diffinitiva; supra, ut lite non cont., accedens 1.

Ab ecclesia
Arg. contra 2. q. 5, qua de causa. Sed ibi dispensatum fuit, 63. dist., Salonitanae.

X 5.27.02 *Si quis presbyter*

Degradatus
A suo episcopo adiunctis sibi aliis sex episcopis in degradatione presbyteri, 15. q. 7, felix; et 15. q. 7, si autem. Sed pone degradatum celebrare, numquid conficit? Videtur quod sic, quia ordinem non amisit, 20. q. 3, eos qui; 1. q. 1, quod quidam; et de conse. dist. 4, ostenditur; 22. q. 7, licite. Arg. contra 50. dist., accedens; 11. q. 3, episcopus; 81. dist., dictum; 23. q. 8, clerici; 54. dist., nulli. Rich. dixit quod talis non conficit. Potuit enim ecclesia ei auferre illam potestatem quam contulit, quamvis non possit character auferri, sicut nec insignia militi. Laur., Ala. et Tanc. dicunt et melius quod bene conficit depositus sicut haereticus, arg. 1. q. 1, neque; et 1. q. 1, quod quidam. Nec Papa potuit auferre illam virtutem. Et hoc verum credo unde talis excommunicatur, ut infra dicitur, quia facit rem sibi prohibitam.

BOOK V **X 5.27 DE CLERICO EXCOMMUNICATO DEPOSITO VEL INTERDICTO MINISTRANTE**

X 5.27.03 Clerici autem (rev. 9/23)

Praesumpserit

Quasi in officio suo ut prius, quod non licet, 11. q. 3, si quis episcopus in concilio; et 28. dist., presbyterum. In modum enim privati suffragii potest dicere horas suas, quod etiam potest laicus, arg. bonum infra, de poenit. et remiss., quod in te.

Excommunicatum

Ipso iure, 11. q. 3, cum excommunicato. Et intellige de minori.

Observandum est

Ut talibus nullus communicet. Alias similiter sunt excommunicati minori excommunicatione, 11. q. 3, excommunicatos. Et nisi destiterint sunt excommunicandi, infra, de sent. excom., quod in dubiis § 2; et infra, de cleri. excom., si celebrat, in fi.

Regis iudicio

Ubi enim ecclesia per se perficere non potest, invocandum est auxilium saeculare, ut hic dicit, et supra, de offi. ord., perniciosa; et supra, de offi. ord., quoniam, in fi.; et 17. dist., nec licuit; 11. q. 1, petimus. Et ita utraque potestas per alteram iuvari debet, supra, de maledic., statuimus, ubi de hoc. Et potest per ecclesiam compelli, ut ibi dicitur.

X 5.27.03 *Clerici autem*

Moniti

Ergo videtur quod si emendare se volunt, non deponentur, sed hoc intellige dictum dispensative, et ita non contradicit infra, de cleri. excom., latores; et infra, de cleri. excom., illud. Et sic patet quod quicumque celebrat excommunicatus vel ab officio suspensus privari debet de iure officio et beneficio et deponi etiam. Sed numquid episcopus potest cum talibus dispensare sive legatus de latere domini Papae missus? Arg. quod legatus possit, quia vicem gerit delegantis et absolvit excommunicatos quorum absolutio sedi Apostolicae reservatur, supra, de offi. legat., quod translationem; et infra, de sent. excom., quamvis; et infra, de sent. excom., ad eminentiam. Dicas ergo quod nec episcopus nec etiam synodus in hoc dispensare potest, 11. q. 3, si quis episcopus damnatur; et 11. q. 3, si quis episcopus in concilio; arg. infra, de eo qui furt. ord. recep., veniens; et 2. q. 5, qua de causa. Nec etiam legatus, licet possit absolvere excommunicatum, et sic solus Papa hic dispensat. Et hoc hodie expressum est in duabus decretalibus Inno. iiii, supra, de re iudic., extravag. cum aeterni; et infra, de sent. excom., extravag. cum medicinalis. Sed potest quaeri utrum idem sit in deposito, ut solus Papa ipsum restituat? Hug. dicit quod solus Papa hoc potest, et probatur 7. q. 1, si quis presbyter; tamen cum distinctione, si episcopus ipsum deposuit tantum cum aliis episcopis a sacerdotio, potest eum recipere in inferioribus ordinibus, et sic de aliis ordinibus, arg. 15. q. 8, qui admisit; et 15. q. 8, si quis presbyter. Si vero depositus ab omnibus ordinibus solus Papa ipsum restituit. Sed contra habes 11. q. 3, episcopus; ibi dicitur quod si in secunda synodo innocens inveniatur, non potest esse quod fuerat nisi gradus amissos recipiat de manu episcoporum. Sed illud intelligitur cum iniuste depositus fuit, puta per falsos testes vel falsa instrumenta, unde dicitur ibi: si innocens inveniatur. Sed ubi iuste pro crimine depositus est, solus Papa tales restituit.

X 5.27.04 *Latores*

Deponas
Ecce poena illorum qui excommunicati, suspensi vel interdicti divina officia celebrant, ut dictum est supra, de cleri. excom., clerici.

Multitudinem
Hic ergo non parcitur multitudini. Arg. contra 50. dist., ut constitueretur; et 44. dist., commessationes; 9. q. 1, ordinationes; et supra, de temp. ord., sane, ubi de hoc; et 23. q. 4, non potest; et 23. q. 4, ipsa pietas; 1. q. 7, quotiens. Sed ista contraria locum habent ubi scandalum timetur, ut multorum strages iacet si servetur rigor. Alias si non contemnatur disciplina ecclesiae in populis, sed ut patienter sustineat, tunc ferienda est multitudo, 23. q. 3, non potest, in fi.; et de poen. dist. 6, in fi. Item habes hic quod ultra quadraginta dicuntur multi, sic supra, de testib., placuit, in fi. Aliquando etiam duo dicuntur multi, Inst. de iure pers., in fi. arg. Aliquando etiam viginti tres milia pauci dicuntur, 45. dist., disciplina; 23. q. 4, quod autem. Multa igitur et pauca in respectu dicuntur.

Magis
Hi enim magis peccant, et ideo magis puniendi sunt, 86. dist., tanta; et 24. q. 3, qui aliorum. Et in quo maior est culpa maior debet exerceri vindicta, supra, de haeret., excommunicamus itaque § credentes, ubi de hoc plures invenies concordantias.

Ab officio
Et etiam a beneficio, quia ubi unum propter alterum, utrobique tantum unum, 86. dist., eos. Quid si episcopus dicat: suspendo te a beneficio, numquid potest celebrare? Ita quidem, si suspendit ipsum tantum a beneficio. Item poterit ne beneficium acquirere? Ita quia non intelligitur illum a beneficio suspendisse, nisi quo ad se, nisi specialiter feratur sententia vel removeatur ab officio. Tunc enim beneficia sequela est, et ideo removetur ab illo, ut supra, de appell., pastoralis; arg. praedicti capituli 86. dist., eos; et capituli praecedentis nisi specialiter ei conservaretur, 28. dist., presbyterum; et 50. dist., studeat; et 50. dist., accedens. Quid si episcopus ita dicat: suspendo te ab officio vel beneficio, numquid debeo abstinere ab utroque? Ita credo saltem propter dubium, arg. infra, de cleri. excom., illud; C. de ver. sig., cum quidam; et de conse. dist. 2, in calice; arg. ff. de reb. dub., si is qui ducenta § cum ita. Arg. quod a neutro suspensu est propter dubium, ff. de testam. tut., duo sunt; et ff. de manum. test., cum ex pluribus.

Secundum discretionem
Et ita poenitentia arbitraria est, 26. q. 7, tempora poenitudinis. Et fit haec dispensatio auctoritate domini Papae, quia per se non posset, ut dictum est in proximo capitulo.

X 5.27.05 *Illud*

X 5.27.05 Illud (rev. 9/23)

Et infra

De isto episcopo habes supra, de translat., quanto; et supra, de translat., licet; et supra, de maior. et obed., illud.

Non esse notorium

Hoc erat tale factum quod exhibebat se oculis omnium. Unde non poterat non esse notorium si transivit ad ecclesiam illam. Sed utrum licite poterat vel illicite, hoc non erat notorium saltem quo ad alios, quia potuit esse quod habuit licentiam transeundi a domino Papa per litteras suas, arg. 76. dist., dilectionis. Unde in meliorem partem debemus hoc interpretari, infra, de reg. iur., estote. Quia Papa potuit de hoc oblivisci, quia ipsum quandoque fallit oblivio, 23. dist., praeterea. Et omnium habere memoriam potius est divinitatis quam humanitatis, C. de vet. iure enucl., tanta § si quid. Contrarium est verum, quia ex quo Papa hoc diffitetur, ei incumbit probatio quod de ipsius licentia transisset, 100. dist., contra morem; 93. dist., illud.

Viginti dies

Sic supra, de crim. falsi, dura.

Misericordiam

Sic supra, de translat., inter corporalia, vers. fi.

Officia

In hoc deliquit, quia nec excommunicatus nec suspensus publice vel privatim celebrare debet, nec sacramenta alii dare, 28. dist., presbyterum. Sed alia officia praeter missam potest occulte dicere non officiando, sed quasi privata persona, infra, de poenit. et remiss., quod in te; et 11. q. 3, si quis episcopus damnatur; et 11. q. 3, si quis episcopus in concilio. Io.

In hoc

Scilicet quia non constabat ei nisi per famam de illa excommunicatione. Sed fama per se non probatur, 4. q. 3, si testes, vers. item saepe. Arg. contra supra, de cons. et affin., super eodem, ubi ad solam famam matrimonium contrahendum impeditur, ergo iste propter famam debuit abstinere, infra, de sent. excom., cum desideres § 1. Sed non in tantum culpabilis fuit, quantum si hoc pro certo scivisset, et ideo dicit licet in hoc non videatur omnino culpabilis extitisse. Sed dicta paucorum ad hoc non sufficerent, quia non faciunt famam, supra, de accusat., inquisitionis. Nec tenebatur credere licet diceretur ei ab aliquibus, 11. q. 3, non solum; et 11. q. 3, in cunctis; et 23. q. 4, quam magnum; et ff. quod fals. tut., si id; et ff. quod fals. tut., plane; nisi fama super hoc pervenisset ad eum, prout sequitur. Arg. contra ff. de admin. tut., quidam decedens § ex quo; et C. de rei vend., si fundum; et supra, de rescript., cum contingat.

In dubiis

Sic supra, de spons., iuvenis; et supra, de homic., significasti 2; et supra, de homic., petitio; et supra, de homic., ad audientiam, ubi de hoc; et arg. 23. q. 1, quid culpatur, in fi.

BOOK V **X 5.27 DE CLERICO EXCOMMUNICATO DEPOSITO VEL INTERDICTO MINISTRANTE**

X 5.27.06 Fraternitati (rev. 9/23)

Veniae

Sub spe veniae nullus debet peccare, de conse. dist. 4, quando quis. Arg. contra infra, de sent. excom., si vero alicuius.

Vitari

In hoc quasi patitur, in alio, scilicet in non vitare, agit quod est in eius potestate. Et ideo in uno peccat, in altero non peccat quandoque tamen non multum differunt agere et pati posse, 16. q. 1, si cupis.

Canon

11. q. 3, si quis episcopus damnatur; et 11. q. 3, si quis episcopus in concilio; et infra, de cleri. excom., fraternitati; et supra, de cleri. excom., latores. Hanc misericordiam solus Papa potest facere, infra, de cleri. excom., clerici.

X 5.27.06 *Fraternitati*

Spoliare

Immo posset eos perpetuo deponere, supra, de cleri. excom., latores. Dispensare tamen cum eis non potest, ut dictum est supra, de cleri. excom., clerici. Ber.

X 5.27.07 *Postulastis*

Non debeat

11. q. 3, cum excommunicato.

Retinere

Immo si prius alia beneficia habebant eis sunt privandi, supra, de aetat. et qualit., cum bonae.

Dispensatum

Non dicit a quo, ergo videtur relicta potestas dispensandi episcopis, arg. infra, de sent. excom., nuper. Dic ut supra, de cleri. excom., clerici.

Canonice

Si non sunt illa canonice consecuti, perdere debent illa. Sic supra, de aetat. et qualit., cum bonae. Cum essent excommunicati, indigni erant et inhabiles ad aliqua beneficia percipienda, quia tales nec eligere nec eligi possunt, supra, de elect., cum inter R; et supra, de consuet., cum dilectus; nec impetrare litteras, supra, de rescript., dilectus filius 1.

A collatione

Ut puniatur in quo deliquit, supra, de temp. ord., litteras. Immo et a perceptione proprii beneficii suspendatur, quia scienter indigno beneficium contulit, supra, de elect., nihil est. Ber.

X 5.27.08 Proposuit (rev. 9/23)

Mereantur
Per suum superiorem.

Celebrare
Propter quod suspensi sunt et irregulares, ut notatur infra, de excess. praelat., tanta. Unde possent deponi, supra, de cleri. excom., latores.

Spoliandi
Nec auditur si dicat quod sit iniuste excommunicatus, arg. supra, de cleri. excom., illud. Sicut etiam non auditur cui opus novum nunciatur, nec obtemperat, ff. de novi operis nunc., hoc edicto § in operis.

Arctioribus
Supra, de simon., de regularibus; et supra, de simon., quoniam.

X 5.27.08 *Proposuit*

Tempore
Tempus ergo investiturae considerari debet, utrum tunc fuerit excommunicatus vel non, supra, de cleri. excom., postulastis; et supra, de aetat. et qualit., cum bonae. Sicut in impetratione rescripti tempus datae considerandum est an tunc fuerit excommunicatus, supra, de rescript., dilectus filius 1. Quia si postea excommunicetur, non perditur rescriptum sed suspenditur quamdiu absolvatur. Sic intelligitur supra, de offi. deleg., prudentiam § sexta. Sic et tempus electionis consideratur an tunc sit idoneus, supra, de elect., dudum ad audientiam, ubi habes similiter quod initium spectandum est.

De absolutione
Et sic probavit ille poenitentiarius, quod magister P. fuit excommunicatus. Et ipse P. probavit postea quod fuit absolutus ante suam institutionem. Et ita intelligitur hic quod quia fuit excommunicatus praesumitur quod adhuc sit excommunicatus, nisi probaverit se absolutum prout ipse P. fecit. Et ita quicumque absolvitur saltem ad cautelam semper obtineat litteras absolutionis, et ita cum aliquis dicit aliquem excommunicatum, et ille dicit se non esse excommunicatum, utriusque testes sunt admittendi in tali dubio, arg. infra, de sent. excom., per tuas; et supra, de testib., cum tu; et supra, de offi. deleg., cum contingat; sic supra, de praescrip., illud; et supra, de praescrip., auditis.

Communione
Haec non fuit sufficiens ratio ad probandum absolutionem, infra, de sent. excom., cum desideres. Sed est praesumptio quadam, 11. q. 3, quibus episcopi; 93. dist., si inimicus; arg. infra, de sent. excom., in praesentia; et infra, de privileg., cum olim essemus.

X 5.27.09 *Apostolicae*

Apostolicae
Haec decretalis pars est illius supra, de except., Apostolicae.

X 5.27.10 Si celebrat (rev. 9/23)

Probabilis

Sic ergo probabilis ignorantia tantum excusat, et non crassa et supina ut hic patet. Sic supra, de cognat. spir., si vir. Unde dicit Apostolus: misericordiam merui, quia ignorans feci, 8. dist., consuetudo. Et inducit dispensationem, supra, de ordin. ab ep. qui ren. epi., requisivit; et supra, de ordin. ab ep. qui ren. epi., cum clericis, ubi de hoc; et 1. q. 1, si qui a simoniacis. Sed hic non est aliqua dispensatio necessaria, quia nesciebant se suspensos, unde non peccaverunt. Item habes hic quod absens et ignorans potest excommunicari et suspendi, ut 2. q. 1, de manifesta; et supra, de appell., cum sit Romana, in fi. Et quamdiu ignorat se excommunicatum non peccat celebrando, ut hic patet. Idem ergo erit si litteras obtinuerit pro beneficio vel alio negotio posset etiam interim eligi ab ipsis qui hoc ignorant, et sic in isto casu suspenditur effectus excommunicationis, ut quamvis sit excommunicatus non tamen obest, arg. optimum de conse. dist. 4, per baptismum; et Inst. de exception. § praeterea; et arg. supra, de appell., dilectis filiis, ubi suspenditur interdictum. Sic et sententia absolutionis suspenditur, 2. q. 5, quanto. Arg. contra supra, de appell., pastoralis, ubi excommunicatio statim trahit secum executionem, et ff. si cert. pet., eius qui, ubi dicit status sui ignarus. Credo quod quicquid facit antequam sciat se excommunicatum non imputetur ei, tamen postquam noverit se excommunicatum debet abstinere. Alias non audietur per tales litteras nisi post absolutionem. Non credo quod electio de ipso facta teneat licet ignoret se excommunicatum vel suspensum. Item quid si talis moriatur antequam sciat? Liber erit quo ad Deum et excommunicator debet eum absolvere post mortem. Item numquid ille qui sciens illum excommunicatum participat illi, excommunicatus erit. Credo quod sic. Item quid si absens excommunicatur per epistolam, quando dicemus illum excommunicatum, utrum quando scribitur vel quando recipit epistolam? Potest hic distingui, ut si excommunicator voluit quod statim esset excommunicatus, tunc statim erit excommunicatus, sed non obest ei donec sciat, ut dictum est, arg. 4. q. 5, quisquis, ubi dicit ex quo litteras accepisse constiterit; et ff. mand. vel cont., si mandassem. Alias tunc demum erit exocmmunicatus cum receperit litteras. Sic distinguit lex in servo manumisso per litteras, ff. de acq. poss., qui absenti; et ff. de acq. poss., si quis vi § 1. Et ideo non imputatur sententia ignoranti, quia nulla sententia ligat efficaciter nisi postquam scitur, 2. q. 6, biduum. Nec aliqua constitutio, 82. dist., proposuisti; et ff. de decr. ab ord. fac., municipii. Et sic excommunicatio non semper trahit secum suam executionem, etsi proferatur sub conditione, supra, de appell., praeterea requisiti. Et haec vera sunt, cum probabilis est ignorantia, secus si crassa et supina, arg. supra, de cleri. excom., illud. Ibi enim crassa videbatur ignorantia, cum per famam sciret se excommunicatum.

Indulgemus

In quo casu nullus alius potest indulgere, ut dixi supra, de cleri. excom., clerici.

X 5.27.10 *Si celebrat*

Peccet

De hoc autem punitur ad arbitrium sui praelati, cum certa poena hic non statuatur, arg. supra, de offi. deleg., de causis § fi.; et 26. q. 7, tempora.

X 5.27.10 Si celebrat (rev. 9/23)

Irregularitatis

Quia propterea non impediretur ab aliqua promotione eo absoluto. Secus si maiori sententia sit ligatus. Tunc debet deponi nisi cum eo fuerit dispensatum, supra, de cleri. excom., latores; supra, de cleri. excom., postulasti; et quasi per totum. Hic ergo determinatur quod olim dubitabatur, scilicet utrum talis irregularitatem contraheret.

Nec eligere prohibetur

Sed contra supra, de elect., cum inter R; et supra, de consuet., cum dilectus, ubi dicitur quod suspensus nec eligere nec eligi potest, supra, de concess. praeben., quia diversitatem. Hic vero dicitur quod talis suspensus eligere potest, sed non eligi. Sed illa et omnia consimilia, ut supra, de cleri. excom., si quis presbyter. Intelliguntur de suspensis ab homine. Illi enim eligere non possunt et irregularitatem incurrunt divina officia praesumendo, supra, de cleri. excom., latores; supra, de aetat. et qualit., cum bonae. Hic vero loquitur de excommunicatis sive suspensis a canone propter solam participationem, quia secundum canones qui participat cum excommunicatis excommunicatus est sive suspensus a sacramentis ecclesiae, quae suspensio sive excommunicatio appellatur minor excommunicatio, ut 3. q. 4, Engeltrudam. Sed eadem poena est in suspenso ab homine et a canone, alias quam per participationem, quia utroque casu privatus est communione sacramentorum et divinis officiis, supra, de re iudic., extravag. cum aeterni; et infra, de sent. excom., extravag. cum medicinalis. Et qui suspensus celebrat est irregularis, ut ibi dicitur. Quae est ergo ratio quod in uno eligere possunt in altero non? Potest dici quod ideo, quia plus contempsit qui fecit contra legem animatam quam qui fecit contra legem mortuam, quia contemnendo iudicis praeceptum, quod est factum legis auctoritate, et ipsam legem offendit et ideo plus punitur. Et ideo dicitur quod mitius agitur cum lege quam cum ministro legis, arg. ff. de recepti., Celsus. Et vox viva magis timenda est quam vox mortua, et ei potius credi debet, in Auth. de fid. instrum. § si vero aliquid, coll. 6. Et ita in casu huiusmodi capituli non est irregularis qui celebrat. Suspensus autem ab homine et canone si celebrat, est irregularis in constitutione Inno. iiii supra, de re iudic., extravag. cum aeterni; et infra, de sent. excom., extravag. cum medicinalis. Sed quae est ratio quod suspensi per participationem excommunicatorum possunt eligere, alii suspensi non possunt? Ratio est quia suspensi per participationem non sunt suspensi vel interdicti a divinis officiis, sed privati sunt communione sacramentorum per canones et etiam propter peccatum, sicut et alii in mortali constituti non sunt exclusi ab electione, supra, de elect., illa; et ideo possunt eligere. Nec sunt irregulares si celebrant, ut hic dicitur. Et eadem ratione debent posse eligi, cum non sint suspensi a divinis. Ratio redditur in littera, ubi dicitur eius electio est irritanda pro eo quod eligitur ad susceptionem eorum, scilicet sacramentorum a quibus est privatus a sanctis patribus. Quicumque enim eligitur, ea suscipere tenetur et quilibet fidelis, infra, de poenit. et remiss., omnis. Et quia illis privatus est, non potest eligi ad ea, etiam si poenitentiam egisset de peccato nisi prius absolvatur ab illa suspensione quae inflicta est per canones, 11. q. 3, excommunicatus; et 11. q. 3, cum excommunicato. Quod non est de aliis criminosis qui per poenitentiam restitui sunt ad perceptionem sacramentorum, a quorum perceptione privati erant propter peccatum. Ber.

X 5.27.10 Si celebrat (rev. 9/23)

Iurisdictionis

Minor ergo excommunicatio non repellit a iudicio ab agendo, sed ab illis tantum prohibet quae pertinent ad officium. Idem dico in suspenso ab homine, nisi sit suspensus tam ab officio quam a iurisdictione, quia tunc privatus est spirituali et temporali iurisdictione, sic supra, de elect., transmissam, ubi electus et confirmatus potest facere ea quae sunt iurisdictionis et non ordinis. Ber.

Scienter

Sed quid si electores eligant aliquem excommunicatum minori excommunicatione quem ipsi ignorant excommunicatum, numquid valet electio? Arg. est quod sic ex eo quod dicit, scienter. Sed non credo, quia ignorantia eorum non facit eum habilem, supra, de elect., innotuit. Et causa prohibitionis hic signata nihilominus remanet. Unde supple maxime, vel potius quod dicit, scienter, referas ad ipsum excommunicatum minori exommunicatione, puta quia scienter participavit excommunicatis. Sed numquid privati sunt iure eligendi qui talem scienter eligunt? Arg. quod sic, supra, de elect., cum in cunctis; et supra, de elect., scriptum, in fi.

Sanctis patribus

11. q. 3, excommunicatos; et 11. q. 3, cum excommunicato; 3. q. 4, Engeltrudam.

Privatus

Haec est causa prohibitionis, quia cum sit privatus sacramentis ad ea eligi non potest. Et est similis illi qui non est capax, qui non potest ex testamento aliquid percipere, arg. ff. de probation., qui testamentum; et ff. de iure fisc., non intelligitur § si quis palam; et ff. de iure fisc., ita fidei. Hoc enim est circumvenire legem, ut ibi dicitur. Et sic est arg. quod si aliquis prohibetur una via, non est admittendus ad id alia via, supra, de procurat., tuae, cum suis concordantiis.

Non carent

Bene dicit, quia sacramenta a quocumque licet criminoso recipienda sunt et valent, 15. q. 8, sciscitantibus; dum tamen toleretur, 28. dist., consulendum; et supra, de cohab. cler. et mul., vestra. Quia licet sit suspensus quo ad se non tamen quo ad alios, arg. supra, de cohab. cler. et mul., quaesitum. Quia excommunicati etiam conferunt ordines, supra, de ordin. ab ep. qui ren. epi., cum clericis, licet non conferant executionem. Sed isti participantes conferunt executionem. Et ideo dicit virtutis non carent effectu, quicumque enim habent executionem eam conferre possunt. Et sic est arg. quod excommunicatio non transit in tertiam personam. Ber.

Dummodo non in contemptum

Haec determinatio, dummodo, respicit quod dicit, non videtur amotus a collatione etc., quasi dicat, si ex contemptu et contra prohibitionem superioris ingerit se communioni excommunicatorum, hoc ipso intelligitur remotus a collatione sacramentorum propter suam pertinaciam et contemptum, arg. supra, de cleri. excom., si quis presbyter. Et ita ex propria culpa incipit esse suspensus, sicut qui non excommunicatus ex contemptu est excommunicatus, 11. q. 3, non solum § cum ergo, in fi.; et 24. q. 3, notandum, in fi.; et infra, de sent. excom., per tuas. Et est arg. bonum ad hoc infra, de excess. praelat., tanta.

De illo excommunicato qui violavit interdictum hoc ipso suspensus fuit, et ideo alios excommunicare vel suspendere non potuit, ut ibi dicitur. Unde tamquam suspensus conferendo ecclesiastica sacramenta non confert effectum virtutis sacramentorum. Scilicet executionem ordinis quae est effectum ordinis, licet conferat charactare si in forma ecclesiae conferatur. Praeterquam in baptismo, quia a quocumque detur in forma ecclesiae proficit ad salutem quo ad omnem suum effectum, supra, de summ. trin. et fid. cath., firmiter, ad fi. Quia illud est sacramentum necessitatis, quod non contingit in aliis sacramentis, supra, de consuet., quanto. Et ita propter contemptum superioris debet excommunicari, ut hic dicitur. Quidam hoc intelligunt cum superior in praecepto facto participantibus excommunicato hoc interdicit: suspendo eos si contra fecerint. Sed de hoc nemo dubitat. Vel posset dici quod tunc primo remotus est a collatione, cum fuerit excommunicatus propter contemptum, et sic planum est.

Pertinaciter
Quasi ex contemptu et studiose participat, unde propter hoc est anathemate puniendus, sic infra, de sent. excom., quod in dubiis.

X 5.28 DE CLERICO NON ORDINATO MINISTRANTE

X 5.28.01 *Si quis baptizaverit*

Si quis baptizaverit
Intellige ac si esset ordinatus et ei liceret ex officio. Tunc punitur prout hic dicitur. Secus si in necessitate, quia tunc licitum est cuilibet, 30. q. 1, ad limina; et 93. dist., diaconos. Etiam ab haeretico potest recipi baptismus tempore necessitatis, de conse. dist. 4, a quodam; dummodo in forma ecclesiae, 24. q. 1, si quem forte; et supra, de summ. trin. et fid. cath., firmiter § sacramentum.

X 5.28.02 *Ex litteris*

Manum
De qua tu habes supra, de sacram. non iter., presbyter, ubi de hoc; et 23. dist., presbyter. Quae si omissa fuerit non est ordo reiterandus, sed statuto tempore etiam supplendum, ut dicitur in decretalis praedicta, 23. dist., presbyter. Sed hic nec ordinem nec manus impositionem recipit, prout sequitur ubi dicit, ad sacerdotis officium etc.

Usurpare praesumpsit
Bene dicit, usurpare, quia non confecit, cum virtutem illam non haberet, quia solus ille conficit qui rite fuerit ordinatus, supra, de summ. trin. et fid. cath., firmiter § 1. Arg. ad hoc 68. dist., presbyteris; et 1. q. 7, Daibertum; et supra, de iure patron., quod autem, in fi.; et de conse. dist. 1, consecrationem, in fi. Secus in deposito ut supra, de cleri. excom., si quis episcopus, dictum est.

Promoveri
Sine dispensatione, et sic punitur in eo in quo delinquit, ut supra, de immun. eccl., immunitatem, cum suis concordantiis; et ff. de fur., qui vas § qui furem. Ber.

De beneficio
Sic 50. dist., studeat; 28. dist., presbyterum.

Negotia
Quia hoc redundaret in opprobrium clericorum, cum ipse clericaliter vivere teneatur sicut depositus, 81. dist., dictum; et arg. 93. dist., diaconi, ibi: mendicat infelix etc. Et ne cogatur in cleri opproprium mendicare, supra, de renunciat., ad supplicationem.

Misericordiam
Ut ipse possit ad diaconatum redire post tempus statutum et ad beneficium si digne poenituerit. Sed numquid episcopus posset dispensare cum eo, ut saltem ad sacerdotium promoveretur post poenitentiam? Non credo, quia Papa hoc ei prohibere, ut hic. Sed dic quod potest, quia Papa hoc expresse non prohibet.

Salubrius
Ut supra, de simon., Matthaeus, in fi.

X 5.29 DE CLERICO PER SALTUM PROMOTO

X 5.29.01 *Tuae litterae*

Nescire
Et sic crassa et supina fuit ignorantia.

Discretionis
Infra annos discretionis bene recipit quis sacros ordines, licet conferri non debeant. Et qui ordinaverit puniri debet, et ordinato interdicenda est executio usque ad aetatem legitimam, supra, de temp. ord., vel non est. Licet secus sit in matrimonio carnali nisi malitia suppleat aetatem, supra, de despon. impub., de illis 2; et de despon. impub., tuae nobis. Et sic non est semper similitudo inter carnale matrimonium et spirituale. Sed numquid isti taliter ordinati tenentur continere, cum venerint ad legitimam aetatem? Arg. quod non, quia continentia res est voti et non praecepti, 27. q. 1, integritas. Non credo quod possit contrahere, maxime si dicatur quod ordo habeat votum continentiae annexum, sic ergo compellitur continere. Et ita facit quod votum facere non posset, quia in tali aetate non tenet votum, supra, de regular., ad nostram; et supra, de regular., significatum, cum suis similibus. Sed aequius videtur quod contrahere possit, si contradicat ante quartum decimum annum. Sed quod prius dixi verum est, quia statim antequam ordinaretur, debuit contradicere et nullo modo consentire. Et si simpliciter coactus ordinatus fuisset non recepisset characterem, supra, de bapt. et eius effect., maiores § ulti., vers. fi.

Pro huiusmodi negligentia
Quae crassa est et supina. Et ideo ipsum non excusat, supra, de ordin. ab ep. qui ren. epi., requisivit; et supra, de cleri. excom., Apostolicae. Ber.

Iteratum
de conse. dist. 1, ecclesiae; et de conse. dist. 1, solemnitates; et de conse. dist. 4, placuit.

De misericordia ministrare
In casu isto episcopus suo iure dispensare potest, ut satis colligitur ex hac littera. Sic 52. dist., sollicitudo; et supra, de sacram. non iter., pastoralis. Sed quid si nullum minorem ordinem habuit et promoveatur ad sacerdotium vel ad alium ordinem sacrum, numquid recipit ordinem? Hug. dixit quod non, quia si laicus ordinetur in sacrum ordinem, nihil recipit, arg. 40. dist., sicut, ubi dicitur sicut viri et mulieris coniunctio unum facit corpus, ita clericatus et sacerdotium unum faciunt ordinem. Sed si aliquem de minori habeat, recipit sacrum. Vincen. dicit contra, quod bene recipit quis sacrum ordinem, etiam si nullum habeat de minoribus praeter episcopalem quem nemo recipere potest nisi sit saltem sacerdos, arg. infra, de excess. praelat., ex litteris, ibi: num igitur pontificale officium sine altaris etc. Et istud verius videtur. Sed quid si ordinatur in episcopum, praetermisso diaconatu vel subdiaconatu? Episcopus est dum tamen fuerit sacerdos. Sed illum ordinem quem non habuit, aliis conferre non potuit, arg. 1. q. 1, gratia; et 1. q. 1, ventum; et 1. q. 7, Daibertum; de conse. dist. 4, quomodo.

X 5.30 DE EO QUI FURTIVE ORDINEM SUSCEPIT

X 5.30.01 *Veniens*

Furtive
Furtive promovetur qui citra conscientiam sui episcopi et sine examinatione promovetur, 64. dist., extra conscientiam; et 24. dist., quando.

Archidiaconorum
Arg. quod archidiaconus potest excommunicare, et quod habet iurisdictionem, supra, de offi. ord., cum ab ecclesiarum, ubi de hoc.

Dispenses
Hic est optimum argumentum quod episcopi non possunt dispensare cum illis qui excommunicati divinum officium exercere praesumunt, et infra, de eo qui furt. ord. recep., innotuit, ubi dicitur idem quod eo ipso quod dicit, tu ipse pro tuo arbitrio dispenses, si excommunicatio lata non fuerit, intelligitur prohibere cum lata fuerit, quia sic excommunicatus recipit ordinem, arg. 25. dist., qualis; quod est verum, infra, de cleri. excom., clerici. Papa Inno. iiii tamen dicit quod iste non erat excommunicatus, et tamen propter interminationem excommunicationis solus Papa hic dispensat.

Si vero interminatio
Arg. quod si iudex dicat: praecipio sub interminatione anathematis quod contra faciens sit excommunicatus. Sic supra, de loc. et cond., ex rescripto, quod non est verum. Expone ergo verba illa et intellige ut dixi supra, de simon., sicut tuis. Et intransitive intellige ista verba, interminatio anathematis, id est, interminatio quae fuit anathema sub conditione facta ut exponitur in decretalis supra, de simon., sicut tuis. Et ita nulla contrarietas vel dubitatio est.

Poteris misericorditer
Non tuo iure sed de auctoritate Papae ut sequitur. Alioquin nulla ratione concedimus, et infra, de eo qui furt. ord. recep., innotuit. De hoc dixi supra, de apostat., ex litterarum.

X 5.30.02 *Cum H. lator*

Minores
Hic ergo habes expressum quod omnes minores ordines una die conferri possunt, arg. ad hoc supra, de temp. ord., subdiaconos, ubi indiffinite loquitur de hoc.

Permittas
Hanc permissionem intellige secundum tenorem, supra, de eo qui furt. ord. recep., veniens; et infra, de eo qui furt. ord. recep., innotuit. Si excommunicatio lata fuit vel non fuit, quia tunc non potest. Alias suo iure poterit dispensare.

Si voluerit
Infra, de sent. excom., cum illorum, tamen si excommunicatus ex certa scientia ordinem recepisset, non posset ut ibi dicitur.

X 5.30.03 *Innotuit*

Ordines
Scilicet sacros, qui simul eodem die conferri non debent, supra, de temp. ord., litteras; et supra, de temp. ord., dilectus. Ad duos vero minores vel etiam quatuor potest aliquis promoveri, supra, de eo qui furt. ord. recep., cum H. Sed idem esset de minoribus si prohibitio excommunicationis facta fuisset de minoribus, licet possit conferre minores. Quia si non vult aliquem promovere ad duos minores vel plures, non compellitur. Immo de iure interstitia etiam temporum servanda sunt, 77. dist., in singulis.

Ministrare non debent
Immo de rigore sunt deponendi, infra, de sent. excom., cum illorum. Quia contra sententiam excommunicationis recipiunt ordines, arg. supra, de cleri. excom., latores.

De nostra licentia
Sic supra, de eo qui furt. ord. recep., veniens. Sed ad sacerdotium per hanc licentiam non poterit dispensare, cum de susceptis ordinibus hoc dicat. Et est arg. quod ingressus religionis non tollit irregularitatem, supra, de eo qui furt. ord. recep., veniens; et 1. q. 7, si quis omnem.

X 5.31 DE EXCESSIBUS PRAELATORUM ET SUBDITORUM

X 5.31.01 *Pervenit*

Caritate
16. q. 1, praedicator; supra, de censib., cum Apostolus; 18. q. 2, hoc tantum; 93. dist., dictum.

Tallias et exactiones
Sic supra, de immun. eccl., adversus.

Praesumatis
Debent enim servare manus suas innoxias Deo et legi et principi nullumque pertingere lucrum, in Auth. de mandat. princip. § oportet, coll. 3; et C. de superind., nihil, lib. 10; ff. de damn. infect., ex damni infecti, 1. resp.; et in Auth. de collator. § et hoc quoque, coll. 9. Nisi ex magna et gravi causa, 16. q. 1, generaliter § novellarum; et supra, de censib., cum Apostolus.

Capituli
Sic supra, de his quae fi. a maior. par. cap., quaesivit. Et ita episcopus sententiam excommunicationis sive suspensionis sine capituli consensu ferre non debet, arg. 15. q. 7, episcopus nullius. Cum haec poena maior sit in ecclesia, 24. q. 3, corripiantur. Ideo merito requirit consensum capituli.

Neque duas ecclesias
Quarum una non dependeat ex altera, supra, de aetat. et qualit., eam te. Vel nisi sint ita pauperes, quod proprium nequeant sustentare rectorem, ut ibidem, et 10. q. 3, unio.

Sine ordine iudiciario
Et ita habes hic quod ordo iudiciarius servari debet in sententia excommunicationis sive suspensionis, ut 2. q. 1, Deus omnipotens; et supra, de appell., reprehensibilis. Et servatur et attenditur ordo iste, si legitima admonitio fiat. Vel si non fiat per unum mensem ingressum ecclesiae sibi noverit interdictum, infra, de sent. excom., sacro; et infra, de sent. excom., extravag. cum medicinalis. Lata tamen tenet, 11. q. 3, si episcopus forte.

Puniemus
Extraordinarie, in Auth. de sanct. episc. § omnibus autem.

Caeteri a similibus
Sic supra, de maledic., innotuit; et supra, de Iudae. et Sarrac., ad liberandam; et supra, de offi. ord., irrefragabili; et 2. q. 7, quapropter. Ber.

X 5.31.02 *Ad haec*

Diminuit
Et male, quia non debent episcopi ius suum alicui diminuere citra eius consensum, C. de iure reipub., si quid, lib. 11; et C. de emancip. lib., nec avus; et supra, de eccl. aedif., ad audientiam 2; et C. de omn. agro deser., quicumque, in fi., lib. 11. Et est arg. quod episcopus in alterius praeiudicium non potest dare privilegium, arg. 9. q. 3, conquestus; et

9. q. 3, per principalem; et 9. q. 3, nunc vero. Laur. Sed quid si mortuus sit archidiaconus? Numquid episcopus cum capitulo potest praeiudicare futuro archidiacono in aliquibus obsequiis liberando clericos vel subtrahendo iuri archidiaconatus? Vincen. dixit quod sic. Arg. ad hoc 12. q. 3, episcopus, quod parum facit, et 16. q. 1, praecipimus § sicut duo; et 16. q. 1, statuimus; et de conse. dist. 1, omnes; et infra, de excess. praelat., sicut; et arg. supra, de consti., cum accessissent, ubi ex toto suppressa fuit dignitas. Arg. contra supra, ne sede vac. nih. inn., per totum; et supra, de consti., ex parte; et supra, de consti., cum accessissent, ubi de hoc, quod verius videtur.

Consuetudines
Arg. quod iurisdictio archidiaconi potius ex consuetudine quam ex iure iuvatur, supra, de elect., dudum ecclesia § tandem; arg. supra, de offi. archidiac., dilecto. Arg. contra supra, de offi. archidiac., cum satis, ubi de hoc. Item arg. quod servitium ex consuetudine praestitum peti potest, 11. dist., catholica; et 18. q. 2, servitium. De hoc plene dicitur supra, de consuet., cum tanto; et supra, de censib., pervenit. Et intellige quod hic dicit de consuetudine praescripta.

X 5.31.03 *Ad aures*

Intrudere
Ut ad opus suum illas retineant, quod facere non possunt. Sed si causa custodiae hoc facerent, hoc liceret, 63. dist., si in plebibus; et supra, de appell., bonae. Et si etiam ad eos pertineat institutio, non sibi debent retinere sed alios instituere, ut inter dantem et recipientem sit differentia, supra, de instit., cum ad nostram. Nec credat quod ipse possit omnibus sufficere, supra, de offi. archipresb., ut singulae.

Ordinans
Ad eorum praesentationem nisi aliter se habeat consuetudo.

Punire
Aliqua extraordinaria poena.

X 5.31.04 *Clerici*

Naturam
32. q. 2, flagitia; et C. de adulter., cum vir.

Diffidentiae
Id est, de quorum salute diffidendum est. Ala.

Quinque
Scilicet Sodomam et Gommorram, Seboim, Segor et Eleale. Quarum duae perierunt ex vicinitate, tres ex proprio delicto, de poen. dist. 1, sed et continuo. Hic loquitur de civitatibus ibi numeratis.

Subdantur
Et capite puniri debent secundum leges, in Auth. ut non lux. cont nat., circa fi., coll. 6.

X 5.31.05 *Sane*

Obedientiam
Et sic non loquitur capitulum illud de exemptis. Omnis enim iurisdictio tam in monasteriis quam in aliis pertinet ad episcopum, nisi exempti sint, 9. q. 3, per singulas provincias episcopos; et 93. dist., nulla. Et in episcoporum potestate abbates esse debent, 18. q. 2, abbates. Loquitur ergo hic non de libertate exemptionis plene, sed de alia libertate concessa isti ordini quod nihil ab eis exigatur praeter debitam obedientiam. Et intelligo in ista debita obedientia quod episcopus possit illos visitare et corrigere corrigenda et confirmationem abbatis habere, sed nullum temporale debet percipere, ut hic videtur, licet non plene constet de libertate concessa, sed observabitur prout continetur in libertatis privilegio istis concesso.

Denegare
Auctoritate huius canonis, arg. 10. q. 3, quia cognovimus. Sic infra, c. 2. Et excommunicatio contra hoc lata non tenet, ut ibi dicitur, et infra, de excess. praelat., cum ad quorundam.

X 5.31.06 *Illud*

Falso
Et ita etiam quasi falsarii et periurii puniri possunt qui contra iuramentum veniunt. Unde tamquam indigni privandi sunt, supra, de iureiur., querelam. Et personis vilibis et indignis beneficia sunt deneganda et subtrahenda, infra, de excess. praelat., inter dilectos.

Confessi fuerint vel convicti
Alias puniri non debent, 2. q. 1, nos in quemquam; et 2. q. 1, iudex; et supra, de maior. et obed., inter quatuor; et supra, de consti., ecclesia.

Eodem episcopatu
Sic infra, de privileg., tuarum.

X 5.31.07 *Cum ad quorundam*

Concilio
Supra, de censib., cum Apostolus.

Auctoritate Apostolica
Speciali. Idem tamen possent iure communi, ut videtur, sicut signa rebus meis impressa propria auctoritate deponam, C. ut nemo privat., regia; et C. ut nemo privat., ne quis; et melius ff. de aqua quot. et aest., ait praetor § Trebatius; et ff. de aqua quot. et aest., ait praetor § inter quaesitum; et 10. q. 3, quia cognovimus; et supra, de excess. praelat., sane.

Et quod episcopus iniuste abstulit in quadruplum restituat, 18. dist., quoniam, in fi; arg. C. ad leg. Iul. repet., ut unius; et in Auth. ut litig. iur. § et hoc quoque, coll. 9.

Non tenere
Arg. contra 11. q. 3, sententia pastoris; et 11. q. 3, si quis a proprio; et ff. de novi operis nunc., hoc edicto, in princ. Solutio: quod hoc dicitur verum est, quia sententia talis non tenet auctoritate privilegii istis concessi super hoc, et in hoc exempti sunt a iurisdictione episcoporum. Unde sententia lata contra privilegium Papae nulla est tamquam a non suo iudice lata. Et temerarium est et indignum sua auctoritate praesumere, quod alicui specialiter est concessum, infra, de privileg., sane. Et ita in quantum isti exempti sunt, servanda sunt sua privilegia, infra, de privileg., cum capella. Et sic intellige supra, de excess. praelat., sane. Alias vero si privilegium tale non haberent et episcopus praedictum numerum excederet vel alias ultra tenorem concilii eos gravaret, licite possunt denegare de iure, 10. q. 3, quia cognovimus; et auctoritate concilii Lateranensis, infra, de censib., cum Apostolus. Tamen si excommunicaret eosdem, tunc teneret excommunicatio licet ipse male faceret, et ipsi possent agere contra episcopum ad interesse, quia iniuste illos excommunicavit, infra, de sent. excom., sacro. Alii dicunt quod hoc est ius commune, sed hoc non credo.

X 5.31.08 *Sicut*

Pertinere
Nota quod quaedam sibi in tantum sedes Apostolica reservavit, quae ab aliis impune praesumi non possunt, 17. dist., huic. Solus Papa restituit depositos episcopos, 2. q. 6, ideo. Et deponit eosdem, 3. q. 6, accusatus; 3. q. 6, quamvis; 3. q. 6, dudum; et supra, de translat., inter corporalia. Dividit episcopatum in duos, 16. q. 1, praecipimus § sicut. Unit duos in unum, ut hic, et 16. q. 1, et temporis. Eximit episcopos et abbates, 16. q. 1, frater noster. Probat scripta aliorum et concilia, supra, de summ. trin. et fid. cath., damnamus, in fi.; et 16. dist., sancta Romana; et 17. dist., regula; et 2. q. 6, ideo. Articulos fidei solvit, 24. q. 1, quotiens; 24. q. 1, quoniam vetus. Et cum dubitatur de aliquo articulo, supra, de haeret., cum Christus. Synodum facit generalem, ut 17. dist., synodum; 17. dist., regula; et 17. dist., huic. Transfert sedem episcopalem de loco ad locum, 7. q. 1, et temporis. Mutat episcopos, 7. q. 1, mutationes; et supra, de translat., per totum. Appellat nullus ab ipso, 9. q. 3, cuncta. Unde versus: restituit Papa solus deponit et ipse // dividit ac unit eximit atque probat // articulos solvit synodumque facit generalem // transfert et mutat appellat nullus ab ipso.

In tua diocesi
Unde ipso iure ad curam ipsius pertinet et potestatem, supra, de praescrip., cum non liceat; et 18. q. 2, abbates; et 18. q. 2, monasteria vel monachorum; et 18. q. 2, hoc tantum; supra, de relig. dom., de xenodochiis, nisi sint exempta; 16. q. 2, visis, ubi privilegium exemptionis ostenditur; 100. dist., contra morem.

Minime requisito
Quod fieri non debet in alienationibus, 17. q. 4, in venditionibus; 12. q. 2, abbatibus. Ber.

Auctoritate nostra
Nam auctoritate facere non posset ut videtur, maxime si aliud monasterium sit subiectum alii. Quia non posset esse iudex in causa sua, C. ne quis in sua caus. iud., generali. Si autem utrumque esset de sua iurisdictione, satis credo quod sua auctoritate hoc facere posset, arg. huius capituli. Quia ut hic dicit, sine suo consensu fieri non debuit.

Attentare
Arg. ex hoc quod archiepiscopus non est iudex ordinarius totius provinciae. Archiepiscopus enim omnium episcoporum suae diocesis est ordinarius, sed non subditorum, supra, de offi. ord., pastoralis, nisi in casibus ibi notatis. Alias enim nisi in casibus illis nihil potest disponere in diocesi suffraganei, ut dicunt constitutiones de quibus hic fit mentio, 9. q. 3, per singulas provincias oportet; 9. q. 3, per singulas provincias episcopos; 9. q. 3, archiepiscopus; 9. q. 3, si autem; 9. q. 3, nullus primas; et supra, de offi. ord., extravag. Romana. Ber.

X 5.31.09 *Quam sit*

Publice confiteri
Arg. quod confessio extra ius facta praeiudicat, quia non refert undecumque crimina claverint, ut puniantur, 23. q. 3, ecce crimina; simile ff. de admin. tut., pater § ulti.; alias est § sub illa lege ff. de admin. tut., quidam decedens § ulti. Qualitercumque enim innotuerit tutori, quod sit tutor, statim periculum ad ipsum pertinet ut ibi dicitur; simile 22. q. 5, hoc videtur. Sed contra supra, de iudic., at si clerici. Et nemo sine accusatore damnari debet, 23. q. 4, si quis potestatem; et ff. de muner. et honor., rescripto § si quis. Quod verum est, unde iste non deponitur sed suspenditur. Et ex illa confessione non punitur nisi occasionaliter, sed propter scandalum et infamiam ortam inter mulierem et virum, qui propter hoc eam expulit, suspenditur, alias non fuisset suspensus propter talem confessionem. Quando quis puniri possit sine accusatore notatur supra, ut eccl. ben., ut nostrum. Et de confessionibus in aliis casibus notatur supra, de confess., ex parte.

Officium
Id est, debitum carnale et alia consueta. Ber.

X 5.31.10 *Ex litteris*

Candentis
Haec purgatio prohibita est, supra, ne cler. vel mon. saecul. neg., sententiam; et infra, de purg. vulg., per totum. Unde hoc solo quod in hoc consensit fuit puniendus.

Consuluit
Non prohibetur hic quin episcopi possint dare consilium principibus in criminibus, 23. q. 8, pessimam, in fi. Nam clericus potest dare consilium ita in genere dicendo: fures taliter puniendi sunt, arg. 5. q. 6, delatori. Dum tamen potius opera consulentis quam suggerentis fungatur, ut ff. de quaest., in criminibus § qui quaestionem. Item licite possunt clerici querelam iudicibus deferre de furibus civiliter, arg. 23. q. 5, non vos; et supra, de homic., postulasti. Et licet aliquis respondeat de facto furis extra iudicium, licet

ille fur puniatur non imputatur illi, supra, de homic., tua. Hic enim excessit fines consilii dicendo: malum est si fur sic evadat, et praesens fuit in suspendio.

Verbis talibus
Quae sequuntur, auditis etc.

A nostra discessit
Unde perinde est ac si non venisset, supra, de iudic., de Quodvultdeo; et 11. q. 3, certum est. Aut etiam si latitaret post columnas, ff. quib. ex caus. in poss. eat., Fulcinius § illud sciendum; et supra, ut lite non cont., quoniam § 1.

Perquisitus
Nota quod sufficit absentem requiri, licet peremptorium ad eius notitiam non pervenerit, supra, de dolo et contu., causam quae; supra, de dolo et contu., venerabilis; et supra, de cleri. non residen., ex tuae; C. de iud., properandum § et si quidem; ff. de evict. si vero; et ff. de evict., si dictum § praesente; et ff. locat. et conduct., item quaeritur § exercitu. Arg. contra supra, ut lite non cont., quoniam; et ff. quae sent. sine appel., illud § cum ex eo. Non enim statim contumax videtur qui vocem praeconis non exaudit, ff. de in int. rest., divus; et C. quom. et quan. iud. sent. prof., ea quae; et 3. q. 9, caveant. Sed certe ibi non tenuit sententia, quia ibi reus non fuit citatus. Hic enim citatus venit ad praeceptum inquisitorum, et contumaciter recessit, et adhuc Papa mandat ut moneatur. Ber.

Noscitur deliquisse
Relatione iudicum quibus creditur, 18. dist., de conciliis. Donec probetur contrarium, supra, de testib., cum a nobis. Ber.

Corporalem
Unde incidit in illam constitutionem, supra, ne cler. vel mon. saecul. neg., sententiam. Et auctoritatem praestando et praesentiam, unde merito deponi debuit quia fuit homicida, supra, de homic., significasti 2; et supra, de cleri. pug., Henricus; 50. dist., si quis viduam. Quia non refert an facto vel consilio seu auctoritate fiat homicidium, ut ibi dicitur.

Ministerio
Arg. quod non potest quis esse episcopus nisi primo fuerit sacerdos. De hoc dixi supra, de cleri. per salt. prom., tuae.

Cedat
Cum propter culpam suam factus sit irregularis, alias enim si esset impotens, daretur ei coadiutor, 7. q. 1, quamvis sit triste. Vincen.

X 5.31.11 *Inter dilectos*

Aleatorum
Quod hodie prohibetur, supra, de vit. et honest. cler., clerici officia. Tamen videtur quod propter hoc non debet privari iure suo si vellet se corrigere, 35. dist., episcopus. Idem

videtur de usura, 47. dist., episcopus. Sed aliud est in obtento aliud in obtinendo. Propter usuram indistincte repellitur ab obtinendo, 47. dist., de Petro, et hic. Sed in obtento beneficio potest episcopus facere gratiam si se libenter corrigat. De iure tamen potest deponi, 14. q. 4, si quis oblitus; et 14. q. 4, quoniam multi. Ber.

Undecim denarios pro duodedecim
Haec usura centesimam excedit, quoniam illa in anno sorti adaequatur, C. de usuri., eos; ff. de condi. indeb., si non sortem. Haec usura una die posset excedere sortem.

Voluptuosos
Convivii tamen causa ludere licet, ff. de aleat., quod in convivio.

Devenitur
Est ergo ludus noxius cum affectu in culpa, ff. ad leg. Aquil., nam ludus.

Excusandas
Haec verba posita sunt 16. q. 1, praedicator; et supra, de consuet., quanto.

Auctoritas usurpatur
Qui peccatum suum defendit auctoritate seu consuetudine magis peccat et ideo magis puniri debet, 33. q. 4, nemo; et hic; de poen. dist. 6, qui vult, in fi. Ber.

Dignitatis
Arg. quod succentoria est dignitas.

Sanctiones
C. de dignitat., neque famosis, lib. 12; C. de infam., infames, lib. 10; supra, de iureiur., querelam.

Depositionibus
Ut supra, de elect., cum dilectus. Nota ergo quod iudex de eo quod fit coram eo, potest in testem duci.

Vel procuraverit
Simile supra, de restit. spol., cum ad sedem. Licet enim iste obtinuerit litteras et usus fuerit eis, non tamen praesumitur quod eas falsaverit, sicut nec ibi praesumitur vi deiecisse, licet ipse possideret et adversarii probassent se expulsos. Dolus enim non ex praesumptionibus sed ex perspicuis indiciis probari debet, C. de dolo mal., dolum. Unde qui dolum allegat dolum probare tenetur, ff. de probation., quotiens operae § qui dolo. Sed contra arg. habes supra, de crim. falsi, ad falsariorum, ubi dicitur quod postquam litteris falsis usus fuerit, non poterit praetendere excusationem, et hic usus est falsis litteris nec tamen in hoc punitur. Solutio: illud speciale est in litteris domini Papae, quae prius diligenter examinandae sunt, nec poena illa ad litteras aliorum praelatorum extenditur, immo et aliud speciale est in illis, quod non in aliis quia ibi traditur curiae saeculari statim, sed alii non traduntur.

Postmodum
Unde non valuit prima non cassata. Sic supra, de concess. praeben., post electionem, in fi. Sed quid si prima nulla fuisset ipso iure, puta quia persona fuit indigna et scienter electa, numquid valuisset secunda? Videtur quod sic, supra, de elect., bonae 1; et supra, de appell., constitutis 1; et supra, de iure patron., illud; et supra, de iure patron., cum laici. Sed contrarium est verum quod non valet secunda, quia ipso iure privatus fuit eligendi potestate illa vice. Unde secunda non valet, supra, de elect., cum in cunctis; et supra, de elect., cum Wintoniensis; et supra, de elect., scriptum, in fi.; supra, de supp. neg. prael., licet; et supra, de supp. neg. prael., dilecto. Sed capitula illa supra, de supp. neg. prael., licet; et supra, de iure patron., cum laici, contradicere videntur, quia ibi ab eadem persona facta fuit prima concessio et secunda, et tamen tenuit secunda. Sed illa concessio prima facta fuit de re non vacante, quare nulla. Praeterea laicis variare licet, sed non clericis. Sed hic non fuit privatus ipso iure, quia non fuit notorium primam non tenuisse. Et ideo privatur per sententiam, quia forte ignoravit ipsum talem fuisse, et non licuit ei variare. Ber.

Irritam
Ergo fuit haec secunda electio irrita ipso iure, ut videtur per hanc litteram. Quod est verum, quia prima non cassata secunda non potuit nec debuit attentari, etiam si prima ipso iure nulla fuisset, ut dictum est in proxima notula, quia functus erat officio suo eligendo illum P. et sic succentoria non vacabat. Unde iste B. electus fuit ad dignitatem non vacantem, quare nulla fuit electio. Arg. contra ff. de ver. oblig., si dari stipuler, ibi: pendente prima stipulatione quae elidi poterat, tenet secunda stipulatio. Sed valde sunt ista dissimilia. Item signatur contrarium huic verbo, irritam, supra, de elect., consideravimus; et supra, de elect., auditis, et ibi utraque cassatur. Hic vero diversus est casus, ibi factae fuerunt electiones a diversis partibus, hic ab una et eadem persona quae variare non potuit, ut dictum est.

Puniatur in quo
Sic supra, de temp. ord., litteras; et supra, de iure patron., pastoralis; et supra, de cleri. excom., postulastis.

Hac vice
Tantum supra, de elect., cum in cunctis; et supra, de elect., cum Wintoniensis. Unde si istorum electio quibus scribitur non haberet effectum, statim posset iste eligere. Ber.

X 5.31.12 *Accedentibus*

Suis finibus non contenti
Cum quilibet suis finibus contentus esse debeat, nec terminos patrum transgredi debeat, supra, de sepult., nos instituta; et 9. q. 2, nullus alterius; et 9. q. 2, placuit. Ad idem aeque possunt induci, 13. q. 1, ecclesias; et supra, de statu monach., recolentes.

Episcopalis dignitatis
Quae enumerantur 67. dist., quamvis corepiscopis; et 67. dist., corepiscopi. Et sic videtur per hanc constitutionem quod cognitio causarum matrimonialium ad episcopum de iure

communi spectat, arg. 35. q. 6, multorum. Arg. contra supra, de cons. et affin., ex litteris. Dicas quod alii praelati qui cognoscunt de causis matrimonialibus, sive sint abbates sive alii faciunt ex consuetudine praescripta sive speciali concessione secundum quod hic in fine dicit, arg. supra, de praescrip., auditis. Alias de iure communi ad solum episcopum hoc spectat, ut hic patet, et 50. dist., in capite; et supra, de offi. ord., perniciosa. Ber.

Publicas poenitentias
Hoc ad solum episcopum pertinet, 50. dist., in capite.

Legitima
Puta consuetudo praescripta quae dat iurisdictionem, supra, de offi. archidiac., ut archidiaconus; et supra, de praescrip., auditis; supra, de for. compet., cum contingat; supra, de offi. ord., irrefragabili.

X 5.31.13 *Dilectus*

Revelare
Ad hoc cogi non poterat, quia secundum leges nemo potest compelli ad furem indicandum, ff. de praescr. ver., solent; et ff. de condi. ob turp. caus., idem § si tibi; arg. supra, de furt., qui cum fure, sed ibi solvitur. Sed alia ratione non debuit compelli, quia qui peccatorem in poenitentia confessum publicat, per mundum compellitur peregrinari, ut dicit decretalis de poen. dist. 6, sacerdos. Hodie vero deponi debet et in monasterium detrudi, infra, de poenit. et remiss., omnis. Sed numquid ille sacerdos fuit suspensus, quia non faciebat alterum quod praecipiebatur? Videtur quod sic, 11. q. 4, sententia. Sed non videtur duplici de causa, quia ipse non sciebat furtum illud ut homo, et de tali potest intelligi contrarium signatum, supra, de furt., qui cum fure; sed ut Deus, supra, de offi. ord., si sacerdos. Et in hoc maior erat ipsis rectoribus, arg. 93. dist., praecipimus; et 94. dist., valde, quia Dei legatione fungitur. Ergo ipsum interdicere vel excommunicare non poterant, supra, de maior. et obed., cum inferior; et 21. dist., inferior. Item quia ista sententia continebat intolerabilem errorem, unde non tenuit, infra, de sent. excom., per tuas. Unde Papa non dicit quod absolvatur, sed quod illi desistant a gravamine quod de facto inferebant. Et quia iniquum erat, ut teneatur reddere quod non rapuit. Et ita quantum ad utramque partem disiunctae non valuit interdictum, vel quia sub conditione tulerunt interdictum, et ipse sacerdos pendente conditione conquestus fuit Papae, perinde fuit ac si appellaset, unde suspensum fuit interdictum, supra, de appell., dilecti filii 2. Et Papa mandat ipsum ulterius non molestari, sic excommunicatio sub conditione suspenditur per appellationem, supra, de appell., praeterea requisiti. Ber.

Quod non rapuit
Nisi illud a raptore scienter suscepisset. Tunc non compelleretur, quia tenetur illud restituere, cum succedat in vitium, supra, de restit. spol., saepe; et supra, de iudic., quia V; et ff. de iureiuran., si duo § idem Iulianus; et ff. de condi. furt., conditione; et ff. de condi. furt., ex causa furtiva; et C. de furti. et serv. cor., incivilem; et C. de furti. et serv. cor., civile est. Ber.

X 5.31.14 *Dilecta in Christo*

Nec sint unum corpus

Nota quod qui non sunt de uno collegio vel etiam de una societate non dicuntur unum corpus, ut hic patet, quia clerici isti erant clerici Iotrensis ecclesiae deservientes ibidem, qui non dicuntur facere collegium, sed sunt ibi beneficiati licet omnes subessent abbatissae. Unde non sunt unum collegium sive unum corpus, nec possunt constituere unum procuratorem sive actorem pro aliqua causa, ff. quod cui. univ. nom., neque societas § quibus autem. Illi ergo soli faciunt unum corpus qui sunt in uno collegio vel societate, ut lex praedicta. Unde nota quod corpus multis modis dicitur. Omnes enim fideles possunt appellari unum corpus sive una ecclesia per fidem et caritatem sive perfectionem gratiae, supra, de summ. trin. et fid. cath., damnamus; cuius caput est Christus, 3. q. 4, Engeltrudam. Ita quod alter alterius onera portet, 50. dist., ponderet. Item collegium sive universitas dicitur unum corpus cuius praelatus dicitur caput, supra, de his quae fi. a prael., novit. Et tale corpus potest habere sigillum, supra, de appell., significavit; et 73. dist., in nomine, in fi.; et actorem et arcam omnem, ut ff. quod cui. univ. nom., neque societas. Sed cum isti clerici taliter non fuerint unum corpus, sigillum commune habere non debeant, ut hic patet. Item unum dicitur corpus quod uno clauditur spiritu, ut homo, lignum, animal. Aliud dicitur corpus quod habet partes integrales seu cohaerentes, ut domus. Aliud quod habet partes distantes, ut grex, populus, collegium, ff. de usucap., rerum mixtura. Si enim petisti in iudicio corpus quod habet partes integrales ut domum, ut succubuisti, si postea petas aliquid de domo, puta coementa vel lignum, puta cum fuerit dissolutum a domo, non obstat exceptio rei iudicatae, ff. de excepti. rei iud., si quis cum totum § item si quis fundum. Si vero petas totum corpus quod habet partes distantes, puta gregem, et succubuisti, si postea petas aliquod caput de grege, quod fuit ibi, obstat exceptio. Si vero non erat ibi, non obstat, ff. de excepti. rei iud., si cum argentum § 1. Item episcopus cum capitulo suo facit unum corpus cuius ipse est caput, sed cum clero civitatis vel diocesis non dicitur facere unum corpus, supra, de testamen., requisisti § secus; et infra, de verb. sign., cum clerici. Sic abbatissa ista cum clericis ecclesiae Iotrensis, licet ipsa sit caput, non facit unum corpus.

Inhibeatis

Sed quare prohibetur istis habere sigillum, cum quilibet possit habere sigillum? Ratio quare iam reddita est superius, quia cum isti non essent unum corpus, volebant facere sigillum commune tamquam essent unum corpus sive collegium, et per hoc videtur fieri praeiudicium abbatissae cui suberant, quasi quod per se forte expedirent negotia, quae sub ipsa vel auctoritate ipsius tractari debebant, quia et hoc praemisso aliud attentarent in praeiudicium monasterii. Sed si quilibet rector per se vel cum collegio suo vellet habere sigillum, non prohiberetur.

X 5.31.15 *Gravem*

Archidiaconum

Ambianensem scilicet.

Homagii
Homagium hic appellant fidelitatem et obedientiam quam ratione archidiaconatus praestitit episcopo, quod licet, 23. dist., quamquam; supra, de iureiur., nullus. Alias non licet exigere homagium, infra, de reg. iur., indignum; et supra, de simon., ex diligenti. Et sic iste archidiaconus fidelitatem et debitam reverentiam violavit multipliciter prout sequitur, merito ergo punitus fuit.

Negasse
Ipso facto veniendo contra fidelitatem et debitam obedientiam dando consilium invasori episcopi, et fratri eiusdem archidiaconi contra ipsum episcopum qui traxit ipsum ad iudicem saecularem. Et ibi forte publice ipsum dominum suum esse negavit, et ita semel et secundo venit contra fidem, unde puniri debuit.

In foro saeculari deposuisse
Arg. est hic manifestum quod sola conventio sufficiat ad hoc, ut cadat a iure suo, licet non fuerit litem contestatus. De hoc dictum est supra, de for. compet., si diligenti. Sed forte hoc est quia deliquit contra dominum suum, unde fortius puniri debet, arg. ff. de re milit., omne delictum, 1. resp. § 1. Quia omnis contumacia adversus praesidem capite punienda est, ut ibi dicitur. Unde iste ab omni officio et beneficio privatur.

Causam vel consilium
Si dedit consilium contra dominum suum cui fidelitatem suam debet servare, venit contra fidem promissam et iuramentum fidelitatis, supra, de iureiur., ego; et supra, de iureiur., querelam. Unde indignus est beneficio quod habet ab eo, 22. q. 5, de forma. Et ideo privari debet beneficio, arg. 96. dist., si imperator; et supra, de postuland., cum sacerdotis. Sic enim iste ingratus fuit contra episcopum suum a quo beneficium habuit, quare ipso privari debuit, supra, de dona., propter; C. de revoc. donat., generaliter. Ber.

Membrum putridum
Ergo abiiciendum est ab ovili ne inficiat sanas oves, supra, de statu monach., ea quae, 1. resp., in fi.; et 45. dist., sed illud; et 24. q. 3, resecandae. Ex tribus causis archidiaconus iste reddidit se indignum. Primo quia negavit episcopum dominum esse; secundo quia traxit illum ad iudicium saeculare; tertio quia dedit causam sive consilium contra dominum suum, et sic venit contra fidelitatem.

Abscindatis
Et ita per sententiam perdit beneficia, non ipso iure. Sic qui trahit alium in vetitum examen perdit causam per sententiam, non ipso iure prout notatur supra, de for. compet., si diligenti, in glossa sed numquid. Ber.

X 5.31.16 *Nimis iniqua*

Nimis iniqua
In capite isto reprehenditur avaritia sive aviditas praelatorum quam exercent contra viros religiosos, qui omnia renunciaverunt propter Deum in pluribus, ut in littera patet.

Donatur
Hoc nullo modo debent praelati ecclesiarum sibi usurpare, quod pia devotione fidelium confertur religiosis in vita, supra, de sepult., de his; et supra, de statu monach., Theodosius. Et hoc solum debent ibi habere quod canones permittunt, 18. q. 2, hoc tantum; 18. q. 2, quam sit; 18. q. 2, luminoso.

In ornamentis
De his enim relictis et aliis quae ad divinum cultum pertinent nihil percipere debent, quamvis de aliis rebus relictis in testamento possunt percipere suam partem, supra, de testamen., de his. Et ideo ab his praecipue et ab aliis gravaminibus debent humiliter abstinere, cum omnia dimiserint propter Deum et elegerint in paupertate domino deservire, infra, de excess. praelat., nimis prava, in princ.

X 5.31.17 *Nimis prava*

Ad synodos
Omnes enim religiosi qui populum non habent ad synodum ire non tenentur, arg. infra, de privileg., ex ore, in fi.; et 18. q. 2 § canonica; et in illa palea quae concilium Turonense est 18. dist., episcopus non debet. De hoc dictum est supra, de offi. ord., dilectus.

Fidelitatem iuramento
Ab aliis enim ministris sive rectoribus ecclesiarum quibus animarum cura commissa est, hoc requiritur, 23. dist., quamquam; et supra, de iureur., nullus. Ab huiusmodi fratres Praedicatores et Minores sunt exempti. Et illud videtur intelligi de perpetuis rectoribus, sed isti non sunt perpetui immo quasi annuatim mutantur.

De hortorum fructibus
De his enim nullas religiosi decimas solvere tenentur, supra, de decim., ex parte tua 1. Et leprosi etiam, licet non sint professi, de hortis decimas non solvunt, supra, de eccl. aedif., cum dicat. De hortis ergo et de domibus decimas nulli religiosi solvere debent.

De Iudaeorum domibus
Iudaei non de domibus et aliis possessionibus, si quas colant, decimas solvant, supra, de decim., de terris; et supra, de usur., quanto.

A praenotatis
In omnibus enim supradictis Praedicatores et Minores fratres exempti sunt, nec possunt compelli ad aliqua supradicta facienda.

X 5.31.18 *Tanta est clavis*

In nos et ecclesiam Romanam
Unde magis puniendus fuit qui deliquit in principem et sine restitutione damnandus, 21. dist., in tantum. Immo culpam et offensam quam in Deum et Romanam ecclesiam commisit remittere non posset, 23. q. 4, si is qui; et 63. dist., Salonitanae.

Petri claves
De quibus habes 21. dist., in novo. Unde habet potestatem ligandi et solvendi, 24. q. 1, quodcumque. Iste enim contempsit Petri claves violando sententiam interdicti tam per se quam per alios quos ad hoc compulit, et tunc suspensus fuit violando interdictum, ut dicitur infra. Ber.

Compulit non servare
Propter hoc non excusantur, cum pro poena temporali debuerant interdicti sententiam violare, 32. q. 5, ita ne; licet culpam eorum attenuet, supra, de his quae vi met. caus. fi., sacris, arg.

In exemplum
Ut per hoc etiam fiat caeteris interdictio delinquendi, 2. q. 7, quapropter; supra, de excess. praelat., pervenit; et supra, de Iudae. et Sarrac., ad liberandam, in fi. Quia facilitas veniae incentium tribuit delinquendi, 23. q. 4, est iniusta. Ber.

Irritas et inanes
Nota quod qui non servat sententiam interdicti, beneficia vel dignitates conferre non potest tamquam suspensus, supra, de concess. praeben., quia diversitatem; et hic patet manifeste. Item nec talis potest aliquem excommunicare, cum quantum ad sacramenta ecclesiae excommunicatus reputetur, quia ex eo quod dicit, irritas, patet quod institutiones et excommunicationes sententiae nullae fuerunt, 24. q. 1, audivimus. Tamen Io. dicit ibi quod suspensus tantum ab officio potest excommunicare. Sed hoc non videtur, quia cum ipse sit officio privatus, alium privare non potest, ut hic videtur. Si sententia talis tenuisset, illos absolvisset ut in sententiis excommunicationis fieri consuevit. Sed hic sententias illas decernit irritas et inanes. Arg. contra supra, de cleri. excom., si celebrat. Sed hic longe magis excessit quam ibi, et est diversus casus. Ibi loquitur de suspensione canonis per participationem, hic de suspensione hominis. Item collatio praedictorum nulla fuit, quia illi quibus collatio facta fuit, non servaverunt interdictum nec excommunicatis conferri possunt multo fortius, supra, de cleri. excom., postulastis § 2; et supra, de aetat. et qualit., cum bonae. Quidam dicunt quod hic plus fuit processum, scilicet quod executores qui posuerunt interdictum excommunicaverunt violatores interdicti. Et sic recte dicit, irritas et inanes. Sed ex littera huius decretalis non colligitur hoc, sic etiam excommunicati fuerunt violatores interdicti, supra, de cleri. excom., postulastis § 2. De institutionibus et destitutionibus nulla dubitatio est, quia sine culpa et absque ordine iuris fuerunt destituti, et ita si nulla fuit destitutio, nulla fuit institutio, 3. q. 6, haec quippe; et supra, de accusat., ad petitionem; et infra, de purg. can., cum dilectis. Et ita dubitatio tantum remanet circa sententias excommunicationis et interdicti, et de illis idem credo ut dictum est ex eo enim quod tantum excessit, ut patet in principio decretalis, suspensus fuit a iurisdictione. Contemnendo enim claves ecclesiae amisit potestatem clavium, sicut qui non est ligatus ex contemptu ligatur, 11. q. 3, si is qui § cum ergo; et 24. q. 3, notandum, in fi. Locus enim interdicitur propter homines, et ita homines sunt interdicti et suspensi et non locus. Quia cum locus sit res inanimata, nec suspendi nec interdici potest. Et ita cum dicitur, interdico locum talem, hoc est dicere, interdico homines illius loci et celebrantes ibidem. Et ita celebrantes in loco interdicto interdicti sunt et suspensi et irregulares. Et ita nec eligere nec eligi nec etiam postulari

possunt, supra, de postuland., clerici; et supra, de elect., cum inter R; et supra, de consuet., cum dilectus; supra, de cleri. excom., Apostolicae. Et sic iste episcopus qui violavit interdictum quod ab initio coeperat observare suspensus fuit et irregularis. Unde postea in alios sententias excommunicationis seu interdicti aut suspensionis ferre non potuit. Et solus Papa cum talibus dispensare potest, supra, de re iudic., extravag. cum aeterni; et infra, de sent. excom., extravag. cum medicinalis. Arg. contra, scilicet quod non sit irregularis vel suspensus, supra, de cleri. excom., postulastis § ulti.; et hic ubi dicitur: suspendas omnes etc. Sed istud ad factum refertur cum etiam iam essent suspensi violando interdictum. Sed qui communicat aut etiam celebrat excommunicatus, non est suspensus proprie nisi a perceptione sacramentorum aut irregularis, licet alias sit puniendus, dummodo non in contemptum et contra prohibitiones superioris, supra, de cleri. excom., si celebrat. Cum hoc in iure non inveniatur statutum et ideo non debet extendi haec poena. Ber.

Severius vindicandum
Quia ubi maior est culpa maior exerceri debet vindicta, infra, de haeret., excommunicamus itaque § credentes, ubi invenies concordantias plures. De hoc simile supra, de aetat. et qualit., cum bonae.

Amotis
Haec est poena illorum qui non servant interdictum, supra, de cleri. excom., postulastis § quaesivistis.

Brachii saecularis
Ut supra, de offi. ord., perniciosa; et supra, de offi. ord., quoniam, in fi.; et supra, de iudic., cum non ab homine. Ubi enim ecclesia amplius facere non potest, implorare debet auxilium saeculare et compellere, et econverso, supra, de maledic., statuimus, arg.

X 5.32 DE NOVI OPERIS NUNCIATIONE

X 5.32.01 *Intelleximus*

Non dedignantur
In Auth. ut cler. apud prop. episc., ad. fi., coll. 6; et in Auth. de eccl. titul., in princ., coll. 9; et 2. q. 3, Enthemium § hinc colligitur.

Adiuvantur
Et ita in causa ecclesiastica leges possunt allegare, ut etiam si canones deficiant, possit iudicari secundum leges, 10. dist., lege; et 10. dist., si in adiutorium; 23. q. 2, historia; 54. dist., ex antiquis. Arg. contra 33. q. 2, inter haec; 32. q. 4, nemo. Dicas quod legibus utendum est in ecclesiasticis causis nisi canonibus contradicant, quia tunc non, 10. dist., lege; et hic in fine dicitur et facit ad hoc, C. de novo cod. comp., haec quae, ibi: praeterquam si iuris divisione aliqua adiuventur, supra, de maledic., statuimus, ubi de hoc.

Sive iure sive iniuria
Hoc sumptus est ff. de novi operis nunc., praetor § ait praetor; et ff. de novi operis nunc., si autem. Et est simile in excommunicatione quae tenet semper sive iusta sive iniusta, 11. q. 3, sententia pastoris. Tanta est enim vis denunciationis, ut si aliquid fiat post denunciationem ante remissionem vel satisdationem de opere demoliendo, etiam si ius habeat aedificandi, in totum debet demoliri, ff. de novi operis nunc., praetor § 1; et hic; et infra, de nov. oper. nunc., cum ex iniuncto. Et haec denunciatio facienda est in re praesenti et in ipso opere, et non tantum domino, sed illis qui ibi sunt, ff. de novi operis nunc., de pupillo § nunciare. De hoc dicitur infra, de nov. oper. nunc., cum ex iniuncto. Et hoc ideo quia nunciatio ista in rem est et non in personam, ff. de novi operis nunc., operis novi nunciatio. Unde cuicumque fiat, tenet, ff. de novi operis nunc., cuilibet. Alibi facta quam in re non tenet, ff. de novi operis nunc., de pupillo § si quis forte. Quod potest intelligi quod non tenebit quo ad hoc, ut non teneatur demoliri opus factum, cum ius habeat aedificandi, quod fieret si esset factum in re, ut hic dicit. Et nota quod tot debent esse deunciationes et tot remissiones quot sunt loca in quibus aedificat, ff. de novi operis nunc., de pupillo; et ff. de novi operis nunc., de pupillo § si in pluribus. Laur.

In praeiudicium
Haec est alia causa demoliendi aedificium. In praeiudicium enim ecclesiae parochialis alia fieri non debet, 16. q. 1, ecclesiae; et 16. q. 1, quicumque; et supra, de eccl. aedif., ad audientiam 1; nisi iusta causa subsit, ut ibi dicitur. Et tunc id fieri debet auctoritate episcopi.

X 5.32.02 *Cum ex iniuncto*

Expensis
Sed quare suis expensis debet destruere, cum non fuit ei denuciatum novum opus? Quia absens fuit, ut hic sequitur in littera. Immo sufficit quod praestet patientiam, ut monachi destruant, arg. ff. de alien. iud. mut. caus., quia etiam si § item si. Et heres in poenam non succedit. Unde sufficit patientiam praestare, ff. de novi operis nunc., cui opus. Sed dic quod denunciatio fuit facta praedecessori, unde tenetur iste sicut ille, cum ei successerit in vitium, supra, de iudic., quia V; et supra, de restit. spol., saepe. Et hoc edictum datur heredi et in heredem, cum in vitium succedit et etiam post annum, ff. de novi operis nunc., praetor, in fi.; supra, de testib., significaverunt. Et sic suis expensis debet demoliri, supra, de nov. oper. nunc., intelleximus; et C. de aedif. priv., de operis novi. Si vero aedificatum sit domino invito, tunc sufficit praestare patientiam. Vel si servus sine iussu domini hoc fecit, ff. quod vi aut cla., si alius, 1. resp.; et ff. quod vi aut cla., denique § ulti.

Cautum sit
ff. de novi operis nunc., hoc edicto § in operis, denegatur huic actio, quia fecit contra denunciationem ante remissionem.

Nunciatum
Denunciatio novi operis ad ea tantum pertinet, quae solo coniuncta sunt vel in solo fiunt, non ad alia, ff. de novi operis nunc., hoc edicto § hoc autem edicto. Opus autem novum

facit qui aedificando vel detrahendo pristinam operis faciem immutat, ff. de novi operis nunc., hoc edicto § opus novum. Non autem si quis reficit antiquum, ff. de novi operis nunc., hoc edicto § si quis aedificium; et supra, de Iudae. et Sarrac., consuluit. Illud praeterea scias quod qui denuciat novum opus, primo iurare debet quod non calumniae causa denuciat, ff. de novi operis nunc., de pupillo § qui opus. Et hoc iuramentum auctore praetore exigitur antequam iuret, ut ibi dicit. Et qui simplici verbo nunciat, hoc ipso constituit ipsum qui aedificat possessorem. Secus si per iactum lapilli, ff. de novi operis nunc., hoc edicto § in operis; et ff. de novi operis nunc., de pupillo § meminisse. Et ideo melius est hoc facere per lapillum. Et haec denunciatio locum habet sive fiat ipsi domino sive procutratori, servo vel puero, vel ipsi fabro qui aedificat, ff. de novi operis nunc., de pupillo § nunciare. Dum tamen in praesenti re ut ibi dicitur, ut dixi supra, de nov. oper. nunc., intelleximus. Competit autem denunciatio non tantum domino, sed etiam emphyteutae et creditori, ff. de novi operis nunc., in provinciali § ulti; et ff. de novi operis nunc., in provinciali § si ego; et ff. de novi operis nunc., creditori. Et si aedificetur in publico quilibet civis admittitur ad denunciandum, ut lege praedicta ff. de novi operis nunc., in provinciali § ulti. Item competit usufructuario sed non contra dominum, ita tamen quod ususfructus non sit deterior, ff. de remission., ait praetor § et verba. Item servus nunciare non potest, sed ei potest denunciari, ff. de novi operis nunc., de pupillo § 1. Nisi nomine alterius nunciet, ff. quod vi aut cla., prohibere. Item si antequam aedificatum esset, aliquis ageret cum vicino ne altius tolleret aedes nec res defendatur, hoc facere debet praetor ut ille praestat cautionem non prius aedificare quam ultro agat ius sibi esse, ff. de novi operis nunc., si prius.

Remissionem

Remissio quandoque fit expresse, ff. de novi operis nunc., non solum § sciendum; et tacite, scilicet morte, ut eadem lege ff. de novi operis nunc., non solum § morte. Si autem qui denunciat non vult remittere renunciationem, cautione etiam sibi oblata debet peragere causam si potest usque ad tres menses, et alter tenetur expectare non obstante cautione oblata, si non compleverit causam usque ad tres menses iusta causa impediente, caveat postea de opere demoliendo et aedificat, C. de aedif. priv., de operis novi. Quidam non habent ibi hanc rubricam, sed est in titulo de aedificatis privatis, et sic intellige infra, de nov. oper. nunc., is cui; et infra, de nov. oper. nunc., significantibus. Qui enim statim vult docere de iure suo, non tenetur recipere cautionem ut ibi, nisi post tres menses, ut ibi dictum est.

Non teneat principale

Destructa enim re destruuntur privilegia, arg. infra, de verb. sign., abbate, in fi.; et 16. q. 7, et haec diximus; et supra, de fide instrum., inter dilectos § cum igitur; C. de legi. et const., non dubium; ff. de colleg., collegia; et 18. q. 2, in nullo; ff. de regul. iur., nihil dolo, in fi.; ff. de fideiussor., fideiussor obligari.

Non fecissent

Nota arg. quod pro monachis quod semper praesumuntur iustam litem movere, cum ipsi sua dimiserint propter Deum, supra, de excess. praelat., nimis iniqua, in princ. Unde non est praesumendum quod appetant aliena, arg. 12. q. 1, expedit, in fi. Et est simile 9. q. 2, Lugdunensis.

Pro vitando scandalo dimittenda
Nota quod pro aliquo scandalo vitando non debet quis mortale peccatum committere, quia utilius scandalum nasci permittitur quam veritas relinquatur, infra, de reg. iur., qui scandalizaverit. Et illud, sinite illos quia caeci sunt, 11. q. 3, inter verba; supra, de his quae vi met. caus. fi., sacris; et 32. q. 5, ita ne; et 1. q. 7, et si illa. Alias si aliqua possint fieri vel omitti sine mortali, detrahendum est iuri, ut hic dicit. Et sic possunt intelligi illa iura 50. dist., ut constitueretur, et omnia consimilia prout hic sequitur in littera.

Pro scandalo tollendo
Propter quod detrahendum est quandoque severitati, 50. dist., ut constitueretur. Et ius relaxatur propter scandalum sive multitudinem, supra, de temp. ord., sane, ubi de hoc. Et propter scandalum etiam matrimonium impeditur, supra, de spons., cum in tua; et supra, de cognat. spir., super eo; supra, de cleri. coniug., cum olim.

Licet maiorum
Id est, divitum et potentum qui sociam habent multitudinem, 23. q. 4, non potest. Ber.

X 5.32.03 *Significantibus*

Incontinenti
Maxime quia idem est si usque ad tres menses, infra, de nov. oper. nunc., is cui; et C. de aedif. priv., de operis novi, ut plene dictum est in capitulo proximo. Sed multo fortius si hoc incontinenti probare volebant, quia restitutio etiam differtur si incontinenti offerantur probationes, supra, de restit. spol., litteras; et ff. ut in poss. legat., si is a quo, in princ.; et ff. ad exhib., in hac actione § ibidem; simile supra, de ord. cognit., cum dilectus.

Inter loquendo decrevit
Et bene, quia non obstante cautione illa oblata tenebatur expectare usque ad tres menses adversarios volentes probare de iure suo, infra, de nov. oper. nunc., is cui; et C. de aedif. priv., de operis novi, prout dictum est in capitulo proximo quae determinatur per hanc decretalem et sequentem.

Ad Senonensem ecclesiam provocavit
Hic omisso episcopo appellatum est ad metropolitanum, et ideo contra supra, de appell., dilecti filii 3, ubi haec materia plene expeditur.

X 5.32.04 *Is cui*

Non obstante
Sed contra videtur, quia si ille cui novum opus denunciatur, satisdederit de opere demoliendo, si apparuerit eum iniuste aedificasse vel per eum non steterit quo minus satisdederit, licite potest aedificare, ff. de novi operis nunc., non solum § si cum possem; et ff. de novi operis nunc., stipulatio; alias incipit ff. de novi operis nunc., de novi operis § 1. Sed haec intelligenda sunt secundum ea quae hic et in capitulo proximo dicuntur; et C. de aedif. priv., de operis novi. Et si statim vult probare praeiudicium suum vel usque

ad tres menses, auditur, non obstante cautione quae sibi offertur, ut hic dicitur. Alias recepta cautione aedificat vel statim vel post tres menses. Et sic intelliguntur contraria. Et ita est in optione denunciationis, an velit statim docere de iure suo vel usque ad tres menses, an statim recipere cautionem de opere demoliendo et postea procedatur in opere. Alii dicunt quod est in potestate illius qui aedificat dare statim cautionem, vel expectare ut incontinenti vel usque ad tres menses probet. Sed contrarium verum est, ut hic patet.

Trium mensium
Hoc sumptum est de illa lege C. de aedif. priv., de operis novi. Ber.

X 5.33 DE PRIVILEGIIS ET EXCESSIBUS PRIVILEGIATORUM

X 5.33.01 *Episcopalia*

Maioribus
30. dist., episcopi, ubi idem dicit. Arg. contra 93. dist., legimus, ibi: si auctoritas quaeritur; col. 2 post medium capituli in Auth. de referendar. § 1, coll. 2; et in Auth. de referendar. § 2, coll. 2. Sed hoc intellige quantum ad vulgi opinionem, quia ubicumque est nomen episcopi habet, ut in capitulo legimus. Et sic referas ad factum quod hic dicit.

Vilescat
Simile est quod sponsa non est statim tradenda, ne sponsus habeat eam minus caram, 27. q. 2, institutum. Ber.

X 5.33.02 *Sicut in iudiciis*

Praeiudicantibus
Id est, praeiudicium facere volentibus ecclesiae, quia etiam si peteretur auxilium eorum non propter hoc praeiudicaretur ecclesiae, supra, de offi. ord., perniciosa. Et sic est arg. quod ecclesia non vult ius alterius sibi abrogare, quia iurisdictio distincta esse debet, sic supra, de iudic., novit, ubi de hoc; et supra, qui fil. sint legit., causam quae 2, ubi de hoc.

Coercere
Si aliquid de iure ecclesiae sibi usurpare praesumpserint, supra, de immun. eccl., non minus; et supra, de immun. eccl., adversus; supra, de for. compet., cum sit. Et qui malos coercet, minister Domini est, 23. q. 5, qui malos. Et ministerium praebet legi, ut 23. q. 5, homicidas, et hic. Ad hoc enim facta sunt iura ut mali puniantur, ut 4. dist., factae sunt. Per leges enim nemo bene facere cogitur, sed male agere prohibetur, 23. q. 5, ad idem. Ber.

X 5.33.03 *Cum et plantare*

Excedentes
Unde illa perdere debent, 11. q. 3, privilegium; 74. dist., ubi.

Ecclesias igitur et decimas
Sic 16. q. 7, decimas et ecclesias; et supra, de iure patron., cura. Decimas quas habent laici in feudum et non alias possent recipere de consensu episcoporum, supra, de his quae fi. a prael., cum Apostolica, in fi. Decimas tamen de laboribus suis non solvunt, supra, de decim., ex parte tua 1.

Aliquo tempore
Nisi praescriptione muniti fuerint vel postea consensum episcopi habuerint, supra, de iure patron., cura.

Excommunicatos
Quos vitare tenentur non obstante aliquo privilegio, infra, de sent. excom., nulli. Et de iure communi quilibet tenetur, 11. q. 3, excommunicatos, quod ius per privilegium non tollitur, ut in decretali praedicta infra, de sent. excom., nulli.

Nominatim interdictos
Nominatim aliquis dicitur interdictus sive excommunicatus quando proprio nomine expresso interdicitur vel aliis circumstantiis, Inst. de exhered. lib. § nominatim. Ber.

Pleno iure
Id est, utroque iure quo ad spiritualia et temporalia, infra, de privileg., quoniam. Sed a contrario videtur quod si utroque iure pertineat ad illos, quod episcopos nihil possit attentare in illos, quod verum est. Et ita institutio et destitutio quo ad temporalia et spiritualia ad ipsos pertinet, 16. q. 2, visis; et infra, de privileg., quoniam. Et sic ecclesiae istae eodem gaudent privilegio quo et isti privilegiati. Alias vero si pleno iure ad eos non pertineant, servabitur quod hic dicit. Sed cum pleno iure istae ecclesiae pertinent ad istos religiosos ex privilegio Papae, quis deponet presbyteros? Potest dici quod illi primo vocabunt episcopum diocesanum, et per eum adiunctis sibi aliis episcopis depositio fiat, sicut faciunt in aliis sacramentis. Et hoc collige secundum tenorem privilegiorum, ut si primo debent recipere sacramenta ab episcopo diocesano, secundum quod in privilegio ponitur vel etiam a quocumque, et secundum hoc vocabunt isti privilegiati quoscumque episcopos voluerint. Alias possunt privari officio et beneficio per abbates iusta causa interveniente, sed deponere non possunt, cum ad officium abbatum hoc non pertineat. Ber.

Semel in anno
De hoc habes infra, de privileg., ut privilegia § illud.

Defunctorum
Nisi fuerint fratres eorum, quia tunc possunt illi sepeliri in ecclesia interdicta, dummodo illi fratres non sint excommunicati vel nominatim interdicti, ut infra, de privileg., ut privilegia.

Nullatenus eximantur
Sic infra, de privileg., tuarum; et infra, de privileg., quidam. Et hoc ideo quia per confraternitatem talem non sunt conversi illorum nec oblati, sed aliquam remissionem

consequuntur, infra, de privileg., ut privilegia. Unde dixit omnino non reddiderunt, et ita remanent de iurisdictione episcoporum. Alias pro tribus vel quatuor denariis posset quis eximi a iurisdictione sui episcopi quod esset iniquum, infra, de privileg., ut privilegia § hoc autem.

Tenorem privilegiorum
Sic infra, de privileg., porro, in fi. Et ideo non debent habere fructum illorum, ex quo ea non servant, infra, de privileg., tuarum; et infra, de privileg., petistis; et infra, de privileg., ut privilegia; 11. q. 3, privilegium. Et ita per abusum sive per delictum perditur privilegium, quare subiacebunt propter hoc interdicto episcoporum, ut in fine sequitur. Simile supra, de haeret., ad abolendam, in fi., ubi de hoc.

X 5.33.04 *Dilecti*

Non vultis
Unde possunt conveniri, quia iustitiam facere nolunt, 23. q. 2, Dominus; et in Auth. ut divin. iuss. subscr. hab. glor. quaest. § penulti., coll. 8; et in Auth. ut divin. iuss. subscr. hab. glor. quaest. § ulti., coll. 8; et 23. q. 5, administratores. Et sic iudex facit litem suam propter dolum suum et etiam propter alias culpas, ut ff. de iud., filiusfamilias.

Contemnentes
Arg. contra iudices qui probationes diligenter non attendunt, arg. 30. q. 5, iudicantem.

Decurtabimus
Non enim sunt ei sua iura servanda, qui ius alienum violare non metuit, 73. dist., ubi; et 25. q. 2, sic decet; et supra, de mut. petit., ex litteris; et supra, de mut. petit., prudentiam; et arg. 95. dist., esto subiectus. Et quod quisque iuris in alterum statuit uti debet eo, supra, de consti., cum omnes. Et ecclesiasticus ordo confunditur si cuilibet ius suum non servatur, 11. q. 1, pervenit. Inspiciantur ergo privilegia istorum, et secundum quod ibi continetur ita observetur, infra, de privileg., porro. Et ita tamquam contemptores et negligentes punientur. Ber.

X 5.33.05 *Ad haec*

Sepelierint
Ita communicando eis in morte, inciderunt in excommunicationem, quia cui non communicamus vivo non communicemus et mortuo, 23. q. 2, iustum; 23. q. 2, Dominus; et 23. q. 2, notandum; et supra, de sepult., sacris.

Eiiciant
Si potuerint discerni ossa eorum ab ossibus fidelium, alias non, supra, de sepult., sacris. Et nisi forte tales fuerint qui petierunt absolvi, et per eos non steterit quo minus fuerint absoluti. Et quia post mortem sunt absolvendi, infra, de sent. excom., a nobis est. Et factum suum isti emendare tenentur. Simile 55. dist., poenitentes; alioquin archiepiscopus hoc faciet in eorum opprobrium. Ala.

X 5.33.06 *Si de terra*

Triginta annos
Arg. contra supra, de praescrip., de quarta; 16. q. 3, placuit ut § quas actiones. Et est expressum infra, de privileg., accedentibus, ubi tantum quadraginta annorum spatio perditur privilegium, ubi de hoc.

Tanto tempore
Sic patet quod privilegium perditur nisi quis utatur eo, infra, de privileg., accedentibus. Sic etiam leges per dissuetudinem abrogantur, ff. de legib., de quibus. Multo fortius privilegium, quia res de facili ad suam naturam revertitur, ff. de pacti., si unus § quod si non totum. Sed propter haec quantum ad alios non perditur.

Renunciare
Sic infra, de privileg., accedentibus; et supra, de regular., ad Apostolicam; et supra, de regular., statuimus; et 7. q. 1, quam periculosum. Et remittentibus actiones suas non est ulterius regressus ad eas, ff. de aedil. edict., quaeritur § si venditor. Arg. contra supra, de for. compet., si diligenti, ubi plene de hoc tractatur.

X 5.33.07 *Porro*

Quamvis
Id est, quia. In antiqua erat: quoniam, et melius. Simile quamvis supra, de iureiur., quemadmodum, ibi, quamvis interdum etc. Vel quamvis, id est, cum, sed proprie non videtur stare posse.

Libertatem
Supple quam in aliis. Immo habent eandem in his quam in aliis possessionibus. Hoc tamen deprehenditur ex eorum privilegio, ut infra dicit. Et ita res ad eos devoluta censetur eodem privilegio cum aliis, ff. de usuri., cum quidam § si debitores; et ff. de iure fisc., fiscus.

Ex inspectione
Et ita inspicienda sunt privilegia ad hoc ut sciatur quid contineatur in eis, infra, de privileg., recepimus; et supra, de fide instrum., accepimus; et in Auth. de mandat. princip. § si quis autem, coll. 3. Et est arg. quod iudex debet facere copiam recripti partibus ad inspiciendum, nec sufficit sola recitatio rescripti, quia falsitas posset ibi esse quae ex sola lectione deprehendi non posset. Et ex eo quod dicit: ita observes, nota non esse recedendum a forma verborum, supra, de decim., ad audientiam; et supra, de translat., inter corporalia; et ff. de leg. 3, non aliter. Item arg. fines mandati diligenter servandos, supra, de rescript., cum dilecta. Item arg. nulli esse credendum qui dicit se habere privilegium nisi illud ostendat, supra, de offi. deleg., cum in iure. Et arg. ad hoc 42. dist., quiescamus; et 100. dist., contra morem; et infra, de privileg., cum capella. Ber.

X 5.33.08 Recipimus (rev. 9/23)

Tenorem
Sic supra, de privileg., cum et plantare, in fi.; et infra, de privileg., petistis. Et ita privilegium in sua forma tantum servari debet et non ultra extendi. Alias privilegium non defendetur in aliis. Ber.

X 5.33.08 *Recipimus*

Omnes
Sicut Templarii et Hospitalarii et Cistercienses censum non solvunt Romanae ecclesiae, sicut credo.

Inspicienda
De hoc dictum est supra, de privileg., porro.

Perceptae libertatis
Ubicumque inveneris haec verba, in privilegiis, statim intelligas illos esse in toto exemptos a iurisdictione episcoporum, ut hic patet.

Ad indicium perceptae protectionis
Licet Papa recipiat aliquod sub sua protectione, non sunt propterea subtracti a iurisdictione episcoporum, infra, de privileg., ex parte tua 1. Et sic per confirmationem in forma communi non praeiudicatur episcopo loci, supra, de confirm. util. vel inutil., sua nobis; et supra, de confirm. util. vel inutil., quasi per totum. Arg. supra, de maior. et obed., per tuas. Arg. contra supra, de cleri. peregri., te nobis. Quid ergo valet talis protectio? Certe parum, sicut parum valet confiscatio in forma communi, tamen aliqua reverentia plus debetur illis quam aliis, arg. supra, de maior. et obed., per tuas. Et forte citius Papa movetur pro eis cum iniuste gravatur ad litteras concedendas.

X 5.33.09 *Sane*

Temerarium
Hoc ideo dicit, quia quae per privilegium conceduntur, non debent trahi ab aliis auctoritate propria in exemplum, ut hic, et 16. q. 1, hinc etiam. Quia privilegia communem legem non faciunt, 16. q. 2, non exemplo; supra, de concess. praeben., constitutus, in fi.; ff. de constit. princ., quod principi; C. de legi. et const., leges, in fi.; et 7. q. 1, petisti; arg. 100. dist., contra morem. Arg. contra quia quod uni personae conceditur caeteris denegari non debet, 5. dist., ad eius vero; et 4. dist., denique. Non sunt contra, quia loquuntur de communi iure. Quod enim de iure communi conceditur omnibus concessum intelligitur. Secus de iure speciali, in quo casu loquuntur primae concordantiae.

Certa ratione
Nota quod privilegium non est dandum nisi certa ratione inspecta, ut 7. q. 1, petisti. Et non subito sed cum magna deliberatione, 23. dist., communis filius; et 16. q. 1, in parochiae.

Singularibus beneficiis
Id est, privilegiis, quae singularia sunt et privata a lege communi, 3. dist., privilegia. Ber.

X 5.33.10 *Patentibus*

Non licet
Nec etiam missas ibi celebrare, de conse. dist. 1, unicuique; et de conse. dist. 1, clericos; et de conse. dist. 1, si quis.

Potius per te
Arg. quod exempti si excedant metas privilegiorum sive publice deliquerint, quod possint ab episcopis coerceri, arg. infra, de privileg., tuarum, ubi de hoc. Arg. optimum supra, de statu monach., recolentes.

Non impediant
Arg. quod Papa sic indulget privilegium, ut non laedat sive impediat iustitiam aliorum, ff. ne quid in loc. pub., praetor ait § si quis a principe; et supra, de auctor. et usu pal., ex tuarum; 9. q. 3, si quis vero non obediat; 22. q. 2, primum; et ff. de condi. indeb., nam hoc; et supra, de consuet., cum olim; et supra, de eccl. aedif., ad audientiam 2.

X 5.33.11 *Tuarum nos*

Collata
Non pleno iure, ut infra patet.

Ad reconciliationem
Per aequam benedictam cum vino et cinere et per simplicem sacerdotem, supra, de consecr. eccl. vel alt., proposuisti; et supra, de consecr. eccl. vel alt., aqua. Sed nonne ex privilegio saltem semel in anno possent ibi celebrare ante reconciliationem, ut supra, de privileg., cum et plantare § quod si; et infra, de privileg., ut privilegia? Dicas quod privilegium non extenditur ad hunc casum quamdiu fuerit sic execrata, ut infra, de privileg., tuarum, ibi, donec reconciliata fuerit etc. Et quia hoc est interdictum iuris et non hominis. Qui celebrat in tali ecclesia non est suspensus nec irregularis. Hic tamen ecclesia fuit interdicta a iure et ab homine. Et sic diversa est haec poena, arg. supra, de cleri. excom., postulastis § quaesivisti. Ber.

Emancipare
Id est, liberare de potestate episcoporum.

Amittere
11. q. 3, privilegium.

Signatos
Per hoc patet quod licet portet aliquis habitum regularem, non obligatur dummodo constet quod non animo obligandi hoc faciat, ut isti faciebant. Quia in tali casu habitus non facit monachum, supra, de regular., porrectum. Arg. contra supra, de regular.,

statuimus. Sed illud verum est cum constat quod animo vovendi habitum recepit professorum. Nec obstat 27. dist., quod interrogasti; et supra, de regular., vidua; 20. q. 1, quem progenitores. Quia illa intelligabantur olim quando ab initio factum erat ambiguum. Et per hoc videtur solvi quaestio de eo qui simulando se monacham corrupit monialem, quia non est compellendus ad monachatum. Alias tamen puniendus est exilio, etiam si iocose schemate monachae usus est, in Auth. de sanct. episc. § ulti., coll. 9. Laur.

Exhortationis
Id est, praedicationis.

De officio beneficioque
Puniuntur enim isti tamquam falsarii, supra, de crim. falsi, super eo. Laici enim excommunicantur, supra, de crim. falsi, ad falsariorum.

Privilegii beneficio
Sic ergo videtur quod ordinarius possit punire exemptos cum publice delinquunt, quia hic privantur officio et beneficio nuncii istorum, et ipsis interdicitur officium exhortationis ab ordinario, supra, de haeret., ad abolendam, in fi. Sed ibi dicitur tamquam a sede Apostolica delegatus. Unde non videtur quod iure suo et ratione delicti sortitur quis forum, 6. q. 3, placuit; et supra, de privileg., cum et plantare, in fi.; et supra, de privileg., patentibus. Ratione delicti perditur privilegium, ut hic dicitur; et 11. q. 3, privilegium. Item reatus omnem honorem excludit, C. ubi sen. vel clar., quicumque. Et qua in provincia quis deliquerit, illic iuri subiaceat omni privilegio cessante, C. ubi de crim. agi oport., authen. qua in provincia. Nec enim praetextu privilegii flagitiorum crescit auctoritas, C. de privil. scholar., hac lege, lib. 12. Et remissio peccatorum non dat licentiam delinquendi, 1. q. 7, exigunt; de poen. dist. 3, sane. Et dicit imperator, non permittas delinquentes aliquibus privilegiis uti, in Auth. de mandat. princip. § quod si delinquentes, coll. 3. Sed contra videtur quod non possint illos punire, 16. q. 1, frater noster; et supra, de supp. neg. prael., sicut; et infra, de privileg., cum capella. Si enim tales possent puniri ut alii, inutile esset eorum privilegium. Item proconsul non potest se intromittere de causis fiscalibus, qui est maior omnibus post principem, ff. de off. procon., si in aliquam § 2. Alias est lex ff. de off. procon., nec quicquam. Vincen. dixit quod ordinarius non potest interdicere eorum ecclesias, quando totam terram subiicit generali interdicto. Sed contra hoc est supra, de consuet., cum inter; et infra, de verb. sign., cum in partibus. Sed verius dicas quod licet non possit interdicere illorum ecclesias, ipsi tamen de iure communi tenentur servare interdictum generale, ut dicunt iura duo proxima, alias posset illos punire, supra, de privileg., patentibus, cum publice delinquunt. Item pro levibus et minimis causis non possunt episcopi se intromittere nec excommunicare eos, vel si aliquis illorum esset infamatus, non potest compelli ut se purget. Nam Papa nihil aliud eis concessit nisi quod eos filios suos fecit, sed in aliis cum publice delinquunt, non abstulit eis iurisdictionem. Alias nihil aliud esset nisi dare materiam delinquendi. Et quod possint puniri quando publice delinquunt, hic patet, et supra, de privileg., patentibus. Et hoc idem dicit Tanc. Alii dicunt quod nullo modo potest eos punire, et Papa sibi hoc reservavit, et hoc volunt sic probare. Papa bene fecit quod Templarii et Hospitalarii et alii exempti semper sunt in aliena parochia, et scit quod

delinquunt, et dicit quod non puniantur ut per iura patet in contrarium allegata. Et quia si aliqui dicuntur curiales, puniuntur ubi inveniuntur nisi sint in armata militia, quia tunc conveniuntur sub magistro militum nisi habeant privilegium imperiale, C. ubi quis de cur. vel cohort., hac perpetua. Et illustres non puniuntur nisi sub iudicibus a principe specialiter deputatis, C. ubi sen. vel clar., senatores, circa medium. Io. distinxit ita si privilegiatus deliquit circa rem non exemptam, ut in contractu vel maleficio occidendo hominem vel adulterando, tale delictum potest punire episcopus loci. Quia si persona sit exempta, res tamen in qua deliquit non est exempta. Et ita quasi ratione rei in qua deliquit, sortitur quis forum etc., supra, de for. compet., licet ratione. Si vero deliquit circa rem exemptam, puta male gerendo se in officio suo vel alienando res ecclesiae, tunc a solo Papa punitur, quia in his exemptus est. Ubi enim factum eorum praeiudicium affert non exemptis, ibi bene punit episcopos eos. Secus si non tangit, et hoc probatur satis, infra, de privileg., cum capella. Si vero aliquod specialius in privilegiis suis invenitur, illud servetur, supra, de privileg., porro. Innocentius Papa statuit quod exempti subsint ordinariis ratione delicti sive contractus aut ratione rei, de qua contra ipsos quaestio movetur, et coram eis possunt conveniri, sed delictum commissum sit in loco exempto sive contractus initus aut res litigiosa sit in loco exempto, tunc non possunt conveniri coram ordinariis, ut dicitur in quadam constitutione Inno. iiii infra, de privileg., extravag. volentes.

Poena suspensionis
Scilicet officii et beneficii, et potest hoc referri ad factum, cum de iure sint suspensi violando temere interdictum, prout notatur supra, de excess. praelat., tanta, in magna notula. Sed si scienter celebrarent post interdictum iuris debent suspendi, et tunc proprie dicitur suspendi. Ber.

Reducas
Id est, ostendas illos ab eis non fuisse absolutos, hoc est, sicut de facto fuerunt absoluti, ita de facto reducas illos in eandem sententiam.

Nolumus excusari
Sic supra, de privileg., cum et plantare § penulti.; et infra, de privileg., quidam.

X 5.33.12 *Cum olim*

Lucii
Quod postea fuit amissim, ut infra sequitur.

Onus
Ideo enim isti apud sedem Apostolicam testes suos producere debent, quia pars altera suos etiam ibi produxit, ut sic hinc inde servetur aequalitas.

Fratrum
Istis non creditur tamquam testibus cum iurati non fuerint, quia inducti non fuerunt in testes, sed quia ipsi viderant privilegium, credit eis Papa tamquam fratribus suis et

honestis viris. Sed non probationem sed praesumptionem inducunt, et coadiuvant testes inductos.

Diocesani
Et ideo nullum ius reservavit ipsi episcopo in monasterio illo, ex quo verba plenae exemptionis continebantur in privilegio illo, ut supra patet, et arg. supra, de privileg., recepimus.

Non ligatum
Cum non esset iudex suus, supra, de consuet., ad nostram; et 2. q. 1, in primis. Et sic ipso facto denunciavit ipsum non ligatum, et sic sententia a non suo iudice lata servari non debet, supra, de iudic., at si clerici. Arg. contra infra, de sent. excom., cum desideres § 1; et infra, de sent. excom., pueris; et infra, de sent. excom., si aliquando, ubi de hoc.

Sine reprehensione
Hoc est notatu dignum, quod si aliquis vult probare amissionem instrumenti, oportet quod plura probet, videlicet tenorem instrumenti et praeterea quod fit sine aliquo vitio quo posset argui falsitatis, ut hic patet, et arg. C. de fid. instrum., cum quidam. Sed numquid legatus potest probare pari ratione amissionem instrumenti suae legationis? Dico quod non, supra, de offi. deleg., cum in iure; arg. C. de mand. princ., si quis. Quia non est aliquis ibi superior coram quo fieret probatio, alias tamen si honestus et notus esset, potest et debet ei credi, arg. 97. dist., nobilissimus. Item quandoque sufficit probare tantum amissionem instrumenti, licet alia ratio non probetur, C. de probation., si de possessione. Sed hoc est in odium illius qui fuit instrumentum furatus. Alias non sufficit probare solam amissionem, ut hic patet, et C. de testi., testium, in fi. Item si instrumentum fuit exhibitum in iudicio et ei fides est imposita. Si postea perdatur, adhuc potest adversarius instrumentum reprobare praestito tamen iuramento quod malitiose hoc non opponat, C. de fid. instrum., cum quidam. Si quaeras qualiter probatur perditio instrumenti, dic quod per iuramentum illius qui perdidit, arg. praedictae legis proximae. Sic et amissio aliarum rerum probatur per sacramentum, C. und. vi, si quando; et supra, de his quae vi met. caus. fi., super eo; et 2. q. 1, in primis. Et hac eadem ratione videtur quod si impetrasti litteras ad delegatos et eas amiseris, si probas amissionem et tenorem litterarum quod fuerint sine aliqua falsitate et sine vitio suspicionis, per legitimos testes qui discreti essent cognoscere litteras de vitio falsitatis, posset dici quod postea possunt procedere, arg. huius decretalis. Ber.

X 5.33.13 *Ex parte abbatissae*

Nulla mentio
Unde videtur quod litterae non valebant, supra, de rescript., cum ordinem.

Non erat ignarus
Unde non videbantur valere litterae cum ex certa scientia veritas sit suppressa. Et talis qua expressa litteras non habuisset, supra, de rescript., super litteris. Vincen.

Specialiter pertinere
Et ita sententiae non tenuerunt, tum quia post appellationem tum quia specialiter sedi Apostolicae subiectae sunt, sic supra, de privileg., cum olim propter; supra, de relig. dom., cum dilectus. Unde Papa omittit alias sententias tamquam nullas, ut supra, de privileg., cum olim propter.

Innovandum
Sic contradictum fuisset tali innovationi, Papa non statim innovasset, supra, de privileg., cum olim propter.

Sed antiquum ius
Nota ergo quod per innovationem nihil iuris acquiritur sed antiquum reservatur, arg. 12. dist., praeceptis; et supra, de confirm. util. vel inutil., cum dilecta; et infra, de privileg., quia intentionis.

X 5.33.14 *Cum olim*

Appellatum
Ex parte canonicorum.

Praefigendum
Ad instantiam episcopi.

Diffinitivam
Hoc ideo dicit quia iam processum fuerat in causa ad plenum per iudices a quibus fuit appellatum, alias haec non haberent locum.

Et F. monacho
Nota quod causa delegatur monacho, supra, de for. compet., conquestus. Quod est verum expresso nomine monachatus, quo tacito non valerent quia per surreptionem essent obtentae, quoniam monachi a strepitu causarum remoti esse debent, supra, de synd., sicut. Unde oportet quod in litteris fiat mentio de monachatu, supra, de rescript., cum ordinem; et supra, de confirm. util. vel inutil., porrecta. Similiter nec procurator esse potest etiam pro utilitate monasterii sine licentia abbatis, 16. q. 1, monachi; et 16. q. 1, de praesentium. Abbas tamen potest esse procurator, supra, de censib., sopitae; et supra, de transact., contingit. Hodie non committitur causa a Papa vel ab eius legatis nisi personis in dignitate constitutis vel canonicis in cathedralibus ecclesiis vel aliis collegiis venerabilibus, ut in decretali Inno. iiii in concilio Lugdunensi supra, de rescript., extravag. praesenti decreto. Nec debet committi nisi in civitatibus vel alibi, ubi possit haberi copia peritorum, ut ibi dicitur.

Quibus
Sed cum appellatum fuerit ab istis iudicibus, quomodo debent se amplius intromittere? Dic quod hoc fuit de voluntate partium, alias non compellerentur et poterunt canonici appellationi renunciare. Sic supra, de except., significaverunt. Et quid Papa hoc mandat, et quia non fuerunt prosecuti appellationem, perinde est ac si non appellassent.

Ac probandum
Et hoc additum erat in litteris, ut si de partium procederet voluntate, diffinitivam sententiam promulgarent, ut probant sequentia.

In expensis
Quia pars monasterii non fuit prosecuta appellationem, unde debuit condemnari in expensis, supra, de appell., saepe; et supra, de appell., reprehensibilis. De hac materia dicitur supra, de dolo et contu., finem, certa quantitate expressa et taxatione praemissa.

Iuraveras
Probatio ista expensarum per iuramentum solum fit, ut hic patet, et C. de iud., sancimus; taxatione praemissa, ut eadem lege C. de iud., sancimus; et 3. q. 4, offeratur; et supra, de procurat., constitutis; et supra, de his quae vi met. caus. fi., super eo.

Extorto
Consensus seu confessio per metum extorta non valet, 15. q. 6, si quandoque; et 15. q. 6, auctoritatem; et C. quod metus cau., si vi; et supra, de his quae vi met. caus. fi., perlatum; et 31. q. 2, Lotharius. Ber.

Restitutionem
Quia quicquid post suam consecrationem acquisivit, episcopatui acquisivit, quare donare illa non potuit, quia qui nihil habet nihil donare potest, 18. q. 1, statutum; 54. dist., abbati; et supra, de iure patron., quod autem, in fi. Ber.

Revocari
Nota quod ecclesia sine auctoritate episcopi aedificari non debet, etiam si sit aliquis exemptus, de conse. dist. 1, nemo; et 1. q. 2, placuit; et in Auth. de eccl. titul. § si quis autem, coll. 9. Quod si fecerit episcopus, ecclesiam ad suum dominium revocabit, ut hic patet, nisi abbas illam praescripsisset, ut supra dicit.

Nec tenere
Forte dicebat sententiam latam contra absentem non contumacem, unde nulla erat, 3. q. 9, omnia; et ff. de re iud., contra pupillum. Sed hoc non erat verum, ut hic patet per finem ubi confirmatur sententia pro parte.

In damnum ecclesiae
16. q. 6, si episcopum; et ff. quan. ex fac. tut., ob dolum.

De gratia duximus
Et sic beneficio restitutionis admissum fuit monasterium ad exhibenda privilegia quae omiserat, supra, de in integ. restit., auditis, et aliis pluribus capitulis. Sed iure communi non admitteretur praetextu illorum instrumentorum. Et sibi imputet quod omisit illa, supra, de re iudic., inter monasterium; et supra, de re iudic., suborta. Tamen in causa appellationis bene audiretur de iure communi ad exhibitionem privilegiorum, quia tunc possunt induci nova instrumenta et nova exceptio opponi, supra, de fide instrum., cum

Ioannes; et C. sent. rescind. non pos., peremptorias; et C. de temp. appel., per hanc. Et hic non fuit appellatum a sententia, quia si appellatum fuisset, non fuisset admissum monasterium hac via. Quamdiu enim competit ordinarium auxilium, non datur extraordinarium, ff. de minor., in causae 2, in princ.

Rasuras
In loco suspecto, alias non obesset, supra, de fide instrum., ex litteris; supra, de relig. dom., cum venerabilis.

Subscriptiones
Ex hoc non deberet esse suspensum, quia quot sunt subscriptiones subscribentium tot diversitates scriptuarum debent esse. Et dissimilitudo debet esse, ut patet ipso facto per subscriptiones. Vix enim possent similes. Quod singuli subscribere debeant, probatur C. qui testam. fac. pot., hac consultissima. Sed reprobatum fuit hoc instrumentum ex eo quod habebat rasuras in loco suspecto et quod falsum videbatur. Quia scriptum aliud fuit exhibitum, quod fuit eadem manu confectum et conscriptum, et ideo non fuit illi instrumento habita fides. Sic supra, de except., cum venerabilis.

Irritam et inanem
Ex hoc patet quod licet sententia per falsa instrumenta lata nulla est, interim tamen quamdiu non constat, de hoc habetur aliqua supra, de fide instrum., accepimus, ubi de hoc.

Praescripsisset
Si allegasset praescriptionem nomine Romanae ecclesiae, supra, de praescrip., cum ex officii.

Cum ipsi de hac
Sed tantum de libertate ab episcopo concessa, quae non valuit. Et ita patet quod licet sententia iudicis retractetur, non est praesumendum propterea contra ipsum quod aliquid fecerit fraudulenter, nisi in contrarium probaretur, 2. q. 6, hoc etiam placuit.

Ad ius professionis
Id est, ad ius obedientiae vel fidelitatis, quod est contrarium libertati, supra, de simon., ne Dei.

In caeteris
Scilicet, quo ad expensas et in restitutione Marabatinorum et in restitutione ecclesiarum. Et sic sententia pro parte tenet et pro parte revocatur, sic supra, de testamen., Raynutius; et supra, de testamen., Raynaldus.

X 5.33.15 *Accedentibus*

Per quadraginta annos
Et sic patet quod contra privilegium praescribitur. Arg. contra 25. q. 2, sors; et 25. q. 2, non statim, ubi dicitur quod privilegia ecclesiarum et monasteriorum cunctis temporibus

inviolata permaneant. Sed illud loquitur de alio privilegio quod potius pertinet ad libertatem ad immunitatem ecclesiarum de generalibus statutis quibus ecclesia regitur, et illa intemerata semper erunt. Item videtur quod unico actu perdatur privilegium, C. de pac. inter emp. et ven., commissoriae; et C. de iure dom. imp., si creditor. De hoc plene dictum est supra, de consti., cum accessissent. Praeterea ad hoc ut perdatur privilegium, sufficit quod per triginta annos non sit usus privilegio, supra, de privileg., si de terra. Et hic dicit quod quadraginta. Ad hoc dicerunt quidam quod etiam unico actu perditur hoc privilegium, sed respondetur de quadraginta et ibi de triginta, quia sic de facto accidit. Simile ff. de pet. hered., item veniunt § adoptanda. Et hoc probare voluerunt unde audiendi erant, supra, de restit. spol., licet; et ff. de probation., circa eum. Et sic unico actu perditur privilegium et redit res ad ius commune. Simile ff. de pacti., si unus § quod si non ut totum; et ff. de adimen. leg., quod si iterum, quae continuatur praecedenti; et 35. dist., ab exordio. Ad hanc solutionem consuevit sic distingui: privilegium aut datur ad agendum aut ad excipiendum etc. Quaere hanc distinctionem, de consti., cum accessissent. Sed hoc non credo quod hoc privilegium unico actu tollatur. Arg. ad hoc C. de excus. et temp., voluntaria; et C. de episc. et cler., authen. presbyteros. Et credo standum huic decretali et valebit privilegium istud nisi probetur quod quadraginta annos non sunt usi privilegio, solvendo decimas quiete. Arg. optimum supra, de praescrip., cum vobis. Et ita perditur privilegium eodem tempore quo et praescribitur contra ius commune. Unde continue debent isti probare perceptionem decimarum quolibet anno, ut dicit littera. Unde isti si vellent probare interruptionem et possent, admitterentur, vel per retentionem decimarum vel etiam per litem contestatam factam. Et hoc indicant verba illa, continue perceperint sine lite. Et ita quod dicitur supra, de privileg., si de terra, de triginta annis non tenet, ut supra, de praescrip., ad audientiam; et supra, de praescrip., illud.

Renunciasse tacite

Supra, de privileg., si de terra, ubi de hoc; supra, de his quae fi. a maior. par. cap., ex ore; supra, de offi. deleg., gratum. Sed numquid talis renunciatio possit ei obiici ab aliis, quibus decimas non solvunt? Arg. quod sic, supra, de consti., cum accessissent; supra, de praeben., pro illorum. Sed hoc non credo quod propter hoc perdat privilegium quo ad alios, sed de privilegio tantum detrahitur, supra, de privileg., si de terra.

X 5.33.16 *Cum capella*

In quantum exempti

Quod colligitur ex forma ipsius privilegii, supra, de privileg., porro; et supra, de privileg., recepimus. Ex hac decretali solvitur quaestio de abbate qui acquisivit privilegium, quod monasterium suum esset exemptum cum omnibus capellis. Tempore succedente acquisivit capellas quas contendit eodem privilegio retinere episcopo loci contradicente. Et est distinguendum per hanc decretalem utrum acquirat novas capellas prioribus accessorias, an quae habeant se principaliter ab illis omnino segregatae. In primo casu participant eidem privilegio. In secundo casu non, arg. ff. de liberat. leg., creditor § Caio; ff. de leg. 3, uxori, 1. resp.; et ff. de leg. 3, cum quis, in fi. Arg. contra ff. de ver. oblig., cum stipulamur. Huic decretali contra videtur 16. q. 1, frater noster; et 12. q. 2, cognovimus, quia una et eadem res non debet duplici iure censeri, et supra, de decim.,

cum in tua. Sic enim videtur quod isti sint partim liberi partim servi, quod est contra illud ff. de statulib., si duobus. Sed non obstat, quia quantum ad capellam istam sunt liberi ab episcopo et in his quae spectant ad ipsam. In his in quibus subsunt episcopo non sunt exempti, et diverso iure censentur quo ad diversa non ad idem. Sicut potest habere quis plura domicilia, supra, de for. compet., ex parte. Et quo ad unum eorum potest censeri uno iure et quo ad aliud alio. Et sic tenetur utrique, et est simile supra, de maior. et obed., per tuas; et infra, de privileg., ex ore, in fi. Et sic exemptus seu privilegiatus potest iudicari ab episcopo loci, sed non in his in quibus exemptus vel privilegiatus est nisi prout dicitur supra, de privileg., tuarum, in fi.

X 5.33.17 *Ex ore*

Rectissima
Cum ius faciat quo ad omnes qui similiter iudicare tenentur, supra, de re iudic., in causis. Et ideo cum multa providentia et deliberatione est promulganda, 35. q. 9, Apostolicae; et 35. q. 9, sententiam, in fi.

Nulli parcat
Ubi scandalum non timetur, alias detrahere debet severitati, 50. dist., ut constitueretur; et 44. dist., comessationes; et 23. q. 4, non potest; et supra, de nov. oper. nunc., cum ex iniuncto.

Quod suum est
Sic supra, in constitutione Gregorii in principio libri huius, rex pacificus; et Inst. de iust. et iure, in princ. Et summum bonum est in rebus iustitiam colere, 12. q. 2, cum devotissimam.

Ad synodum episcopalem
Cum iusta causa extiterit, 18. dist., episcopus non debet.

Recipere ac servare
17. dist., decernimus.

Aliqua de suis
Arg. quod quando haec dictio, quia, vel haec dictio, sicuti, ponitur in privilegio, quod per hoc ponitur aliquid, alias nihil esset. Arg. infra, de verb. sign., abbate; et infra, de privileg., in his; et ff. de condi. et demon., quibus diebus § dominus; ff. de leg. 1, si servus § si servus; et ff. de leg. 1, si servus § qui quinque; et ff. de leg. 1, si sit § 1; et C. de fals. caus. adiec., etiam. Arg. contra quod potius intelligitur conditionaliter, ff. de contrah. empt., si quis fundum; et ff. de contrah. empt., si debitor, in fi. Io.

Sit probata praescriptio
In his scilicet quae per privilegium non erant exempta in quibus obtinet episcopus, ut infra sequitur. Et sic est arg. quod abbas potest praescribere ius commune in capellis contra episcopum in his quae potest possidere, supra, de praescrip., auditis.

Quae non probantur
Ergo licet quis probet exemptionem capitis, non ideo probavit exemptionem membrorum, arg. supra, de privileg., cum capella. Arg. contra quia totum et pars debent eodem iure censeri, 12. dist., non decent; et 12. dist., praeceptis; et 12. q. 2, cognovimus; et 2. q. 7, si quis episcopus; et ff. pro derelic., an pars.

Idem abbas tenetur
Et sic est arg. quod aliquis potest esse vasallus multorum, sicut iste abbas subest Papae et episcopo pro capellis, ut supra, de privileg., cum capella; ff. de oper. lib., duorum.

X 5.33.18 *Ex parte tua*

Declarantur
Sic supra, de privileg., recepimus; et supra, de maior. et obed., per tuas.

Subtrahuntur
Sic ergo talis protectio inutilis est, sicut confirmatio in forma communi de qua dicit supra, de concess. praeben., quia diversitatem. Ad quid ergo impetrantur? Quia solet plus timeri quod specialiter pollicetur quam quod generaliter impetratur, supra, de haeret., si adversus; et 23. dist., quamquam.

X 5.33.19 *Pastoralis*

Contineatur expressum
Arg. quod privilegium semper intelligitur concessum sine laesione alterius, supra, de offi. ord., licet; et supra, de auctor. et usu pal., ex tuarum; et supra, de eccl. aedif., cum dicat; et supra, de eccl. aedif., ad audientiam 2; et C. de inoffic. testam., si quando; arg. supra, de privileg., patentibus.

Inconsulto
Sic licet lex concedat libertatem servo vindicanti necem domini, a iudice tamen danda est, C. pro quib. cau. ser., quoniam.

In possessionem
Quam numquam habuerunt. Et hoc ideo quia nemo sua auctoritate rem suam accipere debet, C. und. vi, si quis in tantam; et 16. q. 6, placuit; et C. de acq. poss., improba; ff. de acq. poss., si ex stipulatione. Secus si possessionem habuisset, supra, de restit. spol., cum venisset.

Indulgentiam
Si de duabus servitutibus altera remanet in suo statu, ff. de servitu. urb. praed., si domus tua; et supra, de auctor. et usu pal., ex tuarum, ita hic. Nec huiusmodi generali concessione conceditur quod specialiter non fuisset concessurus, ff. de peculi., qui peculii, ff. de pignorib., denique; et ff. de pignorib., obligatione; et supra, de elect., ecclesia vestra 2, ibi neque enim etc.; C. de inoffic. testam., si quando. Ber.

X 5.33.20 *Petistis*

Ridere
Simile infra, de sent. excom., si vere. Simile dicit imperator: iudices iubemus esse sollicitos ne turpi colludio quaeratur ex miseris pretium gaudiorum, C. pub. laet. vel con. nun., quicquid, lib. 12, in fine libri.

Quamdiu
Sic 6. q. 2, si tantum; et 6. q. 2, placuit.

Celebretis
Non enim debent aliis legem imponere quam ipsi negligunt observare, supra, de praeben., pro illorum. Nec tenetur alius servare privilegium quod ille non servat cui concessum est, infra, de sent. excom., in audientia. Et qui privilegium alterius non servat eius privilegium non est servandum, supra, de appell., an sit; supra, de elect., bonae 1. Et quod ab illis exigere debet multo fortius a seipso, ff. de negot. gest., si pupilli § ulti.; et ff. de admin. tut., quotiens § item temporali; ff. si serv. vend., altius; et supra, de nat. ex lib. ven., indecens.

X 5.33.21 *Quoniam*

Utroque iure
Scilicet in spiritualibus et temporalibus, supra, de privileg., cum et plantare § in ecclesiis; et 15. q. 2, observandum. Illud intelligitur cum traditur ecclesia pleno iure. Vide qualiter interpretatur hoc verbum, utroque iure, cum tamen utroque iure posset ecclesia aliqua monasterio esse subiecta, licet episcopus aliqua temporalia ibi recipiat, infra, de censib., cum venerabilis.

Synodare
Id est, ad synodum vocare.

Permanentibus
Similis interpretatio est 16. q. 1, generaliter. Et simile infra, de verb. sign., abbate, in fi. Et ita licet persona sit exempta, tamen ratione rei quam possidet non exemptae est subiecta, supra, de privileg., cum capella; et supra, de privileg., ex ore, in fi.; et supra, de maior. et obed., per tuas.

Utroque iure
Id est, in spiritualibus et temporalibus, ut supra patet. Ber.

X 5.33.22 *Quia circa*

Episcopalibus
De quibus loquuntur canones, 12. q. 2, vobis; et 12. q. 2, concesso.

Secundum canonicas sanctiones
Puta de consensu capituli, 12. q. 2, vobis; 12. q. 2, sine exceptione; et supra, de his quae fi. a prael., cum nos. Nec in enorme detrimentum facta fuerit, quia per hoc posset revocari, supra, de dona., Apostolicae.

Indefinite
Arg. quod indefinita aequipollet universali, 19. dist., si Romanorum.

Nihil exceperit
Sic supra, de iure patron., ex litteris.

Beneficiis
Simile supra, de dona., pastoralis; et supra, de dona., cum dilecti, in fi.; et infra, de verb. sign., olim; ff. de constit. princ., beneficium.

Sed futuri
Arg. quod in privilegiis verbum generale et indefinite prolatum ad futurum extenditur, 12. q. 2, cognovimus; et supra, de decim., ex parte tua 2; et C. quae res pign. oblig. poss., si quis; ff. de servitu. urb. praed., si servus. Arg. contra supra, de censib., quanto; et supra, de decim., cum in tua; et supra, de privileg., cum capella; ff. de contrah. empt., in lege; et ff. de contrah. empt., Rutilia Polla; ff. de damn. infect., damni § si is qui. Sed ideo contra dantem fit interpretatio ne excogitata fraude suae obviet libertati, 16. q. 2, visis; C. de donation., si quis argentum § ulti. Secus ubi certa verba ponuntur. In eo casu non extenditur ad alia, sed ita servandum est privilegium quatenus tenor privilegii se extendit, supra, de privileg., porro; et supra, de privileg., recepimus. Sed ubi verbum generale ponitur, ad omnia appellativa extenditur, sic supra, de decim., ex multiplici. Si autem aeque potest retorqueri ad ius commune sicut ad privilegium, potius videtur interpretatio facienda secundum ius quam secundum privilegium, supra, de consuet., cum dilectus; et ut nemini sit onerosa, arg. supra, de testib., cum tu; ut non sit captiosa, ff. de regul. iur., quotiens. Et contra illum potius interpretatio debet fieri qui potuit legem apertius dicere, ff. de pacti., veteribus; et ff. de contrah. empt., Labeo; et ut fiat secundum communem modum loquendi, supra, de spons., ex litteris 1. Nam consuetudo interpretatur vocem, infra, de verb. sign., abbate. Et semper in tutiorem partem fit interpretatio, supra, de spons., iuvenis; infra, de reg. iur., estote. Si enim neutra esset tutior, in benigniorem, 9. dist., sana; ff. de reb. dub., cum in testamento. Io.

X 5.33.23 *Antiqua*

Renovantes
22. dist., renovantes.

Alexandrina secundum
Scilicet post Constantinopolitanam et Constantinopolitana primum, scilicet post Romanam. Olim vero Alexandrina fuit prima post Romanam, ut 22. dist., renovantes. Et sic privata fuit iure suo sine culpa, quod esse non debet regulariter, supra, de consti., cognoscentes; et supra, de eo qui cog. consang., discretionem; et supra, de eo qui cog.

consang., Iordanae; et 16. q. 7, inventum; et 56. dist., satis perversum. Hoc tamen non fit sine causa, supra, ut lite non cont., quoniam § 2. Quod fit pluribus modis, unde versus: paupertas odium vitium favor et scelus ordo // personas spoliant et loca iure suo. Unde propter paupertatem uniuntur duae ecclesiae ut unus sit sacerdos utriusque, 10. q. 3, unio; cum utraque consuevit suum habere proprium. Propter odium, ut 70. dist., neminem; propter favorem, ut hic, et 22. dist., renovantes. Et propter vim seu favorem consecrationis, 14. q. 6, comperimus. Quandoque etiam favore religionis, supra, de eccl. aedif., ad audientiam 1. Propter scelus etiam puniuntur illi qui non peccaverunt, 25. q. 2, ita nos. Propter ordinem privatur dominus servo suo, 54. dist., ex antiquis; et 54. dist., frequens. Quandoque propter defectum sacramenti, 34. dist., si cuius; et 34. dist., lector.

Fidelitatis et obedientiae
Sic ergo Patriarchae, et illi qui nullo medio subsunt domino Papae, iurant ei fidelitatem et obedientiam, ut hic dicitur, et supra, de iureiur., ego. Sic et suffraganei suo metropolitano obedientiam et reverentiam praestare debent secundum quod isti praestant Papae, supra, de maior. et obed., dilecti filii.

Professionem
Id est, obedientiam et reverentiam, supra, de simon., ne Dei. Ad quam non tenentur exempti episcopo diocesano, cum illud fit contrarium libertati, supra, de privileg., cum olim propter, in fi. Ber.

Nisi in urbe
Arg. quod minor non potest exercere iurisdictionem praestante maiore, 21. dist., denique; et 95. dist., presbyter; ff. de off. procon., proconsul portam; et supra, de offi. legat., volentes. Arg. contra 95. dist., ecce; et 11. q. 1, pervenit; C. de donation., in hac sacratissima.

Ab omnibus
Hoc est privilegium Apostolicae sedis, ut omissis omnibus possit appellari ad ipsum, ut hic innuitur, et 2. q. 6, ad Romanam. Sic etiam intelligitur quod dicit imperator, quod habet similia privilegia cum Romana ecclesia, in Auth. de eccl. titul., in princ., coll. 9; et 95. dist., mos antiquus.

X 5.33.24 *Ut privilegia*

Intellecta
Qui malitiose privilegium principis interpretatur infamis efficitur, C. de legi. et const., quae ex relationibus.

Non negetur
Ex hoc loco patet quod tempore interdicti denegatur ecclesiastica sepultura, ex quo per privilegium istis conceditur, supra, de privileg., cum et plantare § quod si. Ber.

Mutato habitu saeculari
Ita quod habitus illos distinguat ab habitu saeculari, licet ex toto non habeant habitum monachalem, arg. 33. q. 5, quod Deo pari. Et talis largo modo ecclesiastica persona censetur, 28. q. 1, ut lex; et 12. q. 1, duo.

Pro duobus
Quid si medietatem bonorum darent, numquid dicendi sunt fratres? Non nisi maiorem partem, arg. ff. de contrah. empt., in modicis. Quod non credo etiam si darent totum dum tamen non se reddant. Quia res et non persona sunt accessoria. Ber.

Semel in anno
Sic patet quod in ecclesia interdicta celebratur et canonice, quia tunc de speciali privilegio relaxatum est interdictum, non sublatum. Unde idem interdictum manet, non novum creatur, arg. ff. de preca., sed si manente; et 24. q. 1, Achatius non est; et 12. dist., praeceptis. Sed videtur potius ut dicit Vincen. quod interdictum non relaxetur, sed in ecclesia interdicta celebretur de licentia Papae, supra, de privileg., petistis, in fi. Nec tunc committitur contra interdictum. Sic aliquis potest praedicare et loqui excommunicatis de his quae pertinent ad correctionem eorum nec incidit in excommunicationem, infra, de sent. excom., responso; et infra, de sent. excom., cum voluntate, in princ. Et semel tantum in anno hoc eis licet et non pluries, ut hic patet. Sed si centum annos stetissent, quod non venissent ad ecclesiam istam quae saepe fuit interdicta, numquid praescribitur contra illos? Videtur quod sic, supra, de privileg., accedentibus, ubi isti Templarii perdunt istud privilegium quia non sunt usi isto spatio quadraginta annorum, arg. ff. de nund., nundinis. Sed contra credo in casu isto, quia non nocet eis. Sed numquid de auctoritate episcopi posset aliquis celebrare in ecclesia interdicta ab episcopo? Videtur quod sic eadem ratione. De hoc dixi supra, de appell., ad haec quoniam.

Pluraliter
Nota quod pluralis locutio non semper infert suas singulares. Sic 1. dist., omnes leges; sic supra, de appell., significavit; supra, de praeben., cum iamdudum; sic 2. q. 1, in primis, ibi: alii accusatores; ff. de condi. et demon., falsa § si quis legaverit; et ff. de statu hom., summa. Arg. contra supra, de rescript., olim. De hoc plura argumenta invenies supra, de rescript., ex parte Conventrensis.

X 5.33.25 *Quod nonnullis*

Commune terrae interdictum
Interpretationem huius verbi habes infra, de verb. sign., cum in partibus.

Quandoque
Per hoc videtur quod saepius possint quam semel in anno, ut sit privilegium episcoporum maius quam privilegium praecedentis capituli. Sed diversa sunt privilegia episcoporum et illorum. Hoc enim intelligitur de ecclesiis sibi subiectis, sed praecedens in ecclesia una tantum semel in anno celebrare possunt. Et expone quandoque, id est, quandocumque. Vel dic quod cum illud privilegium generale sit in parochia alterius episcopi, poterit episcopus celebrare sicut in sua si alius episcopus hoc permiserit? Sed numquid canonici

possunt interesse cum episcopo? Non, ita quod celebrent principaliter cum ipso more solito, licet intersint ut audiant sicut alii extranei qui non sunt interdicti, cum ipsi canonici non habeant privilegium ne per hoc vilescat rigor, supra, de privileg., ut privilegia. Vel potest exponi quandoque, id est, non semper, quia si ex tali celebratione oriretur scandalum, non deberent semper celebrare, sed aliquando, ita quod non esset scandalum.

Causam
Per hoc dicunt quidam quod illi qui non deliquerunt nec aliquam causam dederunt ut poneretur interdictum, licet forte in loco interdicto interesse non debeant divinis cum illis qui privilegium habent, tamen extra terram illam bene possunt audire divina et percipere sacramenta. Credo quod non debeant admitti ad aliqua officia vel sacramenta, ut ipsi per hoc citius inducantur ad satisfaciendum, et ut sententia magis timeatur. Quia qui suspensus vel interdictus est in una ecclesia, in omnibus est interdictus vel suspensus. Hoc expresse dicitur in textu et in glossa 4. q. 5, quisquis. Et arg. bonum ad hoc infra, de poenit. et remiss., quod in te, ubi de hoc notatur in fi. Ber.

Iniquum
Nota occasionem iuris ad iniquum dispendium trahi non debere, C. de usuca. pro empt., eum qui. Sic supra, de translat., inter corporalia, a contrario sensus; et 45. dist., licet nonnumquam.

X 5.33.26 *Quanto*

Sola verba
Et male certe, quia consideranda est mens potius quam verba. Nam verba deserviunt intentioni et non econverso, infra, de verb. sign., intelligentia; 1. q. 1, Marcion; et ff. de legib., scire leges. Et potior est mens quam verbum docentis, ff. de supel. leg., Labeo, in fi. Et arg. ff. de instruc. vel instrum., cum de lanionis § asinam, in fi. Et in testamento consideratur potius mens testantis quam verba, ff. de leg. 1, a fratris postumo. Et in contractibus potius inspicitur voluntas quam verba, C. quae res pign. oblig. poss., pignorum; et C. quae res pign. oblig. poss., si quis. Et non tantum verba edicti servanda sunt immo sententia potius, ff. de legib., contra legem. Hic non servabant vim et potestatem verborum, ut videtur. Quia indirecte videbantur excommunicari ex quo subtrahebatur communio aliorum. Sic Iudaei excommunicantur, supra, de usur., post miserabilem; et supra, de usur., quanto; et supra, de Iudae. et Sarrac., Iudaei sive; et supra, de Iudae. et Sarrac., ad haec; et supra, de Iudae. et Sarrac., sicut Iudaei, in fi. Et sic indirecte faciebant contra privilegia Papae. Unde praecipitur quod de caetero hoc non faciunt. Ubi autem res dubia esset, potius servanda sunt verba edicti, ff. de exerc. act., utilitatem § si is qui. Et est decretalis ista contra civitates, quae quandoque consimilia faciunt contra ecclesiasticas personas. Et sic violant ecclesiasticam libertatem. Et tales sententiae non valebant nec timendae erant sed quo ad factum tantum refertur, quia contra privilegia Papae, supra, de excess. praelat., cum ad quorundam.

Quodammodo
Quasi diceret non vere excommunicabant illos, sed subtrahebant alios ab eorum communione. Et ideo excommunicati videbantur, quia excommunicatio est a fraterna

societate separatio, 3. q. 4, Engeltrudam. Et sic quodammodo excommunicabant eos. Ber.

Iudicio Iudaeorum
In hoc videntur iudicari Iudaeorum iudicio, quia cum ecclesia excommunicare Iudaeos non possit, quia nihil ad nos de his qui foris sunt, 2. q. 1, multi. Quandoque excommunicantur Christiani communicantes eis, ut supra dictum est. Ita isti cum non possent istos excommunicare propter privilegium, excommunicabant communicantes eis.

Maiorem excommunicationem
Qui enim participat excommunicatis, excommunicatus est minori excommunicatione, 11. q. 3, cum excommunicato; et supra, de except., a nobis. Sed isti qui participant istis monachis in praedictis erant excommunicati excommunicatione maiori. Et ita maiorem excommunicationem incurrebant quam alias participando excommunicatis.

In fraudem
Et sic patet quod si non possunt illos excommunicare, nihil facere debent per quod ad idem redeant. Quia si denegatur eis una via, denegata intelligitur et alia, supra, de procurat., tuae. Sic ergo isti in fraudem privilegiorum non sunt excommunicandi. Sicut nec in fraudem canonis aliquid faciendum est, supra, de concess. praeben., constitutus; nec in fraudem legis, ff. de Maced., si quis patrem § is autem. Unde nota quod quatuor modis fit fraus legi sive canoni: de persona ad personam, ut si uxor velit donare viro vel econverso, cum non possit, supra, de don. int. vir. et uxor., donatio. Et supponit aliam personam cui donat, non valet donatio, ff. de donat. inter vir. et uxor., haec ratio § non tantum; 46. dist., sicut non suo. De re ad rem: prohibitum est ne filiofamilias pecunia mutuetur, si tamen aliquid in fraudem factum fuerit, puta dedisti frumentum vel aliud consimile quod venderet, ut pecuniam haberet, fraus fit legi, ff. de Maced., sed Iulianus § mutui; alias incipit: item si filius; et ff. de Maced., si quis patrem § in usura; 14. q. 3, plerique; et 1. q. 1, sunt nonnulli. De contractu ad contractum: ut puta uxor non potest donare viro, ut dictum est, vult ei vendere, ut sic hoc modo possit donare, non valet, ff. de donat. inter vir. et uxor., si sponsus § circa. Sic 16. q. 3, si sacerdotes. Item de contractu ad contractum alio tamen modo quam supra, ut cum mulier pro alio fideiubere non possit, principalem se facit debitricem. Hoc non valet quia facit in fraudem legis, ff. ad Velleia., quamvis § si cum essem. Et sic patet quod qui facit in fraudem legis, contra ipsam legem videtur facere, ff. de legib., contra legem; et ff. de legib., fraus. Unde tales sententiae in veritate non tenebant, ut hic patet, quia Papa non mandavit eos absolvi. Ber.

X 5.33.27 *Ex parte tua*

Forisfactis
Id est, maleficiis. Simile verbum habes supra, de praescrip., ad audientiam.

In delicto fuerint deprehensi
Sed videtur contra quod licet clerici in delictis fuerint deprehensi, non tamen capi vel detineri possunt sine licentia praelatorum suorum nec puniri praeter poenam excommunicationis, infra, de sent. excom., ut famae. Item contra videtur, infra, de sent.

excom., si vero alicuius; et infra, de sent. excom., in audientia, ubi clericus habet privilegium etsi saeculariter vivat, supra, de vit. et honest. cler., ex litteris. Dicas quod con contradicunt illa, quia loquuntur in eo casu cum certum erat illos esse clericos. Unde semper retinent privilegium nisi post trinam admonitionem fuerint incorrigibiles, ut dicit illa decretalis infra, de sent. excom., in audientia. Hic autem loquitur de his qui per omnia tamquam laici in omnibus et ab omnibus habebantur, ut hic dicitur. Et malitiose assumebant tonsuram. Vel si aliquando fuerant clerici non constabat, et sic ipso facto privilegio renunciaverunt clericali. Sic supra, de cleri. coniug., ex parte. Unde hic nulla poterat fieri admonitio. Ideoque de fraude vel de malitia sua commodum reportare non debent, nec incurrunt excommunicationem qui tales puniunt, ut hic patet, quia in delictis deprehendebantur. Unde hoc ipso amittebant privilegium, infra, de sent. excom., cum non ab homine; et infra, de sent. excom., perpendimus. Contraria intelliguntur quando contempto habitu incedunt ut laici, nec deprehenduntur in delictis.

Malitiis
Sic ff. de rei vend., in fundo; supra, de rescript., plerumque; et supra, de rescript., sedes; et supra, qui matrim. acc. poss., significante. Ber.

X 5.33.28 *Super specula*

Non respuat famulatum
Supra, de nov. oper. nunc., intelleximus; et 10. dist., lege imperatorum; et 10. dist., si in adiutorium.

Non utuntur
Cum tamen ab omnibus debeant observari, C. de legi. et const., leges; et C. de legi. et const., leges sacratissimae. Et licet ab omnibus de facto non serventur, quia non subsunt imperatori. De iure tamen debent subesse et praecipue isti quibus prohibentur, 11. q. 1, volumus. Et dominus totius mundi est, ff. de lege Rhod. de iac., de precario; et 7. q. 1, in apibus.

Locis vicinis
Et ita ratione vicinitatis sentit quis commodum vel incommodum, de poen. dist. 1, sed et continuo; et 44. dist. § 1; et ff. de contrah. empt., quod saepe § ulti.; et 17. q. 4, si quis contumax. Arg. contra quia lupanaria non infamant castitatem, 32. q. 5, tolerabilius. Ber.

X 5.33.29 *Quia intentionis*

Novum
Sic patet quod innovatio privilegii nihil novi confert. Sic supra, de confirm. util. vel inutil., cum dilecta; et supra, de privileg., ex parte abbatissae; 12. dist., praeceptis. Sic 24. q. 1, Achatius non est. Sic per protectionem non diminuitur ius episcopi, supra, de privileg., ex parte tua 1, sic et confirmatio in forma communi obtenta, supra, de concess. praeben., quia diversitatem. Quandoque tamen per confirmationem aliquid iuris accrescit, quia transactio quae erat personalis per confirmationem fit realis et perpetua, ut supra, de transact., veniens; et supra, de transact., sicut.

X 5.33.30 *In his quae*

Ad cultum divinum
De his quae ad cultum divinum relinquuntur in testamento, ipsius favore non detrahitur quarta, supra, de testamen., de his.

Sine praeiudicio
Et ita in praeiudicium alterius non datur privilegium grave. Sic supra, de auctor. et usu pal., ex tuarum; supra, de eccl. aedif., ad audientiam 2; ff. ne quid in loc. pub., praetor ait § si quis a principe; et ff. de admin. tut., impuberi; et C. de emancip. lib., nec avus; et C. de precib. imper. offer., quoties; et infra, de privileg., dudum.

Nimis stricte
Quod esse non debet quia principis privilegium latissime interpretandum est, infra, de verb. sign., olim; et ff. de constit. princ., beneficium; et 2. q. 3, si quem § notandum, in fi. Nec nimis large interpretari debet, supra, de privileg., ut privilegia, ibi: aperiantur ecclesiae. Et illud verbum non ita large accipitur, ut ibi dicitur.

Publicare
Ut nullus possit se per ignorantiam excusare, supra, de postuland., clerici; et 16. dist., quod dicitis; et 12. q. 2, qui et humanis; ff. de institut. act., sed et si § praescribere.

Ex indulgentia
Indulgentia enim semper debet aliquid conferre, ut hic patet, et C. de thesaur., nemo, lib. 10; et ff. ad municip., municipem; et ff. de leg. 1, si quando; et ff. de usufruct. et habit., divus. Et potius laborandum est ut res valeat quam ut pereat, supra, de fide instrum., inter dilectos; et infra, de verb. sign., abbate; ff. de reb. dub., quotiens 2; et ff. de act. et oblig., quotiens; et ff. de regul. iur., in contrahenda. Alias delusoria esset indulgentia principis. Ber.

X 5.33.31 *Dudum*

In quarum erant possessione tempore illo
Si enim possidebant decimas illas iure suo tamquam sibi debitas, privilegium super his obtentum sive indulgentia non valet, quae absorbet ius alterius, C. de precib. imper. offer., quotiens. Quia contra ius est, C. de precib. imper. offer., recripta; 25. q. 2, rescripta. Ac si lite pendente fuissent impetrata, quare non valent. Sic supra, de testib., causam quae 2; in Auth. in med. lit. non fier. sac. § si vero, coll. 8; et supra, ut lite penden., dilectus. Sic privilegium obtentum tacita compositione non valet, supra, de decim., ex multiplici. Sed super illis de quibus nondum fuerant in possessione valebant a contrario sensu, ut sic aliquem fructum habeant ex talibus indulgentiis, alias inutiles essent, ut supra, de privileg., in his.

Non facientes
Unde per surreptionem obtentae fuerunt. Et talem videlicet quae si expressa fuisset eas non habuissent, et maxime si laederetur prior et conventus, supra, de rescript., super litteris; infra, de verb. sign., quid per novale. Et ita indulgentia non valet tacita veritate sicut nec rescriptum, ut in capitulo supra, de rescript., super litteris. Sic et privilegium non valet nisi faciat mentionem alterius privilegii, supra, de praescrip., veniens. Et sic patet quod Papa concedendo indulgentiam seu privilegium non intendit alium laedere, ut supra, de privileg., in his, ubi de hoc invenies concordantias.

X 5.33.32 *Quidam*

Moram
Et ita non sufficit sola receptio nisi sequatur translatio plena. Sic 21. q. 2, si quis iam translatus. Sicut non dicitur quis esse de numero militum priusquam sit inter eos numeratus, ff. de testam. milit., ex eo tempore. Et sola ratio possessionis non est idonea ad munera iniugenda, ff. ad municip., libertus § sola. Sic et miles commeatu accepto si remaneat in domo sua, non habet privilegium, ff. ex quib. cau. maio., miles. Arg. contra ff. de bon. poss. ex test. mil., non dubium, in fi., ubi dicitur quod privilegium militis habet qui nondum pervenit ad milites.

Persolvenda
Sic supra, de privileg., cum et plantare § penulti. Sic supra, de privileg., ex parte tua 1; et supra, de maior. et obed., per tuas.

X 5.33.33 *Consultationi*

Non extat memoria
Infra, de verb. sign., quid per novale.

Perpetuo debet
Sic ergo patet quod ex quo fuit semel novale, quantum ad hoc quod decimae non solvantur de tali terra. Haec videbatur forte dubitatio si post longa tempora quae sufficerent ad praesumptionem canonicam, debet talis terra dici novale, ut postea censeretur iure communi cum aliis, ut decimae postea solverentur quod hic determinatur. Et est arg. quod principium considerandum est, supra, de censib., scientes; supra, de elect., dudum ad audientiam, in quibus de hoc. Item arg. quod ex quo res est semel privilegiata, semper erit privilegiata. Privilegia enim perpetua sunt, 25. q. 2, privilegia ecclesiarum et sacerdotum; et 25. q. 2, privilegia ecclesiarum et monasteriorum. Nisi perdantur, quia illi quibus concessa sunt eis non utuntur, supra, de privileg., accedentibus; et supra, de privileg., si de terra.

Indulgentiam
Isti enim habebant privilegium de non dandis decimis novalium, unde dubitabant utrum lapsu temporis rediret illa novalia ad ius commune cum aliis terris. Quod si esset, contingere posset quod plus dispendii consequerentur ex illo novali quam utilitatis, puta per magnas expensas quas facerent in reducendo terram illam inutilem ad culturam.

X 5.34 DE PURGATIONE CANONICA

X 5.34.01 *Nobilis homo*

Ingenuus
Ingenuus est qui statim ut nascitur liber est, Inst. de ingen., in princ. Et dicitur hic ingenuus qui alias non est nobilis, ut differat sic ab eo quod dicit nobilis.

Fidelem
Id est, fide dignum qui de facili non peieraret.

Sciveret
Ipsa synodus vel alias extra synodum iudex.

Duodecim
Hoc intellige si visum fuerit iudici quod tot habeat, quia numerus compurgatorum arbitrarius est, arg. infra, de purg. can., ex tuarum; et 2. q. 5, omnibus.

Expurget
Intellige de eo qui infamatus est.

In furto
Qui enim condemnatus est vel pactus de furto infamis est, ff. de his qui not. infam., furti § pactus; et ff. de his qui not. infam., praetoris, quare ulterius ad iuramentum non admittitur.

Periurio
Periurus non admittitur amplius ad iurandum, ut 6. q. 1, quicumque; et 22. q. 5, parvuli. Quia praesumitur contra ipsum ex antecedenti vita, arg. 2. q. 1, in primis, ad fi.; ff. de accusation., si cui; et ff. de re milit., non omnes § a barbaris. Idem est de eo qui falsum tulit testimonium qui periurus est et in tribus peccat, supra, de crim. falsi, falsidicus.

Ingenuus non est
Arg. quod propter crimen perditur nomen dignitatis, sicut per monachatum amittit quis nobilitatem, 27. q. 2, scripsit. Unde privilegio ingenui gaudere non debet, qui ingenui mores abiicit, infra, de sent. excom., in audientia; et supra, de vit. et honest. cler., ex litteris; et supra, de cleri. coniug., ex parte; et supra, de apostat., praeterea; et supra, ne cler. vel mon. saecul. neg., sacerdotibus. Expurgabit ergo se quasi servus sive libertinus ad arbitrium iudicis, et aliter quam ingenuus.

X 5.34.02 *Si quis presbyter*

Negligens
Qui negligit famam crudelis est, 12. q. 1, nolo; et 11. q. 3, non sunt.

Iuramento
35. q. 6, episcopus in synodo; et supra, de testibus cog., praeterea.

Christianitatis
Id est, sub poena fidei suae.

Admoneatur
2. q. 1, si peccaverit.

Emendaverit
Negligentiam scilicet, reddens se operibus bonorum actuum, ut sic suspicionem pravam depellat. Laur.

Suspendatur
Hic est ordo qualiter procedatur contra infamatum. Non enim incipiendum est a suspensione, sed ordo capituli est inspiciendus, arg. 2. q. 1, nomen; et 74. dist., honoratus; et 23. q. 4, forte. Hic ordo servandus est, ut plene dicitur, ut infra, de purg. can., inter sollicitudines. Ber.

X 5.34.03 *Moniales*

Valuerint
Per testes vel per aspectum corporis, 27. q. 1, nec aliqua.

Erga regulam
Id est, secundum tenorem regulae. Ber.

X 5.34.04 *Si quis de gradu*

Consensorem
Qui enim consentit quandoque ut faciens punitur, infra, de sent. excom., quantae; et 17. q. 4, omnes ecclesiae; et 86. dist., facientis. Et qui crimina quae corrigere potest non corrigit, ipse committit, 23. q. 8, praeterea.

Prodiderit
In iudicio timore probationis. Alias si occulte confiteretur sacerdoti, non repelleretur dummodo esset occultum, supra, de simon., ex tuae.

Versimilibus
Suspicio temeraria semper repellitur, 2. q. 1, primo; et 6. q. 1, oves. Versimilis inducit purgationem, ut hic. Violenta sufficit ad sententiam, 32. q. 1, dixit Dominus.

X 5.34.05 *Quotiens*

Accusatores
Et sic videtur quod plures possunt simul accusare de eodem crimine, supra, de collus., scripta; et 2. q. 1, in primis. Sed hoc ita contingit de facto. Sed iudex debet eligere magis idoneum, ff. de accusation., si plures. Vel intellige accusatores, id est, delatores vel denunciatores, supra, de accusat., cum oporteat. Et hoc satis videtur quia si fuissent accusatores, si non probaverint puniri debent poena talionis ad quam se inscribere debuerunt, supra, de simon., licet Heli. Aliter non admittitur accusator, ut ibi. Tamen denuncians si non probat puniri debet extraordinaria poena ad arbitrium iudicis, supra, de calumniat., cum dilectus. Ber.

Sui ordinis
Scilicet episcoporum. Et ita est arg. quod episcopalis dignitas sit ordo, 21. dist., cleros; 89. dist., ad hoc.

Religiosorum
Nota quod compurgatores debent esse bonae opinionis, ita quod non sit versimile eos velle peierare et ab ecclesia tollerentur, infra, de purg. can., cum P; et infra, de purg. can., constitutus. Et qui eius conversationem agnoscant, infra, de purg. can., inter sollicitudines.

Submissam
Non enim licet mihi per alium quod per me non licet, 1. q. 7, sancimus; ff. de admin. rer., non utique, in princ.; et ff. de Maced., filium habeo. Et qui per alium facit per seipsum facere videtur, infra, de sent. excom., mulieres; et ff. de admin. tut., ita tamen § gessisse.

Credunt eum verum
Sic infra, de purg. can., accepimus, in fi.; et supra, de testib., quotiens. Alias enim subirent anceps periurium, si praecise iurarent de aliena facto, ff. de in litem iuran., videamus; ff. de act. rerum amot., Marcellus § qui rerum. Qualiter iurare debeant qui purgantur, dicitur infra, de purg. can., accepimus, in fi.

X 5.34.06 *Nos inter alios*

Deficientibus
Vel etiam nullis apparentibus ex quo enim infamatus est apud bonos et graves. Et si nullus appareat accusator, compellendus est ad purgationem, 2. q. 5, si mala; et infra, de purg. can., inter sollicitudines. Sed numquid episcopus potest de quolibet crimine contra parochianum suum taliter procedere? Non credo. Et hoc intelligo in criminibus quae specialiter pertinent ad ecclesiam, puta de haeresi. Sic supra, de haeret., excommunicamus itaque § adiicimus. Vel de adulterio si consanguineus teneat consanguineam et uxorem alterius. Vel nisi habeat iurisdictionem temporalem, alias non videtur quod de quolibet crimine hoc possit. Arg. contra supra, de iudic., novit.

Appellaverit
Dum tamen iustam habeat causam appellandi, puta quia excedit modum episcopus in purgatione vel alias eum gravat, supra, de offi. ord., irrefragabili; et supra, de offi. ord.,

licet. Alias non admittitur appellatio et praecipue in huiusmodi crimine vel infamia, supra, de appell., cum sit Romana, in fi.; et supra, de appell., ut debitus.

X 5.34.07 *Cum P.*

Opinionis
Sic supra, de purg. can., quotiens; et infra, de purg. can., constitutus. Et qui vitam eius praeteritam et modernam agnoscant, infra, de purg. can., inter sollicitudines.

Privare
Qui deficit in probatione pro convicto habetur, et punitur tamquam probatum sit crimen, sic supra, de simon., de hoc; et supra, de simon., insinuatum; et infra, de purg. can., inter sollicitudines.

Malivolentiam
Arg. 95. dist., esto subiectus; 86. dist., quando; et ff. de off. praes., observandum.

X 5.34.08 *Ex tuarum*

Suspendisses
Propter enormitatem delicti suspenditur statim quis ab officio et beneficio, infra, de purg. can., inter sollicitudines, ubi de hoc dicitur.

Purgavisse
Haec purgatio est inhibita sive ferri candentis vel duelli, quia tales Deum tentare videntur, infra, de purg. vulg., per totum; et 2. q. 5, Mennam. Et clerici tales purgationes benedicere non debent, supra, ne cler. vel mon. saecul. neg., sententiam. Et ideo hic pro non praestita habetur.

Peregrina
Id est, extranea et reprobata. Aliter accipitur iudicium peregrinum pro iudicio non sui iudicis, 3. q. 6, peregrina; et 3. q. 6, leges.

Non putantes
Idem esset si coram iudice non suo se purgasset, infra, de purg. can., cum dilectis, in fi. Unde nota reprobatam purgationem non facere fidem. Simile ff. de pigner. act., eleganter § qui reprobos; et C. ne de stat. def., si pater tuus. Et qui iurat aliter quam debeat ex integro est iurandum, ff. de iureiuran., non erit § divus. Et est hic arg. quod si aliquis vocetur ad extraordinarium iudicem per hoc quod fit ibi, non interrumpitur praescriptio, ut lege praedicta C. ne de stat. def., si pater tuus. Item arg. quod sententia quae nulla est non liberat aliquem.

Annuncians
Simile 25. q. 2, habet hoc; et de conse. dist. 2, ego Berengarius, ad fi.

Absolvas
Quantum in te est, quia infamiam facti omnino removere solius Dei est, arg. ff. de obseq. praest., honori. Sed numquid post compurgationem potest accusari? Dicunt quidam quod si accusatore praesente se purgavit, non accusabit eum postea sicut in absolutione seu abolitione, nisi in casu ff. de praevaric., praevaricationis; et ff. de accusation., si cui. Secus si non accusatus purgetur nisi publice dictum esset quod quicumque vellet ipsum accusare exiret infra certum terminum, 2. q. 1, multi. Laur. dixit quod post talem purgationem de eodem crimine accusari non potest, quia iusiurandum maiorem auctoritatem habet quam res iudicata, ff. de iureiuran., iusiurandum speciem. Idem enim per iusiurandum consequimur quod per sententiam, ff. de iureiuran., sed et si § si cum de hereditate. Quoniam praetor iusiurandum tuetur, ff. de iureiuran., ait praetor si § 1. Et publica actio, scilicet popularis, consumitur per iusiurandum nisi per collusionem sit actum, ff. de iureiuran., eum qui § in popularibus. Solum enim Deum habet ultorem, C. de iureiuran., cum et iudices. Et poenam a Deo expectat, C. de recepti., authen. decernit. Arg. contra ff. de iureiuran., si duo patroni, in fi., sed ibi constabat de periurio.

X 5.34.09 *Constitutus*

Commendasses
Id est, probasses et examinasses personas et famam ipsorum, arg. 1. q. 1, multi.

Inquireres
Nimia examinatio vel indagatio quandoque vitanda est, ff. de novat., doli mali, in fi.; ff. mand. vel cont., si fideiussor § si cum debitor; ff. quib. mod. pig. vel hyp. sol., sicut in re corporali § si debitori; 34. dist., fraternitatis; et supra, de dolo et contu., ad haec; et 45. dist., sunt namque. Arg. contra ff. ad leg. Aquil., ita vulneratus, in fi. Item similis inquisitio reprobatur, supra, de iudic., cum deputati.

Ordinandos
Ergo ordinandi ita subtiliter sunt examinandi, et inquirendum est de natione in qua nati sunt, scilicet an legitime nati, supra, de fil. presbyt., ut filii. An sint bonae famae, quia in nullo debet eorum opinio vacillare, 33. dist., laici. Et an sint criminosi, 24. dist., si quis.

Immunis
Id est, quod illa crimina de quibus infamatus fuit, non commisit sicut credunt. Sic debet suppleri, alias haec forma reprobari videtur, infra, de purg. can., accepimus.

Iuramentum
Sicut credunt, alias temere iurarent.

Tolerentur
Et quod sint bonae famae, ut hic dicit, infra, de purg. can., inter sollicitudines; et supra, de purg. can., cum P. Sed crimen ei obiici non potest postquam ab ecclesia toleratur, ut a purgatione repellatur. Secus est in illis testibus qui ad testimonium inducuntur, supra, de testib., testimonium, cum suis concordantiis.

Condemnati
Ex quo enim condemnati sunt de crimine, factum est crimen notorium, non tolerantur, supra, de cohab. cler. et mul., quaesitum. Unde tamquam criminosi a iuramento repellendi sunt, ut supra, de testib., testimonium. Quid si in modum exceptionis crimen fuerit probatum a compurgatoribus, numquid possunt repelli eo praetextu si ex eo infamati erant sive eorum opinio gravata est? Repellantur ut in decretali praedicta supra, de testib., testimonium, in fi., quia debent esse bonae opinionis, ut hic dicitur.

X 5.34.10 *Inter sollicitudines*

Ecclesiastica constitutio
Quae dicit quod infamati deficiente accusatore admonitione praemissa si se non corrigant, ab officio suspendantur, 2. q. 5, presbyter si a plebe; supra, de purg. can., si quis presbyter. Unde nota quis sit modus procedendi in purgatione indicenda. Si quis clericus apud iudicem sit infamatus, praefigat episcopus terminum accusare volentibus. Et si aliquis comparuerit, audiatur, 2. q. 5, omnibus; et 15. q. 5, de crimine. Et si convincatur, canonice puniatur ut ibi. Si non appareat accusator, moneat ipsum secundum quod dicitur supra, de purg. can., si quis presbyter. Et si se non corrigit, tunc suspendatur ut ibi dicitur, et 23. q. 4, forte; et 74. dist., honoratus. Et sic intelligitur quod dicitur hic, tales ab officio tantum etc. Et sic intelligit Io. illud capitulum 2. q. 5, presbyter si a plebe. Tamen si mala fama illius crebrescit, potest episcopus inquisitionem ex officio suo contra illum facere, supra, de accusat., qualiter et quando 2, ubi plene dicitur de inquisitione; et 86. dist., si quid vero. Et ita cum a contumacia incipit, taliter procedere debet praelatus, ut supra, de purg. can., si quis presbyter. Quandoque tamen propter enormitatem delicti et scandalum et infamiam magnam inde ortam statim potest episcopus ipsum suspendere ab officio et beneficio, ut hic factum fuit, 2. q. 5, super causa. Et sic potest etiam intelligi capitulum illud 2. q. 5, presbyter si a plebe. Et hoc innuit bene littera illius, et Hug. sic intelligit illud. Cum vero incipit episcopus a crimine procedere contra aliquem, servabit illud quod dicitur supra, de iudic., cum non ab homine.

Obortam
Arg. quod ille cui probatur crimen in modum exceptionis debeat se purgare, si inde remaneat infamatus. Unde non poterat promoveri ante purgationem, supra, de testib., testimonium. Arg. licet enim exceptio non infamat, supra, de ord. cognit., cum dilectus, in fi. Tamen suggillat opinionem infamati, ff. de dol. except., apud Celsum § adversus. Et opinio ordinandi in nullo vacillare debet, 33. dist., laici. Arg. supra, de except., denique. Io.

Mollientes
Iudex enim debet habere misericordiam et rigorem, 45. dist., disciplina; et 45. dist., sunt namque; et 45. dist., vera.

Quartae decimae manus
Hic exceditur numerus compurgatorum propter immanitatem criminis. Arbitrarius enim est talis numerus, 2. q. 5, presbyter si a plebe. Et diminuitur quandoque in episcopo, infra, de purg. can., cum in iuventute, ad fi. Et habito respectu ad criminis enormitatem

indicenda est purgatio quandoque cum pluribus quandoque cum paucioribus, secundum quod visum fuerit imponenti. Ordinaria purgatio consuevit notari quibusdam versibus: pontificem parium manus expurget duodena // quinta sacerdotem levitam tertia poena // maior maiori minor est adhibenda minori. // Quem plebs accusat purgabitur in manifesto // quem chorus ante chorum sua sit purgatio praesto. Laur.

Noscitur
2. q. 1, si peccaverit; et 2. q. 5, Mennam; 23. dist., illud; et supra, de elect., postquam; 15. q. 5, de crimine; et C. ubi de crim. agi oport., authen. qua in provincia.

Moderno
Quia debent esse vicini et noti, infra, de purg. can., cum dilectus; et supra, de purg. can., ex tuarum; supra, de purg. can., constitutus; et supra, de purg. can., cum P.

Familiaritatis
Ex qua orta fuit infamia contra eum. Simile 34. dist., quorundam; et supra, de accusat., nulli; et infra, de purg. can., cum in iuventute. Et est arg. quod praesumitur contra aliquem vel de aliquo ex societate.

Abiuret
Qui enim est infamatus de hoc crimine, purgare se debet iuxta considerationem episcopi, supra, de haeret., excommunicamus itaque § qui autem. Merito iste debet abiurare familiaritatem ex qua fuit infamatus. In quibusdam enim casibus tenetur quis iurare se similia non facturum, sicut quilibet absolvendus, 11. q. 3, cum aliquis; et infra, de sent. excom., ex tenore. Item incendiarius, 23. q. 8, pessimam; et haereticus prout hic dicitur, et 1. q. 7, quotiens; et de conse. dist. 2, ego Berengarius. Et in quolibet nefando crimine, 12. q. 2, de viro. Io.

In arctum monasterium
Immo videtur quod depositus tradi debet curiae saeculari, supra, de haeret., ad abolendam § 1, 1. resp.; et supra, de haeret., excommunicamus et anathematizamus § damnati. Quare ergo iste non traditur curiae degradatus, cum deficiens in purgatione pro condemnato habeatur? Respondeo: praesumptio enim ista licet sufficiens sit ad privationem officii et beneficii et etiam depositionem, non debet propterea tradi curiae saeculari, quia directe condemnatus non est sed praesumptive. Et contraria loquuntur cum aliquis condemnatus est vere non praesumptive. Huic enim non fuit probatum quod sit haereticus verus, sed quod habeat familiaritatem cum eis. Unde propter huiusmodi praesumptiones non debuit taliter damnari, arg. supra, de praesump., litteras. Et damnati vere de haeresi, si redire volunt in perpetuum carcarem detruduntur, supra, de haeret., excommunicamus et anathematizamus § si qui, quibus iste comparatur quo ad poenam quodam modo.

X 5.34.11 *Cum dilectus*

Vicinae
Ex hoc praesumitur quod eius vitam et conversationem agnoscant, supra, de praesump., quosdam; et supra, de praesump., quanto. Non enim idoneus est qui factum ignorat, supra, de iuram. calumn., in pertractandis.

Honestae
Et sufficit quod ab ecclesia tolerentur, nec sint de crimine condemnati, supra, de purg. can., constitutus.

X 5.34.12 *Cum in iuventute*

Corripit
5. q. 5, non osculatur; 23. q. 5, non putes.

Ab illius
Scilicet neptis suae, cum qua dicebatur dormivisse, supra, de praesump., cum in iuventute, quae est pars istius et haec continuatur ad finem illius. Ber.

Facile sequitur
Quia pronior est ad malum quam ad bonum omnis aetas ab adolescentia, 12. q. 1, omnis. Et humana natura facile prolabitur ad delictum, in Auth. de monach. § sancimus, circa fi., coll. 1.

Ubi
Id est, postquam.

Postulare
Sed qualiter potuit hoc postulare, cum ei hoc non fuerit iniunctum et procurator non possit deferre iuramentum nisi specialiter sit ei hoc mandatum, ff. de iureiuran., iusiurandum quod § procurator. Dominus non tenebatur ratum habere factum procuratoris, secundum quod Papa hic innuit ex eo quod dicit, non iuris necessitate. Vel potest dici quod non excedit mandatum, si facit quod est vicinum mandato, supra, de elect., in causis; ff. iudi. solv., iam tamen § in hac stipulatione, in fi. Vel dicas quod procurator ad hoc mandatum habebat, prout satis colligitur ex ipsa littera.

Importunitate
Simile de poen. dist. 1, importuna; C. de petit. bon. sublat., quisquis, lib. 10.

Tunc purgarent
Praesumitur ergo quod suffraganei partem sui metropolitani foveant, quo ad ea quae spectant ad honorem ipsius, unde possunt recusari in factis ipsius, supra, ut lite non cont., accedens 1.

Non sint
Notabile est quod aliquis per seipsum possit purgari sine aliquibus sui ordinis, si omnes alii sunt inimici eius qui sunt sui ordinis, arg. 2. q. 5, si legitimi. Et tunc cum aliis

inferioris ordinis potest se purgare, et etiam cum laicis si clerici deficerent ex eadem causa, arg. 2. q. 5, omnibus. Et etiam cum feminis, arg. 18. q. 2, in decima. Io.

X 5.34.13 *De testibus*

Credunt
Sic infra, de purg. can., accepimus, in fi.; supra, de purg. can., quotiens; et supra, de testib., quotiens. Alias anceps subirent periurium ad quod nemo compellitur, ff. de in litem iuran., videamus; et ff. de act. rerum amot., Marcellus § qui rerum. Quod esset si de facto alterius praecise iurarent, ut ibi, et sic iuratur de credulitate in iuramento calumniae, C. de iureiuran., cum et iudices § quod observari, in fi. Sic et alibi ubi fertur testimonium de auditu, ff. de probation., si arbiter.

X 5.34.14 *Accedens*

Voluisti
Sic supra, de testib., super eo 1; et supra, de spons., praeterea 2; ff. de ritu nupt., adoptivus § serviles, in fi.

Purgatione
Et quomodo purgabit se quod non sit filius sacerdotis, quia negativa probari non potest directe. Et praeterea tale est factum quod probari non potest, ff. de condi. et demon., Lucius. Respondeo: hoc indirecte probabit, scilicet quod fuerit filius talis laici et uxoris eiusdem quam pro legitima tenebat, et hoc notum et publicum erat, et sic probabit se non fuisse filium sacerdotis. Item eo ipso quod probat se filium uxoris tuae quam tu tenes pro uxore, probabit se filium tuum esse, arg. ff. de in ius voc., quia mater. Et sic purgatur aliquis non solum a crimine, sed etiam ab irregularitate, ut patet hic, et laici etiam se purgant, supra, de purg. can., nos inter; et etiam feminae, supra, de purg. can., moniales. Bene potest etiam iurari super conditione personae, ff. de iureiuran., ait praetor si § 1.

Dilecti
Quia non est culpa eius qui gignitur, sed qui generat, 56. dist., nasci de adulterio.

X 5.34.15 *Cum dilectis filiis*

Destitutus
Qui deficit in purgatione deponitur, ut supra, de purg. can., nos inter; et supra, de purg. can., cum P; et supra, de simon., de hoc; et 30. dist., si quis presbyter. Sed in casu isto non debuit privari sed suspendi ab officio, nisi tu velles aequiparare crimen incestus crimini simoniae et haeresis, supra, de purg. can., inter sollicitudines. Tamen Papa non improbat factum episcopi Constantiensis, quia de hoc non agebatur. Sed credo quod bene fecit episcopus, quia praesumptive convictus est et talis praesumptio transit in violentiam.

Poena
Ut privaretur officiis suis, ut dictum est in prima notula.

Contumacem
Et male, ut patet per consequentiam, quia non servaverunt ordinem iuris. Debebant enim inquirere ad petitionem eorum qui impetraverunt inquisitionem vocato presbytero, ut haberet facultatem se defendendi, supra, de accusat., qualiter et quando 2 § debet, non obstante facto Constantiensis episcopi, cum de illo nihil eis commissum fuisset. Et sic ordo iuris in inquisitione servari debet, praecipue circa clericos saeculares. Ber.

Iuris ordine
Si iuris ordo qui est de substantia iudiciorum non servetur, nihil agitur, 2. q. 6, ei qui § diffinitiva. Alius ordo qui non est de substantia iudiciorum, licet non servetur, sententia tenet nisi per appellationem relevetur, C. de appellat., prius. Io. Et hic habes quod cassato principali cassatur accessorium, ut supra, de nov. oper. nunc., cum ex iniuncto; et supra, de accusat., ad petitionem.

Repugnantia
Unde non sunt audiendi, supra, de appell., sollicitudinem; et 23. q. 7, quod autem. Et imputandum est illis qui aliter retulerunt, cum possent relationem suam diligentius advertisse, supra, de fide instrum., imputari; et C. de fid. instrum., scripturae. Et ideo processus illorum et quicquid occasione illius processus factum est, irritatur, scilicet concessio ecclesiarum. Simile supra, de fide instrum., inter dilectos.

Notorium
Qualiter quod dicatur notorium habes supra, de cohab. cler. et mul., quaesitum.

Non erat illi indicenda
Quia nec probatione opus erat, 2. q. 1, de manifesta; supra, de accusat., evidentia. Citatio tamen facienda est, 24. q. 4, de illicita; et 2. q. 1, Deus omnipotens. Et sententia proferenda, ut hic dicitur, et supra, de appell., cum sit Romana; et 2. q. 1, de manifesta. Nec requiritur purgatio, ut hic, quia illa non habet locum nisi cum factum dubium est deficientibus accusatoribus et testibus, ut supra patet in multis capitulis. Nec probatio, ut 2. q. 1, Deus omnipotens; et 2. q. 1, scelus; 2. q. 1, de manifesta. Et sic patet quod in notoriis quantum ad sententiam tantum aliquae sunt partes iudicis. Quandoque tamen recipiuntur probationes ex abundanti, supra, de elect., bonae 1; 24. q. 1, pudenda, in fi.; et ff. de manumiss., causam, in princ. Nihil enim indubitatum est quod non recipiat quandam sollicitam dubitationem, in Auth. de tabell., in medio, coll. 4.

Apud bonos et graves
Nota quod dicit, apud bonos et graves fuerit infamatus. Per hoc videtur quod non refert undecumque orta fuerit infamia, ex quo apud tales iam laborat, sufficit ad purgationem indicendam, 24. q. 3, ecce; et supra, de purg. can., accedens. Arg. contra supra, de accusat., qualiter et quando 2; et 11. q. 3, in cunctis; 2. q. 5, omnibus. Per haec iura secundo inducta dicunt quidam, quod si infamia orta sit a vilibus et aemulis, non compellitur ad purgationem. Alii dicunt quod videtur verius quod ex quo aliquis infamatus est apud bonos et graves, compelli debet ad purgationem, ne apud illos incredibilis remaneat per iura primo inducta, et 2. q. 5, omnibus; et supra, de accusat., qualiter et quando 2, non contradicit.

Non debuerit ordinarius
Cum causa illa delegatis iudicibus commissa fuisset. Et sic episcopus nullam habebat iurisdictionem quantum ad causam ea pendente, verum purgatio tamquam a non suo iudice indicta non valet, supra, de consuet., ad nostram, cum suis concordantiis; et supra, de offi. legat., licet. Et ita purgatio minus iusta non facit fidem, supra, de purg. can., ex tuarum. Nec etiam delegatus ipsam tenetur audire, quia eo omisso accessit ad ordinarium, ff. de recepti., sed si in servum § ulti.; ff. de recepti., item si unus. Immo videtur quod talis causam perdere debet, C. de assert. toll., lites.

X 5.34.16 *Accepimus*

Curastis
De isto Bisuntino habuisti, ut credo, supra, de accusat., licet. Et ibi commissit Papa inquisitionem contra ipsum et eisdem iudicibus scribit hic. Ber.

A nativitate
Immo sufficeret quod post baptismum illud vitium non commiserit, etiam si taliter se purgare deberet, 25. dist., primum. Sed hodie rigor illius canonis non servatur, quia defectus nostri corporis districtionis illius non patitur manere censuram, 34. dist., fraternitatis. Et sine vitio carnis pauci inveniuntur, 50. dist., quia sanctitas. Quia difficile est continere, 33. q. 5, qui sitit. Quare dicit Papa quod non creditur ab eo taliter iuramentum exactum, quia nec debuit, ut patet infra.

Praesumimus
Arg. quod ea quae dubia sunt quo animo fiant, in tutiorem partem facienda est interpretatio, infra, de reg. iur., estote; ff. de regul. iur., semper in dubiis; et ff. de regul. iur., ea quae. Verbum illud, quod erat immunis, dubium erat ut patet, et ideo Papa interpretatur illud in securiorem partem, quia sic iurare fatuum esset ut sequitur. Ber.

Ignorat anima mea
Et ideo semper debet timere, quia bonarum mentium est ibi culpam timere ubi etiam culpa non est, supra, de observ. ieiun., consilium § 2; et 5. dist., ad eius vero. Quia si dixerimus quod peccatum non habemus, veritas in nobis non est, de poen. dist. 2, si enim inquit, ubi sunt verba Iob continentia hanc sententiam. Et saepe dimisso peccato alicuius punitur ille post peccatum dimissum, de poen. dist. 1, si peccatum. Et sic iste temerariam et dubiam purgationem volebat subire quasi anceps periurium, quod fieri non debet, ff. de in litem iuran., videamus. Et ideo Papa talem reprobat purgationem tamquam ineptam et dolosam. Contra supra, de purg. can., constitutus. Huic standum est et expone ibi, a crimine immunis, id est, non commisit illa crimina de quibus infamatus erat episcopus, ut credunt. Et ita debet intelligi illa littera ut ibi notatur, et sic potest praestare.

Graviora id est simoniam
Cuius comparatione caetera crimina pro nihilo reputantur, 1. q. 7, patet. Et ita simonia inter graviora peccata reputatur et homicidio quandoque comparatur, supra, de accusat., inquisitionis.

Venditionem iustitiae
Iustitia enim vendi non debet, 14. q. 5, non sane; et 11. q. 3, non licet; et supra, de vit. et honest. cler., cum ab omni. Et in tantum reprobata est quod venalis etiam sententia nulla est, 2. q. 6, ei qui § venales. Ita quod non est appellare necesse, C. quan. pro. non est nec., venales. Et non solum iustitia, immo iurisdictio non debet vendi, supra, ne prael. vic., praeterea; supra, ne prael. vic., quoniam in quibusdam.

De quibus infamatus existit
Super his tantum et super aliis debet se purgare, nec inquisitio nec exceptio testium super aliis fieri debet. Quod si fiat, non valet, supra, de accusat., inquisitionis § 1; et supra, de accusat., qualiter et quando 2. Ber.

Minime commisisse
Haec est ergo debita forma purgandi sine aliquo scrupulo duplicitatis. Quia et si egisset sic de illos crimine poenitentiam, adhuc infamia remaneret de facto quae per poenitentiam non tollitur, 2. q. 3, Enthemium § hinc colligitur; ff. de obseq. praest., honori. Unde purgatio dicta non sufficiebat directe, ergo debuit se purgare secundum hanc formam, sic supra, de purg. can., quotiens.

Postquam
Ergo de praeterito se non purgabit, quia cum tempore suae promotionis non fuit infamatus, quoniam alias non debuit promoveri, 81. dist., tantis; et supra, de accusat., omnipotens. Et tali modo purgabitur, quia approbaverunt mores ipsius. Unde ipsum postea reprobare non possunt, 8. q. 2, dilectissimi; et 32. q. 5, horrendus; et supra, de iureiur., quemadmodum; ff. de adulter., si uxor, in fi.

Credunt
Simile supra, de purg. can., quotiens.

X 5.35 DE PURGATIONE VULGARI

X 5.35.01 *Cura*

Aliquatenus tolerare
In nullo enim casu talis purgatio debet tolerari. Nec obstat quod possit obiici de Goliath qui pugnavit cum David, 2. q. 5, monomachiam. Quia illud fuit factum instinctu Spiritus Sancti, sicut Petrus excusatur qui geminum fecit homicidium, 23. q. 8, occidit. Et patriarchae excusantur ab adulterio, supra, de divort., gaudemus. Haec purgatio ab ecclesia reprobatur, cum Deum potius tentare videatur, infra, de purg. vulg., dilecti. Et fabricante diabolo facta est vulgaris purgatio, 2. q. 5, Mennam; et 2. q. 5, consuluisti. Unde qui in culpa non est punitur, infra, de purg. vulg., significantibus. Nam quamdiu habet homo quid faciat, non debet Deum tentare, 22. q. 2, quaeritur. Et athletae secundum leges non habent locum, C. de glad., cruenta, lib. 11.

X 5.35.02 *Significantibus*

Restituant
Sed qualiter hoc esse potest quod retractetur sententia a qua non fuit appellatum, cum iam transiverit in rem iudicatam, licet veritas aliter se habeat, et iam ex ipsa sententia ius factum est quantum ad litigantes, supra, de re iudic., cum inter vos. Et per ea quae postea emergunt, sententia non retractetur, supra, de re iudic., inter monasterium; et supra, de re iudic., duobus. Talis error detectus sententiam non retractat, ff. fam. ercis., cum putarem; C. de condi. indeb., pecuniae. Ad hoc dicas quod propter probabilem errorem bene retractatur sententia, supra, de frig. et malef., fraternitatis; 23. q. 1, paratus; ff. quan. de pecul. act., praetor ait § quaesitum, alias est § primae legis, et incipit quaesitum. Et plerumque veritate comperta retractatur sententia, ff. de condi. sine caus., si fullo. Et etiam propter delictum adversarii, supra, de divort., ex litteris; et ff. de iureiuran., admonendi; C. de transaction., si ex falsis. Sic ergo modo apparet quod sententia falso lata nullius fuit auctoritatis et reprobatae probationis de utroque iure, ergo debuit merito retractari. Io.

X 5.35.03 *Dilecti filii*

Noviter
Propter quod cum eis mitius esset agendum, infra, de poenit. et remiss., Deus; et supra, de divort., Deus. Quousque fuerint in firma radice plantati, 35. q. 3, quod scripsi.

Interdictum
Ut 2. q. 5, Mennam; et 2. q. 5, consuluisti; et supra, de purg. can., ex tuarum; et supra, ne cler. vel mon. saecul. neg., sententiam; et C. de glad., cruenta, lib. 11.

Tentari
Quod fieri non debet iuxta illud, non tentabis dominum Deum tuum etc., 22. q. 2, quaeritur; et 23. q. 8, si nulla. Ber.

X 5.36 DE INIURIIS ET DAMNO DATO

X 5.36.01 *Si rixati*

Operas eius et impensas
Operas autem amissas et impensas in curatione praestabit, ut hic dicit, et ff. si quad. paup. fec., ex hac; et ff. de his qui eff. vel deiec., cum liberi; et ff. ad leg. Aquil., qua actione, in princ. Deformitatis autem ratio non habebitur, quia liberum corpus non recipit aestimationem, ut in primis duabus legibus, et ff. de lege Rhod. de iac., si laborante § corporum; et ff. de his qui eff. vel deiec., praetor ait § sed cum liber homo. Tamen si liber homo petiit quinquaginta aureorum fit condemnatio, ut ff. de his qui eff. vel deiec., praetor ait § sed cum liber homo. Illud fit pro poena non pro aestimatione.

X 5.36.02 *Si quis aperuerit*

Reddet pretium
Si hoc fecit in publico. Si vero in privato loco ubi consueverunt fieri, non tenetur, ff. ad leg. Aquil., qui foveas. Quia qui occasionem damni dedit, tenetur, ff. ad leg. Corn. de sic., nihil interest; et ff. ad leg. Aquil., qui occidit § penulti.; infra, de iniur. et damn. dat., si culpa.

X 5.36.03 *Si bos*

Non custodivit
Supple et alterius bovem occiderit. Unde tenetur quia culpa sive negligentia ipsius damnum datum est, qui debuit diligentiam adhibere, ut infra, de iniur. et damn. dat., si culpa.

Reddet bovem
Hoc intellige cum bos ille qui damnum dedit agressus est alium et occidit, sed econverso non tenetur, ff. si quad. paup. fec., si quadrupes § cum arietes; ff. ad leg. Aquil., itaque. Seu cum dubium est quis bos primo aggressus est, ff. ad leg. Aquil., scientiam § cum stramenta. Et si alias animal tuum mihi damnum dedit, tu teneris, infra, de iniur. et damn. dat., si culpa, vers. quod si; et infra, de iniur. et damn. dat., si laeserit.

X 5.36.04 *Si laeserit*

Aestimationem restituet
Nisi dando animal velis liberare teipsum, infra, de iniur. et damn. dat., si culpa. Ultra enim aestimationem non tenetur conventus de pastu pecoris et actione in factum convenitur, ff. de praescr. ver., qui servandarum § si glans. Et expellere debet animal quod damnum dedit. Et tamquam suum non includere illud, cum dominus illius teneatur ad damnum, ff. ad leg. Aquil., Quintus Mucius § Pomponius. Ber.

X 5.36.05 *Si egressus*

Reddet damnum
Si fuerit in culpa dum apposuit istum ignem, nec adhibuit diligentiam quam debuit, ff. ad leg. Aquil., qui occidit § in hac; et infra, de iniur. et damn. dat., si culpa. Alias si nihil de contingentibus omisisset non tenetur, infra, de iniur. et damn. dat., si culpa.

X 5.36.06 *Si quis domum*

Voluntarie
Secus si contra voluntatem, dum tamen nihil de contingentibus omiserit, infra, de iniur. et damn. dat., si culpa, in fi.

Restituat
In quadruplem infra annum, post annum in simplum, ff. de incen. rui. nauf., praetor ait. Sed si negligentia in simplum. Sed si dolo fecerit secundum leges concremabitur, ff. de incen. rui. nauf., qui aedes.

X 5.36.07 *Olim*

Revocato
Lite vero non contestata non valet processus, ut hic patet, et supra, ut lite non cont., accedens 1; et supra, de elect., dudum ecclesia; et supra, de purg. can., cum dilectus.

Banniverat
Tale bannum nullum fuit quia nullam habet iurisdictionem in ipsum. Laico enim non licet de clerico legem dare, 96. dist., bene quidem; et 16. q. 7, non placuit. Immo tamquam sacrilegus fuerat puniendus, 16. q. 7, si quis principum. Et quia in eo offendit ecclesiasticam libertatem et propter hanc iniuriam punitur ad expressas, quas propter hoc fecit et damna quae pertulit tali occasione, ut patet.

Taxatione
Debet iudex primo taxare de expensis et damnis in iudicio petitis, 3. q. 3, offeratur, vers. quod fieri. Et postea debet iurare et tali iuramento stabitur tamquam legitimae probationi, C. und. vi, si quando; et 2. q. 1, in primis; supra, de his quae vi met. caus. fi., super eo, ubi de hoc. Ber.

Usualis monetae
Et si de hac non fuisset dictum de illa tamen intelligeretur, ff. de leg. 1, si servus plurium § ulti.; et ff. de contrah. empt., imperatores. Et si plures essent usuales monetae, videtur de minori intelligendum, ff. de leg. 3, nummis; et supra, de censib., ex parte.

X 5.36.08 *In nostra*

Damnorum
Nota ergo quod differentia est inter damnum et expensas, ut hic patet, et supra, de iniur. et damn. dat., olim. Unde iuramentum super uno factum non extenditur ad aliud, cum sint diversa, puta si propter discordiam domus aliqua destructa fuerat possessio, aliqua sterilis remansit vel quia negotiari non potuit, huiusmodi danda remissa sunt et iuramento firmata. Quoddam enim damnum sive interesse dicitur circa rem, puta subtraxisti instrumenta quibus possessio ecclesiae firmatur, vel alterius teneris ad illud damnum, quod contingit propter absentiam instrumentorum, 12. q. 2, si quis de clericis; et ff. de act. emp. et vend., Iulianus, in princ. Quoddam dicitur extra rem, puta debui tibi frumentum, et quia non dedi suo tempore familia tua fame periit. Illud damnum non consequeris sed pretium frumenti vel vini, ff. de act. emp. et vend., si sterilis § cum per venditorem. Expensae dicuntur quas quis facit circa advocatos, C. de iud., sancimus. De istis expensis fit mentio supra, ut lite non cont., quoniam § in aliis; et supra, de dolo et contu., finem. Et consimiles expensae fuerunt hic quas faciebant eundo et redeundo. Vel expendendo pecuniam suam faciendo maiores expensas quam consueverunt. Ad istas expensas iuramentum non extenditur. Tamen si intellexisset de huiusmodi expensis et de his intenderunt iurare et hoc constaret, super his fieret interpretatio sicut credo. Sed hic simpliciter dictum fuit de damnis, quare ad ea tantum restringitur iuramentum. Et sic est

aliud damnum et aliud expensae, sicut dicitur aliud poena et aliud mulcta, et aliud fraus et aliud dolus, ff. de ver. sig., aliud fraus.

Contribuat
Pro bono concordiae, ut hic dicit. Sic fit contributio quando iactus mercium factus est, ff. de lege Rhod. de iac., lege Rhodia; et ff. de lege Rhod. de iac., si laborante § cum in eadem; et ff. de lege Rhod. de iac., amissae. Sic ergo in casu isto aequum est fieri contributionem propter bonum pacis et concordiae, ne forte hac occasione concordia non servetur.

X 5.36.09 *Si culpa*

Si culpa
Nota quod ad hoc ut teneatur qui damnum dedit seu iniuria irrogavit, necesse est culpam intervenire, alioquin non tenetur. Unde infantes et furiosi non tenentur si damnum dederint, quia iudicium animi non habent, ff. ad leg. Aquil., sed et si § iniuriam; et ff. ad leg. Aquil., sed et si § igitur; et 15. q. 1, illud. Impubes tamen doli capax tenetur ut hic, et in 15. q. 1, illud; et ff. ad leg. Aquil., sed et si § igitur. Et ille non tenetur de culpa qui ad sui defensionem et incontinenti, et eodem modo damnum dedit, ff. ad leg. Aquil., scientiam § qui cum aliter. Et de levissima culpa quis tenetur in casu isto, ff. ad leg. Aquil., lege Aquilia. Et ille excusatur a culpa qui alterius impulsu vel violentia ventorum damnum dedit, ff. ad leg. Aquil., quemadmodum § si navis; et ff. ad leg. Aquil., quemadmodum § item Labeo.

Tulisti
Nota quod non solum qui damnum dedit seu iniuriam irrogavit, sed qui opem tulit tenetur, puta si unus tenuit et alius interemit, ille qui tenuit quasi causam mortis dedit, ideoque actione in factum tenetur, ff. ad leg. Aquil., item Mela § si alius; et ff. ad leg. Aquil., item Mela § item cum eodem; et ff. de iniuri., non solum, in princ.; et ff. de iniuri., non solum § si mandato. Sic et ope et consilio furtum committitur, Inst. de oblig. quae ex del. nasc. § ope. Et homicidium ope et consilio committitur, supra, de homic., sicut dignum § illi qui; et supra, de homic., sicut dignum § ulti.; et supra, de homic., sicut dignum § hi qui. Simile ff. de adulter., is cuius § ulti.

Imperitia
Quae annumeratur culpae, Inst. ad leg. Aquil. § imperitia; et ff. de regul. iur., imperitia; et ff. locat. et conduct., si quis fundum § Celsus. Item intellige de negligentia prout hic dicit. Ergo sive culpa sive imperitia vel negligentia damnum dederis, vel si iniuriam irrogaveris vel dantibus opem dedisti, teneris. Si negligentia tua aliquid minus beneficisti et ob hoc damnum datum sit, teneris, ff. ad leg. Aquil., si servus 2 § si ex plaustro; et ff. ad leg. Aquil., qui occidit § in hac. Et negligentia imputatur, infra, de poenit. et remiss., quaesitum, ubi de hoc.

Ignorantia
Hic non excusat ignorantia a culpa, si potuit scire ex facto suo contingere iacturam vel iniuriam, puta mihi licet percutere percutientem me, si cum vellem eum percutere, alium

percussi imputatur mihi, ff. ad leg. Aquil., scientiam § penulti.; et ff. de iniuri., eum qui § si iniuria. Arg. contra ff. ad leg. Aquil., si cum servo. Debuit ergo adhibuisse diligentiam in facto suo, ut dicit in fi., et sic non imputaretur. Et illud scias quod iniuria fit aut re aut verbis. Re quotiens manus infertur, verbis quotiens convitium dicitur, ff. de iniuri., iniuria; et supra, de re iudic., cum te. Et iniuria per dissimulationem aboletur, ff. de iniuri., non solum § 1. Et illud scias quod conventus de damno dato si negaverit et probatum fuerit, condemnatur in duplum, ff. ad leg. Aquil., lege Aquilia; et C. ad leg. Aquil., contra negantem.

Animalia tua

Sic ergo si quadrupes tua sive animal damnum dedit, ad aestimationem teneris quia non custodivisti animalia tua. Tamen si velis dare animal pro damno, liberare te potes ut hic dicit, et ff. si quad. paup. fec., si quadrupes, circa princ.; et Inst. si quad. paup. fec., in princ., unde sumpta fuerunt haec verba. Et hoc habet locum in his animalibus quae contra naturam moventur, utpote si bos cornupetere solitus fuit vel equus calcitrosus, ut dicitur in praedictis legibus. In feris autem animalibus quae naturali sua feritate damnum dederunt, hoc non habet locum. Quia illa animal dando non liberaberis, quia non adhibuisti diligentiam quam debuisti, ut hic dicitur, saltem directa actione vel utili potius. Si vero aufugit et nocuit, non potest dominus quorundam conveniri quia desinit dominus esse, ut ff. si quad. paup. fec., si quadrupes § in bestiis; et Inst. si quad. paup. fec. § 1. Fera bestia sunt, ut ursus et cervi. Quae sint animalia sive volatilia fera dicitur Inst. de rerum div. § ferae, et in aliis § sequentibus. Cum enim liber homo damnum dat locum habet actio legis Aquiliae, dum vero quadrupes sive animal locum habet actio de pauperie. Cum vero servus tunc locum habet actio noxalis, et tunc licitum est servum dare pro damno dato, Inst. de noxal. act., circa princ.

Non curasti

Quia huiusmodi animalia non debent teneri in publico ubi publicum iter est, Inst. si quad. paup. fec. § hic quoque, alias § caeterum. Si vero teneantur in publico et damnum dederint, tenetur dominus in duplum, et nihilominus actio de pauperie locum habet, quia cum plures actiones concurrunt poenales in eadem re, una non tollit aliam, Inst. si quad. paup. fec. § fi.

Occasionem

ff. ad leg. Aquil., qui occidit § in hac; et supra, de homic., de caetero, ubi de hoc; supra, de testib., sicut, in glossa quae incipit: arg. quod qui.

Nil omisit

Nota quod non est imputandum ei qui de contingentibus nihil omisit, ff. ad leg. Aquil., qui occidit § in hac; et ff. ad leg. Aquil., qui foveas; et ff. ad leg. Aquil., si putator; et 50. dist., si duo; et supra, de homic., quidam; et supra, de homic., Ioannes. Ber.

X 5.37 DE POENIS

X 5.37.01 *Ea quae*

Condemnentur
Sic 16. q. 1, imitare; et de poen. dist. 1, mensuram. Et ita quotiens quis deliquerit, totiens puniri debet. Sicut in contractibus consuevit dici, ut poena soluta contractus maneat in sua firmitate, ff. de transaction., qui fidem. Sed etiam arbitrio quis stare non cogitur poena soluta nisi id expresse dicatur, ff. de recepti., si duo, in fi. Et est arg. quotiens clericus in delicto repertus fuerit, totiens exigatur ab eo poena, arg. 23. dist., quamquam, in fi.; et ff. de ver. oblig., si sic stipulatus.

X 5.37.02 *Presbyteri*

Compositio
Haec compositio per legem Lombardam est sexcentorum solidorum, 17. q. 4, qui subdiaconum.

Utilitatibus ecclesiae
Hoc ideo quia et sic ecclesiae iniuria facta fuit, et in suum ministrum iuxta illud: qui vos tangit me tangit, 2. q. 7, accusatio. Et est arg. quod poenas pecuniarias quas recipit episcopus non lucratur ipsa, sed in utilitatem ecclesiae converti debent vel dividet illas, arg. 1. dist., ius militare; et 16. q. 6, consuetudo.

Cui
Scilicet ecclesiae.

Sociavit
Baptizando et ordinando illum.

X 5.37.03 *Licet*

Laicis
Sed quare a laicis? Quia forte sunt de sua iurisdictione temporali vel de consuetudine hoc habent.

Poenam pecuniariam
Ex hac decretali videtur quod pro criminibus poena pecuniaria exigi non debet, cum Papa eam prohibeat, arg. 16. q. 6, cognovimus; et 16. q. 6, de lapsis; et 16. q. 6, episcopo; et 16. q. 6, illud; 1. q. 1, nullus episcopus; et supra, de simon., nemo; et 83. dist., si quis episcopus. Arg. contra 23. q. 5, si vos. Unde nota quod cum ius statuit poenam pecuniariam infligendam, quicumque cognoscit de illo crimine illam potest infligere, ff. de iud., consensisse § ulti.; et supra, de rapt., in archiepiscopatu; et 12. q. 2, cum devotissimam; 18. dist., quoniam. Si vero ius solam poenam spiritualem vel corporalem super crimine statuit, iudex nec debet nec potest illam in aliam commutare, sed ille tantum qui de illo crimine potest dispensare. Et cum de poena criminis nihil de iure cautum est an pecuniariam vel aliam infligat, iudicis arbitrio committitur, supra, de offi. deleg., de causis. Cum iudex super crimine dispensare potest, bene potest infligere poenam pecuniariam vel aliam. Sed archidiaconi isti super his criminibus dispensare non poterant. Unde non debebant poenam pecuniariam infligere, sed imponere spiritualem

secundum quod qualitas criminis exigebat, arg. supra, de iudic., at si clerici. Hug. dicit quod illa poena est infligenda quae magis timeatur, arg. 23. q. 4, ea vindicta; et 23. q. 5, prodest; et supra, ut lite non cont., quoniam, in fi. Sed hoc intellige habere locum cum iudex talis est qui possit dispensare et commutare poenas, sed isti archidiaconi hoc non possunt. Ala.

A vicariis
Hoc erat simoniacum cum ordo sit sacramentum, cui adhaeret executio. Si ergo unum vendunt et reliquum, 1. q. 3, si quis obiecerit; et 1. q. 3, salvator.

X 5.37.04 *Calumniam*

Alio
Ita ut praeter expensas de calumnia puniatur, C. de calum., qui non probasse; et Inst. de po. tem. lit. § adversus. Quia infamis efficitur ut ibi dicitur, de quibus legibus hic facit mentionem.

Victori
Victus victori in expensis condemnari debet, si per calumniam et malam fidem appareat eum movisse litem, ut hic expresse dicit littera in princ., et in Auth. de iudicib. § oportet, coll. 6; et ff. de iud., cum quem temere. Alii dicunt quod eo ipso quod succumbit praesumitur calumniari. Unde condemnari debet in expensis. De hac materia plene dictum est, supra, de dolo et contu., finem.

Nisi sententia pro absente
Sicut cavetur C. de iud., properandum § et si quidem, ibi dicitur quod victus praesens sumptus suos de condemnatione deducat.

X 5.37.05 *Quod in dubiis*

Incitant
In bello iniusto, arg. supra, de homic., sicut dignum § qui vero; et ff. ad leg. Aquil., item Mela § item cum eo. Secus si esset iustum quia tunc licitum est hortari, 23. q. 8, hortatu; et 23. q. 8, igitur; et 23. q. 8, ut pridem; et interesse bellis, 23. q. 3, Maximianus.

X 5.37.06 *Tuae*

Deprehensi
Et convicti. Sola enim deprehensio non sufficit, supra, de iudic., cum non ab homine. Vel intellige deprehensi, ita quod factum sit notorium per evidentiam facti. Tales enim statim condemnari possunt, C. de defensor. civit., defensores. Et arg. supra, de cohab. cler. et mul., quaesitum; et 2. q. 1, de manifesta. Et talis deprehensio auctoritate sui praelati fieri debet, ne ultra se extendat violentia quam exegerit defensio clericorum, infra, de sent. excom., ut famae. Alias capientes essent excommunicati, ut ibi.

Monasteriis
Simile 16. q. 6, de lapsis; et 50. dist., si ille. Et si incorrigibiles fuerint per saecularem iudicem postea deprehendantur, supra, de iudic., cum non ab homine.

X 5.37.07 *Constitutus*

Ex confessione
Confessio enim in iure facta praeiudicat, supra, de transact., praeterea quarto; et supra, de confess., cum super; et supra, de confess., ex parte, ubi de hoc; et C. de confes., confessos; et ff. de confes., confessus.

Utramque
Sed videtur quod episcopus non inciderit in poenam, nam cum altera pars ei subtraxit pensionem, licite potuit petere procurationem, quia fidem non servanti fides non est servanda, supra, de iureiur., pervenit 2. Nam licitum est redire ad priorem actionem, cum ex parte altera non paretur pacto, arg. supra, de pact., cum pridem. De hoc dictum fuit supra, de elect., cum inter R. Econtra videtur quod illi potius praeiudicet qui ultimo incidit in poenam. Nam si uterque est in mora, semper ultima mora nocet, ff. de peric. et comm. rei vend., illud. Respondeo: hic propter par delictum neuter incidit in poenam, ff. de regul. iur., cum par. Et in delictis mutua fit compensatio, supra, de adult., intelleximus; et supra, de adult., tua; 32. q. 6, nihil; et ff. solut. matrim., viro. Io. Compensatio mutua fit, ff. de compensat., si ambo; et ff. de dolo mal., si duo. Haec decretalis decisa fuit in fine huius decretalis supra, de relig. dom., constitutus, et per illam poteris intelligere istam. Ber.

Absolutam
Praeferenda est enim opinio aestimationis pecuniario commodo, ff. de solut., cum ex pluribus; et ff. de usuri., in pecudum § ulti.

X 5.37.08 *Super his*

Variaverat
Et ideo non fuerat ei credendum, 4. q. 3, si testes § qui falso; et supra, ut eccl. ben., ut nostrum. Ber.

Non incurrit
Quia genus poenae per se non infamat nisi sententia praecedat, C. ex quib. caus. infam., infamiae; et C. ex quib. caus. infam., nullam. Licet Gratian. aliter senserit, 3. q. 7, infamis § tria, in fi. Vincen.

X 5.37.09 *Suam*

Persolutis
Eo ipso quod sortem recipit, poenae renuciasse videtur, ff. de eo quod cert. loc. dar. op., si post moram, in fi.; et ff. de lege comm., post diem. Et ita videtur quod eam ulterius petere non possit per hoc quod hic dicitur, nisi aliter convenerit inter eos cum sortem

recepit, scilicet quod sors et poena peti possit, arg. ff. de transaction., qui fidem; C. de transaction., cum proponas; ff. si quis caut., non exigimus, 1. resp. Et sic videtur ex hac decretali quod non committatur poena in totum cum effectu, licet sors in totum soluta non sit. Unde habes contraria plura, ff. de ver. oblig., stipulationum aliae § si sortem. Super hoc consuevit distingui. Aut enim illud quod promittitur sub poena consistit in dando aut in faciendo. Si consistit in dando in totum committitur poena, licet in parte sit satisfactum, ff. fam. ercis., heredes § in illa, in fi.; et ff. de ver. oblig., stipulationum aliae § si sortem; et ff. de ver. oblig., in executione § item si ita; et ff. de pignorib., sed an viae, arg. Si vero consistit in faciendo et illud quod promissum est sub poena sit individuum, tunc idem est quod in primo casu, quia in totum committitur poena, ff. fam. ercis., heredes § an ea stipulatio; et ff. de ver. oblig., eadem § cato, in princ., ibi: ab omnibus factum etc.; et ff. de ver. oblig., in executione § 2. Sed in primo casu cum consistit in dando, dixit Azo quod opposita exceptione repelleretur a poena pro rata solutae partis, arg. ff. si quis caut., si servus § 1; et ff. de ver. oblig., stipulationum quaedam § ulti., ad fi.; et arg. ff. deposi., si duo heredes; et ff. de ver. oblig., in executione § insolidum. Et hanc aequitatem servat hic Innocentius. Nec est servandus ille rigor ut in totum poena exigatur, quia non debet quis cum aliena iactura ditari, ut hic dicitur, et 22. q. 2, primum; et ff. de condi. indeb., nam hoc. Quia non interest illius poenam recipere pro soluta sorte. Et ideo quia placuit aequitatem praeferri stricto iuri, C. de iud., placuit. Unde litterae super hoc impetratae non valuerunt, quod patet ex eo quod dicit: veritate tacita. Alii doctores legum servant illum rigorem. Si vero factum sit dividuum, pro parte tantum committitur, ff. rem rat. hab., si procurator § si quis a procuratore; et arg. ff. de ver. oblig., eadem § cato, ibi: at si de eo cautum etc. Sed contrarium videtur in lege praedicta ff. si quis caut., si servus, ubi committitur poena in totum, licet detur exceptio pro alia parte et factum videtur dividuum. Sed dici consuevit quod illud est speciale in iudicio, quia et ibi mora purgatur, ff. si quis caut., si post tres. Sed in poenali stipulatione non purgatur, C. de contrah. et comm. stip., magnam, quia tempus ibi interpellat, supra, de loc. et cond., potuit.

Modestiae oblivisci
Praeferenda est enim existimationis opinio pecuniario commodo, ff. de solut., cum ex pluribus; ff. de usuri., in pecudum § ulti.

Poena
Videtur ergo ex hoc quod ecclesiastica persona non possit exigere poenam, nec ab ea exigi, arg. 2. q. 2, fraternitatis. Arg. contra supra, de poeni., constitutus. De hac materia dictum est supra, de arbitr., dilecti.

X 5.37.10 *Ad aures*

Restituantur
Immo videtur quod maiori poena puniendi sunt, ut non solum ea restituantur, sed omnia alia bona sua ecclesiae cui iniuria facta est, tradantur perpetuo, 17. q. 4, si quis deinceps. Et anathematizentur, ut ibi dicitur, licet ipso iure sint excommunicati, 17. q. 4, si quis suadente. Item alia poena imponitur, infra, de poeni., dilectus. Et si iterum aliqui suum episcopum interficiant, privantur episcopo, 25. q. 2, ita nos.

X 5.37.11 *Dilectus filius*

Assertionem
Arg. quod verbo iudicis est credendum nisi contrarium probetur, ut hic dicitur, arg. supra, de probat., post cessionem. Arg. contra supra, de testib., cum a nobis; et supra, de probat., quoniam, cui standum est. Sed quod dicit hic quod puniri debet litigator, verum est cum temere contradicit iudicis assertioni, puta cum iudex hoc quod dicit ostendit per acta vel cum litigator nihil ostendit contra excommunicationis sententiam, tunc puniatur in sumptibus, infra, de sent. excom., sacro; arg. supra, de poeni., calumniam. Vel alias secundum arbitrium superioris, ut hic dicit, et supra, de offi. deleg., de causis.

X 5.37.12 *In quibusdam*

Defensionis
Patroni enim ecclesiam defendere debent, 16. q. 7, filiis. Hanc defensionem non debent extendere ad gravamen, ut hic dicit. Sic supra, de appell., ad nostram; et supra, de appell., cum speciali § porro; et supra, de iureiur., quanto; et 22. q. 4, inter caetera.

Iure permissum
Permissum patronis est praesentare rectorem et habere ius professionis. Et si ad inopiam vergat ei ab ecclesia succurritur, supra, de iure patron., nobis; et 16. q. 7, quicumque. Sic episcopus non debet plus petere a subditis quam sit permissum a iure, 18. q. 2, hoc tantum; et 10. q. 3, quia cognovimus; et supra, de censib., cum Apostolus, alias restitueret duplum, supra, de immun. eccl., quia plerique; et supra, de censib., procurationes, in fi.

Praesumpserint
Nisi forte in casu quem habes infra, de sent. excom., si vero alicuius. Cum moderamine inculpatae tutelae, alias non.

Prorsus amittant
Et devolvantur ad ecclesiam cui facta est iniuria, 17. q. 4, si quis deinceps; et 17. q. 4, quisquis, ut dictum est supra, de poeni., ad aures; et 27. q. 1, si quis rapuerit. Sic ergo ecclesia non habebit patronum sic et vasallus amittit feudum, ut hic patet, si non servat fidelitatem domino, 22. q. 5, de forma; et in libro de feudis quemadmodum feudum amittatur; et 96. dist., si imperator. Simile supra, de postuland., cum sacerdotis. Sic et donatio revocatur propter talem ingratitudinem et propter alias etiam, supra, de dona., propter.

Ad heredes
Et descendentes per lineam directam usque ad quartam generationem, ut hic dicitur. Quia usque ad quartam generationem extenditur consanguinitas, supra, de cons. et affin., non debet. Et est speciale hic quod filius puniatur pro delicto patris, sicut in crimine laesae maiestatis, 6. q. 1, quaero § verum, vers. si quis cum militibus; et in haeresi, supra, de haeret., vergentis. Alias bona damnatorum devolvuntur ad heredes, C. de bon. damn., authen. bona.

Praelationis
Sed contra videtur, cum ingressus religionis tollat irregularitatem, supra, de fil. presbyt., ut filii; et in Auth. de monach., in princ., coll. 1. Dic ut supra, de apostat., ex litterarum. Ber.

Dispensatum
Cum non determinetur a quo possit dispensari. Dicit Io. quod episcopus potest dispensare, ex quo Papa specialiter non retinuit sibi dispensationem, arg. infra, de sent. excom., nuper. Honestum esset quod nullus episcopus sine licentia Papae dispensaret cum talibus, ut alii saltem timerent, cum viderent illos usque ad ultimam generationem puniri.

X 5.37.13 *Gravem*

Claves
Datas Petro, 22. dist., omnes; et 21. dist., in novo. Et in Petro datae sunt ecclesiae claves, 24. q. 1, quodcumque. Et cuilibet eius successori, arg. supra, de translat., quanto. Ber.

Contemnendo
Et si alias ligatus non fuisset, ex contemptu ligaretur, 11. q. 3, non solum § cum ergo sententia, in fi.; et 24. q. 3, notandum. Non enim debet contemni, cum sit medicinalis, 2. q. 1, multi.

Haereticae pravitatis
Hoc ideo dicit, quia qui propter suspicionem haeresis excommunicatur, si per annum steterit in excommunicatione postea tamquam haereticus habetur, supra, de haeret., excommunicamus itaque § 1. Tamen si pro contumacia excommunicetur, sive per annum sive per plures in excommunicatione steterit, non habetur ut haereticus sed alias contra eum proceditur, ut hic dicit.

Nobilitati
Nota quod parcitur nobilitati circa poenas, ut aliter puniatur nobilis quam ignobilis, 24. q. 1, qui contra pacem; et 50. dist., contumaces. Et in beneficiis etiam magis providendum est nobilitati, 86. dist., non satis, vers. item si consideranda est. Arg. contra quod aeque puniatur, supra, de statu monach., ea quae, ubi de hoc.

Ecclesias in quibus aliquod ius
Forte ius patronatus vel quicquid aliud possit ab ecclesia percipere, ut si ecclesia aliquo debito tenetur eidem, ut interim ecclesia ei respondere non teneatur, ut supra, de haeret., excommunicamus itaque § credentes; et supra, de haeret., absolutos; et 15. q. 6, nos sanctorum. Et ipso iure absoluti sunt tales. Et hic praecipitur quod denuncientur solummodo absoluti, ut in fi. dicit. Et est arg. quod crescente contumacia crescere debet poena, supra, ut lite non cont., quoniam, in fi.; et ff. de poe., relegati.

X 5.38 DE POENITENTIIS ET REMISSIONIBUS

X 5.38.01 *Manifesta*

Occulta
Immo qui publice peccant publice corripiantur, 2. q. 1, si peccaverit; et de conse. dist. 2, ego Berengarius, in fi. Et hoc sive sint gravia sive sint levia, ut vitetur scandalum solemnis tamen poenitentia clerico imponi non debet, nec etiam publica nisi deposito, arg. 50. dist., alienum; et 50. dist., confirmandum; infra, de poenit. et remiss., quaesitum, ubi de hoc; et 26. q. 6, presbyter inconsulto episcopo non reconciliet. Laur.

X 5.38.02 *Qui presbyterum*

Duodecim annorum
Arg. contra 33. q. 2, hoc ipsum; et 33. q. 2, admonere. Solutio: ordinarium est quod pro mortali crimine septennis poenitentia iniugatur, ut ibi. Sed propter enormitatem maior, ut hic. Ala. Et sacerdoti imponitur quandoque poenitentia duodecim annorum, 30. q. 1, non debet.

Canones
Poenitentiales.

Cingulo
Deponitur iste a dignitate sua ut clericus ne arma ulterius ferat, de poen. dist. 5, falsas; et 33. q. 2, admonere.

Absque spe coniugii
Quaedam crimina impediunt matrimonium contrahendum, ut incestus, supra, de eo qui cog. consang., si quis; et supra, de eo qui cog. consang., veniens 1; et supra, de eo qui cog. consang., transmissae, in fi.; 32. q. 7, si quis viduam. Item raptor sponsae alterius, 27. q. 3, statutum. Item si quis uxorem suam interficiat, 33. q. 2, admonere. Item si quis baptizaverit filium suum, ut separetur sic ab uxore, 30. q. 1, de eo. Item qui monialem scienter in matrimonio accepit, 27. q. 1, hi ergo qui, et in casu praesenti. Haec impediunt sed non dirimunt. Alia sunt quae impediunt et dirimunt de quibus habuisti, supra, de eo qui dux. in matr. quam pol. per adult., cum haberet, et in aliis pluribus capitulis ibidem.

X 5.38.03 *Significavit*

Urbe
Id est, Roma. Appellatione enim urbis Roma intelligitur, ff. de ver. sig., urbis; et ff. de ver. sig., qui in continentibus. Sicut cum dicitur Apostolus, Paulum intelligimus antonomatice. Ber.

Visum fuerit
Et sic poenitentiae arbitrariae sunt, 26. q. 7, tempora; de poen. dist. 1, mensuram; et infra, de poenit. et remiss., quaesitum.

Misericorditer
Arg. pro misericordia impendenda, 50. dist., ponderet; 45. dist., licet; 26. q. 7, alligant. Laur.

Pro libertate
Haec est iusta causa pugnandi si modus servetur, 23. q. 8, omni timore; et 23. q. 8, hortatu.

Devotione
Quamvis bona intentione fecerit, modum tamen excessit, quod patet ex eo quod poenitentia imponitur, arg. 23. q. 4, qui peccat; et supra, de restit. spol., olim causam, in fi.

Retardentur
Arg. mitius agendum cum aliquibus ne a servitio ecclesiae retrahantur, arg. 12. q. 1, certe; C. de poe., honor.

X 5.38.04 *Quod autem*

In dedicationibus
Hodie indulgentia quae in consecrationibus ecclesiae fit, non debet excedere annum, sive fiat ab uno sive a pluribus episcopis in anniversario consecrationis. Et in aliis casibus ultra quadraginta dies huiusmodi indulgentiae hodie non excedunt, infra, de poenit. et remiss., cum ex eo § ulti.

A non suo iudice
Infra, de poenit. et remiss., omnis § 1; supra, de iudic., at si clerici; et supra, de consuet., ad nostram; et C. si a non comp. iud., iudex. Potest exponi, id est, a non suo iudice factas.

Ut prosint
Quid valeant tales remissiones, vetus est querela adhuc tamen satis dubia. Quidam dicunt quod valent tantum quo ad Deum non quo ad ecclesiam. Quo ad Deum quoniam si quis sine mortali decedat, non tamen acta condigna poenitentia de peccatis, poenam purgatorii minus sentiet pro modo remissionis sibi factae in vita ista. Ecclesia tamen viventi ob hoc debitam satisfactionem non relaxat. Alii dicunt quod valent quo ad ecclesiam, sed tunc tantum cum peccatum per contritionem vel per satisfactionem sufficienter punitum est. Tunc enim quod ex superabundanti ecclesia imposuit et quo ad Deum et quo ad ecclesiam omnino per tales remissiones remittitur. Alii etiam dixerunt quod omnino prout dantur, proficiunt et quo ad Deum et quo ad ecclesiam. Sed qui eas faciunt se onerant, tenentur enim eleemosynis suis et orationibus eas supplere. Alioquin graviter in purgatorio punientur. Alii dicunt quod valent tantum ad remissionem illius poenitentiae quae negligenter est omissa. Sed ex hoc capitulo verius colligitur quod qui iniungit poenitentiam sicut sibi videtur, imponit et concedit ut eam per has remissiones vel in totum vel in partem redimat. Quod si fecerit ut hic dicitur, valent remissiones ad

relaxationem iniunctae poenitentiae, alioquin non. Hoc tamen verum est quod non valeant ad relaxationem iniunctae poenitentiae quo ad ecclesiam, valent tamen ad minorem poenam peccati quo ad Deum, sicut alia bona. Sic ergo si iudex iniungit alicui septennem poenitentiam et non concedit ut possit redimere, licet ipse vel alius pro eo generalem faciat remissionem ad pontem vel ad alium locum qui ponti confert de suo, quantitatem poenitentiae sibi iniunctae quo ad ecclesiam non diminuit. Ala. Et hoc quod dicitur in hac littera intellige verum cum peccatum per contritionem omnino dimissum est. Nam pro omni peccato duplex poena debetur, temporalis et aeterna, de poen. dist. 1, si peccatum David; et de poen. dist. 1, sicut primi. Sed per contritionem poena aeterna dimittitur, de poen. dist. 1, verbum Dei. Temporalis vero, scilicet per satisfactionem, ut in praedicto capitulo de poen. dist. 1, si peccatum David. Et pro ista poena qualitercumque satisfaciat ecclesiae, dummodo non decipiatur ecclesia, sufficit et absolutus est quem absolvit, et ligatus quem ligat, 24. q. 1, quodcumque. Sed imposita alicui septenni poenitentia, datis septem denariis, habet septem annos remissionis valituros sibi praecepto imponentis sibi poenitentiam. Numquid ultra ieiunare tenetur? Respondetur si in veritate satisfecerit ecclesiae, non tenetur ex necessitate ieiunare sed ex honestate. Et si contemnat, peccat mortaliter pro contemptu. Debet enim semper dolere de peccato, de poen. dist. 3, productior. Quia nescit an dimissa sint ei peccata, arg. supra, de purg. can., accepimus, ibi: et si simplex fuero etc., cum suis concordantiis. Et si commode potest adaequari poena cum praecedenti culpa, saltem debet, arg. de poen. dist. 1, vide benignum. Unde Apostolus: sicut exhibuistis membra vestra etc., 47. dist., omnes huius saeculi. Et punire in se quod deliquit, de poen. dist. 1, si peccatum; et de poen. dist. 3, poenitentia est. Tanc.

Iudices

Id est, episcopi, quia alii inferiores praelati huismodi remissiones facere non possunt, supra, de excess. praelat., accedentibus. Vel dic iudices, id est, proprii sacerdotes cum iniungunt poenitentias suis parochianis possunt eis concedere qui tales remissiones sibi prosint, si de bonis suis contulerint praedictis locis. Et hoc favore poenitentiae, ut sic diversis modis possint liberari a peccatis.

Indulserunt

Arg. quod clericus sine licentia episcopi sui alium iudicem etiam ecclesiasticum eligere non potest, infra, de poenit. et remiss., omnis § 1; et supra, de for. compet., significasti, ubi est hoc expressum.

X 5.38.05 *Quod quidam*

Non sit vera huiusmodi poenitentia

Talis poenitentia non est vera, id est, fructuosa quo ad vitam aeternam, tamen valet ei quia sentiet fructum eius cum de alio crimine poenitentiam egerit, de poen. dist. 3 § penulti.; et de poen. dist. 3 § ulti. Et ideo talis confessio admitti debet prout hic dicit. Sed pone quod non poeniteat de aliis, valebit ei poenitentia? Utique, nam omnia bona quae quisque facit in vita, illa prosunt ei ad vitam aeternam promerendam, vel saltem ad minus supplicium subeundum, de poen. dist. 3 § penulti., et incipit, si quis autem. Item ad bonum temporale obtinendum, de poen. dist. 3, cavendum; et 22. q. 2, si quaelibet

culpa. Aut ad hoc ut Deus citius illustret cor eius ad veram poenitentiam, de poen. dist. 5, falsas. Tanc.

Admittenda est
Arg. contra 24. q. 2, legatur; 90. dist., si quis contristatus. Et certe si adhuc facit, non poenitet, de poen. dist. 3, poenitentes. Et Deus numquam aliquem sanavit quem non omnino liberaret, de poen. dist. 3, sunt plures. Item arg. contra 27. q. 1, quae Christo; et 27. q. 1, devotam. Solutio: prima contraria, scilicet 24. q. 2, legatur; de poen. dist. 3, poenitentes; et de poen. dist. 3, sunt plures, intelliguntur de vera et fructuosa poenitentia. In capitulo 90. dist., si quis contristatus, compellitur quis recipere satisfactionem. Illa duo capituli 27. q. 1, devotam; 27. q. 1, quae Christo, intelliguntur non de poenitentia sed de fructu poenitentiae, id est, Eucharistia.

X 5.38.06 *Licet*

Leguminibus
Arg. quod si alicui est iniunctum ut pane ieiunet et aqua, non debet aliud sumere quia iam non staret in finibus poenitentiae. Et hoc est verum nisi necessitas eum arctaret, arg. 82. dist., presbyter. Necessitas enim semper intelligitur excepta quae legem non habet, de conse. dist. 1, sicut; et infra, de reg. iur., quod non est; et supra, de consuet., quanto.

Non ad delicias
Prohibetur enim saepe non cibus sed abusus, ut 41. dist., quisquis; 41. dist., deliciae; et 41. dist., non cogantur. Et est arg. ad hoc 4. dist., denique.

X 5.38.07 *Quaesitum*

Matrimonio
Contracto in laicali habitu vel dum erant in minoribus ordinibus, supra, de cleri. coniug., cum olim.

Negligentibus
Negligentia enim imputatur, supra, de iniur. et damn. dat., si culpa. Quia dissoluta negligentia proprie dolum est, ff. mand. vel cont., si fideiussori, 1. resp.; 50. dist., saepe. Et dissoluta negligentia habetur pro conscientia, ff. de aedil. edict., cum sex. Qualis est ignorantia Iudaeorum, qui nolunt intelligere ut bene agant, 1. q. 4 § ulti. Sic 37. dist., non omnis. Ber.

Nisi in publicum
Tunc enim sacerdos publicam potest facere poenitentiam, 28. dist., presbyter, ubi de hoc, et 30. dist., si quis presbyter. Sed non solemnem, de qua habes 50. dist., in capite. De qua etiam intelliguntur illa capitula 50. dist., confirmandum; 50. dist., illud alienum, quam clerici facere non debent. Sed depositus solemniter publicae poenitere potest, de poen. dist. 6, sacerdos; et 30. q. 1, si quis sacerdos. Item arg. contra id quod dixi de publica poenitentia, 82. dist., presbyter si, ubi dicitur presbyter publice poenitere non debet. Sed exponitur publice, id est, solemniter. Si autem occultum est peccatum, nec

publicam sacerdos facere debet poenitentiam, ut hic patet. Et sic potest intelligi illud 82. dist., presbyter si, ut non poeniteat publice cum peccatum est occultum. Sed in casu isto posset agere poenitentiam etiam solemnem, cum sine spe restitutionis de tali crimine privatus sit, supra, de temp. ord., quaesitum. Ergo multo fortius publicam ex quo crimen venit ita in publicum. Ber.

Poenitentia debet imponi
De hoc dictum est supra, de his qui fil. occ., de infantibus.

Incuria
Quod prima facie praesumendum est, arg. supra, de praesump., afferte. Unde etiam dicit lex quod repentini casus iniquitas per iacturam paternae pietatis emendanda est, C. de inoffic. testam., si mater.

Arbitrio
26. q. 7, tempora poenitudinis; et infra, de poenit. et remiss., Deus.

X 5.38.08 *Deus qui*

Arbitrium
Supra, de poenit. et remiss., quaesitum.

Circumstantiis
Infra, de poenit. et remiss., omnis. Arg. quod circumstantiae aggravant peccatum, supra, de homic., sicut dignum, 1. resp.; 40. dist., homo Christianus; de poen. dist. 5, consideret; 23. q. 8, occidit.

Novitate
Propter novitatem detrahendum est iuri, ut 35. q. 3, quod scripsi; et supra, de divort., Deus.

Prout saluti
Quia hoc solum bene agitur, ut vita hominum corrigatur, 23. q. 5, prodest.

Paulatim
12. dist., novit. Quia paulatim lupus comedit agnum, 13. q. 1 § is ita, ultra unam columnam.

Confessionis formam
Id est, confiteor Deo.

Orationem dominicam
Scilicet, Pater noster.

Symbolum
Scilicet, Credo in Deum.

Consuetis
Infra, de poenit. et remiss., omnis; et de conse. dist. 2, saeculares.

Mortis
Infra, de poenit. et remiss., quod in te; et 50. dist., ex poenitentibus; et supra, de spons., non est.

X 5.38.09 *Officii*

Supposuit
Criminis suppositi partus accusatio nullo tempore clauditur, etiam post mortem, ff. ad leg. Corn. de fals., qui falsam. Licet alia crimina claudantur, C. ad leg. Corn. de fals., querelam; et C. si reus vel accus. mort., etsi; et 23. dist., quorundam. Et nota quod haec accusatio non datur cuilibet de populo, sed propinquis aut his quibus ea res pertinet, ff. ad leg. Corn. de fals., lege Cornelia. Vincen.

Deneganda
Hoc mirum est quod durante suppositione per quam fraudantur consanguinei debita successione, haec mulier poenitere potest contra illud, 14. q. 6, si res; et de poen. dist. 3, poenitentes. Sed ipsa non potest detegere suppositionem, quia ei non crederetur obstante praesumptione quae habetur ex matrimonio, quod filius natus sit ex nuptiis, ff. de his qui sui vel alien. iur. sunt, filium. Et etiam periculosum esset mulieri illud detegere. Laur.

Poenitentia
Hoc tamen scias quod quamdiu est in mortali, nec deponit animum peccandi, non valet ei talis poenitentia, 14. q. 6, si res. Tamen ad poenitentiam admitti debet, sed est ei dicendum quod non est ei fructuosa quo ad vitam aeternam, supra, de poenit. et remiss., quod quidam; de poen. dist. 3 § penulti.; et de poen. dist. 3 § ulti.; et de poen. dist. 5, falsas. Io.

Alienos
Ad quos ab intestato devolveretur hereditas. Si enim aliqui tales sint ad quos ab intestato devolveretur, exheredari non debent. Sed pone quod tales non sunt, adhuc tamen peccat impediendo liberam testamenti factionem, C. si quis aliq. test. proh., civili; et C. si quis aliq. test. proh., eos. Et ideo dicit: maxime. Vincen.

X 5.38.10 *Nova*

Evangelium
In matutinis sorte poterant legere Evangelium, unde etiam diaconissae appellantur, 27. q. 1, diaconissam.

Praedicare
Mulier enim nec praedicare nec docere potest, quia hoc officium extraneum est a mulieribus, nec sacra vasa contingere, 23. dist., sacratas; et 23. q., mulier; et 33. q. 5,

mulierem. Immo nec laici praedicare vel docere debent, supra, de haeret., cum ex iniuncto. Nec possunt velare moniales, 20. q. 2, statuimus. Nec absolvere eas, infra, de sent. excom., de monialibus. Nec iudicare, 33. q. 5, mulierem, nisi forte aliqua nobilis hoc habeat ex consuetudine, supra, de arbitr., dilecti. Nec arbitrium in se suscipere, ut ibidem, et C. de recepti., sancimus. Nec procuratrix esse potest in iudicio, C. de procur., quod de absente; et C. de procur., alienam. Nisi forte pro patre morboso aut aetate impedito ageret, ff. de procur., feminas. Nec advocare potest in iudicio, 3. q. 7, infamis § 3. Et generaliter viri officium mulieribus est interdictum, ff. de regul. iur., feminae. Sed numquid abbatissa potest instituere vel suspendere? De hoc dictum est supra, de maior. et obed., dilecta.

X 5.38.11 *Quod in te*

Denegetur
Tempore interdicti, infra, de sent. excom., permittimus.

Concedimus
Ista enim duo sacramenta sive tria semper excipiuntur in quolibet interdicto, scilicet baptisma parvulorum, et poenitentia morientium in quo intelligitur viaticum prout hic patet. Et dicitur viaticum quasi a via, quia sunt in via recedendi de hac vita. Nec est istud sacramentum necessitatis, tamen concedendum est decedentibus etiam tempore interdicti, ut patet hic.

Ex gratia
Si ex gratia conceditur clericis qui servaverunt interdictum, ergo videtur quod ius non sit commune, ergo non competit nisi impetretur, cum nemo sit exemptus ab illa generalitate interdicti nisi qui per privilegium exemptus est. Vel potest dici quod per istud ius clerici canonicis regularibus aequiparentur. Simile supra, de privileg., quod nonnullis. Io.

Audiri
Patet ergo quod cum excommunicato non licet stare extra ecclesiam, cum etiam interdicto prohibeatur audire exterius. Io.

Poenitentia
Hoc est speciale in istis personis, ut sine necessitate vel periculo mortis admittantur ad poenitentiam. Sed hoc facit necessitas, quia hoc eis non conceditur nisi cum proficiscuntur, et ita quasi in via dicuntur, sicut illi quibus datur viaticum. Item potest dici, si aliquid proficiscuntur ad iustum bellum, quia ibi est iusta causa timoris. Item idem esset si aliqui essent excommunicati ut in iusto bello, quia possunt absolvi a quocumque alio quam ab excommunicatore, arg. infra, de sent. excom., de caetero; de conse. dist. 4, sactum est baptismum; et 33. q. 2, in adolescentia. Sed quid si in civitate interdicta aliqui vellent satisfacere, numquid in eis relaxandum est interdictum? Non, quia aliqui sine culpa sua interdicuntur, supra, de spons., non est. Et quia sic rigor ecclesiae dissolveretur, arg. supra, de privileg., ut privilegia. Io. Tanc. dixit quod si aliqui vellent iurare stare mandato ecclesiae, quod essent admittendi. Sed finis iste videtur contradicere, quia hic specialiter hoc concedit recipientibus signum crucis et

peregrinis, ergo aliis intelligitur prohibere, sicut quod de uno negatur de alio conceditur, 25. dist., qualis. Quod verius puto, licet invenias contrarium dictum.

X 5.38.12 *Omnis*

Directionis
Id est, cum est doli capax, quia tunc potest peccare, supra, de delict. puer., pueris; C. si adv. del., in criminibus; et C. si min. se maior. dix., si alterius; arg. de conse. dist. 4, eos; et C. de fals. mon., quoniam.

Omnia sua peccata
Alias non esset fructuosa poenitentia, ut dictum est supra, de poenit. et remiss., quod quidam, ubi de hoc. Non tamen venalia, quia illa tolluntur per orationem Dominicam vel per aquam benedictam, de poen. dist. 3, de quotidianis; de poen. dist. 6, qui vult. Tamen si recolit, confiteatur illa.

Proprio sacerdoti
Nisi ille sit imperitus. Tunc de ipsis licentia, ut hic dicit, quaeret discretum, de poen. dist. 6, placuit. Ber.

Ad minus in Pascha
de conse. dist. 2, et si non frequentius.

Sepultura
Hoc est contra regulam illam: cui communicamus vivo communicare debemus et mortuo. Fallit etiam in alio casu, 23. q. 5, placuit; et supra, de statu monach., monachi; et supra, de torneam., felicis; et supra, de usur., quia in omnibus; et supra, de rapt., super eo.

Alieno sacerdoti
Executionem habenti. Hoc dico propter illos sacerdotes sive saeculares sive regulares qui non habent ordinis executionem sacerdotalis, ut sunt illi qui non sunt a populo electi vel qui ab episcopo populo non praeficiuntur, 16. q. 1, adiicimus § ecce in hoc; et 16. q. 1, generaliter § ecce sufficientes. Sed ecce si Praedicatores et fratres Minores vel alii religiosi non habentes populum habent privilegium, ut alienos parochianos possint recipere ad poenitentiam, numquid sufficit privilegium ut parochianum alterius possint recipere ad poenitentiam sine licentia proprii sacerdotis? Privilegium enim aequiparat eos illis qui a populo sunt electi vel illis qui ab episcopis populo praeficiuntur, et dat eis solam executionem, et ita necessaria est adhuc licentia proprii sacerdotis, ut hic dicitur. Si enim de duabus servitutibus una tollitur, remanet altera, quod bene probatur supra, de auctor. et usu pal., ex tuarum; supra, de privileg., pastoralis; ff. de servitu. urb. praed., si domus tua. Et ideo dicit, alieno, et non alii. Nec Papa per talem indulgentiam intendit praeiudicare proprio sacerdoti, ut in capitulo praedicto supra, de auctor. et usu pal., ex tuarum, cum suis similibus; et infra, de sent. excom., cum desideres, in fi. Et hoc idem dixit Hug. 16. q. 1, et in praedictis §. Ber.

Obtineat
Quid si ille malitiose recusat? Arg. quod potest ire ad alium, supra, de regular., licet. Vel vadat ad eius superiorem si potest, ut illum compellat vel ille dabit licentiam, arg. supra, de iure patron., nullus. Arg. C. de temp. appel., cum anterioribus § ulti.; arg. infra, de poenit. et remiss., ne pro dilatione, ad fi. Ber.

Vel ligare
Supra, de poenit. et remiss., quod autem; 9. q. 2, nullus alterius; et 9. q. 2, placuit; et supra, de paroch., nullus. Et est arg. quod clericus sine licentia sui episcopi non potest in non suum iudicem consentire, supra, de poenit. et remiss., quod autem; et supra, de for. compet., si diligenti; et supra, de for. compet., significasti, ubi de hoc; et infra, de poenit. et remiss., ne pro dilatione. Ber.

Vinum et oleum
Id est, misericordiam et disciplinam, 45. dist., disciplina; et 45. dist., omnis qui; et 45. dist., sunt namque; et 45. dist., vera iustitia. Ber.

Circumstantiis
Sic supra, de poenit. et remiss., Deus; et supra, de homic., sicut dignum, in princ.; de poen. dist. 5, consideret. Ber.

Diversis experimentis
Non tamen sicut imperitus medicus, 29. dist., necesse. Sed diligenter experiatur vires ipsius, qualem poenitentiam possit portare, arg. 26. q. 7, alligant. Sic ut potius reddat rationem de misericordia quam de crudelitate, ut ibi, 86. dist., non satis, ultra medium; et 11. q. 3, nemo peritorum. Ber.

Deponendum
Olim etiam alia poena imponebatur, de poen. dist. 6, sacerdos. Hodie haec imponitur.

X 5.38.13 *Cum infirmitas*

Causa cessante
Supra, de iureiur., et si Christus, ad fi.; et supra, de renunciat., post translationem, ubi de hoc.

Arceatur
Per sententiam non ipso iure, quod male vel nullo modo servatur.

Multo pretiosior
12. q. 1, praecipimus; 24. q. 3, si habes; C. de sacro. eccl., sancimus, in fi. Et ideo potius et prius est consulendum animae quam corpori, quia ubi maius est periculum cautius est providendum, 42. dist., quiescamus; et 7. q. 2, nuper; ut ff. de Carb., si cui controversia § 2. Ber.

X 5.38.14 *Cum ex eo*

Litteras
Sic ergo credetur litteris episcopi si vere sint, supra, de probat., post cessionem; et 11. q. 3, curae.

Proponere
Quia in talibus diligens inquisitio facienda est, 42. dist., quiescamus.

In taberni
Si enim ibi publice deliquerint, possunt a diocesano puniri licet sint exempti, supra, de privileg., tuarum, ubi de hoc.

Claves ecclesiae contemnuntur
Quod esse non debet. Simile supra, de poeni., gravem; supra, de privileg., ut privilegia.

A pluribus
Quid si quilibet indulgeat annum. Numquid valet et huiusmodi indulgentia contra statutum istud? Videtur quod non, supra, de excess. praelat., cum ad quorundam; et supra, de excess. praelat., sane; et supra, de excess. praelat., illud. Credo quod teneat, licet ibi faciant contra mandatum istud, quia non adiicit hic quod si secus fecerint, decernimus non valere, prout dicitur in illa decretali supra, de excess. praelat., cum ad quorundam. Arg. ad hoc supra, de praeben., inter caetera, ubi enim huiusmodi clausula non apponitur in mandato. Licet fiat contra mandatum, tamen tenet quod factum est, supra, de praeben., dilectus filius 2. Arg. contra infra, de poenit. et remiss., nostro., in fi.

X 5.38.15 *Nostro*

Per tuam provinciam
Nota quod archiepiscopus per totam provinciam suam potest facere remissiones, prout hic colligitur, et episcopus in sua diocesi, licet archiepiscopus non sit iudex ordinarius omnium de provincia sua, supra, de offi. ord., pastoralis. Et iurisdictionem contentiosam non habet in sua provincia nisi in certis casibus, ut dicitur in decretali supra, de offi. ord., pastoralis. Sed voluntariam sicut proconsul cum urbem egressus fuerit iurisdictionem habet non contentiosam sed voluntariam, ff. de off. procon., omnes proconsules. Et legatus potest in sua provincia facere remissiones, quia et statuta perpetua facere potest, supra, de offi. legat., nemini. Et est hoc episcoporum et archiepiscoporum, scilicet facere remissiones nisi ex speciali concessione vel alia legitima causa competat aliis inferioribus praelatis, supra, de excess. praelat., accedentibus. Et privilegia possunt concedere episcopi et archiepiscopi, supra, de his quae fi. a prael., quanto; et arg. supra, de iure patron., nullus.

Concilii
Supra, de poenit. et remiss., cum ex eo.

X 5.38.16 *Ne pro dilatione*

Periculum immineat
Sic propter periculum mortae datur absolutio statim, quae alias non daretur, infra, de sent. excom., nuper, in fi.; et infra, de sent. excom., sacro; et supra, de offi. ord., ad reprimendam. Et propter periculum animae statim infans baptizatur, 5. dist., baptizari; et de conse. dist. 4, ne quod absit. Et dilatio propter periculum tollitur, ne interim aliquod contingat periculum, de conse. dist. 4, Iudaei. Et est arg. quod ubicumque periculum timetur, dilatio sine mora vitanda est, 28. dist., de Syracusanae. Item arg. quod sacerdos statim debet currere ad infirmum quando vocatur, quia vitam adimit quisquis morienti poenitentiam denegavit, 26. q. 6, si presbyter; et 26. q. 6, agnovimus. Et reus erit animarum, ut ibi dicitur.

Permittimus
Sic ergo videtur quod episcopi vel alii inferiores praelati exempti ante permissionem non poterant se subiicere alicui confessori sine licentia sui superioris, supra, de poenit. et remiss., omnis. Quia nullus clericus sine licentia sui episcopi potest eligere iudicium non sui iudicis, personae vel rerum, supra, de for. compet., si diligenti; et supra, de for. compet., significasti; et 3. q. 6, non liceat. Arg. multo minus iudicium animae, quod maius est.

Providum
Qui sciat ligare ac solvere, de poen. dist. 6, qui vult; et supra, de poenit. et remiss., omnis § sacerdos. Et qui diligenter investiget qualitatem criminis et personae, de poen. dist. 5, consideret.

X 5.39 DE SENTENTIA EXCOMMUNICATIONIS

X 5.39.01 *Super eo*

Percusserint
Irato animo, alias non inciderent in canonem, prout sequentia verba declarant, et 17. q. 4, si quis suadente.

Excusat
Non ab exommunicatione, sed quo ad hoc quod non sunt mittendi ad curiam pro absolutione, ut infra, de sent. excom., quamvis; infra, de sent. excom., pueris. Et ita est arg. quod aetas excusat, de conse. dist. 4, eos; C. de fals. mon., quoniam, in fi.; et 33. q. 2, in adolescentia. Arg. contra quia malorum mores infirmitas animi non excusat, C. si adv. del., licet; et ff. de minor., auxilium § in delictis. Ber.

Nec clerici
Supple sunt excommunicati, quoniam sola temeritas in hoc casu reprehenditur sine violentia, prout sequitur et patet ex illo canone 17. q. 4, si quis suadente.

Disciplinae
Vel ratione praelationis. Idem est etiam de patre qui filium in minoribus ordinibus potest corripere sine poena ista vel de propinquo, infra, de sent. excom., ex tenore; et infra, de sent. excom., cum voluntate, ubi de hoc. Arg. de poen. dist. 1 § aut facta; et 14. q. 5, circumcelliones. Ber.

Violenta notari
Haec est ratio quare non incidunt in canonem.

X 5.39.02 *Monachi*

Quocumque modo
Dum tamen enormiter, aut in episcopum aut in abbatem aut in clericum saecularem manus iniiciant violentas, infra, de sent. excom., cum illorum.

Sui abbatis
Si vero monachum alterius claustri percusserit, per abbatem utriusque monasterii debet absolvi, infra, de sent. excom., cum illorum; et infra, de sent. excom., canonica. Sed si monailis monialem vel conversam vel conversum aut clericum percusserit, per episcopum absolvatur, infra, de sent. excom., de monialibus.

X 5.39.03 *Si vero alicuius*

Absolvi
Ergo est excommunicatus, quare intelligendum est de quo quod animo iniurandi hoc fecit. Et hoc nota quod dicit, malignatus. Alioquin non esset excommunicatus, cum canon dolosos et violentos tantum teneat, ut supra, de sent. excom., super eo vero; et 17. q. 4, si quis suadente.

Graviter vulneraverit
Casus iste semper excipitur, infra, de sent. excom., cum illorum.

Officialis
Id est, iudex vel apparitor alicuius potestatis vel principis.

Laico
Supple etiam qui de mandatos sui praelati hoc faceret, nihilominus incidit in canonem, infra, de sent. excom., universitatis. Nisi clerici deliquerint, nec aliter possint ad iudicum trahi, tunc enim de mandato praelatorum capi possunt, ut traditur, infra, de sent. excom., ut famae.

Fortuito
Tunc enim non imputatur, quia casus fortuiti praevideri non possunt, supra, de homic., Ioannes; et supra, de homic., quidam; et supra, de commod., cum gratia; et ff. de admin. rer., non utique § si eo tempore; et ff. de cust. reo., non est; et ff. de cust. reo., milites, in fi. Quia nulla temeritas vel violentia in eo notari potest, sed excusatur ratione officii.

Alias non excusaretur, quia debuit praevidere an ex facto suo posset iniuria irrogari, arg. supra, de iniur. et damn. dat., si culpa.

Vim vi
Tunc enim excommunicatus non est, cum licitum sit se defendere, infra, de sent. excom., ex tenore, servato moderamine inculpatae tutelae, supra, de homic., significasti 2.

Repellere
ff. de iust. et iure, ut vim; et ff. ad leg. Aquil., scientiam § qui cum aliter; et supra, de homic., significasti 2, ubi de hoc.

Omnes leges
De hac materia loquentes et ita universalis restringitur. Sic 1. dist., omnes leges. Sic et indefinita, supra, de privileg., ut privilegia.

Cum uxore
Idem est in sponsa de praesenti, quia et lex permittit illam accusare iure mariti, ff. de adulter., si uxor § 1.

Matre
Numquid nomine matris intelligimus omnes ascendentes secundum legem? Videtur quod sic, ff. de ver. sig., appellatione. Et nomine filii omnes etiam descendentes ut lex dicit, ff. de ver. sig., liberorum. Per leges istas videtur quod sic. In casu isto non credo hoc extendendum ad ascendentes vel descendentes, cum minor fiat iniuria, unde non est extendenda licentia, supra, de decim., tua 1. Ber.

Turpiter
Huic enim parcit canon quia tam iustum dolorem compescere non posset, C. de adulter., Gracchus. Et lex permittit illum occidere sic inventum, ff. de adulter., quod ait lex § quod ait. Alias ex intervallo non liceret.

Non contingit
Quia tunc nihil interest eius, immo culpa est se immiscere rei ad se non pertinenti, ff. de regul. iur., culpa. Ber.

X 5.39.04 *Si vero aliquis*

Ignoraverit
Ita quod ignorantia probabilis fuerit, alias non excusaretur, supra, de cleri. excom., Apostolicae; et supra, de renunciat., litteras; supra, de renunciat., cum inter. Quid si tonsuram vidit et eum clericum non credidit? Respondeo: incidit in sententiam dum tamen ille clericus sit. Quid si in veritate non erat clericus, licet tonsuram deferret et illum percussisti credens illum clericum? Propter conscientiam teneris, nisi postea certus efficiaris, arg. 1. q. 3, quoniam multos, secundum unum casum. Quid si credidit percutere Titium laicum et in persona errans percussit Martinum clericum? Ala. dixit quod in sententiam incidit, quia iniurari voluit, ff. de iniuri., eum qui § si iniuria; et supra,

de iniur. et damn. dat., si culpa. Tanc. dixit quod non incidit in canonem quod probat per hanc litteram, quia dicit hic si percutiat clericum quem credebat laicum, non est excommunicatus, ut hic dicit. Sola enim temeritas et violentia in hoc consideratur, arg. supra, de sent. excom., super eo vero; et infra, de sent. excom., veniens; et ff. de iniuri., illud § ulti.; et ff. de iniuri., si cum servo. Iniuriam tamen fecit ut dicit Ala., et per eadem iura potius credo opinionem Ala. tutiorem.

Propria manu
Soli sacramento creditur quando de conscientia alicuius dubitatur vel quaeritur, ut hic patet, et 33. q. 2, in lectum; 31. q. 2, si verum; ff. de re milit., non omnes § a barbaris; 16. q. 3, dilectio; et 35. q. 3, extraordinaria; et supra, de except., pastoralis; arg. supra, de his quae vi met. caus. fi., super eo, cum suis concordantiis positis ibi.

Noluerit
Hoc ipso quod iurare non vult, praesumptio est contra eum in tantum quod tamquam excommunicatus vitabitur. Simile supra, de haeret., excommunicamus itaque § quia vero, cum constet quod violentas manus in illum iniecit. Sic enim pro convicto habetur qui se non purgat, supra, de simon., de hoc; et supra, de purg. can., cum P; et supra, de purg. can., inter sollicitudines, in fi. Item hic habes quod licet clericus non servet habitum suum, adhuc retinet privilegium suum. Unde contra infra, de sent. excom., in audientia. Hoc intellige ante trinam admonitionem, illud cum suis consimilibus post, quia tunc perdit privilegium.

X 5.39.05 *Non dubium est*

Religionis conversos
Infra, de sent. excom., ex tenore. Ex eo quod dicit religionis, videtur quod conversi saecularium ecclesiarum non habeant hoc privilegium, arg. 27. q. 1, ut lex continentiae. Sed dicendum est quod ex quo tradiderunt se et sua divino obsequio sive in saeculari ecclesia sive in regulari, iam censentur ecclesiasticae personae, et ex toto translati sunt in forum ecclesiae. Unde habent immunitatem ecclesiasticam, 17. q. 4, quisquis. Et dicit decretum quod tantum duo sunt genera Christianorum: unum quod dedicatum est divino obsequio, ut clerici et conversi, aliud genus ut laici, 12. q. 1, duo sunt. Quidam tamen volunt dicere contra, sed benignius est dicere quod sic ut eorum gaudeant privilegio quorum vitam et religionem assumunt, ut supra, de statu monach., recolentes.

Ex constituitione concilii
17. q. 4, si quis suadente, in qua constitutione nulla fit mentio de conversis. Sed per hoc, et infra, de sent. excom., ex tenore, extenditur ad conversos. Sic quod dicitur de monachis extenditur ad regulares, supra, de postuland., ex parte. Et ita per consequens ad omnes conversos, ut dictum est. Ber.

In articulo mortis
Et in aliis casibus qui habentur infra, de sent. excom., quamvis, ubi de hoc.

X 5.39.06 *Mulieres*

Sui iuris
Ut sunt servi, sed hoc intellige secundum distinctionem illius decretalis infra, de sent. excom., relatum. Nec intelligas hoc verbum de filiisfamilias, qui dum sunt in patria potestate non dicuntur sui iuris, quia tales debent ad curiam mitti nisi sint infra pubertatem, infra, de sent. excom., quamvis; et infra, de sent. excom., pueris. Ber.

Laborem veniendi
Hoc referas ad arbitrium episcopi, arg. ff. de ver. oblig., continuus § cum ita. Et si videbitur episcopo quod laborem eundi nequeat sustinere propter pericula morae, illum absolvere potest recepta sufficienti cautione quod parebit consilio sive responso Papae, arg. optimum supra, de poenit. et remiss., ne pro dilatione; et infra, de sent. excom., de caetero; et infra, de sent. excom., sacro. Si vero periculum non timetur, consulatur Papa antequam absolvatur. Et hoc videtur dicere littera ista.

Auctoritate vel mandato
Sic supra, de restit. spol., cum ad sedem, ad fi. Et ille dicitur facere qui per alium facit, ff. de admin. tut., ita tamen § gessisse; et 16. q. 6, consuetudo, in fi.; et infra, de sent. excom., ut famae § ulti.; et C. de accusation., non ideo; et ff. ad leg. Aquil., liber homo si iussu, in princ.; ff. de iuris., si quis id § ulti. Et qui causam praebuit vel opem, tenetur; ff. vi bon. rapt., praetor ait cuius § si cum servum; et supra, de homic., sicut dignum § 2; et supra, de iniur. et damn. dat., si culpa. Sed videtur quod ille qui mandato alterius hoc facit non teneatur, maxime si habeat in illum potestatem vel ei subiectus sit, arg. ff. de regul. iur., non videtur; et lege praedicta ff. ad leg. Aquil., liber homo si iussu. Sed contrarium verum est, quia praeceptum iniustum fuit cui non debuit obedire, sed Deus potius quam homini, infra, de sent. excom., relatum; et 11. q. 3, Iulianus; et 11. q. 3, non semper; et 23. q. 1, quid culpatur, in fi.; et ff. de vi et de vi arm., praetor ait § quotiens; et infra, de sent. excom., universitatis. Quia nec illa potestas data est laico super clericum, supra, de sent. excom., si vero alicuius § 1. Sed pone quod mandavit, sed ante manuum iniectionem poenituit, quid erit? Respondeo: nihilominus in canonem incidit nisi revocaverit mandatum, ita quod revocatio ad ipsum pervenerit, arg. ff. mand. vel cont., si mandassem; et ff. de Maced., si tamen; et ff. de Maced., si filius; et ff. quod iuss., merito, 1. resp.; et supra, de procurat., mandato; et supra, de procurat., ex insinuatione; et supra, de rescript., ex parte decani. Sed pone quod mandator ante inectionem manuum moriatur, tunc non erit excommunicatus, quia mandatum morte extinguitur, ff. mand. vel cont., inter causas § 1; et supra, de offi. deleg., relatum; et supra, de offi. deleg., licet. Et ecclesia non ligat sub terra arg. infra, de sent. excom., a nobis est; et 24. q. 2, legatur, arg. a contrario. Item pone quod non mandat sed ratum habet ex post facto. Numquid incidit in canonem? Quidam dicunt sic quoniam ratihabitio locum habet in maleficiis, ff. de vi et de vi arm., praetor ait § quotiens; ff. de his qui not. infam., quid ergo; arg. C. de incest. nupt., cum ancillis; et supra, de restit. spol., cum ad sedem, in fi. Arg. contra mand. vel cont., si vero § si post. Non credo quod in casu isto incidat in sententiam, licet ex post facto ratum habeat, cum hoc fecerit causa sui et eius nomine. Secus si potuit prohibere et non prohibuit. De hoc dicetur infra, de sent. excom., quantae. Ber.

X 5.39.07 *Porro*

Porro si aliqui
Qui non sunt fratres illorum quos laeserunt. Quoniam si fratres essent et se ad invicem percussissent, abbas eos absolvere potest, supra, de sent. excom., monachi; et infra, de sent. excom., cum illorum. Vel potest intelligi de aliis quam de monachis, quod verius videtur et loquitur episcopo. Alia littera habet: tuos, et planior est littera et sic est in antiqua. Ber.

Satisfaciant
Arg. quod non valet poenitentia sine satisfactione, supra, de usur., cum tu; et 14. q. 6, si res; et 24. q. 2, legatur; de poen. dist. 1, neminem. Laur.

X 5.39.08 *Nulli*

Vitare
Supra, de privileg., cum et plantare; et supra, de privileg., ut privilegia. Ad hunc etiam casum privilegium non extenditur. Sed numquid Papa communicando excommunicato incidit in canonem? Dic quod non, licet alias male faciat. De hoc dicitur infra, de sent. excom., si aliquando. Quoniam princeps legibus solutus est, ff. de legib., princeps; et C. de legi. et const., digna vox. Ipse enim solus interpretatur leges, infra, de sent. excom., inter alia, ubi de hoc. Ber.

X 5.39.09 *Parochianos*

In monachos
Sud numquid monachus poterit agere actione iniuriarum? Dic quod non, sed actio competit monasterio, et aget syndicus monasterii sicut actio iniuriarum competit domino si iniuria fit servo, etiam aget dominus et non servus, Inst. de iniuri. § servis autem. Quid si remittit monachus iniuriam? Nihil agit quin possit agere monasterium. Sic licet filiusfamilias remittat iniuriam factam sibi, pater nihilominus agere potest pro iniuria filio irrogata, ff. de pacti., in personam. Immo et si iniuria fieret filio volenti, pater agere posset, ff. de iniuri., iniuria § usque. Monasterium vero iniuriam factam monacho potest remittere. Secus in ecclesia saeculari, quia non posset remittere iniuriam factam clerico, arg. 17. q. 4, quisquis. Vincen.

Conversos
Sic infra, de sent. excom., ex tenore; et supra, de sent. excom., non dubium, ubi de hoc.

Decreti
17. q. 4, si quis suadente.

Satisfaciant
Sed dabitur satisfactio? Per litteram istam videtur quod ipsi monacho vel converso laeso, ut dicit haec littera. Sed contra videtur 12. q. 1, non dicatis; et ff. pro soc., si inter fratres § ulti. De iniuria facta servo dic ut Inst. de iniuri. § quod si usufructus; et Inst. de iniuri.

§ sed si libero. In monacho vero vel converso qui proprium non habet, satisfactio dabitur monasterio. Et quod dicit hic, laesis, si datur laeso satisdatur monasterio, quia quicquid monacho datur, monasterio acquiritur, supra, de statu monach., cum ad monasterium. Clerico autem saeculari debet dari qui laesus est. Si clericus inde decedat, dic ut supra, de poeni., presbyteri. Et ex iniuria plures oriuntur actiones, ff. de iniuri., iniuria § ulti. Sed coram quo aestimabitur haec iniuria? Respondent quidam quod coram iudice percussoris, Inst. de iniuri. § sed postea. Et sic interdum in foro saeculari. Vincen. dixit quod ratione accessionis aestimabitur coram iudice ecclesiastico, sicut dicitur in dote, arg. supra, de coniug. serv., proposuit, in fi.; et supra, de don. int. vir. et uxor., mulieres; supra, de don. int. vir. et uxor., significavit; et supra, de don. int. vir. et uxor., de prudentia. Sed hoc intellige cum querela excommunicationis defertur ad ecclesiasticum iudicem. Tunc enim aestimabitur iniuria coram ipso, quia aliter non absolvitur, ut hic dicitur. Si vero clericus simpliciter vult conqueri de iniuria sibi irrogata, satis videtur quod debeat sequi forum rei. Papa tamen quotidie dat litteras clericis contra laicos nomine etiam suo, et de hoc 11. q. 3, sanctis quippe. Ber.

X 5.39.10 *Ex tenore*

Debeat
Qui sic iurat non est adstrictus nisi ad iustum mandatum, arg. supra, de elect., causam quae; et supra, de iureiur., veniens; et supra, de iureiur., Quintavallis; et ff. pro soc., si societatem; et ff. de oper. lib., si libertus. Et idem est sic iurare, ac si iuraret stare mandatis ecclesiae, et illa est recta forma, ut supra, de appell., ad haec praeterea. Et per hoc iuramentum hoc tantum praecipere potest, prout hic sequitur in littera, et quod satisfaciat laeso, supra, de sent. excom., parochianos; et infra, de sent. excom., ea noscitur.

Ne de caetero
Sic infra, de sent. excom., gravem.

Defendendo
Supra, de sent. excom., si vero alicuius. Ber.

Mandato suorum
Dum tamen mandatum sit iustum vel saltem si dubitetur, 23. q. 1, quid culpatur, in fi. Si autem sit iniustum, non est obediendum, 11. q. 3, non enim; et 11. q. 3, Iulianus; et 11. q. 3, si Dominus. Exemplum de mandato habes infra, de sent. excom., universitatis; et infra, de sent. excom., ut famae § 1. Alias non excusatur, supra, de sent. excom., mulieres; et infra, de sent. excom., universitatis. Ber.

Praelationis
Idem est si habeat officium in ecclesia ratione cuius corrigere potest inferiores clericos vel monasterium, ut hic, et infra, de sent. excom., cum voluntate, ubi de hoc; et supra, de sent. excom., super eo vero.

Socius
Hoc dictum est propter assiduam conversationem, unde praesumitur quod facilius manus iniciant in seipsos. Quandoque veniunt ad verba, et sic ad factum. Et ratione praesumptionis non praecipitur de socio. Sic propter praesumptionem iuramentum quandoque non indicitur clericis, supra, de cohab. cler. et mul., clericos; et supra, de praesump., litteras.

X 5.39.11 *Litteras*

Iustas excusationes
Nota quod in omni edicto intelligitur rationabilis excusatio, ut hic patet. Quantumcumque praecise scribatur exceptiones legitimae excipiuntur, ut supra, de offi. deleg., ex parte tua; et supra, de rescript., si quando. In quibus casibus quis ab itinere excusetur habes infra, de sent. excom., quamvis, et in littera et in glossa. Ber.

Licet diocesano
Numquid et presbytero? Respondeo: in summa necessitate licet, arg. 17. q. 4, si quis suadente; et supra, de sent. excom., non dubium. Alias non, nisi hoc faceret de mandato episcopi, 26. q. 6, presbyter inconsulto episcopo non reconciliet, quia episcopus hanc absolutionem bene potest committere, supra, de offi. ord., his quibus. Ber.

Recepto iuramento
Ut dictum est supra, de sent. excom., ex tenore. Simile infra, de sent. excom., quamvis, in fi.

Suscepturus
Non dicit absolvendus quia iam erat absolutus, quia obligatio semel extincta non reviviscit, de conse. dist. 4, quaeris; et 23. q. 4, si illic; de poen. dist. 4, divina clementia; ff. de solut., qui res § aream; C. de remiss. pign., cum ex causa. Quidam dicunt quod opportunitate recepta recidunt in excommunicationem, arg. 16. q. 6, qui recedunt; et 16. q. 6, de his vero; et C. qui bon. ced. poss., cum et filii; et supra, de solution., Odoardus, quod non placet. Libertas enim quamvis indebite obtenta non retractatur, C. si adv. lib., si post decretum; et C. si adv. lib., etsi minor. Quod si non fecerit, tamquam periurus habebitur et posset compelli ut iuramentum servet, arg. supra, de iudic., novit. Ber.

X 5.39.12 *Ad haec*

Ad haec
Haec decretalis olim erat de rescript.

Nequaquam consuevit aliis
Immo primo loco remittitur absolutio suo excommunicatori, supra, de rescript., ab excommunicato. Et hoc cum sententia lata est contra formam concilii, ut ibi dicitur, quod habes infra, de sent. excom., sacro. Et est arg. quod semper rescriptum debet esse obtentum secundum stylum Romanae curiae, alias suspectum habetur, supra, de crim. falsi, quam gravi, in fi. Item est arg. ex eo quod fieri consuevit, 38. dist., de Syracusanae;

et supra, de cleri. coniug., diversis; et ff. de Maced., si quis patrem; et ff. de Maced., sed Iulianus § quod dicitur.

Sufficienti
Cum quis est excommunicatus pro iniectione manuum in clericos, sola cautio iuratoria sufficit, supra, de sent. excom., ex tenore; et infra, de sent. excom., cum desideres. Cum vero pro contumacia vel crimine manifesto, sufficiens debet cautio praestari, infra, de verb. sign., ex parte in Christo, ubi de hoc. Sic etiam cum data est possessio causa rei servandae, supra, de sequestra., ad hoc, in fi.

X 5.39.13 *Ea noscitur*

Mulieres
Supra, de sent. excom., mulieres; et infra, de sent. excom., quamvis, ubi multae tales personae excipiuntur.

Valetudinarii
Isti propter infirmitatem absolvuntur, ita tamen quod si convaluerint, sedem Apostolicam visitabunt mandatum Apostolicum recepturi, supra, de sent. excom., de caetero; et infra, de sent. excom., quod de his; et infra, de sent. excom., quamvis, in fi.; et hic in fi.

Iuxta facultates
Hoc semper intelligendum est secundum quod satisfacere potest, satisfaciat. Quod si non potest, in poenam aliam potest commutari, arg. supra, de maledic., statuimus. Vel expectet quamdiu facere possit cautione recepta, supra, de solution., Odoardus, ubi de hoc. Nam inanis est actio quam excludit inopia debitoris, supra, de restit. spol., olim vobis; ff. de dolo mal., nam is. Ber.

Pauperes
Infra, de sent. excom., quod de his. Et infra, de sent. excom., quamvis, contra. Solutio: ibi loquitur de his qui tanta paupertate laborant, quod ad curiam ire non possunt, hic de his qui possunt ire licet pauperes sint.

Legato eius
Infra, de sent. excom., ad eminentiam; et infra, de sent. excom., quamvis. Quod ex officio legationis licet, supra, de offi. legat., quod translationem. Alii vero legati qui de latere Papae non mittuntur, servent quod dicitur supra, de offi. legat., excommunicatis.

Recepturi
Supra, de sent. excom., de caetero, ubi de hoc.

X 5.39.14 *Cum non ab homine*

Denunciatus non sit
Et sic quam cito scio aliquem exommunicatum statim debeo ipsum vitare quamvis non sit denunciatus, nisi solus hoc sciam, ut hic dicit, et 6. q. 2, si tantum; et 6. q. 2, placuit; arg.

2. q. 7, plerique. Qui enim scit, certiorari non debuit, ff. de act. emp. et vend., si res vendita, in fi.; et 93. dist., si inimicus. Quia excommunicatio executionem secum trahit, supra, de appell., pastoralis. Et denunciatio non fit nisi propter ignorantes. Deus enim ligat et non homo, 11. q. 3, nemo contemnat. Ioan. Favent. contradixit et male quod ante denunciationem non est vitandus.

Contempto clericali
Propter hoc solum non perdunt privilegium, supra, de sent. excom., si vero aliquis, nisi post trinam admonitionem, infra, de sent. excom., in audientia; et infra, de sent. excom., contingit 2, ubi expectatur admonitio. Hoc intelligitur de his qui non sunt contenti arma portare, sed saevis enormitatibus se immiscent, ut hic patet, et supra, de apostat., praeterea; et infra, de sent. excom., perpendimus. Contraria intelliguntur de his qui taliter non excedunt, licet portent arma. Unde illi usque ad trinam admonitionem gaudent privilegio suo, ut dicitur. Simile supra, de vit. et honest. cler., ex litteris.

Asperior
Nota quod ex persona augetur crimen, 40. dist., homo; ff. de re milit., omne delictum § 1; de poen. dist. 1 § aut facta; et supra, de poenit. et remiss., quaesitum. Ber.

X 5.39.15 *Cum desideres*

Communione reddidit
Et male, quia cum ipse debeat alios prohibere, ipse hoc facere non debet, ff. si serv. vend., altius; supra, de nat. ex lib. ven., indecens, ubi de hoc; in Auth. ut differ. iudic. audi. § haec autem omnia, in fi., coll. 9; et 16. q. 1, in canonibus.

Ad cautelam
Ut post absolutionem timore iuramenti similia pertimescat, 23. q. 8, pessimam. Et sic iuramentum non est de substantia absolutionis, ut infra dicam. Item arg. quod aliquid faciendum est ad cautelam futurorum, 23. dist., in nomine Domini; et supra, de elect., licet; et 63. dist., cum Hadrianus. Et exempla praesentia nos praecavere faciunt in futurum, 82. dist., plurimos, ad fi.; et ff. locat. et conduct., si quis domum § 1. Ber.

Praestitum
Secundum quod dictum est supra, de sent. excom., ex tenore. Sed forma ecclesiae observari generaliter debet nec omittitur nisi ex causa, infra, de sent. excom., super eo quod. Sed si iuramentum omittatur, nihilominus tenet absolutio.

Excommunicationis poenam contrahit
Nisi in casibus qui continentur in his versibus: haec anathema quidam solvunt ne possit obesse // utile lex humile re ignorata necesse. Utile: propter utilitatem meam. Et ne ille commodum habeat, possum communicare excommunicato, infra, de sent. excom., si vere. Item propter utilitatem excommunicati possum ei communicare in his quae pertinent ad eius salutem, infra, de sent. excom., responso; et infra, de sent. excom., cum voluntate, in princ.; et 11. q. 3, antecessor; et 11. q. 3, quod praedecessor; et 11. q. 3, cum excommunicato. Lex: propter eandem legem quae est viro et uxori, uxor potest

communicare viro, 11. q. 3, quoniam multos; et infra, de sent. excom., inter alia. Humile: sicut est in filiis, servis, ancillis, mercenariis et in proximis concordantiis. Res ignorata: ut hic ex eo quod dicit, scienter, et in capitulo 11. q. 3, quoniam multos. Arg. infra, de sent. excom., inter alia. Tanc.

Si publica fama

Nota quod si fama est aliquem esse excommunicatum, vitandus est. Simile supra, de cleri. excom., illud. Et ita fama facit probationem et fama impedit matrimonium contrahendum, supra, de cons. et affin., super eo.

Ad cautelam

Infra, de sent. excom., venerabili; et supra, de appell., ad praesentiam; et de conse. dist. 4, nulla. Arg. ut sic forma tollatur.

Quam offendit

Quam ille dimittere non potuit, 23. q. 4, si is qui; et 73. dist., Salonitanae. Et est arg. quod haec iniuria non solum fit iniuriato, sed toti ordini clericali, infra, de sent. excom., contingit 1. Simile supra, de for. compet., si diligenti. Unde iste non potuit pacisci super iniuria quatenus ecclesiam contingebat nisi forma ecclesiae fuerit observatae, ut hic dicit.

Nisi forma ecclesiae

Ut scilicet iuramento praestito quod stabit mandato ecclesiae absolvatur, ut supra, de sent. excom., super eo quod, 1. resp., in fi.; et supra, de sent. excom., de caetero. Sed quid si iuramento omisso fuerit absolutus. Arg. est hic quod non teneat absolutio, et hoc quidam concedunt quia iuramentum non est de substantia absolutionis, sed recipitur potius ad cautelam ne de caetero talia praesumant, ut infra eodem capitulo, in princ. Et aliqui absolvuntur sine iuramento, quod non fieret si esset de substantia, infra, de sent. excom., super eo quod; et infra, de sent. excom., a nobis est, in fi. Et sic tenet absolutio licet non debeat sine iuramento absolvi, quia libertas ubicumque obtenta fuerit, non revocatur, C. si adv. lib., si post decretum; et C. si adv. lib., etsi minor. Et sic licet composuerit, necessaria est absolutio. Secus est in cautione facta propter novum opus nunciatum ubi non est opus ut post cautionem remittat, ff. de remission., ait praetor § 1, ibi: plane. Et quod dicit, nisi forma etc., intelligendum est principaliter de absolutione cum iuramento, quae tamen quantum ad veritatem eadem est cum illa quae fit sine iuramento. Sed forma ecclesiae generaliter debet observari, nec debet omitti nisi ex causa, infra, de sent. excom., super eo quod. Sed si iuramentum omittatur nihilominus tenet absolutio.

X 5.39.16 *Veniens*

Celebrationem

Ex hoc praesumitur quod bono zelo et non animo iniurandi manus in eam apposuit. Sola enim temeritas et violentia notatur, supra, de sent. excom., super eo vero; et 17. q. 4, si quis suadente. Et ita patet quod sacerdos turbantem officium divinum sine poena excommunicationis potest expellere de ecclesia et quilibet alius ratione officii, quod obtinet in ecclesia et etiam seniores de ipsa ecclesia, infra, de sent. excom., cum voluntate § 2, ubi notatur in quibus casibus excommunicatus non est qui manus mittit in clericum.

Ex hoc ipsum
Id est, ex hac tali et levi castigatione non incidit in canonem, et maxime quam in propria persona voluit exercere, arg. infra, de sent. excom., universitatis; ff. locat. et conduct., item quaeritur § Iulianus; ff. ad leg. Aquil., sed et si quemcumque § ulti. Ala.

X 5.39.17 *Pervenit*

Arbitrio
Ala. dixit quod haec decretalis continet specialem indulgentiam. Alii dicunt quod ius commune continet ad quod ergo posita esset, 19. dist., si Romanorum. Ut officeret potius quam prodesset et in errorem duceret? Quod continet ius commune est arg. supra, in constitutione Gregorii ix in principio libri, rex pacificus. Et sic per hoc licitum est episcopis tales absolvere pro modica iniuria et levi irrogata. Et huiusmodi levis iniuria potest leviter emendari, supra, de accusat., cum dilecti; quae etiam non infamat, supra, de re iudic., cum te. Unde satis possunt episcopi beneficio huius decretalis absolvere tales ex generali concessione. Vel dicas ut Ala. quod est securius.

X 5.39.18 *Significavit*

Eadem
Scilicet quo ad privationem sacramentorum, et sic intelligitur 11. q. 3, excommunicatos; et 11. q. 3, cum excommunicato. Vel forte hi fuerunt excommunicati cum omnibus participantibus eis, 11. q. 3, excellentissimus; infra, de sent. excom., quod in dubiis, in fi. Et ita expone eadem sententia, scilicet maiori. Vel isti participaverunt excommunicatis in eodem crimine criminosis. Et ita eadem sententia cum illis ligantur. Unde remitti debent ad suum excommunicatorem absolvendi, infra, de sent. excom., nuper; et infra, de sent. excom., si concubinae. Et hoc verius credo.

X 5.39.19 *Tua nos*

Temerarias
Largius est hoc intelligendum quam si violentas dixisset, quaedam enim manus dicuntur temerariae sed non violentae, infra, de sent. excom., contingit 1.

Incendiarii
Incendiarii enim excommunicandi sunt, 23. q. 8, pessimam. Et secundum leges igni traduntur, ff. de incen. rui. nauf., qui aedes. Vel capite puniuntur, ff. de poe., capitalium § nonnumquam, cum distinctione illius § nonnumquam. Ber.

Publicati
Ergo videtur ex hoc quod ipso facto sint excommunicati, alias non videtur quod haberet locum publicatio. Et sic est arg. contra 23. q. 8, pessimam, ubi praecipiuntur excommunicari. Unde quidam restingunt hoc ad incendiarios ecclesiarum et religiosorum locorum, infra, de sent. excom., conquesti; et 11. q. 3, canonica; et 17. q. 4, omnes ecclesiae. Unde post publicationem a Papa tantum sunt absolvendi. Et hoc in

odium eorum statutum fuit, hic ad terrorem aliorum. Sic quandoque privantur aliqui ecclesiastica sepultura ad terrorem aliorum, supra, de torneam., felicis; et supra, de rapt., super eo. Sed quia hic non distinguitur de omnibus intelligas. Tam non credo quod omnes incendiarii generaliter ipso iure sunt excommunicati nisi de incendiariis ecclesiarum, cum de aliis non inveniam. Non probatur quod ipso iure sint excommunicati. Sed illis primo excommunicatis ab episcopis subsecuta publicatione ac denunciatione, Papa per hanc decretalem reservat sibi eorum absolutionem ad terrorem, ut dixi. Alias episcopi possent absolvere omnes incendiarios, infra, de sent. excom., nuper.

X 5.39.20 *Ad eminentiam*

A latere
Qui dicantur missi a latere domini Papae habes supra, de offi. legat., excommunicatis; et supra, de offi. legat., nemini; et in constitutione Inno. iiii supra, de offi. legat., extravag. officii nostri debitum.

Pro tempore
Id est, postquam egressus est urbem quousque reversus est, licet iurisdictionem non habeat nisi in ea provincia quae sibi decreta est, ff. de off. procon., proconsul ubique; et ff. de off. procon., proconsul portam. Et hoc ex officio legationis licet eis quamvis de hoc non habeant speciale mandatum, ut hic dicit, et supra, de offi. legat., quod translationem; et infra, de sent. excom., quamvis; et supra, de sent. excom., ea noscitur. De aliis qui non sunt missi de latere Papae, an possint tales absolvere habes supra, de offi. legat., excommunicatis; et supra, de offi. legat., nemini.

X 5.39.21 *A nobis*

Quisquis furtum
Hac forma verborum omnes nominatim intelliguntur excommunicati qui furtum committunt, tamquam expressis propriis nominibus, ff. de lib. et post., nominatim; et Inst. de exhered. lib. § masculos.

Non nisi subditi
Sed contra videtur quia ratione delicti efficitur quis de iurisdictione illius qui tulit sententiam, 6. q. 2, placuit; et 3. q. 6, ibi semper; C. ubi de crim. agi oport., authen. qua in provincia; et supra, de privileg., tuarum, ubi de hoc. Ergo universi ligantur, cum quantum ad hoc sint eius subditi. Respondeo: si generaliter intellexit, quisquis furtum fecerit ubicumque, clausula ista non refertur nisi ad subditos, ut dicit hic. Quoniam extra parochiam suam nullam habet iurisdictionem. Unde illa sententia non extenditur ultra terminos suae iurisdictionis, ff. de iuris., extra territorium; et supra, de offi. legat., novit. Comprehendit ergo tantum subditos suos etiam delinquentes in eius parochia, cum ex hoc ipsi subditi sint. Nam ratione delicti sortitur quis forum, supra, de for. compet., licet ratione, et in praedictis concordantiis. Nam et praeses provinciae adversus extraneos homines habet imperium, cum malum commiserint, ff. de off. praes., praeses provinciae in suae provinciae. Nec distinguitur unde sint, ut ibi. Sed videtur quod per talem

sententiam non sint ligati alii de alia provincia, cum ipsi ignorent talem sententiam, licet ibi delinquant et efficiantur de foro illius, ut per hoc illos possit punire. Sententia enim non ligat ignorantes et praecipue illos quibus publicata non est, 82. dist., proposuisti; 16. dist., quid dicitis. Dicas quod bene sunt excommunicati, quia incidunt in factum damnatum. Et quicumque facit factum iam per sententiam excommunicationis damnatum, iudicatur excommunicatus quasi a canone, arg. 24. q. 1, Achatius non est; 24. q. 1, maiores; et 24. q. 1, Achatius non fuit. Et propter delictum ibi commissum intelliguntur esse de parochia sua et sic excommunicati sunt, nec excusantur eo quod dicunt se ignorasse sententiam, quia ipsi cum rem illicitam et prohibitam faciant, statim sunt in culpa et potuerunt quaerere de hoc. Quid si moriatur vel transferatur ad aliam ecclesiam qui tulit illam sententiam, numquid tenet post mortem vel recessum, ut qui contra faciant sint excommunicati? Videtur quod sic quia scripta episcoporum anathematizant etiam post mortem, et facere possunt decretum, ita ut qui contra facit puniatur, 3. q. 4, nullus; et supra, de maior. et obed., si quis; et supra, de offi. legat., nemini, arg. contra. Dicit lex quod interdictum non durat ultra iurisdictionis interdicentis, ff. de poe., imperator. Dici potest quod interdictum sive sententia excommunicationis simpliciter lata non durat ultra tempus proferentis, nisi successor eam confirmet et ratam habeat. Sed cum diffiniendo statutum sive decretum aliquod facit, ligat etiam post recessum, quia statuta talia perpetua sunt, supra, de offi. legat., nemini; ff. de off. praef. urb., omnia § ulti.; C. de postulan., cum a praefecto, nisi expressim per successorem revocetur. Ber.

Nisi forte plus
Arg. quod sententia quae nulla est potest rata haberi et erit aliqua, 2. q. 1, in primis. Ber.

X 5.39.22 *Conquesti*

Excommunicatos nuncietis
Ergo videtur ex hoc quod ipso iure sunt excommunicati huiusmodi sacrilegi. Quod verum est de huiusmodi violatoribus et effractoribus ecclesiarum sive incendiariis, 11. q. 3, canonica; et 17. q. 4, omnes ecclesiae, de quibus intelliguntur illa duo capitula. Alii vero non sunt excommunicati ipso iure, sed excommunicandi, ut dictum est supra, de sent. excom., tua. Hug. tamen dixit quod illa capitula non sunt latae sententiae, sed haec decretalis contrarium ostendit, et ita etiam servatur. Sed Hug. intellexit capitula illa non de effractoribus ecclesiarum, sed de his qui aliunde aliqua rapiunt praeter effractionem.

Repraesentent
Ex quo enim incendiarii vel effractores ecclesiarum publice denunciati sunt, non possunt absolvi nisi a Papa. Sed ante bene si satisfacere volunt, quia conditor canonis ante denunciationem eorum non retinuit sibi eorum absolutionem, infra, de sent. excom., nuper. Et hoc ad terrorem omnium statutum fuit propter enormitatem excessus, supra, de sent. excom., tua. Ber.

X 5.39.23 *Perpendimus*

Non propulsando
Nam vim vi repellere licet, supra, de sent. excom., si vero alicuius § 2; et supra, de homic., significasti 2, ubi de hoc.

Absolutionem
Sic supra, de sent. excom., cum non ab homine; et supra, de apostat., praeterea; infra, de sent. excom., in audientia, contra. Sed illud solutum est supra, de sent. excom., cum non ab homine.

Cogantur
Sed contra videtur. Clericus non potest renunciare privilegio suo, infra, de sent. excom., contingit 1; supra, de for. compet., si diligenti. Dic quod manendo clericus non potest renunciare, ut in contrariis, sed apostatando ab habitu suo post trinam admonitionem, vel immiscendo se enormitatibus privilegium amittit, ut hic patet; et supra, de sent. excom., cum non ab homine; et infra, de sent. excom., in audientia; et infra, de sent. excom., contingit 2. Ipso enim facto se privant talia faciendo, supra, de vit. et honest. cler., ex litteris; et supra, de cleri. coniug., ex parte, arg.

Competentem
Paulo maiorem quam si in laicos talia commisissent, supra, de sent. excom., cum non ab homine, in fi. Sed quare imponitur ei poenitentia? Quia qui auctoritate iudicis malos interfecit, minister Dei est, 23. q. 5, miles; 23. q. 5, qui malos. Satis potest dici ad cautelam imponitur poenitentia, si comes ille habeat potestatem hoc faciendi, alias secus est ut hic, et in capitulo supra, de sent. excom., cum non ab homine, in fi. Ber.

X 5.39.24 *Universitatis*

Maxime ubi causa non subest
Ideo dicit maxime, quia idem est etiam si causa subesset, ut infra sequitur. Sed hoc executor non considerat qui exequi debet sive sententia sit iusta sive iniusta, supra, de offi. deleg., pastoralis § quia vero.

Persona
Sic 5. q. 5, illi qui. Arg. contra 86. dist., non liceat; et C. de episc. et cler., authen. sed neque. Solutio: aliud est in episcopo et speciale qui suis manibus nullum percutere debet cui sancitas ignoscendi gloriam dereliquit, C. de episc. et cler., si quis in hoc. Sed abbas hoc facere potest, ut hic, et 45. dist., cum beatus.

Fieri iubeat
Moderate, ita quod non excedat debitam correctionem. Alias potest appellari ab ipso, supra, de offi. ord., irrefragabili. Et puniri etiam debet, supra, de appell., de priore. Et incideret in canonem quia levis et moderata castigatio permissa est, infra, de sent. excom., cum voluntate § 2, ubi de hoc.

Etiam si causa subesset
Licet iusta causa subsit qui aliter quam debeat facit, non excusatur, infra, de sent. excom., sacro. Et sic neque in facto neque in modo faciendi debet esse peccatum. Sic supra, de restit. spol., Pisanis. Arg. contra quod potius causa facti quam ipsum factum considerari debet, 23. q. 8, occidit; et supra, de accusat., cum dilecti; ff. de fur., verum. Nec refert undecumque crimina claruerint, ut corrigantur, 23. q. 4, ecce.

Nequaquam evadunt
Etiam si monachus consentiret, infra, de sent. excom., contingit 1. Arg. contra infra, de sent. excom., ut famae, ubi clerici per laicos capiuntur. Non est contra quia in alio casu diverso loquitur ibi de clerico, qui aliter capi et corrigi non potest, nisi de mandato praelatorum capiatur et ad iudicium adducatur.

X 5.39.25 *In audientia*

Frustra ecclesiae
Supra, de immun. eccl., immunitatem; et supra, ne cler. vel mon. saecul. neg., sacerdotibus; et 17. q. 4, frater; supra, de usur., quia frustra; et ff. de minor., auxilium, in fi.; et ff. quod metus cau., isti quidem.

Lex
ff. de iniuri., item apud § si quis virgines.

Iniuriarum
Non enim iniuriatur matrimonio qui ipsum ignoravit, C. de adulter., si ea. Sic nec militiae aut etiam clericali qui militiam ignorat, ff. locat. et conduct., si ignorans; supra, de sent. excom., si vero aliquis. Quid si percussi laicum credens et volens percutere clericum, numquid incidi in canonem? Arg. quod sic, supra, de bigam., nuper; et supra, de bigam., a nobis; ff. ad leg. Aquil., scientiam § 2. Arg. contra ff. ad leg. Corn. de sic., frater § divus, ubi iudicatur secundum quod fit et non secundum quod faciens intendit, ff. de iniuri., si cum servo; et ff. de iniuri., prece, in fi. Sed in veritate non est excommunicatus licet de iniuria teneatur.

Meretricali
Et sic perdit privilegium, ff. de ritu nupt., senatoris filia.

Tertio
Similie supra, de vit. et honest. cler., ex litteris; et infra, de sent. excom., contingit 2. Arg. contra supra, de apostat., praeterea; et supra, de sent. excom., perpendimus; et supra, de sent. excom., cum non ab homine, sed ibi solvitur. Item arg. contra supra, ne cler. vel mon. saecul. neg., multa. Solutio: ibi non loquitur de tali captione sed de illis qui deprehenduntur in administratione, nec ibi fit mentio de manu iniuriosa. Et ecclesia non defendit illos qui in fraude deprehenduntur quo minus teneantur, et sic non tangit hoc.

X 5.39.26 *Quos de his*

Paupertate
Simile infra, de sent. excom., quamvis. Contra supra, de sent. excom., ea noscitur. Sed ibi solvitur.

Visitare
Sic supra, de sent. excom., de caetero; et supra, de sent. excom., ea noscitur; et infra, de sent. excom., quamvis, in fi.

X 5.39.27 *Cum pro causa*

Ob duplicem causam
Scilicet quia manus violentas iniecit in fratrem, et quia immunitatem ecclesiae violavit. Et sic colligitur hic arg. quod sacrilegi qui immunitatem ecclesiae violant, sunt excommunicati. Et ita idem esset si laicum verberasset in claustro, arg. 17. q. 4, omnes. Dic quod incidit in minorem excommunicationem quia privatus est communione ecclesiae ex eo quod immunitatem ecclesiae violavit, 17. q. 4, si quis domum. Et si non satisfecerit post tertiam admonitionem, maiori excommunicatione notabitur, ut ibi dicitur. Et ita non sunt omnes sacrilegi excommunicati ipso iure maiori excommunicatione. Et quia iste non satisfaciebat, fuit excommunicatus a suo praelato. Et ita ob duplicem causam nodatus fuit maiori sententia, ut infra dicit; et illud capitulum 17. q. 4, omnes. Restringitur ad suum casum ad violatores ecclesiarum, ut dixi supra, de sent. excom., tua; et supra, de sent. excom., conquesti. Vel forte lata erat sententia, ut quicumque violaret immunitatem ecclesiae esset excommunicatus.

Tamquam excommunicatum
Istud, tamquam, expressum est veritatis, ut dictum est. Ex hoc patet quod si aliquis pluribus de causis fuit excommunicatus, et unam expressit in absolutione et aliam tacuit, adhuc remanet excommunicatus, arg. supra, de offi. ord., ex parte. Ibi etiam tangitur de hoc, quia per subreptionem absolutio est obtenta, infra, de sent. excom., officii. Quot enim sunt excommunicationes tot debent esse absolutiones, sicut quot sunt accusationes tot et absolutiones, 2. q. 3 § notandum, vers. si plura; et de poen. dist. 5, consideret, ubi dicitur quod de omnibus erit indulgentia petenda. Sicut et in denunciatione novi operis, quot sunt denunciationes tot erunt remissiones, ff. de novi operis nunc., de pupillo § si ex pluribus. Sic et in libertate si per obreptionem obtenta fuerit, non valet licet sit favorabilis, ff. de fideicommi. liber., cum vero § subventum. Econtra videtur quod non sit excommunicatus, quia libertas semel data competit, sive ex iusta sive ex iniusta causa data sit, non revocatur, Inst. qui ex quib. caus. man. non poss. § semel; et supra, de cons. et affin., quia circa; arg. supra, de conver. coniug., ex parte tua; et ff. de manum. vin., iusta § 1; et ff. de manum. vin., si pater § 1. Item si quis per dolum est liberatus, tenet liberatio, sed agitur de dolo, ff. de dolo mal., servus; et ff. de dolo mal., quod si deferente. Item pignus liberatur non obstante dolo, ff. de pigner. act., si rem § omnis. Solutio: si dicatur quod semel excommunicatus amplius excommunicatione durante excommunicari non possit, tunc tenet absolutio licet alias causas non expresserit, si expresserit illam causam pro qua primo fuit excommunicatus. Sed hoc non est verum. Si autem dicatur quod excommunicatus posset iterum excommunicari, quod verum est, refert an expressa sit causa absolutionis an non sit. Si non est expressa sed indeterminate absolvitur, tunc

ab omnibus est absolutus. Sed si una causa tantum fuit expressa, tunc absolutio non extenditur ad ea quae non fuerunt expressa, arg. ff. de accep., pluribus; C. de procur., maritus. Vel distinguitur an per ignorantiam omiserit an scienter, arg. supra, de rescript., super litteris. Ita dixit Io. Sed ego in hoc casu non admitto illam distinctionem. Alii dicunt illum absolutum indistincte, sed cogitur redire ad curiam et satisfacere iniurato. Tanc. dixit quod si aliquis est excommunicatus propter plures causas, sed unica tantum sententia. Quamvis aliquas causas taceat dum absolvitur, absolutus est. Sed debet compelli satisfacere pro alia iniuriam passo. Et secundum hoc istud, tamquam, est similitudinarium. Si vero pluribus et diversis excommunicationibus sit ligatus ex causis diversis, si aliquas supprimit, non est absolutus sed remanet excommunicatus pro aliis. Et secundum hoc istud, tamquam, est expressivum veritatis. Ego credo quod qualitercumque sit aliquis excommunicatus, sive una sententia sive pluribus sententiis ex pluribus et diversis causis, qui vere vult absolvi, omnem causam pro qua vel pro quibus fuit excommunicatus, debet exprimere in absolutione sua. Quia pro unaquaque sola fuit excommunicatus, et una sententia sufficit ad excommunicationem, et sic una sententia absolutionis sufficit ad plures excommunicationes, dummodo exprimantur omnes causae prioris excommunicationis, alias non tenet absolutio per surreptionem obtenta, ut bene colligitur infra, de sent. excom., officii. Licet quidam dicant quod Innocentius non respondit ad hoc in capitulo infra, de sent. excom., officii, et praemissas solutiones non multum approbo.

X 5.39.28 *A nobis*

A fidelibus sit orandum
Et est dicendum quod non nisi prius fuerit absolutus, infra, de sent. excom., sacris est.

Nec fallitur
24. q. 3, Deus qui; de conse. dist. 2, panem.

Iudicium autem ecclesiae
Iudicium enim ecclesiae divinum debet imitari iudicium in quantum potest, 11. q. 3, tunc vera est.

Opinionem sequitur
Et ideo saepe fallitur, supra, de re iudic., lator; et supra, de re iudic., consanguinei; et supra, de frig. et malef., fraternitatis; et 24. q. 3, si quis non recto. Et cum de errore constiterit, revocatur quod factum est, ut tribus primis concordantiis, et 35. q. 9, loci § his ita.

Relaxatur
Hic surgit ratio quare quis potest absolvi ab excommunicatione post mortem et non baptizari post mortem, quia sententia ecclesiae ligat corpus et etiam animam. Et licet sit iniusta, aufert sepulturam. Baptismus vero character est animae, unde post mortem non est quod valeat baptizari, 32. q. 7, licite. Vincen.

Lazari
11. q. 3, tunc vera est.

Non potuerit
Si talis in extremis positus habuisset copiam sacerdotis ab eo potuisset absolvi, supra, de sent. excom., non dubium; et supra, de sent. excom., quod de his; et infra, de sent. excom., quamvis. Sed ex quo iam mortuus est, non potest absolvi nisi per Papam vel eius legatum, vel a quo debuit vivus absolvi. Numquid a laico potest absolvi in articulo mortis? Arg. quod sic, de poen. dist. 1, quem poenitet; de conse. dist. 4, sanctum est, ubi laicus absolvit per extremam necessitatem quem episcopus absolvere debuit, 50. dist., in capite. Laur.

Super terram
34. q. 1, quodcumque. Ber.

Non contemptus religionis
Haec verba habes supra, de conse. dist. 4, baptismi vicem.

Mortuos
Puta in haeresi, 24. q. 2, sane profertur. Nota quod si agatur contra personam vel de persona tantum post mortem quaeri non debet, quia crimina morte extinguuntur, 23. dist., quorundam; C. si reus vel accus. mort., etsi Marcellus; et C. si reus vel accus. mort., si is. Nisi in haeresi, ut 24. q. 2, sane profertur, et hic, ubi vero agitur propter bona vel contra personam et bona post mortem agi potest, C. si pend. appel., quamvis. Et sic post mortem agitur de matrimonio propter bona, supra, qui fil. sint legit., causam quae 2.

Rigorem
45. dist., disciplina; et 45. dist., sunt namque; et supra, de purg. can., inter sollicitudines.

Caeteris indulgemus
Id est, indultum esse ostendimus, quia cum eos absolvere possent vivos iure communi, ita etiam absolvere possunt post mortem ex causa praemissa, id est, si de ipsorum poenitentia per evidentiam signa constiterit.

Forma servetur
Sed forma non potest servari ex toto, quia hic non potest ammodo iurare et tamen absolvitur. Et sic est arg. quod sacramentum non est de substantia absolutionis, ut dixi supra, de sent. excom., cum desideres, in fi. Sed numquid heredes compellendi sunt ad iurandum antequam absolvatur? Satis credo quod possent compelli. Sed si nollent propterea non differretur absolutio, sed postea indistincte compelluntur satisfacere iniuriam passo vel alias facere quod ille vivus debuit et voluit. Sed numquid exhumabitur corpus, si sepultum fuit in coemiterio ecclesiae? Non credo quod debeat exhumari. Si alibi sepultum fuerit, tunc debet exhumari et absolvi quo ad ecclesiam, cum iam fit quo ad Deum absolutus, arg. 11. q. 3, tunc vera. Et postea in coemiterio sepeliri.

Heredes quoque
Hic habes expresse quod heredes tenetur ex delicto defuncti, licet ad eos nihil pervenerit, supra, de rapt., in litteris; et supra, de sepult., parochiano, ubi de hoc. Quia cum iste poenituerit et contritus fuerit quantum in se fuit, satisfecit et per eum non stetit. Unde heredes ad quod bona pervenerunt ipsius compellendi sunt satisfacere pro ipso. Et sic intellige istud capitulum supra, de sepult., parochiano; supra, de rapt., in litteris.

X 5.39.29 *Nuper*

Corporalis laesio
Hic sola violentia attenditur. Simile infra, de sent. excom., contingit 1. Nec refert an aliquis in compedibus an parietibus teneatur, ff. ex quib. cau. maio., succuritur, in fi.

Consilium impendendo
Quod aliter non erat facturus, arg. ff. de his qui not. infam., praetoris verba, in fi.; et supra, de homic., sicut dignum § qui vero. Non refert enim an de bono malum vel de malo deteriorem fecerit, ff. de serv. corr., ait praetor § qui igitur. Alias non tenetur quis de consilio, nisi ille aliter non fuisset facturus, ff. mand. vel cont., si remunerandi § si tibi, in fi., vel nisi sit fraudulentum, ff. de regul. iur., consilii. Laur.

Comedendo
Tunc in istis casibus non communicat illi in crimine, sed extra. Unde propter hoc non est ligatus eadem sententia cum illo. Quare si contra ipsum in accusationem prosiliret, excipere poterit contra illum nec habebit locum replicatio communionis, supra, de except., a nobis.

Communicent crimini
Pone casum per illam decretalem supra, de sent. excom., significavit, vel per illam infra, de sent. excom., si concubinae.

Tunc erit absolutio
Colligitur hic quod si ego excommunico parochianum meum propter crimen et parochianus alterius ei communicat favorem impartiendo in delicto suo, in me videtur delinquere et eadem sententia ligatur et non sententia canonis, quia tunc a suo episcopo vel etiam proprio sacerdote absolveretur, ut infra sequitur. Et sic iste propter delictum ligatur sententia mea et a me debet absolvi et cum iuramento, ut infra dicit. Et est simile supra, de sent. excom., a nobis fuit, ubi large appellatur subditus ratione delicti. Sed quaeri potest cum excommunicationis sententia extendatur ad alienum parochianum, quare non extendatur similiter indulgentia vel remissio, ut supra, de poenit. et remiss., quod autem? Vincen. dixit quod utrobique animae consulitur. Et ideo in indulgentiis illud obtinet ut diutius affligatur quis pro peccatis, et similiter in excommunicatione ut diutius affligatur. Nec excommunicatio est mortalis sed medicinalis, 2. q. 1, multi; et 23. q. 8, corripiantur. Vel dic aliam rationem, indulgentia non transit ad alienum parochianum, quia episcopus in eum nullam habet iurisdictionem. Unde sua indulgentia vel remissio non potest illum absolvere, quia ipsum non ligavit. Quia qui potest ligare, non potest absolvere et econverso, 21. dist., inferior; et 9. q. 2, nullus alterius; et supra, de

poenit. et remiss., omnis. Sed in sententia excommunicationis secus est, quia ille propter delictum sive ratione delicti efficitur de foro excommunicantis, supra, de for. compet., licet ratione. Unde propter hoc potest illum ligare et absolvere. Et ille incidit propter delictum in suam sententiam. Et sic ligatus est ab eo, unde ab eo debet absolvi. Et quod providum fuit ad poenam trahi non debet ad gratiam, supra, de translat., inter corporalia. Sed etiam mirum videtur qualiter sententia excommunicationis liget illos de quibus non fuit dictum vel cogitatum, et res iudicata solum illis nocet contra quos iudicatur, supra, de fide instrum., inter dilectos; et supra, de fide instrum., cum P; et ff. de excepti. rei iud., cum quaeritur; et ff. de excepti. rei iud., rei iudicatae. Nec ex post facto potest augeri obligatio, ff. de damn. infect., damni § is qui. Et ex quo post sententiam aliquid accidit, nova interpellatione opus est, ff. de iud., non potest. Item inconveniens est quod aliquis excommunicetur qui non est admonitus nec citatus, infra, de sent. excom., sacro. Item secundum hoc talis sententia non differt a canone latae sententiae, cum tamen haec sententia non sit generalis, sed tantum unam personam comprehendit. Io. dixit quod haec distinctio quae fit hic in littera habet locum in eo casu cum sub hac forma fit excommunicatio: excommunico te cum omnibus communicantibus tibi. Et tunc distinguatur ibi qualiter et communicet, ut infra, de sent. excom., quod in dubiis, ad fi., et sic non obstant praemissa. Sed hoc non credo, immo credo illum esset excommunicatum eadem sententia ex eo quod in crimine involvitur. Quia incidit in factum quasi damnatum et sententia transit ad eum per talem participationem, infra, de sent. excom., si concubinae. Et est simile supra, de immun. eccl., adversus, ubi succedit in vitium, et hic accedit ad crimen. Ergo eadem lepra qua illa punitur et iste etiam accedens teneri debet, arg. 1. q. 1, cito turpem, sicut per participationem solam in locutione contrahitur excommunicatio minor, ita per communionem in crimine contrahitur maior excommunicatio, quia tunc plus delinquit, unde non est necesse ut novam contra tales sententia procedat qui alieno facinori suam communionem commiscent, 24. q. 1, Achatius non est; 24. q. 1, maiores; et 24. q. 1, Achatius non fuit.

Facientem et consentientem

Haec est probatio quod eadem sententia involvatur. Sic infra, de sent. excom., quantae; 17. q. 3, omnes; et supra, de offi. deleg., quia quaesitum

Non retinuit

Similiter praetor magistratibus quaedam commitit, scilicet cautionem et in possessionem ex primo decreto mittere ex causa damni infecti, ff. de damn. infect., dies. Sed missionem ex secundo decreto sibi reservavit, ff. de iuris., inhibere. Et est hic arg. episcopos posse dispensare, ubi specialiter dispensatio non est inhibita, arg. supra, de spons., cum apud; et 16. q. 1, sunt nonnulli. Et concessum videtur quod non est prohibitum, ff. ex quib. cau. maio., necnon § quod eis. Laur.

Iusta causa

Sic infra, de sent. excom., sacro. Et simile supra, de poenit. et remiss., ne pro dilatione.

Excommunicatoris mandato

Sic supra, de sent. excom., de caetero; et infra, de sent. excom., quamvis.

Sacerdote
Sic ergo simplex sacerdos potest absolvere, 26. q. 6, presbyter inconsulto episcopo non reconciliet. Sic et ligare, 2. q. 1, nemo. Ber.

X 5.39.30 *Quod in dubiis*

Donec per ecclesiam
Simile supra, de sent. excom., cum desideres; et supra, de sent. excom., a nobis est. Nec etiam per praelatum suum debet ei communicari, ut ibi. Quia quod aliis prohibet ipse facere non debet, ut ibi notatur. Item permittitur alicui tangere sacra cui non permittitur ingredi ad ipsa. Et sic contra illud quod dicitur 5. dist., ad eius vero; et contra id 95. dist., illud, ubi dicitur: quibus reliqua sacramenta negantur, quomodo unum genus sacramenti conceditur? Quasi diceret non.

Quoniam multos
Hoc habes 11. q. 3, quoniam multos; et infra, de sent. excom., inter alia.

Participatione
Quia hic non distinguitur an in crimine an in aliis communicent eis. Videbatur quibusdam quod si in crimine communicent, incidant solummodo in minorem excommunicationem. Quod non est verum, ut patet supra, de sent. excom., nuper, cum talis absolvatur cum iuratoria cautione, ut ibi dicitur.

Commoniti
Iudex non debet excommunicare participantes cum excommunicatis ab ipso, nisi canonica monitione praemissa. Alias excommunicatio non tenet, ut in decretali nova infra, de sent. excom., extravag. statuimus. Ita habetis tertium casum in quo excommunicatio non tenet citra aliquam appellationem.

Innodandi
Qui enim praesumptuose participat excommunicato, excommunicandus est maiori excommunicationi, ut hic dicit, et 11. q. 3, qui communicaverit. Et est hic notabile quia et ipse claves ecclesiae contemnit, quare puniri debet. Arg. supra, de poeni., gravem; et supra, de excess. praelat., tanta, ubi de hoc in notula magna.

Participibus
Scilicet in crimine.

Incurrunt
Eandem, scilicet quam et principales, 11. q. 3, excellentissimus. Et hi nominatim dicuntur excommunicati, ff. de lib. et post., nominatim; et ff. si cert. pet., certum. Sic etiam excommunicantur Christiani, ne participent Iudaeis etiam extra crimen, supra, de usur., post miserabilem; et supra, de usur., quanto. Tamen hoc intellexit Io. ubi participant in crimine, in quo casu intellexit supra, de sent. excom., nuper. Alias non essent excommunicati, sed post admonitionem excommunicarentur, ut hic dicitur. Sed quid fieri si alterius parochianus participat tali post talem sententiam, numquid erit

excommunicatus maiori excommunicatione? Dic ut supra, de sent. excom., nuper. Si participat in crimine sic. Aliter non est excommunicatus nisi minori, ut hic patet.

X 5.39.31 *Inter alia*

Quoniam multos
11. q. 3, quoniam multos; et supra, de sent. excom., quod in dubiis.

Occasio disputandi
Simile supra, de voto et vot. redem., ex multa.

Praesertim
Si istud, praesertim, ponitur pro tantum, verum dicunt prout sequitur de quibusdam personis. Si pro maxime, non dicunt verum ut sequentia dicunt, quia nec viatores debent talibus communicare nisi necessitate instante.

Interpretatio
Ad quem pertinet iuris constitutio ad ipsum pertinent interpretatio, C. de legi. et const., si imperialis; 11. q. 1, clericum § ex his omnibus.

Duret
Ex sui natura.

Canonis
11. q. 3, quoniam multos.

Agente
Per declarationem. In quibusdam enim casibus illius capituli est declaratio, ut in filiis, servis, ancillis et uxore. In quibusdam est constitutio iuris, ut in rusticis et mercenariis. Et quod in hoc ius novum constituatur per illud capitulum circa personas mercenariorum rusticorum satis videtur, quia per priora iura eos vitare tenebantur, 15. q. 6, nos sanctorum; 15. q. 6, iuratos; 11. q. 3, excommunicatos quoscumque.

Necessitatis
Numquid magnae an cuiuslibet tantum? Nam aliqua sustinenda est incommoditas, ut ecclesiastica iustitia servetur, 19. dist., in memoriam; et supra, de offi. legat., dilectus. Si tantum magnae cuius arbitrium spectabitur? Videtur quod superioris, arg. supra, de voto et vot. redem., quod super his; et supra, de voto et vot. redem., ex multa. Solutio: in transeuntibus res ista dilationem non capit. Quisque suo relinquatur iudicio de consuetudine, 11. q. 3, quod praedecessor. In peregrinis autem qui ultra mare aliquamdiu et Romae per quadragesimam commorari solent superioris iudicium requiratur, quia nemo sibi regulariter iudex esse potest, ff. de iud., si aliter; et arg. supra, de elect., venerabilem.

Tenentur
Ut sunt domestici, filii, servi, mercenarii et uxor.

In criminibus
In talibus nulli consentiendum nec obediendum est, 11. q. 3, qui resistit; 11. q. 3, Iulianus; et 32. q. 5, ita ne. Alias si communicarent illis in criminibus, eadem sententia tenerentur, supra, de sent. excom., nuper; et infra, de sent. excom., si concubinae.

X 5.39.32 *Cum illorum*

Cum illorum
Hic patet expresse quod edictum illius canonis 17. q. 4, si quis suadente, prohibitorium est. Quia omnes debent ad sedem Apostolicam mitti, nisi quorum absolutio inferioribus praelatis in certis casibus reservatur.

A praedecessore nostro
Supra, de sent. excom., de caetero; supra, de sent. excom., mulieres; supra, de sent. excom., ea noscitur; supra, de sent. excom., quod de his; et supra, de sent. excom., quamvis. Ber.

Reservetur
Per canonem illum 17. q. 4, si quis suadente.

Vel sciunt
Quia aliud est quod studio delinquitur, aliud quod ignorantia, 11. q. 3, excellentissimus.

Nesciunt
Pone exemplum ubi quis non crederet se teneri, supra, de sent. excom., nuper, 1. resp.; et supra, de sent. excom., mulieres.

Ordinibus
Similiter et de beneficiis, supra, de cleri. excom., postulastis; et supra, de cleri. excom., latores. Sic excommunicati recipiunt ordines et excommunicatus confert ordines, supra, de renunciat., cum inter.

Interdicta
17. q. 4, si quis suadente. Sed numquid poterunt dispensare post impetratam absolutionem. Videtur quod non per id quod sequitur. Sed si non esset interdicta dispensatio, possent, arg. supra, de sent. excom., nuper. Et est arg. quod dispensare possunt ubi non est prohibitum, ff. ex quib. cau. maio., necnon § quod eis.

Minora
Minora vocat absolutionem, maiora dispensationem. Et ita cui prohibetur minus et maius prohibitum intelligitur, 74. dist., gesta; 95. dist., illud; et ff. de senat., qui indignus. Et econverso cui conceditur maius et minus, supra, de decim., ex parte tua 2. Ber.

Rigorem
Aequitas rigorem mitigat. Unde aequitas intelligitur iuris relaxatio et aequitas rigori praefertur, C. de iud., placuit; 34. dist., fraternitatis; et supra, de transact., ex parte.

Claustrales
Hoc respicit quod supra dixit saeculares.

Alexandro
Supra, de sent. excom., monachi. Ber.

Alibi dicatur
Non habes hodie illam, sed in antiqua compilatione consuluit titulo eodem.

Commisisse
Ante ingressum supple.

In religionis favorem
Immo videtur quod de iure communi non est enim illi necessaria certa delicti satisfactio, cuius totum vitae tempus obedientiae impenditur sui conditoris, de poen. dist. 1 § his auctoritatibus, post illud capitulum de poen. dist. 1, mensuram. Simile supra, de voto et vot. redem., scripturae; 33. q. 2, admonere. Laur.

Talibus absolutionis
Hoc intellige de illis qui inciderunt in canonem ante ingressum, quia de his qui incidunt post ingressum concessum erat per Alexandrum, supra, de sent. excom., monachi. Unde quo ad alios dicit, indulgemus. Ber.

Mutilationem membri
Hoc intellige simpliciter de omnibus monachis qui hoc commiserint sive ante ingressum sive post, infra, de sent. excom., canonica. Nec est distinguendum inter membrum et membrum, supra, de cleri. aegro., presbyterum; et supra, de corp. vitia., exposuisti. Alias excessus difficilis vel enormis relinquitur arbitrio iudicis. Cum excessus notorius est tunc abbas ipsum absolvere non potest propter scandalum, ut hic dicit.

Effusionem sanguinis
Quid si modicum valde laesit cum sanguinis effusione, quia de facili sanguis effunditur quandoque, numquid idem erit ac si enormiter laederet? Satis crederem committendum arbitrio iudicis, puta episcopi et abbatis licet littera ista simpliciter loquatur. Verbum enim effusionis abundantiam significat, 16. q. 1, revertimini; et 41. dist., saepe, arg. Sed ibi nomen effusionis significat vitium. Ber.

In episcopum
Ex persona augetur crimen, de poen. dist. 1 § aut facta; Inst. de iniuri. § atrox; et ff. de re milit., omne delictum § qui manus; et ff. de iniuri., item apud § quod ait praetor. Sicut ex atrocitate facti, 17. q. 4, qui subdiaconum. Et ex persona eius qui fecit, crescit iniuria, ff. de iniuri., sed si § quaedam; et 40. dist., homo Christianus.

Abbatem
Proprium. Multa enim permittuntur nobis in homine nostrae religionis quae non permittuntur in aliis, 16. q. 1, placuit omnibus; et 2. q. 7, si haereticus. Quid si abbatem non habet, sed priorem aut praelatum alio nomine designatum? Respondeo: beneficium illud ad omnes monachos et regulares canonicos extenditur, ut supra, de sent. excom., monachi. Et ad Hospitalarios Hierosolymitanos, qui per suum priorem absolvi possunt, infra, de sent. excom., canonica. Idem crederem de Templariis dummodo consimilem priorem habeant, ut habent Hospitalarii ad omnes claustrales hoc beneficium extenditur, cum eadem causa subsit in omnibus. Ber.

Passus est
Quia ille videtur iniuriam passus, arg. Inst. de iniuri. § patitur, sicut iniuria facta filio patrem contingit et agere potest. Tamen si pater remittit iniuriam, filius agere non potest nisi pater vilis persona fuerit et filius honesta, ff. de iniuri., sed et si § filiofamilias. Sic et si abbas remittit iniuriam factam monacho, monachus agere non potest aliquo casu, videtur tamen quod secundum forum rei hoc debet fieri, 3. q. 6, ibi semper; et 6. q. 3, placuit. Sed non est ita in casu isto et sufficit quod ita hic cavetur, 6. q. 3, scriptum est; et ff. qui et a quib. man. lib., prospexit.

Promereri
Sed nonne datur hic evagandi materia, quare in hoc casu non absolvit eum abbas sicut absolvit illum qui ante monachatum deliquit? Sed ratio est quia ante ingressum erant eiusdem conditionis, et per ingressum facile tollitur obligatio, 19. q. 3, non liceat; et 19. q. 2, duae sunt. Io. Sed ratio vera redditur in littera, scilicet propter scandalum. Scandalum enim est quod monachus iniciat manum in maiorem, quia vix bonus monachus facit bonum clericum, 16. q. 1, legi.

In contemptum
Quod semper praesumitur nec admitti debet probatio in contrarium. Sic 45. dist., fraternitatem; supra, de iudic., significaverunt, et cum istis dispensabit abbas.

Iuris peritiam
Nota quod mitius agitur cum ignorante ius positivum. Secus in iure naturali, ubi nec rusticitati etiam parcitur, C. de in ius voc., venia. Sicut nec parcitur mulieri contra matrimonium suum est enim de iure naturali, ut supra, de divort., gaudemus. Vincen.

Dispensare
Potest ergo abbas dispensare cum monacho circa ordines, ut hic, et supra, de eo qui furt. ord. recep., cum H.

Et discretus
Et ita non sufficit quod sit adultus nisi sit discretus, quia contra discretum de facili praesumitur, C. qui et adv. quos in int. rest., in consilio; ff. de probation., cum de indebito. Et indiscretus iniuriam facere non potest, pati vero potest, 15. q. 1, illud; et ff.

de iniuri., illud; et ff. ad leg. Corn. de sic., infans. Sed de talibus non intelligitur hoc, quia tales non indigent dispensatione.

Praesumatur
Arg. quod non semper credendum est confitenti peccatum in poenitentia. Arg. contra supra, de homic., significasti 2. Quia non est versimile quod aliquis sit immemor suae salutis, 1. q. 7, sancimus.

X 5.39.33 *De monialibus*

Per episcopum
Impedit enim sexus muliebris ne abbatissa possit absolvere moniales sicut hic patet, nec confessionem earum audire nec eas benedicere vel Evangelium legere, quia sexui femineo claves ecclesiae commissae non fuerunt, supra, de poenit. et remiss., nova. Et arg. supra, de maior. et obed., dilecta, ubi de hoc. Sed episcopus illas absolvit auctoritate Papae sibi per hanc decretalem indulta tamquam delegatus ad hoc. Et sic absolvat omnes tam exemptas quam non exemptas. Et est simile supra, de haeret., ad abolendam, in fi.; supra, de offi. ord., irrefragabili § caeterum, et eo iure quo absolvit alias mulieres, supra, de sent. excom., mulieres. Sed quid si monasteria essent in diversis episcopatibus, et una monacha percutiat monachum vel monacham vel conversum vel clericum alterius episcopatus? Conveniat uterque episcopus vel alter deleget alteri vicem suam, supra, de sent. excom., cum illorum. Ber.

X 5.39.34 *Si verae*

Sub spe veniae
Arg. contra quia sub spe veniae nemo peccare debet, supra, de cleri. excom., illud; et de conse. dist. 4, quando quis. Sed tamen hic non credo eos ex hoc peccare, cum Papa hoc permittat, et ne ipsi ex suo dolo commodum habeant. Sed hoc ideo dicit, quia bonarum mentium est ibi culpam timere, ubi etiam culpa non est, supra, de observ. ieiun., consilium § 2; 5. dist., ad eius vero. Arg. bonum ad hoc supra, de purg. can., si quis presbyter. Ber.

Reportare
Quod esse non debet, 16. q. 1, legi; et supra, de rescript., ex tenore. Nec ipsi debent ridere de fletibus aliorum, supra, de privileg., petistis. Quia nemo de improbitate sua consequitur actionem, ff. de fur., itaque fullo § 1, vers. sed nemo. Nec stulti debent esse melioris conditionis quam periti, ff. quod vi aut cla., Servius. Et quia delinquunt non debet esse eorum conditio melior, ff. de donat. inter vir. et uxor., haec ratio § 1.

Exigi
Supra, de except., cum inter; et supra, de haeret., excommunicamus itaque § credentes. Convenire tamen alios aut reconvenire non possunt, sed excipere bene ut in proximis concordantiis appellare et prosequi appellationem, supra, de except., venerabilem.

Necessaria emere
Hic habes duos casus in quibus excommunicatis licite participatur. Alii notantur supra, de sent. excom., cum desideres.

In excommunicatorum
Arg. est hic quod si socius meus incidit in excommunicatione, non statim teneor ipsum deserere nec ipse tenetur statim dividere societatem. Hoc intellige si sine magno damno hoc fieri non possit, arg. 11. q. 3, antecessor; 23. q. 4, tolerandi; 41. dist., quisquis; 12. dist., illa; et 8. dist., qui contra mores. Arg. contra supra, de maior. et obed., illud; et 34. q. 1, omnes qui.

Non potueritis evitare
Supple commode, quia illud dicimur posse quod sine incommodo possumus, ff. de ver. sig., nepos, in fi.; ff. de condi. insti., filius qui, in fi.; 22. q. 1, faciat homo. Ber.

X 5.39.35 *Ut famae*

Carcarem
Id est, ipsum claustrum quod eis est carcer.

Mancipari
Sine poena excommunicationis.

Corrigere
Supra, de offi. ord., perniciosa; et supra, de accusat., qualiter et quando 2. Ne sanguis eorum de suis manibus requiratur, supra, de offi. ord., irrefragabili, ubi de hoc, et supra, de statu monach., ea quae; et supra, de statu monach., cum ad monasterium, ad fi.

Impunita
Ad publicam utilitatem respicit ut crimina puniantur, ut ff. ad leg. Aquil., ita vulneratus, 1. resp., in fi.; et ff. de solut., Stichum § tametsi; et ff. de iud., si longius § 1; et ff. de fideiussor., si a reo § illud quod; et C. de poe., capitalium § famosos.

Incorrigibiles
Hi deponi possunt et tradi curiae saeculari, supra, de iudic., cum non ab homine; 17. dist., nec licuit. Sed non ad sanguinis effusionem, et sic intelligitur supra, de iudic., at si clerici.

Trahere possunt
Sic C. de his qui ad eccl. confug., si servus, ubi servus absque sacrilegio ab ecclesia extrahitur.

Violenter
Arg. contra supra, de sent. excom., universitatis. Hoc intelligendum est de incorrigibili, illud de eo qui corrigitur et verberatur a laico mandato abbatis, quod non licet ut ibi dicitur, et ita non se tangunt.

De mandato
Et nonne sufficit generale mandatum quod continetur 23. q. 5, principes? Solutio: speciale mandatum hic expectandum est. Quamdiu enim non est notum ipsos esse incorrigibiles et traditos curiae saeculari, non licet sine mandato praelatorum, quia adhuc sub regula clericali tenentur etiam depositi, 81. dist., dictum. Vel nisi se immisceant enormitatibus, supra, de sent. excom., cum non ab homine; et supra, se sent. excom., perpendimus.

Quorum auctoritate
Qui enim per alium facit per se ipsum facere intelligitur, supra, de sent. excom., mulieres; ff. de admin. tut., ita tamen § gessisse. Ber.

Non amplius
Quia cum moderamine inculpatae tutelae. Alias si excederent modum tenerentur, arg. supra, de restit. spol., olim causam, in fi., ubi de hoc. Simile ff. ad leg. Aquil., si ex plagis § tabernarius. Et ita patet quod clericus depositus adhuc gaudet privilegio clericali.

X 5.39.36 *Contingit*

Iniuriosa
Quandoque fit iniuria sive violentia et tunc incidit in canonem, supra, de sent. excom., nuper, 1. resp.; et supra, de sent. excom., universitatis. Sed quare hic dicitur iniuriosa, cum volenti non fiat iniuria, 33. q. 5, noluit; et ff. de iniuri., iniuria § usque adeo; C. de transaction., cum donationis; ff. de regul. iur., nemo videtur? Sed dic quod iniuria illa dicitur fieri ecclesiae, quia ea quae in nos delinquuntur possumus remittere, sed non quantum ad ecclesiam, 23. q. 4, si is qui; et supra, de sent. excom., cum desideres. Et sic filius potest remittere iniuriam quantum ad se sed non quantum ad patrem, ff. de iniuri., iniuria § usque adeo. Et quantum tangit commodum nostrum et non quantum tangit commodum aliorum, ff. de pacti., iurisgentium § si paciscar; 63. dist., Salonitanae. Sed numquid potest episcopus solus remittere iniuriam factam ecclesiae sine capitulo? Videtur quod sic, quia actio iniuriarum non est in bonis nostris ante litem contestatam, ff. de iniuri., iniuriarum. Ergo solus episcopus potest eam remittere, arg. supra, de his quae fi. a prael., cum Apostolica. Cum enim episcopus sit pater, 95. dist., esto subiectus. Et pater possit remittere iniuriam factam filio, ff. de iniuri., sed si unius § filiofamilias. Ergo solus hoc facere potest. Sed non videtur, cum episcopus sit procurator et non dominus, 12. q. 1, si privatum; et supra, de dona., fraternitatem. Quia conditionem ecclesiae facere deteriorem non potest, ut ibi dicitur. Sed quare excusatur qui ioco percutit clericum licet invitum, supra, de sent. excom., super eo vero, et non iste qui percutit volentem? Ratio est quia iste temerarias manus inicit, supra, de sent. excom., universitatis, sed ille non. Et causa ulciscendi iniuriam suam hoc facere videtur. Item quia huius manus saevit licet non iniurando, arg. 14. q. 6, si res. Sed non illius qui ioco. Io.

Ordinati
In quovis ordine, 21. dist., cleros, dummodo non contrahat secundas nuptias, 83. dist., quisquis. Etiam si sit clericus coniugatus, arg. supra, de vit. et honest. cler., clericus si

tonsura. Et hoc intellige si vult deferre coronam et gaudere privilegio clericali. Alias si non vult habere privilegium clericale potest deponere, supra, de cleri. coniug., Ioannes, ubi de hoc. Item et clericus depositus habet hoc privilegium quamdiu vult vivere sub regula clericali, 81. dist., dictum; et 81. dist., valet; ff. de decur., de decurione. Item nisi immiscuerit se enormitatibus, supra, de sent. excom., cum non ab homine; et supra, de sent. excom., perpendimus. Vel usque ad trinam admonitionem contempto habitu clericali, supra, de sent. excom., in audientia; et infra, de sent. excom., contingit 2. Item quid de excommunicato deposito si verberetur an incidit in canonem. Videtur quod non, quia nihil ad nos de his qui foris sunt, 2. q. 1, multi. Qui iam est membrum diaboli et extra ecclesiam eiectus, 11. q. 3, omnis Christianus; et 11. q. 3, nihil sic debet. Et quia non posset alium excommunicare, 24. q. 1, audivimus. Eadem ratione non erit excommunicatus qui clericum excommunicatum etiam depositum verberat, quod quidam concedunt. Vincen. distinxit an excommunicatio praecedat depositionem, et tunc adhuc retinet privilegium clericale. Si vero sequitur et incorrigibilis fuerit eo tradito curiae saeculari amittit privilegium, supra, de iudic., cum non ab homine. Qui autem alium clericum excommunicatum verberat, videtur secundum hoc excommunicatus multo fortius quam qui verberat excommunicatum clericum ante depositionem, secundum quod distinguit Vincen.

Favorem ordinis
Cui renunciare non potest, supra, de for. compet., si diligenti; et supra, de for. compet., significasti. Ber.

Prohibeas attentari
Non videtur responderi ad quaestionem quae fuit an huiusmodi percussores incidant in canonem. Sed dic quod bene sunt excommunicati. Quia iniuriosas et temerarias manus iniciunt et satis innuitur dum dicit: tam in favorem clerici quam ordinis etc. Ex eo quod dicit: proviso ut clericus sine iniuria clericali etc., clericus qui ad hoc consentit excommunicetur, ut infra sequitur.

X 5.39.37 *Relatum est nobis*

Plus Deo quam homini
11. q. 3, quamvis metu; et 11. q. 3, Iulianus; et supra, de voto et vot. redem., ex multa, vers. in tanta; et 22. q. 5, qui peierat; et 22. q. 5, si quis coactus. Aggravatur enim culpa ex persona iniurati, supra, de sent. excom., cum illorum, ubi de hoc.

Sine culpa
Tunc enim possunt absolvi per episcopum, ut hic dicit, et supra, de sent. excom., mulieres; et infra, de sent. excom., quamvis, quae intelligi debent secundum hanc distinctionem. Unde sine culpa privari non debent, supra, de eo qui cog. consang., discretionem; et supra, de eo qui cog. consang., Iordanae; et supra, ut lite non cont., quoniam § 2; et supra, de consti., cognoscentes. Alias si essent domini in culpa, tam ipsi quam servi sunt excommunicati, puta si mandassent. Quia qui per alium facit per seipsum facere videtur, supra, de sent. excom., mulieres; et supra, de sent. excom., ut famae.

In utrolibet casu
Scilicet cum servi hoc faciunt fraudulenter, vel cum dominus nullam culpam commisit. Ergo videtur idem dicendum in viro si in fraudem uxoris suae faciat, et in liberto qui operas praestare tenetur, arg. 29. q. 2, perlatum. Sed hoc non credo cum non inveniam. Quia hoc edictum ut omnes ad curiam mittantur qui expresse non excipiuntur, prohibitorium est, arg. supra, de sent. excom., cum illorum, in princ.

Recompensationem
Sic supra, de voto et vot. redem., quod super his; et supra, de voto et vot. redem., magnae, ad fi.

Enormis
Supra, de sent. excom., cum illorum, ubi de hoc.

X 5.39.38 *Sacris*

Voluntarius
Secus si absolute fuerit attractus, supra, de his quae vi met. caus. fi., sacris; et 50. dist., presbyteros; et supra, de bapt. et eius effect., maiores, ad fi., vers. ille vero qui numquam.

Porrigendae
24. q. 2, legatur; et 24. q. 2, sane quod.

Constitutionis
Supra, de sent. excom., a nobis est. Cum fuerit absolutus tunc orabit ecclesia pro eo, sicut pro aliis defunctis.

X 5.39.39 *Sicut nobis*

Litteras nostras
Sed videtur quod eis credendum sit, quia de nemine praesumendum est quod sit immemor suae salutis, 1. q. 7, sancimus. Et arg. contra de conse. dist. 4, cum itaque; et de conse. dist. 4, si nulla extant. Sed non est verum, supra, de offi. ord., ex parte; et 8. q. 5, quilibet; et C. de mand. princ., si quis.

Alio modo
Non tamen uno teste, quia fieret actori praeiudicium. Nec etiam sufficiunt talia indicia quae sufficiunt, supra, de cleri. peregri., inter quatuor; et supra, de cleri. peregri., tuae fraternitatis. Nec sufficit hic honestas personae, ut ei credi debeat, arg. 50. dist., si quis praepostera; et 8. dist., si solus. Arg. contra 97. dist., nobilissimus. Sed illud cum nulli fit praeiudicium. Io.

X 5.39.40 *Per tuas*

Videtur aliquibus
Et male quia etsi non appellatur ad metropolitanum, tamen potest excommunicatum absolvere si episcopus ipsum absolvere nolit, supra, de offi. ord., ad reprimendam. Ber.

Appellandi
Ut per hoc ab excommunicationis sententia relevetur, ut supra, de appell., pastoralis. Nec interdictum, ut supra, de sent. excom., ad haec. Sed ut causam transferant ad superiorem, bene tenet appellatio, 3. q. 9, re vera.

Cuiusdam epistolae
Quam habuisti olim in antiqua compilatione, supra, de offi. ord., quaesitum, cuius sententia et etiam verba pro maiori parte ponuntur hic, et incipiunt hic, quod si ante etc.

Sunt audiendi
Si agant, supra, de haeret., excommunicamus itaque § credentes; supra, de except., cum inter. Conveniri tamen bene potest, supra, de sent. excom., si vere; et in § praedicta credentes supra, de haeret., excommunicamus itaque.

Remittendi
Remittitur quandoque aliquis ad eum a quo appellavit si malitiose appellavit, supra, de appell., cum in ecclesia; et supra, de appell., ut debitus. Vel si non fuerit prosecutus appellationem in termino constituto, ut supra, de appell., personas. Vel si appellans hoc petierit, supra, de appell., interposita § ille. Alias obtinet quod hic dicitur, et C. de appellat., eos; et 1. q. 6 § ulti.

In Sardicensi autem concilio
11. q. 3, si episcopus forte, quod inducitur hic contra decretalem Alexandri. Unde nota quod secundum antiquos canones quilibet excommunicatus audiebatur, qui ante absolutionem volebat probare se iniuste excommunicatum, 11. q. 3, si episcopus forte, cuius tenor hic ponitur. Hodie vero non auditur nisi in duobus casibus. Si dicat sententiam latam post appellationem fuisse, vel si dicat intolerabilem errorem in ea fuisse expressum, ut hic dicitur. Sic ergo distinguas, si aliquis conqueritur superiori de iniusta excommunicatione, aut appellavit ad eum aut non. Si appellavit, primo praestabit cautionem quod stabit mandatis ecclesiae, tunc est in optione ipsius superioris an velit eum absolvere an remittere eum absolvendum ei a quo appellavit, ut hic sequitur in decretali allegata. Si vero non appellavit sed per simplicem querelam adivit ipsum, debet eum remittere ad inferiorem, ut ipsum absolvat. Et si inferior ipsum absolvere nolit, archiepiscopus ipsum absolvat, supra, de offi. ord., ad reprimendam. Si tamen periculum esset in mora propter huiusmodi remissionem, ipsum statim absolvat, infra, de sent. excom., sacro; arg. ad hoc supra, de poenit. et remiss., ne pro dilatione. Et si viderit sententiam excommunicationis ab episcopo latam esse iniustam, evidenter poterit archiepiscopus declarare subditum irrationabiliter fuisse ligatum, licet non sit appellatum ad ipsum, supra, de appell., sollicitudinem. Similiter et econverso si viderit eam iustam, tenetur remittere ipsum absolvendum ad inferiorem, ut hic in fi. Io.

Nullus ante
Ergo nec archiepiscopus, arg. supra, de sent. excom., cum desideres; et supra, de sent. excom., quod in dubiis, in princ.

Distinguendum
Ad solvendam contrarietatem concilii et decretalis Alexandri.

Intolerabilem errorem
Error intolerabilis potest dici quodlibet peccatum, ut si excommunicet ideo quia non furatur. Vel quia non ducit ei aliquam meretricem, vel quia non est inobediens suo praelato, vel si praecipiat aliquod impossibile vel turpe, ut dictum est, talis sententia nulla est nec aliquam obligationem inducit de facto vel de iure. Simile supra, de pact., pactiones. Arg. contra supra, de cond. appos., si conditiones, in fi. Vincen. haec intelligit tantum de errore iuris. Unde in praedictis exemplis tenet excommunicatio, ut si dicat sic, excommunico illum, quia non adulteratur, quia non interfecit illum, tenet excommunicatio. Item intolerabilis potest dici error, si expresse pronunciatur contra ius scriptum, ut si dicat: pronuncio excommunicationem valere quia est lata post appellationem legitimam, et a tali sententia non est necesse appellare, 2. q. 6, ei qui § diffinitiva; ff. quae sent. sine appel., illud § 1. Et idem est dicendum ubicumque ponitur iudicium retro nullum fuisse, nisi velit quis ad cautelam appellare, C. de procur., licet; et supra, de procurat., in nostra, in fi.; et supra, de crim. falsi, super eo; et supra, de re iudic., sententia. Secus est si errorem non exprimit in sententia, et tamen pronunciaret contra ius. Tenet quidem tunc sententia, nisi fuerit appellatione suspensa, supra, de re iudic., cum inter vos; et ff. de iud., cum prolatis. Sed si error est in facto, ut si hoc modo dicatur: excommunico te, quia expoliasti talem licet manifeste sit falsum, tenet sententia quia talis causa possibilis est, licet sit falsa. Nec continet errorem et sententia sive iusta sive iniusta timenda est, 11. q. 3, sententia; et 11. q. 3, si quis a proprio. Arg. contra quod talis error facit eam nullam, sicut error calculi, ff. quae sent. sine appel., illud. Et talis error facit exheredationem nullam, ff. de lib. et post., si posthumus § ulti.; et ff. de lib. et post., idem est. Sicut nec valet decretum de datione tutoris, ubi error facti est expressus, ff. de tutor. et curat., tutor; et ff. de tutor. et curat., Seiae. Sic et obligatio per errorem facti non tenet, ff. si quis caut., sed et si § ulti.; et ff. de fideiussor., si quis postquam. Io. Quid ergo dices? Credo quod in sententia excommunicationis lata per errorem facti, ut dictum est, tutius sit dicere quod teneat et quod absolvatur quo ad ecclesiam vel saltem ad cautelam, quia quo ad Deum non est ligatus, nisi contemneret eam, ut infra sequitur, et 24. q. 3, notandum, in fi.; supra, de testib., veniens 2.

In quibus casibus
Duobus scilicet praemissis, cum dicitur sententiam latam post appellationem legitimam, et cum dicitur continere intolerabilem errorem, et in casibus istis intelligitur capitulum concilii Sardicensis, cuius tenor hic ponitur, sic supra, de offi. deleg., cum contingat. In casibus istis primo admittitur probatio, ut appareat an absolvi debeat an denunciari non ligatus, ut ibi in capitulo supra, de offi. deleg., cum contingat.

In aliis
Sic intellige quod dicit: in aliis, scilicet quia non auditur in aliis negotiis vel factis iudicialibus, ut actor tamquam excommunicatus, sed extra iudicium non debet vitari, ut infra, de sent. excom., extravag. solet. Nisi in hoc ut probet errorem vel sententiam latam post appellationem legitimam. Et in hoc concordat concilium Sardicensis. Et interpretatur Papa concilium usque ibi, quod si absolutionis beneficium humiliter postulaverit etc., abinde usque ibi, quod si forsan interpretatur decretalis Alexandri. Et sic distinctio Innocentii concordat concilium Sardicensem et decretalem Alexandri, quae videbatur contraria. Sed non est, quia in diversis casibus loquuntur, ut patet per interpretationem Innocentii.

Ad cautelam
Sic infra, de sent. excom., venerabili; et supra, de sent. excom., cum desideres § secundae quaestioni; et supra, de appell., ad praesentiam; et supra, de testib., veniens 2, non obstante contradictione excommunicatoris vel adversarii, ut in praedicta decretali infra, de sent. excom., extravag. solet. Nisi diceretur excommunicatus pro manifesta offensa, in quo casu debet habere terminum octo dierum ad probandum manifestam offensam, ut in decretali praedicta infra, de sent. excom., extravag. solet. Ber.

Verum in aliis
Dixit Io. in aliis dubiis, scilicet habendus est pro excommunicato, supra, de sent. excom., cum desideres § secundae quaestioni. Et tu dic, in aliis, scilicet excommunicationibus, cum quis dicit se excommunicatum iniuste vel quocumque modo apparet ipsum esse excommunicatum maiori excommunicatione, quia tunc non debet audiri ut actor, nisi gratiam etc., ut supra ubi dicit: nec excommunicati sunt audiendi etc., exceptis duobus praedictis casibus. Et hoc dicit littera sequens, nec sententiam contemnere etc., quia hoc ipso ligaretur ex contemptu. Secus in eo qui petitur in servum, qui pendente causa auditur contra alios, sed contra illum qui dicit se dominum illius non, ff. de liber. caus., ordinata. Ber.

Contemnere videatur
Nota causam quare hic tenet sententia, licet iniusta, 24. q. 3, notandum, in fi.; et 6. q. 3, audi § cum ergo. Alia etiam recitatur supra, de appell., pastoralis, ubi de hac materia in notula quae incipit: haec ratio; et supra, de cleri. excom., si celebrat, in fi.

Quod si absolutionis
Hic interpretatur decretalem Alexandri quae intelligitur in eo casu cum excommunicatio praecessit appellationem quam dicit iniustam, concilium in eo casu quando excommunicatio praecessit vel quando intolerabilis error expressus est in sententia, et sic planum est. Quae fuit ergo dubitatio illius diversitatis? Altissiodorensis episcopus excommunicavit archipresbyterum suum. Archipresbyter coram archiepiscopo Senonensi obtulit cautionem standi iuri humiliter petens absolvi. Archiepiscopus deferens episcopo saepe monuit ipsium ut eum absolveret. Quod cum facere nollet, archiepiscopus ipsum absolvit quem episcopus non habebat pro absoluto, dicens quod eius absolutio non pertinebat ad archiepiscopum pro quo videbatur facere decretalis Alexandri, pro episcopo

concilium Sardicense. Unde archiepiscopus quaesivit a Papa quid iuris esset, et ipse respondet ut patet ex littera, et hic resume casum.

X 5.39.41 *Si aliquando*

Salutationis
Excommunicati enim salutandi non sunt, 11. q. 3, excommunicatos; 24. q. 1, omnis qui. Ne per salutationem videatur eis aliquis consentire, arg. 63. dist., cum Hadrianus. Ut facilius resipiscant cum viderint se contemni, supra, de except., extravag. pia. Quia grava poena est inter homines esse et eorum carere suffragio, C. de apost., his qui. Sed quamvis eos non debeamus salutare, possumus tamen eis loqui de his quae pertinent ad eorum salutem. Et licet alia verba incidenter proponantur, non nocet, infra, de sent. excom., responso; et infra, de sent. excom., cum voluntate, 1. resp.; et 11. q. 3, cum excommunicato. Sed pone quod Papa ex certa scientia salutet excommunicatum, numquid habebitur pro absoluto? Arg. est quod non, quia certa forma traditur praeterquam excommunicatus, non videtur absolutus, supra, de sent. excom., cum desideres, ad fi.; et supra, de sent. excom., quod in dubiis, in princ.; et supra, de sent. excom., sacris est; arg. ad hoc C. de liber. caus., iubemus; et C. de probation., non epistolis. Arg. contra supra, de privileg., cum olim essemus. Et Papa non subiacet legibus, C. de legi. et const., digna vox; et ff. de legib., princeps. Ergo videtur quod eo ipso sit absolutus, quod Papa scienter tali communicat et Papa dat auctoritatem canonibus et ab eo vigorem sumunt et non econverso, supra, de elect., significasti. Dicunt quidam propter hoc hic non est absolutus nisi dicat: absolvo te. Sed plenitudine potestatis satis videtur quod sit absolutus, dum tamen Papa voluerit ipsum propter hoc absolutum esse, ut hic constat. Et est hic arg. quod sic ex eo quod dicit: per ignorantiam. Ergo a contrario, aliud si per scientiam, alias non esset maior potestas ipsius quam aliorum iudicum, quantum ad hoc. Sed numquid incideret in canonem si per talem participationem nolit ipsum esse absolutum, ut dictum est? Non, quia legibus est solutus.

Occupationem
Unde non valent, sic supra, de capell. monach., ex parte; et supra, de rescript., ex parte Conventrensis; et supra, de rescript., si quando. Arg. idem esset etsi per importunitatem petentis, quia dicit imperator: saepe enim per importunitatem petentis non concedenda concedimus, C. de petit. bon. sublat., quisquis, lib. 10. Ber.

Per subreptionem
Scilicet hoc tacito quod esse excommunicationis vinculo innodatus, quo dicto litteras non dedisset, supra, de rescript., super litteris, ubi de hoc satis dictum est.

X 5.39.42 *Officii*

Excommunicationis vinculo
Sic patet quod excommunicatus iterum potest excommunicari, 3. q. 4, Engeltrudam, ubi tractatur de hac materia, et supra, de Iudae. et Sarrac., ita quorundam; et ff. de ritu nupt., palam § ulti. Et sunt duo effectus excommunicationis expellendi extra ecclesiam, et eiectum confirmandi. Quantum ad primum excommunicari non potest, quantum ad

secundum bene, quia triplex funiculus difficile rumpitur, supra, de treug., treugas. Sed qualiter talis absolvetur? Potest dici quod una absolutione omnes excommunicationes tollantur, sicut una acceptilatione plures obligationes tolluntur, C. de transaction., transactionem; et ff. de accep., pluribus. Vel unus committat alteri vices suas, et illud competentius fiet, vel quilibet absolvat a sua excommunicatione et ultima confirmabit praecedentes, ff. de servitu. rust. praed., per fundum. Sed qui primo absolvit non denunciabit ipsum absolutum, nec est ei communicandum donec absolutus fuerit ab alio, quia qui est excommunicatus est quo ad omnes, ut 4. q. 5, quisquis.

Subrepta non prodest
De hoc etiam dictum est supra, de sent. excom., cum pro causa. Et dic quod non prodest quantum ad salvationem, supra, de poenit. et remiss., quod quidam. Valebit tamen quantum ad mitius supplicium subeundum, ut de poen. dist. 3, ad fi.; et de poen. dist. 3, si quis autem; et de poen. dist. 3 § poenitentia ergo, in fine distinctionis. Ber.

Exhibere non debet
Arg. supra, de poenit. et remiss., quod quidam; et de poen. dist. 3, ad fi.; et de poen. dist. 3, si quis autem; et de poen. dist. 3 § poenitentia ergo. Dici potest non debet exhibere, cum effectu ut eum denunciet absolutum, ut dictum est, donec ab alio fuerit absolutus. Vel non debet nisi caveat quod absolvatur ab alia delata denunciatione. Et interim ei non communicetur, nisi tunc demum cum ab alio fuerit absolutus. Sed ipsum simpliciter non debet absolvere, ut hic dicitur.

X 5.39.43 *Responso*

Cum videris expedire
11. q. 3, antecessor; infra, de sent. excom., cum voluntate.

Interdicto supposita
Sic ergo civitas subiicitur interdicto. Et sic puniuntur quandoque qui non peccaverunt. Sic supra, de spons., non est; et supra, de offi. deleg., sane quia. Arg. contra 24. q. 3, si habes, sed id de excommunicatione dicitur non de interdicto.

Praeter baptisma
Haec duo sacramenta semper excipiuntur de interdicto, ut supra, de spons., non est. Et viaticum etiam decedentibus conceditur, quod per poenitentiam intelligitur, supra, de poenit. et remiss., quod in te. Sed unctio denegatur, ut ibi.

Ad confirmationem
Sine qua non est plene Christianus qui eam contemnit, de conse. dist. 5, omnes; et de conse. dist. 5, de his, in fi.

X 5.39.44 *Inquisitioni*

Humiliter sustinere
Sic supra, de restit. spol., litteras, vers. fi. Sed potius debet omnia mala pati quam contra conscientiam peccatum operari mortale, 32. q. 5, ita ne; et supra, de his quae vi met. caus. fi., sacris.

Levi et temeraria
Quam dicit levem? Puta si audivit impedimentum a levibus, et forte a paucis quibus credere non tenetur talem credulitatem vel consimilem debet removere, quam non evadet nisi deponat errorem, supra, de simon., per tuas 2; et 11. q. 3, cui est illata.

Explosa
Id est, expulsa.

Reddere sed exigere
Arg. 23. q. 1, quid culpatur, in fi.; et supra, de spons., iuvenis.

Probabili et discreta
Sed quam dicis probabilem? Puta quia vidit virum cum consanguinea sua in locis suspectis et hora suspecta solum cum sola ante matrimonium. Huiusmodi praesumptiones probabilem inducunt credulitatem, vel quia publice dicitur ab hominibus. Ad hoc facit supra, de praesump., tertio; et supra, litteris. Et idem intellige de viro si vidit consanguineum suum cum uxore sua ante matrimonium.

X 5.39.45 *Contingit*

Factis
Ipso enim facto renunciat quis suo privilegio, supra, de vit. et honest. cler., ex litteris. Ipso enim facto quis negat Deum, 11. q. 3, aestimant; et ipso facto mentimur, 22. q. 5, cavete; et ipso facto quis appellat, supra, de appell., dilecti filii 2, ubi de hoc habes plures concordantias. Ber.

Privilegium
11. q. 3, privilegium; supra, de privileg., tuarum.

Frustra legis
Supra, de usur., quia frustra; et supra, de sent. excom., in audientia; et supra, de immun. eccl., immunitatem, cum suis concordantiis.

Tertio
Haec est legitima admonitio, infra, de sent. excom., sacro; et 17. q. 4, de presbyterorum; et 16. q. 7, omnes decimae. Et ita isti non perdunt privilegium suum usque ad tertiam admonitionem, supra, de sent. excom., in audientia; et supra, de vit. et honest. cler., ex litteris. Arg. contra supra, de sent. excom., cum non ab homine; et supra, de sent. excom., perpendimus, ibi solvitur. Illa enim intelliguntur de his qui graviter excedunt, ut ex ipsa littera patet hic. Et illa decretalis supra, de sent. excom., in audientia, loquitur de his qui in modicis excedunt. Unde habet hic locum admonitio, sed non in contrariis.

Item arg. contra supra, de cleri. coniug., ex parte; et supra, de cleri. coniug., Ioannes, ibi statim perdunt privilegium. Sed ibi loquitur de coniugatis qui non possunt nec debent privilegio clericali gaudere, ut ibi dicitur. Et praeterea de alio privilegio dicitur ibi quam hic, ut dicitur in capitulo supra, de cleri. coniug., Ioannes.

Coercenda
Nota quod solum in favorem clericorum sed etiam in odium laicorum hoc fuit institutum, cum laici oppido sint clericis infesti, 2. q. 7, laicos. Unde est arg. quod clericus huic privilegio renunciare non potest, supra, de sent. excom., contingit 1. Sicut nec illi supra, de for. compet., si diligenti, ubi de hoc. Simile ff. de iniuri., iniuria § usque adeo; et ff. de iniuri., si quis servum. Ea enim quae tantum nos contingunt et non alios possumus renunciare, supra, de arbitr., cum tempore. Idem est ubi pactum in odium criminis statutum est, arg. C. si manc. ita ven. ne prost., praefectus. Secus si non in detestationem criminis, arg. C. si manc. ita fuer. ut man., si Patroclius. Haec decretalis olim non fuit in compilatione Innocentii.

X 5.39.46 *In praesentia*

Evitandum
Supra, de except., a nobis, contra. Solutio: excipi potest contra excommunicatum accusantem vel agentem, quia nullum crimen obstat volenti excipere, supra, de except., cum inter; et supra, de except., dilecti filii. Sed secus est ubi denunciatur excommunicatio alicuius, ubi repellitur denuncians vel agens ratione communionis, ut hic. Qui enim alium denunciat debuit illum praemonuisse, aliter repellitur, supra, de accusat., cum dilectus. Episcopus enim excipere non potest contra clericum ipsum accusantem cui prius communicavit, et hoc in odium eius, supra, de accusat., nulli. Cum debeat habere secum honestos viros, 2. q. 7, cum pastoris. Et sic per patientiam perdit quis beneficium exceptionis. Sic ff. de adulter., si uxor, in fi.; ff. de aqua pluv. arc., Labeo; et ff. de public. in rem act., si ego § 1; 32. q. 5, horrendus; et supra, de aetat. et qualit., accepimus. Item potest hic sumi arg. quod si passus sum excommunicatum litem contestari, quodammodo non possum excipere contra ipsum. Sed hoc non est verum, quia exceptio excommunicationis in qualibet parte litis potest opponi, etiam si omissa fuerit a reo malitiose. Sed ipse tunc in expensis punitur et iudex ex officio suo, etsi reus nihil dicat repellere debet excommunicatum, ut supra, de except., exceptionem; et extravagans Inno. iiii supra, de except., extravag. pia, in fi. Sed hodie per illam decretalem supra, de except., extravag. pia, si in parte aliqua litis excommunicationis exceptio obiiciatur et probetur, non condemnatur in expensis, sed ea quae acta sunt valent et in sequentibus non auditur donec fuerit absolutus. De hoc nota in capitulo praedicto supra, de except., exceptionem, in glossa quae incipit: etiam si excommunicatio; ff. de postulan., quos prohibet; ff. de pet. hered., filius, in fi.; et supra, de elect., nihil est. Io.

In mensa
Simile supra, de cleri. excom., proposuit, in fi.

In divinis
Quod facere non debuerunt, supra, de sent. excom., significavit.

X 5.39.47 *Quantae*

Consentientes
Hoc intellige per cooperationem praestando auctoritatem, quia tunc eadem poena puniuntur facientes et consentientes. Et sic intelliguntur verba ista ubi invenies ea, et supra, de offi. deleg., quia quaesitum, ubi de hoc; et 2. q. 1, notum; et 17. q. 4, omnes. Sic infra, de sent. excom., mulieres; et supra, de sent. excom., nuper.

Interpretans
Sic 83. dist. § providendun, vers. non est grandis; et 86. dist., si quis episcopus; et 86. dist., pasce; ff. de liber. agnosc., necare. Et ita videtur peccare omnis qui non defendit alium si potest, 23. q. 3, non inferenda; et 23. q. 3, ostendit. Et si non possit aliter defendere saltem defendat clamore, ff. de Sil., cum aliter § hoc autem. Sed non videtur quod teneatur defendere, quia licitum est recipere pecuniam pro defensione alicuius, ff. quod metus cau., metum § sed licet. Nec repetitur si data fuerit, ut ibi dicitur, ff. de donation., si pater § 1. Ergo unus alterum defendere non tenetur, quasi ad hoc teneretur pecunia repeti posset, ff. de condi. ob turp. caus., si vestimenta. Dicit Io. quod quilibet tenetur defendere alium per capitula praedicta, ut 90. dist., praecipimus; et 3. q. 1, nulli; et 3. q. 1, Deus ergo. Nec obstat quod dicitur quod potest dari pecunia pro defensione, nam et officiali datur pecunia, qui tamen gratis tenetur impendere officium suum, 14. q. 5, non sane. Et ad defensionem clericorum, quicquid dicas de laicis quilibet tenetur, quia hoc pertinet ad publicum ius, 1. dist., ius publicum. Unde propter publicam utilitatem amplianda sunt verba edicti, quia favore religionis multa contra rationem instituuntur, ff. de rel. et sump. fun., sunt personae. Hic dicit Io. Sed haec ita generaliter dicere grave est, quoniam posset aliquis periculum incurrere. Unde alii dicunt quod ad solos praelatos sive iudices vel alios qui habent aliquam potestatem in alios hoc pertinet, et ad hoc tenentur ratione potestatis et non alii, 23. q. 4, forte; et 23. q. 4, duo ista. Unde si ego qui non habeo aliquam potestatem video quod aliquis vult verberare clericum sive percutere sine meo consilio vel auxilio, non credo quod sim excommunicatus si non prohibeo illum, licet alias forte peccem. Quia ipsum non defendo cum possim, poena enim non debet amplius egredi quam delictum reperiatur, supra, de his quae fi. a maior. par. cap., quaesivit; et C. de poe., sancimus. Et quod dicit: qui cum possint, intelligo de his qui ratione potestatis quam habent in illos ad hoc tenentur, alias consentire videntur, et praestare auctoritatem si vident illum et non prohibent. Alia est prohibitio sociorum et aliorum, quia illi solummodo admonendi sunt verbis sed non factis, ut dicit Hug., 83. dist., error. Arg. contra 23. q. 3, non inferenda, ubi dicitur quod tenemur iniuriam propulsare a socio. Sed ibi exponitur si potest, id est, si est in potestate constitutus. Et si etiam tenear iniuriam propulsare, non tamen propter hoc sum excommunicatus, ut dixi. Nam nullus est excommunicatus ex facto alterius nisi participando vel in locutione vel in oratione aut in crimine, supra, de sent. excom., nuper. Vel nisi mandatum vel auctoritatem praestiterit, supra, de sent. excom., mulieres. Sed hic nullo tali modo participat. Capitula quae inducit Io. pro se de praelatis loquuntur.

X 5.39.48 *Sacro*

Competenti
Trina videlicet, supra, de sent. excom., contingit 2, cum suis concordantiis ibi positis; et 24. q. 3, de illicita.

Possit probari
Alias enim soli crederetur in praeiudicium alterius, supra, de probat., quoniam. Et sic est arg. quod ordo iuris observandus est in sententia excommunicationis, 2. q. 1, nemo; et 24. q. 3, de illicita; et supra, de excess. praelat., pervenit, sicut in aliis causis. Tamen si non servetur, tenet sententia. Sed ille punitur qui eam tulit prout sequitur, quia sententia pastoris sive iusta sive iniusta tenet, 11. q. 3, sententia pastoris; et 11. q. 3, si quis a proprio, nisi in duobus casibus supra, de sent. excom., per tuas. Item in tertio casu non tenet sententia si admonitio non praecedat, ut in concilio Lugdunensi infra, de sent. excom., extravag. statuimus. Ber.

Iusta fuerit
Ex causa scilicet. Nota quod sententia excommunicationis tribus modis dicitur iniusta: ex causa, ex animo et ex ordine. Haec enim est sententia iniusta ex ordine et iusta ex causa, quia causa subest quare fuit excommunicatus et nihilominus punitur, quia ordinem non servavit, et tamen tenet sententia. De istis tribus modis habes plene 11. q. 3, episcopus § si ergo; et 11. q. 3, non debet § cum ergo. Sic etiam stipulatio dicitur iniusta ex causa, ff. de dol. except., palam § si quis sine. Item novatio, ff. de novat., novatio est. Sed quid si iudex ita dicat: excommunico te quia Padus currit, quia eleemosynam fecisti, Deum coluisti vel aliud bonum fecisti? Hug. dicit quod talis sententia ex quacumque causa tenet. Sed videtur continere intolerabilem errorem, dum dicit: excommunico te quia Deum colis. Cum enim sententia iniusta est ex causa, apud Deum non est ligatus nisi contemnatur, 11. q. 3 § cum ergo. Et sic videtur consentire Hug. ut dixi supra, de sent. excom., per tuas. Gandulf. dixit contra et Io., ut supra, de sent. excom., per tuas, quod magis placet. Sed illud videtur mirum quod iniusta excommunicatio ex ordine privat aliquem ingressu ecclesiae, quia post latam sententiam iniuste excommunicans statim privatus est ingressu ecclesiae, nec aliter excommunicatus est nisi post latam sententiam. Qualiter ergo privatus potest alium privare ingressu ecclesiae, et insimul incipiunt esse privati excommunicans et excommunicatus, et sic eadem sententia privat excommunicantem et excommunicatum, et ita quis potest seipsum privare ingressu ecclesiae, quod absurdum videtur. Io. Tu vero dicas quod licet Io. nihil dixerit, quod per eandem sententiam non privantur excommunicans et excommunicatus ingressu ecclesiae, subditus tamen privatur per sententiam sui praelati. Ipse praelatus privatur ingressu ecclesiae auctoritate huius canonis, eo quod facit contra istum canonem. Et ita unus punitur a iure et alter a iudice. Et sic non est verum quod eadem sententia pariat contrarios effectus. Ber.

Per mensem
Haec poena ipso iure inflicta est et mense elapso restitutus est, 81. dist., si qui sunt. Carebit insuper hominum communione in quantum visum fuerit suo superiori, 24. q. 3, de illicita. Multiplicem enim poenam patitur qui iniuste excommunicat alium. Primo quidem quia privatus est uno mense ingressu ecclesiae, quia punitur in communione aliorum superioris arbitrio. Item tenetur excommunicato ad interesse, ut hic infra dicitur.

Tenetur etiam actione iniuriarum, 11. q. 3, illud; et 11. q. 3, temerarium. Item tenetur poena sacrilegii, 24. q. 3, non in perpetuum. Io. Hodie vero qui excommunicat, in scriptis excommunicationem proferat et causam excommunicationis expresse conscribat. Et qui contra fecerit per mensem unum ab ingressu ecclesiae et divinis officiis se noverit suspensum, et si supensus divina praesumpserit officia celebrare sicut prius, irregularitas efficitur, super quo per Papam tantum poterit dispensari. Et haec omnia probantur per decretalem Inno. iiii infra, de sent. excom., extravag. cum medicinalis.

Interdictum
Sed pone quod iniuste excommunicatus statim ab ipso excommunicatore suspenso ab ingressu ecclesiae petat absolvi? Videtur quod ipsum non possit absolvere, quia cum ipse careat ingressu ecclesiae, ergo alium non potest reconciliare ecclesiae. Sed videtur quod sic, quia dicit inferius ad excommunicatorem ipsum remittat. Quidam dixerunt quod a superiore tempore suspensionis excommunicatus non debet absolvi, quia cum ipse sit suspensus alium reconciliare non potest, arg. de conse. dist. 4, sanctum est. Et sequens littera caveat et capitulum intelligitur quando admonitio praecssit et excommunicatio fuit; principium capituli quando admonitio non praecessit. Vel dic quod licet per mensem sit privatus ingressu ecclesiae, nihilominus iurisdictionem suam retinet, quia non est propterea privatus iurisdictione nec est excommunicatus. Unde ipsum absolvere potest, supra, de rescript., ab excommunicato; et supra, de cleri. excom., si celebrat; et infra, de sent. excom., duobus.

Caveat etiam
Dixit quod nullus excommunicet sine admonitione praemissa. Et forte videretur quo admonitione praemissa posset etiam excommunicare sine iusta causa. Sed hoc non est verum, et ideo dicit: caveat etc. Et ita ordo et causa in hac sententia servanda sunt.

Rationabili causa
Coram ipso probata, 2. q. 1, nemo.

Taliter forte processerit
Id est, sine manifesta et ratonabili causa.

Absque gravamine
Quia nullas exepnsas debet propter hoc facere nec iurare, si constat quod est iniusta, nec aliud sibi praecipere, cum sententia fuerit iniusta, supra, de offi. ord., ad reprimendam. Arg. contra infra, de sent. excom., venerabili.

Querelam
De hoc dictum est supra, de sent. excom., per tuas.

Periculo morae
Mora enim quandoque ad se trahit periculum, 5. dist., baptizari. Et propter periculum morae quis subiicitur iudici non suo, de poenit. et remiss., ne pro dilatione, ubi de hoc.

Constiterit
Excommunicatore praesente quia causarum merita partium assertione panduuntur, C. si per vi. vel al. mod., nec imperiale; et supra, de in integ. restit., tum ex litteris, ad fi. Aut etiam eo absente per contumaciam et lite non contestata, supra, de appell., interposita § ulti. Si tamen pure ageretur ad revocandam sententiam non ut iudex puniretur, tunc non esset necesse ipsum revocari, ut 2. q. 6, hoc etiam placuit. Io.

Ad interesse
Id est, ad damna quae sustinuit sive circa sumptus litis sive in aliis. Et illa declarabit suo iuramento, 2. q. 1, in primis; C. und. vi, si quando. Taxatione iudicis praemissa, supra, de his quae vi met. caus. fi., super eo; et supra, de procurat., constitutis. Sed numquid aestimabitur illud interesse quod eo electo cassata fuit electio propter illam excommunicationem, et quod beneficia adeptus esset? Dict Io. quod sic, quia illud interesse est circa rem, 12. q. 2, si quis de clericis; et 2. q. 5, super causa; et ff. de act. emp. et vend., Iulianus, in princ. Secus si interesse est extra rem, ff. de act. emp. et vend., si sterilis § cum per venditorem. Sed non credo quod tale interesse debeat aestimari nec venire in conditione, quia ecclesia peopter hoc puniri non debet, si proprium haberet forte puniretur.

Tantam infligere poenam
Quia nulla est maior in ecclesia, 24. q. 3, corripiantur; et 24. q. 1, non afferamus, in fi. Quia illa separat a corpore Christi quod est ecclesia, infra, de sent. excom., si quem; et 3. q. 4, Engeltrudam.

Ex causa probabili
Quia forsan credidit citationem pervenisse ad ipsum credens eum contumacem, cum non esset vel credebat causam excommunicationis sufficienter probatam, errans in probationibus dubiis, arg. supra, de re iudic., cum Bertholdus.

Si laudabilis
Quasi diceret non sufficit probabilis causa, nisi iudex sit laudabilis opinionis, ut praesumatur quod hoc non fecisset nisi erraverit. Alias contra diligentem quandoque praesumitur quod non erraverit, ff. de probation., cum de indebito; C. qui et adv. quos in int. rest., in consilio. Sed illud, maxime, tenetur comparative. Unde idem esset etsi non esset ita laudabilis opinionis dum tamen errasset. Sed tunc magis praesumitur pro errore.

Probabilis error
Sed qualiter probabilis error potest excusare appellantem? Quia forte credidit non sufficienter probatum illud pro quo excommunicabatur, quod tamen erat de quo aliquis bene poterat dubitare in ordine iuris qui servandus est in hac sententia. Non posset ita errare reus, sed tantum in causa excommunicationis. Et est hoc arg. bonum quod si aliquis habet probabilem causam litigandi, non punitur in sumptibus litis, ff. de leg. 2, qui solidum § etiam. De hoc traditur supra, de dolo et contu., finem.

Satisfacere compellatur

Sic patet quod si excommunicatus petat absolutionem a suo excommunicatore, et iuravit stare mandatus suis eo absoluto, quod primo inquirere debet an excommunicatio iusta fuerit antequam aliquid ei praecipiat, supra, de restit. spol., litteras, in fi.; supra, de offi. ord., ad reprimendam. Si fuerit exommunicatio iniusta, nihil praecipiat ei per iuramentum, quia in nullo tenetur satisfacere, cum non deliquerit. Sed si fuerit iusta, tunc primo recipiet mandatum, ut hic. Contra hoc videtur quod legitur supra, de rescript., ab excommunicato, quia ut ibi dicitur excommunicator de suo facto certus esse debet. Sed hoc intellige cum dubitat an iuste vel iniuste excommunicaverit praemissa admonitione, ibi quando non praemisit admonitionem, et sic contra formam concilii tulit sententiam. Et sic non contradicit cum de facto suo certus esse debeat. Idem est faciendum cum aliquis coram superiore deponit de iniusta excommunicatione querelam, secundum quod hic fit, supra, de offi. ord., ad reprimendam. Sed hoc debet inquiri an excommunicatio fuerit iusta vel iniusta coram arbitris ab excommunicatore et excommunicato electis vel apud synodum potius, 11. q. 1, si clericus; vel coram superiore per querelam, ut ibi dicitur, supra, de offi. ord., ad reprimendam. Sed nonne eo ipso quod excommunicatus petiit absolvi et iurat, intelligitur acquiescere sententiae, ut eam postea impugnare non possit? Videtur quod postea nihil dicere possit contra ipsam, supra, de offi. deleg., gratum; et supra, de his quae fi. a maior. par. cap., ex ore; et supra, de appell., sollicitudinem; et ff. de inoffic. testam., si exheredatus. Item si non appellat a sententia excommunicationis usque ad decem dies, intelligitur acquievisse sententiae, quod videtur supra, de re iudic., quod ad consultationem; et C. de re iud., ad solutionem. Dicas quod non, non enim ex eo quod petit absolvi, acquievit sententiae quod si iusta. Similiter nec ex eo quod non appellat infra decem dies acquiescit sententiae. Et ratio satis evidens est quare in sententia excommunicationis non sit necessaria appellatio, quia appellatio suspendit pronunciandum, ff. ad Turpil., accusatorum, in fi. Sed effectus excommunicationis non potest suspendi per appellationem, supra, de appell., pastoralis. Unde non prodest nec est necessaria appellatio, quia per cursum decem dierum non transit in rem iudicatam, nam absolvi potest etiam post decem dies. Unde per lapsum temporis non sumit aliquam firmitatem. Et ideo de iniusta excommunicatione quandoque potest quis conqueri cum voluerit.

Non deferat in hac parte

Quia cessante causa cessat effectus. Sic supra, de appell., cum cessante. Et ita iudex potest suam interlocutoriam revocare, ut ibi dicitur; et ff. de re iud., quod iussit; vel errorem suum corrigere, supra, de accusat., qualiter et quando 1; et palliare perperam actum, supra, de auctor. et usu pal., nisi.

Dubitari

Ergo admittitur hodie appellatio, non solum si causa sit probabilis sed etiam si est dubia. De hoc dicitur supra, de appell., ut debitus. In dubiis enim potius deferendum est appellationi, quia illud certius est ideoque tenendum, supra, de spons., iuvenis, cum suis concordantiis. Sic servanda est sententia excommunicationis de qua dubitatur merito, supra, de cleri. excom., illud.

Absolvat
Appellatio enim non tenet quantum ad hoc quin possit absolvi excommunicatus propter periculum morae, sed quantum ad hoc quod transfertur iudicium ab ipso, cautione recepta quod iuri parebit coram illo ad quem appellavit, ut hic dicitur, supra, de appell., qua fronte. Io.

X 5.39.49 *Noverit*

Excommunicamus
Omnes haeretici et fautores, receptatores et defensores haereticorum ipso iure excommunicato sunt, ut hic patet, et supra, de haeret., excommunicamus itaque, in princ.; et supra, de haeret., excommunicamus itaque § credentes; et supra, de haeret., excommunicamus et anathematizamus.

Ecclesiae libertatem
Sic infra, de sent. excom., gravem. Qui enim contra ecclesiae libertatem venire nituntur sunt ipso iure excommunicati, ut hic dicitur. Sed qui iura ecclesiae auferre conantur vel onera ei imponere, nisi admoniti destiterint ipso iure sunt excommunicati, supra, de immun. eccl., non minus; et supra, de immun. eccl., adversus. Arg. contra infra, de sent. excom., gravem, ubi dicit tales excommunicandos nisi statuta deleri fecerint, ibi solvitur.

Capitularibus
Id est, libris in quibus statuta sua conscribunt. Simile verbum habes 11. q. 1, omnes § haec si quis antiquata.

Infra duos menses
Sic supra, ne cler. vel mon. saecul. neg., non magnopere; et supra, ne cler. vel mon. saecul. neg., super specula. A tempore enim publicationis currunt isti duo menses, postea vero constitutio omnes ligat, in Auth. ut fact. novae const., circa princ., coll. 5.

Scriptores
Sic supra, ne cler. vel mon. saecul. neg., sententiam, ubi prohibetur clericis sententiam sanguinis proferre et scribere eo modo, omnes, enim qui consilium vel auxilium in his praestiterint sunt excommunicati, ut hic patet. Et isti statutarii privandi sunt feudo quod habet ab ecclesia, infra, de sent. excom., gravem.

Vel servatae
Resume, ut infra duos menses etc.

Qui secundum ea
Arg. quod illa scripta sunt reprobata quorum damnatur auctores, supra, de haeret., fraternitatis, ubi de hoc; et supra, de haeret., excommunicamus itaque § credentes.

X 5.39.50 *Canonica*

Constitutione
Quam habes supra, de sent. excom., monachi; et supra, de sent. excom., cum illorum.

Enormis
Supra, de sent. excom., cum illorum.

Duximus extendendum
Quod enim concessum fuit monachis et canonicis regularibus, extenditur ad Hospitalarios favore religionis. Sic quod dictum erat de monachis extenditur ad regulares, supra, de postuland., ex parte. Sic quod concessum fuit religiosis extenditur ad episcopos, supra, de privileg., quod nonnullis. Et quod dictum fuit de episcopis intelligendum est de electis et confirmatis, supra, de translat., inter corporalia. Et quod dictum est de uxore intelligendum est de sponsa, ff. de iure dot., si sponsa; et ff. de sponsal., oratio; et ff. de fund. dot., Iulia.

Nisi maioris
Propter enormitatem excessus vel propter maiorem personam cui manus intulissent, supra, de sent. excom., cum illorum; et supra, de sent. excom., monachi. Ber.

Presbyter
Nisi esset presbyter, non concederetur ita de facili vel saltem clericus, quia laicis hoc officium licet religiosis non committeretur, 96. dist., bene quidem. Si nec officium praedicandi, supra, de haeret., cum ex iniuncto. Et Petro claves ecclesiae commissae sunt qui fuit sacerdos et non laico, 24. q. 1, quodcumque; et 21. dist., in novo; et 96. dist., bene quidem.

Fratribus vestris
Ergo non aliis, quod est verum. Et idem intellige de abbate quod non posset alterius abbatis monachum vel alium absolvere, ex eo quod dicit: vestris, de aliis prohibitum intelligitur. Simile 2. q. 1, unus ex vobis; 45. dist., disciplina, ibi: peccaverit populus tuus etc. Privilegium hoc locale est, ita quod ipsi extendere ad alios non possunt.

X 5.39.51 *Super eo*

Formam
Quam habes supra, de sent. excom., ex tenore. Quae observanda est in absolutione cuiuslibet qui incidit in canonem, supra, de sent. excom., cum desideres, 1. resp., in fi.

Iuramentum
Tamen ad cautelam potius introductum fuit, ut ibi dicitur, ut de caetero non commitat talia. Simile 23. q. 8, pessimam; et infra, de sent. excom., gravem; et supra, de sent. excom., ex tenore.

Cum promissione
Hic evidenter reprobatur opinio illorum qui dicunt quod si iuramentum non interveniat in tali absolutione, non est absolutus. Iuramentum enim non est de substantia absolutionis, ut hic patet. De hoc dictum est supra, de sent. excom., cum desideres, in fi.

Detrahendum
Ratione loci et temporis detrahendum est severitati, ut hic dicit, 50. dist., ut constitueretur; 44. dist., comessationes; 9. q. 1, ordinationes; 23. q. 4, non potest; et supra, de transact., ex parte, ubi habes de hoc satis.

X 5.39.52 *Venerabili fratre*

Ad cautelam
Quia lata erat post appellationem, ut dicebatur. Sic supra, de sent. excom., per tuas; et supra, de appell., ad praesentiam; et supra, de testib., veniens 2, in fi. Et tamen licet ad cautelam absolvatur, iuramentum praestat, ut hic patet. Sed ex quo ad cautelam absolvitur, non deberet iurare. Hoc fit propter dubium, quia non constabat de ipsa suspensione an rite lata fuerit. Et idem praestatur iuramentum, ut si constiterit ipsum culpabilem extitisse super eo pro quo sententia lata fuit, stabit mandato archiepiscopi. Et est notabile quod pro suspensione iuratur sicut pro absolutione excommunicationis. Ber.

Constiterit
Coram quo constare debet? Forte coram Papa si voluerit, vel coram eius delegato vel si arbitros eligere voluerint. Ipse enim archiepicopus non debet cognoscere ut videtur, arg. supra, de sent. excom., per tuas; et 11. q. 1, si clericus. De hoc dicitur supra, de sent. excom., sacro. Et est arg. ex hac decretali quod semper iuramentum exigendum est in absolutione ubi non constat excommunicationem vel suspensionem iniustam, sed mandatum differtur in eventum cognitionis, ut dictum est supra, de sent. excom., sacro. Vel dic quod isti quibus scribitur, cognoscent de hac suspensione.

X 5.39.53 *Gravem*

Libertatis
Sic supra, de sent. excom., noverit.

Excolantur
Similem poenam habes supra, de privileg., quanto. Sic excommunicantur Iudaei, supra, de usur., post miserabilem; et supra, de usur., quanto. Ber.

Sumptibus
Volentes ecclesiam subiicere servituti et publicis functionibus a quibus sunt omnino immunes, supra, de immun. eccl., non minus; et 16. q. 1, generaliter § novarum; C. de sacro. eccl., placet.

Similia de caetero
Supra, de sent. excom., ex tenore; 23. q. 8, pessimam; et 12. q. 2, de viro; 11. q. 3, cum aliquis. Sicut et de haeretico, 1. q. 7, quotiens 1; et de conse. dist. 2, ego Berengarius.

Promulgare procures
Arg. contra supra, de sent. excom., noverit, ubi excommunicati videntur ipso iure consiliarii, sicut ipsi statutarii, rectores et consules. Sed illud intelligi potest nisi infra duos menses ea deleri fecerint, et hoc intelligitur secundum illud, ut nisi ea deleri fecerint, excommunicentur. Et sic videntur excommunicati ipso iure, nisi ea deleri fecerint infra terminum dictum, et postea per sententiam. Sed statutarii et scriptores ipso iure sunt excommunicati ut supra, de sent. excom., noverit. Vel dic quod hic loquitur de aliis consiliariis et officialibus qui postea successerunt, et non de illis quorum consilio vel auctoritate statuta illa edita fuerunt, et nisi isti ea deleri fecerint, excommunicentur, ut hic dicit. Et si ea fecerint observari, nisi infra duos menses ea deleri fecerint ipso iure sunt excommunicati, supra, de sent. excom., noverit. Sic supra, de immun. eccl., adversus. Antiqua decretalis concordat illi decretali supra, de sent. excom., noverit, et ideo videtur male decisa. Ut non contradicat, sic expone: promulgare procures, id est, promulgatam esse ostendas vel denuncies vel iterum excommunicantur a iudice. Alias non videtur cessare contrarium. Ber.

Privatos
Ex hoc videtur quod ipso iure sunt excommunicati ipsi statutarii ex eo quod dicit: privatos denuncies, per decretalem supra, de sent. excom., noverit. Et quia contra fidelitatem veniunt, amittere debent feudum, 22. q. 5, de forma. Et ecclesia potest illos privare, cum in hoc sint de foro illius. Sic dominus privat vasallum quando facit feloniam domino de suo feudo, in constitutio Frederici de feudis, hac edictali § praeterea. Quia dominus inter vasallos de feudo cognoscit, supra, de for. compet., verum; et supra, de for. compet., ex transmissa. Simile supra, de haeret., absolutos. Sic et clericus qui contra ecclesiam suam advocat perdere debet beneficium, supra, de postuland., cum sacerdotis.

X 5.39.54 *Cum voluntate*

Voluntate ac proposito maleficia
Haec verba sumpta sunt ex illa lege ff. de fur., qui iniuriae, in princ. Ad cor enim et spontaneas voluntates respicit Deus et non ad actus, 15. q. 6, si quandoque; et 14. q. 5, si quid invenisti. Sola enim temeritas hoc attenditur, supra, de sent. excom., super eo vero; et 17. q. 4, si quis suadente. Et quia animus punitur non opus, 50. dist. § contra animum; et 50. dist., eum qui; et 50. dist., frater vester.

Ad salutem
Supra, de sent. excom., cum voluntate, 1. resp; et 11. q. 3, cum excommunicato, ubi permittitur participare in his quae ad salutem pertinent, ut hic dicit, et quaecumque verba ad hoc proficere possunt, excommunicato dici possunt, alias non.

Vel alios
Id est, usurarios, quorum eleemosyna recipi non debet, supra, de usur., quia in omnibus.

Quasi gerunt causam eorum
Quasi negotiorum gestores. Et ideo possunt eorum eleemosynas recipere, ut hic dicitur, quia ipsi quorum res aguntur ab illis sua recipere possunt. Et sic isti praedicatores licite ea recipiunt pro eleemosynis. Et licet res non habeat effectum, sufficit quod ab initio negotium sit utiliter coeptum, ff. de negot. gest., sed an ultro § is autem qui. Et negotiorum gestor praeterea potest agere ad sumptus quos fecerit, ut ibi dicitur. Et est arg. quod ille qui gerit vicem alterius, honorandus est sicut ille cuius vicem gerit, 93. dist., praecipimus; et 94. dist., valde; supra, de offi. deleg., cum olim magister.

Praesertim
Potest exponi pro maxime, quia alias tempore necessitatis ab excommunicatis possunt recipi necessaria et emi, 11. q. 3, quoniam multos. Alias vero praedicatores non debent recipere eleemosynas ab excommunicatis vel usuariis vel consimilibus, 90. dist., oblationes; et 90. dist., eorum; et 17. q. 4, miror.

Ratione officii
Nota quod ratione officiii licet quod alias non liceret. Et hoc ideo quia ex quo commissum est ei officium et talia sine quibus officium commode expediri non potest. Sicut iudex potest compescere omnes impedientes iurisdictionem suam, supra, de offi. deleg., quia quaesitum; et supra, de offi. deleg., praeterea; et supra, de offi. deleg., prudentiam; et supra, de offi. deleg., suspicionis; et supra, de testib., tam litteris; immo et si non habeat officium.

Alii
Scilicet seniores de ecclesia possunt inferiores in minoribus ordinibus constitutos coercere, et etiam turbantes divinum officium, ut hic dicitur.

In minoribus ordinibus
Ergo non possunt sic compescere constitutos in sacris ordinibus, licet turbent officium, quia ex eo quod permittit specialiter de istis, de aliis prohibet. Sicut quod de uno negatur de alio conceditur, 25. dist., qualis; et supra, de praesump., nonne. Et quia honorabilia membra exceptis gravioribus culpis verberibus subiici non debent, 45. dist., cum beatus. Puniantur ergo alias admonitionibus, et si se non correxerint, possunt suspendi, supra, de celeb. miss., dolentes, arg.

Turbantes
Supra, de sent. excom., veniens; et supra, de appell., dilectis filiis, arg.

Praelationis
Sic ergo praelati possunt corrigere subditos, et percutere leviter sine metu excommunicationis causa correctionis et non ex odio, supra, de sent. excom., ex tenore. Leviter enim hoc facere debent, quia leviter castigatus reverentiam exhibet castiganti, 45. dist., cum beatus.

Magisterii
Sic supra, de sent. excom., super eo vero. Modica enim et levis castigatio permissa est doctori, ff. ad leg. Aquil., sed et si quemcumque, in fi.; et ff. ad leg. Aquil., praeceptoris. Et humilis debet esset doctrina magistri, supra, de maior. et obed., humilis, ubi plures concordantias invenies. Ad hoc nimia saevitia culpae annumeratur, ff. ad leg. Aquil., praeceptoris.

De familia
Nota quod quis familiam suam corrigere debet, cum ei competat iure patriae potestatis, 23. q. 4, duo ista; et 45. dist., cum beatus § Salomon; et 45. dist., disciplina. Et qui domesticorum suorum curam non habet, fidem negavit, 47. dist., sicut § necesse, ad fi., vers. hinc etiam Paulus; et C. de patr. potest., si filius. Et non solum pater sed etiam propinqui domesticos suos corrigere debent, C. de emend. prop., in corrigendis. Et hic idem dicit, omnes praedictae personae clericos inferiorum graduum corrigere potuerunt sine poena excommunicationis, ut hic patet de magistris et praelatis, et non distinguitur in gradu. Hic habes sex casus in quibus licet corrigere et percutere clericum sine excommunicatione qui habent officium in ecclesia: seniores et praelatus, magister, dominus domus et consanguinei. Sunt et alii casus ubi quis non incidit in canonem si iocosa levitate clericum percutit, supra, de sent. excom., super eo vero. Item si inveniat eum cum matre, filia, uxore vel sorore. Item si vim vi repellat incontinenti, supra, de sent. excom., si vero alicuius § 2; et supra, de sent. excom., si vero alicuius § 3. Item si clericus post trinam admonitionem non se corrigat, perdit hoc beneficium, supra, de sent. excom., contingit 2; et supra, de sent. excom., in audientia.

Inferiorum graduum
Secus si sint in superioribus, puta subdiaconatu vel aliis superioribus, quia per sacros ordines liberati sunt a patria potestate. Unde nullum ius habent in eis. Sacer enim ordo liberat a patria potestate, quia liberat a servili quod plus est, 54. dist., ex antiquis; et 54. dist., frequens; et 54. dist., si servus sciente. Et subdiaconus eodem gaudet privilegio cum diacono, supra, de serv. non ordin., miramur. Et ita habes hic quod clericus quamdiu est in minoribus ordinibus est in patria potestate nisi expresse emancipetur. Et ita nota dignitatem sacrorum ordinum. Quid si personae superius in littera nominatae excedant modum, numquid incidunt in canonem? Respondeo: nisi irato animo haec faciant et ex proposito, non credo quod incidant in canonem qui solummodo dolum prosequitur, quod colligitur ex verbis canonis, 17. q. 4, si quis suadente, ibi: manus violentas iniecerit; et supra, de sent. excom., super eo vero. Violentia non committitur sine dolo. Sed huiusmodi manus praedictarum personarum non sunt dolosae sed caritativae, licet fortuito casu excedant modum disciplinae quod probatur ex principio huius capituli.

X 5.39.55 *Si concubinae*

In eodem crimine
Secus si alias participarent in locutione vel alias quam in crimine, quia tunc non essent excommunicati maiori sed minori. Simile supra, de sent. excom., nuper, ubi satis de hac materia. Et ea quae ibi dicta sunt hic posses repetere. Et sic sententia per participationem

criminis extenditur ad personas contra quas lata non fuit. Simile supra, de immun. eccl., adversus, in fi.; et supra, de sent. excom., noverit. Ber.

X 5.39.56 *Duobus*

Non expirat
Si potestas ista absolvendi non expirat. Ergo unus potest absolvere alium. Sed contra videtur quod cum unus sit privatus a sacramentis, alium restituere non potest, de conse. dist. 4, sanctum. Quod enim non habet dare non potest, 1. q. 1, gratia; et 1. q. 7, Daibertum. Et arg. supra, de cleri. excom., si celebrat. Quid ergo dicit quod talis potestas non expirat? Respondeo: bene dicit quod in veritate potestas collata non expirat propter hoc cum effectu, sed dormit, id est, potestas illa cum uterque sit excommunicatus, non potest habere effectum. Quia alter alterum non potest absolvere nisi primo alter eorum ab alio quam a socio fuerit absolutus, tunc demum habet effectum. Simile supra, de offi. deleg., prudentiam § sexta; et supra, de concess. praeben., quia diversitatem; 15. q. 6, nos sanctorum; et 15. q. 6, iuratos. Simile C. de curat. fur., cum aliis. Vel dic quod bene potest alter alterum absolvere, licet sit ligatus minori excommunicatione. Et ita nullo modo expirat potestas, sed durat cum effectu. Arg. decretalis praedicta supra, de cleri. excom., si celebrat, quia minor excommunicatio privat solummodo a perceptione sacramentorum, sed non a collatione, ut ibi dicitur. Arg. ad hoc supra, de sent. excom., sacro; et supra, de rescript., ab excommunicato.

X 5.39.57 *Permittimus*

Excommunicatis et interdictis
Et hoc idem facere debent religiosi et alii qui privilegium habent celebrandi tempore interdicti, supra, de privileg., quod nonnullis; et infra, de verb. sign., cum in partibus. Illud privilegium per hoc capitulum extenditur ad omnes alios praelatos ecclesiarum qui prius illud non habebant, quod semel tantum in hebdomada celebrent causa conficiendi corpus Christi. Et hic non attenditur favor personarum. Sed sanctitas ipsius corporis et principaliter necessitas decendentium sive infirmorum. Presbyter enim semper debet habere Eucharistiam paratam. Sed quando consecratur pro populo nihil in crastino servandum est, de conse. dist. 2, tribus. Item aliis conceditur favore religionis sive personarum, ut patet in capitulo supra, de privileg., quod nonnullis.

Quod decedentibus
Sic supra, de poenit. et remiss., quod in te. Ber.

X 5.39.58 *Quamvis*

Satisfaciat
Licet quis satisfecerit iniuriam passo. Nondum tamen haberi debet absolutus nec est ei communicandum nisi primo absolvatur, supra, de sent. excom., cum desideres, 1. resp.; et infra, de sent. excom., pueris. Omnis enim res per quascumque causas nascitur per easdem dissolvitur, infra, de reg. iur., omnis. Sic enim excommunicatio quandoque solo verbo contrahitur et solo verbo tollitur. Sed in hoc casu ipso facto inducitur, sed solo

verbo tollitur. Et sic satisfactio vel iuramentum non sunt de substantia absolutionis. De hoc dictum est supra, de sent. excom., cum desideres, in fi.

Mortis
Supra, de sent. excom., non dubium; et 17. q. 4, si quis suadente; et supra, de sent. excom., quod de his.

Inimicitia
Supra, de sent. excom., de caetero. De infirmitate, inopia, senili aetate habes supra, de sent. excom., quod de his.

Inopia
Simile supra, de testib., si qui. Contra supra, de sent. excom., ea noscitur; solvitur ibi.

Puerili
Pueri infra pubertatem non mittuntur ad curiam, quia aetas eos excusat ab itinere, supra, de sent. excom., super eo vero; et § proxi.; et infra, de sent. excom., pueris.

Fragilitate sexus
Supra, de sent. excom., mulieres; et supra, de sent. excom., de monialibus.

Corporis impotentia
Quia scilicet sit mutilatus in pede quod ire non possit vel contractus.

Impedimento canonico
Supra, de sent. excom., quod de his. Ber.

Iuris beneficio
Ut servi, supra, de sent. excom., mulieres. Et hoc intellige secundum distinctionem huius capituli supra, de sent. excom., relatum.

Quibusdam praedictorum
Scilicet qui timore mortis, infirmitate, inimicitia, senili aetate confracti vel impotentia perpetua, inopia, omnes isti possibilitate recepta sedem Apostolicam visitabunt pro mandato recipiendo, ut infra sequitur, et supra, de sent. excom., de caetero; et supra, de sent. excom., quod de his.

X 5.39.59 *Si quem*

Simili
Puta nisi hoc feceris, noveris te excommunicatum, supra, de appell., praeterea requisiti; et supra, de testibus cog., cum super; et supra, de rapt., excommunicationi.

A iudice suo
Sententia iudicis sui sive iusta sive iniusta tenet, 11. q. 3, sententia pastoris; et 11. q. 3, si quis a proprio. Sed a non suo iudice lata est nulla, arg. supra, de privileg., cum olim

essemus; et supra, de consuet., ad nostram; et supra, de iudic., at si clerici; de offi. ord., grave.

Non tantum minori
Sic ergo patet cum dico: excommunico illum, de maiori intelligitur, minor enim excommunicatio removet a communione sacramentorum, ut hic dicitur. Maior excommunicatio a corpore Christi quod est ecclesia, scilicet communione fidelium, 3. q. 4, Engeltrudam. Est ergo maior excommunicatio a qualibet licita communione et legitimo actu separatio. Unde Adam excommunicatus fuit ex esu ligni, 11. q. 4, ad mensam § evidenter. Excommunicatio quae dicitur anathema infligitur tam ab homine quam a iure, et pro contumacia et pro crimine, infra, de verb. sign., ex parte in Christo; et 17. q. 4, si quis suadente; et 24. q. 1, Achatius non est; et 24. q. 1, maiores; et 24. q. 1, Achatius non fuit. Et in titulo isto per violentam manus iniectionem. Minor autem excommunicatio infligitur quandoque poenitenti et impoenitenti. Poenitenti quandoque a seipso, quandoque a sacerdote, de poen. dist. 1, facilius. Sed melius facit si auctoritate sacerdotis hoc faciat, de poen. dist. 1, actione. Impoenitenti quandoque a Deo imponitur excommunicatio minor, cum propter mortale peccatum Deus tradit aliquem satanae, et discedit a mente eius, 11. q. 3, audi denique. Quandoque ipsemet se suspendit a sacramentis cum non vult poenitere, et putat sibi sufficiere, et male hoc fit, de poen. dist. 1, sunt qui arbitrantur. Sed si reputat se indignum et abstinet, bene facit, de conse. dist. 2, qui scelerate. Quandoque imponitur a sacerdote loco poenae, quia non vult poenitere, 17. q. 4, miror. Quandoque per sententiam canonis, 11. q. 3, cum excommunicato; et 81. dist., si qui sunt. Cum inflicta est excommunicatio a se vel a Deo agat poenitentiam, et sequitur reconciliatio. Si vero a sacerdote inflicta fuerit, per eum reconcilietur. Cum vero a canone infligitur minor excommunicatio, per simplicem sacerdotem potest absolvi et sine iuramento vel aliquo mandato, nisi participet in crimine, supra, de sent. excom., nuper; et supra, de sent. excom., si concubinae. Qui maiori excommunicatione est notatus, si ab homine semper ab eodem vel eius superiore debet absolvi, supra, de sent. excom., per tuas, nisi incendiarii post publicationem, supra, de sent. excom., tua. Si a canone est notatus a suo episcopo potest absolvi, nisi conditor canonum sibi absolutionem retinuerit, supra, de sent. excom., nuper. Sicut in his qui violentas manus mittunt in clericum, 17. q. 4, si quis suadente; et supra, de sent. excom., quamvis.

X 5.39.60 *Pueris*

Pueris
Intellige doli capacibus, supra, de delict. puer., pueris. Alias iniuriam facere non possunt, pati vero sic, 15. q. 1, illud.

Aetatis
Sic ergo parcitur aetati, licet non in totum sed quo ad minorem poenam, ut in delictis, ff. de minor., auxilium § in delictis. In delictis enim non parcitur nisi quo ad minorem poenam, ut ibi.

Rigor
Iuris rigor temperatur quandoque ratione aetatis, ut hic, et 86. dist., tanta; et de conse. dist. 3, eos qui; 35. q. 9, sententiam. Quandoque ratione locorum et temporum, supra, de sent. excom., super eo vero. Et quandoque ratione personae et causae, et loci et temporis, supra, de transact., ex parte; et 23. q. 8, occidit; et 29. dist., sciendum. Quandoque ratione multitudinis et scandali, 50. dist., ut constitueretur, cum suis concordantiis.

X 5.40 DE VERBORUM SIGNIFICATIONE

X 5.40.01 *Innovate*

Innovate
Verba sunt Oseae prophetae.

Novale
Verba sunt Hieronymi exponentis verba prophetae.

Praecisus
Dicitur in lege terra, scilicet praecisa quae anno cessat, ff. de ver. sig., sylva § 2. Dicitur novale terra de novo ad culturam redacta, cuius non extat memoria quod culta fuisset, infra, de verb. sign., quid per novale. Et quod semel fuit novale semper erit novale quo ad decimarum retentionem vel solutionem, supra, de privileg., consultationi.

X 5.40.02 *Nam et rex*

Nam et rex
Verba sunt Danielis.

Proavus
Verba sunt Hieronymi exponentis verba prophetae.

Patres
Omnes ascendentes parentis nomine continentur, ff. de ver. sig., appellatione. Et appellatione filii omnes descendentes, ff. de ver. sig., liberorum; et ff. de gradib., iurisconsultus § parentes. Usque ad tritavum patres dicuntur, ultra vero maiores appellantur. Liberi usque ad trinepotem ulterius inferiores vocantur, ut ibi dicitur. Unde Christus dici potest filius David. Ala.

X 5.40.03 *Nam et ego*

Nam et ego
Verba sunt Salomonis.

Unigenitum
Verba sunt Hieronymi exponentis verba Salomonis.

Fratrem uterinum
Fratres uterini dicuntur qui ex eodem utero nati sunt. Vivente enim Uria concepit Bersabee ex David, et peperit filium qui mortuus est. Postea concepit ex eodem Salomonem, unde ipse dicit: nam et ego unigenitus etc.

Quasi numquam esset
Et ita non videtur fuisse qui non duravit, arg. supra, de regular., ad nostram; dist. 63, quanto; ff. de in rem ver., si pro patre § in rem autem versum. Sic non dicitur esse qui minus idoneus est, supra, de translat., inter corporalia; et ff. quod cui. univ. nom., neque societas, ad fi.; et C. de episcopal. aud., de creationibus; et 19. dist., propter totius; et 23. q. 1, paratus.

X 5.40.04 *Quod dicitur*

Quod dicitur
Verba sunt Evangelii Matthaei quae Hieronymus hic exponit. Simile 27. q. 2, priusquam. Nec valet hic arg. a contrario sensu. Et est quidam modus loquendi, sicut ibi: sede a dextris meis donec ponam etc. Non tamen sequitur quod postea posuerit Rich. Et illud cornus non fuit reversus ad arcam donec aquae siccarentur; sic infra, de verb. sign., Ioseph. Immo ostenditur quod non convenerunt. Contrarium innuitur eius quod verba sonare videntur, ut hic dicitur in fi. etc.

X 5.40.05 *Ioseph*

Donec
Simile supra, de verb. sign., quod dicitur.

Mos
Idem dicit lex quod proximus est quem nemo antecedit. Ergo et primogenitus est ante quem nemo nascitur, quicquid sequatur, ff. de ver. sig., proximus; et ff. de ver. sig., moventium.

X 5.40.06 *Intelligentia*

Intelligentia
Sic ff. de regul. iur., in ambiguis; et 22. q. 5, humanae.

Dictorum
Id est, verborum quae prolata sunt.

Ex causis
Non statim debemus intelligere, ut verba prima facie sonare videntur, maxime ubi ambigua sunt. Sed debemus recurrere ad intentionem loquentis, ut hic dicit. Arg. bonum supra, de praeben., cum olim; et supra, de praeben., cum causam; et ff. de ver. sig., nepos Proculo; et ff. de regul. iur., semper in stipulationibus. Ad causam dicti recurrendum est, supra, de accusat., cum dilecti. Sicut ad causam facti, 23. q. 8, occidit; ff. de fur., verum.

Res
Id est, intellectus, ff. de supel. leg., Labeo; 31. q. 1, quomodo virginibus, ubi dicitur sex maritos habuisse quae domino testante quinque tantum habuit. Ibi enim Hieronymus respexit intentionem et non verba Samaritanae. Laur.

Rei est sermo subiectus
Id est, intentioni seu intellectui sermo servire debet, quia non in soliis sed in radice rationis et in sensu consistit Evangelium, 1. q. 1, Marcion; et supra, de verb. sign., nam et rex; et infra, de verb. sign., in his. Verba enim instituta sunt ut per ea quis in alterius notitiam cogitationes suas proferat, 22. q. 2, is autem. Quia sicut animus praefertur corpori, ita sententia verbis, 38. dist., sedulo; et 22. q. 5, humanae; et ff. de legib., scire leges. Item est arg. quod verba ad extraneum sensum sunt trahenda ubi res aliter salva esse non potest, arg. C. de ver. sig., cum quidam; et C. de legat., cum quaestio.

X 5.40.07 *Nihil obstat*

Diversitas
Quoniam nomina et verba transposita idem significant, ut dicit Aristoteles in Perihermeniis. Et est arg. ad hoc C. de testament., quoniam indignum, et hic ubi eadem dicuntur, prout sequitur in littera, et hoc certum sit. Et est arg. bonum pro testibus diverso modo narrantibus, arg. supra, de testib., cum tu; et 8. q. 1, in scripturis; de conse. dist. 2, quotidie; et de poen. dist. 1, periculose. Arg. contra 35. q. 6, de parentela 2. Sed illud intelligitur de contrarietate sententiae. Tanc.

X 5.40.08 *Propterea*

Propterea
Alias praeterea.

Ad interpretandum
Id est, ad exponendum.

Sensum
Supra, de verb. sign., intelligentia.

Proprietas
Non enim semper ad proprietatem verborum recurrendum est, sed videndum est quod testator senserit in qua praesumptione sunt qui morantur in eo loco, ff. de instruc. vel instrum., cum de lanionis § asinam. Quia potior est mens dicentis quam vox, ff. de supel. leg., Labeo. Nec plus verbum quam voluntas inspici debet, C. quae res pign. oblig. poss., si quis; 22. q. 5, humanae aures; 1. q. 1, Marcion. Item arg. quod verba a sua significatione cadunt, cum res aliter salva esse non potest de qua agitur, Inst. de inutil. stipul. § quotiens; et 2. q. 2, omnes; C. an serv. ex suo fact., sive servi; ff. si quis caut., si eum § qui iniuriarum; 55. dist., qui partem; et 50. dist., Domino sancto. A proprietate verborum non est recedendum nisi quando constat voluntatem loquentis aliter voluisse,

ff. de leg. 3, non aliter. Et improprietates non sunt trahendae ad consequentiam, sed sunt excusandae. Ala.

X 5.40.09 *Quamvis*

Rite
Id est, secundum originariam verbi significationem.

Prioratus curam
Sic ponitur 1. q. 3, salvator. Et est dignitas per se sic dicta.

X 5.40.10 *Forus*

Primus
7. dist., Moyses. Ber.

Constat
Ex tribus, ut hic dicit. Non tamquam ex suis partibus competentibus, sed ornantibus potius. Et improprie dicitur locus constare ex his, sicut dicuntur vestes partes hominis adornative. Unde illud: cultu gemmisque teguntur // omnia pars quoque minima est ipsa puella sui. Laur.

Causa a casu
Et ita est causa antequam respondeat pars altera. Est ergo causa res in dicendo posita cum interpositione certarum personarum, scilicet actoris et rei, iudicis et testis. Et ideo dicitur a casu, quia frequenter casualiter occurrunt praeter voluntatem hominis.

Dum discutitur iudicium
Et sic videtur processu temporis mutare nomen. Et exemplificat de iudicio de tertia parte fori.

Dum finitur iustitia
Hic exemplificat secundam partem fori. Et ita ex istis tribus partibus constat forus, ut dictum est. Et idem esse videntur ista tria in substantia, sed aliam denominationem assumunt diverso tempore.

Iudicium
Iudicium est legitimus actus duarum personarum, actoris et rei, super eadem quaestione sub eodem iudice contracta. Laur.

Iustitia
Iustitia est constans et perpetua voluntas ius suum unicuique tribuens, Inst. de iust. et iure, in princ.; et supra, in principio libri in constitutione Gregorii ix, rex pacificus.

Iuris status
Lex enim dicitur status iuris et vere, quia per sententiam ius non constituitur, sed status iuris declaratur, ff. si serv. vend., sicut § sed si quaeritur.

Negotium
Quia supra mentionem fecit de negotio ibi, origo negotii etc., ostendit quid sit negotium quasi negans otium.

Actionem causae
In hac significatione sumitur supra, ubi dicit: origo negotii.

Iurgium
Hic exponit quod dixit supra quod est iurgium litis.

Iure disceptant
Arg. quod iurgia non pertinent ad presbyteros, quia non tenentur esse iurisperiti, 38. dist., quae ipsis. Nec advocare possunt nisi in certis casibus, supra, de postuland., cum sacerdotis. Secus de archidiacono, 25. dist., perlectis. Rich.

Lis autem
Quia fecit mentionem litis supra, ubi dixit iurgium litis, exponit modo quid sit lis. Lis enim civilem causam ostendit tantum et non criminalem, ff. de ver. sig., litis.

De qua Vergilius
Arg. habes hic quod possumus inducere pro nobis libros gentilium sive paganorum, 27. dist., si quid veri; et 1. q. 1, Dominus declaravit, ibi: si ergo etc.

Argumento
Argumentum vocat naturalem probationem quae fit per localem argumentationem. Et ita arg. quod in iudicio valet naturalis probatio. Arg. contra 1. dist., consuetudo; et supra, de elect., bonae 1, ibi: negantis factum per rerum naturam etc., a contrario. Et non per testes vel instrumenta ut littera sequens dicit. Unde dic tabulis, id est, instrumentis.

Testibus et fide tabularum
Hic aequiparantur testes et instrumenta quia parem vim habent in litibus exercendis, C. de fid. instrum., in exercendis.

Negotio
Non notorio, quod exercetur in forma iudicii.

Tres testes
Arg. contra 4. q. 3, si testes § ubi numerus; et 2. q. 4, placuit; et supra, de testib., licet universis, ubi dicitur: in ore duorum vel trium testium etc. Potest dici quod hic dicit tres testes propter triplicem modum probandi, scilicet per testes, instrumenta et argumenta, de quibus praemisit. Vel potius dicas confessionem, quia quodlibet istorum trium legitimam

facit probationem, sive per testes, instrumenta et confessionem, supra, de restit. spol., cum ad sedem, in fi.

Non est ergo iudex
Sic 23. q. 2, iustum. Et supple hic: bonus, quia quandoque malus est iudex, 3. q. 7, iudicet § ulti. Quia et pro meritis subditorum disponitur a Deo vota rectorum, 2. q. 7, non est; 6. q. 1, ex merito; et 8. q. 1, audaciter. Ber.

Parte ablata
Est hic figura quae dicitur apheresis, cum principium dictionis aufertur secundum quod patet hic. Est et figura alia quae dicitur prosopopeia, id est, confirmatio novae personae, de conse. dist. 4, quaeris, vers. fi. Item antonomasia, cum per excellentiam aliquid alicui attribuitur quod commune est plurium, ut cum dico Apostolus intelligitur Paulus, 32. q. 7, Apostolus. Et cum dico urbs intelligitur Roma, supra, de poenit. et remiss., significavit. Synecdoche cum pars ponitur pro toto, 32. q. 4, meretrices; 14. q. 5, poenale. Antiptosis cum ponitur casus pro casu, 75. dist., ordinationes; 18. q. 2, quidam. Liptote cum plus dicitur et minus significatur, 32. q. 7, quid in omnibus. Pleonasmos cum superabundat dictio, ut iste videt oculo monachum regularem, 20. q. 3, praesens. Tmesis cum eadem dictio interdicitur, ff. de minor., quod si de speciali; ff. de rei vend., si post acceptum. Syncopa cum quid aufertur de medio dictionis, 7. q. 1, audacter, pro audaciter. Ironia cum quid per derisionem, id est, per contrarium dicitur: O quanta integritas, 11. q. 3, ad mensam, in fi. Ephexegesis, id est, expositio praecedentis sermonis, 47. dist., quoniam. Item anthropopathos cum aliquid attribuitur Deo quod convenit homini, 24. q. 1, odi et proieci; et supra, de rebus ecc. non alien., si quis. Ala.

Si liber
Quia servus testis esse non potest, 4. q. 3, si testes § ubi; 4. q. 3, si testes § item servi; 4. q. 3, si testes § sed liberi, ut ibi dicitur, vers. item liberi; et C. de testi., authen. si dicatur.

Dominantis
4. q. 3, si testes § item idonei; et 11. q. 3, quatuor.

Non femina
Hoc intellige in criminali, in quo casu mulier testis esse non potest secundum canones, 33. q. 5, mulierem. Sed in civilibus et matrimonialibus bene ferunt testimonium, supra, de testib., tam litteris; et supra, de testib., super eo 2, arg. contra; quod possunt in criminali, 15. q. 3, ex eo. Sed aliud secundum leges, tamen in crimine excepto admittitur mulier etiam malae famae ad accusationem, supra, de simon., tanta. Et in inquisitione admittitur ad testimonium sive denunciationem, supra, de testib., tam litteris; et supra, de testib., quoniam. Item in testamentis mulier non admittitur, Inst. de testam. ordin. § testes. Ber.

Varium
C. de inoffic. testam., filia; et arg. C. de insti. sub cond. fac., reprehendenda.

Integer
Quia debet esse testis bonae famae et sine omni suspicione, 2. q. 7, testes. Infamis repellitur, supra, de testibus cog., praeterea.

Fide carebit
Id est, credetur iuramento suo, arg. 2. q. 7, non potest. Ber.

Iustitia cum scelerato
Cum sit virtus, 32. q. 1, cum renunciare. Et est summum bonum in vita colere iustitiam, 12. q. 2, cum devotissimam.

X 5.40.11 *Pactum*

Scriptura
Et etiam sine scriptura pactum fit. Sed hoc ideo dicit, quia saepe intervenit scriptura et ad probationem pacti interponitur.

Legibus
Aliter non valeret nisi secundum leges fieret, ff. de pacti., iurisgentium § praetor ait; et C. de pacti., pacta. Ber.

Pactum
Dicitur pactum duorum vel plurium consensus in idem, ff. de pacti., condicionis § 1.

X 5.40.12 *Ius dictum*

Hoc enim iure
Haec verba habes 14. q. 4, quid dicam, in fi.

Quod iuste
Non tamen econverso secundum leges, quia iure possidet qui mala fide praescripsit, non tamen iuste, supra, de praescrip., vigilanti. Secus secundum canones, quia qui malam fidem habet non praescribit, supra, de praescrip., quoniam.

Alienum
Id est, aliis debitum.

Male autem
Ut avari, 47. dist., sicut hi; et 14. q. 4, quid dicam.

Praesumit
Id est, invadit. Ber.

X 5.40.13 *Causa*

Primitiae
Quid sint primitiae dicitur supra, de decim., decimam.

Solis ecclesiarum
Sed quid appellatur hic ecclesia? Dominus Albericus dixit quod bona ipsa sunt loci conclusi muro ad instar vacantis hereditatis, quae vicem personae obtinet, ff. de acq. rer. dom., hereditas. Alii dicunt quod sunt universitatis illius loci, arg. 12. q. 2, nulli. Hug. dixit quod res istae sunt Dei, et cum omnia eius sint ista tamen specialius, arg. 1. q. 3, salvator; 16. q. 1, in canonibus; 23. q. 8, convenior; 16. q. 7, omnes decimae; supra, de decim., tua 2, ubi dicitur quod Deus in signum universalis dominii decimas sibi retinuit, quarum rerum usus dominus clericis concessit. Rich.

Licitis
Et etiam de illicitis potest fieri eleemosyna, dummodo transferatur dominium et non competat repetitio, 14. q. 5, non sane; et 14. q. 5, qui habetis; et 14. q. 5 § sed hoc. Et de hoc plene tractatur supra, de decim., ex transmissa. Ber.

Potestatem
12. q. 2, nulli; et 12. q. 1, quicumque; 16. q. 7, decimas omnes. Ber.

Sacrilegas
Qui bona ecclesiarum rapiunt et invadunt sacrilegi iudicantur et ab ecclesia sunt puniendi, 12. q. 2, nulli liceat; supra, de for. compet., conquestus. Et non solum sacrilegis sed etiam Iudae furi comparantur, 23. q. 4, quid ergo. Ber.

X 5.40.14 *Quaesivit*

Etiam solus
Arg. contra in Apostolo ubi dicitur: infirmatur quis in vobis? Inducat presbyteros ecclesiae qui orent super eum, supra, de sacr. unct., cum venisset. Et sic videtur quod debeant esse plures, quia pluralis locutio duorum numero ad minus contenta est, 4. q. 3, si testes, vers. ubi numerus. Hoc intellige in necessitate quae legem non habet, de conse. dist. 1, sicut; et supra, de consuet., quanto.

Dominica
Quoniam in dominica propter reverentiam non est ieiunium celebrandum, 30. dist., si quis presbyter. Sed in sabbato praecedenti ieiunandum est, supra, de observ. ieiun., ex parte.

Die
Scilicet bissextili.

Qui duo quasi pro uno reputantur
Et ideo quia pro uno reputantur, non computantur in tempore restitutionis, licet de momento ad momentum fiat computatio, ff. de minor., denique § minorem; et ff. de ver. sig., cum bissextus. Et propter hoc facit ad titulum. Et arg. contra hoc ff. de statulib., cum heres § Stichus. Nota quod annus solaris habet trecenti sexaginta quinque dies et sex

horas. Sic quatuor anni habent ultra praefatum numerum dierum viginti quatuor horas, quae coadunatae faciunt unum diem qui superabundat omni quarto anno. Et dicitur bissextus quia bis sedetur et statur in una littera calendarii. Et hi duo dies pro uno computantur et interseritur quinto die exeunte Februario, hoc est sexto calendas Martii. Et sequenti die debent vigiliae beati Mathiae celebrari. Unde versus: bissextum sextae Martis tenuere calendae // posteriori die celebrantur festa Mathiae. Sed pone aliquem suspensum per annum et est tunc annus bissextilis, numquid in ultima die posset celebrare? Videtur quod non, quia hi duo dies quasi pro uno reputantur arg. hic, et ff. de ver. sig., cum bissextus; et ff. de minor., denique § minorem. Laur. dixit contra arg. legis dicentis quod si libertas tibi relicta est, si anno servieris dies illa non computatur in anno, sed tantum trecenti sexaginta quinque dies, ff. de statulib., cum heres § Stichus. Et satis videtur, quia cum sit poena non debet ampliari, sed potius restringi, de poen. dist. 1, poenae. Tanc.

Consuetudo
Supra, de observ. ieiun., consilium; 76. dist., utinam; 11. dist., catholica. Ber.

X 5.40.15 *In his*

Partem condemno
Huiusmodi verbis non fuit usus vel aequipollentibus, quia illud sufficeret, ff. de recepti., quid tamen § 1; supra, de appell., ad audientiam. Ala. Unde videbatur non valere sententia, quia non continebat absolutionem vel condemnationem, 2. q. 6, ei qui § diffinitiva; C. de sent. et interloc. om. iud., praeses. Item nota quod pars si praesens est, condemnanda est. Quis debeat condemnari, dominus an procurator? De hoc plene dictum est supra, de elect., querelam. Ber.

Rem perfectam
Sic ff. quod quisque iur., hoc edictum § ulti.; de poen. dist. 1, haec autem verba; ff. de usuri., videamus § infamia; C. de sent. pass. et rest., in quaestione; et 2. q. 3, si quem § notandum, in fi.

Quod praecipitur
14. q. 2, quod praecipitur. Ber.

Verba intentioni
Sic supra, de verb. sign., intelligentia; et supra, de verb. sign., propterea, ubi de hoc; et 1. q. 1, Marcion. Ber.

Interpretamur
Quae interpretatio generalis est et ius facit et ab omnibus observanda est, supra, de sent. excom., inter alia; et C. de legi. et const., inter aequitatem. Et interpretari debuit potius ut res valeret quam periret ex quo in dubium revocabatur, ff. de reb. dub., quotiens 2; ff. de ver. oblig., quotiens; et infra, de verb. sign., abbate. Ber.

X 5.40.16 *Olim tibi*

Canonico Paduano
Absenti. Alias non esset opus interpretatione nec haberent causam subtrahendi beneficium suum vel male interpretandi mandatum Papae. Forte erat in servitio episcopi et sic servire intelligebatur ecclesiae, unde debebat beneficium suum percipere integre praeter victualia, supra, de cleri. non residen., de caetero; et supra, de cleri. non residen., ad audientiam. Vel forte in servitio domini Papae in curia stabat, qui plus quam praesentes servire intelliguntur. Ideo voluit Papa quod omnia haberet sicut praesentes, supra, de cleri. non residen., cum dilectus. Vel non refert ubi esset, ergo sic servandum est licet durum, 19. dist., in memoriam. Ber.

Manualia
Forte quae dantur singulis diebus illis tantum qui intersunt divinis, sicut fit in pluribus locis. Ber.

Aliter quam deceat
Nota quod qui rescriptum principis malitiose vel astute interpretatur infamis est, C. de legi. et const., quae ex relationibus. Solus princeps ipsum debet interpretari, supra, de sent. excom., inter alia, ubi de hoc; et ff. de praet. stipul., in praetoriis. Tamen legatus quandoque ipsum interpretatur, supra, de postuland., clerici, vers. fi. Et consuetudo legem interpretatur, supra, de consuet., cum dilectus. Io.

Largissime
ff. de constit. princ., beneficium; et 2. q. 3, si quem § praevaricator, in fi.; et 16. q. 1, frater noster; et supra, de auctor. et usu pal., cum super. Simile supra, de dona., cum dilecti. Arg. contra C. de inoffic. testam., si quando; C. de precib. imper. offer., quotiens; ff. ne quid in loc. pub., praetor ait § merito; et 35. q. 3, quod scripsi; supra, de cons. et affin., quod dilectio; et supra, de praeben., cum olim. Sed numquid in rescriptis facienda est larga interpretatio, cum secundum intellectum illius qui concessit sint intelligenda? Arg. quod sic, ff. de ver. oblig., inter stipulantem. Dicas quod non, quia lites potius restringendae sunt quam ampliandae, supra, de rescript., nonnulli; et supra, de rescript., quia nonnulli, arg. Immo nec illud quod indulget beneficium est ita interpretandum, ut multum laedat alium, supra, de praeben., relatum; et 85. dist., archidiaconum Florentinum. Io.

X 5.40.17 *Cum in partibus*

Ianuis clausis
Simile supra, de sent. excom., permittimus; et supra, de privileg., quod nonnullis.

In privilegiis
Quibus permittitur, ut possint celebrare divina suppressa voce, ianuis clausis etc.

Nil expresse dicatur
Ergo nec aliquis debet interdictum ad regnum vel provinciam restringere, quia si Papa de hoc cogitasset, illud in privilegiis expressisset, supra, de decim., ad audientiam; et supra, de translat., inter corporalia. Ber.

Nomine terrae
Vide qualiter verbum simpliciter positum intelligitur generaliter de quacumque terra parva vel magna. Simile 19. dist., si Romanorum; et supra, de privileg., quia circa. Et sic generale dicitur interdictum ex quo tota terra subiicitur interdicto, sive sit civitas, provincia vel villa, quia generale dicitur quantum ad locum illum, cum nullus excipiatur. Ber.

In his locum habeat
Nota hic appellationem nominis ampliari per interpretationem. Simile 28. q. 1, idolatria. Et est arg. odium ampliari et favorem restringi, ff. de his qui not. infam., quod ait praetor § exercitum 2. Arg. contra ff. de lib. et post., cum quidam. Sed in veritate nulla est ampliatio, ut dixi in proxima notula.

X 5.40.18 *Cum tibi*

Ordinatio rerum
Non intelligas de rebus clericorum patrimonialibus vel quas intuitu personae acquisierint. In illis enim proximiores succedunt clericis intestatis. Si non habent consanguineos ecclesia succedit eis, 12. q. 5, quicumque, in quo casu potest intelligi quod hic dicitur de rebus ecclesiarum de quibus aliqua in vita sua in aegritudine poterant elargiri, supra, de testamen., ad haec; et supra, de testamen., relatum est 2. Et secundum quod ipsi poterant concessum fuit huic episcopo per hanc indulgentiam, alias iniqua fuisset haec indulgentia quae in totum tolleret ius alterius, C. de precib. imper. offer., quotiens. Arg. supra, de offi. ord., licet, cum suis concordantiis. Vel potest intelligi ubi clericus bona propria in pias causas erogari praecepit, non designando personam per quam hoc fieret. Vel si designavit personam, negligens erat. In his casibus pertinet hoc ad episcopum diocensanum, C. de episc. et cler., nulli; et in Auth. de eccl. titul. § si quis autem pro redemptione, coll. 9; et supra, de testamen., tua; et supra, de testamen., Ioannes. Prior expositio melior est, cum littera dicat: ab intestato decedentium, quia non dicitur decedere intestatus qui alii commisit dispositionem rerum suarum, supra, de testamen., cum tibi.

Appellatio vocabuli clericorum
Largissime sumitur hoc vocabulum, clericorum pro omnibus clericis subditis ipsi episcopo, ut comprehendat canonicos et omnes alios, quia ex quo simpliciter et indefinite concessa fuit ei ordinatio rerum clericorum decedentium ab intestato, de omnibus intelligendum fuit. Simile supra, de verb. sign., cum in partibus, ubi habes concordantias de hoc. Sic appellatione beneficiorum tam maiora quam minora beneficia intelliguntur, infra, de verb. sign., tua nobis. Strictius tamen sumitur infra, de verb. sign., cum clerici, pro clero tantum cathedralis ecclesiae. Indulgentia enim large est interpretanda, supra, de verb. sign., cum olim. Arg. contra supra, de translat., licet.

X 5.40.19 *Cum clerici*

Fidelis ero
De hac forma et quae in ea continentur habes supra, de iureiur., ego; et 22. q. 5, de forma. Et simile 23. dist., quamquam.

Ecclesiae Placentinae vocabulum
Stricte sumitur hic hoc nomen, ecclesiae Placentinae, tantum pro episcopo principaliter et canonicis ecclesiae cathedralis, et non pro clero diocesis, et merito. Quia aliud est dicere clerus civitatis, et aliud clerus diocesis, supra, de rescript., Rodulphus. Hoc nomen ecclesia varias habet significationes. Quandoque designat tantum episcopum, 7. q. 1, scire. Quandoque viros ecclesiasticos, 63. dist., in fi. Quandoque ponitur pro maiori parte capituli, 66. dist., Apostolica. Quandoque restringitur ad canonicos matricis ecclesiae, 63. dist. § ulti.; et 10. q. 1, antiquos; et 12. q. 1, videntes, et hic. Quandoque designat quamlibet ecclesiam provinciae, supra, de auctor. et usu pal., cum super. Sic appellatione clericorum omnes intelliguntur, supra, de verb. sign., cum tibi. Quandoque designat congregationem fidelium, de conse. dist. 1, ecclesia. Et sic sumitur 3. q. 4, Engeltrudam. Quod probat supra, de sent. excom., si quem. Ber.

Et si capitulum
Et merito, quia non est tanta communio inter episcopum et alias ecclesias quanta inter episcopum et ecclesiam cathedralem, supra, de testamen., requisisti, ultra medium. Cum qua ipse efficitur unum corpus et ipsi membra, supra, de his quae fi. a prael., novit.

Principaliter
Ergo secundario tenetur ecclesiae, quod videtur per hoc quod hic dicitur, quia si tenetur episcopo, tenetur ecclesiae, 7. q. 1, scire. Ergo videtur quod habeat plures dominos, quod non est verum quia non censentur diversi.

X 5.40.20 *Quaerenti*

Eam
Scilicet censuram, quod est nomen generale ad ea quae sequuntur, sicut et verbum correctionis, depositionem etiam continet, arg. 50. dist., contumaces; ff. de off. praes., legatus; et ff. de off. praes., ex omnibus; supra, de statu monach., ea quae § quod si abbas. Arg. contra, nam et verbum coercendi maiorem animadversionem continet, ff. de off. procon., meminisse, in fi. Arg. tamen contrarium videtur, quia si iudex ita pronunciat: vim fecisti, nec distinguit, de privata intelligitur, ff. de poe., si praeses. Et cum quid incertum mandatur, et si aliis praestationibus causa mandati exsoluta sit quam quae inhaeret mandato, dum tamen expediat, erit actio mandati, ff. mand. vel cont., si quis pro eo. Vincen. Sic cum dico: illum excommunico, utramque sententiam, scilicet minorem et maiorem intelligere debes, supra, de sent. excom., si quem.

Personarum
Hoc ideo dicit, quia in poenis imponendis dignitati deferendum est et personae, supra, de offi. deleg., sane quia; et supra, de offi. deleg., pastoralis. Arg. contra 50. dist., contumaces.

Magis
Quia et plectendo et ignoscendo hoc solum bene agitur, ut vita hominum corrigatur, 23. q. 5, prodest. Sic supra, ut lite non cont., quoniam, in fi. Et ut crescente contumacia crescat et poena, ff. de poe., relegati. Ber.

X 5.40.21 *Quid per novale*

Dixerint
Per legem illam, ff. de ver. sig., sylva § penulti.

Aliis asserentibus
Per legem illam ff. de term. mot., lege § antepenulti.

Legibus
Praedictis.

De novalibus
Supra, de decim., ex parte tua 1.

De novo
Sic supra, de verb. sign., innovate. Et etiam mancipia dicuntur novitia quae anno nondum servierunt, ff. de publican., interdum § quotiens. Et vinum dicitur novum quod non habet annum, ff. de trit. vin., vetus. Et Gregorius novas appellat nuptias quae infra coronam anni contrahuntur, 35. q. 9, omnibus. Sed videtur quod novale dici debeat terra intra annum culta. Sed hoc non est verum, immo terra ex quo de novo redacta est ad culturam de qua non extat memoria quod culta fuerit, semper erit novale quantum ad ius decimarum, ex quo semel fuit novale, supra, de privileg., consultationi. Et arg. supra, de decim., ex parte tua 1.

Indulgentiam
De qua tu habes supra, de decim., ex parte tua 1; et supra, de decim., ex parte canonicorum.

Magnos
Ergo a contrario sensu videtur quod si nullos vel modicos consuevit habere, nihil habebit ecclesia parochalis de illo novali, etiam post tempora quantacumque, quod est verum, supra, de privileg., consultationi. Arg. contra 35. q. 3, quod scripsi, sicut dicitur de fundo dotali, qui etiam soluto matrimonio adhuc dotalis dicitur, ff. de fund. dot., etiam dirupto. Tamen potest dici, ut dixit Io. et Tanc. quod si ecclesia parochialis etiam tractu temporis incipit laedi graviter, desinit esse novale, arg. supra, de dona., Apostolicae. Et arg. huius decretalis, licet hic videatur respicere principium novalis, si enim privilegium incipiat

esse iniquum, perditur privilegium, supra, de decim., suggestum. Arg. 63. dist., quia sancta § verum; et ff. de vulg. et pup., ex facto. Et ab eo quod diu aequum visum est, receditur propter evidentem utilitatem, ff. de constit. princ., in rebus. Ergo eadem ratione propter enorme damnum receditur ab eo quod diu obtentum est, alias semper erit novale, supra, de privileg., consultationi. Ber.

X 5.40.22 *Venerabili fratre*

Per matricem
Forte in privilegio illo continebatur, salvo iure matricis ecclesiae et nomine matricis ecclesiae intelligitur quaelibet ecclesia cathedralis, 63. dist., ex his; et 12. q. 1, videntes, et hic in fine tituli.

Intelligit
Non attendens quod qui nimis astute interpretatur principis beneficium, notatur infamia, C. de legi. et const., quae ex relationibus. Laur.

Si aliud
Puta privilegium exemptionis, quoniam nulla praescriptio in hic casu valeret, supra, de praescrip., cum non liceat. Tanc.

Volumus
Et nos idem velle debemus ex quo illud praecepit observari, 11. dist., quis nesciat. Et eius interpretatio ius facit quo ad omnes, C. de legi. et const., in fi. Laur.

X 5.40.23 *Ex parte*

Cum ipsius
Scilicet comitissae.

Praepositus
Laicus officialis.

Clausulam
Praemissam, scilicet nemini liceat excommunicatis vel nominatim interdictis pro canonicis Carnotensibus absque congrua satisfactione absolutionis beneficium indulgere, quam habes infra, de verb. sign., cum olim.

Pro contumacia
Non videtur quod haec distinctio locum habeat, utrum quis excommunicetur pro crimine an pro contumacia, quia nemo excommunicatur nisi pro mortali peccato et qui aliter non potest corrigi, 11. q. 3, nemo, in fi.; 45. dist., sed illud; et 24. q. 3, tam sacerdos; et 11. q. 3, certum. Immo bene habet locum haec distinctio. Quicumque enim vocatus legitime ad iudicium non venit pro quacumque re, contumax reputatur, unde propter talem contumaciam excommunicari potest, si res talis sit quod actor non possit in possessionem mitti, supra, ut lite non cont., tuae. Et tunc sufficit praestare cautionem standi iuri, quia

pro sola contumacia excommunicatus fuit, scilicet quia non venit, et non pro re aliqua, quia nondum constabat in quo teneretur actori. Si pro offensa tunc excommunicatur, puta commisit maleficium, et illud fuit notorium vel per sententiam vel per facti evidentiam vel per confessionem, infra, de verb. sign., cum olim; et supra, de cohab. cler. et mul., quaesitum. Et condemnatus de ipso maleficio cum non satisfaceret fuit excommunicatus. Hic talis non debet absolvi nisi primo satisfaciat, cum constet de maleficio suo, et tamen hic intervenit contumacia antequam excommunicaretur, quia non soluit in termino statuto. Sed hic directe excommunicatur quia non satisfecit, sed in alio casu non, nisi quia non venit. Idem esset si maleficium notorium esset si publice proponatur. Quicumque fecit tale maleficium satisfaciat laeso usque ad talem diem, alias sit excommunicatus. Post terminum non absolvetur si veniat ad iudicem et petat absolvi, nisi satisfaciat, 23. q. 8, pessimam. Et ita bona est distinctio. Praeterea superfluum videbatur privilegium illud, quia de iure communi illud competit cuilibet, quod nullus absolvatur priusquam satisfaciat, ut capitulum 23. q. 8, pessimam; et supra, de offi. deleg., ex litteris; 17. q. 4, de presbyterorum; et 11. q. 3, excellentissimus, in fi.; et supra, de sent. excom., parochianos. Potest dici quod solet plus timeri etc., 23. dist., quamquam; et supra, de haeret., si adversus. Multa enim conceduntur quae sunt de iure communi, 24. q. 2, sane, in fi.; et 33. q. 2, admonere, ibi: viaticum tibi concedimus. Et tamen omnibus poenitentibus in fine datur, supra, de poenit. et remiss., quod in te; et supra, de sent. excom., permittimus. Quid si aliquis ita pauper sit, quod non potest satisfacere? Praestat cautionem quod satisfaciet cum pervenerit ad pinguiorem fortunam, supra, de solution., Odoardus. Quid si cautionem praestare non potest? Tunc iuret, arg. C. de episc. et cler., authen. generaliter. Praestet quam potest, supra, de don. int. vir. et uxor., per vestras. Licet videretur quod talis casus non excuset, arg. supra, de rapt., super eo; et C. de furti. et serv. cor., subtracto. Nam quandoque aliquis non absolvitur propter delictum suum, sed differtur absolutio, 11. q. 3, qui iubente; 18. dist., si quis adesse; et 26. q. 7, sacerdos; supra, de offi. ord., significavit; et 11. q. 3, si quis episcopus damnatur. Nulli tamen est finaliter poenitentia deneganda, 26. q. 6, si presbyter; et 26. q. 6, agnovimus, quia ecclesia nulli claudit gremium suum, C. de summ. trinit. et fide cath., inter claras, prope fi. Ber.

Citatus

Trinis edictis vel uno peremptorio pro omnibus, 24. q. 3, de illicita; ff. de re iud., contumacia. Unde videtur quod non veniens ad primam citationem non sit contumax, arg. C. de iud., sancimus; et supra, de procurat., querelam, ubi de hoc; et 5. q. 3, si aegrotans. Ber.

Iussus

Et haec contumacia est, ff. de rei vend., qui restituere. Et non excommunicatur quis nisi pro contumacia, sed hoc intellige ut dixi in magna glossa.

Sufficiens

Sic supra, de sequestra., ad hoc. Sufficiens cautio est, si pignora vel fideiussores dentur, ff. mand. vel cont., si mandato Titii § ulti. De hoc dictum est supra, ut lite non cont., quoniam § in aliis.

Manifesta
Ex hoc verbo orta fuit contentio quae determinatur prout dicitur infra, de verb. sign., cum olim.

Si vero dubia
Quomodo ergo iussit maleficium emendare, si non fuit manifestum? Item si sententiando iussit, factum fuit notorium per sententiam, supra, de cohab. cler. et mul., quaesitum. Ergo non potest esse dubia offensa. Solutio: quandoque iubetur a iudice sententiando, 11. q. 3, qui iubente; ff. de re iud., quod iussit. Et hoc fieri non debet nisi cum res est manifesta, 11. q. 3, grave. Quandoque iubet iudex non sententiando, ut si statim cum comparuerint coram eo partes, reus confitetur, quia confessus pro iudicato habetur, ff. de confes., confessus; et C. de confes., confessos. Si tantum praecipit ut satisfaciat, non hoc faciat sententiando, quia non omnis vox iudicis auctoritatem rei iudicatae continet, C. de sent. et interloc. om. iud., ex stipulatione; et 3. q. 6, hoc quippe. Et adhuc potest reus allegare errorem suum, ff. de confes., non fatetur. Unde non est res manifesta. Et ita potest intelligi quod hic dicit Io. Vel sic ad querimoniam alicuius de aliqua offensa eam exprimendo iudici, ipse iudex praecepit reo ut satisfaceret illi usque ad certum terminum, aut compareret coram eo responsurus. Alias excommunicabat illum nisi alterum istorum faceret. Et ille non venit, et sic fuit excommunicatus. Si ipse petat absolvi, sufficit quod ipse praestet cautionem standi iuri, quia offensa nunc dubia est, etsi fama sit quod id fecerit vel quod iudex a pluribus hoc intellexerit.

X 5.40.24 *Cum olim*

Allegatum
Supra, de verb. sign., ex parte in Christo, quod continetur hic infra ibi: nemini etc., usque ibi: quia vero. Ber.

Dum ansam
Dicitur quandoque ansa auricula scyphi, vel urcei vel calicis, quae manu tenetur, ff. de rei vend., in rem § 2. Hic dicitur ansa nodus cursilus et facilis ad solvendum, ita factus quod si recte trahatur caput fili omnimode est solutus nodus. Si male trahitur ligatus remanet. Ita contingit Papae in solutione quaestionis praecedentis decretalis de offensa manifesta, quam modo hic solvit inferius aperte.

Dicimur
A perverse intelligentibus, ut a canonicis Carnotensibus.

Proponentibus
Et male.

Non quae iudici
Et hoc fatuum erat dicere quod sibi credendum esset in praeiudicium alterius. Immo iudex secundum motum animi sui et secundum sensum iudicare tenetur, supra, de consuet., ad nostram; et supra, de renunciat., in praesentia; et supra, de testib., in nostra; et 3. q. 7, iudicet. Et secundum quod sibi videtur, ff. de recepti., qualem. Dum tamen

secundum leges et canones, in Auth. de iudicib. § quia vero, coll. 6; in Auth. de defensor. civit. § iusiurandum, coll. 3. Sed videtur quod illud dicatur manifestum quod iudici videtur, sicut illud dicitur probabile quod ei videtur, supra, de appell., ut debitus. Respondeo: licet ad opinionem iudicis referatur, quid dicatur probabile, ut per hoc possit et debeat appellationi deferri, supra, de appell., cum speciali; et supra, de sent. excom., sacro, ad fi. Secus est in manifesto. Illud enim proprie dicitur manifestum quod non eget probatione, 11. q. 3, eorum. Sed hic sumitur manifestum pro notorio, prout in fine dicitur, et 2. q. 1, de manifesta.

Intelligere
Ergo nos quoque sic intelligere oportet, supra, de verb. sign., venerabili. Sic supra, de haeret., cum Christus, quia interpretatio principis ius facit, supra, de sent. excom., inter alia; C. de legi. et const., inter aequitatem; et C. de legi. et const., si imperialis. Ber.

Confessionem
Et per sententiam. Sic supra, de cohab. cler. et mul., quaesitum.

X 5.40.25 *Abbate*

Consuetudinem
Ex hoc videtur quod sit bene recipiendus talis libellus, peto ius eligendi ratione consuetudinis, etiam si causa alia sive titulus non allegetur. Sic supra, de caus. poss. et propr., cum ecclesia; et supra, de elect., Cumana; ff. comm. praed., venditor § si constet; et supra, de consuet., cum dilectus, quae similis est huic 18. q. 2, servitium; ff. de aqua pluv. arc., si cui § ulti.; et 9. q. 3, conquestus; 63. dist., quia. Sed contra quia ex solo cursu temporis non tollitur obligatio, ergo non inducitur, ff. de act. et oblig., obligationum § placet; et supra, de praescrip., si diligenti. Solutio: circa ius eligendi sufficit probare consuetudinem praescriptam. De hoc dictum est supra, de caus. poss. et propr., cum ecclesia. Dic ut ibi. Io.

De monasterio
Sed cum servitutem sibi debere dicat, quomodo petit ut aliquid sibi fiat, cum servitus potius sit ne aliquid fiat quam ut aliquid fiat, ff. de servit., quotiens 1 § 1. Solutio: iure communi necesse habet eligere, sed iure servitutis debitae petit ne aliunde eligat quam de suo etiam monasterio, ut in fi. patet. Et ita ne aliquid fiat, petitur, vel verius dicas quod bene petitur iure servitutis ut aliquid fiat, ff. si serv. vend., et si forte § 2.

Alciatensem monachum
Hoc modo bene probatur servitutis possessio, scilicet quia prohibitio facta est ne ille esset abbas, et admissa fuit quia per hoc quod prohibebant, credebant uti iure suo quod exigitur in servitutibus. Licet enim utaris, nisi credas te iure tuo uti, ut paratus sis prohibere impedientem, non acquires servitutem tempore, ff. de itin. act. priv., si per fundum. Quid enim si vicinus tuus propter paupertatem vel forte quia non curavit per centum annos habuit aedificium suum depressum non extollens illud, numquid propterea debet tibi servitutem altius non tollendi? Certe non, nisi crederes te ius habere quod praesumitur si aliquando prohibuisti interrumpere praescriptionem. Interpellare enim deberes

servitutem, si usucapere vis, ff. quemad. serv. amit., si quis alia § si cum ius haberes. Vincen.

Porro
Hic incipiunt verba privilegii Calixti Papae usque ibi: ad hoc.

Iuxta Paschalis
Hic allegatur privilegium, et praeterea praescriptio, ut supra patet. Sed praescriptio et privilegium contraria sunt, quia qui allegat privilegium iuri praescriptionis renunciare videtur, supra, de praescrip., veniens. Quia quod meum est ex alia causa meum fieri non potest, supra, de fide instrum., inter dilectos. Dic ut dixi supra, de praescrip., auditis, in glossa quae incipit: sic ergo abbas etc., ibi similiter allegabatur praescriptio et privilegium. Vel melius hic allegabatur consuetudo non praescriptio. Et consuetudo debet esse praescripta, supra, de consuet., cum dilectus. Et ita consuetudo probat usum privilegiorum.

Spatium
Scilicet quadraginta annorum.

Contradicto iudicio
Ad hoc enim ut consuetudo valeat, oportet ut sit obtenta contradicto iudicio, id est, si ex adverso negetur consuetudo, ff. de legib., cum de consuetudine. Et alia de quibus habetur supra, de consuet., cum tanto. Contradictum iudicium dicitur, puta cum ego dicerem hanc esse consuetudinem, adversarius dicebat non esse consuetudinem, et iudicatum fuit quod erat consuetudo. Sicut enim in servitute vel libertate praescribenda requiritur protestatio, ff. quemad. serv. amit. si quis alia § 2. Sic videtur quod requiratur in consuetudine praescribenda. Io.

Fiat fides
Ex hoc videtur quod si privilegio aliquo fiat mentio consuetudinis vel privilegii, quod necesse sit illud privilegium exhiberi, 100. dist., contra morem; 76. dist., ieiunium; 9. dist., ut veterum; 12. q. 2, sancimus; in Auth. ut spons. larg. § et hoc insuper, coll. 9. Arg. contra quia non videtur quod hoc requiratur in publico instrumento, 19. dist., si Romanorum; et in Auth. ut frat. fil. succed. § 1, coll. 9; et C. de donation., si ea quae; ff. de donation., ex hac scriptura; ff. de admin. tut., chirographis. Ad hoc distinguunt quidam inter publica instrumenta et privata, ut in publico instrumento non sit necesse probare vel exhibere illud de quo fit mentio, licet in privato sic. Sed alii dicunt quod si in privilegio inseritur totus tenor alterius, non est necesse illud exhibere. Sed certe illud non sufficit, quia adhuc posset esse falsitas in bulla et in aliis, supra, de privileg., cum olim propter, in fi. Alii probabilius dicunt quod si auctoritate iudicis privilegium vel aliquod rescriptum est renovatum vel in alio privilegio insertum, non est necesse illud exhibere. Secus si per tabellionem tantum, quia publicatio facta coram iudice fidem facit, licet postea perdantur instrumenta, ut C. de testament., publicati. Item quia iudex diligentius singula facit quam tabellio, quia non est credendum quod iudex sine causae cognitione aliquid faciat, sicut versimile non est quod auferat alicuius legitimas exceptiones, supra, de offi. deleg., ex parte N. Sed praedictis omnibus obviat supra, de re iudic., cum inter

vos, in fi.; et supra, de fide instrum., inter dilectos. Sed dicas quod si constat quod instrumentum publicum sit, coram iudice non est necesse illud exhibere nisi adversarius velit docere de falsitate illius, quia tunc debet exhiberi, licet primo imposita sit eis fides nisi iuraverit se illud perdidisse, C. de fid. instrum., cum quidam. Io.

Causalis et conditionalis
Ut haec dictio, secundum, accipiatur pro quia vel pro si. Ber.

Ad personale
Scilicet hoc verbum, concedimus.

Impersonale
Scilicet hoc verbum, consistere.

Sensus
Scilicet quod referatur ad personale verbum.

Lex privata
dist. 3, privilegia.

Captiosa
dist. 4, erit autem. Unde statutum fuit ut per consequentiam litterarum scriberetur lex, C. de vet. iure enucl., Deo auctore, in fi.; ff. ad municip., municipem, in fi. Ber.

Valere possit potius
Simile ff. de usufruct. et habit., divus, in princ.; ff. de reb. dub., quotiens; ff. de servit., si cui; et ff. de servit., si iter; supra, de privileg., in his; 16. q. 4, possessiones; et 12. q. 2, si quos; et 12. q. 5, quia Ioannes; supra, de conver. coniug., quidam; arg. supra, de fide instrum., inter dilectos. Arg. contra supra, de offi. deleg., cum super; et ff. de iure cod., saepissime; et ff. de hered. instit., quotiens. Ber.

E vicino
Id est, proximo. Ber.

Alciatenses monachi
Vide qualiter Papa pronunciat et secundum privilegium et secundum ius commune. Secundum ius commune adiudicat electionem ipsi capitulo sancti Silvani Alciatensis. Secundum privilegium, ut eligant de monasterio sancti Bertini. Et sic habent electionem, sed non liberam quia non eligunt undecumque volunt, sed reducitur privilegium ad ius commune, supra, de consuet., cum dilectus. Io.

Personam idoneam
Et hoc non esset dictum, tamen subintelligabatur, supra, de elect., causam quae; ff. de servit., si cui. Et pater concedens uxori ut filiam communem cuicumque voluerit copulet, non tamen intelligit ut eam copulet tutori, ff. de ritu nupt., quamquam. Ber.

Donec ibidem
Arg. quod si privilegium detur alicui monasterio, destructo monasterio destruetur et privilegium, arg. 16. q. 7, et haec scripsimus; 25. q. 2 § ulti., in fi. Item arg. quod cessante causa cessat privilegium, supra, de decim., suggestum; et 16. q. 1, generaliter; C. de testam. milit., licet; et Inst. de auct. tut. § ulti.; et Inst. de pupil. sub. § qua ratione; 63. dist., quia sancta § verum; et 61. dist., statuimus § his omnibus; supra, de vit. et honest. cler., ex litteris; et supra, de nov. oper. nunc., cum ex iniuncto. Sed pone quod nullus reperiatur idoneus in monasterio sancti Bertini dum vacat monasterium Alciatensis, vel quod ibi non observetur observantia regularis. Si eligant de alio monasterio, numquid fit eis praeiudicium quo minus teneantur eligere in alia electione de monasterio sancti Bertini si persona est idonea, vel observantia est reformata? Quod praeiudicetur eis est arg. supra, de consti., cum accessissent; et supra, de rescript., constitutus, quia unico actu perditur privilegium, ut ibi dicitur. Et haec littera etiam multum facere videtur ad hoc. Sed non credo quod fiat propter hoc praeiudicium, cum postea aliquis erit idoneus, arg. supra, de elect., quia diligentia; et ff. de servitu. rust. praed., et Attilicinus. Et haec littera non contradicit, quia non privantur nisi cum persona non inveniretur idonea, vel ordo regularis non viget, sed cessante causa illa, privilegium locum habet, arg. C. de curat. fur., si furioso; et supra, de sent. excom., duobus, secundum unum intellectum, et melius supra, de offi. deleg., prudentiam § 6. Sed pone quod ille electus vixit quadraginta annis, numquid praescriptum est contra privilegium? Videtur quod sic, supra, de privileg., accedentibus; supra, de caus. poss. et propr., cum ecclesia, a contrario. Nec adhuc credo quod perdant privilegium, quia non potest uti illo tempore privilegio. Unde non obest legi praedictae ff. de servitu. rust. praed., et Attilicinus. Quia privilegium non perditur nisi per abusum. Vel si vis dicere quod currit praescriptio, restituuntur ex clausula generali, ff. ex quib. cau. maio., huius edicti, quod innuitur in lege ff. de servitu. rust. praed., et Attilicinus. Secus videtur si ibi non viguit observantia regularis, quia culpa illorum contigit et culpa imputetur. Contra videtur quod delictum ipsorum non debet tollere privilegium monasterii, 10. q. 1, episcopum. Ber.

X 5.40.26 *Super quibusdam*

Publice praedicant
Et isti evidentia rei notorii haeretici sunt, cum eorum factum non possit aliqua tergiversatione celari. Istis enim modis qui hic enumerantur, manifestum quod probari debet, redditur notorium, supra, de verb. sign., cum olim; et supra, de cohab. cler. et mul., quaesitum.

Defendunt
Et isti defensores haereticorum sunt excommunicati, supra, de haeret., excommunicamus itaque § credentes. Et tales damnabiliores sunt quam ipsi haeretici, 24. q. 3, qui aliorum. Et est ad hoc arg. C. de his qui latron. occult., eos; et C. de his qui latron. occult., si qui.

Condemnati
Supra, de haeret., ad abolendam.

Confiscantur
Supra, de haeret., excommunicamus itaque, 1. resp.

Puniuntur
Per iudices saeculares etiam si clerici fuerint, prius a suis ordinibus degradati praesente iudice saeculari, qui ipsos recipit in suum forum, supra, de haeret., ad abolendam § 1; et supra, de haeret., excommunicamus itaque § 1. resp., de quorum notatur poena supra, de haeret., excommunicamus et anathematizamus.

Pedagia
Pedagia dicuntur quae dantur a transeuntibus in locis constitutis a principe, ut hic sequitur. Guidagia dicuntur quae dantur pro ducatu per terram alicuius ut securus vadat. Salinaria dicuntur quae dantur pro sale. Omnia ista dicuntur portitoria, C. de vect. et com., omnibus. Nec danda sunt illa nisi cum negotiationis causa aliquid portatur, secus si ad propriam utilitatem vel ad utilitatem fisci aliquid feratur, C. de vect. et com., universi. Io.

Imperatorum
Solus igitur princeps hoc potest constituere, sed non civitas, C. vect. nov. inst., vectigalia; et C. vect. nov. inst., non solent.

Lateranensis concilii
Supra, de censib., innovamus, quae est Lateranensis concilii.

Non extat memoria
Nota diligenter quod illa consuetudo cuius non extat memoria, ius sive privilegium inducit, ff. de aqua quot. et aest., hoc iure § ductus; ff. de aqua pluv. arc., si cui § ulti.; 3. q. 6, hoc quippe; 9. q. 3, conquestus; et 65. dist., mos antiquus; et C. de testament., testamenta. Et per hoc videtur quod cum talis consuetudo ius inducat, non sit necesse titulum allegare, licet hoc requiratur quandoque in consuetudine triginta annorum. De hac materia dictum est supra, de consuet., cum tanto. Item arg. quod per mandatum generale non prohibentur nisi illicita, 33. q. 2, quod Deus; 11. q. 3, quod praedecessor; ff. de iure pat., adigere, in fi. Io.

Delegati arbitrium
Propter hoc verbum facit ad titulum quod hic declaratur.

Intelligendum
Vide qualiter interpretatur generale mandatum restringendo illud. Sic supra, de iureiur., ad nostram 3.

Personarum vel rerum
Quia comes convenitur hic, licet habeat superiorem in temporalibus, scilicet regem Franciae, tenetur respondere in iudicio ecclesiastico ex mandato legati in omni causa quae pertinet ad forum ecclesiae, sive ratione personarum quae sunt de iurisdictione ecclesiae sive ratione rerum, scilicet spiritualium ecclesiasticarum et etiam civilium quae

sunt in iurisdictione iudicis ecclesiastici. Item viduis et pupillis et orphanis et miserabilibus personis et pro pace servanda.

Personarum
De iurisdictione ecclesiae, quia actor forum rei sequitur, supra, de for. compet., cum sit; et 11. q. 1, experientiae; et 11. q. 1, si quisquam. Et comes est hic reus, et subest in hoc ecclesiae.

Rerum
Cum res de qua quaeritur est in sua, id est, in ecclesiae iurisdictione, quia ratione rei sortitur quis forum, supra, de for. compet., sane; et supra, de for. compet., licet ratione.

Pro pace
Quia hoc pertinet ad ecclesiam, supra, de iudic., novit.

Viduis
Ex hoc videtur quod causa viduarum ad ecclesiam spectet. Arg. contra supra, de don. int. vir. et uxor., nuper; et supra, de for. compet., ex tenore, et hic. Dic ut ibi.

X 5.40.27 *Novimus*

Antiquis canonibus
11. q. 1, si quis sacerdotum; et 3. q. 4, clericus.

Decreto
Supra, de crim. falsi, ad falsariorum. Ber.

Tradatur
Hoc intellige de illo qui penitus est incorrigibilis, nec obstat supra, de iudic., at si clerici, in fi. Et de illis qui deprehenduntur in maiori crimine, puta haeresi et crimine falsi, supra, de haeret., excommunicamus itaque, 1. resp.; et supra, de haeret., excommunicamus et anathematizamus; et supra, de crim. falsi, ad falsariorum; et in casu 11. q. 1, si quis sacerdotum. Quidam tamen casum istum ultimum intelligunt si fuerit incorrigibilis, et benignus est talis intellectus, ut supra, de iudic., cum non ab homine. Alias non debet quis statim post depositionem tradi curiae saeculari puniendus.

A pluribus
Licet sit a pluribus approbata, tamen stabimus ei quod Papa hic dicit, ut expresse tradatur et non per consequentiam.

Hoc
Scilicet vitium falsitatis. Ber.

Aliud flagitium
Puta haeresim.

Intercedere
17. q. 4, rerum; C. de his qui ad eccl. confug., praesenti. Arg. intercedere dico precibus, non per excommunicationem. Ber.

Includas
Magis rigide cum eo agitur, supra, de crim. falsi, ad falsariorum. Sed hic sic Papae placuit.

Doloris
23. q. 4, Guilisarius.

Non committat
Haec est vera poenitentia, de poen. dist. 3, in princ. Et expone non committat, id est, propositum et voluntatem habeat similia de caetero non committere. Quilibet enim qui accipit poenitentiam, illius propositi et voluntatis esse debet; alias non esset poenitentia.

X 5.40.28 *Dilecto filio Iacobo*

Necessaria
Puta, causa reipublicae, forte in servitio Romanae ecclesiae, supra, de dilat., exposuit. Unde sibi imputari non potuit nec debuit. Idem etiam contingit si quis est absens ex causa probabili, quia non sit restitutio spoliato, supra, de offi. deleg., consultationibus. Si vero fuisset absens contumaciter vel ex voluntaria causa, tunc facta dunciatione ad ecclesiam suam mitteretur iste procurator Venetorum in possessionem causa rei servandae, sicut archiepiscopus primo fuit missus propter contumaciam procuratoris quousque veniat archiepiscopus, et uterque iurabit de suis expensis, et fiet hinc inde compensatio expensarum, et satisfactio ei qui plus expendit. Quando quis restituatur ex causa probabili et necessaria vel probabili tantum vel necessaria tantum, notatur 2. q. 6, biduum § si adversus absentem. Sed hic non habet locum, quia non agitur de restitutione tali.

Indulsimus
Sed nonne de iure communi poterat ipse procurator interrumpere annalem praescriptionem offerendo cautionem in praesentia Papae, licet archiepiscopus esset absens? Certe sic, supra, de offi. ord., pastoralis; supra, de eo qui mitt. in poss. caus., cum sicut; et 16. q. 3, placuit ut § potest, vers. is cuius, quid ergo indulsit sibi Papa? Parum vel nihil, nisi quia solet plus timeri etc., 23. dist., quamquam; et supra, de haeret., si adversus. Quandoque enim ius commune conceditur, supra, de iureiur., et si Christus, in fi. Sed archiepiscopus timebat, ne absorberet ius ipsius ut quandoque vellet, recuperare posset possessionem.

Concilii generalis
Supra, de dolo et contu., contingit.

Declaramus
Talis declaratio ius facit, C. de legi. et const., si imperialis.

Intentionis
Nota quod recurrendum est ad intentionem concedentis privilegium sive beneficium, supra, de praeben., cum olim; et supra, de praeben., cum causam. Item habes hic quod Papa non intendit iuri alterius per suam indulgentiam derogare, supra, de auctor. et usu pal., ex tuarum; et supra, de offi. ord., licet; 9. q. 3, conquestus; et 11. q. 1, pervenit; 85. dist., archidiaconum Florentinum; et supra, de consuet., cum olim. Et hoc ideo quia nemini consulendum est cum alterius iniuria, 22. q. 2, primum; ff. de condi. indeb., nam hoc natura; et 14. q. 5, denique; et C. de emancip. lib., nec avus. Et rescriptum quod in totum absorbet ius alterius non tenet, C. de precib. imper. offer., quotiens. Unde ista indulgentia intelligenda est ne alterum laedat, et reducitur ad ius commune, arg. supra, de verb. sign., abbate; et supra, de consuet., cum dilectus.

Ex futura
Et ita tempus absentiae ex necessaria causa subducitur de medio, et continuatur tempus praesentiae ante absentiam, et post reversionem continuatur tempus praesentiae sive etiam sit primum, medium ultimumve, C. de rest. milit., quod tempore militiae; ff. ex quib. cau. maio., necnon § si quis saepius; et ff. ex quib. cau. maio., sed et si per praetorem § si feriae; et ff. ex quib. cau. maio., sed et si per praetorem § quotiens. Verbi gratia, archiepiscopus fuit praesens post missionem in possessionem per sex menses in quibus procurator Venetorum adhuc poterit recuperare possessionem, et tempus illud medium subducitur de anno. Et si postea per illos sex menses negligens fuerit Venetorum procurator sibi imputabit, quia ulterius non audietur super possessione, si medio tempore non poterat. Sic tempus vacantis ecclesiae subducitur de praescriptione, et continuantur tempora extrema et tempus schismatis, supra, de praescrip., de quarta; et supra, de praescrip., auditis; et supra, de praescrip., cum vobis.

Negligens
Sic ergo negligentia procuratoris nocet domino. Quando imputetur factum procuratoris et quando non, dicitur supra, ut lite non cont., ad hoc. Sibi ergo imputet quia non egit cum tempus habuit. Simile C. de probation., ex persona; C. de divid. tutel., licet adversus; ff. quae in fraud. cred., cum pupillus; et C. de his qui a non dom. man., si non a dominis, in fi.; et supra, ut lite non cont., quoniam, 1. resp.; et supra, de rescript., si autem; et supra, de rescript., plerumque. Et cum potuit, noluit, supra, de offi. deleg., cum super. Ber.

Impedimento cessante
Cessante causa cessat effectus. De hoc plene dicitur supra, de renunciat., post translationem; supra, de iureiur., et si Christus, ad fi.

X 5.40.29 *Cum inter vos*

Per quadraginta annos
Unde legitime praescripserunt illam tertiam oblationem, quia quadragenalis praescriptio omnem tollit actionem, 16. q. 3, placuit ut § quas actiones, sub illo § potest; et supra, de praescrip., de quarta; et supra, de praescrip., ad aures.

Amplius
Haec adiectio ad modicam quantitatem refertur, ff. de ver. sig., haec adiectio. Et licet ad modicam referatur, tamen si ponatur in libello debet exprimi illud: amplius, supra, de dilat., litterae.

Necessarias
Sed nonne iuste movebatur iste sacerdos, si volebat retinere expensas necessarias pro fabrica capellae, quia quarta decimarum ad ecclesiae fabricam deputatur, ut 10. q. 3, unio. Et nullus casus intervenire potest qui hoc genus expensarum impediat, ff. fam. ercis., fundus qui dotis; ff. de pet. hered., si a domino vel a patre § ulti. Quare ergo contrarium iudicavit Papa? Dicunt quidam quod illa fuit ratio, quia in decimis non deducuntur expensae, supra, de decim., cum homines; et supra, de decim., tua 2; et supra, de decim., pastoralis. Illa est ratio potior, quia tertia ista integraliter praescripta est, unde integraliter debet solvi et onus fabricae incumbit capellano de aliis partibus. Simile supra, de praescrip., de quarta. Ber.

Oblationum nomine
Ob hoc ponitur in titulo quod verbum recipit interpretationem, ut infra sequitur.

Institutum
Pro recipiendis omnibus supradictis.

Titulo
Id est, quocumque modo offeratur ecclesiae a fidelibus de propriis et licitis rebus, supra, de verb. sign., causa.

Sine diminutione
Quia cum hoc sit ecclesiasticum beneficium sine diminutione conferri debet, supra, ut eccl. ben., ut nostrum; et 1. q. 3, si quis praebendas. Et quia sententiatum fuit de tertia, nulla facta deductione, unde integraliter debet solvi.

X 5.40.30 *Ex parte vestra*

Recidivae quaestionis
Quod fieri non debet, quia semel in abolitione remissa punitio reiterari non debet, 33. q. 4, si illic; et de poen. dist. 4, divina.

Lapillus
Duobus modis fit denunciatio operis, uno modo solo verbo, cum dico: denuncio tibi novum opus. Per talem denunciationem aedificans fit possessor, ff. de novi operis nunc., hoc edicto § in operis. Vel per iactum lapilli, ut hic, et in hic casu denunicans possessor constituitur et retinet possessionem, ff. de novi operis nunc., de pupillo § meminisse. De hac materia dicitur supra, de nov. oper. nunc., intelleximus; et supra, de nov. oper. nunc., cum ex iniuncto. Et intellige quod denunciatio novi operis fuit remissa vel etiam tempus infra quod canonici debebant agere lapsum fuit, et sic monachi aedificaverunt. Tandem canonici coeperunt agere contra monasterium. Lite contestata inter partes destructum fuit

forte a canonicis latenter quicquid aedificatum fuerat post iactum lapilli. Vel alio modo monachi reaedificare volebant, canonici dicebant quod non debebant. Et ideo dicit Papa in sententia quod monachi reaedificent in eum statum etc. Alias non haberent locum sequentia, quia totum debet demoliri quicquid factum est post iactum lapilli, supra, de nov. oper. nunc., intelleximus; et supra, de nov. oper. nunc., cum ex iniuncto. Ber.

Litis contestatio

Arg. quod tunc demum coeptum dicitur iudicium, cum lis est contestata, supra, de offi. deleg., relatum; et in Auth. de litigios. § omnem, vers. si vero apud iudicem, coll. 8. Nec ante litis contestationem iudicis officium imploratur, supra, de appell., significante. Et etiam contestatio ipsa dicitur litis exordium, supra, de offi. deleg., super quaestionum § 1. Et post litis contestationem iudex recusari non potest, supra, de re iudic., inter monasterium; et 3. q. 3, induciae § offeratur. Sed quo ad perpetuandam iurisdictionem sufficit sola citatio, supra, de offi. deleg., gratum; et supra, de offi. deleg., licet; et supra, de offi. legat., nemini. Et sic posset intelligi ff. de iuris., et quia. Sed legistae intelligunt illud verbum generale per litem contestatam. Arg. contra supra, de restit. spol., Pisanis. Sed aliud est dicere tempore motae discordiae, ut ibi, et aliud tempore motae litis, ut hic dicitur.

X 5.40.31 *Ex parte vestra*

Legatus

Ex hoc patet quod legatus potest facere constitutionem in sua provincia. Sic supra, de loc. et cond., ex rescripto; et supra, de cons. et affin., quod dilectio; et supra, de offi. legat., nemini. Et etiam durat eo recedente, ut ibi dicitur. Generalem constitutionem facere non potest, quia non habet potestatem in homines non suae provinciae, ff. de off. procon., proconsul ubique; ff. de iuris., extra territorium; et supra, de offi. legat., novit. Voluntariam tamen quandoque exercet in homines non suae provinciae, ff. de adopt., emancipari; ff. de off. procon., omnes proconsules. Unde absolvit excommunicatos in quacumque provincia, supra, de offi. legat., quod translationem; et supra, de sent. excom., ad eminentiam; et supra, de sent. excom., ea noscitur; et supra, de sent. excom., quod de his; et supra, de sent. excom., quamvis. Constitutio videtur talis fuisse quod his quae legantur ecclesiis in testamentis defunctorum, tertia pars cathedrali ecclesiae solveretur. Sed hoc erat iure communi statutum, ut tertia vel quarta detur secundum diversas consuetudines locorum, supra, de testamen., requisisti; et supra, de sepult., certificari.

Interpretatione

Sic ergo legatus interpretatur suam constitutionem. Ille enim potest interpretari qui ius constituit, C. de legi. et const., si imperialis; et supra, de sent. excom., inter alia. Immo et legatus interpretatur rescriptum Papae, supra, de postuland., clerici. Sic et in praetoriis stipulationibus, si sermo ambiguus est praetoris interpretatio et mens requirenda est, ff. de praet. stipul., in praetoriis. Sic etiam et testis potest declarare sive corrigere dictum suum, cum dubitatur de dicto eius, supra, de testibus cog., praeterea. Et arg. ff. quemad. test. ap., sed et si quis, in fi. Semper recurrendum est ad intentionem constituentis, ut hic patet. Sic supra, de verb. sign., dilecto; et supra, de praeben., cum olim, cum suis

concordantiis; et supra, de restit. spol., audita; et supra, de arbitr., exposita; et 35. q. 3, quod scripsi.

In ornamentis
Hoc idem quod hic dicitur habes supra, de testib., non debet, ubi de hoc.

Personis
Hoc intellige secundum distinctionem quam fecit decretalis supra, de testamen., requisisti.

Fraudulenter
Quia tunc fraus non noceret ecclesiae cathedrali. Simile supra, de testamen., officii; et supra, de testamen., requisisti § si vero illud, in fi. Ber.

X 5.40.32 *Tua nobis*

Sinistra interpretatione
Tales enim infamia notantur, C. de legi. et const., quae ex relationibus. Nam ius civile calumniari non oportet, ff. ad exhib., ad exhibendum. Ber.

Restringere
Immo potius beneficium principis latissime interpretandum est, supra, de verb. sign., cum olim; et supra, de dona., cum dilecti, in fi.; ff. de constit. princ., beneficium; et supra, de privileg., in his.

Beneficiorum
Sic nomine clericorum omnes clerici maiores et minores intelliguntur, supra, de verb. sign., cum tibi. Et ita verbum indefinite positum generaliter accipiendum est. Simile supra, de privileg., quia circa; 19. dist., si Romanorum; ff. de servitu. urb. praed., si servitus; et ff. de tutel., qui habet, in fi.; et supra, de offi. deleg., super quaestionum § si vero duo. Arg. contra 1. q. 1, sunt nonnulli. Unde ibi dicitur, beatus qui excutit manus ab omni munere. Non dixit: a munere etc. Si enim tantum de minoribus beneficiis intellexisset, de illis expresse dixisset, supra, de decim., ad audientiam; et supra, de translat., inter corporalia; et C. de caduc. toll., et nomen § sin vero nemo.

X 5.40.33 *Transmissae*

Iuxta facultates
Hoc enim generale est et ordinarium, ut secundum facultates ecclesiarum in eis clerici instituantur et non plures, ut supra, de instit., non amplius; et supra, de instit., auctoritate; et supra, de vit. et honest. cler., quoniam, ubi de hoc; et supra, de concess. praeben., ex parte, in fi. Et alimenta secundum facultates danda sunt, ff. de transaction., cum hi § in persona; et procuratio, supra, de censib., sopitae; et supra, de censib., cum canonicis.

Moderantes
Hoc verbum induxit dubitationem quaestionis. Ex hoc patet quod ultra facultates institui non debent. Immo si instituti sunt, reducendus est numerus ad debitum modum, in Auth. ut determ. sit num. cleric. § sancimus, coll. 1.

Excrevisse
Hoc etiam movit quaestionem, quia ubi excreverint facultates numerus augeri debet. Unde in quolibet privilegio ponitur haec clausula vel subintelligitur, nisi in tantum excreverint ecclesiae facultates, quod possint pluribus sufficere competenter, supra, de consti., cum M. Et ubi messis multa est et operarii pauci, alii mittendi sunt, 31. dist., in novo. Unde dubitabant isti moderatores, utrum sicut poterant diminuere numerum canonicorum, si facultates ecclesiae fuissent diminutae, ita possent augere numerum cum facultates invenissent augmentatas a tempore numeri statuti. Ex hac decretali colligitur quod episcopus cum capitulo statutum numerum canonicorum et praebendarum et dignitatum non possunt diminuere sine auctoritate Papae, etiam ex iusta causa quam isti allegabant, licet esset falsa, prout postea est compertum. Ad hoc facit, supra, de consti., ex parte; et supra, de consti., cum accessissent, ubi de hoc notatur. Dic ut ibi.

Moderationis verbum
Ex hoc facit ad titulum. Moderari enim est diminuere id quod inducit gravamen, et reducere ad aequitatem. Sic iudex ex causa etiam moderari potest tempus appellationis, id est, abbreviare, supra, de appell., cum sit Romana; et supra, de appell., oblatae. Sic et iniquum mandatum moderandum est, supra, de iureiur., Quintavallis. Sic in societate, ff. pro soc., si societatem; ff. de oper. lib., si libertus. Item patet hic quod forma mandati diligenter est servanda, supra, de rescript., cum dilecta, cum suis concordantiis. Item est argumentum quod non est recendendum a significatione vocabuli, nisi constet scribentem aliud sensisse, ff. de leg. 3, non aliter; et supra, de decim., ad audientiam; et supra, de translat., inter corporalia; arg. supra, de spons., ex litteris 1. Arg. contra supra, de verb. sign., intelligentia; et supra, de verb. sign., propterea, ubi de hoc.

In utilitatem
Nota argumentum convertendum in utilitatem ecclesiae. Hoc posset intelligi quando praeter diligentiam canonicorum hoc contingit. Secus videretur si diligentia ipsorum hoc sit procuratorum, alias diligentia ipsorum esset ipsis damnosa, quod esse non debet, arg. C. de alluv., ea quae. Sic enim subtraherentur a procuranda ecclesiae utilitate. De hoc nota supra, de consti., cum M. Et ad hoc quod dicit, donec aliter etc., videtur quod non distinguatur undecumque augmentum contingat. Ber.

X 5.41 DE REGULIS IURIS

X 5.41.01 *Omnis res*

Omnis res
Potest exponi, id est, omnis obligatio sive contractus quod enim consensu contrahitur contraria voluntate dissolvitur, C. quan. lic. ab emp. disc., re quidem; et ff. de regul. iur., nihil tam naturale; et C. de act. et oblig., sicut initio. Fallit haec regula supra, de bapt. et

eius effect., maiores. Item in matrimonio quod solo consensu contrahitur, 22. q. 2, sufficit. Sed dolo dissensu non solvitur, 32. q. 7, licite. Item idem in ordine et baptismo, quia sacramenta semel habita numquam amittuntur, 1. q. 1, quod quidam; et arg. 15. q. 7, episcopus. Item fallit quia alio modo tollitur obligatio quae consensu nata est, scilicet per acceptilationem, sed non natura sui sed potestate conventionis, ff. de rescind. vend., cum emptor. Item tollitur solutione eius quod debetur, Inst. quib. mod. obl. toll., in princ. Item sicut acquiritur possessio corpore et animo, ff. de acq. poss., possideri. Et eodem modo amittitur, ff. de acq. poss., quemadmodum. Sed contra ff. de acq. poss., possideri § in amittenda. Solutio: animo amittitur civilis possessio, corporalis non ut illa lege ff. de acq. poss., quemadmodum.

X 5.41.02 *Estote*

Hoc loco
Scilicet qui sequitur in ipsa auctoritate, scilicet nolite iudicare et non iudicabimini etc.

In meliorem partem
Ut res potius valeat quam pereat, supra, de verb. sign., abbate; et supra, de fide instrum., inter dilectos; et ff. de reb. dub., quotiens 2. Et benigniorem interpretationem sequi debemus in re dubia, ff. de his quae in testam. del., proxime. Vel expone in meliorem, id est, in securiorem, pro eo quod in altero nullum in altero magnum periculum timeatur, supra, de homic., ad audientiam; et supra, de homic., significasti 2; et supra, de cleri. excom., illud; et supra, de spons., iuvenis. Sic enim in dubiis absolvitur reus, quia illud est benignius, supra, de fide instrum., inter dilectos, in fi.; et supra, de probat., ex litteris, nisi in casibus qui ibi ponuntur.

De manifestis
Quia secretorum Deus iudex est cognitor, 32. dist., erubescant; et 32. q. 5, Christiana; 2. q. 5, consuluisti.

Ut stuprum
71. dist., Apostolus. Haec enim in sui natura mala sunt, supra, de iureiur., et si Christus, in fi., vers. quaedam; et supra, de delict. puer., pueris.

X 5.41.03 *Qui scandalizaverit*

Qui scandalizaverit
Collige casum 11. q. 3, inter verba; et 22. q. 2, primum, in princ.; et 30. q. 5, ita ne; et supra, de his quae vi met. caus. fi., sacris.

Veritas
Quia triplex est, scilicet bonae vitae. Haec numquam omittenda est propter scandalum et ad quemlibet pertinet. Alia iustitiae, haec ad iudicem pertinet. Alia disciplinae, haec pertinet ad praelatum. In his duabus quandoque aliqua omittuntur propter scandalum, 50. dist., ut constitueretur. Et intellige quod hic dicitur de his quae indispensabilia sunt. Et tale ius commune quod indispensabile est, veritas appellatur. De hoc dictum fuit supra,

de temp. ord., sane. Et quod dicitur ibi, veritas iustitiae, intellige secundum quod his dicitur. Ius commune quandoque indispensabile est, 1. q. 7, et si illa. Et de tali hic loquitur, tale ius pro nullo scandalo relaxandum est. Sed quando ius commune dispensabile est propter scandalum receditur a iure communi, 50. dist., ut constitueretur; et 1. q. 7, dispensationes; et 1. q. 7, exigunt.

X 5.41.04 *Quod non est*

Necessitas
Hoc ideo dicit quia necessitas legi non subiacet, supra, de observ. ieiun., consilium, in fi.; et supra, de consuet., quanto; et de conse. dist. 1, sicut; et de conse. dist. 3, pervenit. Unde tempore necessitatis omnia sunt communia, 12. q. 1, dilectissimis; et ff. de lege Rhod. de iac., si laborante § cum in eadem navi, in fi., quod intelligitur in hoc casu. Et sic est arg. necessitatem excusare, de conse. dist. 5, discipulos; arg. 12. dist., quisquis; et 12. dist., delitiae; et 81. dist., cum omnibus; et supra, de furt., si quis. Et propter necessitatem famis David comedit panes propositionis, 25. q. 1, ideo § his ita. Et propter hoc pater potest vendere filium, C. de patr. qui fil. distr., si quis.

Sabbatum
Praeceptum fuit veteris legis sabbatum custodiri. Unde si qui colunt sabbatum exteriorem ritum legis revocant, de conse. dist. 2, pervenit.

In sabbato
Hoc est propter necessitatem, 23. q. 8, si nulla.

Aegrotus
Etiam si in quadragesima carnes comedat, non dicitur frangere votum, supra, de observ. ieiun., consilium, in fi. Ber.

X 5.41.05 *Quod latenter*

Quod latenter
Potest poni casus per ff. quod vi aut cla., praetor ait, circa princ. Et in servitio praestito praelato per vim a subdito. Hoc enim in futurum non parit praeiudicium, 11. q. 3, quia cognovimus.

Per vim
Quae per vim sive per metum fiunt qui cadere posset in constantem virum, cum de hoc constiterit, revocantur, supra, de his quae vi met. caus. fi., ad audientiam. De hoc plene dicitur in capitulo supra, de his quae vi met. caus. fi., abbas; et ff. quod metus cau., ait praetor; et ff. quod metus cau., metum § sed quod praetor.

X 5.41.06 *Cum in contemplatione*

Quaestionibus
ff. de quaest., in criminibus; et C. de quaest., milites. Quod si fiat, appellari potest, 2. q. 6, non solent, vers. ante sententiam. Hoc intellige nulla praesumptione praecedente. Arg. contra 5. q. 5, illi qui, ubi de hoc.

X 5.41.07 *Quae multotiens*

Quae multotiens
Supra, de poeni., ea quae; et 6. q. 1, imitare; et 1. q. 1, reperiuntur. Arg. supra, de Iudae. et Sarrac., ita quorundam.

In sacratis
Sive sit homo sive ager qui illa aufert et invadit, sacrilegium committit, 12. q. 2, nulli liceat. Et tamquam sacrilegus iudicari debet, ut 12. q. 2, praedia. Et per ecclesiam debet iudicari, supra, de for. compet., conquestus.

Episcopis
Isti ius publicum offendunt quod consistit in sacris et sacerdotibus, 1. dist., ius publicum.

X 5.41.08 *Qui ex timore*

Qui ex timore
Scilicet servili, quoniam filialis timor bonus est et potest introducere caritatem, de poen. dist. 2, sicut seta. Unde qui timore poenae servit non amore iustitiae, non ducitur spiritu Dei. Unde dicitur: timor non est in caritate, scilicet servilis, 23. q. 6, iam vero § ex his.

Iam non facit
Arg. quod non dicitur factum, quod legitimum non fit, 23. q. 1, pudenda; et 22. q. 2, faciat homo. Arg. supra, de iure patron., quod autem; et supra, de regular., ad nostram. Item habes hic arg. quod qui invitus servit, rem et meritum perdit et ideo indignus praemio fit, 23. q. 6, iam vero § ex his, vers. princ. Et talis obedientia vel nulla vel minima est, 8. q. 1, sciendum. Ergo per contrarium qui invitus offendit, non est ei imputandum, arg. ff. de bon. libert., qui cum maior § si libertus; et ff. fam. ercis., qui erat heres. Idem est etsi clericus invitus ferat testimonium contra ecclesiam suam, quod ei non sit imputandum, secus si sponte advocet contra ipsam, supra, de postuland., cum sacerdotis.

X 5.41.09 *Defleat*

In uno
Scilicet praecepto legis, unde scriptum est. Qui totam legem servaverit, offendat autem in uno, omnium factus est reus, de poen. dist. 5, fratres. Vel in uno, scilicet mortali peccato factus est omnium reus quo ad vitam aeternam, quia propter illud solum damnabitur, quia omnis virtus detrimentum patitur ab uno vitio, de poen. dist. 5, dolendum. Dum enim in uno peccato perseverat omnia bona perdit, ut ibi. Vel in uno, id est, in una virtute. Cum virtus eiicitur tunc vitium nascitur, 32. q. 1, cum renunciatur.

Vel in uno, id est, in caritate, sine qua nemo salvatur. Unde Apostolus: et si tradidero corpus meum ita ut ardeam, caritatem autem non habeam, nihil mihi prodest, de poen. dist. 3, si quis, ad. fi. distinctionis. Sic etiam in teste qui aliquid adiicit de suo, totum testimonium partis mendacio decolorat, 3. q. 9, pura. Simile de conse. dist. 3, non liceat; et de conse. dist. 3, non oportet; et 9. dist., si ad scripturas.

X 5.41.10 *Quamvis*

Pastor nescit

Quia pastor seu praelatus inquirere et corrigere debet subditorum excessus, alias sanguis eorum de praelatorum manibus requiretur, supra, de offi. ord., irrefragabili, 1. resp., cum suis concordantiis ibi positis. Et sic non habebit excusationem. Pastor enim qui tacet, consentire videtur, 43. dist., sit rector, ibi: pastorem enim etc.; 83. dist., error. Quare non potest uti pro defensione sua verbo Apostoli: mundae sunt manus meae a sanguine etc.; 43. dist., Ephesiis. Unde et tales deponi debent propter negligentiam; 71. dist., dictum; et 1. q. 1, si qui episcopi § ecce cum honoris. Item pastor tenetur de custodia, ff. locat. et conduct., qui mercedem; 23. q. 4, tres personas. Et si dicatur quod dolo eius periit et ipse neget, ipsi incumbit probatio, cum ipse ratione officii sui debeat custodiam habere, supra, de offi. archidiac., ea quae. Et si dicit amissam ovem, probet ille dolum abfuisse. Sicut argentarius probare debet se amisisse rationem casu, ruina vel incendio, ff. de edend., si quis ex argentariis § ulti. Et idem in deposito, supra, de deposit., bona fides, cum suis concordantiis.

X 5.41.11 *Indignum est*

Alienum

Ergo et a consuetudine aliarum ecclesiarum debet esse alienum, quia quod Romana ecclesia probat vel reprobat, et aliae ecclesiae hoc idem facere debent, cum ab ipsa suam habeant institutionem et auctoritatem, 11. dist., consequens; et 11. dist., nolite.

Homagium

Id est, sacramentum fidelitatis quod pro aliquo spirituali facere quis non debet, cum illud sit simoniacum, supra, de simon., ex diligenti. Alioquin clericus non tenetur facere praelato suo obedientiam. Et in casibus debet iuramentum facere de obedientia sive etiam de fidelitate post receptam administrationem, supra, de iureiur., nullus; 23. dist., quamquam; et supra, de maior. et obed., dilecti filii; et supra, de iureiur., ego; et supra, de privileg., antiqua. Alias enim nullum iuramentum, nulla pactio vel obligatio illicita in spiritualibus debet intervenire. Et si interveniret, nullam obligationem de iure vel de facto inducit, supra, de pact., pactiones. Ber.